XV.
D.
36.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
D
36
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

GISBERTI VOETII

Theologiæ in Academiâ ULTRAJECTINA *Professoris.*

POLITICÆ ECCLESIASTICÆ

PARTIS PRIMÆ.

Libri duo Priores.

AMSTELODAMI,
Ex Officinâ JOANNIS à WAESBERGE,
Anno clɔ Iɔ c LXIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI S.

IRigintá anni ſunt, cum ex miniſterio eccleſiaſtico, quo 23. annis functus eram, ad profeſſionem Theologiæ, & Linguæ Hebraicæ, capeſſendam huc evocor. Eam dum triennio fere ſolus ſuſtineo, & octonis lectionibus, præter quotidiana privata collegia, & publicas diſputationes, quâque hebdomade habendas, diſtringor: ita rationes meas inſtituere cogebar, ut omnium Auditorum tam tyronum & mediocrumorum, quam doctiorum ex aliis Academiis, ubi curſum abſolverant, huc adventantium commodis inſervirem. Quo factum, ut lectionibus pomeridianis, Danielis, Pſalmorum, aliorumque ſelectorum V. T. textuum ex Linguâ originali, interpretationi deſtinatis; binas matutinas Epiſtolæ ad Romanos, binas Synopſios Locorum communium ac Confeſſionem Belgicam, Catecheſios Partem 3., & Liturgiam, collatis Statutis eccleſiaſticis explicationi tribuerem, & ad eaſdem formulas ordine diebus Saturni diſputationes inſtituerem. Quia autem occaſione Quæſt. Catechet. 103. cum 82-86. & Confeſſionis artic. 30-36. nec non Liturgiæ prætermitti non poterant, quę regimen Eccleſiarum concernunt nata eſt ſub manu aliqua Politicæ Eccleſiaſticæ hypotypoſis; quę poſtmodum, ſuccedentibus in magnam laboris partem, (interpretationem ſcil. V. & N. T.) ἰσοψύχοις collegis, & multiplicatis lectionibus Locorum communium, per plurium quæſtionum, & caſuum acceſſum haut parum aucta, à doctoribus Auditoribus, qui eam ex ore diſſerentis, in uſum ſuum pro viribus exceperant, ac ferruminârant, aliis communicata, atque à nonnullis deſcripta fuit. Exinde jam annis aliquot varii à me efflagitârunt, ut ipſe manum operi admoverem, & aliquod hujus diſciplinæ ſyſtema ex qualicunque experientiâ, obſervatione, & lectione meâ congeſtum fabricarem.

Digitized by Google

rem. Ad illud dum me compono, & ſubceſivis horis aliquo uſque progredior; præter intentionem accidit, ut multi φιλομαθεῖς, cum Typographo rationibus ſuis conſulente, editionem totius operis per partes poſtulârint, & primam hanc, quam vides, à reliquis avulſam extruſerint. Quid præſtiterim, & an Studioſis ac Miniſtris πεφύτις noſtra alicui uſui eſſe queant, ex hoc ſpecimine judicabunt ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ. Quia tamen à nonnullis Scripta ejuſmodi ſubinde inſpici ſolent, non ut diſcant, aut ut occaſionem quærant meliora impartiendi, ſed tantum ut carpant & quæſitis cavillis exagitent: non abs re futurum me arbitror ſi de Titulo Libri, diſciplinæ hujus traditione, & citationibus Autorum Lectorem meum præmonuero.

Titulum nihil inſolens nihil novum ſonare, facile perſuadebo iis, qui *Zepperi Politiam*, & *Alſtedii Præcognit. theologic. lib.* 1. *cap.* 11. inſpexerunt; aut aliquam ſaltem Linguæ Græcę & phraſios Scripturariæ cognitionem comparârunt. Occurrunt in Scripturâ N. T. voces πολίτης, πολίτευμα, πολιτεία, πολιτεύεσθαι; unde haut abſurdè hîc potuimus πχιολογεῖν. Quod ſi quis cum *Fr. Iunio* malit vocare *eccleſiaſticum*, aut *eccleſiaſticam*, aut cum *Perkinſo* & *Alſtedio loc. cit. propheticam* (cujus partem dicit eſſe *politicam*) per me licet.

Quod ad modum tradendi, eum aliorum Theologorum exemplo ſecutus ſum, ut primum de ipſo jure, de rei veritate & bonitate ex tabulis Juris divini candidè apud Studioſos, aut Miniſtros, ſi qui me conſulerent, reſponderem; antequam de modo juris exercendi, & ἐπιείκειαι aliqua, neceſſitate legem non ferente, hic & nunc tolerandi, conſilium prudentiæ ſuggererem. In eſſentialibus regiminis Catecheſi, Confeſſione, Liturgiâ, & Ordine eccleſiaſtico, determinatis, non debui eos tanquam raſas tabulas, aut tanquam Scepticos, Neutrales, ambidextros, temporum Theologos, & polypos à me dimittere; quorum ſuffragiis Eccleſiæ noſtræ in Synedriis, Claſſibus, Synodis reguntur, aut mox regendæ erunt. Quæ enim praxis, quæ Eccleſiæ Politia, quæ dextra & prudens juris applicatio ab illis exſpectari

Digitized by Google

ctari poterit, qui in ipſius juris, & veritatis cognitione hoſpites ſunt ? Si quis in Scholis Studioſos Juris, aut Medicinæ dexterrimè informare ſe jactaret, non tam jus ipſum aut dogmaticam medicinam lectionibus, examinibus, diſputationibus tradendo; quam rigidè de modo juris exercendi diſputando : næ ille bellulos in meſſem juridicam aut medicam extruderet phœniculos, empiricos μιψοχανδίνας ; qui in praxi ſuâ oſtenderent veritatem vulgati illius, ἐ ἀμαθία θρασύς, & Pſalmi 82. v. 5. *neſciverunt, non intellexerunt, in tenebris ambulaverunt, nutaverunt omnia fundamenta terræ.* Adde, quod Miniſtri debent idonei eſſe ad elenchum adverſariorum, *Tit.* 1. *v.* 9. 10. 11. Eſſe autem adverſarios, qui certatim has illaſve Politiæ noſtræ eccleſiaſticæ partes Scripturis & ex iis Catecheſi, Confeſſione, Liturgiâ, Ordine eccleſiaſtico determinatas, certatim oppugnaverint, & etiamnum oppugnent, nemo ignorare poteſt, qui de controverſiis Libertinicis, Socinianis, Pontificiis, Remonſtranticis, Eraſtianis, Independenticis, Adiaphoriſticis, Anabaptiſticis, aliquid inaudiverit. Nec puto Theologos, qui ad *enchiridion candidatorum miniſterii* alicubi utiliſſimâ operâ editum, Commentationes & difficultatum enodationes in collegiis privatis promittebant; de modo juris exercendi, tantum aut præcipuè diſſertare voluiſſe : præſertim circa ἱερωμένα Eccleſiarum & Miniſtrorum, eique oppoſitam hierarchiam; legitimam electionem & vocationem Miniſtrorum ; ordinem Seniorum & Diaconorum; Diſciplinam & Excommunicationem ; Poteſtatem eccleſiaſticam à civili ſeu ſæculari diſtinctam, didacticam ſcil. nomotheticam, diſciplinarem; Synodorum neceſſitatem, convocationem, autoritatem; Profeſſorum & Doctorum ſcholaſticorum officium & autoritatem; Eccleſiarum reformationes, ſeceſſiones, ſyncretiſmos ; bonorum eccleſiaſticorum adminiſtrationem; miniſtrorum ſtipendia; ritus & ceremonias, in adminiſtratione baptiſmi & cœnæ, alibi controverſas. Quid in collegiis præſtiterint neſcio; hoc ſaltem ſcio, ſubinde in ſynopſi & in exegeſi Confeſſionis belgicę de talibus rigidè contra diſſentientes diſputari,

Digitized by

tari, aut saltem determinari; in nonnullis vero adiaphoris usurpandis, & in malis tolerandis viam, ipsorum judicio, meliorem indicari. A quibus tamen æqui arbitri non dicent, Catones hâc ratione formari non ad prudentiam, quæ negotia occurrentia consideret, sed quasi Pictores veteres ad objecta pingenda, qualia esse deberent, tanquam in ideâ Reipublicæ Platonicæ, &c. Nos per Dei gratiam, didicimus, & Discipulos docemus distinguere inter ipsam veritatem assertionis in Scripturis revelatam; & inter veritatis illius pondus, momentum, necessitatem, sive in ordine ad fidei salvificæ essentiam, & salutem æternam, sive in ordine ad Ecclesiæ particularis communionem, sive in ordine ad collationem ministerii. Semper etiam distinximus, & nostros distinguere docuimus, inter dogmata fidei per caritatem agentis; & inter instructiones de ordine & regimine Ecclesiastico. In istis rursum distinguimus inter veritatem ex verbo Dei tenendam; & inter ejusdem veritatis praxin, exercitium, executionem, applicationem; aut antitheticæ & falsæ opinionis publicè privatimve traditæ & tradendæ, ac in praxim diducendæ particularem & ἀφόκαιρον tolerantiam, tanquam alicujus defectus, qui hic & nunc tolli nequit. Interest fidei, & pietatis quorumcunq; Fidelium nullam veritatem de regimine & ritibus ecclesiasticis abnegare, aut in injustitiâ detinere, aut contra conscientiam nullas antitheses falsas, & ἀλήθειας ecclesiasticas viva voce & scripto profiteri, promovere, exequi. Multo magis interest Candidatorum ministerii & Ministrorum, ne prætextu moderationis, tolerantiæ, libertatis prophetandi potestatem sibi tribuant quodcunque regimen pro re natâ & infirmitatibus hominum quasi extra Rempublicam Platonicam fabricandi, mutandi, aut ab aliis Dominis temporalibus & spiritualibus fabricatum, mutatum, invitisque Ecclesiis obtrusum recipiendi, promovendi, exercendi, & tandem ut adiaphorum, forte etiam ut βέλτιον defendendi. Iterum actus circa regimen ecclesiasticum distinguuntur, in eos, qui ex se mali & illiciti sunt; & in eos, qui agendi, aut à quibus tantum ob scandalum & conscientiam

Digit... by Google

tiam alterius alicubi abſtinendum eſt. Deniq; in regiminis eccleſiaſtici regulis & determinationibus, diſtinguenda ſunt eſſentialia, generalia, permanentia; à periſtaticis, particularibus, ambulatoriis. In illis ſaltem nolim Candidatos noſtros aut ignorantiam affectare, aut ſuſque deque habere quid de iis ex verbo Dei ſtatuendum ſit, aut in Scepticorum, nedum in Papiſtarum, Hierarchicorum, Anabaptiſtarum, Eraſtianorum, &c. partes aliquas abire: non obſtante ſubſcriptione Confeſſionis, Catecheſios cum Liturgiâ, inſuper Ordinis eccleſiaſtici, antehâc præſtitâ aut ad ingreſſum miniſterii præſtandâ. Quomodo enim hâc dubitatione, aut hâc puræ negationis & pravæ diſpoſitionis ignorantiâ armati, ad Catecheſin, Confeſſionem, Liturgiam, Ordinem eccleſiaſticum rite defendenda accederent? Quid confuſione & permutatione quæſtionum de aſſertionis alicujus veritate ex Scripturis, & quæſtionum de ejuſdem pondere ac neceſſitate, cum annexis λόγοις διορθωτικοῖς de caritate, pace, tolerantiâ, moderatione, libertate prophetandi, novatores heterodoxi hactenus ſibi voluerint, & quantum doctrinæ puritatem, vitę pietatem, eccleſiaſticam ἐυκοσμίαν & pacem in Belgio noſtro promoverint, res ipſa clamavit, & niſi Deus clementer avertat, in poſterum denuo clamabit.

Objicient aliqui, Problemata & Quæſtiones nimis multiplicari: & multitudine Studioſos obrui. Quibus reſponſum velim, quaſvis Quęſtiones promiſcuè Studioſis non proponi, ſed maximè neceſſarias, aut difficiles, aut controverſas: reliquas particularibus occaſionibus & privatis conſiliis reſervari ac promi; omnes tamen ex controverſiis jam ſcripto mandatis, Noſtratium Synodorum Decretis, & dubiis privatim propoſitis, conſiliiſque ac reſponſis vivâ voce aut ſcripto datis originem ducere. Quiſque pro arbitrio, delectum habeat, & occaſione ita ferente eas perluſtret quas uſui ſuo fore putat: &, per me licet, particulares caſus ac conſilia, de eo quod melius & tutius in periſtaticis & ambiguis ſequendum videtur, prætereat. Talia enim, quamvis inter cætera ſubinde comparcant ad conſilia prudentiæ, in arcnâ ca-

Digitized by G

caplenda,ablegari patiot. Neque enim Miniſtris & Studioſis legem fero,aut ab aliquo ferendam puto, Libros ejuſmodi à capite ad calcem perlegendi, & imprimendi , Autoreſque ibi citatos comparandi, conferendi, examinandi. Nec arbitror quenquam tale quid de aliquâ Synopſi theologicâ cum Exegeſi Confeſſionis Belgicæ, tot quæſtionibus propoſitis aut inde formandis ſcaturiente; Auditoribus aliiſque omnibus Lectoribus præſcripturum. *Concordantiæ biblicæ*, & *Marlorati*, *Pauli Toſſani*, *Ravanelli* theſauri, inſuper indices materiarum, quin maximum uſum habeant, nemo inficiari poteſt: quos tamen à Studioſis & Miniſtris legi, relegi, ediſci debere, nemo dixerit. De Quæſtionibus, Caſibus, Praxi adiaphororum ſtat mihi ſententia Synodi noſtræ nationalis art. 85. *In adiaphoris Eccleſiæ exteræ ne rejiciantur, quæ alium à noſtro uſum habent.* Sed de his in ipſo *Opere Lib.* 1. *tract.* 2 *& Lib.* 2. *tr.* 1. *& part.* 3. *tit. de Moderatione, Tolerantiâ, Libertate prophetandi* pluribus agendum; & antehac actum 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Articulis & Erroribus fundamentalibus.*

De citatione Autorum, & crebrâ ad eos remiſſione, conſilii mei rationem expoſui in *Præfat. ad* 1. *Part. ſelectar. Diſpp.* ut actum hic agere haut opus eſſet : niſi Scriptori alicui repetitis poſt annum 1645. brevis *Syſtematis* ſui editionibus in *Dedicatione* & *Præfationibus* in Diſputationes ſelectas & in Bibliothecam meam viſum fuiſſet ſarcaſmis ſuis incurrere. Operæ pretium ergo me facturum arbitror, ſi Lectori, quem forte hæc tangent, ad dictam *Præfationem meam* remiſſo, inſuper ſuggeram, me *Selectis Diſpp. meis* Synopſim Theologiæ aut breve Syſtema minimè intendiſſe, aut promiſiſſe; nec etiam ſolis Tyronibus, ex Mellificio catechetico, aut Wollebii theologiâ, aliove aliquo elementario ac Synoptico ſcripto inſtituendis diatribas illas tunc legendas ſcripſiſſe; adeoque perperam ad methodum & modulum ſynopticæ ac primæ alicujus inſtitutionis, ſelectas noſtras Diſputationes exigi; quæ pleræque ſunt elencticæ, & certâ aliquâ occaſione, & ad poſtulatum doctiorum Studioſorum

Digitized by Google

dioſorum aliorumque extra hanc Academiam Amicorum con-
ſcriptæ. Quod ſi vir doctiſſimus vel nunc tandem ſecum habi-
tare vellet, facile recordaretur à ſe ab anno 1643. & deinceps
diſputationes Exegeſin Confeſſionis Belgicæ continentes Di-
ſcipulis ſuis propoſitas fuiſſe, quæ citationibus omnis generis
Autorum *teſſellatæ* tunc comparebant; quorum numerus ſecun-
dis curis aſcendit ultra 500. præter 39. Concilia & Codices ca-
nonum: quibus permixtos videas non tantum Rabbinos, ſed
& recentiores Philoſophos, Agrippam, Ficinum, Gaffarel-
lum, Timplerum, Sennertum, Carteſium, Zwareſium, Fon-
ſecam, Conimbricenſes, Bodinum, Deuſingium, Gemmam Fri-
ſium, Copernicum, Cæſalpinum, Scaligeros, Scriblerum,
&c. cum Scholaſticis antiquis, & hodiernis, Lombardo,
Thoma, Scoto, Durando, Ariminenſi, Soto; Victoria, Vaſ-
quez, Valentiâ, Puteano, Paludano, &c. & recentibus Com-
mentatoribus Pontificiis Lorino, Serrario, Toleto, Salme-
rone, Ribera, A Lapide, &c. Quis propterea abſque turpi
ignorantiâ aut inſigni cavillandi libidine huic Theologo ex-
probrare poſſet, quod citatione Patrum, Rabbinorum, Hæ-
reticorum, recentium & veterum Theologorum, Hiſtori-
corum, Grammaticorum, Poëtarum, Philoſophorum, Jure-
conſultorum, Canoniſtarum, Caſuiſtarum, panſophiam oſten-
taret, aut auditores triennii ſpatio eandem, evolutis quingentis
& amplius omnis generis Scriptoribus, conſecuturos ſibi ſpon-
deret? Quis ſine ſtudio contradicendi ex citationibus & indiciis
Autorum quorundam, etiam commendationibus aut Diſcipu-
lorum Lectorumque ad eos remiſſionibus, jus *ſuitatis* aut *poſſeſ-
ſionem* Autori illi formulis & pronominibus poſſeſſivis *tui*, *ſui
ſcholaſtici*, *Ieſuitæ*, *Caſtaneus*, *Carteſius*, *Conimbricenſes*, adſcribe-
ret? Dicat forte quis, longè diverſam eſſe rationem alterius Aca-
demiæ, & hujus noſtræ: ibi utiliter, opportunè, decore diſpu-
tationes exegeticas Confeſſionis Belgicæ juventuti Academicæ
propoſitas, omnis generis Autoribus potuiſſe teſſellari; abſque
acquiſitâ ſuitate aut poſſeſſione, abſque captatâ eruditionis &

multijugæ lectionis laude', absque Theologiæ & juventutis confusione & corruptione: meas vero selectas Disp. aliave scripta non potuisse. Cui distinctioni nihil in præsenti reponendum puto. Merces suas & suorum laudet, quem sua voluptas huc trahat; nostras lectiones, exercitationes, scriptiones, nobis & nostris relinquat. Juventuti nobis commissæ, & Ministris πφόπως utiles esse volui, cosque ad solidam eruditionem ac praxim incitare. Quod si non obtinui, ausis meis me excidisse fateor; aliorum tamen opportunè importunè captatas insectationes non promeritum. Ultrajecti Kal. Jun. clɔ. Iɔc. Lxiii.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM,

Quæ per ſingula capita tractantur.

PROLEGOMENA
ad

Politicam Eccleſiaſticam

De ſcientiæ ſeu Diſciplinæ, quæ Politica Eccleſiaſtica dicitur. 1. Naturâ. 2. Cauſis. 3. Affectionibus. 4 Diviſione. 5. Studio, & de Apparatu ad hoc ſtudium.

LIBER I.

De objecto Politicæ Eccleſiaſticæ.

TRACTATUS I.

De Eccleſia Inſtituta.

Cap. I. *Natura Eccleſiæ inſtitutæ explicatur, per ejuſdem genus, Materiam, Formam, Cauſas efficientes & finales, affectiones, oppoſita, Diviſiones.*

Cap. 2. *Problematum ſeu quæſtionum claſsis prima: circa Genus, Materiam, formam, objectum & Fines Eccleſiæ inſtitutæ.*

Cap. 3. *Quæſtionum claſsis ſecunda, circa cauſas efficientes.*

Cap. 4. *Quæſtiones circa Eccleſiæ inſtitutæ affectiones.*

Cap. 5. *Continens quartam claſſem Quæſtionum circa Diviſiones Eccl. inſtitutæ: ubi de Eccleſiâ Parochiali, Vicanâ ſeu Rurali, Domeſticâ, Aulicâ, Caſtrenſi, Navali, Scholaſticâ, Provinciali.*

Cap. 6. *De Eccleſiis collegiatis, Cathedralibus, ſeu Diœceſianis Archiepiſcopalibus ſeu Metropolitanis, Patriarchalibus, œcumenicis.*

LIBER I. TRACT. II.

De Poteſtate, Politiâ & canonibus Eccleſiarum.

Cap. 1. *Diſtinguitur vox poteſtatis Eccleſiaſticæ. Ipſa poteſtas pro-*

Digitized by Google

priè dicta definitur. Partes potestatem illam ingredientes ac constituentes explicantur, ut & ejusdem affectiones, cum oppositis.

Cap. 2. *Disceptatur de Potestate & jure Magistratus circa sacra.*

Cap. 3. *Fontes solutionum, & responsiones ad argumenta ac testimonia, quæ ab adversariis opponi solent.*

Cap. 4. *Quæstiones aliquot particulares de Potestate Magistratus circa Sacra determinantur.*

Cap. 5. *Determinantur particulares aliquot Quæstiones de subjecto Potestatis Ecclesiasticæ: an sit Magistratus, aliave collegia politica; saltem in statu Ecclesiæ corrupto aut turbato: An Papa, Episcopi, &c. eorumque Curiæ, Ecclesiæ Cathedrales, Concilia: An soli Ministri, eorumve conventus: an Ecclesia Oecumenica, seu Catholica: an Populus.*

Cap. 6. *De objecto potestatis ecclesiasticæ, tum personali tum reali.*

Cap. 7. *De Politiâ seu Regimine Ecclesiarum.*

Cap. 8. *De Ecclesiasticis Canonibus, Decretis, Moribus seu Consuetudine.*

Cap. 9. *Explicantur Quæstiones aliquot theticæ de Canonibus Ecclesiasticis.*

Cap. 10. *Continet Paralipomena aliquot Quæstionum tum generalium tum particularium.*

Cap. 11. *Continet Quæstiones de Decretis Ecclesiasticis, & de Consuetudine.*

Cap. 12. *Ius Ecclesiasticum, seu Canonicum in genere & historicè explicatur.*

Cap. 13. *De Corpore Iuris Canonici explicatio historica.*

Cap. 14. *Crisis corporis Canonici, seu Iuris Pontificii; deque studio ejusdem.*

Cap. 15. *Quæstiones aliquot de Iure Canonico.*

PARTIS I. LIBER II.

De Rebus, seu Agendis & Exercitiis Ecclesiasticis.

TRACTATUS I.

De Formulariis, seu Liturgiis, & Ritibus.

Cap. 1. *De Formulariis, seu Liturgiis.*

Cap.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

Cap. 2. *Quæstiones aliquot de Liturgiis, & de Liturgicis determinantur.*
Cap. 3. *De Ritibus seu Ceremoniis Ecclesiasticis.*
Cap. 4. *Controversia quæ nobis intercedit cum Papatu, de Ceremoniis ejusdem in generali.*
Cap. 5. *De Ceremoniis in magnâ parte Ecclesiarum Germanicarum etiamnum residuis.*
Cap. 6. *De Concertatione super Ceremoniis quibusdam Anglicanis.*
Cap. 7. *Quæstionem, naturam, causas & proprietates Ceremoniarum uberiores explicantes.*
Cap. 8. *Quæstiones de ritibus aliquot in particulari, de Manuum impositione, de Osculo, de Abstinentiâ à suffocato & sanguine, de ritu matrimoniali, de Chrismate, de velamine Mulierum in Ecclesiâ, de Excussione pulveris pedum, de Agapis, de Ritu confœderationis, de Lotione pedum.*

LIBER II. TRACT. II.

De Agendis Ordinariis publicis.

SECTIO I.

De Precibus, Benedictionibus, Doxologiis Ecclesiasticis.]

Cap. 1. DE *Precibus Ecclesiasticis.*
Cap. 2. *De Benedictionibus, Salutationibns, Doxologiis, & Cantu Ecclesiastico.*
Cap. 3. *De Organis & cantu Organico in Sacris.*

TRACT. II. SECT. II.

De publica Verbi Divini tractatione.

TRACT. III. SECT. III.

De Administratione Baptismi.

Cap. 1. DE *Baptismi Ministro.*
Cap. 2. *De Baptizandis.*
Cap. 3. *De Materiâ & Formâ Administrationis Baptismi.*
Cap. 4. *De Modo, Ritibus, Adjunctis, circumstantiis in administratione Baptismi observandis.*

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

TRACT. II. SECT. IV.

De Cœnæ Dominicæ Administratione.

Cap. 1. DE *Symbolis, seu Elementis (ita dictis.)*
Cap. 2. *De Symbolorum Consecratione.*
Cap. 3. *De Personis distribuentibus, & Communicantibus.*
Cap. 4. *De Vtensilibus seu Instrumentis, deque adjunctis quibusdam, & de circumstantiis.*
Cap. 5. *De Ritibus fractionis, acceptionis, genuflexionis, elevationis.*

LIB. II. TRACT. III.

De Agendis Ordinariis privato-publicis.

Cap. 1. DE *Catechizationibus.*
Cap. 2. *De Prophetiis seu Collationibus scripturariis.*
Cap. 3. *De Dubiorum solutionibus, casuum Decisionibus, Consiliis theologicis, Domesticis & privatis Institutionibus, errantium convictionibus, afflictorum consolationibus, tepidorum adhortationibus, labentium correptionibus.*
Cap. 4. *De Agendis quibusdam ad prudentiam propius spectantibus.*
Cap. 5. *De Agendis propius caritatem spectantibus, Eleemosynâ scil. Hospitalitate, Agapis.*
Cap. 6. *De Agendis Domesticis, seu Exercitiis pietatis per familias promovendis.*

LIB. II. TRACT. IV.

De agendis Publicis Extraordinariis, Jejuniis & Eucharistiis.

Cap. 1. DEscriptio, & distinctio *Religiosi Iejunii : cum censurâ pseudo-Iejunii Romano-Papistici.*
Cap. 2. *Controversia principalis quæ hodie de Iejuniis agitatur, aliæque insuper Quæstiones de iisdem explicantur.*
Cap. 3. *De publicis Eucharistiis, Festis, & diebus bonis.*

FINIS.

PRO-

Digitized by Google

PROLEGOMENA
AD
Politicam Ecclesiasticam.

De Scientia seu Disciplina, qua Politica Ecclesiastica dicitur. 1. Natura. 2. Causis 3. Affectionibus. 4. Divisione. 5. Studio, & de Apparatu ad hoc studium.

1. NATURA ejus sequenti definitione explicatur: est *Scientia sacra regendi Ecclesiam visibilem.* Cum autem vox hæc sit ambigua, & notare possit aut habitum in mente; aut artem, methodum, systema Præceptorum sive in libro, sive in ore docentis: præmonemus priori notione hic sumi. 1. Definitum est *Politica Ecclesiastica*: quæ etiam simpliciter *Ecclesiastica* dici potest, quomodo scientia regendi πόλιν aut πόλεις ab objecto suo absolutè *Politica* dicitur. 11. Genus statuimus Scientiam. Posset etiam dici *Prudentia*, aut *Ars*, aut *Sapientia*: siquidem voces ἐπιστήμης, σοφίας, τέχνης, φρονήσεως, νόος, ἐπιγνώσεως, in omnibus linguis, sive inter populares, sive inter Philosophos, eâ cum distinctione non usurpantur, quâ olim in linguâ Græcâ & in Scholâ Aristotelis. Quocunque modo voces accipiantur, saltem in Scripturâ voces Intelligentiæ, Scientiæ, Sapientiæ dicuntur de habitibus circa τὰ πρακτὰ aut τὰ ποιητὰ versantibus, *Ephes.* 5. *v.* 15. *Philipp.* 1. *v.* 9. cum *Coloss.* 1. *v.* 9. *Exod.* 31. *v.* 3. 1. *Reg.* 4. *v.* 11. 12. Cum autem Scientiæ ex objecto, opere, & fine distingui soleant in Theoreticas & Practicas; nos Ecclesiasticam ad practicas referimus. Addimus esse *sacram*, ut ab aliis communibus seu sæcularibus scientiis practicis & artibus eam distinguamus. Est enim objectum ejus non commune, homines: scil. quocunque alio in statu & societate considerati: sed peculiare; uti mox dicemus. 11. Differentia sumitur ab objecto; quod immediatum & proximum est sacrum & spirituale regimen Ecclesiæ, seu Politia sacra: de quâ *Part.* 1. *Lib.* 1. *Tract.* 2. Objectum mediatum est Ecclesia seu communitas Ecclesiastica. Sed quia Ecclesia secundum duplicem respectum & statum suum di-

Digitized by Google

ſtinguitur in inviſibilem & viſibilem; explicatè & diſtinctè dicimus, *regendi Eccleſiam viſibilem.* Circa hanc definitionem moveri poſſunt hæ quæſtiones, I. *Quæſt.* An detur talis ſcientia? *Reſp. Aff. Quia* ubi objectum γνωστὸν ſeu ſcibile, ab aliis diverſum, ibi ſcientia ab aliis diſtincta: juxta illud vulgatum, τίμιοτερα αἱ ἐπιστήμαι ὧν τὰ ἀντίγραπτα. Jam verò dari Politiam Sacram, ſeu regimen Eccleſiæ viſibilis & inſtitutæ à Civili, Oeconomico, Militari, Scholaſtico diſtinctum, in confeſſo eſt, apud omnes qui aliquam Eccleſiam inſtitutam agnoſcunt; & docet lux factorum & experientiæ; adhæc ex Scripturâ talem Politiam tum in genere, tum per partes præſcribente evincitur: uti oſtenditur *lib. I. tract. 2.* II. *Quæſt.* An & quomodo differat à Politiâ Eccleſiaſticâ? *Reſp.* Ut qualitas ſeu actus à ſuo objecto circa quod verſatur: ex. gr. ut Scientia Politica, à regimine Reipublicæ. III. *Quæſt.* An diſtinguatur à Theologiâ? *Reſp.* Siquidem latè ſumas vocem Theologiæ, abeâ non differe niſi ut pars à ſuo toto: ex. gr. ut Scientia de cœlo, aut de mineralibus, aut de animâ, à Phyſicâ. Sin verò ſtrictè accipias, poteſt ab eâ diſtingui, eâ fere ratione, quâ Politica ab Ethicâ. Quid enim vetat ut Philoſophiæ, ſic & Theologiæ plures diſtinctas diſciplinas conſtitui: ſaltem duas, quarum una ſit Communis, quam Catecheticam appellare poſſumus, cujus ſcientia omnibus fidelibus ad ſalutem affectanda; altera Propria ſeu Specialis, quæ propius & plenius diſcenda ac tractanda illis, qui ad regimen Eccleſiæ adhibentur, aut adhibendi ſunt. Quod ſi cui non placeat diſtinctionem ullam hic admittere (de quo diſceptare nolim,) ſaltem per ipſum liceat, juxta methodum cujuſque arbitrariam melioris ac facilioris doctrinæ causâ, artem & regulas illas, quæ propriè externum Eccleſiarum regimen concernunt, per Theologiæ corpus ſparſas ad ſigna revocare, & proprio formali ſuo ſubjecto ac proximo fine circumſcriptas à Theologiæ latifundiis divellere ac diſcriminare. Quod ſi quis cavilletur nos plures facere Theologias: is ſciat ſe eodem categoremate ferire præſtantiſſimos Theologos, qui Theologias Didacticas, Problematicas, Elenchticas, Catecheticas, Propheticas, Hiſtoricas, Practicas, Caſuiſticas, Naturales ediderunt. Nolo hic adducere tractatus Jeſuitæ Sandei de Theologiâ variâ, de Symbolicâ, de Myſticâ, de Juridicâ, de Medicâ: nec aliorum diſtinctionem in Poſitivam & Scholaſticam. Quos tamen non arbitror eo ipſo diſſentire velle à Thomæ & communis ſcholæ ſententia de unitate ſcientiæ Theologicæ ſub uno ſubjecto formali. Sed non eſt operæ pretium his immorari. Quiſque fruatur judicio ſuo. Wilhelmi Zepperi, aliorumque peculiares tractatus de toto regimine, aut parte ejus, inſtituti & methodi noſtræ apologiam affatim præſtabunt. Confer *Problemata noſtra de Theologiâ*; & 3. *Part. ſelect. Diſp. tit. de Theologiâ practica.* IV. *Quæſt.* An differat à Politica Philoſophica ſeu ſæculari, & à Juriſprudentia: an verò alterutrius

Digitized by Google

utrius pars ſit. *Reſp. Aff. pr.* & *Neg. poſter.* Quod ſi cui in Politicâ & Juriſprudentiâ Eccleſiaſticam aut partem ejus tractare liberet, id fieret per digreſſionem, aut commentarium, aut per modum objecti præcognoſcendi: quia poteſtas Politica etiam verſatur circa res, perſonas, actiones Eccleſiaſticas; ſed longè aliâ ratione, ac ſub alio formali, quam poteſtas Eccleſiaſtica: uti ſuo loco hoc explicabitur. Non ſunt ergo regulæ & præcepta regiminis Eccleſiaſtici in Juriſprudentiâ, aut in diſciplinâ Politicâ ἀσύτα.

2. Ad pleniorem Politicæ Eccleſiaſticæ intelligentiam, cauſæ ejus efficientes notandæ. *Efficiens principalis* eſt vel prima vel ſecunda. *Prima* eſt gratia Spiritus Sancti, ſive communior, ſive ſpecialis, quæ electorum & regenitorum propria eſt, atque infallibilem cum ſalute connexionem habet. *Secunda* eſt Sacra Scriptura, quæ ut omnis ſcientiæ ſacræ, ita & Eccleſiaſticæ principium & norma. *Minus principalis* ſeu adjuvans & inſtrumentalis eſt triplex. 1. *Remota*, ingenium practicum. 2. *Propinqua*, inſtructiones Politico-Eccleſiaſticæ, à Præceptoribus tum ſonantibus tum mutis hauriendæ. 3. *Proxima*, Uſus & exercitatio: quæ partim in intuitu & obſervatione regiminis in Eccleſiis optimè conſtitutis, partim in propriâ praxi ſeu pragmaticâ Eccleſiaſticâ conſiſtit. Sed quæſtionibus aliquot propoſitis ἀντιλογίαν hanc uberius illuſtremus. 1. *Quæſt.* An lumen naturæ ſit principium ſecundarium Politicæ Eccleſiaſticæ: ſicuti eſt, theoſophiæ & aretologiæ naturalis. *Reſp. Neg.* Quia Politica hæc cum objecto ſuo, Eccleſiâ ſcil. inſtitutâ ejuſdemque regimine & Politiâ refertur ad cultum Dei inſtitutum. Atqui ille ut ſecundum liberum Dei decretum à Deo præſcriptus eſt, non niſi ſupernaturali Dei revelatione innoteſcit: conſequenter lumine naturali inveſtigari ac cognoſci nequit, ſed ex ſolâ Scripturâ. Eſt tamen mens noſtra & recta ratio ſubjectum atque inſtrumentum receptionis & dijudicationis propoſitionum & conſequentiarum, quæ in Politiâ Eccleſiaſticâ diſponuntur. 2. *Quæſt.* An etiam poſſit eſſe in reprobis, ſeu in aliquo non vere converſo & fideli? *Reſp. Affir.* Quia habitus Theologiæ poteſt eſſe in reprobis (quod alibi probavimus:) & ſcientia ſeu prudentia Politica, ſeu ſpiritus regius fuit in Saule, 1. *Sam.* 10. *v.* 9. & chariſmata extraordinaria in hypocritis, *Matth.* 7. *v.* 22. (de quo *Part.* 2. *ſelect. Diſp tit. de Chariſmatis*:) quidni ergo prudentia & ſolertia in externo regimine Eccleſiaſtico? 3. *Quæſt.* Sitne habitus infuſus, an acquiſitus? *Reſp. Diſtinguenda* hic ſubjecta in quibus. In quibuſdam (e. gr. in Apoſtolis) eſt habitus infuſus, non minus ac totius Theologiæ, omniumque ſcientiarum, quæ ad iſtius Theologiæ neceſſariam explicationem ac defenſionem requiruntur. In aliis propriè & ſpecificè eſt habitus acquiſitus; non minus ac habitus totius ſcientiæ Theologicæ. Quamvis aliquo alio reſpectu infuſus dici poſſit, quatenus Deus quibuſdam viris in bonum ſuæ Eccleſiæ lumen perſpicacitatis, judicii, &

pragmaticæ prudentiæ in rebus Ecclesiasticis percipiendis, judicandis, gerendis, & dirigendis peculiariter & uberius impartit. 4. *Quæst.* An habitus hic possit amitti? *Resp. Aff.* Non minus, ac habitus aliarum artium aut scientiarum, nec non prudentiæ Politicæ, & fortitudinis heroïcæ. Ita spiritus Domini recedebat à Saule, 1. *Sam.* 16. *v.* 14. Et si fides generalis est ναύαγος, ac planè amitti potest, *Matth.* 13. *v.* 21. cum 1. *Timoth.* 1. *v.* 19. Quidni scientia Politicæ Ecclesiasticæ? Ratio est, quia donum scientiæ & prudentiæ Ecclesiasticę, ut & alia charismata non sunt dona ἀμεταμέλητα. Confer *Matth.* 7. *v.* 22. cum *Rom.* 11. *v.* 29. 5. *Quæst.* An non tantum plerique privati fideles, sed & eruditi aliqui Theologi in dogmatis & praxi pietatis versatissimi, à Theologis in solidâ Theologiâ satis pauperibus, & pietatis sterilibus (hoc est formalistis & hypocritis sive crassis sive subtilibus) in exercitatione, promtitudine, ἀγχινοίᾳ, pragmaticæ Ecclesiasticæ, superari possint, & non rarò superentur? *Resp. Aff.* Attestante id quotidianâ experientiâ. Et hinc est, quod subinde viri in se boni, & erga Deum ac cultum ejus publicè privatimque zelantes in pragmaticâ Ecclesiastica, aut etiam Politica, quæ Ecclesiam & religionem tangit, miserè impingant, & maximum dent damnum, à vulpibus pragmaticis hàc aut illâ falsâ specie circumventi. 6. *Quæst.* An ullus Ecclesiæ Minister, aut Professor Theologus sine hac scientia, munere suo ritè fungi possit? *Resp.* De Ministris qui secundum Scripturas & Constitutiones nostras Ecclesiasticas sunt & dicuntur Rectores, Pastores, Episcopi Ecclesiarum, absolutè *negatur*. Ita ut hâc prudentiâ planè destituti munus Ecclesiasticum tenere non debeant; quantacunque polleant ingenii & eruditionis excellentia, & dicendi facultate. In Professoribus quamvis tam necessariò prudentia seu scientia practica requiri non videatur, modò probè teneant Historicam & Theoreticam ejusdem cognitionem, ut discipulos ad scientiam illam manuducere possint: tutissimum tamen est, & maximè è re Ecclesiæ, ut probè hâc scientia imbuti & in praxi Ecclesiastica exercitati ad scholasticas professiones adhibeantur. Hinc est, quod in Academiis reformatis aut ministerio Ecclesiastico aliquamdiu functi aut etiamnum eodem unà cum professione sua fungentes, ut plurimum ad professiones promoveantur: ne scil. minor dexteritas & circumspectio sit facultatis Theologicæ in manuductione discipulorum ad curam animarum & regimen corporis mystici Christi; quam facultatis Medicæ in manuductione discipulorum suorum ad regimen sanitatis & curam corporis humani; quæ non nisi per practicos aut praxin etiamnum exercentes id fieri posse autumat. Nolumus tamen negare, quin tales casus incidere, & tam idonei ad prudentiam Ecclesiasticam & consilia se offerre possint, quamvis in publico ministerio nunquam versati, ut utilitas Ecclesiæ suadeat eruditos & pietatis zelotas Theologos, quamvis non-expertos, aliis quamvis expertis, minus tamen eruditis, aut in pietate minus.

minus accuratis, in hac electione præferre. Et huic causæ analogicè applicari posset disputatio *Philosophi Metaph.* 1. *cap.* 1. Ubi contendit artem experientiæ, & artificem experto non-artifici, ratione non quidem actionis, sed cognitionis præferendum esse. Rationes ejus sunt, *quia* artifices cognoscunt causas rerum; puri experimentales non cognoscunt: *quia* illi docere possunt, h. e., ratione & methodicè demonstrare; isti non possunt: *quia*, nullæ notitiæ sensitivæ, in quibus numeratur experientia, possunt dici sapientia, nec ab iis quis sapiens denominari; intellectivæ notitiæ possunt. Ratio hæc est, quia nullus sensus ex se causam sui objecti, saltem sub ratione causæ, cognoscere potest; intellectus potest. Nec abs re est, quod Interpretes distinguunt inter experientiam (propriam scil.) principiorum & conclusionum: quarum illam ajunt simpliciter requiri ad habitum scientiæ aut artis acquirendum; istam non item, nisi ad primam scientiæ inventionem. Discere enim quis potest conclusiones alicujus scientiæ, & singularum demonstrationum vim percipere ac dijudicare, quamvis ipse personaliter singularia omnia sensibus non hauserit, & ex sensationibus ad observationes, ex his ad experientias progressus non sit, atque inde inductiones formârit. *Consect.* 1. Non rectè in Papatu studia & professiones Politicæ Ecclesiasticæ & Theologiæ à se invicem, divelli ac separari; atque hâc ratione Canonistas (quos vocant) sine Theologiâ, & Theologos sine Canonisticâ ex professo ac pariter discendâ ac docendâ constitui. *Consect.* 2. Malè à *Concilio Tridentino sess.* 22. *cap.* 2. statutum, ut promovendus ad curam Episcopalem gradum habeat in Theologiâ, aut Jure Canonico. Cur non addiderunt, aut in Jure, aut in Medicinâ, aut in Poësi, aut in Musicâ: ut scil. sit Poëta laureatus, aut Musicæ baccalaureus. *Consectar.* 3. Longè pejus ejusmodi Canonistas in promotione ad Episcopatus, hoc est, ad autoritativam curam, & rectoram Ecclesiasticam, Theologis sæpe præferri. *Consectar.* 4. Pessimè omnium tales Canonistas (qui inter Episcopos literati & studio alicui initiati sunt) in Conciliis controversias Theologicas determinare, exclusis Ecclesiarum & Scholarum Theologis; quos tamen tanquam consultores, immo Theologicorum conceptuum fabros ac formatores ad Concilia secum adducere coguntur: uti patet ex *Historiâ Concilii Tridentini*, & falsè à *Stellâ* alicubi in *Commentar. in Lucam* (in *cap.* 2. si bene memini) hoc perstringitur. *Consectar.* 5. Diligenter cavendum, ne iis potissimum aut ut plurimum, aut ferè perpetuò magnarum Ecclesiarum curæ difficiliores, aut negotia ac mandata Synodica, aliaque majoris momenti committantur, qui expeditâ aliquâ memoriâ circa res & actiones singulares, adhæc arte & eloquii facultate in pragmaticis, & in versandis negotiis Ecclesiasticis aliquantulum valere, fortè & ambitu nonnunquam prævalere videntur: ubi vero de interpretatione scripturæ de ipsis fidei dogma-

tis, de caſibus conſcientię, de univerſalibus & ſubſtantialibus regiminis Eccleſiaſtici controverſię incidunt, aut nulli ſunt; aut aliis Miniſtris præteritis longè inferiores. Cacoëthes hoc in tenebris Papatus viderunt aliqui ex ipſorum Caſuiſtis: qui contra contenderunt, ad paſtorales curas & epiſcopatus potius Theologos quam Canoniſtas promovendos.

3. Affectiones hujus ſcientię ſunt, Subalternatio, Neceſſitas, Certitudo, Difficultas, Dignitas. I. *Subalternatio*, tam ſtrictè hic non accipitur ac Ariſtoteli, ſed laxius: quali ſcil. reliquæ ſcientiæ ſubalternantur Metaphyſicę, ubi objectum & principia tractantur, quæ ipſę ſumunt, non probant. Si ergo & quatenus ſcientia hæc à Theologiâ ſtrictè dictâ diſtinguitur, dicimus eam ſubordinari Theologiæ, ubi de objecto & principiis ipſius ex profeſſo, & in actu ſignato (ita loquar) tractatur. Sin malit quis eam partem facere Theologię dicendum eſt hanc partem alteri alicui ejuſdem parti ſubordinari & ab eâ dependere. II. *Neceſſitas* ex neceſſitate objecti proprii, regiminis ſcil. Eccleſię inſtitutæ deſumi poteſt: quæ tanta eſt, ut recta Politia ſeu diſciplina Eccleſiæ, inter notas ejuſdem numeretur. III. *Certitudo*, quatenus concluſiones ejus ex principio Scripturæ demonſtrantur, tanta eſt, quanta omnium aliarum concluſionum Theologicarum Sed quod ad concluſiones, quæ applicationes agendorum & actionum ad adjuncta & mutabiles circumſtantias rerum, perſonarum, locorum, temporum, continent: certitudo demonſtrationum in iis quærenda ſecundum ſubjectam materiam; haut aliter ac in Medicinâ, & Politicâ. Vide *Philoſophum lib.* 1. *Ethic. Nicomach. c.* 3. IV. *Difficultas* in comparandâ hâc ſcientiâ oritur partim ex latitudine ejus, partim ex ſubjectâ materiâ; quę tota practica eſt, & regimen hominum (quod eſt *ars artium & ſcientia ſcientiarum*, teſte *Nazianzeno in Apologiâ pro fugâ*) ingeniis & ſtudiis non minus, ac vultibus & ſono tonoque ſermonis, ſigillatim diſcrepantium, & quidem in ſpiritualibus (hoc eſt in maximè arduis & ſublimibus) concernit. Latifundia hujus ſcientiæ ingenium ad minimum mediocre, & ſtudium non vulgare requirit: ne quis arbitretur uno atque altero intuitu, aut volatico ſtudio quaſi οὐ πεζῇ aut per compendium, ſpacia hæc pertranſiri poſſe. Subjecta materia luculentum apparatum (de quo mox infra), & prudentiam, cum cognatis ſive virtutibus ſive auxiliaribus miniſtris, requirit. Facta enim pæne infinita, & circumſtantiæ admmodum variantes, magna diſcretione indigent in dextrâ unione aut diſtinctione ſimilium & diſſimilium, parium & imparium. V. *Dignitas* ex ejus neceſſitate, & certitudine potiſſimùm reſultat: ita ut poſthabita criſi Philoſophi circa harum vocum uſum, meritò bonum & ἄριστον & ἐπιτακτικὸν dici debeat. Unde facilè comparatio cum aliis ſcientiis inſtitui poterit. *Quæſt.* An ſicuti politica Ariſtoteli aliarum ſcientiarum & artium ἀρχιτεκτονικὴ dicitur; hæc noſtra reſpectu ſcientiarum Theologica-

rum

rum ſimili titulo inſigniri poſſet? *Reſp.* Si Theologiam ſeu ſacram ſcientiam tanquam collectivum quid ex pluribus ſcientiis aggregatum conſiderare libeat, haut aliter ac Philoſophiam; aut ut unam ſcientiam in varias partes diſtinctam ac ſeparatam; aut ſaltem ut unam, ſed variis methodis, modis, ac formis tractatam: concedimus hanc noſtram certo quodam reſpectu architectonicam dici poſſe; quatenus ſcil. omni ſcientiæ ſacræ ritè diſcendę, docendæ, in praxin deducendæ, conſervandę, propagandæ rationem, ordinem, ac modum præſcribit.

4. Diviſio hujus ſcientiæ inſtitui poteſt, vel in ſpecies circumſtantiales, vel in partes integrantes. 1. In ſpecies dividitur, in Politicam Vet. & N. Teſtamenti. Ut enim regimen Eccleſiæ diverſum eſt in rebus ſeu agendis ſacris, in perſonis, in actionibus; ſic & diverſa Politica. Illam varii deſcripſere, *Bonaventura, Cornelius Bertramus*, quem *notis* ſuis locupletavit *Conſtantinus l'Empereur ab Oppyck*, *Car. Sigonius*, Jeſuita *Menochius*. Cum quibus conferenda *Ariæ Montani Antiquitates*, *Cunæi Reſpublica Hebræorum*; imprimis *varia ſcripta Joh. Seldeni*, ut *de Jure naturali & gentium*, *&c. De Succeſſionibus*, *de Synedriis*, *de Uxore Hebraâ*, *de Anno Hebræorum*; adhæc *Commentaria in Pentateuchum*, præcipuè *in Leviticum*, alibi indicata: denique *farragines Thalmudicæ*. *Altera* diviſio in ſpecies eſt, in generalem & ſpecialem. *Generalis* eſt, quæ abſtractè ab omni ſingulari Eccleſia, immo ab omni ejus ſpecie ſpecialiſſima regimen & Politiam Eccleſiaſticam conſiderat. *Specialis* eſt, quæ Politiam ſpecialem alicujus nationis, aut regionis, aut urbis conſiderat. 11. Diviſionem in partes variè pro judicio cujuſque inſtitui, eaſque ordine diſponi permittimus. Nobis hactenus in *publicis in Prælectionibus* & *privatis Collegiis* viſus fuit ordo ſatis conveniens, ſi ad imitationem *inſtitutionum Juris Civilis Juſtiniani*, & *Juris Canonici Lanceloti* eam divideremus in *tres partes*: quarum *prima* res & agenda ſacra; *ſecunda* perſonas; *tertia* actiones complecteretur. *In prima Parte quatuor Libris agimus* 1. *De* præcognito & prę ſuppoſito objecto, Eccleſia ſcil. viſibili & inſtituta ejuſque poteſtate & politia. 2. *De* agendis ſacris, ordinariis extraordinariis, primariis ſecundariis, publicis, privato publicis. 3. *De* indirectis ſeu quaſi agendis: & de pſeudo-agendis. 4. De requiſitis mediis, generalibus, ſpecialibus; remotis, proximis; primariis, ſecundariis. *In ſecunda Parte* agimus de perſonis, hoc eſt, tum plebe Eccleſiaſtica ſeu privatis fidelibus, tum miniſtris, eorumque gradibus, muneribus ſeu officiis, requiſitis, vocatione, præparatione. *In tertia Parte*, de actionibus tum regiminis, earumque partibus, mediis, adminiculis; tum juriſdictionis.

5. Hactenus de natura & proprietatibus Politicæ Eccleſiaſticæ: nunc de cura & ſtudio. Hic conſiderandum, à quibus, quando, quomodo ſit ſtudendum huic ſcientiæ. *Primò*, omnes verbi Miniſtri, & Candidati miniſterii; etiam

etiam omnes Theologiæ ſtudioſi ex profeſſo & diligenter tenentur in eam incumbere, etiam in curſu Academico. Quem in finem lectiones publicæ & privata collegia à Profeſſoribus aut verbi Miniſtris aperta, diligenter frequentanda : ubi ingenia quæſtionibus, examinibus, diſputationibus, progymnaſmatis caſuum & conſiliorum ſcribendis excitentur, exerceantur. Quod ad ſtudium privatum, in curſu Academico, à lectione epitomæ aut ſciographiæ alicujus *primo* inchoandum : præmiſſo aut concomitante ſtudio Politico, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ; per epitomen ſcil. *Deinde* ad lectionem plenioris ſyſtematis Didactico-elenctici progrediendum. Candidati miniſterii, & Studioſi, quos res anguſta domi aut alia neceſſitas non impedit, juſto tempore in Academiis ſubſiſtere, operæ-pretium fecerint, ſi politicam ſpecialem Eccleſiarum Belgicarum ex lectione conſtitutionum, etiam ex collatione ſub præſidio alicujus Profeſſoris aut Concionatoris ſuper iiſdem inſtitutâ (ſiquidem occaſio ſuppetat) propius cognoſcant. Ut autem ad hoc ſtudium excitentur, omnino conſultum, immo & neceſſarium videtur, ut Candidati in examine præparatorio in præcipuis capitibus carptim exâminentur : qualia ſunt de Poteſtate & Politiâ Eccleſiarum ; de Miniſtrorum gradibus, officiis, vocatione ; de Senioribus ; de Synodis ; de Clavibus regni Cœlorum. In peremtorio verò examine promiſcuè etiam per omnes alias materias examinentur : quales ſunt, de Canonibus & Decretis Eccleſiaſticis ; de Feſtis, & Temporibus, quæ ita vocant, ſacris ; de Templis eorumque utenſilibus, Cœmeteriis, Encæniis ; de Pſalmodiâ, & de Muſicâ Organica ; de Bonis Eccleſiaſticis & de Stipendiis Miniſtrorum ; de Matrimonio, & de Cauſis matrimonialibus ; de Sepultura mortuorum ; de Epiſcopatu & Preſbyterio ; de Reformatione Eccleſiarum ; de earundem Syncretiſmo, Mutua Tolerantia, Moderatione, Libertate prophetandi ; de Miſſionibus Eccleſiaſticis, &c. Quantum ad Theologos in miniſterio conſtitutos, ab iis nunquam hoc ſtudium deponi poſſe, non eſt quod altius ingeram. In gratiam πολυφώνων, digitum hic intendo ad apparatum Autorum, quos ad ampliorem eruditionem comparandam legere, aut ſubinde cum copulatis ſuis conferre, aut caſu aliquo incidente, aut controverſia oborta, ad conſenſum demonſtrandum, conſulere queant. *Quæſt.* Sunt ergo I. Qui ex profeſſo peculiares *Tractatus de Politiâ Eccleſiaſtica* ſcripſerunt : quales, *Zepperus.* II. *Conſtitutiones Eccleſiaſticæ & Liturgiæ* tum antiquitatis, tum eccleſiarum noſtrarum jam inde à tempore pertendentis reformationis. Quales aliquas infra *capp. de Canonibus, & Liturgiis* indicamus. Inter eas primam cujuſque conſiderationem merentur Conſtitutiones εἰκοσίαι, illarum ſcil. Eccleſiarum, in quarum communione quis vivit. III. *Acta Synodorum* tum veterum tum recentiorum : præſertim earum, quarum diſtirctu & cor-

& correſpondentia Eccleſia noſtra continetur. Et hic compendii faciendi cauſa plerumque ſuffecerit repertorium aliquod. Confer, quæ de Conciliis, eorumque Actis & Scriptoribus indicamus in *Bibliothecâ*. IV. *Locorum communium Scriptores:* inter eos *Calvinus*, *Martyr*, *Aretius*, *Hyperius*, *Muſculus*, *Zegedinus:* imprimis conferendus *Danæus Iſagog. parte* 4. Ubi de Eccleſia, & *part.* 3. Ubi de Homine. Ex Pontificiis *Lombardus* & *Thomas cum ſuis Commentator.* Inter recentiores imprimis utiliter conferri poterit *Creſpetius* in *Summâ fidei* &c. Ubi Patrum & Conciliorum teſtimonia adducit. V. *Caſuiſtæ:* inter *Ameſius*, *Balduinus*, *And. Keslerus*; qui poſtremus Germanicè ſcripſit. VI. *Conſilia theologica Melanthonis.* Video à theologis Auguſtanæ confeſſionis, ſubinde citari *Dedekeni Collectanea Conſiliorum*, & *Conſilia Bredenbachii.* Sed neutrorum hactenus exemplar nanciſci potui. VII. *Epiſtolæ noſtrorum Theologorum*, *Martyris*, *Calvini Bezæ*, *Melanthonis*, *Zanchii*, *Eraſmi*, *Zwinglii* & *Oecolampadii*, *Joh. Jacobi Grynæi*, *Conr. Schluſſelburgii*, *Schwebelii*, *Cythræi*, *Centuriæ duæ Epiſtolarum ad Belgas & Belgarum.* Inter Patres, *Auguſtini*, *Hieronymi*, *Iſidori Peluſiotæ*, *Nazianzeni*, *Baſilii*, *Gregorii Magni.* Inter Doctores ſequiorum ſæculorum, *Bernardi*, *Ivonis Carnutenſis*, *Abbatis Cellenſis.* Pontificiorum Epiſtolas ſi quis datâ occaſione conferre velit, indico *Epiſtolas Leonis X. à Bembo* ſcriptas, *Pii V.*, *Card. Sadoleti*, *Cardinalis Bentivoglii*, *Card. Perroni*, *Card. D. Oſſat.* VIII. *Scripta Apologetica*, tum publica Eccleſiarum, Synodorum, Synedriorum, Academiarum; tum privata Doctorum, aut Miniſtrorum. Qualia *Juelli Apologia Eccleſiæ Anglicanæ*, *Gentileti Apologia Reformatorum in Galliâ*, *Apologiæ & ſcripta ſynodi Hollandicæ ſuper cauſâ Caſpari Coolhaes*, *& Hermanni Herberts* belgico idiomate edita. Variæ item *Apologeticæ Declarationes* tempore contentionis Remonſtranticæ pleræque belgicè (ut *Cornelii Hillenii*, *Defenſio Decreti Ordinum Geldriæ &c.*); quædam etiam latinè editę, ut *Reſponſio ad Decretum Ordinum*, *Reſponſio ad ſecundam Remonſtrantiam*, *Scripta Lubberti*, *Bogermanni*, *Sopingii*, *Grotii dictæ Pietati Ordd. Holl. oppoſita.* Sed talium Scriptorum numerus hic iniri non debet, ad ſequentis claſſis Scriptores, Elencticos ſcil. rejiciendus. IX *Elenctici Scriptores* contra omnes diſſentientes, Pontificios ſcil., Anabaptiſtas &c. Quos vide in *Bibliothecâ*. Inter eos imprimis huc faciunt *Scriptores Angli & Scoti*, quales *Autor Altaris Damaſceni*, aliique de controverſiis Hierarchicis, Browniſticis &c. in *Bibliothecâ* indicati. X. *Commentatores:* imprimis in Acta & in Epiſtolas ad Timotheum & Titum; inter quos, præ aliis mihi notis, commendo *Danæum in* 1. *Epiſt. ad Timoth.* XI. *Hiſtorici Eccleſiaſtici*; *ut Joh. Lætus*, *Hottingerus &c.* Vide totum Hiſtor. Eccleſiaſticæ apparatum in Noſtrâ *Bibliothecâ*. XII. *Scriptores de Politiâ Judæorum*, *Sigonius*, *Arias Montanus in Antiquitatibus*, *Bertramus cum notis l'Empereur*, Jeſuita *Menochius*, *Zepperus in Explicatione Legum forenſium*

Moſis. Quibus adde *Commentatores in Exodum, Leviticum, Deuteronomium.* XIII. *Jus Canonicum*, ejuſque apparatus: quem vide in *Bibliothecâ.* XIV. *Corpus juris civilis:* in quo nonnulla occurrunt, regimen eccleſiaſticum concernentia. Compendium facient Miniſtri, & Candidati, ſi occaſione & neceſſitate ita poſtulante, ex Pontificiis *Tholoſanum in Syntagm.*, ex reformatis *Althuſium in dicaiologiâ*, & recentiorem quem juriſprudentiæ Belgicæ ſcriptorem conſulant: qui δυκτυλοδικλας præſtabunt ad leges, ſtatuta, autores, ſi quæ ultra requirantur. Addat etiam, ſi quis volet, *Zouchæi juriſprudentiam Anglicanam.* XV. *Politica Civilis*; cujus appar. Vide in *Bibliothecâ.* Ad ſtatum & Politiam Eccleſiarum reformatarum optimè inter Germanos ſcripſiſſe videtur *Althuſius*; qui etiam ſua ſacræ ſcripturæ & juris civilis teſtimoniis confirmat. Scriptores Eccleſiaſtico-hierarchici, aut Politico-hierarchici, pro re natâ ſi conſuli debeant; indico *Weberum de conſiſtoriis & Epiſcopis* Arnſtadiæ 1647. in 8. Et *Mich. Havemanni Helicen Hierotacticam*; & in *Nucleo diſcurſum Politicorum tract..... de Epiſcopis:* & *Zoucheum* modo cit. XVI. *Autores*, qui ſpeciales materias, aut quæſtiones ad hanc ſcientiam pertinentes tractarunt; ſuis quique locis indicandi. *Quæſt.* I. An in Academiis Scientia hæc neceſſariò ſit tradenda? *Reſp. Aff.* Cum enim plerique Candidati ex Scholaſtico pulvere ad rectoram Eccleſiarum evocentur, ubi nullos habent Collegas: ſi ab hâc ſcientiâ vacui acceſſerint, metuendum ſanè, ne frequenter eveniat illud, quod eſt in Arabum proverbio: *In capite pupilli diſcit Chirurgus. Wilhelmus Zepperus in præfat.* de hoc reformatarum Academiarum defectu meritò & graviter conqueritur. Huc facit *Conſilium Theolog. Zelandorum, Synodo Nationali Dordracenæ* An. 1618. probatum & actis inſertum *ſeſ.* 19. Nos lectionibus publicis & collegiis atque exercitiis privatis defectum hunc in noſtrâ hâc Academiâ ſupplere conati ſumus. *Quæſt.* II. An Candidati miniſterii ad conventus Synedriorum, Claſſium, Synodorum, tanquam auditores ſubinde utiliter admitti poſſint? *Reſp.* Non videtur negandum illis, quorum fides, probitas & modeſtia ſatis perſpecta eſt; & ubi ac quotieſcunque ratio agendorum in illis conventibus id permiſerit: de quo quilibet cœtus pro prudentiâ ſuâ judicabit. *Quæſt.* III. An & quâ ratione aliquo hujus ſcientiæ guſtu alii præter Candidatos miniſterii imbuendi ſint? *Reſp.* Quandoquidem in Eccleſiis noſtris reginæini præficiuntur Seniores, etiam in minoribus Eccleſiis Diaconi, in Academiis literati quarumcunque facultatum (imprimis Juriſprudentiæ & Politicæ Studioſi) lectionibus & collegiis aut ſeorſim aut unà cum ſtudioſis theologiæ uti poſſunt. Extra Academias illiteratis & literatis privata aliqua & peculiaris inſtructio ad quæſtiones aliquot Catecheticas (ut 83. 84. 85. 103.), & ad Liturgiam ac Conſtitutiones Eccleſiaſticas vocatis ad illa munera, aliiſque in Scripturâ & Catechetica Theologiâ probè exercitatis, ſive

Digitized by Google

sive seorsim sive conjunctim non videtur neganda. Si quorum ministrorum rationes hoc non ferant, saltem aliis hunc laborem suscipientibus (quales aliquos antehac novi), nec verbo, hec opere impedimentum ponent, qui perpenderint illud 1 *Cor.* 13. *v.* 5. 6. & 14. *v.* 5.

POLITICÆ ECCLESIASTICÆ

PARS PRIMA.

Lib. I. De Objecto Politicæ Ecclesiasticæ.

TRACTATUS I.

DE ECCLESIA INSTITUTA.

CAPUT I.

Natura Ecclesiæ Institutæ explicatur; per ejusdem Genus, Materiam, Formam, Causas efficientes & finales Affectiones, Opposita, Divisiones.

1. SACRA Ecclesiæ Politia, quæ proximum & ἀσκεῖον Politicæ Ecclesiasticæ objectum, intelligi nequit, sine subjecto suo, hoc est, Ecclesiâ. Status Ecclesiæ consideratur vel mystice, vel externè. Illius respectu Ecclesia dicitur invisibilis, hujus visibilis. Ecclesia visibilis spectari potest vel abstractè ab inferioribus ut genus, & ut species quæ de omnibus inferioribus tum speciebus tum individuis prædicatur, (sicuti Politia civilis tanquam genus prædicatur de variis Politiarum speciebus, & de omnibus ac singulis individuis Politiis): *vel* concretè, ut totum seu integrum homogeneum (sicuti mare seu collectio aquarum), cujus partes similares sunt omnes particulares Ecclesiæ. Nos in Politiâ Ecclesiasticâ non consideramus Ecclesiam secundum statum mysticum, sed secundum statum externum, & secundum formam collectionis visibilis: idque tum in toto seu totalitate ac universalitate suâ; tum in partibus singulis, quæ relatè ad se invicem seu collateraliter, & ad membra sua, sunt tota seu integra materia-

teriali & formali ſuo eſſentialiter conſtituta, & ſic à ſe invicem numericè diſtinguuntur. Sed de his alibi accuratius diſquiritur in *priori* ſcil. *Parte Theologiæ, tract. de Eccleſiâ.* Eccleſia viſibilis ſeu inſtituta nobis deſcribitur, *ſocietas fidelium liberè inita ad exercendam communionem ſanctorum, ſeu ad communicationem mutuam eorum quæ ad ſalutem pertinent.* Ad cujus definitionis explicationem conſideranda ſunt. 1. Ejus Genus. 2. Materiale. 3. Formale. 4. Cauſæ Efficientes. 5. Fines. 6. Affectiones. 7. Oppoſita. 8. Diviſiones:

2. *Genus* remotum eſt collectivum ſubſtantiale. Proximum eſt collectio, ſeu Societas fidelium. Debet ergo eſſe numerus quis numeratus, ſeu multitudo & aggregatio plurium fidelium, ſeu fidem profitentium. Contradictorium ergo eſt commentum illud diſtinctionis de Eccleſia virtuali, quam *Bellarminus* vult eſſe unum hominem, ſcil. Pontificem; & *Viguerius* (*in Inſtit. cap.* 12. 5. 2. *v.* 8.) quemvis Epiſcopum ratione ſuæ diœceſios. Pari abſurdo involvunt ſe, qui contendunt totam Eccleſiam tempore paſſionis Chriſti ſubſtitiſſe in B. Mariâ. *Materiale* eſt numerus numeratus ſeu multitudo fidelium, indefinitè ſpectata. Nam quantus definitè debeat eſſe numerus, non præſcripſit Deus. Minimus ut non facilius poſſet determinari, ut ſiquidem fieri poſſet, tam exiguus non ſit, qui vix varietatem donorum & prudentem collationem ſententiarum habeat, & conſequenter vix aliquâ cum autoritate eccleſiaſticè decreta executioni mandare valeat. Sed de hoc *infra in Problematis.* Partes Eccleſiæ inſtitutæ quod ad materiam ſeu materiale, ſunt dirigentes, ſcil. Miniſtri ſeu Anteceſſores; & directæ, ſcil. Populus ſeu Plebs Eccleſiaſtica, quos in Papatu vocant Laicos, oppoſitè ad Clerum ſeu Clericos; ſed perperam: de quo *infra Part.* 2. *Illi* conſiderantur vel ſeorſim, & ſigillatim ſecundum titulos & gradus ſuos (de quibus *Lib.* 2. *Politicæ Eccleſ.* agendum) vel collectim & in cœtu ſeu collegio ſuo, Preſbyterio ſcil. aut Synodo, nec non conventu Diaconorum: (de quibus *Lib.* 3.) *Populus* itidem conſiderari poteſt, vel diſtributim & ſigillatim, vel collectim. *Illo modo* conſideratus dividitur in partes proprias, quales ſunt omnes communicantes vulgo ita dicti, aut membra Eccleſiæ, quos Eccleſia antiqua appellabat *fideles*, eoſque ab catechumenis & pœnitentibus diſtinguebat: & in *partes analogicas*, quales ſunt Infantes fidelium, Audientes, Catechumeni, Competentes, Lapſi, relapſi, Pœnitentes, & Abſtenti, omneſque alii ſub cenſurâ conſtituti. *Audientes*, nobis hic laxè accepti ſunt omnes illi qui non tantum ordinariò aut frequenter, ſed & quocumque modo cœtibus Eccleſiæ & concionibus intereſſe volunt & audent. Et tales abſque ullo diſcrimine in omnibus Eccleſiis admittuntur; exceptis clandeſtinis. In Eccleſiâ antiquâ *audientes* ſive *auditores* (gr. ἀκροώμενοι) dicebantur illi, qui volebant fieri Chriſtiani, ſed nondum petierant Bapti-

Baptiſmum. *Catechumeni* nobis ſunt, qui non tantum concionibus, ſed familiaribus Catechizationibus in fide inſtituuntur. Iique ſunt vel extranei, vel in Eccleſiâ nati & educati. Utrique rurſum vel incipientes ſeu rudiores, vel proficientes ſeu provectiores. Sed de Catechumenis & Catechizatione ſuo loco dicendum. *Competentes* qui in fide rectè inſtituti ad Baptiſmum aut cœnam, aut utrumque, & conſequenter ad communionem Eccleſiaſticam admitti petunt: quales hodie apud nos Miniſtro alicui, aut Seniori, aut toti Synedrio nomen ſuum profeſſi dicuntur. *Lapſi* ſunt quicunque in fide aut moribus deflexerunt: ſive pœnitentiam agant ſive non. *Relapſi* qui poſt pœnitentiam & reconciliationem à lapſu, denuo impingunt, & cenſuram incurrunt. *Pœnitentes*, qui hoc agunt, ut debitè reconcilientur, & reſtituantur. *Abſtenti* ſive Suſpenſi (quamvis nonnunquam hæc vocabula diſtinguantur) ſunt fideles, quibus χοινωνία & exercitium communionis, non κοινωνία aut jus aufertur, donec Eccleſiæ ſatisfecerint. Sed de Lapſis, Relapſis, Abſtentis, Pœnitentibus *Part.* 3. *Polit. Eccleſ.* agendum. Populus *collectim* conſideratur vel adæquatè ſeu univerſaliter; vel inadæquatè ſeu particulariter. *Illo* modo conſideratur in panegyri: iſto modo *primariò* in conventibus parochialibus, ſeu diviſionibus cœtuum per plura oratoria ad conciones audiendas; *ſecundariò* in conventibus. 1. Catechumenorum. 2. Repetentium conciones. 3. Prophetantium, hoc eſt exercentium ſe interpretatione Scripturæ, ejuſque applicatione ad examen controverſiarum, aut ad uſus practicos, aliaque pietatis exercitia. Huc referunt nonnulli ſcholas quaſcunque. Sed non ſunt illæ partes ὁμογενῆς, niſi ſint Scholæ & Collegia theologica. Diſtinguitur etiam populus Eccleſiaſticus diviſione per accidens per ea quæ per accidens illi inſunt ſeu adhærent, hoc eſt, per reſpectus & determinationes merè extrinſecas. In Dominos ſeu Magiſtratus; in Plebejos ſeu Privatos, & in Medios, quos honoratos vocare poſſumus. *Illi* ſunt publicâ poteſtate muniti, & conſequenter Nutritii, Patroni, Protectores Eccleſiæ. *Iſti* ſunt ſubditi & privati cives in Republicâ, quos alii plebeios appellant. *Hi* ſunt qui aut prærogativâ honoris ac dignitatis gaudent in Republicâ, (Nobiles ſcil. & Patricii); aut munere aliquo in Politiâ, Militiâ, Foro, Scholâ, funguntur. Sunt qui putant tales deſignari in Conciliis Africanis per *Seniores*, hoc eſt, Dominos, ſiquidem apud Eccleſiaſticos ſcriptores Senior Dominum ſignificat. De quo quid ſtatuendum, diſquiretur *Part.* 2. Atque hæc quidem plena & adæquata diviſio materiæ, ex quâ conſtat Eccleſia, & ſpeciatim diviſio populi Eccleſiaſtici. Antiqua Eccleſia populum omnem diſtribuebat in Catechumenos, Credentes, & Pœnitentes. *Catechumenorum* duo erant genera, audientes, & competentes. Eorum mentio fit *can.* 11. *&* 14. *Concil. Niceni*, & *can.* 4. *Concil. Ancyr.* & *can.* 5. *Concil. Neocæſar.* & *can.* 5. *Concil. Laodic.* & apud *Tertullianum*, *libr. de Pœni-*

tentia Cyprianum lib. 3. epist. 17. Istorum vero *Can.* 13. *Concil. Agathensis*, & apud *Hieronymum Epist. ad Pammach. Augustinum c.* 12. *libr. de Curâ pro mortuis, & Homil.* 49. *De Fidelibus vide Tertullianum Præscript. c.* 41. & *Augustin. Serm.* 237. *de Tempore*; & *Can.* 19. *Concil. Laodic.* De lapsis *Pœnitentibus* qui erant vel Catechumeni vel fideles, eorumque gradibus, & modo admittendi, ac reconciliatione, ita ut essent primò προκλαίοντες, deinde ἀκροώμενοι, tum ὑποπίπτοντες, postremo συνιστάμενοι, denique πλαὴν μετεχόντες *Can.* 11. 14. 19. *Concil. Niceni*, & *can.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 16. 23. 29. 23. *Concil. Ancyrani*, & *Can. ultimo Concil. Constantinopol. Oecum.* 11., & *Can.* 19. *Concil. Laodic. Gregor. Thaumaturgus Epistol. canonicâ* 11. & *Basilius Epistol. can.* 3. *ad Amphilochium canone* 58. Quorum consideratio referenda ad *Part.* 3.: ubi de *Censuris Ecclesiasticis*. Analogicis Ecclesiæ membris annumerari deberent ex sententiâ antiquæ aut Romanæ Ecclesiæ, energumeni, leprosi, puerperæ, menstruatæ, aliique externo quodam corporis affectu & statu ab aliis fidelibus in antiquâ, & in subsequente Ecclesiâ Romanâ distincti. De quibus nonnullæ occurrunt in *Photii Nomocanone, cum Scholiis Balsamonis.* Æquivocè populi ecclesiastici partem faciunt Ascetæ, Monachi, ut & fratriæ, ac similia collegia, suis peculiaribus regulis, regimine, juramentis, votis, ab aliis distincta. De quibus *Part.* 2.

3. *Formale* seu forma Ecclesiæ particularis visibilis dupliciter spectatur vel quod ad essentiam ejus, vel quod ad integritatem organicam. *Priori modo* si spectetur, forma ejus est sacra unio in exercitio communionis sanctorum per certos actus externos à Deo institutos. *Posteriori modo* si spectetur forma ejus, est unio in & cum uno ministerio seu presbyterio. Quæ si plura sint & rursum explicitam unionem ac correspondentiam ineant unâ in Synodo majori aut minori, jam forma eorum erit conjunctio seu correspondentia synodalis. De quâ *Part.* 3. *Consectar.* I. Non est ergo Ecclesia instituta visibilis, numerus aliquis fidelium & fidem profitentium, qui absque tali unione & communione, & quidem explicitâ, alicubi commeratur: quamvis adsit fides, & convenientia in eâdem fide, & communio implicita. Hoc enim constituit eos solummodo in statu Ecclesiæ mysticè & invisibiliter consideratæ. Cum quâ distinctione accipiendum illud vulgatum Augustini: *Multi lupi intus, & multæ oves foris.* Sicuti in urbe aliquâ multarum nationum homines ad nundinas aut spectacula confluunt, qui tamen non constituunt ibi politiam, nec cives dicuntur ejusdem Reipublicæ. In domo aliqua Mercatoris illi qui officinam frequentant, & merces lustrant aut emunt, non constituunt familiam. Duo aut tres virtute præditi, etiam morum & studiorum similitudine, ilico non sunt dicendi amici: quia nullum fœdus amicitiæ inter ipsos intercedit. Duæ aut tres Respublicæ, ejusdem nationis, ejusdem fere regiminis,

minis, non dicuntur coaluiſſe in unam politiam, aut confœderationem, abſque unione & mediis atque actibus iſtius unionis. *Conſectar.* II. Non conſiſtit forma Eccleſiæ particularis in unione locali cohabitationis & πολιτείας civilis; aut in unione politica ſub eodem regimine in eâdem Republica: nec unum cum altero convertitur. Quia unum eſt de hoc mundo, & de communi regno ſeu regimine mundi; alterum de Cœlo & de Regno ac ſacro regimine Chriſti. *Conſect.* III. Nec conſiſtit in unione in uno conventu ſeu cœtu in uno loco, ad ſacra uno eodemque tempore ſimul exercenda. *Conſect.* IV. nec in ſubjectione ſeu relatione ad unum aut Parochum, aut Epiſcopum diœceſianum.

4. *Cauſæ efficientes* conſiderantur 1. *vel* ratione primæ inſtitutionis, collectionis, & originis Eccleſiarum particularium. 2. *vel* ratione reſtitutionis, Reformationis, & iteratæ collectionis; 3. *vel* ratione conſervationis, ſucceſſionis, & propagationis. *Ratione primæ Inſtitutionis*, cauſæ ſunt 1. *Communiter* omnes & ſinguli fidem profitentes, qui primo coëunt in Eccleſiam, eamque inſtituunt & conſtituunt: quorum conſenſus eſt *fundamentum proximum* Eccleſiæ inſtituræ, ſeu unionis Eccleſiaſticæ; haut aliter ac conſenſus facit conjugium & electio Eccleſiaſtica, ſeu conſenſus Eccleſiæ in Miniſtrum, facit miniſtrum. *Fundamentum* ergo *remotum* & *commune* eſt inſtitutio divina, quæ voluit tales formas eccleſiarum eſſe ordinaria adminicula ſalutis. *Fundamentum propinquum* eſt applicatio hujus divinæ πάξεως & inſtitutionis, ad hæc individua. *Fundamentum proprium* & *proximum* eſt conſenſus mutuus, & arbitrium exſertè declaratum, eorum qui coëunt in Eccleſiam: ſine hujus enim interventu non poſſet πάξις divina his hominibus aut huic multitudini magis, quam alteri cuicunque ritè applicari. Poſſunt autem conſentientes illi eſſe duum generum: ut quidam antehac membra non fuerint, quidam fuerint membra aliarum Eccleſiarum, immo manipulus aliquis aut ἀποτμήματα aliarum Eccleſiarum, quod honeſtâ migratione & ductâ quaſi colonia in novè inſtituenda Eccleſia eſt proxima ac ritè parata materia. Sæpe tamen fit, ut omnes ſint, qui fidem primum profiteantur & unionem ac communionem Eccleſiaſticam affectent. 11. *Peculiari ratione* cauſæ ſunt I. *Miniſtri* verbi, aut Preſbyteria, aut Synodi aliarum eccleſiarum aut delegati ab illis miſſi, ſiquidem haberi poſſint: ſin minus, defectum hunc ſupplent, qui quocunque zelo, donis, autoritate, & gratiâ præ aliis pollent; quibus ſuo modo ac pro modulo opus hoc dirigere, alios privatim compellare, in cœtum cogere & convocare, agenda proponere, ſuffragia rogare, concludere atque una in precibus, hortationibus, & ſtipulationibus requiſitis præire licet: accedente ſcil. aliorum conſenſu ſive expreſſo ſive tacito. II. *Magiſtratus* etiam peculiari ratione hic efficientes præſtat, quando ſcil. Eccleſia colligitur publicè, aut privato pu-

Digitized by Google

to publice) non quidem agendo antecedenter, aut directè, colligendo & instituendo Ecclesiam; sed concomitanter & consequenter approbando collectionem, autoritate suâ muniendo, & media quædam externa ad opus illud necessaria aut utilia suppeditando. III. *Causæ remotæ sunt* præparatio tum ante tempora per electionem divinam, tum in tempore per vocationem; cujus effectum est vera fides aut saltem veræ fidei in Ecclesiæ communione professio. Ita ut vocatio sit præparatio aut productio immediata fidelium distributè & seorsim consideratorum: & mediata Ecclesiæ, seu fidelium collectim in unione Ecclesiasticâ constitutorum. IV. *Media & instrumenta*, seu causæ adjuvantes sunt *magis internæ*, verbi prædicatio, adhortationes, visitationes & compellationes κατ' οἶκον, convocationes, conventus, in quibus de unione Ecclesiasticâ deliberetur & concludatur: *magis externæ*, sunt reditus ad expensas necessarii quocunque honesto & licito modo acquisiti (de quibus suo loco dicendum,) item domus, seu oratoria, aliaque utensilia. *Causæ efficientes instaurationis & recollectionis* Ecclesiæ dispersæ explicandæ *lib.* 3. *Politicæ Ecclesiastic.* & ex parte hoc præstitum à nobis in *Desper. causâ Papatus. Causæ efficientes continuationis ac successionis* Ecclesiæ, etiam amplificationis ac propagationis sunt 1. Partim regentes, Ministri scil. & Synedrium, qui de novo membra Ecclesiæ formant & admittunt: partim auxiliantes, privati quique fideles qui notos, necessarios, amicos, & quoscunque alios datâ aût quæsitâ quâcunque occasione ad communionem Ecclesiæ invitant & adducunt. Quando autem & quibus cum requisitis ac conditionibus in membra Ecclesiæ recipiendi, mox §. 6. dicemus, ubi ad propria Ecclesiæ perventum fuerit. Quæ autem media sint conservandæ particularis Ecclesiæ, ut membra ejus quamdiu aliò aut ex hac vitâ non migrant, permaneant, & decedentibus alia continuò succedant: quæ itidem media eam augendi & amplificandi, docebitur *Lib.* 3. Conferri potest *Wilh. Zepperus lib.* 3. *Polit. Ecclesiastic. c.* 5. ubi agit de conservatione πολιτείας Ecclesiasticæ: quæ analogicè huc applicanda. *Consectar.* 1. Ex explicatione causarum hactenus traditâ, apparet non satis accuratè dici 1. Vocationem esse formam aut formale Ecclesiæ, cum sit inter causas efficientes numeranda. 2. Fidem esse formam ecclesiæ; cum sit forma fidelis, qui materia quidem est unde Ecclesia constituitur, sed non est formaliter Ecclesia, nec qua fidelis aut fidem profitens habet in se formam ecclesiæ, nisi aliud quid insuper accedat, coalitio scil. & confœderatio in unum corpus Ecclesiasticum per liberum ac mutuum consensum. 3. Vocationem Dei, quâ hominem vocat ad fidem, aut saltem ad fidei professionem, esse causam proximam Ecclesiæ, quâ positâ ponitur: cum sit causa proxima & immediata fidelis, quâ positâ talis ponitur: causa autem proxima Ecclesiæ, sit consensus mutuus in sacram illam unionem: ubi fidei professio est præ requisi-

quiſitum. Eſt ergo vocatio fidelis cujuſque ad fidem ejuſque profeſſionem mediata cauſa Eccleſiæ; non immediata.

5. *Finis* Eccleſiæ inſtitutæ internus ſcil., proximus & proprius (remotos enim & communes nunc præterimus) eſt exercitium communionis ſanctorum, & excitatio mutua ad continuationem & incrementum in gratiâ Dei. Quo pertinet dictum *Hebr.* 10. 24. 25. *cell. cum* 3. *v.* 13. Actus autem particulares iſtius exercitii & exercitationis ſunt omnia agenda, & exercitia Eccleſiaſtica *Part.* 1. & 3. *Polit. Eccleſiaſt.* explicata. Poteſt autem finis aliâ notione dici *objectum*, quia Eccleſia quà talis circa eum occupatur: & *effectum* quia in Eccleſia, & per Eccleſiam ſacri & ſpirituales illi actus producuntur. Hâc tamen diſtinctione, quod diſtributim & à ſingulis membris omnes & ſinguli illi actus non exercentur, ex. gr. ſacramentorum adminiſtratio aut verbi prædicatio; quodque etiam ab omnibus ſigillatim non recipiantur ex. gr. cenſura, reconciliatio: quia non exercentur niſi circa lapſos. Idem dicitur de Baptiſmo, quia non confertur adultis, niſi qui ex extraneis per fidei profeſſionem inter Eccleſiæ membra adſcribuntur. *Conſectar.* I. Sacra in profana, Eccleſiam in mundum transformant, qui aut totos ſe, aut ſaltem majorem ac potiorem partem curæ & præfecturæ ſuæ Eccleſiaſticæ occupant circa τὰ βιωτικά, & res hujus mundi: e.gr. Prælati tum regulares tum ſæculares in Papatu. II. Hinc propriè & jure ab illis actibus, muneribus, & dignitatibus ſuis non magis poſſunt dici Eccleſiaſtici (ne dicam *Clerus*, *Hierarchia*), quam quæſtores redituum Eccleſiaſticorum, aut coloni manſorum & prædiorum Eccleſiaſticorum, aut Magiſtratus tales, qui tanquam Eccleſiæ nutritii & utriuſque tabulæ cuſtodes neceſſaria Eccleſiis ſuppeditant, eiſque defenſionem præſtant. Scriptura agenda ſacra & Eccleſiaſtica ab omnibus hujus mundi negotiis (etiam iis quæ circa hominum de Eccleſiâ mundanas neceſſitates curanda ſunt), & diſpenſatores Eccleſiaſticos, qui τὰ πνευματικὰ diſpenſant, ab iis qui curant Eccleſiaſticis τὰ βιωτικὰ exſertè diſtinguit 1. *Cor.* 4. 1. & 1. *Cor.* 6. 2. 3. *Gal.* 6. Quin œconomi, defenſores, manſionarii à clero haut obſcurè diſtinguuntur *Can.* 2. *&* 22. *Concil. Chalcedon.* & quamvis *Can.* 26. Oeconomum Eccleſiæ (quem in Papatu Theſaurarium & Sacriſtam appellant) ex clero aſſumi velint, vetant ibidem Epiſcopo τὰ ἐκκλησιαστικὰ abſque Oeconomo per ſe tractare. Sed hæc Epiſcopis & clericis tunc erant πάρεργα, poſt facta ſunt ἔργα; ut ingenuè fatetur Iſidorus Clarius in notis ad 1. *Tim.* 3. *v.* 1. *Quum vero Epiſcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Epiſcopi nihil minus norunt, quam eas partes, quæ illis à Paulo aſſignantur; neque quicquam aliud nunc intelligitur appellatione Epiſcopi, quam fructus, & vectigalia, & immanes honores.*

6. Affectiones, ſeu propria & adjuncta Eccleſiæ inſtitutæ ſunt vel poſitiva,

vel privativa & negativa. Illa ſunt vel magis abſoluta, vel magis reſpectiva & comparata. Abſoluta ſunt partim prærequiſita, partim concomitantia & conſequentia. *Prærequiſita* in adoptatione membrorum in Eccleſiæ jam inſtitutæ communionem, aut in primâ erectione Eccleſiaſticæ communitatis inter infideles aut novos loci alicujus incolas (quamvis in nonnullis circumſtantialibus hic varient) ſunt iſta. I. Ut præcedat inſtitutio per verbum Dei. Quod tamen non requiritur in illis membris admittendis, quæ alibi in communione orthodoxæ Eccleſiæ vixerunt; nec etiam in illis qui ſunt quaſi colonia deducta, quique pro ſuâ parte primi, juxta cum aliis, novam Eccleſiam alicubi conſtituunt. II. Ut in primâ novæ Eccleſiæ plantatione, omnes ſive fideles ſive competentes, (ſiquidem alii nulli ſint) in unum cœtum conveniant, & votum, & conſenſum, ac propoſitum ſuum declarent. III. Ut cooptandi in communionem, profiteantur fidem ſuam publicè coram Eccleſiâ; aut coram ſynedrio in Conclavi Eccleſiaſtico & quidem apertis foribus, ut Fidelibus & Catechumenis quibuſvis intereſſe liceat; aut coram Delegatis Synedrii: quod propter urgentes rationes, & in caſibus quibuſdam nonnunquam fieri ſolet. Ubi autem Eccleſia jam conſtituta eſt, examen à Miniſtro inſtituetur per omnia capita Catechetica, reſpondentibus ad erotemata competentibus ſeu Eccleſiaſticæ communionis candidatis, & ubicunque poſſunt, ſcripturæ dictis aſſertiones principales confirmantibus. In quem finem etiam per hebdomadas aliquot, ante illam fidei profeſſionem, aliquoties privatim exerceantur & inſtituantur, ſi qui non ſatis exercitati ſunt, omnibuſque candidatis inſtitutio illa per Miniſtros in viſitatione, & publicè ad promulgationem celebrandæ Euchariſtiæ offeratur. Quod ſi in privatis exercitiis & præparationibus illis deprehendatur haut ſatis idoneus ad edendam fidei profeſſionem, ei ſuadeatur, ut aliquantulum adhuc differat. Atque hic laudabilis mos obtinet in Eccleſiis noſtris. Ubi autem preſbyterium primò inſtituendum eſt, & Eccleſia Miniſtro deſtituitur, nec ſuppetit copia Miniſtri vicini, cujus ope uti poſſet, nihil vetat in genere imò & in ſpecie profiteri illos, quos certum eſt hactenus nullibi profeſſos, præeunte in erotematis formandis, & reſponſionibus recipiendis, aliiſque iſtis agendis, quocunque fideli (ſi quis ſit), aut Catechumeno ad hæc præ aliis idoneo, & à reliquis ad id ſpecialiter deſignato, aut poſtulato. Tale enim opus proviſionale, & extraordinarium in ejuſmodi neceſſitatis caſu, nihil prejudicat ſacri miniſterii ordini ac poteſtati. Reliqui, ſi qui iſtic ſunt fideles, fidem ante hac alicubi profeſſi, analogum profeſſioni præſtabunt teſtimonio aut teſtibus, aut quibuſcunque aliis indiciis, docendo ſe profeſſos. In admiſſione fidelium ad Eccleſiam inſtitutam, quotieſcunque aliquem migrare contigerit, ſuffecerit teſtimonium abſque novo examine aut profeſſione: niſi in caſu præſumtæ heterodoxiæ,

doxiæ. Et hic mos obtinet in noſtris Eccleſiis. IV. Ut aut teſtimoniis Eccleſiaſticis (ſiquidem ex aliâ Eccleſiâ huc commigrent), aut idoneis teſtibus, ad examen & profeſſionem fidei ſecum adducendis (quorum nomina albo Eccleſiaſtico juxta nomina novitiorum inſcribantur) pietatem & vitæ, morumque integritatem probent: re etiam ante accuratè exploratâ per Seniores & Miniſtrum iſtius diſtrictus. Atque hunc laudatiſſimum morem in majoribus ſeu frequentioribus Belgii Eccleſiis, paſſim ſervari arbitror: & peculiares ſunt rationes, cur hoc magis in illis, quam in parvulis Eccleſiis ſive oppidanis ſive vicanis requiratur. Saltem in hâc noſtrâ accuratè hoc agitur, antequam ad conclave competentium admittuntur, & poſtquam jam admiſſi illic in orbem recurrente Catechetico examine, aliquamdiu ſcientia & orthodoxia eorum exploratur. V. Confœderatio ſeu ſtipulatio requiritur, quâ promittant Deo & Eccleſiæ, continuationem & progreſſum in illâ communione Sanctorum. Vide in *Liturgiâ noſtrâ Formulam Baptizandi Adultos*; vide & *Formulam* Adminiſtrationis Cœnæ. Sed magis explicitè ad Cœnam & Eccleſiæ communionem admittendi ſanctam illam Confœderationem ineunt, cum reſpondent non tantum ad particularia erotemata de pœnitentiâ, de fide, de gratitudine, & quidem applicatè ad ſeipſos, ſed ad generalia illa, quæ agmen claudunt, 1. An ſcil. agnoſcant doctrinam Eccleſiarum noſtrarum eſſe orthodoxam fidem, & viam ſalutis? 2. An promittant ſe per Dei gratiam in illius doctrinæ profeſſione uſque ad mortem perſeveraturos? 3. An promittant ſe ſanctè & dignè hâc doctrinâ victuros. 4. An ſubjiciant ſe diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Atque hæc ratio ſtipulationis & confœderationis in noſtris Eccleſiis. Quod ad modum illum confœderationis per juramentum, aut formulæ ſeu inſtrumenti ſubſcriptionem: non videtur is eſſe neceſſarius. Sufficit hæc fieri coram multis teſtibus: non tamen arbitramur eſſe illicitum; uti mox dicemus in *Problematis*. De relatione modi, quo quis converſus eſt, deque ſpeciali peccatorum confeſſione (quam forte nonnulli requirerent) infra dicemus in *Problematis*. VI. Eſt *libertas* tam in ortu, quam in actu. Ut libere ſcil. in primâ Eccleſiæ collectione, aut in collectæ continuatione per receptionem novorum membrorum, conſenſum ſuum quiſque declaret, & confœderationem ineat: non vero coactè. Quod extendo non tantum ad recipiendos, ſed etiam ad recipientes. Neque eum Eccleſia cogi poteſt, ut in communionem admittat, quem juſtis de cauſis non admittendum judicat. Adhæc ut liberè continuet illam communionem; ſic ut honeſtis aut neceſſariis de cauſis aliò commigrans eam deſerere, & ad Eccleſiam aliam particularem (ſed ejuſdem profeſſionis) tranſire poſſit. *Propria Concomitantia.* I. Politia; de quâ *Tract.* proximè *ſequente.* II. Poteſtas ejus; quam vulgo faciunt trimembrem δογματικὴν, νομοθετικὴν, δικαστικὴν: alii bimembrem regiminis & juriſdictionis.

Quæ diſtinctè ab omni aliâ poteſtate dicitur ſpiritualis (2 *Cor.* 10. 4.) inferior & miniſterialis, non ſuprema ſeu dominans (neque enim habet Eccleſia juriſdictionem cum imperio *Luc.* 22. 2. *Cor.* 1. *v.* 1. *Petr.* 5. obteſtans & ligans in conſcientiâ, non externè cogens 2. *Cor.* 4. III. Libertas, quæ tum ratione membrorum ſingulorum conſideratur (de quo alibi agendum), *tum* ratione communitatis Eccleſiaſticæ: ita ut liberè ſua agat Eccleſia, miniſtros eligat, diſciplinam exerceat &c. Non tamen debet extendi ad independentiam (uti loquuntur) quæ ſit de eſſentiâ cujuſque Eccleſiæ particularis: de quâ quid ſentiendum, dicemus *Part.* 3. *tract. de Claſſibus & Synodis:* nec ad independentiam Miniſtrorum à Civili Magiſtratu, quod ad hominem externum & negotia hujus vitæ animalis & civilis, uti volunt Pontificii: nec ad illam libertatem ſeu uſurpationem, qua non tantum ſe & ſua tribunalibus Magiſtratus ſubducunt, ſed & homines ſæculares, magnamque cauſarum ſæcularium partem ſuis ſpiritualibus curiis (ita dictis) ſubjiciunt: uti diſcent ſtudioſi noſtri ex ipſorum Canoniſtis, ex *Libro Joh. Choquier de libertate Eccleſiaſtica, & autoribus qui de autoriate & praxi Epiſcopali ſcripſerunt*, aliiſque infra in *tract. de Temporalibus Eccleſiæ* cit. Rejicimus hic etiam libertatem illam Eccleſiaſticam Anabaptiſtarum, quæ omnis regiminis Politici à Chriſtianiſmo remotionem infert. IV. Neceſſitas, præcepti ſcil. non medii: neque enim poteſt major eſſe neceſſitas Eccleſiæ inſtitutę, & explicitę communionis in ac cum ea, quam ſacramentorum. Non privatio hic damnat, ſed contemtus. Cum hac diſtinctione intelligendum eſt illud vulgatum: *Non Deus huic pater eſt cui non Eccleſia mater. Conſectar.* 1. Rejicimus ergo Libertinos & Enthuſiaſtas ab una parte, qui neceſſitatem omnem Eccleſiæ inſtitutę & viſibilis tollunt: 2. Pontificios ab altera parte, qui eam nimis attollunt. Opponimus poſterioribus diſtinctionem *Bellarmini*, quam habet in *Catecheſi majori*, Ital. & Anglicè edita, (an aliis linguis exſtet ignoro), inter communionem explicitam & implicitam. Confer quę diſputamus *Lib.* 2. *Deſper. cauſæ Papatus ſect.* 3. Atque hęc propria abſoluta. *Inter relata & comparata* duo nunc indico. 1. ἰσοτιμίαν & ęqualitatem: quę & ratione Eccleſiarum ſororum ſeu collateralium, & ratione Preſbyteriorum, & ratione miniſtrorum inter ſe, & ratione membrorum in una aut in diverſis Eccleſiis intelligenda eſt. Ita ut aureus ſit ille *Canon Eccleſiarum Belgicarum* ſancitus *in Synodo Nationali Embdanâ*, & tunc primo loco poſitus; quem ex parte repetunt *Conſtitutiones Eccleſiar. Naſſovicar.* apud *Zepperum in fine Libri de Pol. Eccleſiaſtica.* Rejicimus ergo hic omnem typhum ſæculi, quo Eccleſia effertur ſupra Eccleſiam & Miniſter ſupra Miniſtrum: de quo infra *c. de Eccleſiis Cathedralibus* & *Part.* 2. Ubi *de Gradibus Miniſtrorum.*) Huc refer πρωτοβολία & τιμὰς privilegia honoris, *Can.* 2. & 3. *Conc. Conſtantinopol.* 1. & *Can.* 28. *Concil. Chalc.* & *Can.* 6. 7. *Concil. Niceni.* 2. Ad hæc carna-

carnales illas σωματοπλυφίας, & fallacias accidentis de primariis & potioribus Eccleſiæ membris; cum quis qualitatibus mundanis multis aliis antiſtat, ſpiritualibus verò longè inferior eſt, ſaltem vix par. Confer *Tract. proximè ſeq. de Poteſtate Eccleſiarum.* 3. Inſuper ab alterâ parte ἀναρχίαν & confuſionem, quæ ordinem tollit & diſtinctionem inter ἡγεμένας anteceſſores, & inter ſequentes: uti jam dicemus. II. Anteceſſionem & regiminis ſedulam ἐγκυρίαν, & fidelem ὑποκοὴν, omniumque ac ſingulorum membrorum ὑποτοπλὼ à parte ſcil. Miniſtrorum ſeu Preſbyterii 1. *Pet.* 5. 2. *Actor.* 20. 28. & reverentiam obedientiam ac ſubjectionem, à parte membrorum, juxta *Hebr.* 13. 17. 1. *Theſſal.* 5. *Adjuncta privativa* aut negativa ſunt iſta. I. *Imperfectio*: quæ intelligenda eſt & collectim ratione formæ ſuæ Eccleſiaſticæ, & adminiſtratæ Politiæ; & diſtributim, ratione ſingulorum membrorum in ſe. Rejicimus ergo 1. antiquos Catharos & Novatianos, qui lapſos excludebant. Vide *Auguſtinum de Hæreſibus.* 2. Donatiſtas, qui propter diminutam diſciplinæ executionem contra traditores, eorumque in communione Eccleſiaſtica tolerantiam, Eccleſiæ eſſentiam & nomen Eccleſiis Chriſti in Africâ negabant. De quibus *Scripta Auguſtini & Optati Milevitani contra Donatiſtas*; & *Hiſtoria collationis Carthaginenſis à Franciſco Balduino* edita; nec non *Acta collationis*, edente *Papyrio Maſſono*: denique *Auguſtini breviculum ejuſdem collationis*, quod *tom.* 7. *Operum* ipſius habetur. 3. Anabaptiſtas, qui veſtigiis Catharorum & Donatiſtarum inſiſtere ſolent; ſcindentes cœtus ſuos & mutuò ſe excommunicantes propter minimam hallucinationem & diſſenſionem, etiam in quæſtionibus facti. 4. Commentum ſeu ſomnium illud quod apud nonnullos recentiores regni millenarii zelotas occurrit, de Eccleſiâ viſibili in terris abſque ullo hypocritâ, ita ut omnia membra ejus ſint futuri verè ſancti: uti probare ſe putant ex *Apocal.* 21. 27. & 22. 14. 15. *Jeſa.* 35. 8. & 60. 21. *Zachar.* 14. 20. 21. De quo *Part.* 2. *Select. Diſpp. tit.* de *Regno Millenario.* II. *Diſſolubilitas*, quod ſcil. legitimè diſſolvi poſſit, & quiſque aliò ſe transferre, ibique Eccleſiis inſtitutis ſe adjungere; aut una cum aliis novam Eccleſiam (ſiquidem illic nulla ſit) inſtituere poſſit: idque in caſu perſecutionis, etiam corruptionis pertendentis & Dominantis, nec emendabilis. Poſteriori in caſu etiam eodem in loco ubi prior in totum aut quod ad partem ſaniorem diſſolvitur, novum Corpus Eccleſiaſticum colligi ac conſtitui poteſt, ſive palam ſive clam, pro re natâ. De quo *Part.* 3. *tit. de Inſtauratione & Reformatione Eccleſiarum.* III. Huc refer, *deſertionem* & *ſeparationem*, quâ quodlibet membrum, unioni & communioni Eccleſiaſticæ ſive exſertè & cum proteſtatione, ſive tacitè juſtis de cauſis renuntiat. De quo egimus *Lib.* 3. *Deſp. Cauſæ Papatus Sect.* 3. Atque hæc quidem propria & adjuncta, quæ hâc vice indicanda occurrebant. Sunt & alia ab aliis addita; ut, independentia, paucitas

membrorum, Parochialis circumſcriptio, perfectio & puritas omnimoda, ἀναρχικὴ æqualitas omnium & ſingulorum qui ſunt in Eccleſia, præparatio per verbi prædicationem ubique & reſpectu omnium prærequiſita, nova confeſſio & examen omnium recipiendorum, qui alibi profeſſi ſunt &c. Sed iſta non eſſe genuina adjuncta ſeu propria Eccleſiæ Inſtitutæ, conſtat partim ex jam dictis, partim ex paulo poſt in determinatione problematum dicendis.

7. *Repugnant* Eccleſiæ Inſtitutæ. 1. *In defectu*, ſolivagi Libertini & Enthuſiaſtæ; qui ejus neceſſitatem, uti & externi Miniſterii verbi, & Sacramentorum in totum rejiciunt. 11. *In Exceſſu* Pontificiorum putatitia præciſa neceſſitas, quam ſupra verbulo tetigimus. 2. Eorundem *Eccleſiæ Baptiſmales*, diſtinctæ à capellis. 3. *Eccleſiæ Collegiatæ* diſtinctæ à vulgaribus parochialibus; & *Cathedrales* diſtinctæ ab utriſque, & Metropolitanæ, cum Patriarchalibus: de quibus infra *Cap.* 5. peculiariter agemus. 4. *Eccleſiæ repræſentativæ*, ambiguè & impropriè ita dictæ, quæ alio Papiſtarum termino *virtuales* appellari poſſunt. Sic Papa *Bellarmino*, Eccleſia Catholica ſeu œcumenica, & Epiſcopus *Viguerio* Eccleſia dioœceſiana dicitur, *virtualiter* ſcil.

8. Dividitur Eccleſia viſibilis & inſtituta. I. In primam & in ortam ſeu mediatam: *Illa* in integritate ſuâ conſiderata, eſt unius particularis communitatis collectio ſub uno Preſbyterio. *Iſta* eſt plurium Eccleſiarum combinatio, unio, & concorporatio ſub unâ Synodo ſive minori (quam Claſſem noſtrates vocant) ſive majori quam abſolutè Synodum Provincialem aut Nationalem dicimus. De hâc diſtinctione dicendum *Part.* 3. *tract. de Claſſibus & Synodis.* II. Dividitur ratione variæ diſpenſationis gratiæ, in Veteris & Novi Teſtamenti. Illius forma & regimen ab iſtius diſtinguitur, quod nationalis quædam Eccleſiaſtica perfectio affixa urbi Hieroſolymæ & Hieratiæ Aaronicę, ſingulis ſynagogis ac cœtibus θεωρητὴν exſpectanda & adſciſcenda eſſet, non cumulativè (uti nunc à Nationalibus aut Provincialibus Synodis noſtrę Eccleſię) particulares urbicę, oppidanę, vicanę; ſed integraliter. De quo vide *Amęſii Medullam lib.* 1. *c.* 38. 39. & infra, *Lib.* 2. *tract. de Benedictionibus, Precibus & Hymnis Eccleſiaſticis, tit. de Organis:* adhęc *Commentatores in Pſ.* 122. & *Deut.* 17. cum *Scriptoribus de Politia Judaicâ* ſupra indicatis. III. *Ratione perfectionis & imperfectionis:* ita ut alia ſit propriè dicta, alia analogicè. Analogica Eccleſia eſt vel magis vèl minus talis, prout magis aut minus participat rationem Eccleſię, & magis aut minus deficiunt ea quæ ad integritatem organicam, & bene eſſe Eccleſię requiruntur: ſuntque clandeſtina ſeu ſub cruce; turbata; temporaria (navalis ſcil., & caſtrenſis): Succeſſiva & quaſi perpetuo ambulatoria (ſtationaria ſcil. Mercatorum, & Militum); inchoata ſeu in fieri & in primâ plantatione aut reformatione; Domeſtica; Parochialis. 1. *Clandeſtina:* in quâ modus miniſterii, electionum Eccleſiaſticarum, conven-

ventuum, concionum, aliorumque agendorum non parum deficit & variat, pro ratione loci, aliarumque circumſtantiarum. Ut quimus, ajunt, quando ut volumus non licet. Et talis olim Romana ſubterranea, quę in cryptis conventus & ſacra celebrabat. Vide cryptarum iſtarum topographiam in *Antonii Boſii Româ ſubterraneâ cum additionibus*, & ex editione *Joh. Severani* an. 1650. Ital. Ubi tamen multa partim ſequioris ævi admixta, partim Eccleſię Romanę trium primorum ſęculorum falſò adſcripta videntur. Tales omnes tempore Juſtini Martyris in Imperio Romano, quę antelucanos ſeu nocturnos conventus agebant. De quo vide *Juſtini Apolog. ad Antoninum*, & *Plinii Epiſtolarum, lib.* 10. *ſub finem. Turbata* eſt, quę in ordine, integritate, & requiſitis atque actibus aliquibus deficit, propter objecta impedimenta, ſive ab hęreſibus, ſciſmatis, & factionibus (ex. gr. Corinthiaca, 1. *Cor.* 1. & 3. & 5. & 15. Galatica *Galat.* 1. & 3. & 5.); ſive à perſecutione, & diſparſione: qualis Hieroſolymitana *Actor.* 8. & quales olim quamplurimę ſub perſecutionibus Gentilium, Arrianorum, Papatus, ut Waldenſes, Bohemicę & in multis locis Europæ jam inde à prædicatione Lutheri uſque in hunc diem. 3. *Temporaria*, eſt quę ex membris & auditoribus aliarum Eccleſiarum ſaltem ad tempus unum in locum confluentibus aut uno in loco conſiſtentibus aggregatur, ad communionem ſanctorum exercendam. Eſtque vel *Navalis*, vel *Caſtrenſis*. Utriuſque particularem & accommodatum ductum ac regimen diſces ex Miniſtris navalibus & caſtrenſibus, ut & nonnullis *Synodorum Belgicarum. Decretis*. Cum quibus conferendi *Libri Aſcetici*, ſpeciales, qui nautarum, peregrinantium, & militum pietatem formant; alibi à nobis indicati. 4. *Succeſſiva* & quaſi *Ambulatoria*, eſt illa quæ conſtat ex membris & auditoribus non ita permanentibus; quia certas ſedes non fixerunt: Ita ut vix ſit Eccleſia ſtata; cum membra ejus ſint in perpetuo quaſi fluxu alia aliis decedentibus ſuccedentia. Et talem poſſem dicere *ſtationariam*: eamque duplicem, unam *mercatoriam* (qualis Mercatorum Belgarum in Moſcovia, Anglorum Roterodami, Hamburgi &c.): alteram *militarem* ſeu *præſidiariam*, quales in Belgio ſunt in limitaneis munimentis, & ſtationibus excubitorum; ubi aut recurrentibus breviſſimi temporis intervallis, aut quâcunque occaſione crebro præſidiarii mutantur. 5. *Inchoata* ſeu in fieri ſive primæ plantationis, ſive primæ inſtaurationis & reformationis. Hic longè aliter multa in regimine agenda & applicanda eſſe, nec omnes formalitates examuſſim exigendas, ut in Eccleſiis confirmatis & integris, ubi ordo jam conſtitutus eſt, oſtendimus paſſim *Lib.* 2. *Deſp. Cauſæ Papatus.* 6. *Domeſtica*, quæ terminis unius familiæ ſive frequentioris ſive infrequentioris circumſcribitur. Quæ rurſum magis aut minus integra eſt, quod ad miniſterium, & diſpenſationem ſacrorum. In Eccleſiis domeſticis, juxta antiquum, uti ferunt, privilegium, alicubi nobiles in agris ſibi adſciſcere ſolent domeſticos con-

cio-

cionatores. *Rom.* 16. *v.* aliquando adduci solet. Sed aliter accipi posse, infra *Cap.* 5. ostendemus. Hodie Analogicæ illæ Ecclesiæ etiamnum inveniuntur in aulis Regum, Principum, immo & Nobilium quorumvis (quibus ita visum fuerit) in Angliâ. Quem antiquum morem postremis annis servasse audio pios aliquot ex Nobilitate Anglicanâ, ut puritati religionis & incolumitati ac conscientiæ multorum piorum Concionatorum tanto melius contra vexationes hierarchicas consulerent. 7. *Parochialis* est illa quæ districtus urbici, aut vicani limitibus, & proprii Rectoris seu Parochi curâ per verbi prædicationem, & sacramentorum administrationem continetur, atque ab aliis ejusdem civitatis parochiis tanquam pars integralis, in totâ Ecclesiâ sub ejusdem Presbyterii regimine, distinguitur. Tales parochiales Ecclesias puto esse Bremæ, atque alibi in Germaniâ. Nam quæ Londini & in aliis Angliæ civitatibus antehac fuerunt, haut parum ab istis differunt: nullum enim habebant commune Presbyterium, sed juxta cum reliquis Ecclesiis in illâ diœcesi Episcopo & curiæ Episcopali subjectæ esse cogebantur. Quas propterea ad ἑτερόμορφα Ecclesiastica, unà cum parochiis Papalibus rectius referas. Vide de parochiarum origine, juribus, qualitatibus &c. *Opusculum* peculiare *Joh. Filesaci* Theologi Parisiensis, & *Nicol. le Maistre Lib. 2. de Bonis & Possessionibus Ecclesiarum cap.* 9. & 13. De juribus parochorum, & de beneficiis parochialibus consulendi *Canonistæ*, & *Autores*, quos indicat *Augustinus Barbosa in Collectaneis ad Concil. Trident.* imprimis *Bullæ Pontificum*; & *Decisiones Cardinalium*, quas indicat idem *Barbosa in Collectaneis ad Bullarium* & *decisiones Cardinalium. Consectar.* Ex his distinctionibus Ecclesiæ visibilis, evidenter desumitur distinctio Ecclesiæ in magis aut minus & vix conspicuam ac visibilem; atque adeo determinatio controversiæ Pontificiæ de visibilitate Ecclesiæ. Uno paralogismo & sophismate perpetuo oberrant: Quod secundum Ecclesiæ analogatum nullo modo participet nomen & conceptum Ecclesiæ, quia non sit primum analogatum. Quasi quis dicat accidentia, relationes, & similia debilioris entitatis, nullo modo esse entia, quia definitio & requisita substantiæ ipsis minimè conveniant. 11. *Ratione correspondentiæ seu combinationis, & mutuæ dependentiæ*, alia est extra combinationem classicam aut synodalem; alia in eâ: idque in primo ortu seu in fieri tantum, aut etiam in actu & in facto esse. Et hic multa in applicatione atque executione regiminis variant. Posse autem Ecclesiam essentialiter esse Ecclesiam, etiamsi non sit in explicitâ communione & correspondentiâ synodicâ, verbo indicavimus in *disp. de Classibus &c.* & hic præsupponimus. v. *Ratione quantitatis*, alia est magna seu frequens, alia parva seu infrequens. Utraque rursum talis est, vel ratione frequentiæ incolarum in eodem districtu & loco, ut urbi-

Digitized by Google

urbica, *oppidana*, *vicana*: vel ratione frequentiæ aut infrequentię infidelium & hoſtium. Sic in magnis urbibus apud nos aliquando pro ratione multitudinis incolarum parvæ ſunt Eccleſię; quia plerique cives partim ſectarii ſunt, par partim Libertini & homines mundani. VI. *Ratione continentiæ*, ſeu adjuncti continentis, alia eſt in Politiâ civili, quæ cum Eccleſia convertitur, eique quod ad materiam ſeu corpus adæquata eſt. Alia eſt in Politiâ non reciprocâ: ubi religio & Eccleſia orthodoxa ſola quidem eſt publica, & religio atque Eccleſia ſtatus, alii tamen extra eam ſegreges cœtus permittuntur. Alia in Politiâ heterodoxâ, ſed veram Eccleſiam tolerante & permittente. Alia in Politiâ adverſante, non permittente. *Primæ* exemplum dedit Eccleſia Iſraëlitica, & hodiernæ nonnullæ, e. gr. Genevenſis, Helveticæ, Anglicanæ ſub Reginâ Elizabethâ: ubi idem corpus conſtituebat Eccleſiam & Politiam. *Secundæ*, exhibent Eccleſiæ noſtrę Belgicę. *Tertiæ*, Eccleſiæ in Regno Gallię. *Quartæ*, Eccleſię quæ hodie plurimis in locis, hic non nominandis, majori aut minori cum periculo & vexatione etiamnum conſervantur, quales paulo ante clandeſtinas diximus. De harum collectione, propagatione, conſervatione, regimine, miniſterio &c. Varii caſus & conſultationes agitari poſſunt; quibus, ut & de oppoſitâ miſſione & negotiatione clandeſtina Papatus, & quomodo illa Eccleſiaſticis ac Politicis mediis impediri poſſit, *Part.* 3. aliquid dicendum erit. VII. *Ratione connexionis*, ſeu adjuncti connexi, alia eſt quę verſatur inter infideles, aut idololatras aut hęreticos; alia quę ſola eſt, ita ut quamvis forte iſtic loci habitent quidam ab Eccleſia extranei, nullos tamen cœtus, nulla exercitia habent: nedum ut numero, potentia, & poteſtate prędominentur. Atque hic modum concionandi, diſciplinam exequendi, aliaque agenda Eccleſiaſtica aliquatenus variare neceſſe eſt. VIII. *Ratione temporis*, alia eſt antiquę, tum apoſtolicę, tum ſubſequentis, alia intermedię ętatis, alia ante reformationem, alia poſt eam. IX. *Ratione loci & ſitus* in antiquo imperio Romano, occurrit in *Hiſtoriis Eccleſiaſticis*, & *in Actis Conciliorum*, diſtinctio Eccleſiæ in Orientalem, Occidentalem, Africanam. Quarum reſpectu Eccleſiæ & Epiſcopi extra Imperium Romanum, cum Eccleſiis & Epiſcopis intra Imperium, correſpondentiam colentes, vocantur ὁ τῆς βαρβαρικῆς. 1. in *Barbarico*, *Concil. Chalced. Can.* 23. & *In Canonibus Eccleſiæ Africanæ*, *Can.* 52. τὸ βαρβαρικὸν παράκειται. 1. Barbarico contermina eſt.

CAPUT II.

Problematum seu Quæstionum Classis Prima : circa Genus, materiam, Formam, Objectum & Fines Ecclesiæ Institutæ.

1. HIs ita præmissis, accedimus ad Problemata, quæ ordine, quantum fieri potest, breviter determinabimus. Distribuimus ea in quatuor Classes, ut 1. sit circa definitionem, hoc est, Genus, materiam, formam, objectum & fines Ecclesiæ institutæ. 2. Circa Causas efficientes. 3. Circa propria & adjuncta, & opposita. 4. Circa Divisiones. *Primæ Classis.* I. *Quæst.* An Ecclesia instituta in uno conservari possit, & an Adamus solus cum esset in mundo, fuerit Ecclesia Dei? *Resp. Neg.* Implicat enim unum esse multitudinem: atqui Ecclesia est multitudo, & plurium aggregatio. Quia vocatur in scriptura Dei familia, regnum, populus, grex: comparatur corpori, ædificio, civitati. Sic Christianus qui inter Barbaros & infideles, aut in deserto, aut in insula aliqua extra omnium hominum consortium & conspectum (quod evenit nautæ Hollandico, ultra triginta annos, ni fallor, & post eos tandem ad suos reduci) solus Deum colit in spiritu & veritate, non est Ecclesia. Si quæras an sit de Ecclesia, seu membrum Ecclesiæ: de invisibili & mystica concedimus: de instituta Negamus actu ac propriè eum esse membrum, si nunquam Ecclesiæ alicujus explicitam communionem coluit: virtualiter & potentiâ eum dicere si velis membrum, siquidem toto corde desideret & ad illud dispositus sit; per nos licet. Sed hoc est impropriè & admodum analogicum. Qui antea communionem explicitè coluit, & nunc solus (absque sua culpa) ac separatus ab omni Ecclesia visibili eandem quantum potest continuat, illum membrum implicitum dicas, ejusque communionem implicitam. Atque hinc patet quid judicandum de Pontificiorum Ecclesia catholica virtuali, quę in uno Papa, & virtuali diœcesiana, quæ in uno Episcopo consistat. II. *Quæst.* An Ecclesia debeat constare ex pauciſſimis, aut pauculis: ne scil. multitudo pariat confusionem. *Resp. Neg.* 1. *Quia* Ecclesiæ particulares tempore Apostolorum ab illis collectæ & institutæ non constabant paucis, ut Antiochena, Ephesina, Romana, Corinthiaca, Philippensis, Thyatirensis, Hierosolymitana. Vide *Actor.* 2. ..... & 4. & 13..... 2. *Quia* numeri modificatio hæc aut illa, non est essentia aut essentiale requisitum Ecclesiæ. 3. *Quia* vix idonea est Ecclesia tam paucis constans (e. gr. 7. aut 9. membris) ad potestatem regiminis & jurisdictionis exercendam, oborto scandalo & offensione fratris in fratrem: quibus demtis cum testibus suis, & Ministris atque inspectoribus sepositis, quanta restabit Ecclesia? III. *Quæst.* An ergo alicubi inter infideles, aut in insulâ habi-

habitatoribus destitutâ, cœtus ex paucis Ecclesiasticè & legitimè institutus sit vera Ecclesia? *Resp.* Conceditur esse, non minus quam infans unius diei est homo; & oppidulum aut communitas ex pauculis conflata, est Politia: ubi hoc agitur ut quotidie incrementum sumant. IV. *Quæst.* An non debeat major esse frequentia, quam quæ commodè uno loco ad verbum audiendum, omniaque Ecclesiastica peragenda convenire possit? *Resp.* Ita quidem censet eximius Theologus *Amesius Lib.* 1. *Medullæ cap.* 38. §. 18. 19. Et hodie Theologi nonnulli, qui Ecclesiarum independentem & accuratissimam Politiam moliuntur. Etiam antehac tale quid ursit *Robinsonus in Apologia pag.* 12. omnesque alii vulgo dicti *Brownistæ & Separatistæ in suâ Apologiâ, petitione ad Regem thes.* 8. Quin & *Dudlejus Fennerus Lib.* 7. *Theologiæ sacræ cap.* 1. Tale quid videtur innuere, cum Ecclesiam particularem definit *cœtum fidem profitentium, qui ad omnia saltem ordinaria divinæ Politiæ munera obeunda idoneè constitui & secerni possunt* &c. Et mox subjicit: *Unde & conveniendi locus synagoga primo Ps.* 74. 8. *postea Ecclesia dicitur* 1. *Cor.* 14. Respexerunt proculdubio theologi illi, parochiales suas Anglicanas, quibus assueverant. Sed nos non videmus hoc necessarium esse, aut etiam semper & ubique utile. Rationes sunt. 1. *Quia* Ecclesiæ Apostolicæ Hierosolymitana, Corinthiaca, Ephesina, Antiochena, Romana &c. unâ in Synagoga aut domo privatâ, aut ejus ὑπερῴῳ, (vasta templa aut oratoria tunc temporis nondum fuisse Christianis; notamus infra *in tract. de Templis*) non convenerunt. Neque enim hoc permittebat earum frequentia. 2. *Quia* in Ecclesiis proximè succedentibus hoc minimè observatum: uti constat ex *Historiâ Ecclesiasticâ.* Videantur *Scriptores de Ecclesiis Parochialibus* supra cit. & *Onuphrius Tract. de Septem Urbis Ecclesiis.* Nemo dicet in cryptis suis uno in oratorio convenisse totam Ecclesiam Romanam intra muros. 3. *Quia* Ecclesiæ crucis & clandestinæ (quæ sunt Ecclesiæ lucis) jam inde à tempore Apostolorum usque in hunc diem quamvis per plurimos cœtus minutim sectos verbi prædicationem & cœnæ administrationem habere cogantur, nunquam tamen morem illum non habuerunt: nedum ut tanquam necessarium præscripserint. 4. *Quia* externi loci capacitas, & sonora vox concionatoris, & persecutionis aliqua remissio ubi in urbe aliquâ mntaretur, ilico frequentia membrorum contrahenda esset, & integritas Ecclesiæ dissolvenda, saltem quod ad aliquam sui partem; & segmentum majus aut minus pro ratione imminutæ vocis concionantis inde demum in novam Ecclesiam constituendum. Et quid ni rursum, si illi Concionatori succedat quis Stentoreâ voce præditus, idem segmentum denuo priori Ecclesiæ apponendum, abolitâ novæ Ecclesiæ forma. Quæ omnia sunt absurda. 5. *Quia* sequeretur fidelium numero, qui uno in oratorio convenire possit, quamdiu illi vivunt, non esse alios in ejusdem Ecclesiæ communione addendos: sed ex Liberis, famulis

mulis, ancillis eorum, ſi qui forte hoc anno ſupernumerarii ſint, ilico novam Eccleſiam conſtituendam, donec mortuis aut inde migrantibus membris aliquot, Eccleſiæ parentum & herorum ſuorum incorporari poſſint, ſuâ peculiari & novellâ Eccleſiolâ abolitâ ac diſſoluta: aut ſupernumerariis illis extra communionem Eccleſiaſticam tantiſper exſpectandum, donec locus vacet. 6. *Quia* ſequeretur ex hâc opinione eſſentiam & unitatem Eccleſiæ, aut eſſentialia ejus requiſita quærenda eſſe in accidentalibus, & merè extrinſecis, ac periſtaticis, inque iis fundari. Quod abſurdum, cum unitas Eccleſiæ cujuſque particularis, integræ, atque organicæ, pendeat ab unitate unius Preſbyterii, per quod gubernetur: uti infra dicemus. V. *Quæſt.* An ſolum ſynedrium dicenda ſit Eccleſia. *Reſp.* Ita cenſet *Beza ex Matth.* 18. 17. & cum eo *Formula Confirmationis Seniorum in Liturgia Belgica*; & *Franc. Junius Eccleſiaſtici Lib.* 2. *cap.* 3. nec non *Confirmatio regiminis Eccleſiarum Gallicarum* gallicè ſcripta (ab *Antonio Zadeele*) & communi nomine edita *contra Fr. Morelles Part.* 4. *artic.* 2. *puncto* 2. *pag.* 174. 195. Denique poſt omnes alios fusè confirmat loci illius interpretationem *Gerſon Bucerus diſſert. de gubernatione Eccleſiæ p.* 3. 9. 83. Nos hanc vocis Eccleſiæ acceptionem dicimus eſſe impropriam, ſcil. metonymicam & ſynechdochicam. Sed quid ſi daremus (ut tanto facilius removeamus omnes gloſſas hierarchicas & oligarchicas) immediatè, directè, & definitè illic deſignari totum corpus Eccleſiæ, non vero ſynedrium, tanquam Eccleſiæ epitomen (ut loquitur *Fr. Junius loc. cit.*) aut ejus oculum, aurem, linguam: quid inde periculi aut abſurdi? Neque enim hinc ſequitur regimen abſolutè & in omnibus democraticum: uti bene obſervat hujus interpretationis fautor *Parkerus lib.* 3. *de Polit. Eccleſiaſt. cap.* 1. 2. 3. &c. Qui videndus. Anteceſſores ab Eccleſia conſtituti ſunt, ut nomine Eccleſiæ Eccleſiaſtica curarent, ita ut in illis & per illos Eccleſia ſua curare dicenda ſit, ſicut homo videt oculo. Hinc tamen non ſequitur quodlibet membrum corporis poſſe dicere, Ego ſum oculus. Vide 1 *Cor.* 12. coll. cum *Epheſ.* 4. Hanc ſimilemve diſtinctionem forte innuere voluit noſtra Catecheſis quæſt. 83. *Eccleſiæ, indicantur, aut iis qui ad eam rem ab Eccleſiâ ſunt conſtituti.* Dicit quis dicaſterio, aut Senatui, qui per Præſidem aut Conſulem hoc agit, quamvis coram & immediatè omnibus & ſingulis iſtius collegii hoc non dicat: ita dicit quis Eccleſiæ, qui cauſam defert ad Synedrium, cui ex delegatione Eccleſiæ cauſarum cognitio commiſſa eſt, & quidem ſoli, donec poſt cauſæ cognitionem ventum fuerit ad ſententiæ promulgationem & executionem. VI. *Quæſt.* An ſolus populus cum Preſbyterio, abſque Miniſtro aut Miniſtris, poſſit dici Eccleſia, & conſequenter poteſtas Eccleſiaſtica, regiminis, electionum &c. ſit penes illam Eccleſiam. *Reſp. Aff.* cum diſtinctione, eſſentialiter ſcil., quamvis non integrè, quod ad ſtatum ejus organicum: & conſe-

Digitized by Google

conſequenter non receſſiſſe ab ea poteſtatem Eccleſiaſticam. Vide hanc veritatem à nobis defenſam *Lib. 3. ſect. 2. Deſper. Cauſæ Papatus.* VII. *Quæſt.* An ubi Miniſter & pauculi qui conſtituebant Synedrium peſte, aut tempeſtate bellica, aut alio quopiam infortunio pereunt aut inde profligantur, populus Eccleſiaſticus deſinat eſſe Eccleſia, & excidat omni poteſtate, imprimis in eligendo Miniſtro? *Reſp. Neg.* Quamvis enim mutila ſit Eccleſia, & deſierit nunc integritas ipſius organica; non tamen periit eſſentia ipſius; nec conſequenter poteſtas eligendi miniſtrum, quæ fieri poteſt abſque miniſtro aut miniſtris. Sed aliter ſe res habet in ordinariâ prædicatione verbi & adminiſtratione ſacramentorum: ad hæc enim requiruntur organa (Miniſtri ſcil.) & integritas organica; quâ nunc caret Eccleſia. Idem etiam dicendum arbitror de membris Eccleſiæ, ubi nondum conſtitutum eſt Synedrium: Eorum electionem à Synodo Zuyd-Holland, Brielanâ 1623. memini defenſam contra Claſſem, quæ electionem, invitâ Eccleſiâ, in ſolidum & privativè ſibi vindicabat.

2. VIII. *Quæſt.* An infantes fœderatorum ſint membra Eccleſiæ viſibilis eamque conſtituant. *Reſp.* Membra Eccleſiæ appellantur à *Liturgiâ Belgicâ in Formula adminiſtrationis Baptiſmi, quæſtione primâ parentibus proponendâ.* Et probatur ex 1. *Cor.* 7. 14. *Actor.* 2. 39. aliiſque quæ pro pædobaptiſmo contra Anabaptiſtas produci ſolent. Quod cum limitatione accipiendum; uti optimè expreſſit Ameſius Lib. 1. Medullæ cap. 32. §. 13. *Infantes tamen non adeo perfecta ſunt Eccleſiæ membra, ut poſſint actus communionis exercere, aut admitti ad omnia ejus privilegia participanda, niſi prius incrementum fidei appareat: ab iis vero, quæ pertinent ad initium fidei & ingreſſum in Eccleſiam, non ſunt excludendi.* Sunt ergo membra Eccleſiæ incompleta & analoga: quia ut ſpiritum & gratiam regenerationis habent, analogum quid fidei, vocationis, & converſionis actualis, (per quam quis eſt membrum Eccleſiæ inviſibilis); ipſam vero fidem & converſionem actualem non habent; ſic analogum quid habent actualis & explicitæ profeſſionis fidei, & promiſſionis ac confœderationis (per quam homines adulti incorporantur populo Dei & Eccleſiæ viſibili), profeſſionem ſcil. & confœderationem actualem atque explicitam parentum. Tota hujus rei accurata determinatio dependet ex obſervatâ diſtinctione inter regenerationem & actualem converſionem; quam inculcatam in 2. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. de Regeneratione*, & *de Statu electorum ante Converſionem*, hic præſupponimus. IX. *Quæſt.* An omnis cura & Politica Eccleſiaſtica circa adultos, olim baptizatos in infantiâ, exercenda, & ipſi ad omnium ſacrorum communionem juxta cum aliis membris admittendi, aut compellendi, abſque interventu liberi, actualis & expreſſi ipſorum conſenſus ac profeſſionis, ubi ad annos diſcretionis pervenerint: ita ut implicita illa & virtualis confœderatio & profeſſio in infantili ætate per baptiſmum præſtita ſufficeret? *Reſp.*

Ita quidem velint Pontificii: qui hoc præsuppositο, omnes in infantiâ Baptizatos ac potestati Ecclesiæ, ac consequenter in causâ hæreseos aut cujuscunque alterius delicti, quamvis nunquam fidem & communionem Romanam amplexos, pœnis Ecclesiasticis & Politicis subjiciunt: à quibus Gentiles, Judæi, Mahumedistæ, Græci, aliique Scismatici Orientales immunes sunt. De quo ex *Directoriis Inquisitorum aliisque Canonistis* quędam notabimus *Part.* 3. *tit. de Excommunicatione.* Fuit nonnemo ex Reformatis in Belgio, qui ante annos aliquot conscriptâ *Diatribe de Disciplinâ Ecclesiasticâ* (quæ etiam in nostrum idioma translata, *Jac. Arminio*, sed immerito, aliquamdiu adscripta fuit) contenderet, disciplinam Ecclesiasticam etiam ad omnes adultos quamvis à religionis professione & Ecclesiæ communione alienos extendendam, tanquam ad membra Ecclesiæ; quod scil. in infantiâ Baptizati essent. Theologus ille Belga autor dictæ Diatribes symmistis suis & Ecclesiis Belgicis hæc aliaque sua meletemata persuadere non potuit, ut contrariæ praxi suæ non insisterent, eamque defenderent: fuit ergo Diatribe illa suppressa & privatim à paucis visa & lecta. Nos statuimus, cum ratione eum modum in ascisendis membris (quem supra *Cap. Primâ* retuli), & in extendenda atque exercenda disciplina (quam habet *Liturgia Belgica* & *Constitutiones Ecclesiasticæ*) ab Ecclesiis nostris hactenus servari, nec admitti implicitam professionem ac confœderationem in Baptismo tanquam sufficientem, ad hoc ut quis Cœnæ Domini & completæ communionis Ecclesiasticæ particeps sit. Rationes sunt istæ. 1. *Quia*, ita tolleretur distinctio inter membra Ecclesiæ incompleta & completa, & inter regenerationem & actualem conversionem. Quod absurdum. Fieri enim posset ut quis in infantia regenitus & Baptizatus, educaretur in Mahumedismo, aut Manichaismo, aut palam carni & mundo militaret, usque horam salutaris conversionis (sive tertiam, sive sextam, sive undecimam) semine illo regenerationis interim sub glebis tam diu delitescente. At quis talem dicet membrum Ecclesiæ, aut tanquam membrum, ad communionem ejus & Sacram Cœnam admitteret, aut compelleret, sine intercedente liberâ expressâque professione & promissione? 2. *Quia*, in accedentibus ad Cœnam Domini, explorationem Apostolus prærequirit 1. *Cor.* 11. 28. & consequenter ejus apertam coram Ecclesiâ professionem. Quâ deficiente, à communione & Cœnâ arcendi sunt, uti rectè observat nostra *Catechesis Quæst.* 74. 80. Adeo ut non sufficiat implicita, virtualis, atque analogica receptio & professio fœderis; qualis quidem infantibus ad susceptionem Baptismi sufficit. Et hoc solo discrimine ex 1. *Cor.* 11. 28. desumto, infantibus Cœnam negandam statuimus, contra errorem Augustini, Innocentii, aliorumquè ex vetustate complurium. De quo infra. 3. *Quia* repugnat statui & conditioni populi Dei, ut absque spontaneâ & exsertâ actualis conversionis & fidei suæ professio-

ſeſſione, aliquos in numerum & ordinem ſuum adſcribat. Vide *Pſ.* 110. *v.* 3. *Jeſa.* 49. 18. & 55. 5. & 60. 4. Quomodo de ipſorum cognitione ſpirituali, de fluminibus aquæ vivæ, de veritatis amore, de fœderis gratuiti receptione (quæ tam magnifice promittuntur *Jeſa.* 11. & 44. & 60. & 62. *Joel.* 2.) gaudebunt alii fideles, ſiquidem tacita & implicita profeſſio ac confœderatio (in infantiâ tantum præſtita, poſtea nec verbis nec operibus teſtata) hic ſufficerit? 4. *Quia*, compulſio illa & coactio ad communionem Eccleſiaſticam, (quam forte nonnulli in omnibus olim in infantia Baptizatis locum habere velint), repugnat ſtatui ſpiritualis regni Chriſti, & libertati conſcientiæ; & Eccleſiam replet profanis hypocritis; eamque conformem reddit regno mundano, à quo tamen hac parte quam maxime diſtinguitur. Confer. *Part.* 3. ubi de *Libertate Conſcientiæ.* 5. *Quia* ſequeretur infantes multò majori ratione propter implicitam confœderationem & profeſſionem in Baptiſmo præſtitam ad Cœnam, & completam Eccleſiæ communionem admittendos, quamvis explicitè fidem profiteri, & confœderationem pro ſua parte præſtare nequeant. In hoc enim viderentur præ implicitis illis fœderatis adultis magis capaces eſſe, quod privativâ aut etiam contrariâ ignorantiâ, adhæc negligentiâ, profanitate, in ſacrum fœdus & Eccleſiaſticam communionem non incurrant.

X. *Quæſt.* An ergo circa infantes per Baptiſmum Eccleſiæ viſibili inſitos, nullos curæ & communionis ſpiritualis actus exſeret Eccleſia, niſi ipſi, ubi adoleverint, eam petant? *Reſp.* Minime. Nam in eum finem nomina Baptizatorum libro peculiari inſcribi curat, ut præ aliis loci illius incolis infidelibus & à religione alienis, eoſdem tanquam Dei & Eccleſiæ liberos, creſcentibus annis ſucceſſivè ad Catechizationes, ad Concionum frequentationem, & poſitis ponendis ad fidei profeſſionem & cœnæ communionem adhortari ac promovere poſſet. Quod à diligentibus Paſtoribus, & bene conſtitutis Synedriis apud nos fieri videmus: & exſtant ſuper hâc re (ſi bene memini) *Decreta Synodorum.*

3. XI. An promiſcuè quilibet auditores conſtituant Eccleſiam? *Reſp.* Auditores ſunt ſeptemgenerum, 1. vel *hoſtes* qui oderunt. 2. vel *neutrales* qui nullo ſtudio veritatis ducti, odioque ejus & amore procul habitis, tantum datâ occaſione aut forte fortunâ, aut ex conſuetudine audiunt, neſcientes cur audiant; qui id circo ut veniunt, ſic diſcedunt tabulæ raſæ. 3. vel *craſſi hypocritæ*, qui propter mundanas conſiderationes audiunt, ne Athei, aut Libertini aut ſectarii vulgo audiant. 4. vel *catechumeni* honeſto animo & fine *diſcentes* (ſic eos nunc libet diſtinguere à competentibus); qui hoc agunt ut proficiant in cognitione Chriſti, & ſe parant ad petendam aliquando communionem. 5. vel *catechumeni competentes*, qui curſu inſtitutionis peracto inter candidatos. Eccleſiæ nomen ſuum profitentur. 6. *vel* abſtenti, per cenſuram ſuſpenſionis. 7. *Vel* excommunicati; qui tamen ſubinde audire non deſinunt,

nec

nec ſectæ alicujus communionem amplexi ſunt. Primi generis nullo modo ſunt de Eccleſiâ. Secundi, tertii, & ſeptimi generis, non niſi æquivocè. Quarti, quinti & ſexti, generis analogicè; hi tamen propius ad τὸ univocum accedunt, quam illi. XII. *Quæſt.* An Catechumeni? *Reſp. Diſt.* Ex proximè præcedenti determinatione. Et hinc lumen infertur controverſiæ inter Nos & Pontificios, An Catechumeni ſint in Eccleſiâ. De Eccleſiâ inviſibili, ſiquidem ſint vere fideles, nullum eſt dubium. De viſibili reſpondetur cum diſtinctione: uti jam dictum. Et ſane non cenſuit eos abſolutè excludendos antiquitas, cum Ambroſii Catechumeni electionem ad epiſcopatum non improbavit, (vide *Vitam Ambroſii*;) & de Catechumenorum nondum Baptizatorum ſalute tam bene judicavit: ut videre eſt in *Oratione Ambroſii de obitu Valentiniani.* XIII. *Quæſt.* An Abſtenti & Suſpenſi? *Reſp. Aff.* Neque enim moti ſunt τῇ κτήσει ſacrorum ſeu communionis ſacræ, ſed tantum χρήσει ad tempus. Jure ergo ipſis manente, uſus iſtius juris tantum in aliquo ſequeſtratur & impeditur. Et ſic diſtinguuntur ab Excommunicatis. XIV. *Quæſt.* An Excommunicati? *Reſp. Neg.* juxta *Matth.* 18. 18. Coll. cum 1 *Cor.* 5. Sunt ergo extranei plane; nec dici poſſunt fœderati aut cives, niſi æquivocè τῷ μνήμῳ, ſicut cadaver dicitur homo & proſcripti aut exilio mulctati dicuntur cives ejus urbis, ex quâ ejecti ſunt. XV. *Quæſt.* An eorum Liberi? *Reſp. Neg.* de natis poſt excommunicationem: non minus ac de liberis Ethnicorum aut Judæorum. De liberis natis, cum adhuc eſſent membra Eccleſiæ, idem nolim pronuntiare. Quod autem in illis & iſtis nonnulli relictis parentibus excommunicatis ad majores confugiunt, & ſic Baptiſmum jure infantibus illis deberi volunt: idem dicere deberent, uti etiam dicere eos arbitror, de liberis parentum Gentilium aut Muhamedanorum. Probationem utriuſque requiro ex ſcripturâ. Sed de hâc quæſtione rurſum infra *Tract. de Adminiſtratione Baptiſmi* agendum erit. Ubi vide. XVI. *Quæſt.* An & quomodo Fœminæ conſtituant Eccleſiam viſibilem & inſtitutam. *Reſp.* Diminutè & cum quâdam limitatione Ut enim inviſibilem per veram fidem, ſic & viſibilem quod ad communem confœderationem, promiſſionem, & exercitia publica æque conſtituunt ac Viri, & conſequenter ad omnia communia officia pietatis publica & privata non minus tenentur & ad participationem eorum non minus admittendæ, quam viri *Actor.* 1. *v.* 14. & 5. 14. & 8. 12. & 17. 4. & 21. 5. imprimis notandum quod *Actor.* 16. 13. ſolæ Mulieres Cœtum Eccleſiaſticum conſtituebant, coram quo concionatus eſt Paulus & quod 1 *Cor.* 11. *v.* 11. illis τὸ προφητεύειν in publico cœtu tribuitur, & publica profeſſio fidei *Matth.* 3. *v.* 5. 6. coll. cum *Actor.* 16. 14. 15. 32. inſuper pars quædam diaconiæ ſubordinatæ & adjutricis in Eccleſiâ illis committi poſſit 1 *Tim.* 5. 9. 10. de quo alibi dicendum. Interim vide *Commentar. Danæi ad locum.* Huc refer Fœminas illas auxiliatrices quaſi, aut

ædi-

ædituas sanctuario ministrantes, de quibus videndi *Commentatores in* 1 *Samuel.* 2. 22. Est etiam confessio, ac martyrium pro causâ Euangelii *Actor.* 8. 3. & 9. 2. (confer *Martyrologia*), & quod exsertè negetur in Christo quod ad gratiam ejusque media distingui Marem & Fœminam *Gal.* 3. 28. coll. cum 1 *Tim.* 2. 15. Sed quod ad statum & integritatem Ecclesiæ organicam, non ita constituunt eam Fœminæ, ut penes illas sit potestas regiminis & jurisdictionis, quod ad *executionem sive communem* per suffragia & publicas sententiarum collationes *Actor.* 14. *v.* 23. 2 *Cor.* 8. *v.* 19. & 1 *Cor.* 5. 4. sive per scrutinium, sive per χειροτονίαν, sive per vocalem & externam acclamationem: sive *specialem*, quæ solis Ministris & Presbyterio competit, non populo Ecclesiastico: quia Fœminę in Pastores, Doctores, Seniores eligi nequeunt. Probatur hoc tum ex praxi Apostolicâ, tum ex præceptis exsertis 1 *Cor.* 14. *v.* 34. 35. 1 *Tim.* 2. *v.* 11. 12. Potest hęc determinatio declarari hoc simili: sicut Vir & Fœmina ad imaginem Dei conditi sunt, & dominium in creaturas acceperunt, cum hâc distinctione tamen quod gradum primum & peculiarem in isto dominio Vir acceperit, qui Fœminę non competit; præest enim in illo dominio ejusque exercitio Maritus Uxori, non contra. Sed duo casus hic incidunt determinandi. Quorum 1. est, An ab executione regiminis & jurisdictionis, quæ fit publicè in ac coram toto cœtu & communiter cum populo Ecclesiastico (de quâ *Tract.* proxime sequenti *de Potestate & Politiâ Ecclesiarum*) Fœminæ plane sint excludendæ, aut tantisper de cœtu illis exeundum, uti olim in antiquâ Ecclesiâ Catechumeni dimittebantur ante celebrationem cœnę. *Resp. Neg.* Quod si enim publicè populi consensus per silentium exploratur; & Fœminæ juxta cum Viris audiant & taceant, non repugnat præcepto Apostolico; nec etiam si Viri suffragia rogati publicè loquendo conferant, tacentibus Fœminis. Atque hoc respondeo de Ecclesiis jam constitutis, integris & organicè ordinatis. 2. *Casus*, Quid faciendum cum Christiani quidam novè conversi, aut fideles existentes in insulam tempestate delati, aut violenter deportati sint, inter quos nulli Viri, aut si qui fuerint, omnes peste mortui, aut pauculi illi, qui forte supersint, non nôrint legere, aut quocunque modo plane inepti sint ad prælectionem Scripturæ, & Homiliarum, ad parvulorum & rudium Catechizationem, item ad preces? *Resp.* In conventibus ejusmodi, siquidem præter domesticos, Ecclesiastici aut quasi Ecclesiastici habeantur (quod an fieri debeat, hic non disceptatur), nihil vetat aliquam ex Fœminis ad hoc maximè idoneam prælegere quid ex Scripturâ, ex Libris Concionum &c. Quomodo in piis familiis à Matribus familias hoc fieri solet, ubi Pater familias non adest, aut à religione, & pietate alienus est. Sed tales actus tunc non tam erunt formaliter Ecclesiastici, quam præparatorii ad collectionem & constitutionem Ecclesiæ, aut interimistici ac provisionales, donec Deus me-

liorem occasionem dederit. Vide quæ notavimus *Lib. 2. Desp. Causæ Papatus sect. 2. c. 7.* Et adde, quod Priscilla instituerit Apollo *Act. 18. 26.* & quod in V. ac N.T. fuerint quędam prophetissę. Ad hominem posset addi *Legenda Papistarum de B. Mariâ Matre Christi*, quam fingunt fuisse Matrem familias, Doctricem, & Consolatricem omnium Ecclesiarum, etiam Apostolorum. Ita *Zwarez ad 3. p. qu. 37. disp. 20.* & *Corn. à Lapide in Actor. 1. 14.* & *2. 4. p. 27.* Ubi etiam meminit Apostolatus Mariæ Magdalenæ, quæ præ dicavit Massilienſibus. Problemate de Fœminis jam determinato, educimus hæc sequentia. 1. *Consectar.* Rejicimus nugas Judaicas, quæ Mulieres à precibus, & exercitiis sacris atque Ecclesiasticis (secundum ipsos) immunes præstant. *Buxdorf. Synag. Jud. c. 4.* 2. *Consect.* Rejicimus κακοζηλίαν veterum Hæreticorum, qui Mulierum operâ & Ministerio abusi Ecclesiastica seu potius hæretica sua curârunt ac promoverunt. De quibus *Tertullianus de Præscript.* Ipsæ hæreticæ *Mulieres quam procaces, quæ audeant docere &c. forsan & tinguere.* Ita Simon Magus suam habuit Helenam, Appelles Philumenam, Montanus Priscam & Maximillam, alii alias, quas refert *Hieronymus ad Ctesiphontem:* quibus adde potentissimas meretrices, quæ Romæ aliquamdiu Paparum electionem procurabant teste *Baronio*, Theodoram scil. *ad annum* 908. §. 6. 7. & Maroziam. Nec præter eunda Gregorii VII. Machtildis, de quibus consule *Mysterium iniquitatis Plessei cum defensione Riveti.* Confer *Consectar. 4. 3. Consectar.* Fabulæ sunt & meræ calumniæ, quibus *Laingæus* & *Cor. Jansenius* suos ignorantes pascunt, de Mulierum prædicationibus & ministeriis apud reformatos. Ipsum Papatum hoc morbo laborare constat ex modo dictis & mox dicendis. Perstrinximus eum in *Desp. Causâ Papatus Lib. 2. sect. 2. cap. 7. 4. Consectar.* Rejicimus Pontificiorum σπυγίαν, & multiplicem cum Collyridianis aliisque (apud *Epiphanium hæresi* 42. & 79.) colluſionem, cum Fœminis potestatem Baptizandi, & Ecclesiasticam in regimine, & jurisdictione usurpandam concedunt; uti exsertè hoc probavimus in *Desp. Causâ &c. Loc. cit. p. 158.* Nec hic repetimus: tantum addimus Fœminas illas religiosas & quasi diaconissas circumcursitantes (quas *Cloppas* in Belgio appellant) non exiguam curæ & pragmatiæ rerum Ecclesiasticarum partem in se suscipere, catechizando rudiores, canendo & voce & instrumentis in officio divino, hæreticos convertendo, pauperes, ægrotos & afflictos visitando, nova quælibet curatis ac sacerdotibus nuntiando, missiones & negotiationes Romano-Ecclesiasticas, imprimis in gratiam Jesuitarum & aliorum regularium *pro nosse & posse* conciliando, promovendo. Ut quidem postremum hoc usurpationis membrum ipsis imputat, & in eas invehitur *Philippus Rovenius* titularis & usurpans Archiepiscopus Ultrajectinus *in literis suis Româ scriptis ad Canonicum capituli Mariani Wachtelarium* vicarium suum in sacris, quas interceptas inclytus urbis Senatus in curiâ hic

servat:

ſervat: ex quibus aliiſque ejuſdem auctoris, profugus *Wachtelarius* perduellionis ac proditionis convictus & publicatâ judicum ſententiâ condemnatus fuit. Hujus uſurpationis & πολυπραγμοσύνης impatiens *Urbanus VIII.* (forte ex odio Jeſuitarum) ante annos aliquot ejuſmodi circumcurſitantes & omnivagas auxiliatrices ſub titulo *Jeſuitiſſarum peculiari Bullâ* abrogavit. Nihilominus in Belgio noſtro antiquum obtinent, ſed abſque titulo *Jeſuitiſſarum:* quo nomine Coloniæ & alibi appellari non deſinunt. Quamvis autem ipſæ titulum non oſtentent, Pontificii tamen tum clerici tum laici, non verentur eaſdem tanquam peculiariter à Jeſuitis dependentes, contradiſtinctè ad aliorum monachorum Cloppas **Paters-Cloppen** appellare. Confer quæ de *Cloppis* indicamus. *Part 2. tit. de Monachis.*

5. XVII. *Quæſt.* An Servi conſtituant Eccleſiam? *Reſp. Aff.* ex *Coloſ.* 3. 11. & 1 *Cor.* 7. *v.* 21. Et hoc inter alia diſcriminat Eccleſiam à Politiâ civili: quod illic ſervi inter cives, ſocios, & fratres ἰσότιμοι numerentur, hic minime. Hujus autem ἰσοτιμίας reſpectu Chriſtiani ſervos ad fidem converſos etiam Politicâ libertate donârunt. De quo vide *Molanum tract. de Canonicis Lib.* 3. *à cap.* 24. *uſque* 44. ubi non pauca congerit ex Antiquitate Eccleſiaſticâ. *Canoniſtæ ad tit. de Serv. non ordin. & eorum manumiſſ.* jus ſervitutis ſtrictè tuentur. Vide *Viviani Rationale Juris Canonici.* XVIII. *Quæſt.* An Leproſi; an vero diſtincta Eccleſia ex illis conſtituenda. *Reſp. Pr. Aff. Poſt. Neg.* Omnia enim exercitia pariter cum aliis peragere poſſunt: ſolâ Cœnâ forte excepta. Alioquin non tam contagioſus eſt hodiernus ille morbus; ut eidem menſæ aſſidentes, & ex peculiari poculo bibentes alios infecturi ſint. Quod ſi tamen Cœnam cum aliis eâdem in menſa ſumere non permittantur, ſive ob contagii periculum, ſive ob nonnullorum faſtidium, aut metum; utique ſuffecerit, ſi juxta conſilium *Synodi Nationalis Dordracenæ* 1578. *in Reſp. ad* 80. *Quæſt.* particularem, in angulo aut aliâ parte templi ſeorſim communicent. Quod in Papatu peculiares illis Parochias, & quaſi Eccleſias, inque iis ſeparatum cultum, regimen, ac juriſdictionem aſſignârint, cum ſuis juribus & privilegiis (vide *Zypæum in Novi juris Canonici Analyticâ Enarratione Lib.* 4. *p.* 428. imprimis *Bochelli Decr. Eccl. Gallic. Lib.* 3. *tit.* 16.) id ſapit ſuperſtitionem & Judaicas ceremonias circa leproſos *Levitic.* 13. & 14. *Num.* 12. 10. 2 *Paralip.* 26. 21. nunc abolitas. Neque enim ceremonialiter magis immundi nunc ſunt, ac propterea ab Eccleſiæ corporali præſentiâ & communione ſeparandi magis, quam alii fideles alio aliquo morbo laborantes. Quod ad periculum naturalis contagii, illud non tantum eſt, ac ex contactu lepræ Judæorum: longè enim ab illâ diſtat hodierna, uti docet experientia, & *Franciſc. Valeſius c.* 19. & 20. *Philoſophiæ Sacræ*, & *Foreſtus in Obſervationibus Medecinalibus*; idemque fatetur ac probat *Zypæus Loc. cit.* & *A Lapide in Levitic.* 13. qui videndus. XIX. *Quæſt.* An Ener-

gumeni *Resp. Aff.* De modo communicationis sancivit quid antiqua Ecclesia, ut notat *Photius in Nomocan. tit. 3. c. 13.* Cum à dæmone arripiuntur, idonei non sunt ad Eucharistię perceptionem. Cætera pares aliis fidelibus. XX. *Quæst.* An Menstruatæ, & Puerperæ? *Resp. Aff.* Sapiunt ergo Judaismum, Decreta illa antiquæ Ecclesiæ apud *Photium Nomocan. tit. 3. c. 18.* & *tit. 4. c. 16.* quod non conveniat Mulierem tempore purgationis Baptizari, aut Cœnam percipere. Multo magis consueta praxis in Papatu: ubi Puerperæ tanquam immundæ & extra Ecclesiæ communionem constitutæ habentur tempore puerperii; quo exacto, in eam solenniter recipiuntur, & si in puerperio obeant, sepulturâ Ecclesiasticâ saltem completâ & propriè dictâ non potiuntur, sed cadavere tantum terræ mandato, & candido linteo impositò, absque tumulo (quod in Brabantiâ vernaculè appellant het lijck smcken), post ordinarii temporis puerperis præfixi decursum justa demum persolvunt, sacra solennia & suffragia peragunt, pompam funebrem deducendo, tumulum exstruendo, sacra & solita pro defunctis suffragia absolvendo, & epulum ferale seu silicernium absumendo. Ratio superstitionum istarum, petitur ex *Luc. 2. v. 22.* ubi exemplum purificationis Mariæ quæ 40. diebus à templo abstinuerat. Quam temporis mensuram κακοζηλία & perversa devotio mulierculas nonnullas antehac Belgio nostro imitari & servare fecit: ut puerperium non relinquerent, nec templum revisérent ante 39. aut 40. à partu diem: ut ut confirmatiores essent & diebus forte & hebdomadis aliquot ante, præsertim cœlo clementiori prodire potuissent. Doctores fatentur tamen Christianos lege illâ purificationis nunc abolitâ, quippe figurativâ, non obligari: uti *Innocentius III. in Antiquâ collectione Decretal. 3. lib. 3. tit. 36.* & in *Jure Canonico Quia*, de purificatione post partum. Et sic *Lyra, Lorinus, à Lapide in Levitic. 12.* Addit *Vivianus in Rationali Juris Canonici Lib. 3. tit. 46.* si ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, *earum devotionem non esse improbandam, & ex devotione hoc posse Mulieres, quia bonarum est mentium ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur*, cap. Consilium sup. tit. prox. Sed 1. cum videant consuetudinem à lege Canonicâ in populo suo Papali divortium facere, & omissâ lege apprehendi hanc Innocentii συγκατάβασιν & conniventiam, eamque perpetuâ consuetudine quasi popularis legis (an erroris) autoritatem sibi acquisivisse. 2. *Atque* ita pseudo-devotâ illâ abstinentia non abstineri à specie mali 3. *Adhæc* Christianos doceri Judaizare (uti *Galat. 2. v. 14.*) 4. *Præterea* incurri peccatum illud superstitiosæ abstinentiæ, quod taxatur *Colos. 2. 21.* 5. *Etiam* longè recedi à praxi & doctrinâ antiquæ Ecclesiæ, quæ externè & materialiter nihil agi, aut à nullo abstineri voluit, quo Christiani viderentur convenire cum Judaismo: uti videre est *in Concil. Laodic. Can. 37. 38.* Et in iis, quæ de celebratione Paschæ contra. Quarto decimanos, quanquam ex falsâ hypothesi,

statuta.

ſtatuta. 6. *Inſuper* periculum ſit, ne homines per univerſalem illam & ab Eccleſiæ rectoribus approbatam praxin adducantur in aliquam opinionem neceſſitatis, & myſticæ ſignificationis, ſi non ejuſdem ſpecie quæ fuit in V. T. ſaltem ejuſdem genere & analogia: quaſi ſucceſſerit purificatio hæc ſecundum novam legem purificationi ſecundum legem veterem; quomodo ferè totam legem ceremonialem refodiunt Pontificii, uti videre eſt apud *Thomam* 1. 2. *qu.* 103. *art.* 3. *ad* 4. 7. *Denique* devotioni putatitiæ nihil ab ignorantibus mulierculis & ſacerdotibus prætendi poſſit quam καινοζηλία exempli B. Mariæ, quæ erat ſubjecta legi ceremoniali, & cujus purificationem non magis imitari debebant, quam oblationem turturum aut columbarum *Luc.* 2. 24. An non potius debebant reprehendere pravas ejuſmodi conſuetudines παλεοπαραδότους, ut homines ſuos quàm longiſſimè recedere docerent à peccato illo, de quo doctè Cajetanus ad Thomam loc. cit. *Propter quod nunc nec ut viva propter mendacium, nec ut mortua propter ſepulturam jam ſervari poſſunt ceremonialia illa abſque peccato mortali.* Præſtat ergo abſtineri à ſolenni illâ introductione puerperarum in Eccleſiam, de quâ *Rituale ſeu Paſtorale Romanum* p. 223. ubi vocat benedictionem. Sed *in Decretis Eccleſ. Gallicanæ* edit. *Bochelli lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 46. vocatur *purificatio.* Quin etiam dicuntur indigere purificatione poſt partum *Lib.* 6. *tit.* 4. *c.* 79. Quaſi ab Eccleſiâ ſeparatæ fuiſſent magis, quam alii, qui ad tempus quovis morbo aut languore detenti publicè Deo in & cum Eccleſiâ gratias agunt. Hunc morem Pontificium, ut & Æthiopicum (quem refert *à Lapide in Levit.* 12.) ex noſtris *Willetus in Commentar. ad loc. cit.* juſtè reprehendit; ſed ibidem morem Anglicanum tuetur, qui exſtat in *ipſorum Liturgiâ.* De quo quid judicandum, & quomodo Pontificiis Doctoribus morem ſuorum nunc verecundius defendentibus ſolide reſpondere poſſimus, infra dicemus, ubi *de Putatitiis agendis Eccleſiaſticis.* XXII. *Quæſt.* An Pontificii rectè & propriè dividant materiam ſeu membra Eccleſiæ in diverſos ſtatus, qui in Eccleſiâ à Deo dicuntur inſtituti, in Eccleſiaſticos & Laicos, & hos in imperantes, & ſubditos; & ſubditos rurſum in judices, milites, mercatores, artifices, agricolas. Sic *Lalius Zecchus de Republ. Eccleſiaſticâ*, *cap.* 1. Ita illi Papam aut Concilium faciunt caput & monarcham totius orbis, ſeu Reipublicæ Chriſtianæ, uti aliquando loquuntur & Rempublicam locant in Eccleſia; contra celebre dictum Optati Milevitani lib. 3. contra Donatiſtas p. 33. *Eccleſia eſt in Republicâ, non Reſpublica, in Eccleſiâ. Reſp.* Impropria admodum diviſio per ea quæ toti per ſe non inſunt: quaſi quis dividat Regnum aut Rempublicam per gradus & ſtatus Eccleſiaſticos. Non enim Politia quà talis eſt de Eccleſia, nec vice verſa. Eccleſia quidem ſemper eſt in Politia: ſed Politia omnis quà talis, non ſemper continet Eccleſiam. Confer *tract.* proximè ſequ. *de poteſtate Eccleſiaſticâ.* XXIII. An ergo rectè diſtinguantur membra Eccleſiæ in honorata

& principalia seu primaria, & in secundaria. *Resp.* quamvis omnes fideles ἰσότιμον πίστιν acceperint (*2 Pet.* 1. 3.) & omnes fratres sint, eundemque habeant patrem *Matth.* 23. *Malach.* 1, nullusque inter illos Ecclesiasticè aut Spiritualiter sit magister, aut princeps, aut dominus, nec debeat esse juxta *Luc.* 22. tamen secundum diversitatem & gradus donorum (*1 Cor.* 12.) potest graduum & honoris atque existimationis aliqua differentia constitui. Sic vocatione publicâ & munere instructi ab aliis non instructis distinguuntur, iisque honor deferendus *1 Thessal.* 5. 12. 13. *Hebr.* 13. 17. Hinc Ministri comparantur stellis *Apocal.* 1. ducibus, architectis &c. Iidemque peculiariter vocantur viri Dei *2 Timoth.* 3. Et inter Antecessores rursum, immo inter ipsos Apostolos aliqui eminent, eâdem tamen manente, essentiali & specificâ omnium potestate. Ita *Galat.* 2. 9. Jacobus, Petrus, Johannes erant quasi columnæ Ecclesiæ. In populo etiam alii præ aliis eminent, pro ratione donorum, zeli, operum, Vide *2 Tim.* 1. 16. 17. 18. *Rom.* 16. 10. 12.

6. XXIV. *Quæst.* An ergo rectè dicatur membra Ecclesiæ, quæ in sæculo potestate Politicâ, aut munere quocunque ac dignitate, aut divitiis & clientelis aut sapientiâ, ac prudentiâ sæculari, aut meritis in Rempublicam antecellunt, esse eo ipso in Ecclesiâ membra præcipua seu principalia? quamvis donis & privilegiis spiritualibus non emineant, nec functionibus Sacris & Ecclesiasticis instructi sint? *Resp. Neg.* Quicunque enim hoc dicunt aut meræ ἀνθρωπαρεσκίας, aut superbiæ suæ & typho sæculi indulgent, eumque in Ecclesiam invehunt: aut turpi paralogismo accidentis, & à divisis ad composita & se & alios decipiunt. Quasi quis ita colligat, Hic bonus est; & est Poëta: ergo est bonus Poëta. Aut Musicus ædificat domum, quà Musicus: quia scil. accidit fabro esse Musicum. Hoc infra notamus in *Quæst. Penes quos sit Potestas Ecclesiastica.* Sed indicemus nunc rationes. 1. *Quia* exserte repugnat *B. Jacobo cap. 2. v.* 1. 2. ubi perversum hunc morem arguit προσωπολημψίας circa fidem Christi. 2. *Quia* repugnat Servatori dicenti, *Joh.* 18. 8. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & *Luc.* 22. *v.* 29. *Reges gentium dominantur* &c. *Vos autem non sic* &c. 3. *Quia* repugnat Davidi, qui sanctos propter sanctitatem scil. in terrâ honorabat inque iis complacentiam suam profitebatur *Ps.* 16. *v*..... Ubi ergo major sanctitas, ibi major existimatio. 4. *Quia* repugnat & doctrinæ Pauli *Coloss.* 3. 11. *Galat.* 3. 28. ubi discriminationes tales per ejusmodi externa & accidentalia à Christi regno removet? 5. *Quia* repugnat Exemplo Christi, & Apostolorum: nunquam enim legimus eos maximè æstimasse, respexisse, extulisse tales, & affectum atque officia maximè detulisse sive Catechumenis sive Fidelibus in hoc sæculo maxime potentibus aut honoratis. Sed plane contrarium ex gestis & dictis eorum apparet. Christus maxime æstimavit & dilexit Discipulos, & inter eos Johannem: qui tamen in sæculo non excelle-

cellebant; Paulus Timotheum, Aquilam &c. (vide ſalutationes *in finibus Epiſtolarum*): Petrus Simonem Coriarium *Act.* 10. Quod ſi Chriſtus Centurionem, Lazarum cum Sororibus, ditiores quaſdam Fœminas; Paulus Philemonem, Zenam Juriſperitum, Lucam Medicum; Petrus Cornelium Centurionem, multis aliis prætulit, id factum propter excellentiorem cognitionem, & zelum in fide & Euangelio Chriſti, inque aliis pietatis operibus. 6. *Quia* hæc extrinſeca & plane accidentalia ſi ſpectentur in Regno Chriſti ſpirituali, & cives ejus pẽ rea (quamvis in vitâ logica & ſcriptura) diſtinguantur; ſequentur multa abſurda. *Primo* enim cum Pontificiis ſtatuetur mundus ſeu ſæculum in Regno Chriſti, & Reſpublica in Eccleſia. Quod modo *Quæſt.* 22. arguimus. *Secundò*, confunditur hâc ratione Eccleſia cum Republica; & Poteſtas, Politeia, ac privilegia utriuſque inter ſe: ita ut aut Eccleſia ſæculari, aut mundus Eccleſiaſtica forma induatur, una in alteram transformetur, & Eccleſia ad modulum atque exemplar mundi & Politeias ſæcularis efformetur. Quod olim in antiqua Eccleſia admiſſum, ſucceſſu temporis Antichriſtianiſmum & Eccleſiæ, religionis, ac pietatis ruinam ſecum traxit. O utinam ſint, qui contra hunc ſæculi typhum, hanc fatalem σύγχυσιν perpetuò inſonent! *Equo ne credite Teucri. Tertiò*, pari ratione membra Eccleſiæ diſtinguenda eſſent in principalia & minus principalia, ex extrinſecis illis & accidentalibus titulis ac gradibus in Oeconomia, in Schola, in Militia; Et quis tandem finis? Requiter Eccleſia Miniſtros ceremoniarum, & Nomenclatores catalogi gloriæ mundi, (qualem *Chaßaneus* edidit, quem videat, cui vacat), & Heraldos ſeu Architectos, Indices ac Judices inſignium, & occupari debebunt Concionatores, Preſbyteria, Synodi, aliique cœtus ſanctorum circa controverſias de præcedentiâ: quod tamen in Papatu quam maximè improbamus. Vide paſſim *Barboſæ Collectanea ad Bullarium, & Deciſiones SS. congregg. Cardinal.* & *Caramuel Lobkowits tract. de Præcedentiâ Ciſtercienſium &c.* ubi & alii ſcriptores de præcedentiis clericalibus indicantur. *Quartò*, præferenda erunt terrena ſpiritualibus, profana ſacris, bona ac privilegia externa, gratię Chriſti & pretioſiſſimæ fidei: ſiquidem pauperes & plebei ditiores in fide (*Jac.* 2.) & bonis operibus, inter minus principalia; potentes vero aut divites, ſed fide ac operibus inferiores, inter præcipua Eccleſiæ membra numerentur, præ aliis honorentur, adorentur: quia ſcil. plura habent & dare poſſunt; contra negligatur Lazarus, qui nihil, & vidua quæ tantum duos æreolos conferre poteſt, immò ſanctiſſimi illi Johannes & Petrus, quibus nec aurum nec argentum eſt *Actor.* 3. Quę turpiſſima eſt προσωπολημψία, teſte *Jacobo loc. cit.* quia ſpectatur quid in Eccleſiâ & in Membris Eccleſiæ, quod eſt extra cauſam Sacram & Eccleſiaſticam.

7. XXV. *Quæſt.* An repugnet unitati, eſſentiæ, ac perfectioni Eccleſiæ particularis inſtitutę, ſi Eccleſię conſtituantur in Eccleſiis, uti Eccleſiæ Regulares

lares Monachorum in Ecclesiis Urbicariis (etiam Collegatis, aut Cathedralibus, secundum ipsos); & collegia in collegiis, uti monasteria & asceteria utriusque sexus, imprimis ea quæ vocant exemta, & innumerę fere fraternitates, societates, votis, juramentis, legibus peculiaribus à corpore Ecclesiastico & inter se distinctę? *Resp. Aff.* 1. *Quia* tales Ecclesias in Ecclesiis, collegia in collegiis, & independentes quasi subordinationes ac discordes concordias ignorat praxis apostolica. Examinetur status Ecclesię Hierosolymitanæ, Antiochenæ, Corinthiacæ, Ephesinę & sex aliarum in Asiâ: nihil talĕ invenies. 2. *Quia* κακοζηλία illa sapit *ἰδιοσυγκρασίαν* & superbiam spiritualem; cum quis commune nomen, votum, professionem, & unionem ac communionem Christianismi fastidiens, aut eo non contentus sublimiorem ac peculiarem Policeiam affectat. *Αὐτὸν ἀφορίσωσιν ἢ ὑπέρογκον ὄμμασιν ἄλλων.* Vide *Jesa.* 65. 5. & 3. *Johan. v.* 9. 3. *Quia* peculiares illæ asslociationes totidem sunt separationes, secessiones, factiones, divisiones, scismata, contentiones; aut in eas desinunt, Vide 1 *Cor.* 1. 12. 13. & *Judæ v.* 19. 4. *Quia* pariunt confusiones & difficultates innumeras circa exercitium Potestatis & Politiæ Ecclesiasticæ. Hoc videre est in Papatu, ubi infinitæ contentiones de exemptionibus & privilegiis Regularium, contra Episcopos, aliosque Sæculares Ecclesiarum Rectores, quibus fervent curia & culina Romana Vide *Scripta adversa, à Sorbonistis*, ab unâ parte, per *Nicolaum le Maistre* & à *Patronis Regularium* ab alterâ parte ante annos aliquot sub nomine *Loemelii* edita; nec non grandia illa volumina *Roderici de Regularibus*, *Tamburini de Abbatibus*, *Renati Choppini de Sacrâ Politiâ forensi*, aliorumque compluria *Part.* 2. (ubi *de Monachis*) & alibi à nobis indicata. Denique adde omnes alias rationes contra Monachatum ibidem, & contra Fraternitates in *disp. de Idololatriâ indirectâ*, & *in Tract. de Fraternit. Marianis* à nobis antehac allatas, & infra *Part.* 2. repetendas. XXVI. *Quæst.* An Collegia seu Conventus Catechizantium, & in sacris ac theologicis sese Exercentium, constituant apud nos peculiares Ecclesias in Ecclesiis; iisque hoc pari ratione impingi possit, ac Ascetis, Monachis, & Fratriis Papatus. *Resp. Neg.* Nam ut Domesticæ Ecclesiæ (quæ ita dicuntur), aut Parochiales Conventus in quibusdam reformatis Ecclesiis, non faciunt peculiarem Ecclesiam; nec confœderationem, coordinationem, potestatem & Politiam Ecclesiasticam peculiarem: sed unam eandemque in, cum, & sub uno eodemque Presbyterio constituunt; consequenter independentiam & exemtionem Ecclesiasticam ab Ecclesiâ, cujus communione continentur, absolutè excludunt; sic etjam Conventus Catechizantium & Exercentium. De Parochiis, & Ecclesiis Domesticis infra quid dicemus. De Collegiis & Scholis Theologicis *tract.* sequ., ubi *de Potestate & Politiâ Ecclesiarum*, & *Part.* 2. *tit. de Scholis.* XXVII. *Quæst.* An actus, qui communiter circa personas & res Ecclesiasticas, æque ac

circa

circa perſonas & res Civiles, Oeconomicas, Militares exerceri debent aut poſſunt, directè, propriè, & formaliter ſint Sacri & Eccleſiaſtici. *Reſp. Neg.* Nam ſic totus mundus, omniaque negotia hujus mundi formaliter eſſent Eccleſiaſtica: & nihil non Eccleſiaſtizari poſſet ſeu formâ Eccleſiaſticâ indui, uti fit in curiâ Romanâ: ſicuti contra nonnulli hodie quidvis ſecularizari poſſe putant, atque ita Eccleſiaſtico judicio & regimini ſubduci; quando malam cauſam Eccleſiis probare nequeunt. Objectivè ergo, & per extrinſecam denominationem, atque adeo indirectè aut per reflexionem & attingentiam quandam ad Eccleſiam, ejuſque Poteſtatem & Politiam multa pertinent, quæ formaliter & proprie non ſunt Eccleſiaſtica: cum hac differentiâ tamen quod *quoſdam actus* ipſa Eccleſia per ſe, aut, ſiquidem decoro & ædificationi Eccleſiæ magis conveniat, per quoſdam delegatos & à ſe conſtitutos exerceat, aut exercere poſſit, e. gr. redituum Eccleſiaſticorum cuſtodiam, quæſturam & rationes, eorundemque neceſſarium augmentum per mercaturam, aut alium quem honeſtum acquirendi modum, nec non diſpenſationem, templorum ædificationem, & curam, Scholarum item Eccleſiæ annexarum, petitionem defenſionis & favoris Principum, præventionem perſecutionum, aliorumque incommodorum: Alios non exercet nec exercere debet ipſa Eccleſia per ſe aut ſuos delegatos, ſed Principes & Politici Magiſtratus e. gr. defenſionem Eccleſiæ. Confer infra *Lib. 4. Tract. de Temporalibus Eccleſiæ. Conſectar.* Ex negligentiâ harum diſtinctionum, orta eſt miſeranda confuſio Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis; Epiſcoporum ſcil. & Papæ coactiva Poteſtas & uterque gladius, nec non Sacri Milites ſeu Equites Eccleſiæ, bella Papalia & Epiſcopalia, Clerici bellatores, Regum & Regnorum Cancellarii, Conſiliarii, Theſaurarii; & viciſſim Regum, Principum, patronorum prætenſæ regaliæ, inveſtituræ, præſentationes; adhæc epiſcopalis cura circa temporalia, cum negligentiâ ſpiritualium. De quibus infra *Tit. de Temporalibus Eccleſiæ* & *Part. 2. tit. de Jure Patronatus*, & *de Monachatu*; & *in Deſperatâ Cauſâ Papatus Lib. 3. ſect. 2. c. 30.* aliquid monuimus. Quod autem dicunt hæc omnia fieri ab Eccleſiaſticis in ordine ad ſpiritualia, & quia ſacris ſunt συνδέσμα, aut ſaltem talia ſine quibus ſacra rite adminiſtrari nequeant: id non magis ea facit Eccleſiaſtica, aut tanquam Eccleſiæ propria vindicat, quam omnes actus & functiones animales ac civiles, ut edendi, bibendi, dormiendi, ambulandi, ædificandi, agros colendi, veſtes ſarciendi, calceos ſuendi, fullonum, coquorum, cloacinorum, chirurgorum, cauſidicorum, prætorum, apparitorum, lictorum operas exercendi. Nam hæc & ſimilia partim remotè, partim propinquè, partim objectivè, partim præſuppoſitè & prærequiſitè tanquam ſine quo non, partim conſequenter habere poſſe ordinem ad Spiritualia & Eccleſiaſtica, nemo dubitare poteſt.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quæstionum Classis Secunda, circa Ecclesiæ Causas Efficientes.

SEquitur secunda Classis quæstionum circa causas efficientes Ecclesiæ. I. *Quæst.* An necessariò requirantur ordinarii & legitimè vocati Ministri, ad Ecclesiæ primam collectionem & institutionem. *Resp. Neg.* Ad bene esse requiritur quidem idoneus & exercitatus Minister, qui homines antea fidem nunquam professos per verbi prædicationem, & piam convictionem præparet, quique fideles, si qui illic sint, una excitet, manuducat, dirigat, omnibusque deliberationibus, collationibus, & stipulationi ac confœderationi præsit. Sed in casu necessitatis, siquidem Minister haberi nequeat, faciet Fidelis, aut ex Catechumenis quis (si alii nulli sint) maximè ad hoc idoneus, quod potest. Omnibus præparatis, & fœderatione constitutâ, si ne tunc quidem adhuc aliunde Minister evocari nequit, constituent ex suis, qui provisionaliter antecessorem agat in verbo, postea in ordinarium Ministrum confirmandus, si res ita tulerit. Vide nostram *Desper. Caus. Papat. lib. 2. sect. 2. cap. 21.* II. *Quæst.* An ordinarii Ministri necessario requirantur, ad primam Ecclesiæ institutionem; aut ad ejus successionem, continuationem, & propagationem? *Resp. Aff.* Ordinario, & ad integritatem organicam requiri. Potest tamen in casu necessitatis præparari & institui Ecclesia, potest etiam manere Ecclesia jam constituta: nec ideo dissolvi, quia deest Minister. Ecclesiæ quædam clandestinæ etiamdum hodie subinde & quidem satis longo tempore, sine Ministris subsistunt, utentes interea alloquiis & hortationibus Senioris, aut ægrotorum Consolatoris, aut Catechistæ. Confer quæ differimus *Desper. Causæ Papatus Lib. 2. sect. 2. c. 7.* & 12. & 19. & 21. imprimis *Lib. 3. sect. 1. c. 9.* III. *Quæst.* An Synodi sive Nationalis sive Provincialis, aut saltem Classici Conventus, aut vicinarum Ecclesiarum antecedens autoritas, & directio necessariò requiratur, ad primam Ecclesiæ alicujus collectionem & constitutionem; adeo ut, si quidem ea non adfuerit & præfuerit, Ecclesia illa constituta etiam per directionem Ministri aut Ministrorum ad illud evocatorum, nullo modo sit futura Ecclesia, & electio alicujus ordinarii Ministri nullo modo ad ipsam pertineat; & consequenter an institutio Ecclesiæ, & confœderatio Ecclesiastica jam inita, sit declaranda nulla, & de novo per Classem aut Synodum inchoanda? *Resp. Neg.* 1. *Quia* definitio Ecclesiæ institutæ particularis illi competit: neque enim formalitates illæ ac cautelæ cumulativæ, aut institutæ correspondentiæ ac mutuæ dependentię Ecclesiarum ad bene esse, ilico dicenda sunt absolutè necessaria:

Digitized by Google

saria essentialia requisita; quibus scil. deficientibus in statu rerum turbato, aut in extremo necessitatis casu, Ecclesia non esset Ecclesia. Provoco ad definitiones Ecclesiæ, & ad descriptiones primarum constitutionum ac collectionum, quæ apud *Theologos reformatos*, & *in publicis Liturgiis & Constitutionibus Ecclesiasticis* occurrunt. Nec etiam perpetua & communis praxis atque inviolata consuetudo hoc ita necessario servandum docet, ut nulli exceptioni locus relinquatur. Hic consulendæ sunt *Historiæ* quæ primas Origines & Plantationes Ecclesiarum, *tum* sæculo Apostolico (*Actor.* 8. 13.) *tum* post, describunt. 2. *Quia* alia est ratio Ecclesiæ, quæ ordine constituto jam talis actu est, atque insuper correspondentiæ Classicæ aut Synodicæ insita atque incorporata est; & alia Ecclesiæ in fieri, quæ primum in Ecclesiam colligenda ac formanda est, & consequenter nunquam membrum fuit aut partem fecit correspondentiæ & combinationis classicæ aut synodicæ. Quod si illa sine Classis aliquâ cognitione aut approbativo consensu negotia Ecclesiastica absolveret, quæ ex vi voluntariæ conventionis in correspondentiam classicam, absolvi non possent, utique ἀταξία committeretur. Sed hujus non eadem est ratio. 3. *Quia* electiones Ecclesiasticæ, & reformationes redintegratæ & iteratæ institutiones Ecclesiarum, re ita postulante & urgente necessitate, fieri possunt & debent à quibuslibet Ecclesiis particularibus, non expectato correspondentium & unitarum Ecclesiarum consensu, immo non obstante earum contrariâ protestatione: Ergo multo magis aliquo in casu prima constitutio & collectio Ecclesiæ per Ministrum aut Ministros ad id evocatos à fidelibus & auditoribus, aut à vicinâ Ecclesiâ aut Ecclesiis missos peragi poterit. Antecedens probatur & defenditur iisdem rationibus & exceptionibus, quibus avertimus ab Ecclesiis reformatis culpam schismatis & illegitimæ usurpationis. Vide infra *Part. 2. tit. de Vocationibus Ministrorum, & Lib. 2. Desp. Causæ Papatus sect.* 1. *c.* 5. & 9. & 10. & *Lib. 2. cap.* 12. 19. 21. 4. *Quia*, dato integritati & complemento istius constitutionis aliquid deesse, non tamen sequitur nullam esse constitutionem, nullam Ecclesiam. Uti pro reformatione, & vocatione Ministrorum reformatorum contra Pontificios Formalistas abunde probavimus in *Desp. Causa Papatus.* Conferendus etiam *Part. 3 tit. de Classibus & Synodis.* III. *Quæst.* An ergo Ecclesia non erit Ecclesia, nec poterit talis constitui, nisi prius constitutus & vocatus sit ordinarius Minister istius embryonis, seu Ecclesiæ in fieri, insuper Synedrium; aut vice versa, primò omnium constituatur Synedrium, deinde per illud Synedrium vocetur Minister, & sic demum constituantur membra Ecclesiæ & ex illis membris constituatur communitas seu societas Ecclesiastica? *Resp.* Hanc methodum & has formalitates tam esse necessarias, ut sint de essentiâ Ecclesiæ & consequenter ejus definitionem ingrediantur, indeque nota & κριτήριον veræ Ecclesiæ desumenda sint; hactenus ex *Scripturâ*, aut

etiam *Harmoniâ Confessionum*, & *Ritualibus ac Constitutionibus Ecclesiasticis*, aut etiam ullo Theologo reformato constare non potuit. Nolo repugnare si primo Minister mittatur à vicinis Ecclesiis, aut à vicinâ Ecclesiâ in messem aliquam, ubi nulla est Ecclesia, sed omnes à religione alieni: modo ne in Persarum & Medorum legem, aut perpetuam necessitatem hoc abeat, præcise scil. urgendam; etiam ubi jam sunt Fideles, immo & Ecclesia Fidelium constituta; & modo ne tota ratio Ecclesiæ constituatur in Ministro, aut in tribus quatuorve Senioribus & Diaconis; atque adeo ne ad Ecclesiæ institutæ rationem, membrorum formatio ac confœderatio, nullo modo pertinere putetur. Distinguenda est Ecclesiæ particularis essentia, ab integritate & perfectione ejus organicâ. Illa potest esse sine Synedrio: hæc minimè. Non pigebit, responsum IX. Kal. Maj. 1641. à me nomine nostræ facultatis conscriptum hic inferere. In eandem sententiam consulentes sibi tunc responsum dicebant à facultate Theologicâ Leydensi. Responsum nostrum tale est: *Angli quidam civitatem N. inhabitantes, ex quibus quidam erant membra Ecclesiæ Belgicæ, alii non, postquam Magistratum ejusdem Civitatis, ut stipendium alendo Ministro impetrarent, exorassent, in Angliam scripserunt, ad D. Parkum, probatum ibi Pastorem, ipsum solicitantes, ut familiam huc traduceret, & in Ministerio verbi apud illos sese exerceret, quoad membra formandæ Ecclesiæ idonea inter ipsos deprehenderet, agnoscentes ipsorum plurimos ad hoc adhuc inidoneos esse: ut ex ipsorum literis apud D. Parkum adhuc cernere licet. Primæ concioni D. Parkii interfuit unus ex Consulibus, una cum Ministro verbi, ut doctrinam ejus & modum docendi explorarent. Postea in curiâ à DD. Consulibus, approbantibus Pastoribus Belgicis, potestatem generalem sine ullâ restrictione, ut scilicet Anglis in Ministerio inserviret, accepit. Ad triennium Dei verbum summo studio apud illos prædicavit. Horum Anglorum quibusdam interea morientibus, quibusdam alio migrantibus, alii in ipsorum locum successerunt, qui tum post longam expectationem postularent formari aliquam Ecclesiam, in membra per confessionem fidei, & stipulationem obedientiæ, constituti sunt: hac cum intentione, ut omnes alii Angli, si qui in Civitate N. jam habitarent, aut aliunde advenirent, illi cœtui successivè adjungerentur, quotquot scilicet deprehenderentur ad illum idonei esse. Qui jam constituti & in societatem combinati erant, D. Parke in Pastorem elegerunt: cujus Electionis in cœtu publicatio facta est. Ministri Belgici hosce Anglos combinatos pro Ecclesia non agnoscunt, sed Ecclesiam de novo formandam urgent, idque ita, ut integram Ecclesiæ formationem, vel in vocatione Ministri, vel in formatione Synedrii, vel in utroque, constituere videantur, nullâ membrorum formationis mentione factâ, qui prius in communitatem sacram aggregarentur. Primò ergo volunt eligi Pastorem, secundò constitui synedrium; vel econtra, primò constitui synedrium, secundò Pastorem instituì. Hæc prima est controversia. Secunda est, quâ autoritate formanda esset Ecclesia?*

D. D.

D. D. Fratres Paſtores in civitate N. D. Parkio proponunt, utrum in Paſtorem vocari velit, vel per claſſem ſolam, vel per ſynedrium ſolum, vel denique à ſynedrio Belgico pari paſſu & authoritate cum Anglis? D. Parke contendit jus ipſum eligendi iis non debere eripi, qui per fœderatam conjunctionem eo modo, uti dictum eſt, in corpus coaluerunt.

Duo hic quæruntur.

Imo An tales fideles combinati, licet in initio non fuerint, ex eorum numero, qui Miniſtrum Anglicanum inſtituendum exorârunt, & à Magiſtratu obtinuerunt; neque etiam authoritate alicujus cœtus Eccleſiaſtici, ſive claſſicalis, ſive Preſbyterialis, ſed tantum D. Parke actionem iſtam moderante, in corpus colliguntur, eſſentialiter ſaltem Eccleſia Chriſti dici poſſint?

2. *An poteſtas Eligendi Paſtorem iis competere poſſit?*

Reſponſum.

Reſp. ad 1. Quæſt. *Ad quæſtiones propoſitas (ſalvo aliorum judicio) hic Reſpondemus ad priorem,* Aff. *eſſe & dici poſſe eſſentialiter veram Eccleſiam Chriſti, externam ſcilicet, viſibilem, inſtitutam, parochialem, particularem; nam de tali quæritur: Rationes ſunt iſtæ.* 1. *Quia definitio Eccleſiæ illi competit, nec unquam probabitur formalitates hic memoratas, quamvis concederentur eſſe utiliſſimæ atque adeo optimo conſilio hic aut alibi obſervari ſolitæ, ingredi definitionem Eccleſiæ, aut eſſe ſimpliciter & abſolute neceſſarias, ita ut iis ſublatis tolleretur illico Eſſentia Eccleſiæ; Quod autem dicimus de definitione Eccleſiæ, patebit ex inductione omnium definitionum, quæcunque apud Reformatos Theologos occurrunt.*

2. *Quia nec Confeſſio Belgica, nec Liturgiæ, nec Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, omnes iſtas formalitates modo memoratas, circa primam collectionem & inſtitutionem Eccleſiæ, præſertim extraneæ ſeu non-Belgicæ, quæ cum correſpondentia Claſſica Claſſis Belgicæ nondum coaluit, præciſe obſervandas præſcribunt. Et dato omnes aut aliquas præſcribi, hinc tamen non ſequeretur, earum omiſſione aut violatione omnem Eccleſiæ eſſentiam tolli; neque enim omnes conſtitutiones Eccleſiaſticæ æque ſunt neceſſariæ, aut de rebus æque neceſſariis.*

3. *Quia ne conſuetudo quidem aut communis praxis in prima inſtitutione & formatione Eccleſiarum Anglicanarum Belgii (ne quid dicamus de prima formatione Belgicarum, jam inde à prima Reformatione uſque in hunc diem) talem ordinem facit neceſſarium, & perpetuo obſervandum. Provocamus ad origines Eccleſiarum Anglicanarum, Leidæ, Ultrajecti, Middelburgi, Arnemi, Vliſſingæ, Veriæ, Hagæ-Comitis, Delphis, Silvæ-Ducis &c. Et quamvis contraria praxis aliqua oſtenderetur, inde tamen lex univerſalis fieri non poſſet, nedum ut eſſentia Eccleſiæ ab illa ſuſpendatur.*

Digitized by Google

4. *Quia contrariâ ſententiâ admiſsâ, non videmus quid futurum ſit, arduis illis diſputationibus, noſtrorum contra Papatum, de perpetua ſucceſſione Eccleſiarum, ſæculis aliquot ante Lutherum, de Eccleſiarum legitimâ Reformatione, & à Romanâ ſeceſsione, de primâ reformatarum Eccleſiarum collectione, & conſtitutione, de legitima miniſtrorum vocatione, ante reformationem cum & in Reformatione, & poſt eam. Velimus experiri aliquem & veſtigiis Illyrici, Pleſſæi, Uſſerii, aliorumque complurium inſiſtere.*

Ad Quæſt. *Poſteriorem* Reſp. Aff. *Et ad diſputationes noſtrorum pro Electionibus Eccleſiaſticis in prima collectione, ac reformatione Eccleſiarum noſtrarum provocamus; Qualiſcunque enim conſueta formalitatis, aut integritatis defectus, hic pretendi queat, non tamen efficietur eſſentiam electionis Eccleſiaſticæ plane abeſſe. 2. Adhæc rei aut ordinis alicujus eſſentiam, & legalitatem, aliter in ortu, & aliter in actu conſiderandam eſſe, docent reſolutiones multorum caſuum circa vocationes miniſtrorum, conſtitutiones Principatuum, & Magiſtratuum, contractus ſponſalium, & connubiorum, &, quæ analogicè huc applicanda. 3. Denique quicquid eſſet de ſuprema directione, ac præfecturâ claſsis, aut Synodi circa primam collectionem, & formationem Eccleſiæ Anglicanæ, ut & circa vocationem Miniſtri, aut ſaltem circa approbationem Miniſtri ab Eccleſia electi iſtic aut etiam ubique per totum Belgium, lege & conſuetudine ſtabilitum: non videmus tamen quomodo Synedrio Eccleſiæ particularis Belgicæ jus illud applicetur; aut quis ſtabilitus ordo jubeat Synedrium illud, cum Anglis Eccleſiæ Belgicæ & Anglicæ membris, ſive æquali ſive inæquali tum poteſtate tum ſuffragio, ad electionem concurrere. Quodſi electio tali modo peragatur, nolimus dicere eſſentiam vocationis ibi abeſſe: abſit, ſed commonſtrari velimus, aut demonſtrationem Theologicam, aut conſtitutionem Eccleſiaſticam, aut ſaltem communem Eccleſiarum noſtrarum & probatam praxim quæ talem Electionis formam præſcribat, & poteſtatem illam particulari ſynedrio vindicet; jure ſcilicet vicinia proximæ, aut propagationis, & coloniæ (ita loqui liceat) Eccleſiaſticæ, aut quocunque alio: ſiquidem Auditores illi Belgæ eſsent, & Claſsicæ correſpondentiæ incorporati & concorporati, utique abſque dubio ſecundum conſtitutiones Eccleſiaſticas jus vocationis claſſi competeret, eo tamen adhibito temperamento & moderamine, ut nullus alius conſtitueretur, quam quem auditores aut membra iſtius cætus potioribus ſuffragiis priores deſignaſſent, ac poſtulaſſent, aut à claſſe prius deſignatum ac propoſitum præ aliis ſibi ſelegiſſent; uti perpetua praxis, & acta Eccleſiaſtica hoc temperamentum adhibendum docent. Videantur inter alia, acta Synodi Briellanæ 1623. Artic. 7. Ubi de vocatione Cralingenſi.*

Atque hæc breviter ad caſum propoſitum reſpondimus: obteſtati ut Fratres, inter quos hæc controverſia orta eſt, utrinque conferant quæ determinationem hujus negotii accelerent, imprimis hâc rerum tempeſtate, quâ Hierarchiæ Epiſcopali in Anglia ſulciendæ & retinendæ nulla potior ſpes affulget, quam à contemptu

temptu & traductione reginimis claſsici in Belgio; cujus occaſionem quin ex his & ſimilibus controverſiis avidè arrepturi ſint οἱ ἐπιτηδεύοντες, nemo dubitare poterit; qui rerum Anglicarum aliquo modo peritus.

Ultrajecti 9. Cal. Majas 1641.

Gisbertus Voetius Theol. in Acad. Ultraject. Profeſſor
Meinardus Schotanus Profeſſor Theologiæ ibidem
Carolus de Maets Profeſſ. Theol. in Acad. Ultraject.

IV. *Queſt.* An Magiſtratus conſenſus non tantum, ſed & formalis atque explicita ſive antecedens directio, ſive ſubſequens ratihabitio ac confirmatio, ad eſſentiam Eccleſiæ inſtitutæ requiratur? *Reſp.* De conſenſu ſeu permiſſione aut ſaltem tacitâ conniventiâ concedimus in Eccleſia apertâ, quæ ſine eâ convenire, & ſacra ſua exercere non poteſt: ſiquidem Magiſtratus ea impedire vellet. In occultâ & clandeſtinâ vero negamus: tunc enim conſenſus nec expectari, nec poſtulari debet. Quod ad primam Apoſtolicam Eccleſiam, ea clam non tantum convenit, ſed & palam poſteà erupit, *Actor.* 1. coll. cum *Act.* 2. &. 4. & 5. & 6. abſque ulla permiſſione, immo contra expreſſam prohibitionem Magiſtratus *cap.* 5. Sed illi Magiſtratus Judaici non erant ſoli, aut ſupremi, aut abſoluti; relinquebatur enim provocatio ad ſuperiorem, Cæſarem ſcil. immo & à Præfectis ac Præſidibus provinciarum libertas ac permiſſio (quamvis invito & ringente Magiſtratu particulari) expectari poterat. Vide *Actor.* 23. & 24. & 25. & 26. Exemplum hoc primæ Eccleſiæ reformatæ in Belgio, & in Galliâ paſſim imitatæ ſunt: querentes permiſſionem modo à ſupremo, modo ab inferiori magiſtratu. Deinde diſtinguenda eſt directio antecedens & conſequens. De antecedente & autoritativa directione *Neg.* De ſubſequente & quaſi cumulativâ rati-habitione ac confirmatione Politicâ in Eccleſiâ publica. *Aff.* Hæc enim propria poteſtas Magiſtratus circa Eccleſiaſtica: quam diſtinctè explicamus *tract. ſequ.* in determinatione quæſt. *Penes quos ſit Poteſtas &c.* V. *Quæſt.* An neceſſariò requiratur liber & expreſſus conſenſus declaratus per ſinceram fidei profeſſionem, ac ſolemnem promiſſionem, tum omnium confœderantium in primâ inſtitutione, tum ſingulorum de novo accedentium in ſucceſſione Eccleſiæ; an vero ſufficiat tacita ſeu implicita? *Reſp. Aff. Pr. Neg. poſt.* Atque una ſuadetur ac defenditur perpetua praxis Eccleſiarum Belgicarum, ſupra *cap.* 1. §. 6. à nobis explicata. 1. *Quia* ut implicita fides in corde non ſufficit, (uti noſtri docent contra Pontificios), ſic nec implicita fides in ore, hoc eſt, profeſſio fidei abſque apertâ profeſſione. Vide *Rom.* 10. 9. 10. & 1 *Petr.* 3. 15. *Actor.* 19. 1. 2. 3. & 8. 37. 1 *Joh.* 4. 2. 3. 15. 2. *Quia* cum nemine confœderatio & unio Eccleſiaſtica inſtituenda eſt, nemo ad eam admittendus, aut in eâ retinendus, niſi quem judicio caritatis judicamus eſſe ſanctum

Digitized by Google

ſanctum & domeſticum Dei, ovem Chriſti, & regni filium; uti patet ex definitione, & notis Eccleſiæ. Atqui hoc ſcire non poſſumus 1 *Cor.* 2. 11. niſi ipſe ſe declaret & verbis, & factis. Neutra autem declaratio tacitè & implicitè peragi poteſt; niſi admodum equivocè; ut ſit confeſſio non confeſſio. De declaratione per opera pietatis & exercitia religionis, nemo negabit. Hæc enim niſi adſit, unde colligam quem eſſe ſanctum & religioſum? Non enim ſufficit hic illud quod de bono aut utili cive uſurpare ſolent JCC. *Tamdiu quis præſumitur bonus, donec non probetur malus.* Ne dum, ut ſufficiat in profeſſione fidei paralogiſmus iſte ex ἀκόντων: Eſt noſtræ religionis & orthodoxus; quia nondum convictus eſt, quod vomuerit blaſphemias, aut apertè & conſtanter profeſſus ſit atheiſmum, apoſtaſiam, hæreſim. 3. *Quia* Eccleſia eſt caſtrorum acies ordinata, domus Dei, in quâ omnia εὐχημόνως & ἐντάκτως fieri debent, Politia & collegium accuratiſſimè inſtitutum: uti ex Scripturis notum. Jam verò non careret magnâ confuſione, ſi abſque delectu, inſcriptione, ſtipulatione, promiſſione conformitatis per omnia ſtatuta, accederet, diſcederet promiſcuè quilibet: quod in cœtibus, collegiis, ſocietatibus, fratriis, confœderationibus, conventionibus hujus mundi haut licitum. 4. *Quia* omnes fideles debent eſſe lux in domino: atqui quomodo de ſe mutuò hoc cognoſcent, niſi profeſſione externâ lucem euangelii prætendant *Philip.* 2. *v.* 15. 16. atqui hoc implicitâ ſeu virtuali profeſſione & fœderis ſuſceptione ac declaratione non magis fieri poteſt, quam lucernâ ſubtus modium repoſitâ. 5. *Quia*, varia incommoda & abſurda hinc ſequerentur. *Primum* eſt, quia ſi ignoti & aliundè adventantes abſque explicitâ profeſſione & promiſſione ſe adjungerent Eccleſiæ, poſſet brevi tempore Eccleſia inſtar ſagenæ impleri malis piſcibus, hoc eſt, hominibus heterodoxis, & profanis. *Secundum*, quia ſiquidem, omnes promiſcue accederent, uti homines ſunt membra Politiæ & noti atque antiqui incolæ urbis, idem incommodum exſpectandum: præterquam quod ἀνισορροπῇ & adæquatione iſtâ Politiæ cum Eccleſiâ, facilis prolapſus eſſet in mixtionem heterogeneam & monſtroſam metamorphoſin, quam *præced. cap.* indicavimus. *Tertium* eſt, quia in eo regnum Chriſti (quod non eſt de hoc mundo) conformatur regnis & Politiis mundanis: ubi ſufficit tacitus & implicitus hominum in corpore populi ſuccedentium conſenſus ad ſucceſſionem imperii in certâ aliquâ familiâ fundandam: quin immo velint nolint hi aut illi privati homines, ſucceſſionis jura admittere tenentur. Sed longè aliter ſe res habet in Eccleſiâ Chriſti, quæ eſt populus ſpontaneus *Pſal.* 110. *Quartum*, videtur talis ſententia & praxis juſtificare ſemi-Libertino-politicas ſeu ſecularizatas & προσκαίρους Eccleſias: qualium ſpecimen & exemplum benè ordinatis Eccleſiis in Belgio directè oppoſitum, dedit Patrum noſtrorum memoriâ cœtus in templo (dicto Jacobi) in hâc Urbe noſtrâ colligi ſolitus; ubi promiſcuè abſque fidei confeſ-

ſione

ſione, promiſſione, & confœderatione; abſque certo fidei & cultus typo & formulâ, abſque examine doctrinæ & vitæ, abſque certo ordine, regimine, diſciplinâ οἱ πόχοντες cœnam percipiebant, qui modo accedebant. Quam informem Eccleſiæ formam omnes Eccleſiæ Belgicæ condemnabant, & tantum apud Paſtores ejus ac inclytum hujus urbis Senatum efficiebant, ut ad unitatem ac conformitatem cum hâc noſtra tunc γνησίως reformatâ & presbyteriali Eccleſiâ redigeretur. Juniores aliquando legant hæc apud celeberrimum & diligentiſſ. Belgarum Hiſtoricum *Petrum Borre tom.4.* Ex hujus problematis determinatione colligimus hoc *Conſect.* 1. Non eſſe omnes urbis incolas vicatim & κατὰ παροικίας diſtributos in ſuis quoſque templis convenientes ad communionem recipiendos, nedum compellendos; eo ipſo quia cives ſunt & parœci politici. 2. *Conſectar.* Poſſe tamen & debere omnes illos & ſingulos, aut ſtatis temporibus, aut quâcunque occaſione, ſpirituali Miniſtrorum & Seniorum alloquio & hortatione compelli ut intrent: hoc eſt ut audiant, aut ſi audiant ut debito ordine & modo inter competentes nomen ſuum profiteantur, & præmiſſis inſtitutionibus atque explorationibus præparatoriis, & ſolenni fidei profeſſione editâ, Eccleſiæ nomen dent. Quod laudabili more fieri in Eccleſiis noſtris ſupra *cap.* 1. indicavimus.

VI. *Quæſt.* An ſufficeret tacita & implicita ſeu virtualis profeſſio & promiſſio in receptione illorum, qui in *Eccleſiâ* nati & baptizati ſunt, quin etiam inter auditores hactenus numerati? *Reſp. Neg.* quia gratia baptiſmalis (ut nonnulli eam appellant) & implicita illa confœderatio, immo & internum ſemen veræ regenerationis poteſt alicubi eſſe, ubi tamen non eſt actualis converſio & fides, ſaltem nulla fidei actualis profeſſio. Sicuti ergo tales ſeipſos explorare tenentur, ſic eoſdem Eccleſia, quantum fieri poteſt. Vide *Quæſt. Catech.* 81. 82. VII. *Quæſt.* An profeſſio fidei & promiſſio ſolennis, continere debeat exſertam ſeu explicitam renuntiationem apoſtaſiæ, aut hæreſeos, aut errorum, in quibus quis vixit. *Reſp.* Quidni? Sic hodie Judæus nullus ad communionem Eccleſiæ recipitur ſine rejectione Judaiſmi. Idem obtinet in receptione Muhammedanorum. Vide *Niceta Choniata Theſaurum*, ubi formula renuntiationis. Apud nos idem ſervatur in receptione Anabaptiſtarum, Remonſtrantum, Socinianorum, Pontificiorum, & ſi qui ex aliis ſectis ad nos tranſeunt. Conſulent aliquando rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſi, *Decreta Synodorum Zuyd-Hollandicar. anni* 1619. & 1623. & 1628. & 1629. (quibus mihi intereſſe contigit), ſuper receptione & reconciliatione reductorum Remonſtrantium, multâ ac maturâ cum deliberatione condita. Quæ omnia διὰ τὸ πολὺ diſſident ab implicitâ profeſſione. Quin ipſi Pontificii exſertam ejurationem errorum & profeſſionem fidei imponunt infidelibus, Græcis ſciſmaticis, & hæreticis (ipſorum judicio); ut videre eſt apud *Poſſevinum Bi-*

blioth.

blioth. ſelect. Lib. 6. p. 281. & *Thomam à Jeſu de Procreandâ Salute omnium Gentium, infidelium, ſectarum &c. Lib. 12. cap. 1. p. 866.* nec non articulis abjurationis Monachorum Burdegalenſium, quos operibus ſuis inſertos refutavit *Antonius Zadeel.* Hanc praxin (ſiquidem debitè applicetur) docet exemplum Eccleſiæ Apoſtolicæ *Actor. 19. v. 18. 19.* VIII. *Quæſt.* An etiam peccatis renuntiandum, immo & propria præterita peccata confitenda, & pœnitentia eorum publicè declaranda? *Reſp.* Determinamus iſtis concluſionibus. 1. *Concl.* In genere ut omnibus peccatis, atque adeo diabolo, carni, & mundo renuntietur, eſt omnino neceſſarium: habetque hoc formula & praxis communis recipiendi membra Eccleſiæ. Vide in *Antiquis Liturgiis Belgicis*, **hoyt onderſoeckt** &c. *ad finem.* Nec fieri poſſunt conciones confeſſionales fidei (quæ Cœnæ adminiſtrationi apud nos præmittuntur), nec examina competentium, niſi tertia pars Catecheſeos noſtræ percurratur; ubi de gratitudinis & novæ obedientiæ ſtipulatione 2. *Concl.* In ſpecie etiam & in particulari illis peccatis exſertè & ſolenniter renuntiari poteſt, quæ illic communiter graſſantur, & quæ aut ſcandala præbent adverſariis & infirmioribus, aut occaſionem in alia graviora prolabendi. Ita olim in antiquâ Eccleſiâ non admittebantur, niſi cum abrenuntiatione pomparum & ſpectaculorum: de quo vide quæ ex antiquitate notarunt *Ambroſius Vicecomes Lib. 2. de Ritibus Baptiſmi cap. 16. & 20. Johannes Stephanus Durantis de Ritib. Eccleſ. Lib. 1. c. 19. §. 31.* Et *Rittershuſius ad Salvianum de Gubernatione Dei Lib. 6. p. 207.* Quibus præluxit exemplum Eccleſiæ Apoſtolicæ *Actor. 19. v. 19.* Hinc etiamnum hodie in quibuſdam Eccleſiis Reformatis ille mos ſervatur, ut ſigillatim omnes ad Eccleſiæ communionem admittendi renuncient e. g. choreis, in hac noſtra aliſque Eccleſiis; ubi ſcil. metuendum eſt, ne à loci conſuetudine, aut Pontificiorum conſortio cacoëthes illud noſtris affricetur. 3. *Concl.* Peccata præterita in genere & indefinitè confitenda ſunt, tum originale tum actualia, etiam imperfectiones, quæ etiamnum adhærent, & cum quibus quotidie luctandum eſt. Aliter enim examen & profeſſio fidei peragi non poteſt, juxta doctrinam Catecheticam *Quæſt. 5. 8. 12. 56. 60. 89. 114. 126. 127.* & formulam adminiſtrationis Euchariſtiæ *in Liturgia Belgica.* Huc faciunt Homologeſes ſeu peccatorum *Confeſſiones* in *Liturgiis Gallica, Belgica, Anglica &c.*; & mos ille, qui olim in Palatinatu obtinuit (vide *Liturgiam* ſubjectam *Catecheſ. gr.-Lat. Sylburgii*) & etiamnum hodie obtinet in nonnullis Eccleſiis Belgicis, ut in concione confeſſionali, quæ præmittitur celebrationi Cœnæ, inter alia interrogata, Eccleſia de agnitione & ſenſu peccatorum, clarâ voce reſpondeat. *Ita.* Eſtque hæc praxis receptionis membrorum conformis praxi Joh. Baptiſtæ, & Apoſtolorum *Matth. 3. 6. Actor. 2. 37. 38. & 19. 18. 19.* 4. *Concl.* Peccata præterita ut ſinguli in membra Eccleſiæ recipiendi in ſpecie & definitè coram Eccleſiâ, aut

Preſ-

Presbyterio, aut Ministro profiteantur, nec semper necesse est, nec etiam utile ut plurimum. Huc accersendę & applicandę rationes, quibus Papistarum confessio auricularis oppugnari solet. Aliquando tamen aliquo in casu, & alicubi hoc utilissimum esse, constat ex *Actor.* 19. *v.* 18. 19. quando scil. horrenda sunt flagitia & publicè nota, in quibus quis vixit; aut quando vitæ genus seu occupatio, quam antehac sectatus est, tota fuit illicita; aut quando peccato alicui aut peccatis aliquibus strenuè militavit secundum legem & conscientiam apostasiæ, aut sectæ, quam hactenus professus est; aut quando talia sunt scelera, quæ hominem coram mundo & apud civiliter honestos plane infamem reddunt. e gr. si Papatu deserto ad communionem Ecclesiæ nostræ accederet consiliarius sanguinarius, persecutor Ecclesiæ, Inquisitor hæreticæ pravitatis, an non ad exemplum Pauli 1 *Tim.* 1. *v.* 13. 1 *Corinth.* 15. *v.* 9. *Actor.* 22. *v.* 20. & 26. *v.* 9. 10, 22. publicè confiteri & detestari deberet illud speciale suum peccatum? Et cur non idem judicandum de publico Lenone, Mago, Blasphematore, Epicureismi Buccinatore &c? In antiqua Ecclesia Actores scenici, Sacerdotes Ethnici, non recipiebantur, nisi exsertè hæc vitia confiterentur & abjicerent: De quibus alibi quid notamus. Confer *Antiquitates de renunciatione* modo cit. IX. *Quæst.* An particularem modum conversionis suæ publicè referre debeant admittendi ad Ecclesiam, cum scil. fidei suæ confessionem edunt. *Resp.* 1. *Concl.* Ut ordinarium & necessarium hoc sit *Neg.* 1. *Quia* non videmus hoc in Scripturâ præscribi. 2. *Quia* Occasiones & proxima antecedentia conversionis aliæque circumstantiæ aliquando tales esse possunt, ut publicè eas referri non expediat: nisi aut fratres aliquos in periculum conjicere, aut etiam nobis ipsis, aut Ecclesiæ, & religioni itrisiones hostium conciliare velimus. 3. *Quia* non rarò secum traheret confessionem occultorum coram hominibus, qui exprobrare possunt: cum confessio coram Deo sufficiat, & tutior sit. 4. *Quia* necessitatis rationem nullam videmus; nisi ut admittendus hâc ratione ex istis gnorismatis, Ecclesiæ aut Presbyterio probet sinceritatem suæ conversionis. Sed quidquid hic referant & declarent, manet tamen illud Apostoli 1 Cor. 2. *Nemo novit &c. nisi spiritus hominis* &c. & *Philosophi lib.* 1. *de Interpret. c.* 1. alii aliorum mentes introspicere non possumus. Sufficit itaque generalis declaratio resipiscentiæ, fidei, & conversionis. 5. *Quia* videtur hæc sententia hoc lemma præsupponere, Posse scil. semper sciri, & enarrari peculiarem modum conversionis. Quod non satis convenit cum *Joh.* 3. *v.* 7. 8. Deinde sunt, qui ab infantiâ regeniti absque magnâ concussione & mutatione ab in eunte ętate paulatim conversi sunt, ita ut primum initium & modum originis referre non possint. Conf. 2. *Part. Select. disp. titt. de Regeneratione & de Simplicitate & Hypocrisi:* ubi hoc quorundam πειρασμὸν tanquam fallax notamus. 2. *Concl.* Potest tamen aliquando exemplo Pauli *Actor.* 22, & 26.

talis enarratio fieri, & quidem publicè, imprimis cum modus & circumſtantiæ converſionis fuerunt raræ & extraordinariæ, idque ad gloriam miſericordiæ & potentiæ divinæ, ad commendationem veritatis, ad aliorum ædificationem aut convictionem. Vide exemplum Pauli *Actor.* 22. *v.* 6.-- 21. & 26. *v.* 12.-- 21. *In Vitis Sanctorum* coram toto mundo nonnunquam modus converſionis eorum ab erroribus aut vitâ peccati refertur. Nec pudûit *Auguſtinum in Libris Confeſſionum* converſionem ſuam à Manicheiſmo, aliaque de vitâ & moribus ſuis publicare. X. *Quæſt.* An fidei profeſſio, & promiſſio, hoc eſt, ſacra hæc confœderatio ſolenni juramento & ſubſcriptione confirmanda ſit? *Reſp.* 1. *Concl.* Non eſt hoc ſimpliciter, aut ubique aut ſemper neceſſarium: nec hoc docet praxis Apoſtolica. 1. *Quia* ordinario ſufficere poſſet, ſolennis illa promiſſio coram totâ Eccleſiâ, aut coram Synedrio & multis teſtibus præſtita. Imprimis cum fiat de & in negotiis Dei, coram oculis & in domo ipſius, Eccleſiâ ſcil. Juramentum autem eſt πέρας πίστεως ἀντιλογίας, introductum propter hominum pravitatem. 2. *Quia* longiſſimè recedendum eſt à malo illo more clericorum Papalium, qui nimis temere diris, execrationibus & animæ oppignoratione cauſam ſuam confirmare ſolent 3. *Quia* fidelium hoc proprium eſt, quod ſint ἀπλοϊκοῖς, ſinceri, & ſimplices, inſtar ovium & columbarum. Cavendum ergo, ne abundanti iſta cautelâ & περιεργίᾳ aliquo modo in dubium trahi videatur ipſorum proprium quarto modo, 2. *Concl.* Simpliciter tamen non eſt illicitum ut ad abundantiorem cautelam, aut propter adverſarios, aut propter extraordinarias hominum nequitias, fraudes, & deceptiones, aut propter aliam aliquam juſtam cauſam, id fiat. 1. *Quia*, in renovatione & inſtauratione fœderis ſacri tale quid factum 2 *Paral.* 15. *v.* 12. 13. 14. 15. *Neh.* 9. 38. & 10. *v.* 1. .... 31. quidni ergo aliquo in caſu in primâ inſtitutione fœderis hoc fieri poſſet. 2. *Quia* juramentum aſſertorium, & promiſſorium in negotio confeſſionis, profeſſionis fidei, amplexus Eccleſiæ ejuſque cauſæ fieri poteſt: uti docet exemplum Pauli 2 *Cor.* 1. 23. *Rom.* 9. 1. Quod conjunctum cum exemplo populi Dei 2 *Paralip.* 15. & *Neh.* 9. & 10. imitati ſunt Rex & Proceres in regno Scotiæ anno 1581. & Eccleſiæ Gallicæ in Synodo Nationali Alezianâ anno 1619. in quâ recipiunt & confirmant doctrinam Synodi Nationalis Dordraceno-Belgicæ contra hodiernos Pelagianos. Et rurſum Proceres Miniſtri ac Populus in regno Scotiæ an. 1638. ac nuper anno 1643. Proceres, Miniſtri, & Populus in regnis Scotiæ & Angliæ confœderatione ſolenni unitis. Huc confer quæ alibi nobis dicta ſunt de oppignoratione animæ pro doctrinâ & causâ ſuâ, deque juramento in formulam publicam aut Eccleſiarum confeſſionem. *Part.* 3. *ſelect. Diſpp. tit. de Juramento religionis.* 3. *Quia* non tantum orales coram totâ Eccleſiâ declarationes, ſed & ſubſcriptiones ordinariæ Miniſtrorum, Seniorum, Diaconorum apud nos non ſine ratione expe-

cun-

tuntur: non eſſet ergo abſurdum aut illicitum, ſi aliquo in caſu, & propter rationes modo memoratas à membris Eccleſiæ ſubſcriptio poſtularetur. 4. *Quia* juramenta & ſubſcriptiones in quibuſvis confœderationibus & conventibus magni momenti locum habent: & quidni in Sacris & Eccleſiaſticis: ſiquidem neceſſitas ita poſtulet. *Conſectar.* Rejicimus hic juramenta in obedientiam Papæ, in Concilium Tridentinum; adhæc abjurationes doctrinæ & Eccleſiæ reformatæ; inſuper juramenta inquiſitoria, & ex officio. Breviter omnia juramenta, omnes ſubſcriptiones ſacras, quæ non fiunt in juſtitiâ, veritate, & judicio. XI. *Queſt.* An præſtet profeſſionem fidei à candidatis ſeu competentibus edi continuâ oratione; an vero per examina, & interrogationes ac reſponſiones; uti fit in noſtris Eccleſiis? *Reſp.* Poſterior modus communiter & ordinario præferendus: ſi quis tamen ſe offerat, qui ipſe continuâ oratione hoc præſtare poſſit, & objectionibus ac ſcrutiniis aliorum ſatisfacere, nolumus invidere aut repugnare. 1. *Quia* inter vicenos aut forte quadragenos candidatos vix unus eſt, qui idoneè hoc facere poſſit. A candidatis miniſterii ſi hoc exigatur: utique laudandum eſt. Rarum eſt quod idiotæ catechumeni aut auditores conceptus & hypotypoſes ſaniorum ſermonum tam accuratè, perſpicue & methodicè formare poſſint; quid dicam decenter pronuntiare. 2. *Quia* hâc ratione abſterreri neceſſe eſt & detineri à profeſſione fidei pleroſque etiam piiſſimos, & quidem per multos annos, immo forte ad finem vitæ. Hoc non eſt agendum ut Eccleſiæ inſtitutæ ſint vacuæ, aut fere nullæ: non minus, quam ne ab altera parte ſint pandochia, & haræ porcorum, aut ſentina ignorantiæ, teporis, hypocriſeos &c. XII. *Queſt.* An nulli ſint admittendi, niſi qui in in examine & profeſſione fidei, ad interrogata ſuis verbis rectè & accuratè reſpondere queant. *Reſp. Neg.* Ut enim in regno gratiæ gradus ſunt fidelium, ſic & candidatorum: quod ad cognitionem, fidem, prudentiam, fortitudinem, aliaſque virtutes. Poterit ergò illis, quibus pauca cognitionis aut δυνάμεως ἐμπνευσικῆς talenta collata ſunt, & tamen dociles ſe præbent, ſufficere pro illo tempore ſincera declaratio ad plurimas aut ad pleraſque interrogationes propoſitas, per ſimplicem affirmationem, aut negationem. XIII. *Queſt.* An ſolennis profeſſio fidei, promiſſio, & confœderatio ſit peragenda in panegyri ſeu cœtu ordinario Eccleſiæ; an in & coram ſynedrio; an vero privatim per miniſtrum ab Eccleſiâ aut ad certum caſum ſeu ad τὸ ἄπαξ recipiendum, aut pro aliquo tempore ad omnes recipiendos, aut perpetuo ad hæc negotia delegatum? *Reſp.* 1. *Concl.* Ut fiat publicè & coram totâ Eccleſiâ ſive poſt concionem confeſſionalem, ſive poſt præparatoriam, ſive alio in conventu ad id ſpecialiter convocato; videtur proximè cum praxi Chriſti, Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolicâ convenire. *Matth.* 3. *Marci.* 1. *Joh.* 1. *Actor.* 2. & 4. & 13. & 16. & 17. ..... 2. *Quia* magis convenit hoc libertati &

Digitized by Google

poteſtati, quæ univerſæ Eccleſiæ, tanquam ſubjecto adæquato, à Chriſto conceſſa eſt: ut ſcil. hæc & ſimilia agenda non fiant ſine ipſius conſcientiâ, & approbatione. Confer *Tract. ſequ. de Poteſtate & Politia Eccleſiarum.* 3. *Quia* adulti ad Baptiſmum & communionem Eccleſię admittendi, in pleriſque Eccleſiis (imprimis ibi locorum, ubi admodum viget ſecta Anabaptiſtica) publicè coram totâ Eccleſiâ examinantur & fidem profitentur. 4. *Quia*, initio in pleriſque Eccleſiis Belgicis ita fieri ſolet; & memini ego ante annos aliquot antiquum & primigenium illum morem adhuc alicubi obtinuiſſe. In Germanicis, Gallicis, aliiſque quid hodie fiat, nunc non ita novi, nec vacat inquirere. Saltem in antiquâ Eccleſiâ hoc jam inde ab Apoſtolis per aliquot ſæcula fuiſſe obſervatum, conſtat ex iis, quę de ritu & modo Baptizandi in antiquitate occurrunt. Ut iſtorum guſtum habeant ſtudioſi & compendio ſtudeant, conferant aliquando *Joſephum Vicecomiten de Ritibus Baptiſmi lib. 2. cap. 24.* 5. *Quia*, ad omnes pertinet agnitio fratrum & membrorum; & conſequenter cognitio profeſſionis & receptionis eorum. 2. *Concl.* Ubi propter rationes à circumſtantiis locorum, temporum, perſonarum deſumtas, Eccleſia aliqua conſuevit in conclavi Eccleſiaſtico coram Synedrio hunc ſolennem actum abſolvere; hoc ſaltem obſervandum ut apertis foribus hoc fiat & tam catechumenis quam fidelibus acceſſus pateat. 1. *Quia* tanto propius analogum erit profeſſioni coram cœtu Eccleſiaſtico publicè ad hoc congregato. 2. *Quia* unâ operâ multi ædificari poterunt, & multorum precibus atque euchariſtiis Deus glorificari, & negotium Eccleſię promoveri. 3. *Quia* auditores catechumeni & competentes tanto melius & tutius ſe præparant ad confeſſionem fidei ſuę aliquando aut propediem edendam. Qui fructus apud nos longè uberrimus eſt. Hodie in Eccleſiis Belgicis morem hunc obtinere arbitror; ſaltem de multis, inter quas hęc Noſtra, certò ſcio. 3. *Concl.* Ubi propter urgentes rationes Eccleſia ſubinde hâc *συγκαταβάσει* utitur, ut in domo Miniſtri, aut privatim abſque Synedrio & confluxu auditorum in conclavi Eccleſiaſtico per delegatum Miniſtrum aut Miniſtros, cum Seniore uno atque altero examen & ſolennem confœderationem exequatur (quod tamen ordinariò & communiter, fieri non expedit, ne præſtantior ordo modo deſcriptus planè in deſuetudinem abeat, aut *προσωποληψία Jacobi* 2. thronum ſuum ſtabiliat); hoc imprimis agendum eſt, ut adſit unus atque alter Senior, 1. *Quia* Seniores partem faciunt Synedrii delegantis, non minus quam Miniſtri. 2. *Quia* Seniorum eſt attendere ad inviolatam puritatem doctrinę tum Miniſtri examinantis, tum membri ſeu catechumeni fidem profitentis. De quo vide *Liturgiam Belgicam rit. de Confirmatione Seniorum.* 3. *Quia* Seniorum eſt attendere ad regimen & rectam conſtitutionem Eccleſię. Bona autem pars regiminis conſiſtit in delectu & receptione membrorum. 4. *Quia* hâc ratione omnibus conceptibus oligarchicis,

chicis, ſi qui circa regimen Eccleſię ſuboriri poſſent aut Miniſtris aut membris, ipſo facto & exercitio occurritur. 5. *Quia* membra Eccleſię jam conſtituta & recepta etiam Seniorum curę & inſpectioni, variiſque actibus viſitationum, reprehenſionum, admonitionum ſpecialiter committuntur; ęquum eſt ergo ut ipſi in primâ admiſſione accuratè deſpiciant, quinam ſuæ inſpectioni committantur, aut committendi ſint. Turpius enim ejicitur, quam non admittitur hoſpes. 6. *Quia* vix videri poteſt, quomodo ſalvari poſſit in uno Miniſtro illa pluralitas, quam noſtri in regimine Eccleſiæ, ejuſque partibus urgent, contra hierarchicos, ex 2 *Cor.* 2. & *Matth.* 18. Confer *Part.* 2. ubi *de Senioribus*, autoreſque ibidem indicatos.) Quomodo non excipere & objicere poſſint hierarchici regiminis zelotæ, æque apud Preſbyterianæ diſciplinæ zelotas conſtitui in uno Miniſtro Eccleſiam, per delegationem ſcil. ſeu tranſlationem, idque circa capitalem quendam actum regiminis, quam apud Hierarchicos in uno Epiſcopo. Quamvis autem hęc admodum diſparia eſſe fateamur; videndum tamen ne illa qualiſcunque ſimilitudo ſenſim in propiorem hierarchiæ imitationem degeneret. 7. *Quia* hâc ratione admodum longè, ſi non longiſſimè, receditur à praxi apoſtolicâ, ubi coram multis teſtibus 1. *Tim.* 6. *v.* 12. aut coram totâ Eccleſiâ (uti ſupra dictum) hęc fiebant. 8. *Quia*, non videtur ſatis tutum & Miniſtro & membro illi, rem tanti momenti abſque teſtibus ſuſcipere. Ponatur caſus in quo, aut Miniſter membri illius confeſſionem calumniosè interpretetur, aut membrum poſtea neget ſe has aut illas partes orthodoxę religionis profeſſum; utique utrique non exigua difficultas objicietur. In ore enim duorum aut trium teſtium conſiſtet omnis veritas. 9. *Quia* etiam tacita videtur exceptio adverſus ordinem Seniorum; quaſi inutile eſſet miniſterium eorum, quo Eccleſiæ noſtræ carere poſſint. Cum tamen contrarium verum eſſe oſtenderimus *Part.* 2. *tit. de Senioribus.* 10. *Quia* denique, ſucceſſu temporis mos ille ſi obtineret, videretur aliquando daturus Miniſtrum confeſſarium: ſicut in antiquâ Eccleſia confeſſio Eccleſiaſtica pœnitentium devoluta eſt ad confeſſarium pœnitentium: unde tandem enata confeſſio auricularis. Vide inter Antagoniſtas Pontificios de confeſſione auriculari, *Chemnit. Part.* 2. *exam. de Confeſſione.*

Caput IV.

Quæſtiones circa Eccleſiæ Inſtituta Affectiones.

QUæſtiones tertiæ Claſſis ſunt. I. *Queſt.* An omnes qui Eccleſiam conſtituunt, aut ad ejus communionem recipiuntur, eximiâ cognitione præditi eſſe debeant? *Reſp.* 1. *Concl.* Ex neceſſitate præcepti divini hoc agendum eſt, ut omnes cognitione abundent *Phil.* 1. *v.* 9.

Digitized by Google

1 v. 9. 10. 1. Cor. 2. 15. Hebr. 6. 1. 2. Concl. Non tamen admittenda hic est necessitas medii : ut scil. excludendi sint omnes; qui tali cognitione destituuntur. 1. *Quia* Ecclesia est domus Dei, & schola Christi, columna & firmamentum veritatis, ubi rudes instituuntur, infantes lacte aluntur 1 Cor. 3. v. 1. 1 Petr. 2. 1. 2 Hebr. 5. 12. 2. *Quia* exsertè ibi distinguuntur perfecti, ab aliis non perfectis *Phil.* 3. 15. *Hebr.* 5. 13. 14. *Quia* mandatur tolerantia ignorantium immo & errantium *Phil.* 3. 15. *Hebr.* 5. v. 11. 12. 3. *Concl.* Sufficit ergo minimum quod sic; quod est, uti in fide granum sinapi (*Matth.* 17. de quo vide *tract. Perkinsi*) ita in cognitione hypotyposios saniorum sermonum & elementorum & lactis (2 Tim. 1. 13. *Hebr.* 6. 2. 3. 1 Cor. 3. 2.) distincta explicatio per verba propria; aut saltem approbatio, cum ab aliis sive competentibus sive Ministris explicatur, & proponitur. 4. *Concl.* Nolim autem cognitionem necessariam sine quâ non, extendi ad omnes partes Politiæ Ecclesiasticæ & ad discretionem formæ regiminis & statutorum Ecclesiasticorum sive in thesi sive in hypothesi, sive theoreticè sive practicè: Quod perperam videntur facere illi, qui fimbrias confœderationis Ecclesiasticæ tam latè extendunt. De quo infra. Neque enim omnes habent spiritum regiminis, nec ad omne pariter pertinet discretio & cura agendorum in Ecclesiâ & circa negotia & causas religionis. Uti ab omnibus in numerum civium recipiendis non requiritur distincta & exserta cognitio statutorum & privilegiorum istius civitatis; nec ab omnibus unâ navi vehendis, requiritur ars & industria illa, quæ à naucleris & sociis navalibus. Inter requisita ministerii si quis hoc ponat, utique non dissentimus. II. *Quæst.* An omnes debeant esse verè sancti? *Resp.* 1. *Concl.* Coram Deo in conscientiâ quosque suâ omnes ad hoc teneri nemo ambigit. *Heb.* 12. v. 14. 2. *Concl.* Nec debet Ecclesia recipere, aut tolerare eos, qui professione oris aut operum apertè ostendunt se esse profanos, & crassos hypocritas. *Matth.* 7. 6. 1 Cor. 5. 7. 11. *Apocal.* 2. 2. 3. *Concl.* Uti multò minus recipere debet eos, qui perfectam sanctitatem sibi in hâc vitâ attribuunt. Meretrices enim & publicani præ talibus intrabunt regnum Dei. Sed hoc pertinet ad controversiam de perfectione operum. 4. *Concl.* De occultis non judicat Ecclesia: uti nec in dubiis & præsumtis præjudicat, juxta regulas caritatis 1 Cor. 13. v. 4. 5. coll. cum 1 *Petr.* 4. 8. 5. *Concl.* Nævos etiam & infirmitates multas piâ & prudente conniventiâ tolerat, quę commode tollere nequit, *Gal.* 6. v. 1. 2. 3. immo nonnunquam sinit crescere Zizania, donec dies revelet. 1 Cor. 3. & Deus hypocritis larvam detrahat, & dolosa labia exscindat. *Psalm.* 12. Rationes sunt istæ 1. *Quia* Ecclesia in hoc imitatur Deum qui tam multa in suis tolerat; Et servatorem Christum, qui in discipulis suis tam multas fidei & caritatis imperfectiones toleravit; & Apostolos, vide *Epistolas ad Corinthios & Galatas.* 2. *Quia* Deus hoc mandat *Philip.* 3. 15. *Hebr.* 5. 2. 3. *Quia* Scriptura di-

Digitized by Google

ra discrimen facit adultorum seu virorum & infantium, perfectorum seu spiritualium & carnalium, incipientium & proficientium, veteranorum seu confirmatorum seu fortium & νηπίων 1. *Cor.* 2. 6. *Galat.* 6. 12. *Philipp.* 3. 15. 16. *Hebr.* 5. 11. 12. 3. & 1 *Cor.* 3. 1. 2. 1 *Petr.* 2. 1. 1 *Joh.* 2. 20. 27. coll. cum 1 *Tim.* 3. *v.* 6. 4. *Quia* hoc absurdum sequeretur, quod omnia membra corporis Christi in omnibus sint æqualia, & dona fidelium quorumcunque sint æqualia contra 1 *Cor.* 12. *v.* 20 -- 31. *Rom.* 12. *v.* 4. 5. 6. 5. *Quia* hæc sententia & praxis si obtineret, utique non video quomodo causa non tradatur, antiquis Novatianis, & Donatistis, & hodiernis Anabaptistis; atque una rejiciantur aut enerventur eximia argumenta Orthodoxorum contra illas sectas; quæ videnda 6. *Quia* videntur hâc ratione non tam Ecclesiæ Christianæ ad exemplum apostolicarum institui, quam perfectionis ordinis & sublimioris gradus collegia quædam, qualia olim videbantur intendi, ascetarum & deinde Monachorum. De quâ ἀσκητικοφίλῳ & ἐθελοθρησκείᾳ infra *Part.* 2. *Tit. de Monachatu.* III. *Quæst.* An debeant de rebus theologicis & Ecclesiasticis per omnia eadem sentire? *Resp.* 1. *Concl.* Hoc agendum omnibus fidelibus, pro suâ parte, omnibus item Ecclesiis & Ecclesiarum Ministris, ut omnes fideles & auditores eorum idem sentiant & loquantur; 1 *Cor.* 1. 10. Est enim necessitas præcepti. 2. *Concl.* sed negamus hic esse necessitatem medii: ita ut excludendus sit à communione, qui in quæstione facti, aut in controversiâ rituali seu Politico-Ecclesiasticâ, aut etiam in dogmatico aliquo problemate, aut in explicatione textus sacri, cum aliis non sentiat. 1. *Quia*, si quis huic ἀκριβείᾳ tam præcisè insistat, jàm incurrit in Christum & Apostolos, eorumque doctrinam & praxin haut obscurè condemnat. Vide 1 *Cor.* 3. 1. 2. *Philipp.* 3. *v.* 15. 16. *Hebr.* 5. *v.* 2. 12. 13. 2. *Quia* tollitur distinctio incipientium, proficientium, perfectorum. 3. *Quia* tollitur omnis tolerantia, libertas prophetandi: syncretismus Ecclesiarum: de quibus suo loco *Part.* 3. ex professo agendum. IV. *Quæst.* An omnes recipiendi debeant esse unius ingenii, studii, affectus, imprimis ingenii facilis, & suavis in mutuâ fraternâ communione & conversatione? *Resp.* 1. *Concl.* Optandum quidem, ut tales sint: & omnes pro suâ parte ad hoc in conscientia tenentur. 2. *Concl.* Non tamen sperandum; nedum ut absoluta necessitas sub exclusione à communione Ecclesiasticâ, hic statuenda sit. 1. *Quia* collegium Apostolorum Christi absque illâ prærequisitâ perfectione fuit institutum. Ipse Servator noster ἱεροπρέπεια illos, quamvis minimè ἰσοψύχους; inter illos magis dilexit Johannem, tanquam magis amabilem. 2. *Quia* Apostoli hanc conditionem non prærequirebant, nec etiam in eâm inquirere poterant, cum Ecclesias colligerent: præsertim si tria millia uno die admitterent. *Actor.* 2. 3. *Quia* Apostolus neminem habebat inter Ministros ἰσόψυχον, sicuti Timotheum, *Philip. v.* 20. Reliquos tamen à communione ministerii, nedum

Ecclesiæ, non excludebat. Certe dissimilitudinem ingenii, studiorum, & morum fuisse inter ipsum & alios Apostolos, Euangelistas, & Ministros haut obscurè colligi videtur ex *Gal.* 1. & 2. & 2 *Cor.* 11. *Actor.* 15. 4. *Quia*, idem Apostolus noverat ἀτάκτους esse homines in Ecclesiis, quos tolerabat, & ut ab illis liberaretur, Deum orabat 2 *Thess.* 3. 2. coll. cum *Philipp.* 3. 18. 19. 5. *Quia* hoc est requisitum arctioris confœderationis, & amicitiæ Christianæ (uti docent *Ethici & Theologi in loco de Amicitia*); non autem fraternitatis seu societatis Ecclesiasticæ. Jam vero amicitia, & fraternitas Christiana nec ἀνάσοφα, nec πῶμα sunt: ut constat ex exemplo Christi diligentis Johannem inter Apostolos, qui omnes erant fratres *Matth.* 23. *v.* 8. & ex exemplo Pauli *Philipp.* 2. *v.* 20. 6. *Quia* videtur hoc absurdum sequi, quod omnia ingenia melancholica, tetrica, solitaria, ab Ecclesiæ communione essent arcenda, sola Jovialia & homiletica ascisscenda. Adhæc perfectionem virtutum homileticarum requiri in omnibus ad communionem sacrorum admittendis. Quæ quam absurdissima esse constat. Qui enim à comitate, affabilitate, morumque facilitate, elegantiâ, civilitate & gratiâ haut parum remoti sunt; sæpè aliis donis & exercitiis pollent, quibus ad gloriam Dei & bonum Ecclesiæ uti novit mirabilis ac πολυποίκιλος Dei sapientia. V. *Quæst.* An debeant se mutuo nosse, & exploratos ac perspectos habere alii aliorum mores, atque in hunc finem ad exercitia pietatis per aliquod tempus convenire & familiaritate mutua uti, antequàm in Ecclesiasticam societatem coëant, aut quemquam de novo admittant. *Resp.* 1. *Concl.* Utile immo & necessarium est, ut diligenter attendat Ecclesia quos ad communionem suam admittat; atque in hunc finem, ubi dubitandi causa subest, in vitam & doctrinam competentium accuratè inquirat apud vicinos, aliosque, qui eos norunt. Quod si aliunde adveniant, non nisi exhibitis signatis instrumentis & testimoniis publicis Ecclesiarum, eos recipiat; aut saltem, ubi propter persecutiones aliasque difficultates scripta testimonia exhiberi nequeunt, audiendi primum testes ex fidelibus. Atque hoc communiter in nostris Ecclesiis servatur. Sin vero nihil istorum propter locorum distantiam, aut alias causas præstari possit, exploratâ satis pietate ac morum integritate de novo cum competentibus examen subire poterunt, & professionem fidei edere. 2. *Concl.* Admodum utile est, ut membra Ecclesiæ se mutuò nôrint, quantum quidem fieri potest; ut ita se mutuò intuèri possint ad παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων *Hebr.* 10. Atque hoc semper aut plerumque fit in minoribus Ecclesiis. 3. *Concl.* Sed ut in majoribus ac frequentioribus Ecclesiis omnes & singuli fideles prius accuratè & familiariter perspectos habeant novos competentes antequam admittantur, id vix possibile est, nec etiam necessarium. Probatur ex praxi apostolicâ: tunc enim in receptione membrorum, & quidem tanto numero in Ecclesiam Hierosolymitanam, Corinthia-

rinthiacam, Anthiochenam, Romanam &c. id obſervatum non fuit, nec obſervari potuit. 4. *Concl.* Non eſt neceſſe teſtimonia & documenta quibus ſinguli competentes probârunt Synedrio doctrinæ & vitæ integritatem publicè in toto cœtu Eccleſiæ exhiberi & examinari. Sufficit, ſi nomina candidatorum in Eccleſiâ promulgentur, poſt concionem confeſſionalem aut præparatoriam, (ut alicubi fieri conſuevit); aut ſaltem aditus pateat omnibus & ſingulis Eccleſiæ membris ad audiendam profeſſionem, quam in conclavi Eccleſiaſtico coram Præſbyterio edunt, & audiantur rogati & adducti teſtes publicè ibi nomen ſuum profitentes, ut una cum nominibus candidatorum albo eccleſiaſtico inferantur. Quod in frequentioribus Eccleſiis noſtris obtinet. Tunc enim, ſiquidem per teſtes aut per competentes Synedrium circumventum fuerit, aut ipſum Synedrium indignos in numerum membrorum adſcripſerit, ſatis tempeſtivè interponere ſe poterunt fideles, & hoc agere ut re propius cognita ad cœnam non admittantur indigni. VI. *Quæſt.* An ſit neceſſarium, ut fideles aliunde advenientes modum, gradus, & onera probationum de novo ſubeant, quæ alii competentes, antequam de novo admittantur. *Reſp. Neg.* 1. *Quia* ſcripta teſtimonia ex more Eccleſiarum Belgicarum, & Gallicarum, hic ſufficiunt. Tantundem enim eſſet, ac ſi Miniſtri, qui triginta aut quadraginta annis alicubi in verbo laboraſſent, idque debitis teſtimoniis oſtenderent, de novo inſtar ſtudioſorum theologiæ ex pulvere ſcholaſtico prodeuntium, examinarentur; & quidem, ubi nulla dubitandi ratio ſubeſſet. 2. *Quia* auſterum nimis, ſi non abſurdum eſſet, ejuſmodi fideles novo examini, & quæſtionibus ac dubiis motis non tantum à Miniſtris, ſed & à quibuſvis ex plebe eccleſiaſticâ ſubjicere. Hâc enim ratione magna, ſi non longè major pars fidelium, aliunde adventientium petitionem communionis ſæpe differrent, immo & nonnulli illâ protelatione in deſuetudinem ejus venirent. Ut alia incommoda nunc præteream.

2. VII. *Quæſt.* An ſit de eſſentiâ Eccleſiæ aut ſaltem neceſſarium requiſitum, ut omnia membra ejus proximè unita ſint ratione loci *Reſp.* 1. *Concl.* Ut maximè commodum eſt, ſic communiter hoc obſervandum, ut conſtituatur ex membris uno in loco proximo, vico ſcil. aut civitate habitantibus. 1. *Quia* tale quid ſuadet praxis Eccleſiæ Apoſtolicæ. Neque enim incolas Cenchreenſis in Corinthiorum Eccleſiam ad ſcriptos legimus, aut vice verſâ. 2. *Quia* ſic commodius mutuo ſe intueri poſſunt, ad παροξυσμὸν caritatis & bonorum operum *Hebr.* 10. & exempla dare atque accipere. 3. *Quia* hâc ratione optimè ſe invicem hortari, conſolari, ædificare poſſunt. 1 *Theſſ.* 5. *v.* 11. 14. & quidem κατ' ἰδίαν *Hebr.* 3. 13. 2. *Concl.* Non probandum ergo, ſi ſine juſtâ neceſſitate cives e. gr. hujus noſtræ urbis præteritâ Eccleſiâ patriâ in vicinæ alicujus civitatis aut vici proximi Eccleſiam adſcribantur & vice verſa. 1. *Quia* hoc in-

commodum est, & deficit in pluribus ad Ecclesiasticam communionem spectantibus; propter quorum fruitionem Deus imprimis collectiones & societates Ecclesiasticas instituit: Vide dicta *Probl. præced.* 2. *Quia* parit confusiones, contentiones, & commissiones membrorum & Ecclesiarum inter se; tollit ἐυταξίαν, concordiam & disciplinæ Ecclesiasticæ vigorem. Hinc est, quod antiqui canones tam privatorum fidelium quam clericorum transitus, & appellationes ad alias Ecclesias vetuerint. Vide *Canones Ecclesiæ Africanæ* 23. 28. 54. 105. 125. imprimis *Canones & Acta Concilii Carthaginensis, an.* 419. ubi Epistola synodica ad Bonifacium Romanæ Ecclesiæ Episcopum, quâ ostenditur non esse ex Africâ trans mare, ad sedem scil. Romanam provocandum. *Constitutiones, Decreta, & Praxis Ecclesiarum Belgicarum*, transitum ommem de Ecclesiâ in Ecclesiam sive ejusdem sive alterius linguæ, sine bonâ veniâ & dimissione, aut scripto testimonio Ecclesiæ cujus membrum est, absolutè prohibent. Quod imprimis locum habet in illis transitoribus, circa quos correptionis aut etiam censuræ officium exercetur. 3. *Quia* sapit scismaticum & factiosum quid: aut carnalem curiositatem, ἰδιοζυγκρασίαν, fastum, ac fastidium: similiter fere ut in Ecclesiâ Corinthiacâ 1 *Cor.* 1. 12. & 3. *v.* 3. 4. *Concl.* Quod si aliquo in casu propter urgentes rationes alicui aut aliquibus concedendum sit, ut in Ecclesiam aliquam extra locum habitationis adscribantur, aut ante hac adscripti in eâdem permaneant, quamvis in vicinam civitatem aut vicum migraverint: id cum utriusque Ecclesiæ consilio & consensu fieri necesse est. 4. *Concl.* Alia longè est ratio, cum Ecclesiæ non sunt unius confessionis, aut saltem ita dissident, ut commoda præsentiæ & cohabitationis localis, conscientiæ tranquillitati, & tutiori ac longè majori ædificationi postponenda sint. De quo alibi ex professo agendum: & forte infra attingemus. 5. *Concl.* Ubi commodis proximæ cohabitationis fideles frui nequeunt, non debet terminis ejus Ecclesiæ circumscribi, & ab eâ excludi, quotquot extra parochiam, aut civitatem, aut vicum habitant: non magis quam in eam compingendi sunt quotquot illic habitant. 1. *Quia*, circumstantia loci, & cohabitatio civilis est Ecclesiæ extrinseca & accidentalis: ergo non est de ejus ratione aut essentiâ. 2. *Quia* non est requisitum necessarium. Possunt enim communionis Ecclesiasticæ actus inter membra illâ exerceri, quamvis non tam promptè, abundè, facilè & excellenter. Magis enim & minus non variant speciem. 3. *Quia* status Ecclesiæ clandestinæ, & turbatæ per persecutiones, hæreses, scismata, plerumque tale quid requirit. 4. *Quia* defectus aliorum fidelium, aut Ecclesiarum, & Ministrorum in plurimis locis, nihil aliud fidelibus relinquit, quam ut ad hunc ἄνυπον πλοῦν confugiant, quandoquidem primâ navigatione uti non possunt.

VIII. *Quæst.* An Ecclesia aliqua possit cogi, autoritate Politicâ aut legibus publicis, ut recipiat aliquod membrum, quod per conscientiam recipere se

posse

posse negat; aut ut recipiat promiscuè omnes illos, qui in numerum civium illius urbis legitimè admissi sunt. *Resp.* Nec Magistratus Christianus hoc Ecclesiæ imponere debet; nec Ecclesia, si quidem imponatur, illud admittere: sed obtendere auream regulam *Actor.* 4. & 5. De Deo magis obediendo, quam hominibus.

3. IX. *Quæst.* An fœdus Ecclesiasticum, cujus supra meminimus, sit necessarium? *Resp.* hodie de eo inter nonnullos controvertitur. Videntur autem dissidentes sententiæ facile conciliari posse, si adhibeantur tres distinctiones, quarum *Prima* distinctio est inter τὸ magis explicitum, & minus explicitum. Sicuti distinguimus inter Ecclesiam Christi in his terris magis & minus conspicuam aut visibilem. Nam ut admitti non potest, Ecclesiam catholicam in his terris absolutè, omnino, ubique & apud omnes, secundum omnes suas partes, omnemque suam formam ac constitutionem esse invisibilem, aut veram fidem in corde & ore fidelium omnino & absolutè esse implicitam; sic nec fœdus Ecclesiasticum ratione adultorum in Ecclesiâ particulari ac institutâ simpliciter & omnino implicitum. *Secunda* distinctio est inter generalia ac essentialia; & inter accidentalia, peristatica ac particularia confœderationis: quorum illa ad esse, ista ad bene esse, forte nonnulla aliquando ad τὸ supereesse & superflua pertinent. Confœderatio & quidem explicita magis aut minus, essentialiter & ut sic considerata, ab Ecclesiis rectè constitutis aut reformatis abesse non debet. Si alicubi ἄτοπα sit aut hactenus fuerit, illud supplendum, ad exemplar ad minimum Ecclesiarum Gallicarum & Belgicarum. Quomodo Galli, Belgæ, aliique reformati Ecclesias sine disciplinâ & ceusurâ Ecclesiasticâ alicubi subsistentes (nôrunt qui *Bezæ & Erasti adversa scripta de Excommunicatione legerunt*, quas Ecclesias designem) ex albo reformatarum Ecclesiarum non expungunt, ἄτοπα tamen earum hâc in parte nec probant, nec pro eo contra meliora monentes multis logis contendunt. Si quæras quænam sint accidentalia & peristatica, aut quæ ad bene esse pertinent hic breviter designo. 1. *Ut* ipsi admittendi coram toto cœtu Ecclesiastico fidei professionem edant, & confœderationem illam ineant. De quo supra *cap.* 3. diximus. 2. *Ut* fidei suæ & illius confœderationis professionem edant propriâ & continuâ oratione, insuper scripto & manus subsignatione, ut & juramento eam confirment. De quibus supra. 3. *Ut* competentes privatim prius examinentur, antequam ad fidei professionem coram Ecclesiâ admittantur. Quod quidem fieri præstat & tutius est, ne accedentes aliquando repulsam ferant propter ignorantiam. Et hoc in optimè constitutis Ecclesiis apud nos sic obtinet. Tamen non est essentiale aut necessarium; omitti enim potest, cum alicujus cognitio alicui ex Ministris aut Senioribus satis superque explorata est. 4. *Ut* admittendi adcommunionem Ecclesiæ, prius per privatam & familiarem conversationem aliis

Ecclesiæ membris propius innotescant: qui testari possent, eos non esse absurdos, φερλακὰς, ἀνήθεις, factiosos, simulatores & dissimulatores omnium; à quibus contentiones, turbæ, scismata, scandala videntur metuenda. Quæ abundans cautela ubique ut adhibeatur facilius optari quam sperari potest. Interim nolimus eam admittere ut conditionem perpetuam & absolutè necessariam, sine quâ excluſi sint ab Ecclesiæ communione, quotquot cætera doctrinæ & vitæ probatæ eam expetunt. 5. *Ut* ipse admittendus desideret atque expetat communionem & confœderationem Ecclesiasticam, atque hoc suum desiderium alicui ex Senioribus exponat. Quod si intelligant priorem & sponte ac motu proprio debere se offerre catechumenum seu competentem; utique hanc requisitam conditionem ad superflua & τὸ nimium rejicio. Quid? an non tardantes, nihil tale appetentes excitandi, alliciendi, compellendi & spiritualiter circumveniendi ac tanquam pisces nassâ attrahendi ἀκαίρως τὐκαίρως? Docet hoc *Apostolus in Epistolis ad Timotheum & Titum*, & *Scriptores de Ministro Euangelii*, atque eximius ille inter Belgas practicus *Wilhel. Teelingius in Necessariâ Demonstratione*, & praxis omnium rectè constitutarum Ecclesiarum. Sunt & aliæ conditiones seu prærequisita fœderis non tam accidentalia, quam superflua, si non opposita. 1. *Ut* modum conversionis suæ referat. Quod supra perstrinximus. 2. *Ut* omnia membra Ecclesiæ, contra hanc relationem, & fidei professionem dubia & exceptiones suas proponant: quibus si ex voto aut judicio eorum non satisfaciat, receptio ejus in fœdus & communionem Ecclesiæ differatur. Quod tantum absit, ut perpetuum & universale esse debeat, ut etiam non parum periculosum, si non absurdum videatur. Si alicubi Doctor theologiæ, aut Minister examinandus esset, facile talem, imò adhuc rigidiorem examinis modum concederem. Confer quæ supra diximus. 3. *Ut* fœdus illud non dissolvatur, absque consensu istius Ecclesiæ. Distingue hic dissolutionem directam, ab indirectâ, seu quæ consequenter aliud quid concomitatur. Ista est, quando quis proprio arbitrio aliò migrare instituit; ad quam migrationem sequitur cessatio actualis & explicitæ communionis in & cum istâ particulari Ecclesiâ. Hic homo liber nullius Ecclesiæ arbitrio aut judicio subjacet; neque ad Ecclesiam directè spectant τὰ βιωτικὰ & œconomica *Luc.* 12. *v.* 14. 14. Nisi quis unitatem & potestatem Ecclesiasticam cum Pontificiis ad omnia sæcularia extendat, in ordine scil. (uti loquuntur) ad spiritualia. Rursum distingue dissolutionem fœderis & communionis in universum ratione omnium Ecclesiarum ejusdem confessionis: aut tantum ratione istius Ecclesiæ & applicate ad fideles istius loci, unde quis migrat. De illâ concedo quod petitur; de istâ minime. Adhæc discessio alia est renuntiationis & separationis seu divisionis, alia commutationis: sicuti in eâdem domo migrat quis de cubiculo in cubiculum, aut in eâdem urbe de domo in domum. Prior illa

illa directè subordinatur judicio & potestati Ecclesiæ; posterior minime. Neque enim à Christo & Ecclesiasticâ communione recedit, qui migrat de Ecclesiâ in Ecclesiam. Recedit autem, qui per migrationem deserit omnem externam Ecclesiæ communionem, aut etiam transit ad sectas. Sunt & alia, quæ in controversiis de hoc fœdere Ecclesiastico ambigua mihi videntur, & distinctionibus concilianda. Sed peculiariter problemata de iis fiant, & sic determinentur.

4. X. *Quæst.* An tam necessarium sit hoc fœdus Ecclesiasticum, ut sine eo nulla sit Ecclesia visibilis & instituta. *Resp.* Intelligitur hic procul dubio necessitas, medii, & non tantum præcepti, ad esse & non tantum ad bene esse. Durum certè esset ubicunque talis explicita confœderatio semper non adest in statu Ecclesiæ turbato omnem Ecclesiam, aut saltem aliquas ejus reliquias absolutè negare. Sed omittenda hæc controversia in thesi, & forte magis speculativa. Ad hypothesin (prudentibus satis notam) ut accedamus, dicimus, distinguenda esse in fœderatione explicita, universalia & substantialia ab accidentalibus particularibus & peristaticis. Ista necessario non requiri; illa vero in instauratione Ecclesiæ antehac ἀνάκτου & deficientis aut perturbatæ ad minimum requiri videntur, de quo infra. XI. *Quæst.* An fœdus hoc Ecclesiasticum, sit distinctum à fœdere, quod homo init aut renovat cum Deo suo? & si dicatur distinctum, an etiam possit dici juris divini. *Resp.* Videtur contentio hic tolli posse, per distinctiones. 1. Ecclesia visibilis, uti non differt realiter ab invisibili, nec vera fides in corde à fide eâdem in ore seu professione, nec verbum Dei externè revelatum & per manus traditum, ab eodem verbo postea scripto per Prophetas & Apostolos: quamvis minori quâdam distinctione formali scil. aut modali distinguantur: sic etiam fœdus cum Deo in interiori conscientiâ, & in communione Ecclesiæ invisibilis ac mysticæ initum, ab eodem fœdere externè ac solenniter adhibitis certis requisitis & solennitatibus declarato ad ingressum in societatem ac communionem Ecclesiæ visibilis & particularis. 2. Quocumque modo eadem sint aut distinguantur, (neque enim de terminis illis tantopere litigandum videtur), dici potest fœdus illud ecclesiasticum qua tale, esse juris divini mediatè, & non esse directè aut immediatè; & sic ligare aut non ligare conscientiam. Rursum quod ad substantiam, seu absolutè, in se, ut sic, & objectivè consideratum esse immediati juris divini; sed quod ad circumstantias, quod ad applicationem ad istum singularem cœtum & istos fratres, respectivè seu relatè ad istos homines hic & nunc, cum & sub tali ac tali externâ solennitate, formalitate, & professionis seu declarationis modo, non esse immediati juris divini, sed intercedere arbitrium hominum, & constitutionem Ecclesiæ. Haut aliter ac de conjugio Titii cum Cajâ, de vocatione ecclesiasticâ N. ad hanc aut illam Ecclesiam, de potestate & au-

& autoritate ministeriali. N. in hâc Ecclesiâ, de specialibus διατυπώσεις e. gr. Ecclesiæ Ultrajectinæ ritè & prudenter applicatis, de justis legibus Politicis in quâcunque Republicâ, & similibus aliis, si quæratur an sint juris divini, & an quis iis in conscientiâ obligetur, respondendum esset. XIII. *Quæst.* An fœdus Ecclesiasticum in aliquâ civitate & provincia semel à prædecessoribus constitutum ac susceptum, obliget, & consequenter fœderi & ordini illi externo in foro exteriori Ecclesiæ (ita loquar) subjiciat omnes posteros & successores, absque intercedente libero singulorum arbitrio & consensu? *Resp.* 1. *Concl.* Non arbitror quenquam velle ut singulæ ætates hominum Ecclesiam illius loci à parentibus & prædecessoribus institutam, dissolvant, & de novo corpus Ecclesiasticum in materiâ & formâ constituant; aut sine necessitate interpolent: sufficit enim si fœdus cum legitimis suis formalitatibus continuetur per accessum & successivum ingressum novorum fœderatorum, qui ipso facto implicitè immo & explicitè satis ostendunt Ecclesiam illam institutam ejusque receptam confœderationem à se probari. 2. *Concl.* Jure nativitatis in illâ aliquâ provinciâ, civitate, vico, aut privilegio aut statuto civili nemo formaliter constituitur nec constituti debet in Ecclesiæ illius topicæ unione & confœderatione. Neque enim est regnum Christi de hoc mundo; & liberum consensum fideique professionem hic intercedere, supra *cap.* 2. *qu.* 9. 10. & *cap.* 3. *qu.* 4. 5. probatum est. Quamvis nativitas, educatio, & habitatio in illo loco ut plurimum sit præsuppositum istius confœderationis & conditio sine quâ non. 3. *Concl.* Nec etiam jure nativitatis ex parentibus fœderatis, & Baptismi in Ecclesiâ illâ suscepti. Uti cum distinctione supra determinavimus *locis* modo *cit.* 4. *Concl.* Certum tamen est omnes illos, imprimis qui in Ecclesiâ nati & Baptizati sunt, teneri in foro interiori conscientiæ coram Deo, per externam confœderationem, positis ponendis, Ecclesiam illam ingredi, & medium hoc operandæ ac promovendæ salutis suæ promptè accipere. 5. *Concl.* In casu corruptionis Ecclesiæ, quæ tanta sit, ut ab eâ secedendum, aut tantisper ab ejus confœderatione abstinendum, neminem quamvis Baptizatum & educatum in illâ Ecclesiâ, ad successionem per sui ingressum pro suâ parte continuandam teneri certum est, ex iis, quæ disputamus *Lib.* 3. *Despot. Causa Papatus sect.* 3.

5. XIV. *Quæst.* Quomodo confœderatio Ecclesiastica sit necessaria? *Resp.* 1. *Concl.* Non est necessaria necessitate medii ad æternam salutem; cum explicita communio cum Ecclesiâ particulari & visibili sic necessaria non sit. 2. *Concl.* Necessaria est necessitate medii ad externam cum Ecclesiâ visibili communionem, aliqua confœderatio partim implicita & tacita, partim explicita & vocalis. 3. *Concl.* Necessaria est ad bene esse, hoc est, expedit ad legitimam communionem Ecclesiasticam, & ad mutuam ædificationem, ut ad mini-

mum

Digitized by Google

mum talis explicita ſervetur profeſſio & confœderatio, qualem in optimè aut ſaltem mediocriter ordinatis Eccleſiis ſervari, ſupra retulimus. 4. *Concl.* Nec tamen noſtram hanc formam, nedum magis exactam illam & operoſam, quæ hodie à nonnullis urgetur (in cujus requiſita paulo ante inquiſivimus) tam abſolutè neceſſariam facere velimus, ut Eccleſiæ, quæ eâ hactenus deſtituuntur, nullo modo nobis eſſent Eccleſiæ; nec membra eſſent membra; & ut conſequenter Eccleſiæ illæ omnes eſſent deſtruendæ tum quod materiam ſeu corpus, tum quod ad ſpeciem ac formam ſuam: aut hoc ſi non fiat ut, extra eas (ſi non contra eas) à membris quibuſdam inde deſciſcentibus, aliiſque ex aliis locis illorum numero ſe adjungentibus, novæ & ſeparatæ Eccleſiæ in eadem civitate aut vico erigendæ. Rationes ſunt. 1. *Quia* externa illa forma profeſſionis fidei, promiſſionis, & admiſſionis in Eccleſiæ communionem fundamentaliter quidem eſt divina: ſed in ultima ſua formalitate ac perfectione eſt eccleſiaſtica: eſt enim applicatio ad particulares circumſtantias perſonarum, locorum, temporum, idque per intercedentes liberas deliberationes & conſtitutiones eccleſiaſticas, quæ poſitis ponendis mutari, aut de quibus in caſu neceſſitatis remitti, & in quibus diſpenſari poſſit. 2. *Quia* canonicis ejuſmodi formalitatibus, quamvis licitis, immo & optimè ſe habentibus, non debet tam ſtrictè allegari eſſentia Eccleſiæ, & in ea ac per eam eſſentia communionis ſanctorum: 3. *Quia* formalitatibus Canonicis Papatus abjectis, immo & ipſius antiquæ Eccleſiæ (uti *Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ* præſcribuntur) ſtatutis magnam partem ſuſque deque habitis, & libertate ſtabilitâ, apoſtolicâque ſimplicitate quam proximè reſtitutâ; non debemus per ambages ad eadem aut ſimilia præcipitia contendere, & jugum novæ eccleſiaſticæ autoritatis, & eccleſiaſticarum conſtitutionum tam rigidè imponere, ut nihil aliarum Eccleſiarum judicio & libertati, ne quidem in periſtaticis, relinquere videamur. 4. *Quia* videtur hoc abſurdum & incommodum hinc ſequi, quod ſcil. ilico ab Eccleſiis illis diſcedendum ſit, quibus externa iſtius confœderationis forma, & integerrima integritas non adeſt. Non video quomodo hoc non ſit Donatiſmum refodere, & more Anabaptiſtico (qui tamen hodie inter illos multum deſueſcit & emendatur) in minutiſſimas partes, immo & in pulverem Eccleſias ſecare. 5. *Concl.* Tenetur tamen quiſquis in conſcientiâ, neceſſitate præcepti divini ad perfectiſſima & exactiſſima quæque in hoc negotio ſectanda, ac promovenda juxta *Philipp.* 3. 15. *Hebr.* 6. 1. 2 *Cor.* 11. *v.* 2. 3.

6. XV. *Quæſt.* An ergo liceat migrare & tranſire de Eccleſiâ ad Eccleſiam magis perfectam: an vero perpetuò in Eccleſia, cujus communionem quis ingreſſus eſt, manendum ſit. *Reſp.* 1. *Concl.* Migrare licet ex Eccleſiâ laborante erroribus (quamvis totum fundamentum non tollentibus) in doctrinâ; imprimis ſi acceſſerit ſciſma, & errores magis ſtabiliantur, nec ſpes ſit

emendationis. Sic migratio ex Ecclesiâ Lutheranâ, aut Remonstranticâ primigenia & quinquarticulana (nam de Remonstranto-Sociniana aliter judicandum) ad Reformatam, nunquam improbata fuit à Nostris. 2. *Concl.* Etiam ex Ecclesia, quæ in dogmatis quidem sana est, sed sciſmatica est, & tandem desitura in errores, nisi maturè resiliat & eò redeat unde resecta est. Qualem arbitror fuisse cœtum Browniſtarum, qui ante annos aliquot Lugduni-Batavorum sub ductu Robinsoni viri cætera pii, eruditi, & ὀρθοδοξίας studiosi haberi solet. 3. *Concl.* Non est improbandum, ut quis studio melioris profectus, & conscientiæ tranquillitatis transeat ad Ecclesiam puriorem ac perfectiorem in simplicitate rituum, regiminis ac disciplinæ, adde etiam in efficaci ministerio & prædicatione, in exercitiis pietatis publicis ac domesticis, inque efficacibus & frequentioribus pietatis exemplis: si modo fiat per migrationem de loco in locum. Mutatio enim habitationis, avertit speciem sciſmatis, & scandala, contentiones, aliaque incommoda quæ inde oriri possent. 4. *Concl.* Sed ut eodem in loco de Ecclesiâ ad Ecclesiam ejusdem confessionis, aut etiam alterius idiomatis ipsi non ignoti proprio arbitrio quis transeat, absque conscientiâ & consensu utriusque Ecclesiæ, utique repugnat ordini à Christo constituto, parit contentiones, factiones, sciſmata, scandala. 5. *Concl.* Non negandum tamen, quin ab Ecclesiâ prudenter hic aliquid permittendum, aut etiam agendum sit variis in casibus. Quales sunt e.gr. ubi alicui cum Ministro, aut Ministris, aut Presbyterio, aut nonnullis fratribus in aliquâ Ecclesiâ, particulares contentiones intercedunt, præstat post conciliationem initam, vel in totum vel ad tempus dimitti eum hoc postulantem, ut & ipsius & Ecclesiæ tranquillitati consulatur, omnesque occasiones recrudescentium exacerbationum tanto melius præscindantur, aut ut imminentia sciſmata præveniantur. Rursum cum quis alterius idiomatis junxit se Ecclesiæ e. gr. Belgicæ, quod sui idiomatis Ecclesia istic loci non sit: sed postmodum ad institutam aut instituendam ibidem Ecclesiam Gallicam, aut Anglicam aut Scoticam transit permittente immo & suadente hoc Ecclesiâ Belgicâ, ut tanto melius novella Ecclesia institui possit. Est & alius casus, cum Ecclesia alterius idiomatis, ex Ecclesiâ Belgicâ assumit aut quærit sibi viros maximè ad munera Seniorum & Diaconorum idoneos, quos hoc tempore in suo cœtu ita non invenit. Tunc enim Ecclesiæ Belgicæ illos fratres suos ad paucos annos concedunt Ecclesiis Gallicis, aut Anglicis, tanquam auxiliares. Atque hanc transitionem docet quotidiana praxis Ecclesiarum nostrarum. Quia tamen mala sunt vicina bonis, hoc sedulò sibi cavendum putant, ne sæculares & terrenæ considerationes hic intercurrant, aut ambitio, aut indecoræ præventiones aut circumventiones; neve propriæ nationis & linguæ viris ætate, prudentia, fidelitate, pietate, zelo aliisque donis longè præstantioribus præferantur ex alterius idiomatis

matis Ecclesiis, non quidem maximè spirituales & perfecti, sed qui censu tantum aut aliis fortunæ bonis potiores sunt (contra *Jac.* 2. *v.* 1, 2. 3.) aut qui forte particularibus quibusdam consiliis & machinationibus contra avitam simplicitatem fidelium crucis, contra ordinis & disciplinæ ἀκρίβειαν magis idonei videantur. Imprimis hoc cavendum, ne Ecclesiæ alterius idiomatis asyla aut latibula sint iis, qui propter dubium & suspectum religionis sensum, aut propter minus castigatos mores in lumine Ecclesiarum suarum ambulare non auderent, nec per ostium probationis doctrinæ ac morum in eas ingredi, nec ob metum disciplinæ in iis manere. Attendant nostri, ne tales migrationes (an appellationes?) quasi transmarinæ, ubi & ipsi & causa eorum non ita nota, utramque Ecclesiam turbent. Imprimis hic attendendum, ne insciâ aut non consentiente Ecclesiâ possidente, ad communionem recipiantur illi, qui jàm sub censurâ constituti sunt; aut circa quos adhortationes, correptiones fraternæ, aut provisionales abstentiones inceptæ exerceri. XVI. *Quæst.* An ad ordinem in hâc transitione seu translatione de Ecclesiâ in Ecclesiam servandum, requirantur literæ dimissoriæ & testimoniales? *Resp. Aff.* Ita habet ordo ecclesiasticus, & laudabili more obtinet in Ecclesiis Belgicis: rationes sunt istæ. 1. *Quia* hoc vicarium est examini & probationi in admissione novorum membrorum observandę; de quâ supra. 2. *Quia* alioquin imponi posset Ecclesiis per ingressum excommunicatorum, aut sub censurâ Ecclesiæ constitutorum absque debitâ satisfactione: & sic daretur sanctum canibus, Ecclesia ἀπόστολοις repleretur, immo & Ecclesia cum Ecclesia committeretur.

7. XVII. *Quæst.* An propter majorem puritatem & integritatem ab Ecclesia ad Ecclesiam transeundum, etiam absque consensu ejus Ecclesiæ, quæ relinquitur? *Resp.* 1. *Concl.* Si Ecclesiæ ad quarum communionem transitur, ante ingressam corruptionem, aut etiam post corruptionem sive ingressam sive stabilitam fuerint in majori doctrinæ & rituum puritate & integritate seorsim collectæ aut constitutæ, eodem in loco, urbe scil. aut agro, aut districtu: nullam video rationem, cur non ad meliora & perfectiora appetenda, deseri possit explicita & externa communio ejus Ecclesiæ, in qua hactenus quis vixit, Ita in Belgio à Lutheranis Ecclesiis ad nostras subinde transeuntes bona cum veniâ admittuntur; quamvis non ignorent nostri haut ita bona cum venia Lutheranorum, eos inde discedere. 2. *Concl.* Dispar ratio est, si Ecclesiis Lutheranis & nostris, seorsim nondum constitutis, discessionem ab illis quis fecisset ante Librum Concordiæ & novas ac separatas Ecclesias molitus fuisset: noluissem tunc cuiquam autor fuisse, ut contra communem reformatorum Theologorum consensum & protestationem (de quo vide *Historiam Sacramentar. Hospiniani*) nostri divisionem fecissent. 1. *Quia* tunc dissidium doctrinæ, uno fere articulo de præsentiâ corporis in cœnâ circumscriptum

erat, juxta declarationem utriuſque partis in Colloquio Marpurgenſi 1629. 2. *Quia* ubiquitas cum appendicibus, & conditionata prædeſtinatio, cum verè fidelium finali apoſtaſiâ tunc nondum communiter obtinebant; nedum ut in dogmata Eccleſiaſtica & fundamentalia fuiſſent evecta. 3. *Quia* ipſi Lutherani priores formale ſciſma tunc nondum abſolverant, noſtroſque quaſi oſtraciſmo ex Eccleſiis ſuis ejecerant. 3. *Concl.* Ubi in doctrinâ convenit, ſed juſtè quis diſſentit in ritibus & regimine; poteſt nihilominus communionem in Eccleſiâ illa exercere abſque approbatione iſtorum defectuum ſive directè ſive indirectè: nolim illi autor eſſe ut ab Eccleſiâ ſuâ, extra caſum migrationis ad loca, ubi Eccleſia ejuſdem confeſſionis & doctrinæ abſque illis defectibus, & abſque labore ſeu moleſtia tolerantiæ eorundem haberi poteſt, ſecederet, ſciſmate ſcil. ſive negativo, ut extra omnem communionem eccleſiaſticam viveret: ſive poſitivo, ut ibidem loci aliam & ſeparatam Eccleſiam, invitâ Eccleſiâ, cui ſubeſt, quæque libertatem illi permittit, conſtitueret. Et hanc puto fuiſſe cauſam, quæ inter Theologos Anglos, & Separatiſtas ſeu Browniſtas (quos ita vocant) antehac agitata fuit. Nos hypotheticis relictis, theticas & principales eorum aſſertiones contra Eccleſiam Anglicanam improbamus, cum Pageto, Ameſio, aliiſque à ceremoniis & Epiſcopali regimine Anglicano alienis. 4. *Concl.* Abſit tamen ut ſciſmatis accuſem Orthodoxos & pios fratres, qui poſtremis his annis, graſſante paſſim per Eccleſias Anglicanas & pulpita ſemi papiſmo, noviſque ceremoniis obtruſis, ad conſcientiæ ſuæ ædificationem clandeſtinos & à publicis ſeparatos cœtus ſubinde habuerunt: ſic tamen ut Eccleſiis Anglicanis repudium pacis non mitterent, ſed meliora reformationis tempora & veritatis vindicias ac victoriam interea à domino exſpectarent. Pari jure licuit ipſis hoc facere, ac Eccleſiis nonnullis Belgicis, tempore contentionis Arminianæ: cujus facti apologiam vide *in Actis Synodi Dordracena ſeſſ.* 26. & 29. XVII. *Quæſt.* An poſſit quis ad tempus differre particularis alic jus Eccleſiæ communionem, & ſic ab omni explicitâ communione eccleſiaſtica abſtinere, utendo interea ſolis exercitiis domeſticis: an vero quam primum communio Eccleſiæ in regimine & ritibus deficientis ſuſcipienda ſit; aut peculiaris & ſeparata Eccleſia ibidem inſtituenda? *Reſp.* 1. *Concl.* Inclino in *Aff. pr:* ſiquidem ſtatus Eccleſiæ illius ſit inter ſpem & metum: hoc eſt ſi juſtus metus ſit prolapſus & progreſſus ad pejora, aut bona ſpes emendationis & reſtitutionis. Rationes ſunt. 1. *Quia* communio explicita cum aliquâ particulari Eccleſiâ inſtituta, non eſt abſolutè ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii: nec etiam neceſſitate præcepti, ſiquidem conſcientiæ tranquillitati, & praxi pietatis, & libertati Chriſtianæ melius conſuli poſſit extra Eccleſiam, quam intra eam. Qui ergo nunquam fuit in illâ Eccleſia, cur ſe ſubjiceret, & non potius liberum ac integrum ſe ſervaret? Si enim nomen illi dat, in horas forte ex-

ſpe-

ſpectandum, ut eam deſerat, aut ab illa Eccleſia ejiciatur, aut implicetur defectibus, contentionibus, ſciſmatis inchoatis & conſummatis. 2. *Quia*, communio etiam externa interea & proviſionaliter (ita loquar) coli poterit cum Eccleſiis omnibus ejuſdem confeſſionis, defectui & periculo illi minime obnoxiis. 3. *Quia* communionem, explicitam & proximam inire poteſt cum Eccleſiâ aliquâ integrâ extra illum locum. 2. *Concl.* Quod ſi tale quid fieri nequeat: nolim autor eſſe ut ibidem novam & ſeparatam Eccleſiam contra Eccleſiam privatâ autoritate moliatur; ſed potius, ſiquidem ſine communione Eccleſiaſtica ſemper vivendum non eſt, aliò migret, ibique Eccleſiæ ſe inſerat.

8. XIX. *Quæſt.* Quid faciendum, ubi diſſidium eſt; & pars altera Eccleſiæ; defectu aliquo in ritibus & regimine laborantis diſſolvi, ac de novo alias Eccleſias quod ad materiam & formam colligi & conſtitui vult; altera vero retinendas illas Eccleſias contendit, quippe veras. *Reſp.* 1. *Concl.* Extra dubium eſt Eccleſias & eccleſiaſticas confœderationes aliquando diſſolvendas, ſive ad tempus ſeorſim in familiis Deum colant, ſive ibidem loci aut alibi Eccleſiis orthodoxis ritè inſtitutis ſe inſerant. Varii caſus hic incidere poſſunt, ut perſecutionis, metus præſentis ſeductionis & corruptionis per vim carnalem, & irreſiſtibilem. Poſterioris caſus exemplum dedit correſpondentia & unio ſynodica Eccleſiarum Anglic. & Scotic. in Belgio, adjuvantibus Synodorum Belgicarum Deputatis, cœpta inſtitui & ab Illuſtr. Ordd. Politicè confirmata an. 1628; iiſdem ſcil. conditionibus, quibus Eccleſiæ Wallonicæ ſeu Gallo-Belgicæ Synodali ſuâ correſpondentiâ fruuntur, ilico intermiſſa & diſſoluta, propter periculum: quod forte prævidentes Miniſtri & Seniores Eccleſiar. Belgo-Anglicar. Amſtelodami & Leydæ, in conventu omnium Miniſtrorum Anglorum tum caſtrenſium ſeu militarium tum civicorum, ubi unio & correſpondentia illa decernebatur, non comparuerunt; quin & poſtea per delegatos ejuſdem conventus ſeriò invitati correſpondentiam illam ſynodicam conſtanter detrectârunt; contenti correſpondentiâ claſſicâ Belgicarum in illo diſtrictu Eccleſiarum. Ad quod aſylum plęręque alię Eccleſię Anglo-Belgicæ (civicæ ſcilicet) poſtea confugerunt. Cur autem illa ſynodica correſpondentia intermiſſa, immo in ipsâ herbâ diſſoluta fuerit, ab illis, qui eam inſtituerant, approbantibus etiam & ſuadentibus Synodorum Belgicar. Deputatis, hæc unica erat cauſa: quod Ampliſſ. & Magnificus D. Reſidens Sereniſſ. magnæ Britanniæ Regis accitis quibuſdam novæ Synodi Anglo-Belgicæ deputatis exponeret, hanc eſſe Regis voluntatem, ut ex ſynodalibus illis Miniſtris unus à ſe eligeretur in deputatum ſeu delegatum eccleſiaſticum. Quod cum ad Synodum referretur, & periculum obtrudendi cum tempore hierarchici & ceremonialis regiminis hinc metueretur, præter quam quod hæc in

alienâ Republicâ tentarentur, non ſine præſagio turbellarum & committendarum inter ſe ſupremarum poteſtatum: conſultius duxerunt, ob temporum injuriam, inchoatam unionem abrumpere. Idem colligo faciendum conſtitutâ unione Eccleſiæ particularis. Fit enim hæc unio ad ædificationem, non ad deſtructionem. 2. *Concl.* Non tamen occaſione cujuſvis defectus aut diſſidii circa ceremonias aut regimen, immo ne quidem circa dogmatica quędam, è veſtigio unionem diſſolvendam, docent exempla Eccleſiæ Corinthiacæ, Galaticæ: nec ſaniori parti hoc conſilium ſuggeſſit Apoſtolus. Adde Exemplum Eccleſiæ Antiochenæ, *Act.* 15. 3. *Concl.* Ubi ordo in primâ conſtitutione Eccleſiarum, & in continuatione earundem, ac receptione membrorum non ſatis explicitè & accuratè ſervatus fuit, non eſt tamen dicendum, ibi nullas eſſe Eccleſias, nullam confœderationem, Unio & fœdus ibi eſt, ubi confœderatio, initiatio & receptio in illud fœdus fuit tacita, implicita, virtualis magis, quam vocalis, explicita, formalis. Eſſe autem confœderationem illam, veram & eſſentialiter talem, licet diminutam, nec chimericam tantum aut de ſolo titulo, inde conſtat; quodquamvis formalibus & conceptis verbis eam non petierint, & profeſſi ſint, ipſis tamen factis ſuis eam declarârint audiendo ſcil. conciones, percipiendo cœnam, liberos ſuos ad baptiſmum offerendo, utendo fraternitate & ſocietate ſpirituali parochialium iſtorum, inſuper miniſterio ordinarii Miniſtri in conſolationibus, conſiliis theologicis, admonitionibus &c. 4. *Concl.* Non eſſe itaque neceſſarium, ut Eccleſiarum corpora & ſocietates illic diſſolvantur; ſed ſolummodo interpolentur, retentis ſcil. retinendis ſub generali doctrinæ, vitæ & ſubjectionis Eccleſiaſticæ promiſſione ac ſtipulatione, per Miniſtros publicè omnibus auditoribus propoſitâ, & poſt concionem capitatim coram Miniſtris & Senioribus, aut aliis ad id delegatis approbatâ; quorum nomina in tabulas Eccleſiaſticas referenda: reſectis ſolummodo aut ſequeſtratis ad tempus prioribus illis, qui aut ipſi dubium movent, aut plane ignorantes ſunt, aut quod ad doctrinam aut mores palam ſuſpecti ſunt. At ubi melius inſtituti fuerint, & ſe Eccleſiæ rectoribus probaverint, ordine recipiantur: ſin minus excluſi maneant. Hæc fere ratio inſtaurandi & interpolandi Eccleſias obſervata fuit in Belgio, poſt turbas Remonſtranticas. 5. *Concl.* Corpore Eccleſiæ ita interpolato, in poſterum præcisè & accuratè obſervari poteſt ordo, qui tutiſſimus & rebus ac circumſtantiis particularibus convenientiſſimus eſſe videbitur; qualis e. gr. Eccleſiarum Belgicarum, aut Gallicarum, &c. aut ſi illis omnibus populo alicui convenientior, aut forte in periſtaticis quibuſdam accuratior haberi poſſit

Cap.

Digitized by Google

CAPUT V.

Continens Quartam Classem Quæstionum circa Divisiones Ecclesiæ Institutæ: Ubi de Ecclesiâ Parochiali, Vicanâ seu Rurali, Domesticâ, Aulicâ, Castrensi, Navali, Scholasticâ, Provinciali.

I. QUæst. An Parochialis Ecclesia, qualis à Pontificiis, *Filesaco* scil. & *vulgaribus Canonistis* describitur, sit Ecclesia Instituta propriè dicta. *Resp. Neg.* 1. *Quia* non habet unitatem Organicam, in adoptione antecessorum, & populi Ecclesiastici: Illi enim non sunt, nec debita autoritas eorum: Ut nec istorum subjectio, & libertas: denique nec utrorumque conjunctim, potestas ecclesiastica. Quamvis enim definiatur Parochialis, quæ unum Rectorem habet; ipsum tamen regimen reipsâ tollitur per distinctionem regiminis interioris & exterioris, (quorum hoc Pastori negatur), & per communem praxin episcopalem. Quæ prolixius hic deducenda non sunt. Consulantur modo *Autores de Potestate juridicâ Sacerdotum, de Parochis, de Episcopis eorumque Potestate* alibi à nobis indicati. His Parochialibus Ecclesiis & Parochis varia jura & privilegia, varias affectiones tribuunt, variasque quæstiones & controversias de illis movent, quorum nos meri spectatores sumus: neque enim nobis hic quidquam seritur aut metitur. Vide eas apud *Filesacum Tract. cit.*, & apud *Barbosam in Collectan. ad Concil. Trident. & alteris ad Bullarium.* Non nulla tamen ex illis quisquiliis curiosus lector seliget, quæ libertati & potestati ecclesiasticæ contra usurpationem hierarchicam prætendi possent, saltem ad hominem: Sed hæc non sunt hujus loci. Suffecerit apparatum indicasse: cui adde *Photii Nomocanonem tit.* 8. *c.* 1. & *Codicem Canonum Ecclesiæ universæ can.* 9. *Concil. Antioch.* & *can.* 17. *Concil. Chalcedon.* II. *Quæst.* An Cœtus Parochiales, qui alicubi in urbibus reformatis obtinent, & certo templo ac templi illius concionatori aliquâ ratione astricti sunt, sint distinctæ Ecclesiæ propriè ita dictæ? *Resp. Neg.* Quia singulis illis cœtibus non adest distincta potestas ecclesiastica Regiminis & Jurisdictionis, adæquatè in illo cœtu residens, & per proprium ejus cœtus Synedrium ex pluribus collectum exercenda. Consequenter: non est ibi perfecta forma, unionis & communionis Ecclesiæ Institutę. Unus enim illius templi ac cœtus Concionator, sive Curio, sive Rector, non facit collegium, Presbyterium, multitudinem, per quam communi consilio Ecclesia illa ad exemplum apostolicarum e. gr. Corinthiacæ, 1 *Cor.* 5. *v.* 4. & 2. *cap.* 2. *v.* 6. Ephesinæ, *Act.* 20. *v.* 17. Philippensis *cap.* 1. *v.* 1. &c. regi deberet. III. *Quæst.* An Cœtus separati auditorum per diversa templa in Belgii civitatibus reformatis sint dicendi totidem distinctæ Ecclesiæ Parochiales? *Resp. Neg.* quia nulla inter auditores illos particula-

Digitized by Google

cularis ac peculiaris eſt unio, communio, confœderatio. Singuli enim localiter ſolummodo, uno illo in loco, illo in tempore uniuntur in unum corpus auditorum, ad unicum & tranſeuntem illum per unicam horam aut ſeſqui horium, auditionis actum, cum appendicibus. Nullam ergo faciunt peculiarem Eccleſiam inſtitutam, ab aliis auditoriis in omnibus aliis ejuſdem civitatis templis diſtinctam: non magis quam cives Romani aut Athenienſes, partitim in diverſis urbis regionibus ſpectantes & ambulantes diſtinctam quique urbem & Rempublicam, aut ſtudioſi in diverſis auditoriis partitim, eodem aut diverſo tempore audientes, diſtinctam quique Academiam conſtituunt, quia concione aut lectione illâ finitâ omnis localis unio ceſſat; quibuſque ad ſua redeuntibus, & alia quævis auditoria aut templa pro arbitrio frequentantibus. Unde patet invidum & ineptum illud commentum quorundam operoſis verborum quiſquiliis amplificatum, de non affectandis aut nunquam audiendis his aut illis Concionatoribus præ aliis, deque nullo concionum delectu habendo, & ſcripturis & ratione deſtitui. Quia nulla hic ſchiſmatis, nulla factionis vel minima ſpecies; qualis 1 Cor. 1. v. 12. *Ego ſum Pauli, ego Apollôs* &c. Rationes noſtræ ſunt. 1. *Quia* optima dona in quovis agnoſcere, iiſque ad meliorem noſtri ædificationem in domino frui, non tantum licitum, ſed & neceſſarium eſt. Optima dona Concionatoris, conſtituunt pii Auditores 1. In voce ſonorâ, quæ ab omnibus audiri poſſit. 2. In diſtinctâ, accuratâ, patheticâ, & flexanimâ pronuntiatione. 3. In gravi, matronali, verecundo ſtyli ornatu, accommodatè ad ſacram illam materiam: non in vano & profano fuco. 4. In methodica, perſpicuâ, ſcripturariâ & ſolidâ textus & rerum explicatione: ut ab Auditoribus optimè percipi, imprimi, retineri & privatim ruminari ac cum aliis repeti poſſit. 5. In propiori, & efficaci, ſenſibili, prudente, ſincerâ, ad conſcientias applicatione. 2. *Quia*, nuſquam ſcriptura fideles hortatur, ut promiſcuè abſque judicio, abſque delectu, nullâ ingenii, profectus, affectus, & interioris ſui ſtatus habitâ ratione, quidvis ex quovis ſemper audiant. Sed contra ſuadet defectum, judicium, diſcretionem, prudentiam *Luc.* 8 *v.* 18. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 21. in diætâ corporali, ciborum, aëris, aquarum, locorum, domuum, &c. In uſu Medicinæ & Medicorum, in uſu & lectione librorum theologicorum docti & indocti delectum adhibere docentur: & quidni in audiendis concionibus & lectionibus ſacris, in advocandis Miniſtris aliiſve Conſolatoribus, Monitoribus ad lapſos, aut tentatione & ſpirituali conflictu laborantes, decumbentes, moribundos. 3. *Quia*, Chriſtus ipſe Johannem dilexit præ aliis diſcipulis, & tres diſcipulos præ aliis aſſumſit (*Matth.* 17. *v.* 1.) & Paulus inter omnes diſcipulos ſuos & Orthodoxos Doctores neminem habuit ἰζόψυχον &c. *Phil.* 2. *v.* quidni abſque ſciſmate, Miniſtrorum odio, miniſterii contemtu, liceat mihi Miniſtri alicujus conciones publicas, & col-

Digitized by Google

& colloquia privata, aliorum concionibus & colloquiis præferre; ſi ſentiam me iis melius ędificari? 4. *Quia* qui contra hunc delectum ſubinde diſſerunt, ipſi delectum aliorum, qui ſuas cœnæ diſtributiones, & ſuas conciones affectantur, & reliquorum Miniſtrorum in eadem civitate, non tantum prętereunt, ſed & ſtudiosè fugiunt (quâ pietate, quâ juſtâ ratione, Deus novit, & ipſi forte non ignorant) ęquo animo ferunt; quin & eo delectari videntur. Nullo enim invidię & philautiæ œſtro hic ſtimulante privatæ & publicæ eorum dehortationes, atque invectivæ reſtant, tripodes Socraticarum & otioſarum diſſertationum conticeſcunt: quamvis illos prætereant, iſtos præferant non tantum illis diebus, cum plures eâdem horâ diverſis in templis habentur conciones, ſed inſuper Collegas ipſos contentiosè & perpetuò ita fugiant; ut etiam extra Eccleſiam ſuam in agris alicubi conciones audiant, & cœnam Domini percipiant, quoiteſcunque in civitate ſuâ vices cęncionandi aut cœnam diſtribuendi ad illum Miniſtrum aut aliquem ex illis Miniſtris, quos ſibi ſelegerunt (quo ſpiritu & quâ pietate, ego non dicam) non devenerint. Tota aliter ſentientium muſtea an mucida diſſertatio (qualem meminî me aliquando non ſine nauſeâ audiviſſe) hâc falsâ nititur hypotheſi: Singulis Fidelibus & Auditoribus in majoribus civitatibus Belgii, jure divino, aut naturali, aut eccleſiaſtico aſſignatum eſſe certum aliquod templum, quod diebus dominicis teneantur frequentare, non aliud. Hâc hypotheſi negatâ, uti falſiſſimâ, cadit tota illa *αὐτοβατεῦσα* diſputatio. Ubi enim quando, à quibus, quâ autoritate, quâ generali aut particulari conſtitutione, imaginaria illa auditorum diſtributio per ſua quorumque templa, facta eſt? Hoc ni evidenter doceatur, infelicium ejuſmodi Caſuiſtarum determinationes ad claſſem diſputationum de non entibus (qualis cenſetur Papiſtarum diſp. de merito apud *Ameſium in Bellarmino enervato*) meritò relegare licebit. Juris canonici & Papalis conſuetudinis diſtrictus parochiales apud nos abrogati ſunt, & Eccleſiæ totidem Collegiatæ ſeu Preſbyteriales ſecundum numerum civitatum, etiam majorum, illis ſubſtitutæ. Quin dato, non conceſſo, alicubi reliquias formæ parochialis adhuc hærere, inde tamen non ſequeretur, parochianos ad conciones ſuo in parochiali templo audiendas perpetuò adſtringi: quia in ipſo Papatu libertas conſtricta quidem circa ſepulturam, ſacramenta &c. Circa conciones tamen in Templis Parochialibus, Regularibus, Collegiatis ſeu Capitularibus promiſcuè audiendas conceditur. Quodſi quis hinc depulſus ſomniet, Templi propinquitatem fundare jus illud audiendi iſtic ſemper aut plerumque & ordinario conciones: illi regero, nunquam tale fundamentum ulla in civitate Belgii à Senatu eccleſiaſtico, aut à Synodo poſitum: adhæc, nondum conſcientiæ fidelium, quibus duo aut tria Templa fere æque vicina ſunt, hoc heuremate propinquitatis ſatisfactum; nec etiam peregrinis & advenis, qui diebus dominicis (in illâ civitate commorantur.

Dicat quis incolis civitatum, debere ipſos neceſſaria ſua petere ex officinis proximis, Mercatorum, Piſtorum, Sartorum, Zythepſarum, Oenopolarum &c. Idque ob ſolum jus propinquitatis. Idem dicat, de liberis, ad ſcholas Belgicas, Gallicas, Latinas mittendis. Sed audiamus ex abundanti rationes hujus evanidæ ſpeculationis. 1. *Rat.* Quia omnes Concionatores prædicant verbum Dei, ad id legitimè vocati. Ergo. *Reſp.* tantundem eſt, ac ſi quis dicat; omnes Sartores, Sutores, Fabri, Pharmacopœi, Chirurgi, Notarii, Advocati &c. ſua quique agunt pro noſſe & poſſe, & legitimè ad illud admiſſi ſunt: *Ergo* non licet tibi delectum adhibere, cujus operâ uſurus ſis Profeſſores quaterni aut ſeni in quibuſdam Academiis eâdem horâ artem eandem (e.gr. Logicam, aut Phyſicam &c.) profitentur: *Ergo* non licet hunc præ aliis audire; quia omnes eandem artem eâdem methodo & ad eundem authorem (puta Ariſtotelem) pro viribus profitentur. Quid hinc tandem ſequitur, ſi unus præ aliis audiri non debet, nullum etiam alium ex quinque reliquis audiendum, ne in idem abſurdum recidatur; quandoquidem ſex ſimul eâdem horâ audirî nequeunt. Sed aliud exemplum proprio ἀκαταστασίας vinculo opponentes illaqueet. Scriptores ſacri omnes ſunt infallibiles & θεόπνευστοι: *Ergo* non licet fidelibus textus ſcripturæ legere ac meditari, nec Concionatoribus, pro concione explicare, cum delectu aliquo & applicatè ad ſuum cujuſque, aut populi captum & ſtatum. De cibo quovis dicitur: Quod omnis creatura Dei ſit bona 1 *Tim.* 4. Et quis hinc inferat, delectum omnem eſſe illicitum? De delectu in legendis libris Theologicis ſupra diximus. 2. *Rat.* Quia reliquorum Concionatorum conciones contemnuntur. *Reſp.* Si intelligas meliores in ſe, aut ſaltem quibuſdam auditoribus gratiores conciones eſſe illius ſive contemtus ſive minoris æſtimationis occaſionem paſſivam: conceditur. Sed hoc totum eſt per accidens: ideoque meliores conciones, & auditiones earum non ſunt prohibendæ: non magis quam major eruditio, prudentia, fortitudo, aliæque excellentioris gradus virtutes. 3. *Rat.* Quia tunc indignè contemnunt & fugiunt, reliquorum in eâdem civitate Miniſtrorum miniſterium, eoque uti nolunt: cum tamen omnes communiter ſint Paſtores ipſorum, quibus divinitus animarum cura impoſita. *Reſp. Negatur* conſequentia: ſi quis hâc intentione, & hoc animo unius Miniſtri conciones præ aliorum eâdem horâ aliis in templis docentium, concionibus audire malit: is rationem Deo redditurus eſt. Sed factum aut abuſus alicujus, non debet rem ipſam, hoc eſt ſpiritualem meliorum donorum delectum condemnare. Hoc illis inculcandum, qui reliquos Miniſtros aliquâ horâ ſive matutinâ ſive veſpertinâ diebus dominicis, aut hebdomadalibus, ſolos concionantes audire nolunt: non vero iis, qui omnes conciones cujuſcunque ſui Concionatoris, ſi ſolus concionetur, libenter frequentant; tantummodo ſeligunt illum ex pluribus eâdem horâ ſimul concionantibus,

bus, à quo melius ſe putant ædificandos. 4. *Rat.* Concionatores, quorum conciones non audiuntur, animum ſuum excruciant, & gemitus ſuos ad Deum deferunt; cum vident aliorum conciones ſuis præferri. *Reſp.* 1. Quid ſi vicibus mutatis, auditores ad ipſum frequentiores accurrant, & aliquis aut aliqui ex Collegis, tunc ingemiſcant; quâ ratione ipſos conſolaturus eſſet? 2. Dici poſſet talibus Concionatoribus, illud *Jonæ* 4. *v.* 4. 9. 10. 11. Dolere quidem licet & humiliari coram Deo, quod dona tua æqualia aut ſuperiora donis aliorum Concionatorum, ab auditoribus, abſque tuâ culpâ, parvi æſtimentur: interim Collegis tuis indignari aut invidere non licet, nec adverſus Deum murmurare. Si dona tua inferiora ſunt, agnoſcenda eſt Dei providentia, qui iſtam donorum minoritatem faciet tibi cooperari in bonum, diſpenſans unicuique menſuram gratiæ pro beneplacito. Lauda Dei bonitatem in Collegis tuis: gratias eidem age pro menſurâ tibi collatâ; minus enim aut nihil potuiſſet conferre; pete ab illo incrementum: aliis quibuſdam eccleſiaſticis officiis fideliter & fervidè curandis, hoc compenſa, quod donis concionandi præſtare nequis. Sin dona concionandi, defectu diligentiæ, aut zeli, aut pietatis tuæ, aliorum donis ſint inferiora, animus ad ferventes preces, ſeriam reſipiſcentiam, aſſiduam diligentiam convertendus, & ab omni mundano ſive otio ſive negotio avertendus. Breviter abſit modo ignavia, ſecuritas, ſuperbia, invidia, & aberunt contentioſæ æmulationes, quæ non raro in majoribus civitatibus, Collegas in eodem miniſterio coquunt atque exercent. Sed plus ſatis adverſus ſcabroſam & nugatoriam hanc quorundam diſceptationem. IV. *Quæſt.* An Eccleſiæ rurales, aut oppidanæ ab urbicis ita diſtinguantur, ut iſtæ ſolæ ſint Eccleſiæ, aut propriè dictę: Et an propter frequentiam, vel propter Politicam prefecturam & ſubjectionem, vel propter fidei ab & ex urbicâ in rurales propagationem, vel propter ruralium voluntariam conceſſionem, hinc natum jus præſcriptionis? *Reſp. Neg.* Nulla enim iſtarum cauſarum hoc jus fundare poteſt. Non *Prima*, quia numerus major aut minor non variat eſſentiam entis collectivi, e. gr. urbis, regni, exercitus, ſcholæ. *Deinde*, accidit aliquando, ut in vicis urbi ſubjectis frequentior ſit Eccleſia quam in ipsâ urbe. Non *ſecunda*, quia regnum Chriſti non eſt de hoc mundo; & ſicuti in Chriſto non eſt diſcrimen inter dominum & ſervum, ſic nec inter Eccleſiam urbicam, & ruralem. *Deinde*, totum hoc diſcrimen inter vicos ſeu oppida, & urbes, inter urbes & metropoles typhus ſæculi una cum Epiſcopis & Metropolitanis in Eccleſiam invexit. Non *Tertia*, uti *Cap. ſeq.* oſtendimus *de Eccleſiis Cathedral. & Metropolit.* Non *Quarta*; quia nulla Eccleſia jus ac poteſtatem ordinariam à Chriſto conceſſam in aliam transferre poteſt, nec alia eam recipere, ſi offerretur. *Deinde*, nos juſtius dicimus de rebus & privilegiis ſpiritualibus, quod Canoniſtę de rebus temporalibus, Eccleſiæ, non admittere eas præſcriptionem aut uſucapionem. Regnum

Digitized by Google

enim Christi non est de hoc mundo, nec ad jura civilia hujus mundi exigitur. V. *Quæst.* An Castrensis Ecclesia sit Ecclesia? *Resp.* Est, sed cum termino diminuente, temporaria scil. conflata ex membris variarum Ecclesiarum, quæ post paucos menses partim ad suam quamque Ecclesiam concedunt, partim ad alias commigrant. Non posse autem privari nomine Ecclesiarum inde constat, quod ratio & copia ibi sit, lectionis verbi, concionum, administrationis sacramentorum, regiminis insuper & jurisdictionis per Ministros & Inspectores, confœderationis ecclesiasticæ, & admissionis singulorum ad eam per sufficientia testimonia, atque insuper editam fidei professionem, siquidem de novo accedant. VI. *Quæst.* Quid de Ecclesiâ Navali? *Resp.* Idem fere, quod de castrensi: siquidem idem ordo præter propter servetur. VII. *Quæst.* Quid de Domesticis, in aulis Magnatum, aut in Domibus Procerum & Nobilium. *Resp.* Præmissis distinctionibus, quod possint frui communione & concorporatione Ecclesiæ loci, aut non possint frui; & quod posteriores rursum possint considerari ut Ecclesiæ loci insitæ aut non insitæ, sed ab eâ separatæ: determinamus istis conclusionibus. 1. *Concl.* In V.T. ante constitutum populum Israëliticum in familiis Patriarcharum, & post constitutum illum populum in familiis fidelium inter gentes sparsis fuerunt Ecclesiæ Domesticæ: sic tamen, ut angustis unius œconomiæ terminis Ecclesia particularis necessariò circumscripta non fuerit, sed ex vicinis, immo & longè dissitis, se illi adjunxerint, qui Deum timebant. 2. *Concl.* In N.T. mentio fit Ecclesiæ κατ' ἐξοχὴν *Romanæ.* 16. 5. De quâ tamen quæri potest, an completa fuerit & propriè dicta; & non potius pars aut particula Ecclesiæ Romanæ, quæ illic ad ordinaria sacra conveniebat. Neque enim credibile est fuisse Ecclesiam à Romanâ planè distinctam, & propriâ ac plenariâ potestate ac regimine, adhæc peculiari Ministerio seu Presbyterio instructam. Sed de hoc *seq. Quæst.* 3. *Concl.* Quæ privilegio & usu quondam sub Papatu antehac in domibus Nobilium dicebantur Ecclesiæ; illæ completæ & propriè dictæ non fuerunt, ex rei veritate, aut ex jure & sensu Pontificio: sed tantum conventus ad sacra, in Magnatum & Nobilium peculiaribus oratoriis partim propter commoditatem, partim propter ambitionem, expetiti & concessi. De quo vide *Filesacum Tract. cit.* & *infra, ubi de Jure Patronatus, & de Templis.* 4. *Concl.* Clandestinæ Ecclesiæ, quæ alicubi in domibus Nobilium ex agro vicino conveniunt, quod publica aut privato publica oratoria non habeant, nec alibi tutò convenire possint, quin sint Ecclesiæ completæ minimè dubitandum. 5. *Concl.* Conciones cum permittuntur habendæ in aulis, aut privatis familiis Nobilium, quia subinde commodè ad publica Templa accedere nequeunt: non tamen inde sequitur Auditores earum facere separatas & distinctas Ecclesias, extra communionem & politiam Ecclesiæ, (orthodoxæ scil.) istius loci. Hoc enim esset absque necessitate Ecclesias erigere,

Digitized by Google

gere, in Eccleſiis, immo contra eas 6. *Concl.* Ne quidem hoc concedendum videtur, quamvis omnes familias clientum & muncipum ſuorum ſibi adjungant. Neque enim ſervitutes, ſubjectiones, & dependentiæ ſæculares fundant ſacram Eccleſiæ unionem & ſocietatem; imprimis in N.T., ubi populo, nationi, regioni, urbi, familiæ, Eccleſia minimè allegata eſt. VIII. *Quæſt.* An rationem aliquam Eccleſiæ habeant, & verè dici poſſint Eccleſiæ Inſtitutæ? *Reſp. Diſt.* Si non propriè, ſaltem analogicè; ſi non completè, ſaltem incompletè; ſi non ordinariò, ſaltem extraordinariò, & in caſu neceſſitatis. Sicuti familia aliqua in inſulam delata, ab omnibus hominum ſocietatibus ſeparata, faceret ibi populum, ac penes unicam illam publica & politica eſſet poteſtas, tantiſper, dum progreſſu temporis in plures familias excreſceret: ſic & una familia ſimili in caſu neceſſitatis, poſſet eſſe Eccleſia, penes quam aliqua poteſtatis eccleſiaſticæ πτῶσις & χρῆσις. Tales videntur fuiſſe Eccleſiæ in familiis omnium Patriarcharum uſque ad Jacobum inclusè; nec non filiorum Abrahami ex Keturâ, poſterorum quorundam Eſaui, præſertim Jobi (qui probabiliter dici poteſt fuiſſe ex poſteris Keturæ aut Eſaui) inſuper Melchizedeki, Jethro, aliorumque verè fidelium, qui ante ſeparatam Politiam & Eccleſiam populi Iſraëlitici, & ante verum Dei cultum publicè ac nationaliter ibi conſtitutum atque obtinentem, in Gentilium terris: vixerunt. Quin immo florente politiâ & Eccleſiâ Iſraëliticâ, non defuerunt familiæ fidelium inter Gentiles ſparſæ; quæ, ſiquidem Eccleſiis ſynagogicis Iſraëlitarum in omni natione (*Actor.* 2. *v.* 5.) incorporatæ non eſſent, uti omnes iis ita incorporari, ſaltem in iiſdem convenire non poterunt; per ſe Synagogam, ſeu Eccleſiam aliquam ſynagogicam, procul dubio conſtituebant, & exercitia pietatis ſeu cultum ſynagogicum (quæ neceſſariò diſtinguenda ab exercitiis & cultibus ſoli tabernaculo aut templo affixis), domi ſuæ aut in familiis quique ſuis obſervabant. Et talem fuiſſe Eccleſiam aut Synagogam domeſticam in familiâ Eunuchi (de quo *Actor.* 8. *v.* 27.) non improbabiliter conjicitur; quæ tamen quod ad cultum templarem, æque ac alii omnes Iſraëlitæ inter Gentiles in Synagogas collecti (vide *Actor.* 13. & 17. *v.* 1. 10. 17.) reſpexit Locum, quem Dominus elegerat; ſicuti Eunuchus eò profectus erat *Actor.* 8. *v.* 27. & Græci *Johann.* 12. *v.* 20. ad feſtum celebrandum. Et ſimiles Eccleſias fuiſſe cogitandum eſt, in familiis Adami, Sethi, etiam Noachi poſt diluvium, antequam plures familiæ inde propagatæ eſſent *Danæus Lib.* 1. *de Primâ Mundi Ætate cap.* 4. Adamo & Evæ ante lapſum, & liberis, ſi quos illo in ſtatu procreaturi fuiſſent, Eccleſiæ rationem ac nomen, eccleſiaſticumque ſtatum attribuit. De harum conſtitutione, poteſtate, regimine, diſciplinâ difficultates non ita moveri poſſunt ob aſſiſtentiam extraordinarii Miniſterii & infallibilis ſpiritus prophetici Patriarcharum: ac quidem de Eccleſiis Domeſticis familiarum inter Gentiles latentium,

Digitized by Google

tium, quibus infallibilitas illa deerat. Ideo in principio diximus, tales fuisse & dici posse Ecclesias analogicas, incompletas, aut Ecclesias necessitatis, seu provisionales. Quod idem Ecclesiis hodiernis, si quæ sunt & dicuntur, in aulis, in familiis nobilium, in navibus, in castris &c. applicandum censemus. IX. *Quæst.* An ex *Roman. 16. v. 5.* solidè probari possit nomen & rationem Ecclesiæ convenire cœtui seu hominibus in unam familiam eâdem in domo unitis, & ad communia seu socia pietatis exercitia ordinatiò convenientibus? *Resp.* Tantum probabiliter. Quia analogia fidei & contextus illius non cogit nos ad interpretationem de Ecclesiâ ex solis domesticis Aquilæ & Priscillæ collectâ: æque enim accipi potest de cœtu illo, qui in domo illâ convenire solet; cui tanquam parti Ecclesiæ Romanæ nomen Ecclesiæ tribuitur. Hæc est interpretatio *Bezæ in Notis.* Interpretes Belgici utramque interpretationem proponunt. X. *Quæst.* An si in Ecclesiâ topicâ, aut Parochiali verus cultus hæresi, aut idololatriâ corrumpatur, una aliqua familia inhærens orthodoxiæ, cultu & exercitiis suis domesticis potius contenta esse debeat, quam in dictæ Ecclesiæ communione cultum exercere. *Resp. Aff.* His conditionibus. 1. Si exercitiis illis in communione illius uti non possit, sine commissione aut participatione idololatriæ, aut hæresios. 2. Si nulla alia purior Ecclesia illic, aut in vicinia, illo tempore, habeatur; cum quâ explicitè in exercitiis sive palam, sive clam, cómmunicare queat. 3. Si intendat, & paratus sit, quam primum fieri poterit, inde aliò ubi Ecclesia habetur, commigrare. Separationem ab Ecclesiâ corruptâ, etiamsi quis solus, aut sola aliqua familia, privatis suis exercitiis ad tempus contenta esse cogeretur; suadet responsum *Josuæ cap. 24. v. 15.* Conferat cui ita videbitur, disputata à nobis *Lib. 3. Despet. Causæ Papatus sect. 3.* XI. *Quæst.* An Pater familias necessariò antecessorem in exercitiis domesticis, seu Catechistam, & in casu necessitatis quasi Concionatorem agere debeat? *Resp.* Quamvis id illi maximè conveniat, & sine ejus autoritate, ac concessione socia exercitia in domo illâ palam nulla, clam vix ulla observari queant: non tamen hoc qualecunque munus & opus sive catechisticum sive quasi concionatorium illius potestati & muneri œconomico ἀχωρίστως adjunctum putamus. Incidere enim potest casus ineptitudinis & ἀδυναμίας, ex parte externorum sensuum, aut ingenii & memoriæ, aut gravis alicujus morbi & symptomatis; aut casus ἀπαιδίας & in spiritualibus ἀπειρίας. Ne dicam, per obitum Patris, familiam haut rarò à Viduâ Matre familias per multos annos posse gubernari. Isti similesque casus evincunt maximè idoneo in familiâ sæpe ἡγεμονίαν & οἰκονομίαν in exercitiis domesticis committendam. Danæus loc. cit. scribit: *Hujus verbi à Deo revelati* Minister *erat Adamus uxori: ac proinde cæteri mares fœminis, & mariti suis uxoribus, & parentes liberis Ministri & Concionatores ejusdem*

dem Dei verbi erant futuri eodem modo &c. Et Paulo poſt. *Denique* locus *Eccleſiæ fuit, & futuræ quidem ipſius Dei cum Adamo & poſteris ejus collocutionis hortus* &c. *Futuræ autem parentum cum liberis, & maritorum cum uxoribus, de eodem Dei verbo communicationis, locus fuit mutua converſatio, domeſticumque conſortium.* Hæc ſtatui integritatis convenire non negamus; quia impedimenta modo memorata tunc abfuiſſent. Sed poſt ingreſſum peccatum, longè aliter hæc ſe habuerunt: eoque factum ut Eccleſiarum inſtitutarum particularium, & miniſteriorum ac vocationum alia fuerit ratio, non minus ac cultus inſtituti; & conſequenter in exercitiis ſociis per familias obſervandis, non ſemper Patres aut Mariti, ſed nonnunquam idonei magis in illâ familiâ οἰκόμοροι hâc in parte conſtituantur. Ex hâc determinatione patet, quid reſpondendum ad ſequentem quæſtionem. XII. *Quæſt.* An per Patres aut Matres familias, aut per Præfectos & Ephoros orphanorum in orphanotropheio, eligi & poſtulari poſſint ex verbi Miniſtris, aut ægrotorum Conſolatoribus, aut miniſterii Candidatis, aut Ludimagiſtris, aut quibuſcunque aliis piis ad hoc idoneis, qui domi ſuæ aut in orphanotropheio, ſuos in elementis religionis & pietatis inſtituant: abſque ullo Eccleſiaſticę poteſtatis præjudicio, ullâ ἐνθέσεως perturbatione? *Reſp.* Quidni? Cum enim triplex catechizatio, domeſtica ſc., ſcholaſtica, eccleſiaſtica ex *Actis Synodi Nationalis Dordracenæ* an. 1619. *ſeſſ.* 17. apud nos præſupponatur, utique abſque omni ſpecie præjudicandi regiminis eccleſiaſtici cuique Patri aut Matri familias, licitum eſt, aſciſcere aliquem ſive privatum ſive in publico munere conſtitutum, qui vices ipſorum ſubeat in rudibus privatim catechizandis, in formandis & concipiendis precibus. Dilutum nimis eſt, quod ab imperitis & contentioſis, qui ipſi nihil præclari agere volunt aut poſſunt, & alios agere non ſinunt, objectum memini, præjudicare hæc exercitia domeſtica & ſocia unitati, unioni, directivæ poteſtati Eccleſiæ aut Synedrii eccleſiaſtici: Quaſi domeſticum ſeu œconomicum regimen familiarum, per ſe præjudicaret poteſtati & regimini Magiſtratus urbici, Regum, Principum. Eâdem conſequentiâ prohiberi poſſet omnis collatio de ſcripturâ & rebus ſacris, inter duos treſve domi, aut in hoſpitio, aut eâdem in navi ſedentes, aut ad exemplum diſcipulorum (*Luc.* 24.) deambulantes. Et quidni, omnis privata ac ſolitaria ſcripturæ lectio, & meditatio ob incommoda? ſciſmatum, & hæreſin, quæ inde, ſed per accidens, ſequi poſſent, & non rarò ſecuta ſunt. Hoc velint Papiſtæ laicis ſcripturæ lectionem prohibentes. Sed inſtet quis, ſaltem antecedentem conſenſum, poteſtatem, ordinem ad catechizationes, ſcripturæ lectiones, concionum repetitiones, deberet quiſque à Synedrio ſuo exſpectare & poſtulare. Cui reponimus, commentum hoc geminum eſſe illi Papiſtico, de Bibliis, à laico privatim non legendis, niſi ad id licentiam in ſcriptis habeat à ſuo Epiſcopo. Vide *Regulas Concilii Tridentini de Libris prohibitis, Reg.* 4. ejuſque

Digitized by Google

que interpretationem in *Urbani VIII. Indice Librorum prohibitorum* Cum *Synodus Dordracena ſeſſ.* 17. triplicem faceret catechizationem, noluit licentiam domeſticæ aut ſcholaſticæ catechizationis denuo peti à Synedrio aut Claſſe. Hoc enim tantundem eſſet, ac ſi Miniſter vocatus ad prædicationem verbi, denuò licentiam prædicandi peteret à Synedrio ſuo: cum munus prædicandi ipſi per legitimam vocationem ſit impoſitum. Eccleſiaſticæ & publicæ catechizationis alia eſt ratio; quam privatæ ſive domeſticæ, ſive ſcholaſticæ. *Illius* tempus, locus, modus, ordo, Synedrii conſenſu conſtituitur aut mutatur; *Iſtius*, à Præfectis ſingularum ſcholarum, aut Familiarum. XIII. *Quæſt.* An ſint propriè dictæ Eccleſiæ, quæ Academicæ & Provinciales appellari cœperunt. *Reſp.* Quid hæc appellatio ſibi velit, explicandum erit ab illis, qui eâ utuntur. Quod ſi ſtylo Canoniſtarum in Papatu, per Eccleſiam catachreſticè intelligatur templum ſeu ædificium aliquod Academicis lectionibus, promotionibus, aliiſve actibus magis ſolennibus deſtinatum, in quo etiam conciones aliquæ coram Academicis, aut coram quibuſvis auditoribus habentur, utique parum in hâc appellatione periculi: ut nec in appellatione templi aut ſacelli Regii, Ducalis, territorialis, provincialis, aulici &c. In quo ſive ordinariò ſive extraordinariò conciones coram Rege, Duce, Ordinibus Provincialibus, Senatu, aut Curiâ, Aulicis &c. habentur. Quod ſi quis intelligeret Eccleſiam Inſtitutam propriè dictam, quę ſpecificè dicta Academica & Provincialis ab Eccleſiâ e. gr. Leidenſi, aut Ultrajectinâ, aut Harderovicenâ diſtingueretur, non minus ac Ultrajectina ab Harderovicenâ, aut Leidenſis Belgica à Leidenſi Wallonicâ ſeu Gallo-Belgicâ, quæque peculiari & diſtincto ſuo regimine uteretur; ita ut Miniſtri & membra ejus cum agendis, vocationibus, & cenſuris ſuis, non ſubeſſent ordini & directioni Synedrii, Claſſis, Synodi, ſed tantum Academiarum aut Principum aut Ordinum: videretur Eccleſia in Eccleſiâ, aut juxta, aut contra Eccleſiam erigi, aut nova forma quaſi independentium ſeu congregationalium Eccleſiarum ex adverſo preſbyterialium fabricari.

Caput VI.

De Eccleſiis Collegiatis, Cathedralibus, ſeu Diœceſianis Archiepiſcopalibus ſeu Metropolitanis, Patriarchalibus, Oecumenicis.

Hactenus nonnulla quæſivimus de Eccleſiis in defectu: reſtat agendum de Eccleſiis in exceſſu. Habet Papale Jus canonicum varias diſtinctiones Eccleſiæ, quales ſunt Oecumenica, Virtualis, Conſiſtorialis, Patriarchalis, Metropolitana, Cathedralis, ſeu Dioeceſiana, Collegiata, Inſignis, Exempta, Numerata, Commendata, Parochialis ſeu Curata,

Digitized by Google

Curata, Regularis, Mater seu Matrix, Unita, Baptismalis. Sed quia stylo Romano per Ecclesias plerumque aut virtuales seu repræsentativas ita dictas Ecclesias, aut templa intelligunt, & nobis infra de Templis, ut & de Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis agendum erit, ne bis idem agamus, præcipuè hic de Collegiatis, Cathedralibus, Metropolitanis disquiremus. Præmittimus hic theticam Collegiatæ Ecclesiæ descriptionem, secundum Jus Canonicum & ex sensu Papatus. *Ecclesia Collegiata est, in quâ ex clericorum coadunatione & congregatione corpus conficitur, quod collegium appellatur.* Contra-distinguitur non collegiatæ, hoc est, Vulgari *Parochiali* seu *Curatæ.* 1. Dicitur & *Collegialis Conventualis*, & κατ' ἐξοχὴν, *Ecclesia.* 11. Materia unde construitur Collegiata, sunt *partim* Ecclesia Parochialis qualiscunque; *partim* Clerici aliquo numero, qui cum & sub aliquo Præside collegialiter huic Ecclesiæ præsunt, eamque curant & regunt. Status hujus Ecclesiæ bene constitutus & integer requirit Capitulum, hoc est Canonicos cum appendentibus & dependentibus dignitatibus & Ministeriis: de quibus *part.* 2. agendum. Alioquin, cum necessitas ita fert, ad collegium hoc constituendum tres sufficiunt, si scil. celebrent conventus collegiales, sigillum & arcam communem habeant, & fraternitatem inter se colant. Sic *Lambertin. de Jure Patron. Part.* 1. *Lib.* 2. *qu.* 5. Vide & *alios cit.* apud *Barbosam de Canon. c.* 2. 11. Dicuntur autem Canonici Ministri in divinis inservientes. Officium eorum consistit in istis duobus, *stallo* in choro cum participatione divinorum; & *loco* in Capitulo. *Stallus* in choro includit servitium Ecclesiæ, chori, & altaris: ut scil. Missæ & horis Canonicis interfint, ipsi per se seu personaliter & non per substitutum; *tum* hymnos & laudes Dei, *tum* missas conventuales cantent, recitent officia defunctorum & B. Mariæ, & Psalmos pœnitentiales ac graduales, denique Episcopo sacra celebraturo aut divina officia audituro adsistant. (quod peculiariter spectat ad Canonicos cathedrales) Ecclesiastica potestas eorum exprimitur τῷ stallo aut *loco* in Capitulo. *Locus* in capitulo complectitur administrationem & gubernationem rerum Ecclesiæ & capituli, spiritualium, temporalium. De his videatur inter recentiores celebris Canonista *Augustinus Barbosa tract. de Canonicis capp.* 31. 32. 33. 34. 40. 111. Formam facit unio illa & ordo inter Ecclesiam, & Capitulum seu Collegium Clericorum: Fundamentum istius collegiatæ unionis *propinquum* est dotatio istius Ecclesiæ, unde illi suppetat ad quotidianas distributiones, item præbendas & beneficia suorum clericorum; Hic etiam requiritur consensus patroni si sit patronata. *Proximum*, est autoritas & voluntas Episcopi Parochialem in Collegiatam erigentis. Sic quidem statuunt antiquiores Canonistæ *Panormit. Johan. Andr. Imola* &c. Per textum in *cap. quoniam, de Vitâ & honest. cleric.* Sed recentiores, & cum iis *S. Congr. Concil.* 27. *Junii* 1627. nunc soli Papæ hanc autoritatem vindicant. Vide *Barbos. de Ca-*

Digitized by Google

non. c. 2. IV. Propria ejus sunt. 1. *Quod* sit superior & dignior Non collegiatâ seu simplici Parochiali, eamque debeat præcedere ; quamvis hæc illâ esset antiquior eamque præcederet, antequam esset Collegiata. Sic determinavit *S. Congr. Rit.* 13. *Martii anno* 1619. & 25. *Februar.* 1606. 2. *Quod* Collegæ istius Collegii communiter celebrent divina officia. 3. *Quod* propterea lucrifaciunt & recipiunt distributiones communes ex omnibus fructibus, reditibus, & emolumentis ; juxta *Bullam Pii* IV. *anno* 1561. 4. *Quod* jus collegii in uno solo remaneat, & conservari possit, aliis mortuis, privatis, suspensis. Ita *Gloss. in c. gratum de postul. prælatur.* & *in* c. 1. *de Election.* Et determinavit *S. Congr. Concil* 26. *Aprilis* 1621. collegiatam adhuc dici & gaudere privilegiis, tantum uno Canonico remanente. 5. *Quod* Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ quamvis peritissimus Doctor, non potest constitui, delegatus Papæ seu judex synodalis. *Barbosa c.* 19. §. 10. 6. *Quod* circa ritus & ceremonias debet servare laudabiles & antiquas consuetudines aliarum similium Ecclesiarum suæ Provinciæ. *S. Congr. Rit.* 25. *Febr.* 1606. 7. *Quod* Collegiatæ Ecclesiæ Canonici possunt deferre crucem propriam in processionibus, dummodo digniorem & ultimum locum relinquant Clero Ecclesiæ Cathedralis *S. Congr. Rit.* 24. *Augusti* 1609. 8. *Quod* non debeat eodem modo & solenniter ac eâdem die celebrare festum dedicationis, prout celebratur in Ecclesiâ Metropolitanâ. *S. Congr. Rit.* 26. *Jun.* 1610. 9. *Quod* non debeat accedere ad Ecclesiam Parochialem ad faciendam benedictionem, & distributionem candelarum & palmarum. *S. Congr. Rit.* 28. *Aprilis* 1607. 10. *Quod* collegialitas, ubi non constat de fundationis initio, ex conjecturis & indiciis probetur. Conjecturæ autem seu indicia hæc sunt potissima : principalis Dignitas quæ sit caput Collegii, ut Canonici sint membra ; ad cujus libitum congregentur ; & quidem ad sonum campanæ ; sigillum commune ; arca communis, ita ut fructus communiter dividantur ; collationes canonicatuum, & assignationes stalli in choro, & loci in Capitulo, factæ per Canonicos capitulariter congregatos, provisos de canonicatibus. *Barbos. c.* 1. §. 9. 10. 11. 14. Ubi addit non requiri omnium indiciorum concursum, sed sufficere, si aliqua sint. 11. *Quod*, quamvis in jure determinatum non sit, quænam dici debeat collegiata *insignis* ; tamen judex tutò pronuntiare possit super hâc qualitate, quod sita sit in loco nobili, insigni & præcipuo, & quod sic ex communi hominum opinione habeatur, aut quod sit *matrix*, *antiqua*, supra alias præcedentiam obtineat, insignem structuram habeat, referta sit magno numero Ministrorum deservientium. Vide de his nugis *Barbos. c. cit.* §. 18. 12. *Quod* novi canonicatus in eâ jam erectâ possint institui & addi ab Episcopo, scil. cum congruâ portione : nam creare canonicatus supernumerarios ad futuram præbendam nec est Episcopi, nec Capituli ; sed solius Papæ. Sic censuit *S. Congr. Concil.* apud *Barbos. ibid.* §. 24. v. Dividitur 1. In

insi-

insignem, & in simplicem seu non insignem. Illa hanc præcedit, etiamsi hæc prius fuisset erecta, & illius posterior erectio sine hujus præjudicio facta esset. *S. Congr. Rit.* 23. *Martii &* 20. *April.* 1602. 2. In eam quæ *in Diœcesi*, & eam, quę *extra Diœcesin.* 3. In *Regularem*, & *Secularem.* Regularis est, quæ regitur à Collegio Monachorum seu Canonicorum regularium Benedictinorum, Cisterciensium, Cluniacensium, Nortbertinorum, Augustinianorum, Crucigerorum. Et nota quod hodie major pars abrogatâ regularitate transierit in statum sæcularem. (*Barbosa de Canon. c.* 1. 49.) 4. Sic Capitula dividuntur in *exempta, & non exempta.* Rursum in ea quæ *quasi episcopalem* jurisdictionem habent, & ea quæ non habent, (*Barbosa c.* 42. §. 21.) Ecclesiam Collegiatam exemptam visitandi facultatem potest Episcopus subdelegare, sed opus est subdelegatione speciali. Sic *S. Congr. Concil.* 1. *Febr.* 1631. *Denique* divisio Capitulorum in species specialissimas, seu mavis individua, infinita pæne esset. Irregularium numerum per totum orbem inire conatus est *Aubertus Miræus tract. peculiari.* Regularium numerum, nondum vidi in scriptore aliquo exhibitum: quamvis non dubitem quin scriptor aliquis monastici ordinis Benedictini, Cisterciensis, Præmonstratensis, Augustiniani, Crucigerorum, quisque suæ religionis monasteria per totum orbem numeraverit.

2. Præmissâ hâc descriptione Collegiatarum, sequitur ἐπίκρισις seu examen earundem, quod quatuor conclusionibus absolvimus. I. *Conclusio.* Ecclesia omnis particularis visibilis propriè sic dicta, hoc est topica, sive urbana, sive oppidana, sive vicana, potest & debet esse ac dici Collegiata; non tamen diacriticè & contra distinctè à plerisque aliis Parochialibus: ut scilicet pauciori-bus quibusdam præeminentiâ hâc peculiari vindicatâ, aliis sua libertas & potestas pereat, sitque generatio unius corruptio alterius. Ratio hæc est: quia Ecclesiæ omnes particulares institutæ sunt homogeneæ, & æquales ut partes similares unius totius integralis, quod est Ecclesia per totum mundum disparsa; aut ut species unius totius universalis. Quidquid ergo convenit ac tribuitur uni, illud pariter tribuendum alteri II. *Concl.* Hinc omnes Ecclesiæ topicæ (quas appellatione vulgari Parochiales vocant), non mutilę sc. sed integrę & bene constitutæ, debent esse Collegiatę; & sunt tales nostræ reformatę in Galliâ, Belgio, Scotiâ &c. III. *Concl.* falsò ergò aut æquivocè dicuntur Collegiatæ in Papatu tales Ecclesiæ, quæ Clericorum Collegium aut Capitulum habent. Rationes sunt istæ. 1. *Quia* διακριτικῶς dicuntur tales in præjudicium & depressionem aliarum Ecclesiarum, quibus non conceditur esse collegiatas: nisi ineas erigantur. Videantur de erectione Parochialis in Collegiatam, & hujus in Cathedralem, *Canonistæ, ad Extrav. Salvator, de Præbendis inter commit.* Ita introducitur typhus sæculi in sanctuarium, & stabilitur ac promovetur hierarchica oligarchia; quæ tandem desinit in monarchiam & tyrannidem: cum tamen Ecclesia non

Digitized by Google

sit supra Ecclesiam, & omnium par sit potestas, etiam, in constitutione & usu istorum Collegiorum: consequenter in toto & pleno cultu divino publico; etiam in regimine & exteriori regimine ecclesiastico, Vide *Matth.* 18. 17. 1 *Cor.* 5. Coll. cum 2 *Cor.* 2. 6. 1 *Timoth.* 4. 14. Confer infra *Part.* 2. ubi *de Senioribus.* 2. *Quia* fundamentum hujus potestatis & prærogativæ ecclesiasticæ est malum: ergo & ipsa est mala. *Fundamentum propinquum* est ditatio & dotatio Ecclesiæ supra alias: quasi Christus sacram atque ecclesiasticam unionem ac potestatem suspendisset à mammonâ iniquitatis. Ut de consensu & libitu patroni jam nihil dicam. Vide *Part.* 2. *de Jure Patronatus. Fundamentum proximum* est potestas Papæ; quæ jure divino, & antiquo ecclesiastico nulla est in alienis Ecclesiis. Sententia eorum, qui Episcopo hierarchico seu monarchico hoc tribuunt, vix teruncio melior est. 3. *Quia* munera seu actus dicti Collegii illegitime instituta sunt: *partim* propter abusus gravissimos lege istic receptos, ut, superstitiones, idololatrias, hæreses in cultu divino: *partim* propter usurpationem & monopolium: nam dicti illi Clerici sibi sumunt potestatem spiritualis & ecclesiastici regiminis, eamque Parochis, Concionatoribus, aut quocunque alio titulo inservientibus illi Ecclesiæ in verbo & sacramentis eripiunt: quibus tamen jure divino competit, *Eph.* 4. 11. 12. 1 *Thess.* 5. 12. 1 *Pet.* 5. 1. 2. 1. *Tim* 4. 14. & 5. 17. Non potest enim in ordinario Pastore animarum separari prædicatio verbi & administratio sacramentorum cum jurisdictione interiori (uti vocant) conscientiæ à potestate regiminis & jurisdictionis (quam vocant) exterioris. Præterea plebi ecclesiasticæ, seu toti corpori eripiunt, solis sibi vindicant officium publicè invocandi & laudandi Deum: contra 1 *Cor.* 14. 16. 26. *Col.* 3. 16. Confer *Justini Martyris Apolog.* 2. Adde quod aliis Ecclesiis eripiunt & sibi per monopolium quasi vindicant plenum illum cultum publicum, quo Deus collegialiter & choraliter colitur & celebratur. Confer infra *Part.* 2. ubi *de Canonicis.* 4. *Quia* collegium malè & illegitimè conflatur, ex solis quibusdam Clericis, in quibus hæc notamus. *Primò* quod electio vix umbram habeat electionis ecclesiasticæ, sed multis modis contaminata. Notæ apud Canonistas sunt intrusiones à Papis fieri solitæ, item menses Papales, turni, &c. adhæc resignationes, aliæque nundinationes. *Secundò* quod eligendorum qualitates & requisita nulli rei minus conveniunt, quam curæ animarum, & ministerio ecclesiastico: plerique enim sunt aut otiosi ventres, aut pueri, aut homines mundani, ut non obscurè fatentur illi, qui *tract.* scribunt, *de Canonicis*, *Molanus*, *Barbosa*, *&c.* Vide *Part.* 2. ubi *de Canonicis.* *Tertio*, quod ut ut optimè in suo genere se haberent, munus tamen eorum esset creatura merè humana, mera usurpatio, quâ supra fratres se efferunt; & cum animas pascere & curare minimum possint aut velint, Pastores tamen Ecclesiarum & verbi Ministros cum Ecclesiis ipsorum gubernant. Hoc argumentum fortius

fortius ſtringit, ſi collegium conſtet ex Clericis Regularibus, hoc eſt Monachis: de quibus, infra ſuo loco. 5. *Quia* jura & conſuetudines in primâ erectione collegiatarum, ſub Papatu, inque perpetuo earum regimine obſervari ſoliræ (quas vide ſupra *theſi* 1.) nec cum Scripturâ, nec cum antiquo jure & praxi eccleſiaſticâ conveniunt. Tentent modo earum probationem, & videbunt eſſe meras novitates ac quiſquilias Papales, ſequioribus ſæculis exortas.

3. Cathedræ vox quid in Politicis ſignificet notum eſt: hæc tranſlata ad eccleſiaſtica metonymicè notat munus Doctoris aut Rectoris eccleſiaſtici. Decreſcente primævâ ſimplicitate, creſcente ambitione cathedræ Epiſcopis in Eccleſiâ attributæ, metonymiâ ſynechdochicâ cœpit appropriari Epiſcopis ita dictis, ita ut munus, regimen ac præfectura eorum nomine ſedis, cathedræ, ſeſſionis indigitarentur. Occurrit in *Jure Canonico c. luminoſo* 18. *qu.* 2. phraſis: *cathedram collocare;* quod *Gloſſa* explicat, judicia exercere; aut juriſdictionem exercere atque explicare, uti *Albericus de Roſate in ſuo Dictionario.* Sic Eccleſia dicta eſt Cathedralis ob honorem Cathedrę Epiſcopalis, & quia penes ipſam eſt cathedra, in quâ Magiſtrorum magna dignitas deſignatur. Barboſa loc. cit. *Eſt ergo Cathedralis Eccleſia, in quâ præter collegium cathedra ſuperioris, ſive prælati ſedes exiſtit. c. ſtatutum, de Reſcript. in* 6. c. *ne pro defectu, de Elect. Dicitur* etiam 1. *Eccleſia major*, uti notant *JCC. ad L.* 8. *C. de Epiſc. & Cler.* 2. Antonomaſticè, *Eccleſia*, abſque ulteriori expreſſione alicujus Sancti, vel adjectione voculæ *Cathedralis*: & ſic vocari apud Canoniſtas juxta antiquum ſtylum curiæ Romanæ, teſtis *Barboſa c.* 2. *de Canonicis.* 3. Belgicè & Germanicè dicitur de **Domkercke**: quod vulgo à latino *Dominicum* derivant. *Molanus tract. de Canonicis Lib.* 3. *c.* 3. mavult deducere à voce **Biſdom**/ per ſyllabæ abjectionem brevitatis causâ, quaſi plenè dicas **Biſ-domkercke.** Fundamentum hujus eminentiæ Cathedralis, ſeu cathedralitatis *propinquum* conſiſtit in iſtis. 1. Ut ſit Eccleſia Collegiata. 2. Ut locus, ubi erigenda eſt, habeat populum nobilem & numeroſum, ita ut abſque hujuſmodi erectione populus pateretur in divinis, ſic ut ad majorem commoditatem adminiſtrandi divina, fiat. 3. Ut populus habeat nobilitatem in moribus & honeſtate. 4. Ut ibi ſit copia Sacerdotum, ne ſedes epiſcopalis vileſcat. 5. Ne remaneat ſine Diœceſi, ita ut ſi deſit ſufficiens numerus Eccleſiarum, quæ illi ſubjiciantur, Eccleſiæ aliquæ ſive in Diœceſi ſive extra Diœceſin conſtitutæ ei uniantur, & hanc unionem vocant *dotationem*, quæ ad erectionem Cathedralis ſit acceſſoria, tanquam pars ejus integralis; cum Eccleſia ſine dote eſſe nequeat. Sic Autores apud *Barboſam loc. cit. Fundamentum proximum*, eſt autoritas ſolius Papæ Eccleſiam aliquam in Cathedralem erigentis, uti conſtat ex praxi (cujus exempla aliquot infra notabimus); & communi jure eccleſiaſtico, ac Theologiâ in Papatu. *Autores & loca cit.* vide apud *Barboſam. Adjuncta* Cathedralis, unde

Digitized by Google

etiam signa ac probationes cathedralitatis conquirendæ (juxta *Barbos. loc. cit.*) sunt ista. I. Quod sit Parochia totius Civitatis & Diœcesios. *Glossa c. 2. de pœnit. 6.* II. Quod habeat sedem Prælati, sive regularis, sive sæcularis. III. Quod erecta & constituta sit in Cathedralem, à Papâ Romano: ad quem solum hoc spectare docent ex Canonistis *Rebuffus de Praxi Beneficior. tit. de Erect. in Eccles. cathedr.* ex Theologis *Azorius Instit. Moral. p. 2. Lib. 5. c. 29. qu. 25. & Lib. 6. c. 30. qu. 2. & 4.* Addit *Barbosa c. 2. §. 21.* ad Papam solum spectare canonicatus in Ecclesiis Collegiatis & Cathedralibus instituere, in actu erectionis. IV. Quod intituletur (vel certè intitulanda sit) sub nomine Diœcesis, non autem Sancti. *Aloys. Ricc. in Collectan. Decis. p. 6. collect.* 2350. *Gambara, Camillus Borrel. Steph. Gratianus, aliique* apud *Barbos.* V. Quod celebret festum dedicationis; qui sane antiquissimus ritus nec tolerari nec servari poterat, nisi admissâ Ecclesiæ cathedralitate; juxta *Decisionem Rotæ* apud *Barbos.* VI. Quod habeat facultatem exigendi decimas in territorio civitatis soli cathedrali competentes *c. quoniam & c. cum contingat, de Decimis.* Ubi videndi *Doctores*, & *Glossa.* VII. Quod habeat jus extrahendi cadavera ex alienis Parochiis, eaque sepeliendi: hoc enim solis Cathedralibus indulgetur, aliis omnibus de jure prohibitum est *c. ex parte, c. cum liberum, c. cum super, c. in nostrâ de Sepulturâ.* VIII. Quod habeat (saltem de consuetudine) indistinctam omnium sacramentorum administrationem *c. 3. & ult. de Paroch. & cap. Presbyteri, de consecrat. dist. 4.* IX. Quod delatio corporis Christi & tota processio in festo corporis Christi à Cathedrali debeat inchoari, & ibidem finiri. Ita determinavit *S. Congr. Rit.* 19. *Augusti* 1619. X. Quod dignitate præcedat omnes Ecclesias non Cathedrales; & quod Canonici earum præcedere debeant Canonicos Collegiatarum ex *c. sedes* 15. *de Rescription.*, & *c. 3. de Sepulturâ*; Quam infinitam autem distantiam usus vulgaris, & hominum superbia fecerit inter illos Canonicos, indicat *Responsum Canonici Leodiensis ad Canonicum de Boxtehoede* (qui in literis suis nomine *confratris* ipsum salutaverat), *confrater*, inquit, *ut muscæ sunt aves.* Ut memini me legere apud *Molanum de Canonicis. lib. 1. c. 3.* XI. Quod Clerus Cathedralis in funere etiam defunctorum propriæ Collegiatæ Parochiæ, per totam viam tam per suam, quam per alienam jurisdictionem præcedere debeat Clerum aliarum Ecclesiarum, etiam exemptarum, & habentium distinctam jurisdictionem à jurisdictione Cathedralis Ecclesiæ. *S. congr. Rit.* 18. *Novembr.* 1606. *& 25. Junii* 1611. & 19. *Augusti* 1619. quod extenditur etiam ad omnes actus & functiones in propriâ Collegiatâ exercendas. De quo vide *Autores* dissentientes apud *Barbosam cap.* 18. Una tamen exceptio est ab hâc regulâ; quod Canonici Collegiatæ in urbe Româ tanquam digniores præcedunt Canonicos Cathedrales in aliis Civitatibus. De his quisquiliis & excrementis præcedentialibus, videant, quibus vacat,

Zerolam in Praxi Episcopali p. 2. in verbo Canonici, & *Mich. Ferrum in tract. de Præcedentiâ Ecclesiasticâ*, & indicem quasi omnium *Barbosam c.* 18. XII. Quod Archipresbyter ejus omnibus de Diœcesi sacramenta administret; quippe qui præsit illi Ecclesiæ, quę Parochia totius Civitatis & Diœcesis dicitur *Gloss. in verbo, subdito, c. 2. de pœnitentiâ Lib. 6.* & *Doctores cit.* à *Barbosa c. 6. §. 19.* XIII. Quod Canonici, Presbyteri, & Clerici ejus simul faciant unum corpus, & omnes sub Ecclesiæ Cathedralis cruce in publicis processionibus incedere debeant. *S. Congr. Rit. 28. Novembr.* 1609. XIV. Quod in omnibus præcedant Regulares, etiam in ipsorum regularium Ecclesiis. Ita determinat *S. Congr. Rit. 12. Martii* 1616. & 31. *Martii* 1618. & *duæ Constitutiones Clementis VIII. confirmatæ postea à Gregorio* 15. quę vide apud *Barbos. loc. cit.* XV. Quod in omnibus & per omnia sint preferendi Magistratui sęculari (qui scil. non est de perpetuis & majoribus), & quod consequenter Concionator debeat ipsos prius salutare, & quod sint ante Magistratum thurificandi tam in Cathedrali Ecclesiâ quam in aliis, *S. congr. Rit. 3. Octobr.* 1615. & 16 *Junii* 1605. XVI. Quod in Processionibus debeant incedere parati; non sic alii Canonici *S. congr. Rit.* 19. *Maji* 1607. *in dub.* 20. XVII. Quod Capitulum ejus ad Concilia Provincialia etiam vivente Episcopo, vocandum & admittendum sit. De quo vide *Quarantam in Summâ Bullarii, in voce Concilium Provinciale*; & *Barbosa c.* 42. §. 21. XVIII. Quod libris ejus regulariter plenissima fides adhiberi soleat. De exceptionibus & limitationibus hujus regulæ vide disceptantes *Canonistas* apud *Barbosam c.* 2. §. 20. & 34. §. 21. XIX. Quod Reges & Principes sint Patroni quantum ad provectionem, non quantum ad electionem vel præsentationem; nisi adsit privilegium Apostolicum, quod omnibus fere in Europâ adesse testis est *Barbos. c.* 22. Sunt & alia quædam adjuncta negativa, quæ non tam ad augendum cumulum dignitatis, quam ad exsuperantiam ejus limitandam ac coërcendam facere videntur. 1. Quod per erectionem ejus non censetur unquam derogatum juri alterius; nisi in quantum summus Pontifex exprimit, *Extrav. ult. de Conceß. præbend. Johan.* XXII. 11. Quod Parocho ejus non liceat sacramenta administrare, vel curam exercere in alienâ Parochiâ. *S. Congr. Rit.* 28. *Novembr.* 1609. 111. Quod Episcopus possit proprium ejus archivum visitare, & jura atque scripturas concernentes statum ipsius Ecclesiæ recognoscere, adhibitis tamen aliquibus ejusdem Ecclesiæ Canonicis. Sic determinavit *S. Congr. Rit.* 27. *Martii* 1632.

Adjiciatur superioribus & hæc farrago partim onerum, partim privilegiorum. 1. Inter adjuncta & emolumenta Ecclesię Cathedralis est *cathedraticum*, quod tamen soli ipsius marito cedit, nempe Episcopo: de quo *Doctores ad c. placuit.* 10. *qu.* 3. *& ad c. conquerente, de offi. ordinand. in antiq.* Est autem munus illud, quod singulis annis exigere solet ordinarius à singulis Ecclesiis.

by Google

siis aut Clericis Cathedræ suæ subjectis. Vocatur & *synodaticum*, quod ad sublevationem expensarum synodicarum olim tributum fuerit. Nunc Canonistæ persolvi dicunt Episcopo Cathedralis honoris ergo. Non potest Episcopus nomine cathedratici imponere novam taxam: nec possunt fratres S. Johannis Hierosolymitani compelli ad solutionem Cathedratici Synodatici. *Barbosa in Collectan. Bullarii*, *in Cathedraticum.* II. Episcopus non potest visitationem Ecclesiæ Cathedralis protrahere, sed debet eam continenter persequi, neque ad extraneos actus divertere. *Barbos. in Collectan.* Doctorum ad varia loca *Concil. Trident.*, *ad sess.* 6. *c.* 4. III. Non potest Cathedralis locum in alium locum Diœcesis transferre sine autoritate apostolicâ. *Ibid. sess.* 21. *c.* 7. IV. Non potest in Cathedralem transferre capellanos habentes servitium chori in capellâ prope Cathedralem. *Ibid.* V. Cathedralis Ecclesiæ reparatio spectat ad Episcopum: Quod si fructus ejus sint tenues; tenetur Capitulum ipsius Ecclesiæ supplere de fructibus qui detractis necessariis supersunt: si tamen reditus Episcopi & Canonicorum non sufficiant, poterit Episcopus accedentibus Canonicis reditus beneficiorum vacantium applicare fabricæ Ecclesiæ. *Ibid.* VI. Episcopus non tenetur sequi consensum capituli in condendis statutis in Synodo: & solus habet votum decisivum in Synodo diœcesianâ, non vero Capitulum; nisi in casibus à jure expressis, aut ex privilegio & consuetudine: Et potest in eâdem Synodo constitutiones facere, absque approbatione cleri. *Ibid sess.* 24. *c.* 3. VII. Administrator (qui etiam *procurator*, *visitator*) Cathedralis Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus, jurisdictionalia exercere potest; non tamen sacramentalia. Est autem administrator, qui solum à sede Apostolicâ in Cathedralibus vacantibus ad tempus deputatur. Rationem hujus potestatis adferunt Canonistæ, à simili, Episcopo electo & confirmato; hic enim potest exercere jurisdictionalia, ergo & ille. Apud *Vivianum in Rationali Juris Canonici Lib.* 1. *tit.* 6. *c.* 42. VIII. Emolumentum ex jurisdictione, sigillo curiæ, vel alias pertinens ad Prælatum Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatæ eâ vacante, reservandum est successori. *Ibid. Clementin. c.* 7. *p.* 131. IX. Episcopo à Paganis vel à Schismaticis capto non administrat Archiepiscopus, sed Capitulum. *Ibid. tit.* 10. *c.* 3. X. Nullus sine speciali licentiâ Papæ providere potest Ecclesiæ Cathedrali, quæ clero careat & populo Christiano. *Ibid. tit.* 6. *Clementin. c.* 5. *p.* 130. XI. Si Ecclesia sita in aliquo Archidiaconatu, erigitur in Cathedralem, à jurisdictione Archidiaconatus eximitur. *Ibid. tit.* 33. *c.* 16. XII. In rescriptis onerosis, aut quando Papa alicui mandat de beneficio in aliquâ Ecclesiarum civitatis aut Diœcesis provideri, non comprehenditur illo generali nomine Ecclesia Cathedralis. *Idem Lib.* 3. *tit.* 5. *in Sexto. c.* 5. *p.* 38. Sed nugarum plus satis.

4. Notandæ nunc Ecclesiæ, proximè similes Cathedralibus, & deinde earum

rum ſpecies. Prioris generis ſunt 1. Collegiatę inſignes; de quibus *ſupra* 2. Collegiatæ exemptæ, quæ propriam juriſdictionem habent, à juriſdictione Cathedralis diſtinctam. 3. Collegiatæ nullius Diœceſios, ſeu extra Diœceſin: quales Abbatiales, ſeu Abbatię non paucæ. Dividitur Cathedralis in iſtas ſpecies 1. In Numeratam, & non Numeratam. Illa definitur Eccleſia, in quâ eſt certus numerus Canonicorum, eâ lege, ut nequeat alterari ex determinatione & præſcripto ſtatuti. *Barboſ. de Canonicis c.* 3. §. 1. 11. In Regularem & Sæcularem. Regularis eſt in quâ Collegium cathedrale eſt Clericorum regularium. Sunt autem Canonici regulares duorum generum: quorum alii ſub clauſtro & obedientiâ, ſicut alii veri religioſi vivunt, abſque ullo adminiſtrandi jure. Alii obtinent ſuas portiones loco canonicatuum, & jus adminiſtrandi. Tales olim in Anglià, & hodie in Siciliâ etiamnum teſte *Barbosâ ibid. c.* 1. Secularis eſt, in quâ Collegium Clericorum eſt ſæcularium, quos vocant Canonicos irregulares &c. & tales hodie ferè omnes. Olim quidem in primâ origine multæ ſi non pleræque celebriores Cathedrales & Metropolitanæ, erant Regulares, uti exemplis Alexandrinæ, Aquilegienſis, immo & primæ Hieroſolymitanæ & Antiochenæ probare conatur *Joh. Baptiſta Signius Lib.* 1. *de Ordine & Statu Canonico, c.* 10. Sed poſterioribus ſæculis, pleræque earum ſunt ſæculares factæ: talis autem ſæcularizationis architectus eſt ſolus Papa: ut videre eſt in *Bullario*, & apud *Barboſam de Canonicis. c.* 1. §. 49. 50. Catalogum Eccleſiarum tam Cathedralium quam aliarum Collegiatarum à ſtatu regulari ad ſæcularem converſarum vide apud *Chopinum de Sacrâ Politiâ Lib.* 1. *tit.* 3. Et *Aubertum Miræum de Collegiis Canonic. c.* 123. Problemata hic moveri poſſent 1. An Eccleſiæ quarum Canonici ſunt ſæculares, ſed Rectores ſeu Præfecti earum ſunt Abbates aut Priores ſæculares, (quales complures recenſet *Miræus Libro cit. c.* 122.), ſint dicendæ Collegiatæ aut Cathedrales purè ſæculares, an vero mixtæ? 2. An Abbas aut Prior ſæcularis non ſit contradictio in adjecto; quaſi dicas Monachum non Monachum? 3. An ſæcularizatio ſecundum hypotheſes Theologiæ Papiſticę, non poſſit dici tranſitus ab equis ad aſinos? Porro de differentiâ inter Collegium regularium & irregularium, inter Præfectum ſeu Prælatum regularem & ſęcularem, inter Canonicum regularem & ſęcularem & vario temperamento ac modo regiminis. Vide *Barboſam loc.cit.* Tædet enim exſcriptionis nugarum. 111. Diviſio Eccleſiarum Cathedralium in ſpecies ſpecialiſſimas, ſeu in individua, petenda eſt ex *Notitiâ Epiſcopatuum*: quæ antehac edita fuit cum *Barcinonenſis Practicâ Cancellariæ apoſtolicæ*: ſed accuratior nunc & huic noſtræ ętati accommodata eſt noviſſima illa, quam habet *Barboſa in ſuâ Praxi exigendi Penſiones* editâ anno 1636. cum quibuſdam *Votis Deciſivis Canonicis.* Inter quas nota Lauretanam, Ripanam, S. Severini, Montis alti, Tolentinam ſuperiori ſæculo per poſteriores Papas in Cathedrales

Digitized by Google

erectas: de quibus consule *Bullarium*, & *Barbosam in Collectaneis Bullarii in voce, Ecclesia*, & *eundem in Praxi exigendi Pensiones*. Ante Barbosam edita est ab *Auberto Miræo Notitia Episcopatuum totius orbis. in* 8.

5. Sequitur nunc examen & ἔλεγχος dictarum Cathedralium: Nos dicimus esse eas humanæ inventionis, & consequenter salutari reformatione ad simplicitatem primævam atque apostolicam hâc in parte redeundum. Rationes supra productę contra Collegiatas huc omnes analogicè aut à minori ad majus applicandę. Nobis nunc sint istę: 1. *Quia*, nulla est materia talis Ecclesię; ergo nulla talis Ecclesia. Materia ejus statuitur Ecclesia Diœcesiana, seu Diœcesis, cujus communis seu universalis Parochia dicitur Cathedralis. Atqui systema Diœcesianum repugnare scripturę, quę omnes Ecclesias Parochiales, seu Particulares institutas vocat Ecclesias, constat ex locis Scripturę citatis à *Parkero* ubi etiam vide vindicias hujus argumenti contra Pontificios; *Polit. Eccles. Lib.* 3. *c.* 18. *&* 19. 11. *Quia* nulla est forma talis Ecclesię; sed quęcunque fingitur & quęritur partim in Prælato seu Episcopo, partim in Collegio seu Capitulo Canonicorum, repugnat verbo Dei: quod Ministeria nulla agnoscit præter memorata *Ephes.* 4. 1 *Timot.* 5. 20. 1 *Cor.* 12. *Actor.* 6. & 20. *Tit.* 1. Ad hæc Pastores facit æquales. Sed Episcopos, & Canonicos jure divino alibi ἀτοξίας & usurpationis convincimus. 111. *Quia* fundamentum Cathedralitatis est putridum & malum. Est autem *fundamentum* remotum Politia civilis, ad cujus modulum & exemplum efformata dignitas & Prælatio Ecclesiarum in Civitatibus & Metropolibus, aliarumque omnium in oppidis & agro vicino per Satrapias quasi distributio ut tanquam matri & dominę suæ illi subjicerentur: quod est contra *Luc.* 22. & contra *Galat.* 1. 2. *Corinth.* 8. *Philipp.* 4. &c. Ubi dicuntur Ecclesię Macedoniæ, Asię, Achaię, Judeę, Galatię &c. Pari jure & privilegio, absque respectu aut distinctione ὑπεροχῆς. Pręterquam, quod nusquam Corinthiaca, Ephesina, &c. hoc nomine aut in *Epistolis* aut in *Historiâ Sacrâ* salutantur. 2. *Fundamentum* propinquum (nonnullis hierarchicis solum atque unicum) est conversio, seu opera & Ministerium, quod Ecclesia aliqua impendit, in plantandis, colligendis, & ędificandis aliis: unde putant jus acquiri subordinationis. Sed absque scripturis, immo contra eas, & contra omnem rationem. Ita debuisset Hierosolymitana aut Judaica in perpetuum omnes alias sibi subjecisse tanquam prima & communis mater (*Jesai.* 2. *Joh.* 4. *Actor.* 1. & 2 *Rom.* 11.) pariter & Gręcæ seu Orientales, Romanam, aliasque omnes Occidentales. Repugnat etiam rationi, si dicatur, Ecclesiam particularem, visibilem, & institutam ideo non esse essentialiter Ecclesiam nec habere propriam formam, propriam & intrinsecam suam potestatem ecclesiasticam, quia ab alia orta ac progeni asit: quasi vero homo non sit essentialiter & ęqualiter homo cum genitore suo. Sed de hoc puncto pluribus differimus

ſerimus *Deſper. Cauſ. Pap. lib.* 3. *ſect.* 3. *c.* 4. *Fundamentum* proximum hujus ædificii quod ad inchoationem eſt arbitrium & conſuetudo humana; quod ad conſummationem & dominationis exſuperantiam, authoritas Papæ. Quantum autem in rebus divinis & eccleſiaſticis utrique tribuendum, hic non eſt dicendi locus IV. *Quia* neceſſarium requiſitum, ſeu primum eſſentiale adjunctum cathedralitatis nullum eſt, poteſtas ſcilicet eccleſiaſtica in Eccleſias totius diſtrictus aut dioeceſios, immo in Eccleſias oppidanas, aut civitatenſes, & quidem in alienâ provinciâ aut agro procul ſitas: ergo nulla eſt Cathedralis. Antecedens patet, quia poteſtas eccleſiaſtica eſt penes omnes & ſingulas Eccleſias in vocationibus Miniſtrorum, in verbi & ſacramentorum diſpenſatione, in cenſuris, ex *Matth.* 18. 1 *Cor.* 5. & 14. 2 *Corinth.* 8. *Epheſ.* 4. *Actor.* 4. 1 *Theſſ.* 5. 1 *Timoth.* 3. & 4. & 5. 1 *Petr.* 5. &c. Conferatur *Tract. ſeq. de Poteſtate Eccleſiaſticâ*, & *Part.* 2. *de Vocationibus Miniſtrorum, de Senioribus, de Claſſibus & Synodis.* V. *Quia* requiſita, jura, conſuetudines in erectione, amplificatione, & regimine Cathedralium obſervari ſolita, (*Theſi præcedenti* recenſita) repugnant juri divino, ſimplicitati primævæ, & ædificationi Eccleſiarum; ut verbo dicam ſunt meræ uſurpationes, ſpolia Clericorum aliis Eccleſiis erepta: & faciunt Eccleſias, ubi diſpenſatur verbum cum ſacramentis, non Eccleſias. Quæ omnia abſurdiſſima ſunt; indicaſſe illa eſt probaſſe VI. *Quia* inducit aut ſtabilit dominationem eccleſiaſticam, oligarchiam, primatum, monarchiam & tyrannidem Papalem, ἀλληγοποιεῖ, breviter fumoſum ſæculi typhum; omnia ſacra in profana, Eccleſiam in mundum, paulatim transformat, & (ut termino ipſorum utar) ſæcularizat. Nôrunt hoc qui nôrunt Cathedrales, cum ornamentis, reditibus, pompâ; adhæc capitula cathedralia cum ſuis reditibus, honoribus, & dignitatibus Archipresbyteri, Archidiaconi, Præpoſiti, Decani, item Epiſcopos & Curias Epiſcopales cum Vicariis, Officialibus &c., aut qui modo Coloniam, Leodium, Moguntiam, Compoſtellam, Lutetiam, Tarraconam, Saltzburgum, Bambergam Cæſarauguſtam &c. viderunt. Sed evidentius nullum eſt argumentum, quam carnales diſceptationes, determinationes, & regulæ de Præcedentiis; quas ſuppeditant nobis poſt *Jus Canonicum*, *Bullæ & Conſtitutiones Pontificum*, *& Acta Congregationis Cardinalium ad determinationem rituum*, *& alterius ad Explicationem Concil. Tridentini deputatæ*, ut & *Autores ſupra cit.* Ut jam nihil dicam de concertationibus inter Capitulum ejuſque dignitates & Epiſcopum, rurſum inter Cathedralem, & inter Collegiatam exemptam, aut inter Collegiatam inſignem & divitem partim ſuper punctis honoris, partim ſuper limitibus juriſdictionis. Vide *Bochelli Decreta Eccleſiæ Gallicanæ lib.* 5. *tit.* 8. *c.* 72. Et *Barboſæ Collectanea Bullarii*, & *Doctorum ad Concil. Tridentin. ubi de Epiſcopis*, *& Capitulis.* VII. *Quia* regimen Cathedralium nihil fere curat quam mundum ejuſque perituras divitias, ve-

Digitized by Google

ctigalia, fundos, toparchias, decimas, &c. Est saltem hoc præcipuum Capituli & Episcopi objectum occupans. Ita ut si alibi, certè in Cathedralibus quam maximè obtineat vetus illud diverbium: *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.* VIII. Denique injuriæ sunt Cathedrales (ut ut melius, aut optimè in suo genere se haberent) non tantum in Ecclesias, quas sibi subjiciunt, sed imprimis in verbi Ministros, & Dispensatores mysteriorum Dei: qui labores curæ animarum subeunt; Cathedrales vero per sua Collegia & Episcopos, dignitate, potestate, autoritate, fructibus gaudent, & regimen spirituale seu ecclesiasticum in eos pariter & oves eorum carnali & sæculari modo usurpant. Viderint, quam bene conveniat hoc cum *Malach.* 2. 7. 1 *Cor.* 4. 1 *Thess.* 5. 1 *Timoth.* 5. 1 *Petr.* 5. aliisque textibus supra, & alibi citatis, item cum *Chrysostomo de Sacerdotio*, *Nazianzeni Apologiâ pro fugâ*, Gregorii M. pastorali, in quo emicat hæc aurea sententia: *Pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio. Pasce verbo prædicationis doctè, pasce exemplo conversationis sanctè, pasce subsidio caritatis piè.* Quomodo Episcopi, cum Capitulo hoc faciant, nimis notum est: & tamen supra Parochos, aliosque Clericos laborantes in verbo, & curâ animarum se efferunt, atque iis eorumque operâ utuntur, haut aliter ac herus servi, aut coloni, aut mercenarii in rebus sibi propriis.

6. Rationes quæ pro Cathedralibus adferri solent, admodum fluctuant: 1. Modo ex jure divino, aut tempore atque exemplo apostolico petuntur. 2. Modo illis diffisi, tutius putant eas petere ex praxi & consuetudine antiquæ Ecclesiæ: 3. Subinde ad jus sive æquum naturale, provocant: quia enim Ecclesia omnis civitatensis, aut aliquæ saltem plantârunt alias Ecclesias suburbicarias & istæ ab illis in ortu dependebant; putant hoc deberi, ut actu & in perpetuum tanquam propagines ab illa matrice dependeant, immo in Matris suæ gratiam nunquam fiant Ecclesiæ in forma atque integritate suâ. Similiter fere ac jure belli & subjugationis, aut jure vindiciarum & liberationis, aut jure primæ occupationis, Civitates, Insulæ, Provinciæ, Nationes, aliis Civitatibus, Provinciis, Regnis, Nationibus politicè subjiciuntur. 4. Rursum alii præsidium ponunt in jure civili, & secundum illud in distributione locorum per Provincias, Satrapias, & unius subordinatione sub altero: tale enim jus & talem morem pariter traductum atque applicatum velint ad Ecclesias. Quod ad prætensum jus divinum & institutionem apostolicam, fons solutionis hic unicus tenendus: primas omnes Ecclesias N. T. initio institutas, non fuisse tales ut alias complures sub se complecterentur, nec plurimas illas topicas seu Parochiales fuisse tantum partes magnæ Ecclesiæ Diœcesianæ (sic dictæ in Papatu,) nec destitutas fuisse proprio sui regimine, aut tanquam partiales Ecclesias pependisse à Cathedrali, ut sic magna illa Diœcesiana in unica Cathedrali repræsentaretur; & quidem totum ejus regimen esset penes solum Episco-

Digitized by

ſcopum, aut ipſo mortuo penes Capitulum, abſque conſenſu Preſbyterorum ſeu Paſtorum. Hic fons ſolutionis ſi teneatur, videbis nulla argumenta, nullas exceptiones attingere ſtatum controverſiæ; ſed eſſe aut principii petitiones, aut ignorationes elenchi, aut meras contradictiones, quibus ſe involvunt, & propria ſua aut ſociorum deſtruunt: quod tam doctè & ſolidè oſtenſum eſt à *Parkero loc. cit.*, ut nemo (quod ſciam) toto illo tempore (editus autem eſt liber 1616.) quidquam illi repoſuerit. Ne ergo actum agamus, eò ablegamus lectores. 11. Fontes ſolutionum ad objectam antiquitatem ſunt iſti. 1. In prima antiquitate poſt apoſtolicam non fuiſſe ſic; ſed ut ab initio per Chriſtum & poſtea per Apoſtolos ac Viros apoſtolicos euangelium prædicatum eſt in oppidis, vicis, pariter ac in civitatibus & urbibus; *Luc.* 10.8. cum *Matth.* 10.11. & 9.35. *Marc.* 1.38. *Actor.* 8.25. Sic ubique Eccleſias collectas, conſtitutas & quidem propriè ſic dictas (*Roman.* 16. 1 *Actor.* 14.21. *Tit.* 1.3. *Actor.* 15.36. iiſque ſingulis ſuos Rectores, ſeu Paſtores, ſeu Epiſcopos fuiſſe præfectos; 1 *Timoth.* 3.15. *Tit.* 1.*v.*5. *Actor.* 14.5.*v.*23. *Epheſ.*4.*v.* 11. nonnunquam ſingulis plures (*Actor.* 20.*v.*17. *Philipp.* 1.1.28. *Theſſal.* 5.12.1.) regimen eccleſiaſticum fuiſſe ſimile polyarchico ſeu polycratico; hocq; in ſtatu conſervatas fuiſſe, donec ambitio paulatim Chorepiſcoporum conſtitutionem inhibuit, & regimen, quod penes multos erat, ad pauciores primum, deinde ad unum Epiſcopum redegit. Notandum tamen veſtigia primigeniæ humilitatis & ſimplicitatis non defuiſſe, cum perpetua unius inter Preſbyteros præſidentia fimbrias ſuas admodum dilataſſet. In Concilio Carthaginenſi (de quo apud *Cyprianum*) multos Epiſcopos, qui ibi ſubſcripſerant, fuiſſe vicorum & oppidorum inde colligitur, quod pleraque nominalocorum, ubi Epiſcopalis eorum ſedes, Geographis innominata ſint. Quin immo ſtabilitâ jam paſſim epiſcopali eminentiâ, adhuc ſuperſtites inveniuntur Epiſcopales ſedes, Dolichiæ, Nazianzi, quæ oppida fuerunt, teſte *Theodoreto lib.* 3.*c.*4. & *Socrate Lib.*4.*c.* 26. 111. Fontem ſolutionis ad objectam rationem & convenientiam, ut convertens Eccleſia in converſam juriſdictionem habeat, infra indicabimus. 1v. Objecto exemplo juris civilis, reponimus illud Chriſti *Joh.* 18.*v.*36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & Luc. 22. *Reges Gentium* &c. *vos autem non ſic* &c. Rationes œconomicas ſeu culinarias pro Cathedralibus infra verbulo perſtringemus.

7. De Metropolitanis agunt Doctores ad c. clericis. 9. qu. 3. *Eſt autem Metropolitana, quæ eſt in urbe primaria Provinciæ ſeu Metropoli, quæque habet ſedem ſeu cathedram epiſcopi metropolitani. Iſidorus* & cum eo *Jus Canonicum c. cleros* 21. *diſt,* videtur circumſcripſiſſe Metropolitanam præfecturâ decem civitatum ad minimum. Metropolitam alii plane eundem faciunt cum Archiepiſcopo, ut ex Jure Civili & Canonico probari putat *Tholoſanus Syntagm. Juris lib.* 15.*c.* 11. & ſic *recentiores Canoniſtæ*, & *Praxis Curiæ Romanæ.* Alii tamen diſtinguunt ut

Cujacius ad C. de Sacroſ. Eccleſ. ubi dicit Metropolitanos eſſe inferiores Patriarchis ſive Archiepiſcopis, & ſuperiores Epiſcopis. Dicuntur & Metropolitani, αρχιεπίσκοποι, πρώτοι, πρωτόθρονοι, *Patriarchæ* (non abſolutè, ſed cum adjectione) *minores*. Metropolitanæ dicuntur etiam, *Patriarchales*, matres ſeu *matrices*: quod nomen alio reſpectu tribuitur etiam Cathedralibus, immo & Parochialibus Baptiſmalibus; *Gloſſa in Clem.* 1. *de ſent. Excom.* & *c. dilectus. de capell. monach.* 11. Origo ſeu prima occaſio Metropolitarum videtur fuiſſe humana conſuetudo, & conſtitutio, quâ facti ſunt quaſi Præſides Epiſcoporum & Eccleſiarum in unâ Provinciâ, quibus incumbebat convocare Epiſcopos Provinciæ, & in Conciliis præſidere: quibus etiam additum hoc onus, ſive hæc poteſtas, ut ipſis præſentibus atque actoribus vocarentur Epiſcopi. Vide *Canonem* 5. *&* 6. *Concilii Niceni. &* 20. *Antiocheni*, *&* 28. *Chalced. Can.* 28. Confer infra *part.* 2. *ubi de Metropolitis.* Sed progreſſu temporis autoritas crevit, & colophonem ei addidit poteſtas Papæ Romani: quæ nunc proximum fundamentum eſt talis Eccleſiæ. Vide erectiones earum *in Bullario*: de quo mox. 111. Ex adjunctis & requiſitis partim privilegiis partim oneribus nunc iſta delibamus. 1. *Quod* Epiſcopi omnes Provinciæ ſint & dicuntur *Suffraganei*, relatè ad Metropolitam ſuum. 2. *Quod* in erectione diverſæ Eccleſiæ ei ſubjiciendæ ſunt: juxta *Conſtitutionem Gregorii XIII.* 3. *Quod* Archiepiſcopi earum coronent Reges, ex delegatione Domini Papæ: ſic Taraconenſis Regem Aragoniæ, juxta *Bullam Innocentii III. anno* 1206. Innovatenſis Regem Bulgariæ, juxta *Bullam ejuſdem Papæ anno* 1204. Moguntinus olim Carolum Magnum &c. 4. *Quod* Suffraganei de Metropolitâ ſuo nihil poſſint judicare, niſi quod antiquior inter eos abſentiam ejus ultra ſex menſes teneatur Papæ indicare. *Concil. Trident. ſeſſ.* 6. *c.* 1. 5. *Quod* Metropolitæ earum ſuperiores ſunt Epiſcopis, inferiores Primate, uti Primates inferiores Patriarchis Majoribus. *Can.* 1. 99. *diſt. Tholoſanus* tamen *loc. cit.* ex Sidonio Apollinari probatum vult, olim Metropolitanos in Gallia ſedi Romanæ immediatè ſubjectos, 6. *Quod* conſequenter à Suffraganeo ad Metropolitanum quemlibet provocari poſſit. *cap. ſi inter epiſcopos.* 6. *quæſt* 44. 7. *Quod* Metropolitæ ſint Suffraganei Patriarcharum, *capit. paſtoralis, de offic. ordinand.* 8. *Quod* Metropolita non poſſit Epiſcopum ordinare, niſi conſulto Patriarchâ, *cap. quoniam.* 65. *diſtinct.* 6. *Quod* in Eccleſiâ Metropolitanâ Vicarium conſtituere poteſt Epiſcopus antiquior ex Suffraganeis, ſiquidem Capitulum conſtituere negligat: Cathedrali verò exemptâ negligente, Epiſcopus propinquior deputare poterit: in Cathedrali vulgari poterit Archiepiſcopus deputare Vicarium ſeu Officialem; ſi ſcil. Capitulum intra octiduum de Vicario non providerit, *Quaranta in Conſtitut. Pontificum, voce Capitulum*, & *Archiepiſcopus.* 10. *Quod* Metropolita, ſive Archiepiſcopus non poſſit judicare cauſas vertentes inter Epiſcopos

ſcopos Suffraganeos. *S. Congr. Epiſcop. & regular.* 31. *Maji* 1588. 11. *Quod* non debeat ſe ingerere in primâ inſtantiâ cauſarum, quæ agitantur coram ejus Suffraganeo; nec cauſas in curiis ordinariorum pendentes avocare. *S. Congr. Concil.* apud *Zeroll. in Praxi Epiſcop. in voce, Appellatio.* Vide integrum decretum, apud *Quarantam loc. cit.* & *Barboſam in Collectan. Doctorum ad Concil. Trident. ſeſſ.* 13. *c.* 1. 12. *Quod* Archiepiſcopus tranſlatus ad ſedem epiſcopalem, poſſit tantum retinere nomen ſive titulum Archiepiſcopi, non autem uſum pallii & crucis. *S. Congr. Rit.* 16. *Octobr.* 1604. 13. *Quod* non ſedeat in loco ſuperiori, nec cruce, nec morettâ utatur, præſente Legato Pontificis in Civitate. Has aliaſque ſordes præcedentiales videat, qui volet, apud *Barboſam in Collectan. Bullarii, in voce, Archiepiſcopus.* 14. *Quod* Metropolitana regularis ſæcularizari poſſit à ſolo Pontifice. Quid autem ſit ſæcularizatio, & quod præter qualitatem regularitatis nihil immutet, diſces ex *Bulla Clementis VIII.* quâ ſæcularizavit Eccleſiam Cæſar-auguſtanam *Idib. Julii* 1604. Bulla hæc non exſtat in Bullario, ſed ejus meminit *Barboſa tract. de Canonicis cap.* 1. §. 49. 15. *Quod* erectio Eccleſiæ in Metropolim non poſſit fieri aut peti, niſi prius adeant congregationem ad hoc inſtitutam à Sixto v. ut negotio per illos examinato, valeant hoc impetrare à Papâ. Adde novellis iſtis, ſtatuta quędam antiquiora. 1. Ut Suffraganei Metropolitanis ſuis adjutores ſint, eaque quæ erga miniſterium illorum emendanda cognoſcunt, libenti animo emendent, atque corrigant: *In Capitulari Caroli M. an* 780. *c.* 1. 11. Ut Metropolitanus non audiat cauſas ſine preſentiâ omnium comprovincialium Epiſcoporum. *Capitulare Ludov. pii & Lotharii anno* 826. *c.* 10. apud *Goldaſtum in Conſtitution. Imperator. tom.* 3. *p.* 258. 111. Ut ſi quis queratur ſe à Metropolitano gravari, apud Primatem Dioeceſios, aut apud Sedem Patriarchalem agat judicium. *Ibid. cap.* 13. 1v. Ut nequaquam inter duos Metropolitanos Provincia dividatur. *Conſtitut. Caroli M.* deſumpta ex *Capitulari Lotharii*, apud *Goldaſtum p.* 152. v. Ut in hæreſin lapſus à Provinciæ Epiſcopis, finitimis Metropolitis judicetur. *Concil. Epheſin. can.* 1.

8. Dividuntur Metropolitanæ 1. in Regulares & Sæculares: confer, quæ *ſupra in Diviſione Cathedralium notavi.* 11. In Simplices ſeu Vulgares Metropolitanas; & in Primatiales, ac Patriarchales: quales e.gr. inter minores ſeu particulares Patriarchales Magdeburgenſis in Germaniâ, Cantuarienſis in Angliâ, Armachana in Hyberniâ &c.; inter majores ſeu univerſales & œcumenicas; quales Romana, Conſtantinopolitana &c. 111. In Species ſpecialiſſimas, ſeu in individua, hoc eſt, in Metropolitanas hodiernas totius orbis: quarum catalogum accuratiſſimum exhibet *Barboſa libro cit.* cum de Cathedralibus ageremus. Inter eas digito monſtrandæ, quæ ſuperiori & proximè præcedenti ſæculo in Metropolitanas erectæ, ut Senenſis per Pium II. Bononienſis per Gregor.

Digitized by Google

Gregor. XIII., Firmana per Sixtum V., Ravennatensis per Gregor. XIII. cujus Ecclesias Suffraganeas designavit Clemens VIII. De quibus consulendum *Bullarium.* Conveniunt proximè cum Metropolitanis, Cathedrales exemptę. *Romana Lateranensis* omnes cujuscunque generis exemtas, Metropoliticas superare videtur. Est enim non tantum Cathedralis, sed & Metropolitana, immo & Patriarchalis, & amplius: Nam 1. *Supremum* locum tenet super omnes Ecclesias orbis & urbis. 2. *Est* Romanorum Pontificum Patriarchium. 3. *Ea* venit appellatione Ecclesiæ Romanæ. 4. *Eadem* gaudet privilegio centenariæ præscriptionis. 5. *Eidem* ob plura ibi celebrata Concilia supremus locus debetur. 6. *Est* caput & mater omnium Ecclesiarum. 7. *Eâ* non est sanctior locus toto in orbe. 8. *Eandem* cadentem suis humeris sustinere visus est S. Dominicus. 9. Ejusdem indulgentiæ innumerabiles. 10. *Ejus* capitulum facultatem habet concedendi indulgentias. 11. *Eadem* dat licentiam in suis locis erigendi loca pia, cum consensu ordinariorum. 12. Ejusdem Canonici præcedunt Canonicis & Clero Ecclesiæ S. Petri de urbe. 13. *Ejusdem* lites agnoscit Cardinalis Archipresbyter, & judex ab eo deputatus. Vide hæc privilegia & has ejus laudes, passim *in Bullario & in Panuino in Opusculo de præcipuis Urbis Basilicis, & Pompeio Ugonio in Tract. de præcipuis urbis Stationibus:* ubi etiam historiæ & antiquitates de ejus ædificatione, reliquiis, & sacris monumentis. Præcedentiam soli illius capitulo ante Cistercienses aliosque Canonicos Regulares concedit *Caramuel Lobkowitz in Tract.* quo rigidè & operosè contendit pro præcedentiâ Cisterciensium. Rationes illius ἰδιοτικὰς videat, apud ipsum, cui vacat.

9. Restat nunc pars elenctica. Rationes contra infelicem fabricam istiusmodi Ecclesiarum peti possunt ex elencho Cathedralium, & analogicè huc applicari. Nunc seorsim indicamus istas. 1. Quia jure divino nulla Ecclesia Provincialis, nec Archiepiscopus, nec Capitulum: hoc est nec materia, nec forma; ergo nec compositum. 1. Non esse talem Ecclesiam, à minori ad majus colligitur ex iis quæ contra Cathedrales attulimus. Vide *Parkerum p.* 245. & 283. primæ editionis in 4. 2. Nec esse talem Pastorem provincialem, quippe qui non sufficeret muneri suo, quod præcipuè consistit in prædicatione verbi & hortatione publicâ ac privatâ (uti antehac vel ex ipsis Pontificiis ostendit nostra *Desper. Causa Papatus*); immo nec sufficit ad regimen aut jurisdictionem in tot & tam latè diffusis Ecclesiis. Sed de Episcopis & Archiepiscopis, eorumque institutione ex professo agimus *Part.* 2. Interim videant lectores *Calvini Institut. lib. 4. cap.* 10. *Wittakerum c. Bellarmin. Controv. 4. qu.* 2. *Raynoldi colloquium cum Harto. Parkerum lib.* 3. *c.* 19. imprimis & *Altare Damascenum cap.* 2. *&* 3. 11. Sequeretur hoc absurdum; potestatem ecclesiasticam à Christo alligatam esse certis locis, eorumque mundanæ ὑπηρεσίας, quæ nutu prin-

principum, annorum curriculo mutari poteſt, uti forma provinciarum mutata eſt, teſte *B. Rhenano*, & ex eo ac cum eo *Tholoſano lib.* 15. *c.* 11. Confer *Whitakerum Controv.* 4. *qu.* 1. 111. Sequeretur & alterum abſurdum; eâdem conſequentia agnoſcendas eſſe Eccleſias Patriarchales cum Patriarchis, & Oecumenicam ſeu univerſalem cum ſuo Pontifice œcumenico. Vide argumenti hujus vindicias apud *Parkerum c. cit. p.* 287. *Objectiones & exceptiones* pro Metropolitanis deſumuntur 1. ex Scripturâ. *Reſp.* Sed 1. Aut tantum occultam intentionem Apoſtolorum nobis obtrudunt; cujus autem avis indicio hoc habent? 2. Aut Scripturæ phraſin atque hiſtoriam, ex factis, phraſi, conſuetudine, & uſu ſequentium ſæculorum non minus periculosè quam indoctè explicant. Vide *Parkerum.* 11. Ex æquitate & jure naturali, immo & divino: quo ſcilicet Eccleſia convertens in converſam juriſdictionem obtineret. *Reſp.* Infra in ſubjectis Problematis, aliquid de hoc dicendum. 111. Ex jure Eccleſiaſtico antiquo *Reſp.* Videndum eſt an ſatis prudenter ad exemplum Politiæ ac Dominationis civilis, immo & Ethniciſmi (*c. illis.* 8. *diſt.*) Eccleſiæ ab humanâ conſuetudine & ratione ſint conſtitutę. 2. Longe alia forma & ratio fuit iſtorum, & Papalium Metropolitarum; uti egregiè evincunt *Parkerus*, & *Autor Altaris Damaſceni* (*David Calderwood*) *loc. cit.* Quibus nihil nunc habeo, quod addam, niſi hoc unicum: ex Capitulari Ludovici Pii: cap. 10. *Nullus Metropolitanus Epiſcopus abſque cæterorum omnium comprovincialium Epiſcoporum inſtantiâ aliquorum, audiat cauſas eorum: quia irritæ erunt, immò & cauſam in Synodo pro facto dabunt. Nec reliquorum aliquis Epiſcoporum, ſuorum Sacerdotum cauſas audiat abſque præſentia Clericorum ſuorum, quia irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi præſentiâ Epiſcoporum confirmetur.* Longè alia nunc facies poteſtatis hierarchicæ.

10. *Patriarchales* Eccleſię ſunt vel particulares, vel univerſales ſeu œcumenicę. *Illæ* ſunt Eccleſiæ & Sedes Primatum in quâque gente, aut Imperio, aut Regno. Hodie etiamnum in Moſcoviâ, & Imperio Abaſſino tales ſunt Sedes Patriarchales, & Patriarchę: quorum poſteriorum ipſorum linguâ vocatur *abouna*, i.e. Pater noſter. In Occidente vocantur *Primates*, e.gr. Galliæ, Germanię, &c.: ſic e.g. Hermolaus Barbarus fuit Patriarcha Aquilegienſis. *Iſtæ* in orbe Romano olim erant Romana, Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, earumque ſive appendix ſive auctarium, Hieroſolymitana. Alexandrina hoc ſaltem titulo videtur inter omnes Patriarchales antiquiſſima: ubi primo Patriarcha ipſorum vocabatur *Abba*, poſtea à tempore Heraclæ, conſtitutis per prędeceſſorem Demetrium tribus, & per ipſam viginti Epiſcopis (qui antea in Ægypto nulli erant) vocati ſunt *Papa* (quod Arabes ſcribunt *Baba*), id eſt, avus, hoc eſt, pater patrum: quod Epiſcopi dicerentur Patres; & conſequenter Patriarchæ, qui Epiſcopis ſui diſtrictus præerant, dicendi viderentur, *patres patrum.* Sic *Eutychius* Patriarcha

Digitized by Google

xandrinus *in Annal. Arab.* & Lat. nunc editis *tom.* 1. *p.* 334. Sed de his pluribus infra *Part.* 2. ubi *de Patriarchis. Oecumenica ecclesia* instituta scil. per explicitam & ordinatam correspondentiam ac communicationem una atque unita, an post tempora apostolica, unquam in mundo exstiterit, aut aliquamdiu continuata fuerit, ita ut notitia ejus historica à nobis nunc haberi possit; non tantum vehementer dubito, sed & in negantem partem totus inclino. Ita ut frustra talis unitas œcumenica jactetur. Implicitam omnium orthodoxarum ecclesiarum omniumque fidelium communionem, semper fuisse & etiamnum esse sine dubio statuendum est: & de eâ accipiendum esse illud vulgatum: *Non Deus huic pater est, cui non Ecclesia mater.* Studere enim quis potest unitati Ecclesiæ universalis, & in unitate ejus manere, qui persistit in unitate fidei, & cum quacunque ejus parte, in quam incidit, aut cum quâ jungi potest, explicitam communionem colit: quamvis vix sciat, an quæ, & quales in totius orbis partibus sint Ecclesiæ, quæ œcumenicam constituunt. De repræsentamine Ecclesiæ œcumenicæ uno aliquo tempore, aut hoc illove sæculo in orbe existentis, hoc est, de Synodo Oecumenicâ itidem ostendi nequit, eam unquam post apostolicam *Actor.* 15. exstitisse. Perlustrentur modo Historiæ ecclesiasticæ, & Acta Conciliorum: & nihil invenies nisi delegatos Ecclesiarum in Imperio Romano; quibus subinde pauci ex barbarico se forte adjunxerunt. Similiter quatuor Patriarchæ in occidentali & orientali partibus imperii dicebantur œcumenici, prout orientales etiam hodie eodem titulo se insigniunt, quod universi scil. imperii seu orbis Romani Ecclesiis in quatuor, quasi Satrapias aut Tetrarchias distributis melioris ordinis causâ (uti putabatur) præessent: nihil aliud tamen, quam orbis Romanus intelligi debet: & consequenter nullus est Pontifex œcumenicus, nec sedes & Ecclesia œcumenica, à quâ omnes Ecclesiæ necessario sic dependeant, ut nisi explicitâ unione ac communione eidem incorporentur, extra catholicam & œcumenicam plane vagari viderentur.

11. *Problema* I. An Ecclesiæ Metropolitanæ & Cathedrales, in reformatione Ecclesiarum ab abusibus Papatus, retinendæ; aut ubi jam sublatæ, restituendæ sint. *Resp. Neg.* propter rationes supra allatas: & vel hæc una sufficiat; tum pari ratione instituendas aut restituendas Primatiales, Patriarchales, Oecumenicam seu Universalem, & totam illam mundanam dominationem. Sed contra objicitur, ab illis, qui rebus in Angliâ post annum 1640. mutari cœptis, pro Hierarchiâ Cathedrali cum suis Capitulis stabant. 1. *Object.* ordinem episcopalem esse antiquum & apostolicum. *Resp.* Nihil minus: uti à Reformatis Theologis contra Pontificios solidè probatum est. Sed de hoc *Part.* 2. 2. *Object.* Ecclesiæ tales cultui & honori Dei dedicatæ sunt statim cum propagatione fidei inter Gentes. *Resp.* 1. Nihil tale comparet in Historiâ N.T., nec in primis & antiquissimis Scriptoribus Ecclesiasticis:

sed

sed hoc, fuisse oppidatim, & vicatim constitutas Ecclesias, & quidem integras cum suâ propriâ potestate, regimine, & ministerio ecclesiastico. 2. Postea cum potestas Episcoporum, & usurpans dominatio fratrum in fratres, Ecclesiarum in Ecclesias, paulatim irreperet, & Ecclesiæ se ad distinctas potestates ac præeminentias civiles, immo ad hierarchiam Ethnicam conformarent: nondum tamen fuerunt Cathedrales cum Episcopis, Capitulis, Canonicis, ac dignitatibus suis; quales illæ, quas nos improbamus. 3. Quidquid sit; nævi illi & κακοζηλίαι antiquorum, non faciunt nobis regulam; non magis quam humanæ traditiones eorum de Cœlibatu Ministrorum, de Chrismatis, aliisque centenis stipulis circa ceremonias & regimen Ecclesiarum. 3. *Object.* Alicubi in reformatione judicatum est, eas esse utiles ad cultum & honorem Dei. *Resp.* 1. quo judicio, publico an privato, politico an ecclesiastico, an utroque, hoc judicatum sit, & quæ rationes fuerint judicii aut facti istius, accuratè pernoscendum esset: & tum responderi posset. Germania proculdubio respicitur, ubi initio in deliberationibus Principum, de obtinendâ reformatione universali in Imperio, deque pace religionis, conciliatione dissidentium &c. de multis tolerandis disquirebatur, quæ Ecclesiæ Germanicæ & Anglicæ nunc minimè tolerarent, saltem non probarent, aut sponte sibi accersèrent. Sed non est, quod à thesi ad hypothesin descendamus. *Resp.* 2. Quidquid sit? videndum an possit illi reformationi applicari illud *Apoc.* 3. *v.* 2. 17. 4. *Object.* Sunt præcipua externa motiva omnium studiosorum, nominatim Theologiæ, quibus ad studia animantur. *Resp.* Si talibus & non altioribus motivis ducuntur Theologi, utique theologia fit sæcularis, & mutatur religio in Mammonam. Itaque hæc unica ratio sufficeret tollendis Cathedralibus: ut tanto melius avaritiæ & ambitionis mancipia (*Phil.* 3. 18. 19.) à sacro ordine arceantur. 5. *Object.* Sunt commodissima seu aptissima præmia eximiorum & doctissimorum studiosorum. *Resp.* Præmia præstantibus & laboriosis ingeniis tribuenda, aliunde, alio titulo, ac modo procurari quid vetat? Nec nos repugnamus: modo ne religio à divitiis devoretur, aut sacra misceantur profanis, aut dominatio ecclesiastica eorum, qui non laborant in verbo, immo & otiosorum hominum, in Curatos & Pastores pariter ac greges ipsorum introducatur, contra ordinem à Christo statutum. 6. *Object.* Produxerunt eæ complures doctos ac pios viros, qui veritatem adversus Papatum validissimè defenderunt. *Resp.* 1. quam multi aut pauci illi fuerint nescio: hoc saltem scio Doctores in Academiis, & Pastores in Ecclesiis quotidiano curæ ecclesiasticæ aut Academicæ labore obrutos, longè plures fuisse qui & vivâ voce & eruditissimis scriptis veritatem contra Pontificios non tantum, sed & omnes alios adversarios defenderunt. Fiat modo catalogus Scriptorum, & videbis verum esse, quod dico. 2. *Resp.* Quid si quis dicat Monasteria produxerunt innumerabiles viros qui

Digitized by Google

Theologiam imprimis, deinde & alias artes ſcriptis ſuis illuſtrarunt; ergone Monachi, & Monaſteria, reſtituenda aut retinenda. Haberent procul dubio aſſertores Cathedralium ſuas diſtinctiones per ſe & per accidens, &c. Eas huc applicent. 7. *Object.* Per eas multi Profeſſores & viri docti in Academiis ſuſtentantur. *Reſp.* 1. Stipendia & honoraria illa maneant, & vel ex illis, vel ex aliis reditibus exſolvantur: ſed exili huic lapidi tantum Cathedralium coloſſum ſuperſtruere, aut vice verſa, quid opus? *Reſp.* 2. Suſpicari quis poſſet, Profeſſores Academicos eſſe πρόφασιν, & otioſos ventres eſſe αἰτίαν. Quantulum enim illud, quod inde erogatur Profeſſoribus, ſi cum reliquis reditibus comparetur. *Reſp.* 3. Quocunque modo reditus illi diſtribuantur; nulla ratio eſt, ut hinc aut propter eos fabricentur novæ formæ Eccleſiarum, dignitatum, & dominationum, quas ſimplicitas apoſtolica & humilitas primæva ignoravit. 8. *Object.* Sunt divina monumenta pietatis majorum noſtrorum, &c. *Reſp.* Idem Pontificii dicunt de Monaſteriis, de Reditibus Papæ, Cardinalium &c. Vide nunc quomodo illis reſpondeas, & tibi reſponderis. 9. *Object.* Multas objectiones pro Capitulis, præſertim Cathedralibus in Angliâ libello quodam edito decertantium hic contrahemus; ſunt enim unius claſſis. *Cathedrales*, inquiunt, *conferunt honeſtâ quâdam ratione competentem portionem Nobilium Filiis natu minoribus, qui devovent ſe Miniſterio Euangelii; ut & conſtantes & amplos reditus pro Regibus & Principibus: unicum præterea medium ſunt, quo ſubſiſtant & vivant tot officiales cum ſuis familiis, qui ab iis dependent: adhæc primarium ſunt ſuſtentaculum aliquot millenarum familiarum, quæ reditibus aut beneficiis earum gaudent; denique ſuſtentacula ſcholarum, hoſpitalium &c.: poſtremò ſpeciales cauſæ lucri & emolumenti iis Civitatibus, ubi ſita ſunt: partim ſublevando pauperes eorum, partim eò trahendo peregrinantes &c.* *Reſp.* 1. Rationes omnes culinariæ & œconomicæ, nullæ Theologico-eccleſiaſticæ: itaque fundare non poſſunt prætenſas Cathedrales, nec reformationem, quæ nunc intenditur, impedire. *Reſp.* 2. Reditus eorum, ut ad pios ac neceſſarios uſus convertantur, omnino probamus. *Reſp.* 3. Ut etiam parte eorum gaudeant ſupra nominati: quod juſtitiæ eſt & gratitudinis, ex intentione donatorum, accedente conſenſu ſupremæ poteſtatis, aut eorum, ad quos ex lege aut contractu hoc ſpectat; omnino faciendum eſt, nec mutandum: quod æquitatis eſt, & liberalitatis, id committendum conſcientiæ, & humanitati eorum, quorum intereſt. *Reſp.* 4. Ut Studioſis, Theologis, Eccleſiarum Miniſtris, Scholarum Moderatoribus honeſtè proſpiciatur; incumbit Eccleſiis, & Chriſtianis Magiſtratibus: quomodo autem & unde ſit ipſis proſpiciendum, videndum eſt illis, quibus hoc incumbit. Interim ſacrilegiis, & abuſibus bonorum eccleſiaſticorum minimè patrocinamur: tantum Cathedralium neceſſitatem aut utilitatem impugnamus. *Reſp.* 5. Bene ordinatæ Academiæ, &

Colle-

Collegia Academica, cum ſuis ſtipendiis, honorariis, beneficiis, privilegiis, omnia illa utilius & tutius in bonum Reipublicę & Eccleſię præſtare poſſent: ut neceſſe non eſſet, Capitula tanquam Collegia eccleſiaſtica, & Eccleſias repręſentativas in Eccleſiis erigere aut continuare. Quod ſi Academias, Seminaria, Collegia Scholaſtica docentium & diſcentium Capitulis ſublatis alicubi poſſe ſubſtitui, iiſque reditus capitulares aſſignari quis judicaret cum primis in Germaniâ reformatoribus (infra *Part.* 2. *ubi de Canonicis, cit.*): non repugnamus.

12. *Problema* II. An Eccleſię Collegiatæſic dictę à Collegio Clericorum & Canonicorum ſive Regularium ſive Sæcularium poſſint ita reformari in accidentalibus, ut eſſentialia regiminis iſtius & Eccleſiæ maneant? *Reſp. Neg.* propter rationes ſupra iis oppoſitas. Hic nunc iſtas applicamus. 1. *Quia* nulla eſt forma Eccleſiæ, nec miniſterii eccleſiaſtici, nec Presbyterii, (quale *Actor.* 2c.2c.28. 1 *Timot.*4.14. & 5.20. *Matth.*18. 1 *Petr.*5. 1 *Theſſ.*5.): Canonici enim quà Canonici non paſcunt Eccleſiam illam verbo, ſacramentis, adhortatione, conſolatione; ſi qui ex illis tale quid ſubinde præſtant, hoc totum eſt per accidens ordinis & ſtatus Canonici; faciunt enim illud ratione & vi alterius muneris ac ſtatus, quod præter Canonicos ſint Archipresbyteri, Parochi ſeu Curati, Concionatores, Lectores Theologi &c. Uti videre eſt apud *Barboſam, alioſque Scriptores de Canonicis.* 2. *Quia* per Capitula ejuſmodi oſtium non reſidentiis & vicariatibus ac ſubſtitutionibus aperitur. *Inſtant.* 1. Atqui abolito Epiſcopatu, miniſterium verbi, ſacramentorum, diſciplinæ curari poſſet ab illo Collegio per alios. *Reſp.* 1. *Tum* ipſi ſupervacanei eſſent: nullam enim curam, nullum regimen Eccleſiæ ipſi peragerent; itaque non eſſent eccleſiaſtici; conſequenter nulla ipſis eccleſiaſtica poteſtas relinqui aut tribui deberet. 2. *Eccleſiaſticum* munus ſeu miniſterium eſſe cum poteſtate ſubſtituendi, in ſcripturâ inauditum: de quo infra *Part.*2. *ubi de Non-reſidentibus & de Vicariis.* 3. *Monſtroſum* etiam & iniquum, ut qui nullam ipſi vocationem & functionem eccleſiaſticam exercerent, in Anteceſſores, Præfectos, & Paſtores eccleſiaſticos (ſic enim vocantur Miniſtri *Eph.*4. 1 *Theſſ.* 5. 1 *Tim.*5. 1 *Petr.*5.) poteſtatem haberent. 4. *Abſurdum* & ἄτοπον eſt Parochum, Curatum, Concionatorem, ſeu ordinarium in verbo Anteceſſorem conſtituere, cui non competat poteſtas regiminis & juriſdictionis; ſed cujus poteſtas in alium, mutum ſcil. clericum transferatur: poſito enim aut ſublato priori quod eſt principale, ponitur aut tollitur poſterius. 5. *Quod* reſtat curæ & regiminis externi circa fabricam, reditus eccleſiaſticos, ſtipendia, & ſimilia temporalia; illud ſive per Collegium, ſive per Quæſtorem, ſive per Ædilem, ſive per Magiſtratum, ſive per Patronum, ſive per quemcunque alium à Magiſtratu aut Eccleſiâ conſtitutum adminiſtretur, nullam infert curam ſpiritualem aut functionem, aut intrinſecam poteſtatem eccleſiaſticam: ita ut inde nullæ reſultent aut per illud conſtituan-

ſtituantur Eccleſiæ, nedum ut ſupra alias poſſent dici Eccleſiæ Collegiatæ, aut Cathedrales & matres. *Inſtantia* 2. Quid ſi Collegæ iſtius Collegii ipſi per ſe aut per filios, cognatos &c. ad munera eccleſiaſtica idoneos & paratos Eccleſiam curent? *Reſp.* 1. Si omnes, aut aliqui ex ipſis ſacrâ & eccleſiaſticâ vocatione ad hoc vocentur, eamque vocationem illi ſequantur, juxta doctrinam & diſciplinam noſtram Eccleſiarum; nemo eſt qui repugnet: ſed cum ipſo facto aboletur πὶ collegiatum, qua tale; haut aliter ac Epiſcopus in Galliâ Principis Melphitani filius, liberè à cœtu reformatorum in illâ civitate in Paſtorem electus, manſit in publico munere prædicandi verbum, adminiſtrandi ſacramenta &c. 2. Quod ſi filii aut cognati eorum vocentur, jam ipſi prætenſo ordine & regimine eccleſiaſtico ſoluti ſunt. Abſit hic omnis intruſio, ſucceſſio, reſignatio, ſocietas officiorum, penſio, commenda, vicariatus, adminiſtratio, pluralitas beneficiorum, non reſidentia, exſpectativa, coadjutorialitas, & ſimiles Romani emporii (uti appellat celebris JC. *Carolus Molineus*) nundinationes: tales enim ementes & vendentes ex Templo ejicit cum Chriſto Chriſtiana Eccleſia. *Inſtantia* 3. Quid ſi Collegia illa mutentur in Politica & Civilia; aut ſaltem retineatur poteſtas politica, quam ſub Papatu cum eccleſiaſticâ conjunctam habebant. *Reſp.* 1. Tum tituli eccleſiaſtici, & putatitius aut apparens ordo, regimen, ac autoritas eccleſiaſtica, deberent in totum deponi: Deus enim eſt Deus ordinis non confuſionis. Sicuti Concionator nullo fungens munere politico non debet ſibi titulum & poteſtatem politicam Prætoris, Conſulis, Judicis, Syndici tribuere; ſic viciſſim civis aut politicus nullo fungens munere eccleſiaſtico, non debet ſibi titulum & poteſtatem Concionatoris. Senioris, Diaconi, Lectoris ſeu Doctoris Theologi arrogare. 2. An, quæ, quomodo, à quibus, in quem finem & uſum collegia in purè politica, aut militaria, transformari aut de novo ſic erigi poſſint, ut nec eccleſiaſticæ functioni & poteſtati præjudicent, nec reliquias fermenti hierarchici Papalis reformationi noſtræ vel minimâ ſpecie admiſcere videantur; accuratè & piè deſpiciendum eſt illis, penes quos eſt poteſtas 3. De peculio ſacro (uti appellant), hoc eſt de reditibus eccleſiaſticis, reliquiſque huc ſpectantibus nunc non eſt dicendi locus: ſed infra, *tit. de Temporalibus Eccleſiæ.* Noſtra diſputatio eſt adverſus Canoniſtarum Eccleſias Cathedrales & Collegiatas, quà tales. Quæ tamen redituum origo, quis modus, quis uſus, quæ reductio & mutatio, penes quos &c. *infra part.* 2. diſquirendum *tit. de Canonicis.*

13. *Problema.* III. An ubique ad integritatem, & perfectionem organicam Eccleſiarum particularium, Collegia ſeu Synedria eccleſiaſtica ſint erigenda. *Reſp. A.* 1. *Quia* non poteſt melius deſtrui aut averti omnis ſpecies papalis dominationis, nec ἀπλῶς tutius occurri: vide infra *part.* 2. *ubi de Senioribus.* 2. *Quia* ordo, perfectio, integritas præferenda eſt defectui & mutilo: eſſe autem

Digitized by Google

tem hunc ordinem, nominatim Ecclesiarum nostrarum in Belgio, probatur *loc. cit.* 3. *Quia* qui ad formata ejusmodi Collegia fastidiunt, aut eorum erectionem impediunt, plerumque aut res novas moliuntur (uti Remonstrantes in constitutionibus ecclesiasticis hujus nostræ Provinciæ anno 1612. quod indicavimus *loco cit.*;) aut spiritu dominandi hierarchico & diotrephico agitantur; aut vita ac mores eorum, non ita castigati sunt, ut quotidianam Synedrii inspectionem & autoritatem sustinere queant; aut libertati in electionibus Ministrorum insidiantur, ut tanto facilius promoveant quibus favent, aut quos genio ac rebus suis magis convenire arbitrantur. *Problema* IV. An Ecclesiæ in majoribus Civitatibus, præsertim in Metropolibus; aut Ecclesiæ, quas vocant synodales, apud nos aliquam habeant cathedralitatem? *Resp. Neg.* Nec jure, nec etiam facto, immo ne postulato quidem aut prætensione, quod sciam. Consulantur *Constitutiones nostræ*, & quotidiana praxis ecclesiastica. *Problema* V. An Ecclesia, aut Ecclesiæ in Classem & Synodum combinatæ fiunt Cathedrales, cum immittunt ministros ad Ecclesias clandestinas, easque dirigunt? *Resp. Neg.* si enim primò mittunt ad colligendam Ecclesiam, ubi nulla est, jam autoritativè hoc faciunt, ex *Actor.* 13. *v.* 2. 3. 4. & tamen Ecclesia non effert se supra Ecclesiam, quia non est ibi Ecclesia instituta, nec propria & intrinseca potestas ecclesiastica. Sed si mittunt ad Ecclesias jam constitutas; quidquid hic faciunt, faciunt aut ex potestate delegatâ & sibi collatâ ab illis fratribus sub cruce (quia ipsis integrum non est aut in suo cœtu aut hic apud nos, Ministros audire, eorumque delectus habere;) in reliquis faciunt omnia caritativè non autoritativè, consulendo non decernendo. Et sic Ecclesiæ Belgicæ procul à nobis dissitæ, sive publicè sive clandestinæ, possunt uni alicui Ministro, aut Seniori, aut cuicunque fratri, cujus fides ipsis perspecta sit, negotium electionis committere, salvâ ipsis manente suâ potestate, & seclusâ omni subjectione ac dependentiâ cathedrali. Addo tamen in casu malè administrationis, aut provocationis &c. (de quibus *part.* 2. *ubi de Synodis & Classibus*) posse Ecclesias illas, cum quibus classicalem aut synodalem combinationem & correspondentiam habent Ecclesiæ clandestinæ aut procul dissitæ, autoritativè decernere, & eas dirigere.

14. *Problema* IV. An Ecclesiæ quædam in Belgio, quæ primæ miserunt in Indiam Orientalem & Occidentalem, habuerint cathedralitatem & potestatem, jure primæ occupationis. *Resp. Neg.* nec memini aliquam vel speciem cathedralitatis, aut metropoliticæ potestatis ipsis tributam, aut illas sibi hoc vindicasse. Quidquid enim hic egerunt, ad postulatum eorum ad quos res Indicæ spectabant, illud egerunt quidem autoritativè; quomodo Ecclesia Antiochena *Actor.* 13. de quo in *Disp. Causâ Papatus lib.* 2. *sect.* 1. *c. ult.* Interim non sibi solis hanc potestatem arrogârunt, sed etiam aliis Ecclesiis, qui per occasionem simile quid poterant, jus suum inviolatum reliquerunt. Si enim Præfecti societatis

tatis Indicæ,aut Nautæ expeditionem in Indias ſuſcepturi,auxilium cujuſcunque alterius Eccleſiæ aut miniſterii in Belgio poſtulaſſent, utique non potuiſſent ipſis hoc denegare. Commune ergo jus,quod pariter & promiſcuè omnes pro re natâ exercere poſſunt, non fundat cathedralitatem: Nam nondum tunc erant ibi Eccleſiæ, ſed tantum colligendæ ſeu in fieri, & in ſpe. *Problema* v. An illæ Eccleſiæ, aut omnes Belgicæ ſimul habeant perpetuam poteſtatem eligendi Miniſtros & mittendi ad Eccleſias illic nunc conſtitutas atque integras per Synedria & correſpondentias claſſicas, eaſque autoritativè regendi, tanquam propriâ poteſtate hâc in parte deſtitutas, & à Belgicis Eccleſiis dependentes. *Reſp. Neg.* 1. Quia nulla alia dependentia hic ſtatui poteſt, quam ſecundum jus æquationis; quatenus ſynodalem correſpondentiam colunt cum Eccleſiis in Belgio: quomodo Eccleſię hujus aut iſtius Claſſis aut Synodi, in Provinciis Belgicis à ſe mutuò dependent: de quo vide *Part.* 2. ubi *de Claſſibus.* 2. Extra hunc reſpectum propriâ poteſtate prædiţę ſunt,ęque ac Eccleſiæ quælibet particulares, aut Claſſis in Belgio: hoc enim habet irrefragabilis & celebris ille canon ordinis noſtri eccleſiaſtici διαμετρικὸν omni hierarchiæ oppoſitus: *Nulla Eccleſia ſupra aliam Eccleſiam, nullus Miniſter ſupra alium Miniſtrum.* 3. Quod autem propter loci diſtantiam obſcurius & imperfectius poteſtatem ſuam exercent in nonnullis actibus eccleſiaſticis, nominatim in exploratione & delectu Miniſtrorum, cum nomine eorum aut pro illis promoveant hoc negotium partim Ampliſſ. DD. Præfecti rerum Indicarum, partim Miniſtri, aut Preſbyteria, aut Claſſes (ubi cameras ſuas habent dicti Ampliſſ. DD. Præfecti): hoc, inquam, ipſi intrinſecæ poteſtati Eccleſiarum non præjudicat, nec illam iis aufert, nedum ut quaſi ex ſpoliis his cathedralitatem aut matricitatem alterius exſtruat. 4. Diſtinguendæ ſunt Eccleſiæ illic colligendæ, aut quæ colliguntur, ab Eccleſiis illic jam collectis, integrè formatis & conſtitutis, partim ex Belgis partim ex Indis; & poſteriores tanquam Eccleſiæ ſtatæ, perpetuæ & permanentes, ab Eccleſiis navalibus, ſeu mavis cœtibus Chriſtianorum partim nautarum, partim militum ambulatoriis & temporariis, qui aliquot menſium ſpatio in navibus ad communia ſacra & pietatis exercitia conveniunt ſub præſidio & Miniſterio Concionatoris. Hic Concionatorum, qui in Indiam mittuntur, triplicem videmus reſpectum; & conſequenter diverſimode miſſionem eorum eſſe conſiderandam, ac de eâ judicandum. Quocumque autem modo conſideretur, nullam hinc conficies ſuperioritatem aut cathedralitatem: uti patet ex modo dictis & evidentius pateſcet, ex ſolutione ſequentium dubiorum & objectionum.

15. Sit ergo *Dubium* 1. Eccleſiæ Belgicæ Indicas plantârunt, & converterunt; ergo videtur jure plantationis & converſionis regimen ipſis competere in Eccleſias converſas, & hæ eodem jure deſtitutæ eſſe. *Reſp. Neg. Conſequentiam.*

Digitized by Google

tiam. 1. *Quia* juris istius nulla mentio in scripturâ, ne quidem illis in locis ubi agitur de convertentibus, quæ suo labore & suis sumtibus alias converterant; *Rom.* 15. 27. 1 *Cor.* 9. 11. 12. Ubi tantum postulat gratitudinem & remunerationem debitam in temporalibus, non vero dependentiam & subjectionem in spiritualibus. Colossensis converterat Laodicenam; sed nullam potestatem ei propterea tribuit Apostolus *Col.* 2. 1. aut 4. 13. 16. ubi ejusdem meminit. 2. *Quia* sequeretur, tum nullam potestatem propriam ecclesiasticam fuisse in Ecclesiis Gentilium, quippe quæ à Judæis conversæ erant *Rom.* 15. 27. coll. cum *Actor.* 1. 8. *Johan.* 4. 22. *Jesai.* 2. 3. *Rom.* 11. *vers.* 17. 18.; immo ne quidem in Ecclesiis Judeæ, quæ omnes primam sui plantationem & collectionem debebant uni Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quippe quæ suis sumtibus primùm misit Apostolos & Euangelistas, omniaque ad collectionem earum necessaria curavit *Actor.* 4. *v.* 34. 3. *Quia* conversæ æque ac convertentes dicuntur Ecclesiæ Christi, & consequenter eâdem essentiâ, & pari potestate ecclesiasticâ præditæ. 4. *Quia* totum hoc commentum de Ecclesiâ Matrice, de jure convertentis in conversam, est fermentum Papale hierarchicæ & Antichristianæ dominationis in fratres, ab Ecclesiis reformatis præsertim in Belgio & alibi sollicitè expurgatum, cum omnibus Cathedralibus, Episcopis, Archiepiscopis. &c. Qui ergo ex tali prætenso & protrito jure apud nos argumentaretur, ut canis ad vomitum redire videretur. 5. *Quia* stabiliretur hic alia quædam machina papalis in perniciem Ecclesiarum inventa, Jus scilicet Patronatus clericale; immo fortè eo quid deterius: dum Deputatis aut quarundam aut omnium Classium & Synodorum, superioritas & potestas in Ecclesias illas tribueretur; ita ut illæ propriâ atque intrinsecâ suâ potestate (nominatim in vocationibus Ministrorum) juxta cum aliis Ecclesiis reformatis in Galliâ, Scotiâ, Belgio &c., & juxta Statuta nostra ecclesiastica ex jure divino in substantialibus immediatè desumpta, uti non possent. 6. *Quia* illud iniquius & pejus esset ipso Jure Canonico & praxi Papatus: qui inter Indos quamvis sibi & politicè & ecclesiasticè subjuges & ab Episcopis Hispaniæ seu Delegatis Clericis conversos, constituunt tamen peculiarem, intrinsecam & propriam potestatem ecclesiasticam, residentem scilicet (more Papali) in Episcopis Indorum: qui nulli alteri Episcopo in Hispaniâ aut alibi subjecti sunt, sed tantum proprio Archiepiscopo aut Metropolitæ suo. Tholosanus in syntagm. Juris lib. 15. c. 11. *Coloniæ quæ ex Metropoli translatas esse constat, non sunt Archiepiscopatus* (illius scilicet qui Metropoli illi affixus est), *quia Coloniæ etiam in longinqua Regna & Nationes transferebantur.* Applica hoc ad Ecclesias ex Hispaniâ aut Belgio translatas seu deductas in Indiam. 7. *Quia*, sequeretur hoc absurdum, in ecclesiasticis (in quibus strictè observandum illud *Luc.* 22. 25. 26. & 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. 3.) prætenso jure plantationis aut deductæ Coloniæ, plus subjectionis

imponi Eccleſiis & minus concedi libertatis, quam in politicis: ubi, nec *verum nec æquum arbitrantur, ut Metropoles Coloniis imperent quaſi naturæ lege*, Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 3. ſed potius cenſent, *novum populum & ſui juris naſci*, Thucyd. lib. 1. Uti contra Papiſtas oſtendimus in *Deſper. Cauſ. Papatus lib.* 3. *ſect.* 3. *c.* 3. & 4. 8. *Quia*, ut ad hominem argumentemur, jus tale acquiſitum eſſet ſoli Eccleſiæ Amſtelredamenſi, forte & poſt illam Middelburgenſi: ab illis enim aut ipſarum Synedriis, primi Miniſtri illuc miſſi, illarum directione prima plantatio & collectio illic peracta. Atqui abſurdum hoc ἀπόλυθον nemo facile concedet. 9. *Quia*, ut rurſum ad hominem argumentemur, hoc prętenſum jus deberet etiam extendi ad Eccleſias in Indiis aut primum, aut poſtea conſtitutas, utpote ad eam quæ in Civitate *Batavia* Indiæ Orientalis, aut in Civitate *Fernambuco* Indiæ Occidentalis; quarum autoritate & directione aliæ Eccleſiæ illic colligi cœptæ & forte etiamnum colliguntur. Hic nulla patet exceptio, niſi dicant priniò primis, non vero δευτεροπρώτοις convertentibus hoc jus vindicandum. Atqui tum uni ac ſoli competit Amſtelredamenſi, quod ad Indiam ſcilicet Orientalem; haut aliter ac olim debuiſſet competere uni Hieroſolymitanæ, reſpectu omnium Eccleſiarum totius orbis. Quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Confer quæ diſputamus contra Pontificios, *Deſp. Cauſ. Papat. lib.* 3. *ſect.* 1. *c.* 11. & *ſect.* 3. *c.* 3. 10. *Quia*, ſequeretur omnes Eccleſias Belgicas ſubeſſe Veſalienſi, aut Embdanæ, & ſi quæ eſſent idiomatis Wallonici, Genevenſi; conſequenter ab iis neceſſariò gubernandas, nominatim vocationes Miniſtrorum ab iis procurandas: quia ſcilicet olim miſſiones in Belgium, & primæ plantationes multarum Eccleſiarum ab iis ſive conſilio & auxilio fraterno ad poſtulatum Belgarum, ſive Poteſtate eccleſiaſticâ, ſive quocumque alio titulo procuratæ ſunt. Quidni idem dicam de primis Eccleſiis poſt oppugnatam tyrannidem Ducis Albani in Belgio publicè conſtitutis, ex. gr. Antwerpianâ, Ultrajectinâ, Dordracenâ, Gandavenſi, Verianâ, Vliſſinganâ, Guylenburgicâ, Vianenſi, Buranâ, Leerdamenſi &c. unde pleræque aliæ in Hollandiâ, Zelandiâ, Geldriâ &c. ſunt propagatæ, aut plantatæ. 11. *Quia* talis opinio aut talis praxis ſtabiliret non parum hypotheſin illam Hierarchiæ papiſticæ, quam Dominationi non tantum Metropoliticæ aut Patriarchali, ſed & Romano-Papali ſubſternunt: Quia Romana eſt matrix & radix aliarum Eccleſiarum, & Petrus Epiſcopus ipſius primus inter Gentes prædicavit euangelium, ideo illi competere poteſtatem in alias Eccleſias. Quod commentum quomodo Theologi noſtri refutent, vide apud *Chamier. de Oecumenico Pontifice lib.* 3. & *Wittakerum, aliosque Bellarmini Antagoniſtas*, quin & *Matth. Sutclivium*, quamvis Hierarchiæ addictiorem *lib.* 2. *de Pontifice cap.* 2. *cap.* 3. & 6. 12. *Quia*, ſi talis praxis ſeu uſurpatio locum in hoc negotio inveniret, tacitè & paulatim Eccleſiæ noſtræ relabi poſſent à ſemel & prudenter expurgato

gato fermento eminentiæ hierarchicæ, & dominii episcopalis. Vide quomodo mysterium prætensi juris convertentium in conversas hierarchico regimini implexum, & hoc vicissim illi involutum sit, apud *Georgium Downamum in Concione de Episcopatu*; quod solidè refutârunt ex Theologis nostratibus, *Gerson Bucerus* in eruditissimo *scripto de Presbyterio & Episcopatu pag.* 211. 238. Et ex Anglis *Parkerus Lib.* 3. *c.* 18. *Num.* 27. 13. *Quia*, hoc portam aperiret mundanæ superbiæ, & simoniæ: honoribus enim & potestate venderentur dona & benedictio Dei in conversione hominum; & sic convertentes sive Ecclesiæ, sive Euangelistæ fierent mercenarii. 14. *Quia*, pareret aut altret hoc meram confusionem regiminis ecclesiastici, & πολυπραγμοσύνην atque ἀλλοτριεπισκοπίαν, pluralitatem denique (ut malum ex malo facile sequitur) beneficiorum, non residentiam, episcopatum titularem &c. Sufficit enim Pastoribus cura immediata Ecclesiæ suæ, & mediata combinationis suæ classicalis ac synodalis: ulterius ad plures & alienas Ecclesias, Classes, Synodos, præsertim longè dissitas, si se diffundat, eveniret facile illud: *Pluribus intentus minus est ad singula sensus*; & tantum sæpe detraheret propriæ suæ curæ, quantum alienæ tribueret. Ut fœminas illas in alienis familiis omnia curiosè lustrantes & περιεργαζομένας, atque in aliena negotia se importunè ingerentes, contingit plerumque in propriâ negligentiores esse: sic & Ministros &c. Hæc ideo dico, non ut quidquam detraham zelo & necessariæ operæ, quæ Ecclesiis clandestinis aut alicubi longè dissitis primum colligendis & ordinandis, postea ordinatis jam juvandis, immo & ex lege & more synodalis correspondentiæ ac combinationis dirigendis impenditur; sed ut procul avertam omnem vel minimam Hierarchię episcopalis aut cathedralitatis speciem, & nostras Ecclesias, quarum interest, præmoneam. 15. *Denique quia*, quidquid hic fertur prætensi juris, novum est & posterius ingressum, non apostolicum; & prætendi nihil potest nisi primùm consuetudo, & deinde placitum Episcoporum istius temporis; de quo vide *Gersonem Bucerum*, & *Parkerum loc. cit.* Nobis nunc sufficerit antiqui & primævi juris vestigia ostendisse in *Jure Canonico*, *cap. præcipimus.* 16. *quæst.* 1. Ubi statuit factâ divisione Episcopatus, aut Parochię, aut baptismalis Ecclesiæ (quæ ipsis Matrix dicitur) in duas, *illam potiùs partem, quæ novis Ecclesiis supponebatur, à jure prioris Ecclesiæ absolutam fuisse.* Hoc enim nisi fieri posset, multitudinem Ecclesiarum ad paucitatem redigendam fore.

16. *Dubium* 11. An competat prætensum jus soli Ecclesiæ illi, aut solis Ecclesiis illis in Belgio, quæ suâ directione Indicas formârunt, & ordinem Synedriorum ac Classium in iis constituerunt. *Resp. Neg.* 1. nititur falsâ hypothesi, quasi Ecclesia aut Ecclesiæ aliquæ Belgicę in Indiis constituissent Synedria, & Classes: cum ipsæ Ecclesię Indicę propriâ & intrinsecâ suâ potestate constituerint Synedria & Classes suas. Quod si forte Belgicę, aut Belgicarum non-

Digitized by Google

nullarum consilio aut auxilio usæ sunt, hoc non tollit ipsarum potestatem, aut eam Belgicis attribuit; non magis, quam cum Ecclesia aliqua Belgica alterius aut aliarum consilio utitur. 2. Dato non concesso. Ecclesias, Synedria & Classes primùm istic ordinatas fuisse ab Ecclesiis Belgicis; hoc tamen non magis aufert potestatem ecclesiasticam Indicis, & tribuit Belgicis; quam cum Classis in Ecclesiâ novè collectâ primo dirigit electionem & constitutionem Synedrii. Illud enim jus postea habet & ordinario ex sese exercet sola illa Ecclesia, Classe suâ aut Synodo non consultâ. Aliud enim est considerare Ecclesiam in primâ origine, in fieri, ut informem & nondum constitutam; & aliud considerare eam ut jam formatam, integrè constitutam & absolutam. Illi tribui posset dependentia aliqua ab Matre seu Matrice; quæ isti tribui non debet: quia Ecclesia non est supra Ecclesiam. III. *Dubium.* An ratione potestatis, subordinationis, & dependentiæ politicæ, debeant Ecclesiæ Indicæ privari propriâ & intrinsecâ suâ potestate, & consequenter autoritativè gubernari ac dirigi ab Ecclesiâ aliquâ, aut Ecclesiis Belgicis. *Resp. Neg.* 1. *Quia*, tum cœlum misceretur terræ, & spiritualium rerum gubernatio plane accommodari deberet rebus sæcularibus, & regnum Christi esset de hoc mundo: quod absurdum. 2. *Quia*, sequeretur vicissim, si incolæ Indiæ Orientalis aut Occidentalis sive Belgæ sive Indi aliquando autoritate politicâ tantum præstarent nostris Provinciis, quantum nostræ Provinciæ nunc præstant utrique Indiæ, debere Ecclesias Indicas ecclesiasticam potestatem in Ecclesias Belgicas exercere, & Belgicas eâ plane destitui: quod quam absurdum sit, nemo non videt. 3. *Quia*, præsupponitur omnes Populos & Provincias utriusque Indiæ, quibuscum Belgis jus, aut fœdus, aut licentia commerciorum, esse politicè Belgio fœderato, & Societati Indicæ subjectas: quod nondum probatum est. 4. *Quia*, Coloniæ Anglorum in Indiâ Occidentali seu Novâ Angliâ docuerunt, posse Colonias & Ecclesias politicè subjici populo aut regno Europeo, quæ tamen ecclesiasticè ab Ecclesiis istius Regni nullo modo dependent, immo ne quidem explicitam & formalem unionem ac correspondentiam synodalem cum iis colunt. IV. *Dubium.* An istarum Ecclesiarum dependentia & subjectio ecclesiastica ad Amstelredamensem, aut Middelburgensem, aut alias quascunque, aut omnes Belgicas, debeat esse perpetua; ex eo quod Mercatores & Cives Belgæ suis sumtibus procurârint ipsis prædicationem Euangelii? *Resp. Neg.* 1. *Quia*, sequeretur non ecclesiasticos aut Ecclesias quà tales, sed tantum divites quosvis cives quà tales promiscuè in societatem hanc negotiatoriam coëuntes subordinare sibi ecclesiasticè illas Ecclesias, easque acquisito illo jure in perpetuum regere; ne exclusis quidem Pontificiis, aut Hæreticis Socinianis & Anabaptistis, aut Judæis, Libertinis, Atheis, si qui illi societati Mercatorum nomen dedissent; quod absurdissimum. 2. *Quia*, stabilirentur hâc ratione plus quam regalia, Jura Patronatus, de qui-

de quibus decantatum illud: *Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus:* qui enim Eccleſiam dotaſſent, aut ſumtus in initio plantationis ſuppeditaſſent, aut in libertatem vindicaſſent, aut patrocinium & hoſpitium ei præbuiſſent, perpetuum imperium in eas ſibi eâdem conſequentiâ tribuerent. Quo nihil abſurdius. Vide infra *Part. 2. de Jure Patronatus:* ubi jugum hoc à majoribus noſtris tempore reformationis, immo nec ante ſub Papatu, ut nec hodie portari poſſe, oſtendimus. Dictis nihil nunc addam, niſi Canonem Concilii Papiſtici Gallicani Burdigalenſis, quem habet Bochellus in Decretis Eccleſ. Gallic. lib. 5. tit. 8. c. 7. p. 772. *Ut in poſterum felicius quam antea, præſertim ex quo ſublatæ fuerunt elections, Eccleſiis Cathedralibus & Monaſteriis providcatur, Regem Chriſtianiſſimum per viſcera miſericordiæ Dei ac per Chriſti ſanguinem obſecramus, atque obteſtamur, ut pro ſuâ in Deum ſingulari pietate, ad ipſius Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, nec non ad exolvendam maximâ religione, ſummiſque angoribus liberandam conſcientiam ſuam, facultatem eligendi idoneos & utiles Paſtores Eccleſiæ reſtituat.* 3. *Quia*, ſequeretur ſolam Eccleſiam Hieroſolymitanam habuiſſe olim poteſtatem eccleſiaſticam, reliquas omnes deſtituras, quibus liberalitate civium & membrorum iſtius Eccleſiæ (*Actor. 4.*) prædicatum erat Euangelium. v. *Dubium.* An mera confuſio hinc exſpectanda, ſiquidem quælibet Eccleſiæ & Synedria in Belgio certatim mittant in utramque Indiam, & Eccleſiis ibi regiminis ſui executionem præſcribant, aut etiam negotia earum judicent, ac dirigant. *Reſp. Neg.* Ubi quæque Eccleſiæ, & quique Miniſtri ſua curaverint, & intra limites ſuos ſe continuerint: alienis rebus ſe non immiſcentes, donec Eccleſiæ Indicæ pro ſuâ libertate hujus aut illius ſive conſilium, ſive operam ſollicitaverint. Quod ſi caſus provocationis, aut malæ adminiſtrationis, aut talis quis inciderit, facit tum non Eccleſia una, nedum Præfecti aliquot aut Deputati eccleſiaſtici; ſed Eccleſiæ totius Provinciæ aut Provinciarum, quod ſynodaliter in Belgio fieri ſolet in quibuſcunque Eccleſiis, ex vi combinationis, confœderationis, & correſpondentiæ ſynodalis. Uti oſtendimus contra prætenſam independentiam ſingularum Eccleſiarum, *Part. 2. ubi de Claſſibus & Synodis.* vi. *Dubium.* An poſſint unquam Eccleſiæ Indicæ ſive Orientales ſive Occidentales, eæque aut omnes aut aliquæ in eſſentiâ ſuâ permanere ac ſubſiſtere, ſine combinatione aut correſpondentiâ explicitâ cum Eccleſiis Belgicis, quæ quaſi Matrix earum. *Reſpond. Affir.* 1. *Neceſſarium* eſſet correſpondentiam illam omittere aut intermittere, in caſu deformationis, aut impeditæ reformationis, atque adeo licitæ ſeparationis: de quo vide *Deſper. Cauſam Papatus lib. 2. ſect. 1. & 2. & libr. 3. ſect. 3.* 2. *Utile* eſſet, in caſu, quando correſpondentia & confœderatio illa propter loci diſtantiam & navigationum infrequentiam non ita exerceri poſſet; atque adeo tum ob illas tum ob alias cauſas ædificationem & majorem perfectionem Eccleſiarum impediret

Digitized by Google

pediret potius, quam promoveret. 3. *Licitum* eſſet, quando mutatio politica dominiorum, aut regiminis, aut bella & ſciſmata politica, aut placitum Magiſtratus, & ſimilia, Eccleſiis hoc imponerent. Exemplum præbent Eccleſiæ Belgicę in Anglià, quæ ſynodalem correſpondentiam cum Eccleſiis in Belgio ab initio reformationis obſervari ſolitam, nunc intermittunt; non quidem ſponte ſuà, propter rationes eccleſiaſticas, ſed ſolummodo propter politicas: quia illi, penes quos poteſtas politica, hoc non concedunt. De Belgicis, Francofurti, Franchothaliæ, Hanoviæ, & alibi in Germaniâ idem obſervamus. Ratio una hæc eſt, quia combinatio & correſpondentia illa inſtituta eſt ad melius eſſe Eccleſiarum, non verò ad earundem ἄτιμιαν, aut everſionem. Confer infra *Part. 2. ubi de Claſſibus & Synodis.* Hoc tamen hic monemus, omnem mutationem aut innovationem abſque gravibus cauſis admittere, nedum affectare, eſſe periculoſum & temerarium.

17. Atque hactenus ad dubia reſponſum, Pergimus nunc in expediendis, quæ reſtant, problematis. VIII. *Problema.* An Eccleſiæ in Belgio obtineant jus aliquod maternum, aut cathedrale, aut metropoliticum, in Eccleſias Navales, & Caſtrenſes. *Reſp.* 1. Eccleſiæ illæ non ſunt ſtatæ aut perpetuæ, & conſequenter non niſi analogicè & imperfectè dicuntur Eccleſiæ; neque enim habent integritatem ſuam, quod ad Synedria & Collegia eccleſiaſtica: & quamvis neceſſaria quædam ad regimen, cenſuras, & diſciplinam ſpectantia, à Concionatoribus illic ſuo modo adminiſtrentur; tamen, quia cœtus illi ſunt ambulatorii & ſolummodo ad certum aliquod tempus, præterea ex membris diverſarum Eccleſiarum componuntur, non poſſet hinc exſtrui Cathedralitas, ſiquidem integrum & peremtorium regimen iſtorum cœtuum penderet ab aliis Eccleſiis. 2. Non una eſt ratio Navalium, & Caſtrenſium. Illarum directio poſſet eſſe, & forte alicubi aliqua eſt apud Eccleſiam iſtius Civitatis, unde naves illæ ſolvunt, & ubi plerique nautæ religionem ſuam tanquam membra exercent. De Caſtrenſibus tale quid vix dici poteſt: ut notum eſt illis, quibus nota ſunt Caſtra. IX. *Problema.* An Delegati, ſeu Deputati (quos in Belgio nunc vocant) Synodorum, ſeu Synodales, præſtent & referant Collegium aliquod & jus cathedrale ſeu metropoliticum; & an poteſtas atque inſpectio eorum ſit reipſa epiſcopalis, aut ſaltem ei proximè affinis; & an conventus eorum, quos ſubinde habent, ſint quaſi Cathedralia & ſuprema Capitula aut Conſiſtoria eccleſiaſtica. *Reſp.* Infra *Part. 2. ubi de Senioribus*, amovimus calumniam *Grotii in Pietate Illuſtriſſ. DD. Ordd. Hollandiæ p.* 112. quâ affirmat eos eſſe interreges, & gerere ſe pro Synodo, dum Synodus non habetur. Ibi dicta hic non repetimus. Tantum addimus, majori ſpecie Grotium ſi candori ſtuduiſſet, potuiſſe interregnum ſuum imponere Deputatis Synodi Ultrajectinæ Remonſtranticæ ſecundum Conſtitutiones Eccleſiaſticas anni 1612.

1612. ubi posthabitis (si non honesto prætextu abrogatis) Synedriis in Ecclesiis vicanis, magna potestas illis concessa, inter alia ad conscriptionem atque editionem novæ liturgiæ hymnodicæ. Vide *Præfationem* illi *Liturgiæ* præfixam. Sed nunc, cum videmus de novo siniſtras suspiciones & alienas consequentias de regimine Ecclesiarum Belgicarum concipi, contra ipsius rei veritatem & contra intentionem, ac communes Constitutiones Ecclesiarum, idque ut præjudicio universalis quasi consensus premantur orthodoxi & pii viri, qui omnem cathedralem atque episcopalem dominationem in Anglia nunc plane sublatam velint: non possumus non lectori propius aperire, quid sit de illis Deputatis. Dicimus ergo 1. Ecclesias & Synodos Zelandicas, non constituere ejusmodi Deputatos; ut nec Wallonicas, seu Gallo-Belgicas. 2. Deputatorum illorum Collegium, non esse distinctum & perpetuum Collegium ecclesiasticum ordinariâ potestate ecclesiasticâ, sive regiminis sive jurisdictionis, instructum: non enim agnoscunt Constitutiones nostrę ulla Collegia, præter ista quatuor, Synedrium seu Consistorium, Classem, Synodum Particularem seu Provincialem, & Synodum Nationalem. 3. Nullam ergo habent aut exercent potestatem supra & in Classes, Ecclesias Parochiales seu topicos, earumve Synedria; immo ne in unum quidem Concionatorem, aut Seniorem, aut Ecclesiæ membrum: nisi per specialem, extraordinariam, & expressam Synodi delegationem mandatum habeant synodalem sententiam alicubi insinuandi, persuadendi, exequendi; aut etiam (quod rarissime fit) synodali potestate in particulari casu aut difficultate (cujus circumstantiæ quædam post habitam Synodum, in loco ibi cognoscendæ sunt) determinandi. Et tum plerumque alii aliquot ex Synodo, aut ex vicinis Classibus adjunguntur: Immo & nonnunquam planè alii ad hoc negotium delegantur. Sed talis potestas synodalis rarissimè, ut dixi, & ægrè conceditur, & non nisi in extremo casu necessitatis, ubi res stante Synodo absolvi non potest, nec tamen moram patitur. 4. Tale mandatum ipsis impositum, nullam potestatem, immo ne umbram potestatis concedit ipsis in alias Ecclesias, aut personas, aut negotia ecclesiastica: nec ad eos provocatur in iisdem negotiis: in quibus pro re natâ, aut si requirantur, fraterna consilia suggerere possunt & provisionaliter tanquam arbitri in medium quid consulere: præterea nihil. 5. *Libros* & scripta Theologica in lucem edenda non visitant ex propriâ & perpetuâ potestate, ne quidem ex delegatâ potestate Synodi, ad illum annum aut illud biennium, quo delegationem suam sustinent: sed totum hoc Classibus aut Academiis imponitur in *Constitut. Ecclesiast.*: libertas tamen hæc manet Synodo, extraordinariò visitationem hujus aut illius libri ipsis aut aliis quibuscunque demandandi. 6. Ministros in ministerio non confirmant; nedum ut in electionibus eorum partem aliquam habeant. 7. In Synodis aut Classibus nec

Præsi-

Præſidum, nec Aſſeſſorum, nec Actuariorum munere funguntur. 8. Immo quà deputati, nullam earum partem faciunt, nec in iis comparent. Quod ſi in Hollandiâ Claſſibus nomine Synodi quid proponant, exeunt & ante fores exſpectant, dum deliberatio inſtituitur & ſuffragia colliguntur: quo facto, intromiſſis illis & revocatis ſignificatur quid ſtatutum ſit. Solummodo in Synodo comparent, ut mandatorum & negotiorum ipſis impoſitorum rationem illic reddant, aut ſaltem referant quo loco nunc illa ſint, aut quid de iis factum aut non factum ſit. Quâ occaſione, dum iſtic adſunt, ſuper negotiis propoſitis conſilium, ſeu ſuffragium eorum deliberativum à Præſide, præſertim poſtremis his annis plerumque poſtulari conſuevit, antequam Synodi ſuffragia deciſiva & autoritativè determinantia quærantur: quod tamen non arguit ullum peculiarem ac ſuperiorem gradum miniſterii eccleſiaſtici, aut poteſtatem, ne quidem ſimplicem præſidentiam, aut primatum ordinis ſupra Eccleſias aut Paſtores Eccleſiarum; quia conſilia DD. Delegatorum politicorum, qui nomine Illuſtr. Ordinum Provinciæ, ubi Synodus habetur, illic comparent, nec non Miniſtrorum ab aliis quibuſdam Synodis Provincialibus fraternæ & collateralis correſpondentiæ cauſa illuc miſſorum, ut & Profeſſorum Theologiæ (quando ſcil. Synodus habetur in loco, ubi Academia) pari ratione poſtulari & audiri ſolent, & quidem prius quam Deputati conſulantur. 9. Cum conveniunt aliquando, non determinant cauſas Eccleſiaſticas, nec præparant aut præſtituunt aut preſcribunt ea quę in Synodo proximâ agenda: hoc enim faciunt ſingulæ Claſſes per ſua gravamina, quæ non ad Deputatos, ſed ad Claſſem ſynodalem mittuntur & ab eâ collecta ac ordine diſpoſita Claſſibus remittuntur, alicubi à Claſſibus ad omnia ſui diſtrictus Synedria ſeu Conſiſtoria, ut ſuper iis certi quid determinent & Delegatos ſuos ad Synodum literis fidei & mandati inſtruant: & hæc omnia ſine ſcientiâ & conſilio aut conſenſu Deputatorum, quibus nihil hic negotii eſt. Quid ergo agunt? inquies: *Reſpondeo*; tantum poſt habitam Synodum acta ejus relegunt, atque ex iis notant mandata ſi quæ ipſis impoſita, ut ea fideliter exequantur, quippe rationem reddituri in proximè futurâ Synodo. Mandata autem illa plerumque nihil aliud continent quam querelas aut poſtulata quædam nomine Synodi, per libellum ſupplicem Ill. Ordd., aut quædam huic atque illi Eccleſiæ ſuper aliquo particulari negotio nomine itidem Synodi proponenda. Præter hæc mandata quæ aliquando pauciſſima, aliquando nulla, aut fere nulla ſunt, incumbit ipſis intereſſe nomine Synedi, examinibus vocatorum ad miniſterium; ut ita Synodo de unitate in orthodoxiâ omnibus in Claſſibus ſervandâ, tanto melius conſtet. Poſterius hoc nullam arguit ipſorum ſupra Eccleſias aut Claſſes poteſtatem: quia ſi quæſtio aut controverſia de orthodoxiâ examinandi incideret, penes ipſos non eſſet hoc determinare, ſed penes Claſſem: Illi nihil poſ-

hil poſſunt, quam monere, & ad Synodum referre. 10. Breviter alicubi in Belgio nulli, alicubi duo aut tres, alicubi quatuor in Synodo Provinciali nominantur delegati, qui ad annum, aut ad ſummum ad biennium, particularia & ipſis expreſſo ac ſpeciali Synodi mandato deſignata, ac circumſcripta negotia curent & exequantur; præter præſentiam in examinibus Miniſtrorum. Unde invito ſenſu & praxi Eccleſiarum Belgicarum, novus aliquis & peculiaris miniſterii eccleſiaſtici gradus (quem nullum agnoſcunt noſtræ Eccleſiæ, præter Concionatoris, Senioris, Doctoris, Diaconi) aut poteſtas regiminis ac juriſdictionis, aut dignitas, aut præſidentia & ὑπεροχὴ eccleſiaſtica, quæ ſit Epiſcopatus, ſaltem quaſi Epiſcopatus, nullâ ſpecie ab æquis rerum æſtimatoribus colligi debet. Poſſent eâdem conſequentiâ nobis imponi gradus cenſorum, abſtentorum, actuariorum, viſitatorum, confirmatorum qui confirmant aliquem in miniſterio, Conſolatorum, Quæſtorum Claſſicorum, Petitorum & Sollicitatorum (quos Polizia alibi vocat Magiſtros libellorum ſupplicum) Examinatorum, Delegatorum claſſicalium ad Synodum, Inſpectorum qui alumnos aut ſtudioſos theologiæ dirigunt, Scriptorum, qui librum aliquem ſcribunt nomine Claſſis aut Synodi, Collectorum & Diſtributorum ſeu Diſpenſatorum qui collectam aliquam pro exulibus aut Eccleſiis exteris curant & diſtribuunt, Diſputatorum & Collatorum, qui cum heterodoxo aliquo coram diſputant & conferunt, Gratulatorum & εὐχαριστήρων, qui nomine Eccleſiarum Principibus & Magiſtratibus gratulantur, aut gratias agunt &c. Ad hæc enim & ſimilia opera ac negotia Miniſter aliquis aut Miniſtri aliqui, à Synedrio, aut Claſſe, aut Synodo pro re natâ ſubinde ſpecialiter deputari ſolent. His ita expoſitis facile eſt colligere, quid ſit de Grotii calumniâ modo memoratâ; & quid de conſequentiâ *Franciſci Maſoni*, relationi Reverendi mihique amiciſſimi D. Johannis Durei de Eccleſiis tranſmarinis ſuperſtructâ, in libello Oxoniæ anno 1641. Anglicè edito, *tit. Certa in briefe treatiſes written by diverſe &c.* Ubi probare conatur Eccleſias omnes reformatas, nominatim Politiæ eccleſiaſticæ Genevenſis & Gallicæ zelatrices habere reipſa Epiſcopos, & ſubſtantiam poteſtatis atque officii epiſcopalis, atque adeo quidquid initio reformationis ſine Epiſcopatu aut contra eum ab illis actum eſt, illud in extremo neceſſitatis caſu, qui legem non fert, actum eſſe. Verba autem prædictæ relationis D. Durei hic exhibeo ex anglico in latinum tranſlata: *Licet Claſſici Conventus, nec non Synodi in Hollandiâ quàm ſæpiſſimè habeantur; illi nimirum ſingulis menſibus, hæ ſemel in anno, tamen non ita multi effluxêre anni, cum, neceſſitate coacti, alios quoſdam conſtituerint officiales, quibus magis univerſalis poteſtas & inſpectio commiſſa eſt, quam reliquis (ſuis Collegis;) Vocantur autem Delegati ſeu Synodi Deputati, quorum provincia pauculos durat annos. Hi Deputati habent ſuos conventus certis & urgentibus occaſionibus, præcipuè verò conſtituto tempore Synodi Provincialis, ubi conſultant*

Digitized by Google

& præmeditantur quomodo negotia & cauſæ quæque diſponendæ & Synodo proponendæ ſint. In Synodo prætereà peculiari ſuo loco ſedent, quibus Præſes Synodi hunc defert honorem ut primo loco ab illis requirat, rem quamque propoſitam Synodo aperiant, & judicium ſuum de illâ prius exponant, quam ſuffragia ſynodalium poſtulentur & colligantur. Conferatur relatio cum iis, quæ à nobis jam dicta ſunt; & judicetur, an apologia Maſoni pro vocationibus Eccleſiarum reformatarum extra Angliam nobis amplectenda ſit. Nos aliam moliti ſumus in *Deſper. Cauſâ Papatus Lib. 2. ſect. 1. cap. 9. & ſect. 2. cap. 12.* tum ex rei veritate tum ex mente Eccleſiarum, quæ aliter defendi nolunt. Interim hæc aliaque Politiæ noſtræ eccleſiaſticæ interpretamenta, monere nos debent, ut in executione ejus cauti ſimus, & à minima ſpecie ὑπεροχῆς ac dominationis, monarchico-epiſcopalis, aut oligarchicæ abſtineamus. Cautiores uti ſpero, nos reddet exemplum Scotiæ, quę à vulgaribus Deputatis nomine Synodi Nationalis gravamina Eccleſiarum Parlamento proponentibus, ad turbulentum ſuum Epiſcopatum intra paucos annos provecta fuit. De quo vide *Didoclavium in Altari Damaſceno*; & *Hiſtoriam Rerum nuper in Scotiâ geſtarum*, editam an. 1641

LIBER PRIMUS

TRACTATUS II.

DE
Poteſtate, Politiâ & Canonibus Eccleſiarum.

CAPUT I.

Diſtinguitur vox Poteſtatis Eccleſiaſticæ. Ipſa Poteſtas propriè dicta definitur. Partes Poteſtatem illam ingredientes ac conſtituentes explicantur. Ut & ejuſdem Affectiones, cum Oppoſitis.

1. MELIORIS doctrinæ causâ diſtinctè ac ſeorſim Poteſtatem (ad quam referimus Libertatem), Politiam eccleſiaſticam ſeu Regimen, & Leges ſeu Canones regiminis conſiderabimus. Illa ad modum principii, & fundamenti: iſtam ad modum principiati ordinis ſcil. per Poteſtatem illam conſtituti, ſeu mavis aſſumti ab Eccleſiis, iiſque rite impoſiti atque aptati: has, tanquam regu-

Digitized by Google

regulam & formulam Ecclesias ejusdem correspondentiæ ac propioris confœderationis communiter dirigentem & manuducentem. Potestas Ecclesiæ distinguitur in extrinsecam, & intrinsecam seu propriè dictam. *Illa* suo genere & formaliter est sæcularis, quæque Ecclesiis communis esse potest cum aliis Societatibus & Collegiis. *Hæc* in se est sacra & formaliter ecclesiastica, eique propria. *Illa* directè dependet à Potestate & Politiâ sæculari, tanquam propriâ & proximâ causâ efficiente; *ista* minime. Ad illam pertinet. 1. Dominium proprietatis seu utile bonorum & redituum suorum; quod non minus Ecclesiæ alicui in Diaconis & Dispensatoribus suis competit, quam aliis quibusvis Collegiis, Scholasticis, scil. Mechanicis, Mercurialibus &c. aut etiam privatis quibusque hominibus: de quo alibi, 2. Privilegia, & libertates Personis ecclesiasticis concessæ, qualis e.g. ne fideles Judæis aut Paganis servirent, *L. decernimus C. de Episc. audient. L. si quis C. ex pactis; & ne Episcopi testamento possent dari tutores.* 2. Libertates & immunitates Templorum: de quibus infra *Lib. 4. ubi de Templis.* 3. Immunitates Bonorum ecclesiasticorum: de quibus infra *Lib. 4. tit. de Temporalibus Ecclesiæ.* Opponitur huic externæ potestati & libertati nimia partim extensio, partim abusus. Quales sunt 1. *Anabaptistarum*, qui ducibus Thoma Muntzero, & Johanne Leidensi, aliisque istius farinæ fanaticis hominibus, libertatem Ecclesiæ & fidelium sub novo testamento, ab omni potestate politicâ proclamârunt, & gladio tutati sunt. De quo consulant juniores *Sleidani Historiam*, & peculiares *Historiolas Heresbachii*, *Lamberti Hortensii &c. de Tumultibus Anabaptisticis*, ut & *Conr. Schlusselburgii Catalogum Hæreticorum.* Hodierni Anabaptistę, quamvis usum gladii in prædecessoribus & fratribus illis suis, atque ereptam Magistratibus Potestatem & usurpationem improbent; etiamnum tamen sentiunt, immunitatem seu libertatem ab omni regimine civili Christianis in foro conscientiæ coram Deo competere; cum nullâ conscientiâ Christiani erga fratres suos eâ uti possint. Sed de hoc agendum *ad quintum Decalogi Præceptum, tit. de Magistratu.* 2. *Pontificiorum*, qui multis modis hic excedunt. *Primò* enim Clericis immunitatem vindicant & exemptionem ab omni jurisdictione & judiciis Magistratus tam civilibus quam criminalibus. *Secundò* Potestatem sive directam (uti Canonistæ) sive indirectam (uti nunc vulgò Theologi plerique) in sæculares omnes res & personas, etiam Imperatores, Reges &c. Ecclesiæ suæ, Conciliis, Papis attribuunt. *Tertiò* speciatim in Reges hæreticos. De quo videnda *Decreta*, *Bullæ*, *Scripta* quamplurima alibi *citata*: inter quæ excellunt illa, quæ pro Potestate temporali Papæ edita, nec non *Apologetica* tempore ligæ Gallicæ contra Henricum IV. ut *Gul. Rossæi de iustâ Reipubl. Christianæ in reges impios & hæreticos autoritate*; & *Apologetica contra Juramentum fidelitatis in Angliâ*, & *Scripta contra Venetos sub Paulo V.* Plura à nobis indicata 3. *Part. Select. Disp. tit. de Papæ Potestate temporali*

Digitized by Google

porali, de ſede Romanâ incompatibili &c. Quartò, Epiſcopis in genere coactivam poteſtatem concedunt, cum carceribus, & verberibus. De quo *Scriptores de Poteſtate & praxi epiſcopali, deque modo Procedendi in Curiâ Romanâ, & Curiis Epiſcopalibus. Quintò*, iiſdem ſpecialiter poteſtatem & jus Belli aſſerunt: de quo videnda eſt peculiaris *Apologia* Epiſcopi Pictavienſis, *Henr. Ludovici Caſtanaei*, gallicè in 8. *Sextò*, iiſdem & inquiſitoribus poteſtatem concedunt inquirendi in conſcientias, eaſque cogendi ſub titulo & prætextu quæſtionum de fide. Quinimo poteſtatem coactivam ad Judęos & Saracenos, indirectè extendunt. Uti videre eſt in *Jure Canonico*, & *Director. Inquiſitorum*, *ubi de Judeis. Septimò*, Curiis Epiſcopalibus cauſas matrimoniales & de adulterio, de Magiâ ſubjiciunt; & curiis ſecularibus ſubducunt. *Octavò*, Dominia bonorum regalium non tantum utilia, ſed & directa ac ſuprema cum totâ pragmaticâ juriſdictionis civilis cum imperio ſtudiosè affectant, & mordicus retinent. De quo conſulendæ *Hiſtoriæ Capitulorum, Monaſteriorum, Epiſcopatuum* (imprimis Germanię): & *Tractatus Joh. de Choquier* Vicarii epiſcopatus Leodienſis, de *Libertate Eccleſiaſticâ, & Tract.* Jeſuitæ *Giretſeri de Regum & Principum in Eccleſiam Romanam liberalitate.* Ad cumulum confuſionis accedit, quod talem poteſtatem faciunt formaliter ſacram & eccleſiaſticam, immo & palmariam. Sequeſtramus ergo ab hâc tractatione 1. Poteſtatem Eccleſiæ extrinſecam (quæ Eccleſiæ ineſt, ſed non quà Eccleſiæ,) cum ſuis oppoſitis & abuſibus, 2. Poteſtatem Eccleſiaſticam Magiſtratus objectivè & per externam denominationem ſic dictam, non formaliter; quæ Eccleſię adeſt, ſeu quæ circa eam verſatur, ſed directè eandem ſibi non ſubordinat. 3. Poteſtatem ſpiritualem & eccleſiaſticam intrinſecam, ſed ſuperiorem & regiam, ſeu monarchicam tam interiorem quam exteriorem; quæ eſt ſolius Chriſti capitis & regis, dependenter & œconomicè. *Epheſ.* 1. *v.* 22. *Apocal.* 3. *v.* 7. 4. Poteſtatem eccleſiaſticam Dei unius & trini, redemptoris noſtri in Chriſto mediatore: quæ eſt abſolutè & independenter ſuprema ac monarchica. 5. Poteſtatem eccleſiaſticam, quæ per denominationem externam forte dici poſſet eſſe in Angelis, tanquam miniſtris, & inſtrumentis Chriſti mediatoris in juvandâ & defendendâ Eccleſiâ. 6. Poteſtatem eccleſiaſticam, ſi quæ fuit & porro fuiſſet ante lapſum, ſiquidem homo perſtitiſſet. 7. Poteſtatem extraordinariam Prophetarum & Apoſtolorum, quà talem, & formaliter ac ſpecificè ſumtam; imprimis poteſtatem Moſis, de quâ *Deuter.* 34. *v.* 10. 11. *Hebr.* 3. *v.* 5. 6. & ſecundum aliquos Interpretes *Galat.* 3. *v.* 19. 8. Poteſtatem ac libertatem ſpiritualem ſingulorum fidelium ſeorſim & in unione ſuâ cum Chriſto conſideratorum: de quà alibi & aliter agendum. 9. Poteſtatem eandem ſpiritualem in unione & mutuâ inviſibili ac myſticâ membrorum communione conſideratam. Nos tantum inferiorem, miniſterialem, ordinariam, ac formaliter ſacram

Digitized by Google

cram atque eccleſiaſticam Poteſtatem Eccleſiæ Inſtitutæ quà talis, in unione & communione ſuâ, viſibiliter & quod ad ſtatum ſuum externum conſideratæ, hic nobis proponimus. Hæc ambigua, quia accuratè diſtincta & evoluta non fuerunt ab omnibus, non exiguas huic doctrinæ tenebras offuderunt.

2. Accedamus ergo ad definitionem, omnis dextræ diſputationis principium: quæ eſt talis. *Eccleſiaſtica Poteſtas eſt jus ſacrum miniſteriale à Chriſto capite Eccleſiæ conceſſum, & ordinario modo applicatum, externè ſe & ſua gubernandi ad mutuam ædificationem & ſalutem.* *Genus* remotum in hac definitione eſt *jus*: propinquum eſt jus ſacrum: proximum eſt jus ſacrum miniſteriale; quod *ἐξουσία, δυναστία* & metonymicè clavis regni cœlorum dicitur *Matth.* 16. *Subjectum* adæquatum eſt Eccleſia externa, viſibilis, & inſtituta, quà talis, in collectione ſuâ conſiderata. *Objectum* (quod idem & terminus) eſt cura ac gubernatio perſonarum & rerum ſuarum, ſeu res, perſonæ, actiones eccleſiaſticæ & ſacræ. *Efficiens* inſtitutionis eſt Chriſtus mediator, quà talis, ut rex ſpiritualis & caput Eccleſiæ: *applicationis* ad hanc aut illam fidelium ſeu fidem profitentium collectionem, & corpus ſingulare quodque eccleſiaſticum, eſt particularis conſenſus & confœderatio ipſorum fidelium. Ut enim hic proximè fundat Eccleſiam viſibilem particularem, ejuſque producit formam, ita & poteſtatem juxta vulgatum illud philoſophorum: *Qui dat formam dat conſequentia formam.* Vide quæ *præced. Tract.* dicta ſunt de fundamento & efficiente Eccleſiæ Inſtitutæ. *Finis*, eſt mutua ædificatio & ſalus *Actor.* 2. 47. *Hebr.* 10. v. 24. 25. coll. cum 2. *Cor.* 10. v. 4. 5. 8.

3. Partes hujus Poteſtatis (quæ ut totum & aggregatum quid hactenus conſiderata nobis fuit) diſtribuuntur vel ratione objecti occupantis, ſeu termini; vel ratione ſubjecti cui ineſt. *Priori modo* dividitur in Dogmaticam, Nomotheticam, Diatacticam ſeu Gubernatoriam, & Diacriticam ſeu Judicialem. Alii ad bimembrem revocant, Poteſtatem ſcil. regiminis, & juriſdictionis: ſeu clavem ordinis & juriſdictionis. Alii, diſtinguunt clavem ſcientiæ, & ſententiæ, ſeu Poteſtatis ſententiandi. Sic fere Pontificii. Vide *Gabrielem, alioſque Scholaſticos ad* 4. *diſt.* 18. Imprimis & *Gerſon Part.* 1. *de Poteſtate eccleſiaſticâ.* Ubi Poteſtatem hanc Miniſtris Eccleſiæ (ſecundum ipſos), conceſſam faciunt ſextuplicem: Poteſtatem ſcil. conſecrandi ſacramenta, eadem adminiſtrandi, prædicandi, judiciariæ correctionis, diſpoſitionis Miniſtrorum Eccleſiæ, accipiendi vitæ neceſſaria ab his, quibus ſpiritualia adminiſtrant. De quibus etiam *Gabriel in Expoſit. Canonis Miſſæ Lect.* 1. Specialiter etiam Poteſtatem Confeſſarii duplicem faciunt, ordinis & juriſdictionis: de quo *Caſuiſtæ*, inter eos *Toletus Lib.* 1. *c.* 3. *& Lib.* 3. *c.* 13. Rurſum Poteſtatem juriſdictionis diſtinguunt in interiorem in foro interiori conſcientiæ, & in exteriorem in foro exteriori eccleſiaſtico. *Iſtam* vindicant Epiſcopis & eccleſiaſticis, quos vocant,

gubernantibus : *illam* omnibus Sacerdotibus & Confeſſariis relinquunt ; exceptis caſibus Reſervatis, Epiſcopalibus ſcil. & Papalibus. De quibus paſſim *Caſuiſtæ & Canoniſtæ, & peculiares Tract. Joh. Chapeaville, & Franciſci Coriolani*; qui poſterior operosè hoc egit. Quouſque autem ſe extendat Poteſtas juridica Confeſſarii docet *Claudius Soleri Tract. peculiari.* Sed operoſis his nugis omiſſis, & inutilibus reſectis, revocamus omnem Poteſtatem eccleſiaſticam cum *Catecheſi noſtra* ad dogmaticam, & judicialem ſeu diſciplinarem. Ad priorem reducuntur verbi prædicatio, ſacramentorum adminiſtratio cum reliquis agendis eccleſiaſticis ; & quæ illis tanquam media ſubſerviunt ; Eccleſiarum collectio & conſtitutio, Miniſtrorum electio, temporum & locorum conſtitutio, conventuum celebratio & convocatio, &c. deque omnibus illis διαταγῶν & conſtitutionum conſcriptio & authorizatio. Commodiſſimè etjam dividitur in 1. Dogmaticam. 2. In Gubernantem ſeu Ordinantem. 3. In Judicantem ſeu Diſciplinarem. *Prima* ſubdividitur in communem ſeu ordinariam & incidentem ſeu occaſionatam. *Illa* eſt Poteſtas dogmata ex Scripturis tradendi & conſcientiis omnium ac ſingulorum applicandi : cujus appendix eſt Poteſtas diſpenſandi ſacramenta. *Iſta* eſt Poteſtas in caſu dubitationum aut controverſiarum ex verbo Dei determinandi. Quæ peculiariter clavis ſcientiæ nonnullis dicitur. De quâ agunt *Antagoniſtæ Pontificiorum tit. de Judice Controverſiarum*, & *de Conciliis*. *Secunda* ſubdividitur in legiſlatoriam, & in gubernatoriam ſecundum illas leges. *Illa* eſt Poteſtas ferendi leges ac conſtitutiones eccleſiaſticas, ſecundum quas Eccleſia gubernetur. *Iſta* eſt Poteſtas diſponendi & exequendi omnia quæ ad agendorum eccleſiaſticorum τάξιν & εὐσχημοσύνην requiruntur. Ad utramque ordinatur, eique præſupponitur Poteſtas Eccleſiam colligendi & conſtituendi, quæ nondum eſt. *Tertia* ſubdividitur in Poteſtatem cenſurâ notandi, & excommunicandi, & in Poteſtatem excommunicatos reconciliandi. Huc reducitur Poteſtas renunciandi unitatem Eccleſiis aut Doctoribus, aut membris Eccleſiæ, extra confœderationem & propinquam atque explicitam communionem noſtram conſtitutis. Atque hæc quidem partitio Poteſtatis eccleſiaſticæ ſecundum objectum. Partitio ſecundum ſubjectum ſic inſtituitur, ut alia ſit Poteſtas *communis*, totius Eccleſiæ ſecundum omnia & ſingula membra diſtributè conſideratæ : alia *propria*, ſecundum hanc aut illam partem diſtinctè & oppoſitè conſideratæ. *Illa* continet immunitates, privilegia, & jura Eccleſiæ in rebus ſacris & eccleſiaſticis : quam nonnulli vocant clavem libertatis & poteſtatis, ſimpliciter ita dictæ ; e. gr. in ſcientia & doctrinâ, in quâ omnes & ſinguli abundare poſſunt ac debent, ac ſe mutuo hortari, reprehendere &c. *Rom.* 15. 1 *Theſſal.* 5. *Hebr.* 3. Item in electione Miniſtrorum, &c. aut Anteceſſorum tantum, quæ vocatur Poteſtas ſeu clavis autoritatis & directionis, idque in doctrinâ, ubi antecedenter & directivè

directivè judicant. *Hæc* in electionibus Miniſtrorum, in receptione & excommunicatione Membrorum, ubi itidem antecedenter, directivè, & autoritativè agunt, judicant, determinant. *Aut* Membrorum ſimul & Anteceſſorum, quatenus & illi ſunt membra. Et hæc eſt illa, quam modo indicamus. Sunt qui autoritativam clavem & Poteſtatem tribuunt toti corpori conſtanti ex Anteceſſoribus, & Membris, quod ad inexiſtentiam ſeu inhæſionem; ſed tantum Anteceſſoribus quod ad principalem executionem. Quod aliter ſic efferri poteſt: eſſe miniſterialem clavem autoritatis & directionis in toto corpore Eccleſiæ quà talis virtualiter; in ſolis vero Anteceſſoribus formaliter. Aut ſic, eſſe in corpore Eccleſiæ ut principio *quod*, in Anteceſſoribus ut principio *quo*. Quomodo in corpore hominis functionum animalium ſedes proxima eſt venter ſupremus, & ſedes communis totum corpus, & principium inſtrumentale *quo*, eſt cerebrum, & principium *quod* totum compoſitum: de quo poſtea in Problematis dicendum. Sufficit hic partitionem Poteſtatis ſubjectivè ſeu ſecundum ſubjectum, indicatam fuiſſe: Porro Poteſtatem communem totius Eccleſiæ, & populi eccleſiaſtici diſtinctè conſiderati 1. *Dogmaticam* in iſtis ſtatuimus; quod omnes tanquam Prophetæ & Sacerdotes ſpirituales orent, prophetent, doceant, hortentur &c. pro modulo & menſurâ ſpiritus 1 *Cor.* 11. *v.* 4. 5. *Rom.* 15. 14. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 11. 14. Quodque datâ occaſione judicent & determinent controverſa, judicio diſcretionis, non directionis: libertatis, non autoritatis: conſequente conſenſus & approbationis, non antecedente & ἡγεμονικῷ præſcriptionis. 2. *Poteſtatem ordinis & regiminis* in iſtis, *in ortu Eccleſiæ* ſeu cum Eccleſia in fieri, quod libero conſenſu, ſuffragio, & conſilio ſuo in corpus eccleſiaſticum coëunt & ſpiritualem confœderationem ineunt: *in actu* Eccleſiæ, ſeu cum jam conſtituta eſt. 1 *Quod* electionem Paſtorum, Seniorum, Diaconorum in & cum Synedrio peragit, ſuffragando vel expreſsè & vocaliter, vel per ſcrutinium, vel per ſilentium. Innititur ſenſus & praxis Eccleſiarum noſtrarum textibus *Actor.* 1. *v.* 15. cum 26. *Actor.* 14. 23. & 6. 3. 5. 6. & conſenſui ac praxi antiquiſſimæ Eccleſiæ. Quod affatim probamus infra *Part.* 2. *ubi de Vocatione Miniſtrorum & Jure Patronatus.* 2. *Quod* à Membrorum receptione, eorundemque dimiſſione & dandis teſtimoniis populus non excluditur. Uti *Diſp. præced.* notavimus. Tale quid elici videtur ex *Actor.* 10. 47. & 9. 26. 27. 3. *Quod* populo communicentur ſive vivâ voce ſive per epiſtolam, quę in aliis Eccleſiis geſta aut gerenda *Actor.* 14. 27. & 15. 3. *Coloſſ.* 4. 27. 4. *Quod* dubia ſua ad Synodum deferant aut deferri curent *Actor.* 15. 2. 5. *Quod* controverſiæ in Synodis coram ipſo tractari; & determinari poſſint, immo nomine ac de conſenſu eorum, conſequente ſcil., ſive explicito ſive implicito, decreta ſynodica emanare *Actor.* 15. 22. 23. 6. *Quod* etiam ab ipſo ſeu ipſius cum conſcientiâ & conſenſu eligantur & mittantur

Digitized by Google

tantur delegati ſive preſbyteri ſive alii ad alias Eccleſias, ſive ad auxilium præſtandum, ſive ad conſilium petendum, aut ad collectas faciendas, aut ad controverſias determinandas, aut ad Eccleſias plantandas & infideles convertendos *Philipp.* 2. 2 5. 2. *Cor.* 8. *v.* 18. 19. *Actor.* 15. 2. & 13. *v.* 1. 2. 3. 7. *Quod* juxta cum Preſbyterio, & nonnunquam ac in nonnullis ſeorſim Poteſtatem habeat communicandi cum aliis Eccleſiis idque variis modis, per participationem ſcil., commendationem, conſultationem, contributionem, admonitionem &c. de quibus alibi dicendum. III. *Poteſtatem juriſdictionis* (ita loqui liceat) in iſtis. 1. *Quod* expoſtulare poſſint non tantum ſeorſim in caſu privatæ offenſæ & ſcandali, *Matth.* 18. 15. 16. ſed & collectim una cum ſuo Preſbyterio in caſu ſcandali publici, immo & judicare *Matth.* 18. 17. Coll. cum 1. *Cor.* 5. *v.* 4. 5. 22 & *c.* 6. 3. 4. 5. & 2. *Theſſ.* 3. 14. 2. *Quod* ab ἀτάκτοις ſe ſubducere poſſint, *Ibid. v.* 6. 3. *Quod* hæc poteſtas ſe extendat etiam ad Miniſtros, *Act.* 11. *v.* 2. — 18. Quo etiam refertur *Col.* 4. 17. 4. *Quod* Poteſtatem habeat lapſos & pœnitentes ad reconciliationem admittendi 2 *Cor.* 2. *v.* 7. 8. 5. *Quod*, cum autoritas directæ juriſdictionis deeſt ubi ſcil. aliena eſt Eccleſia, aut ductus & directio, ubi ſcil. Preſbyterium corruptum officio non fungitur: vicariam Poteſtatem ſeu libertatem exercere poteſt, recedendo ſcil. privativè ab illâ Eccleſiâ, Preſbyterio, dictis fidelibus; aut inſuper poſitivè repudium pacis mittendo, eorumque communioni & fraternitati renuntiando, 2 *Theſſal.* 3. 6. *Rom.* 16. 17. 18. 6. *Quod* denique in caſu neceſſitatis, cum Synedrium plane corruptum eſt, nec correſpondentiæ ſynodicæ aut claſſicæ ſuccurrere volunt, aut poſſunt, alios quoſdam conſtituere poſſunt, iiſque autoritatem applicare, quâ laboranti Eccleſiæ una cum populo, aut ſaltem meliori ejus parte ſuccurrant. Tale quid ante annos aliquot factum in nonnullis Eccleſiis Belgii per Remonſtrantes turbatis. Populus qui eligit Seniores & Diaconos, non ita iis commiſit Poteſtatem, ut non poſſit in caſu neceſſitatis eam ipſe, non dico reſumere & uſurpare, (uti *Zwarez* & *Bellarminus* alibi citati de Poteſtate regiâ à populo N. N. commiſsâ concedunt) ſed ſolummodo applicare, alias ſcil. perſonas deſignando, qui eâ melius utantur. Salus Eccleſiæ ſuprema lex eſt. Atque hæ quidem partes Poteſtatis populi à Preſbyterio diſtincti, & ſic totius corporis eccleſiaſtici. Partes Poteſtatis ſeu autoritatis Miniſterii & Preſbyterii à populo diſtincti ſtatuimus iſtas I. *In Poteſtate dogmaticâ.* 1. *Quod* Miniſtri ordinariò & cum ſpeciali autoritate tanquam Diſpenſatores & Miniſtri Chriſti (1 *Cor.* 4.) præeant in verbo *Tit.* 2. 15. & ſic ligent ac ſolvant *Matth.* 16. cum *Joh.* 20. paſcant gregem 1 *Pet.* 5. eumque cibent & potent 1 *Cor.* 3. 2. *Quod* ſoli ſacramenta adminiſtrent *Matth.* 28. 19. 3. *Quod* controverſia dijudicent ac determinent judicio antecedente, directivo, & præſcribente *Act.* 15. 23. 28. *Hebr.* 13. 17. II. In *Poteſtate regiminis.* 1. *Quod* propriè vocentur ἡγούμενοι Rectores ſeu Guber-

Digitized by Google

Gubernatores, Doctores, Episcopi, προϊστάμενοι, προεστῶτες, ἡγεμόνες. *Hebr.* 13. 7. 17. 1 *Tim.* 5. 17. *Actor.* 20. 1. *Pet.* 5. 1. *Thess.* 5. qui gregi attendunt *Act.* 20. pro animabus vigilant *Hebr.* 13. Ecclesiam curant. 1 *Tim.* 3. 5. 2. *Quod* possint occasione ita exigente Ecclesiam convocare & coetus indicere *Actor.* 6. 2. & sic in V. T. sacerdotes *Joël* 1. *v.* 13. 14.; eandemque cum benedictione dimittere: ubi majoritas apparet, *Num.* 6. 23. cum *Heb.* 7. 7. 3. *Quod* inquirant in Ministros & Membra admittenda, eosque probent *Apoc.* 2. *v.* 2. 4. *Quod* instituant & solenniter introducant Presbyteros legitimè electos 1 *Tim.* 4. 14. cum *Actor.* 6. 6. 5. *Quod* sermonem inchoent, & silentium imponant, & in omnibus Præsides agant in coetu ecclesiastico. Hic ordo à Synagogâ *Act.* 13. 15. ad Ecclesiam derivatus fuit. De quo *Tertullianus in Apologet.* præsident probati quique Seniores &c. 6. *Quod* synodalia gravamina, & materias examinare, omniaque pro suâ parte præparare, ad Synodos ordinariò mitti, & in Synodis suffragia decisiva ferre soleant. *Actor.* 15. eique Ecclesiæ aut Ecclesiis autoritative præscribere. Prout *Actor.* 19. *v.* 4. decisio auroritativa & directiva præscriptio peculiariter tribuitur Apostolis & Senioribus: quamvis coram Ecclesiâ seu fratribus, immo cum iis consentientibus decisio & conclusio facta esset, eorum etiam nomine epistola synodica scripta, ipsique suffragia disquisitoria & deliberativa contulerint, materiam controversam vocaliter examinando, *Actor.* 15. *v.* 7. cum 12. 13. & 22. 23. 28. III. *In Potestate jurisdictionis.* 1. *Quod* possint quosvis privatim publicèque (si res ita tulerit) cum autoritate reprehendere. 2. *Tim.* 4. 2. 5. 2. *Quod* in materiâ scandali materiam præparent, omniaque agant ad illud præveniendum, aut tollendum: ut ita coram multitudine ordine & expeditè omnia peragantur *Actor.* 21. *v.* 18. docetque necessitas & ratio naturalis hunc modum procedendi, juxta *Matth.* 18. *v.* 16. 17. 3. *Quod* in casu contumaciæ, jus dicant, sententiam Ecclesiæ præforment, & coram eâ ac cum eâ eandem ferant ac pronuncient. 1 *Cor.* 5. Quo referri potest prædictio illa *Ezech.* 44. 23. 24. 4. *Quod*, in casu corruptionis & ἀταξίας immedicabilis, aut quando scandalizantes ipsorum disciplinæ subjecti non sunt, discipulos abducere possint, iisque in alterius Ecclesiæ, aut coetus separati formatione præire, & malignantibus repudium pacis & fraternitatis mittere. *Actor.* 19. 9. & 13. 46. cum *Rom.* 16. 17. 18. Atque hactenus divisiones Potestatis ecclesiasticæ secundum partes. *Divisiones secundum species* totidem fieri possunt, quot Ecclesiæ Institutæ *Tract. præced.* expositæ; quas juniores ipsi suppleant, ut chartæ parcam. Una sive divisio in species analogicas, sive distinctio ambigui supra indicata, hic denuo inculcanda; quod alia sit extraordinaria, alia ordinaria. Illa erat in Prophetis, & Apostolis immediatè aut saltem viâ & modo extraordinario à Deo collata, ipsorumque personis applicata & mediatè per Apostolos Euangelistis e. gr. Timotheo, Tito &c.

Quæ in eo differebat ab ordinariâ quòd Prophetæ & Apoſtoli univerſalem directionem & authoritatem eccleſiaſticam in ſolidum quique poſſiderent, eamque in rebus, cauſis, locis, perſonis quibuſvis, occaſione & neceſſitate ita poſtulante per ſe ipſos, aut alios à ſe delegatos (qui in N. T. erant Euangeliſtæ) exequerentur. *Deinde*, quod in communis Politeias & Regiminis præſcriptione, atque apoſtolicâ directione eſſent infallibiles. Quæ diſcrimina neceſſario obſervanda, ne hæc materia tenebris magis involvatur, quam illuſtretur. Quod videmus eveniſſe Pontificiis, aliiſque Hierarchicis imprimis & ſupremi Pontificatus Politici ædificatoribus Moſen, Salomonem &c. perpetuò obtendentibus. Quod ad Apoſtolos, illi quà tales, & ſpecificè conſiderati, ut Miniſtri extraordinarii, nullos in poteſtatem ſuam ſucceſſores admittunt. Quæcunque argumenta ab eorum Poteſtate & praxi ad hodiernas Eccleſias & Miniſtros ducuntur, ea niſi quod ad genus & analogicè tantum concludere poſſunt, & totidem ſunt paralogiſmi.

4. Affectiones Poteſtatis eccleſiaſticæ ſunt iſtæ. I. Quod ſit ſacra, non ſęcularis, aut de hoc mundo. Nam regnum Chriſti non eſt de hoc mundo *Joh.* 18. II. Quod conſequenter non ſit homogenea cum Poteſtate Politicâ aut OEconomica. III. Quod ſit inferior, non ſuperior aut ſuprema. Sola enim ſuprema Poteſtas Chriſto reſervata eſt. IV. Ideoque non ſit Monarchica; nec etiam propriè Ariſtocratica aut Democratica; ſed utrique poſteriori ſimilis, hoc eſt, quaſi Democratico-Ariſtocratica. De quo infra. V. Quod ſit miniſterialis, non dominans; idque non tantum relatè ad Chriſtum, ſed relatè ad ipſam Eccleſiam ejuſque membra 1 *Cor.* 1. v. 12. 13. & 2 *Cor.* 1. v. 24. & 5. 18. 19. 20. 1 *Petr.* 5. v. 2. 3. *Luca.* 22. v. 25. 29. VI. Quod nihilominus ſit efficax circa conſcientias; apud quas ſe manifeſtat convincendo, obteſtando, ligando, & judicio miniſteriali ac denuntiatione excludendo ex Regno Cœlorum: non vero coactiva externè; quippe quæ non habet juriſdictionem cum imperio, ſed purè putè miniſterialis eſt *Matth.* 16. 18. *Joh.* 20. 20. coll. cum 2 *Cor.* 10. *v.* 4. 5. VII. Quod non ſit αὐτοκέφαλος; ſed teneatur rationem reddere, in dogmatis, in legibus ferendis, in regimine in juriſdictione omniumque conſcientias, quotieſcunque res ita fert, debitè de actis & agendis ſuis informare. VIII. Quod formas ſpeciales regendi inſtituere & mutare non poſſit; ſicuti Poteſtas Politica per permiſſivam Dei Poteſtatem poteſt 1 *Petr.* 2. 13. 14. ſed unicam illam formam tanquam ſpeciem ſpecialiſſimam à Chriſto præſcriptam cuſtodire teneatur. IX. Quod immediatè & directè non obliget conſcientias, nec abſolutè ei quis obedire cogatur; ſed tantum hypotheticè, quatenus ſcil. & quouſque actus ejus exercitus convenit aut formaliter & explicitè, aut reductivè & implicitè cum præſcripto verbi divini. De quo infra in *Problematis*. X. Atque hinc patet differentia inter Poteſtatem quamvis de

hoc

hoc sæculo seu sæcularem, & inter Potestatem ecclesiasticam. Illa est vel Politica seu Publica, vel Scholastica (quę scil. & quatenus Politicæ directè subordinata est); vel OEconomica, eaque triplex, Maritalis, Patria, Herilis. Nos distinctionem nunc indicamus à Politicâ, quę ad quatuor illa revocari potest. 1. *Subjectum* ibi est Ecclesia, seu communitas fidelium: hic verò Magistratus & communitas Civium seu Populi. Quomodo autem penes utramque sit aut non sit, virtualiter an formaliter, non est præsentis disquisitionis: nec tam in genere seu in thesi determinari debet aut potest, quàm in hypothesi, & cum applicatione ad cujusque populi Politiam, Pacta, Leges, Privilegia. De quo consulendi *Scriptores Jureconsulti* & *Politici*. 2. *Objectum* formale illic sunt res, personæ, actiones sacræ, quà tales, & sub illo formali, hoc est, quà ordinabiles & ordinatæ ad statum beatitudinis cœlestis & ad unionem cum Deo; & quatenus legi divinæ conformari, & conscientię ex lege divinâ de iis informari debent: hic vero sunt res, actiones, & personę quod ad externa & τὰ βιωτικὰ seu de hoc mundo, 1 Cor. 6. cum *Joh.* 18. Breviter quæ & quatenus ad vitam naturalem seu animalem, & symbiosin Politicam pertinent. 3. *Finis* internus, & proprius illic est salus æterna & consolatio in vitâ & morte: hic vero tranquillitas, & felicitas symbiosios civilis, & summum bonum politicum. 4. *Efficiens* superius illic est Christus mediator, quà talis, unicus Rex & Caput Ecclesiæ: hic vero Christus quà Deus & supremus Dominus cum Patre & Spiritu sancto, Conditor humani generis, ejusdemque & totius universi Conservator & Gubernator. *Inferius seu subordinatum efficiens* quod ad collationem & applicationem Potestatis illic est Ecclesia, & ab Ecclesiâ ad hoc delegati: hic vero communitas Politica, & qui ab eâ delegati 5. *Propria* & affectiones, modo indicavimus: quarum alterum contradictionis membrum politicæ, alterum ecclesiasticæ Potestati ubi quis applicuerit (ut nos operæ & chartæ nunc parcamus) manifestum nimis discrimen inter utramque deprehendet. *Pugnantia Potestatis* ecclesiasticæ. I. Ab una parte est jus Majestatis sacrum perperam explicatum, & Magistratui politico applicatum: quod, nisi Deus avertat; novum Pontificatum, Suprematum, Primatum, Monarchiam ecclesiasticam, & consequenter Antichristianismum post se traheret antichristianismo pseudo-ecclesiastico longè pejorem. Quod si enim pro absoluta sua & supremâ autoritate, sine ullâ actus sui ratione datâ, tyrannicè Ecclesiam agitaret, rueret, subrueret, & plaustra animarum secum in infernum aveheret, quę potestas Magistratus manum illi injiciet, ubi præter actorem nullus est! quis cursum sistet? quis miseram Ecclesiam proteget? quis dicet tali Pontifici, Domine quare facis sic? II. Ab alterâ parte repugnat Monarchia ecclesiastica Papæ. III. Etiam absoluta, suprema & infallibilis Potestas OEcumenici, quod ita vocant, Concilii. IV. Omnis Potestas & prętensa libertas ecclesiastica:

cujus genera ſupra notamus. V. Anarchia & Ochlocratia : quam infra *in Problematis* perſtringimus. VI. Omnis Oligarchia, ejuſque occaſiones, imagines, umbræ, in inſtitutione & exercitio poteſtatis epiſcopalis, aliorumque eidem plus minuſve affinium πρωτοτύπων ac πρωτοτύπων. Quo refer nimiam & minus tutam extenſionem Poteſtatis ſynodalium aut claſſicalium viſitatorum, aliorumque ad negotia aliqua, aut ad certam cauſam deputatorum. Confer ſupra *Lib. 1. Tract. 1. cap. ult.* & infra *Part. 3.* ubi de *Epiſcopatu* & *Collegiis ſeu Conventibus eccleſiaſticis.*

CAPUT II.

Diſceptatur de Poteſtate & jure Magiſtratus circa Sacra.

OCcaſionem huic diſceptationi in Germaniâ primum dederunt Pontificum & Imperatorum contentiones pro juribus ſuis: de quibus conſulendi *Hiſtorici, & Volumina* ſeu *Collectanea Imperialia* (ut ita appellem) à *Goldaſto* edita, ut & *ejuſdem Replicatio pro Imperio contra Gretſerum, cum adjunctis Apologiis pro Henrico IV.*; imprimis & *Marſilii de Menandrino Patavini Defenſor pacis* ſeu *Apologia pro Ludovico Bavaro.* Poſt reformationem ibid. ad prædicationem Lutheri inchoatam, inter Pontificios & Proteſtantes perpetuò diſceptatum de autoritate Magiſtratus circa Eccleſiarum reformationem. De quo conſulendæ *Sleidani*, & *Concilii Tridentini Hiſtoria, Melanthonis Conſilia, Principum Proteſtantium Scriptum contra Concilium Tridentinum &c.* Ibidem conſtitutâ jam reformatione à Thomâ Eraſto Medico Heidelbergenſi lis mota fuit diſciplinæ ac Poteſtati Eccleſiaſticæ, eaque in Magiſtratum Chriſtianum tranſlata: uti conſtat ex *Theſibus ipſius & Scripto poſthumo contra Bezam.* In Angliâ ſub Henrico VIII. & deinceps controverſia hæc agitata fuit occaſione tituli Regii, qui talis eſt: *ſuprcmum Caput & Gubernator Eccleſiæ Anglicanæ ſub Chriſto, in omnibus cauſis temporalibus & eccleſiaſticis.* Quomodo autem titulus hic ab Anglis Theologis non uno modo explicatus & contra Pontificiorum impugnationes defenſus ſit, infra indicabimus. Contentiones ſuper ceremoniis quibuſdam & regimine hierarchico ibidem hanc quæſtionem de Poteſtate Magiſtratus circa Sacra poſt ſe traxerunt. Vide *Didoclavii Altare Damaſcenum cap.* 1. & 5. Et *Anonymi Librum* vernaculum in 4. anno 1637. editum, cui tit. *Diſputatio adverſus Anglo-Papiſticas ceremonias Eccleſ. Scotica obtruſas part.* 3. *cap.* 8. Ante annos aliquot gliſcentibus vigentibus ſuper regimine epiſcopali & preſbyteriali in Angliâ, contentionibus, per nonnullos viros eruditos (inter quos celeberrimi *Gulielmus Prynne & Johannes Seldenus*) opinio Eraſti refoſſa fuit, eademque

Digitized by G

demque nuper operosè defensa à *Ludovico Molineo* Medico, & Politicæ in Acad. Oxoniensi Professore, *Libro* in 4. tit. *Paræneſis ad ædificatores imperii in imperio*: qui idem mox anno 1657. subjecit libellum in 8. tit. *Corollarii ad Paræneſin*. In Belgio nostro occasio huic controversiæ data fuit partim à Magistratuum quorundam Potestatem ecclesiasticam sibi tribuentium imprudente & sectariâ usurpatione (imprimis Lugduni Batavorum, Goudæ, & Ultrajecti): quorum aliqui à reformatâ religione planè alieni erant; alii semi-Pontificii, alii veri Neutrales; alii Libertinici nihil ultra civilem honestatem sapientes & affectantes; alii scabie crassi illius Pelagiani & turbulenti Diederici Coornherti nimis infecti (si non aliqui intercurrerint David-Joristæ, Zwenckfeldistę, Arriani) omnes Potestatis ac disciplinæ ecclesiasticę, non minus ac inquisitionis Hispanicæ, hostes professi. De turbis Leidensibus præter *Historias Belgicas*, consulenda *Senatus Leidensis Remonstrantia* anno 1582. Orddⁿ. Hollandię tradita; *eiusdemque Justificatio*: Et *Synodi Hollandicæ Harlemensis* anno 1582. *Examen dictæ Remonstrantiæ*, & *Anonymi Apologia contra dictam Justificationem*. De iis, quæ Goudæ evenerunt, & quomodo in defensione Ministri heterodoxi, Magistratus illic Potestatem illegitimè arripuerit, docebit *Relatio* &c. *nomine Synodi Zuythollandicæ* anno 1592. Hagæ-comitis edita. Gesta hic Ultrajecti, & profanam ac temerariam Potestatis ecclesiasticę usurpationem, & consequentem inde Ecclesiæ dissipationem, discimus tum ex traditione parentum, tum imprimis ex *Historiâ Petri Bor* domo Ultrajectini, & ex *Actis Curiæ, ac Consistorii*. Qui Belgica non attingunt, legant *Dedicatoriam* præmissam Fr. *Junii Analyticæ explicationi Exodi* anno 1597. Ubi fideliter monendo, tacitè peccatum ipsorum innuit. Cum quâ conferenda *Dedicatoria ad Regem Scotiæ Analysi in Numeros* prefixa. Atque hic quidem primus morbi contentionum, sed particularium paroxismus. Secundus, sed major & universalior cœpit cum factione Remonstrantium. Illi enim cum bonitate causæ prævalere, aut frustra tentatum plebis ecclesiasticæ per sparsos libellos applausum, aut plurium in Synedriis, Classibus, Synodis suffragiorum consensum obtinere nequirent, ad præsumtam hanc Potestatem Magistratus, tanquam ad sacram anchoram confugerunt. Ut autem causam suam ab ecclesiastico ad politicum tribunal evocarent, usi sunt potissimum artibus & autoritate unius atque alterius primarii in Politiâ Ministri in hâc nostrâ & vicinæ Hollandiæ Provinciâ Joh. scil. ab Oldenbarnevelt, & Ægidii Ledenberch, quorum solertiâ & suadâ primum minora seu inferiora Collegia DD. Delegatorum Ordinum, deinde per ea ac post ea etiam ipsa comitia Illustr. ac præpot. Ordinum aut duci aut dividi posse putabant. Ut autem novus hic agendi modus colorem aliquem haberet, & tanto facilius multorum Politicorum favor aut saltem tolerantia Remonstranticis novitatibus conciliaretur, editus est

anno 1610. ab *Johanne Wttenbogardo* Eccleſiaſte tunc Hagę-Comitano (quem Cl. Præceptor noſter *Gomarus*, in primo *Scripto ſuo* adverſus cauſam Remonſtranticam edito tit. **Waerſchouwinge** &c. *aulicum Euſebium* appellabat.) *Tractatus de Jure ſupremi Magiſtratus in Eccleſiaſticis.* Quamvis autem tractatus ille ab eruditiſſ. D. *Walæo* ita tunc fuerit refutatus, ut Author ejus nunquam replicare potuerit, nec tamen veritati manus dederit (quorum alterutrum ſe factu rum in alio publico quodam libello anno ſequenti, eum promiſiſſe memini): non deſtiterunt tamen ſocii ab eo tempore eandem cantilenam canere, excluſe ſcil. uſque ad indictam Synodum Dordracen. annum 1618. quo rerum vices per Dei clementiam in turbatis Belgii Eccleſiis cœptæ mutari. Edita itaque fuerunt ante illam Synodum, præter *Wttenbogardi tract.* modo cit. *Grotii Pietas Ordinum*; *Epiſcopii Diſputatio de Jure Magiſtratus circa Sacra*; *Barlæi declamatio ſeu Philippica quædam in Miniſtros*, qui orthodoxam & receptam religionem tuebantur; *Ejuſdem Bogermannus* Ἐλεγχόμενος, *Joh. Corvini ſcriptum in Bogermannum:* & Scripta vernacula quorum tit. *Campana Incendiaria*, *Comœdia vetus*, *Decretum DD. Ordd. Hollandiæ pro pace Eccleſiarum* (quod etiàm latinè exſtat), *Eorundem Juſtificatio* 1617.; *Conſtitutiones Eccleſiaſticæ DD. Ordinum Provinciæ Traiectinæ* anno 1612., *Utraque Remonſtrantium Hollandicorum Remonſtrantia*, prior ſcil. anno 1610. (unde primum dicti *Remonſtrantes*) poſterior anno 1617.; *Reſponſum ad Epiſtolam Miniſtrorum Walachrorum* anno 1617.; *Statera Orationis Carletoni Magnæ Britanniæ Legati.* Præter quæ vulgares & vernaculi libelli, quorum numerus innumerus, & conciones Remonſtrantium perpetuò autoritatem & Poteſtatem Magiſtratuum perſtrepebant: & neſcio quâ invidiâ orthodoxos Paſtores, eorumque legitimos conventus & actiones eccleſiaſticas gravabant. Et hæc quidem imprimis in dictis duabus Provinciis Hollandicâ & Ultrajectinâ; nam in Geldriâ aliter canebant, aut muſſitabant: quod Curia ſuprema conatibus ipſorum minimè faveret. Idem fere accidebat in Friſiâ, Amſtelredami atque alibi, ubi tunc Magiſtratus contra Preſbyteria & Paſtores aut permittebat ex nutu & in favorem Remonſtrantium omnia non ſtatuebat. Memini unum inter Remonſtrantes ex Geldriâ a. 1619. citatum coram Synodo Dordracenâ diverſam à Remonſtrantibus ſententiam profeſſum eſſe; quod ſcil. judicium de cauſis eccleſiaſticis Eccleſiæ, non Magiſtratui conveniat. *Hæc prima* Remonſtrantiſmi ætas: quâ ſcripta vernacula ipſis oppoſuerunt *Ruardus Acronius tract. in* 4. qui idem edidit *concionem Joh. Wtenbogardi* ante annos aliquot Hagę-comitis de hâc quæſtione habita; *Anonymus* (Feſtus Hommius) qui ex libro & concione Wttenbogardi *centionem dialogiſticum* fecit tit. *Ita & non Joh. Wttenbogardi*; *Antonius Walæus contra Wttenbogardum Franc. Gomarus*; *Elhardus Menius:* Scriptores *Anonymi contra decretum ordinum Hollandiæ*;

a. 1616.

anno 1616. *Anonymi* tit. *Secundæ Contra-Remonſtrantiæ* anno 1617. quæ duo poſtrema in latinum ſermonem converſa habentur. Latina ſcripta Grotio oppoſita ſunt *Bogermanni*, *Lubberti*, *Sopingii*, lectione digniſſima. Cum ejuſmodi ſcriptis ad conſenſum conferri poſſunt *Scriptores de Synodis*, *de Vocationibus Miniſtrorum*, *de diſciplinâ Eccleſiaſticâ*, *de Magiſtratu*, *&c.* alibi indicandi. *Secunda* Remonſtrantium ætas ab anno 1619. uſque 1628. haut parum mutata judicia & ſcripta nobis peperit. Quia enim rerum vices, & Magiſtratuum ſententias admodum mutatas videbant, Poteſtatem ipſo horreo admenſam, parcius in ſinum eorum effudèrunt: uti videre eſt in *ipſorum Apologiâ cap.* 25. & magis in *Actis Synodi Dordrac. ſeß.* 26--34. adhæc in libris vernaculis Synodo oppoſitis, quorum tit. *Nullitates Synodi* &c. *Achabi jejunium*, *Liberum religionis exercitium*, *Liberum examen decretorum*, *Speculum Chriſtallinum*, *Horologium excitatorium ad Batavos*, *Cæleſtis Synodus*, &c. ubi non tantum non tribuunt Magiſtratibus non-Remonſtrantibus prætenſam Poteſtatem eccleſiaſticam, ſed res politicas vix ipſis relinquunt: uti haut obſcurè colligitur ex *Achabi Jejunio cap.* 3. & 4. & *p.* 48. 50. 61. 62. 65. 72. 77. 97. 98. 112. Et *pag.* 5. 8. 12. 13. 15. &c. quæ ſi ab ipſo Wttenbogardo ſcripta non ſunt (quod ex multis indiciis conſtare putatur), ſaltem ab ipſo in *Deſcriptione vitæ ſuæ cap.* 13. *pag.* 249. ſummoperè laudantur. Cum quibus conferri poſſunt verba *Cæleſtis Synodi pag.* 12. Si cui libelli iſti non leguntur, quippe vernaculi, is ſpecimen unum atque alterum excerptorum quærat in *Vedelio part.* 2. *Arcanor. Arminianiſmi lib.* 2. *cap.* 10. *Tertia* Remonſtrantium ætas currit ab anno 1627. & deinceps: cum poſt obitum Principis Mauritii videbantur ſibi videre in quibuſdam partim novè adoptatis partim poſtliminio reſtitutis Hollandiæ Magiſtratibus (imprimis in urbe potentiſſimâ) majorem in Remonſtrantes favorem. Et hinc libelli eorum inde uſque ad hoc tempus ſparſi, ſermonem de Magiſtratuum Poteſtate haut parum videbantur mutare. Sed omnia ſua ante ἄκμὴν, in ipſâ ἄκμῃ Arminianiſmi, cum iis quę in περακμῇ, immo & funere ejuſdem, & in noviſſimâ qualicunque ἀναξιοπυρόσει de Poteſtate Magiſtratus effuſa ſunt, optimè conciliaſſe ſe putant adhibitâ diſtinctione inter Eccleſias publicas ſeu templares, & inter privatas ſeu privato-publicas, quæ peculiaribus & propriis ſuis ædificiis ſegreges à templaribus conventus celebrat: ita ut in illis omnis prætenſa Poteſtas Magiſtratui jure divino competat; in iſtis vero nulla. Hujus diſtinctionis arcanum muſſitaſſe videtur *Epiſcopius in Diſp. de Jure Magiſtratus circa ſacra* anno 1618. 3. *Martij*, cum res Remonſtrantium haut parum inclinare viderentur. Apertè & in formâ eandem profeſſi ſunt poſt ſententiam contra ipſos Dordraci anno 1619. latam, & per Magiſtratum executioni mandatam: uti videre eſt in *Confeſſione anno* 1621. *cap.* 25. & in *Apologiâ cap.* 24. & 25. In *Remonſtrantiâ Miniſtrorum exulantium* ad *Celſiß. Principem Mauritium*,

tium Ill. Ordd". pag. 20. Sed caſcam hanc diſtinctionem, non poſſe applicari prioribus ſuis dictatis (quidquid *loco cit.* affirment, ſine illâ nunquam à ſe poteſtatem Magiſtratui tributam) vel inde conſtat, quod rebellionem interpretarentur adverſus Magiſtratum Remonſtranticum, ſi qui ex noſtris ſeparatos à publicis Miniſtros propriis expenſis ſibi curabant, ſegreges coetus in domibus privatis cogebant, aut conciones extra territorium publicas auditum irent. Videantur modo decreta *Ultraiectinum* & *Schielandicum* (de quibus in *Hiſtoria Eccleſiaſt. Triglandii*) & privata *Epiſcopii diſp.* 17. §. 9. 12. 16. 18. *coll. cum diſp. publicâ de jure Magiſtratus circa ſacra* §. 17. 18. *Jacobi Taurini ſtatera orationis Carletoni pag.* 26. *Ejuſdemque tract. de mutuâ tolerantiâ part.* 1. *cap.* 12. *Barlei Bogermannus ἐπιγράμμ.*; *Ejuſdem declamatio, in miniſtros orthodoxos, Deretum Ordd. Hollandiæ pro pace eccleſiarum anno* 1614. *pag.* 6. & 122. *ejuſdemque decreti defenſio per Joh. Wttenbogardum part.* 1. *cap.* 14. ut alias libellorum quiſquilias nunc pręteream; unde conſtat eos Poteſtatem in orthodoxorum ſegreges, extra templa colligi cœptas aut collectas Eccleſias Magiſtratui Remonſtrantibus faventi tribuiſſe; quam poſtea ab anno 1619. Magiſtratibus & ſubalternis in Remonſtrantes, reliquaſque ſeparatas ſectas negârunt: abſolutis Remonſtrantibus contra nitentibus ab omni ſciſmate, inobedientiâ, rebellione; quorum tamen noſtros ſeorſim in privatis domibus ad cultum convenientes ab anno 1612. & deinceps & voce & ſcriptis paſſim tam cupidè condemnabant. En cothurnos, en fidem, en theologiam temporum, non euangeliorum. His adde quod *Joh. Wttenbogardus*, qui primus hanc pugnam *peculiari libro* anno 1610 inchoabat, talem diſtinctionem non adhibuit. Vide *pag.* 89. ubi format ſtatum controverſiæ, & objectum Poteſtatis ſacræ ſeu eccleſiaſticæ ſolis ſupremis Magiſtratibus tribuendæ facit omnia ad externum Dei cultum pertinentia, res ſcil., perſonas, cauſas. Ibid. exſertè diſtinguit inter Magiſtratum ſupremum & ſubalternum; & illi ſoli, hoc eſt, Ordinibus Hollandiæ, hanc poteſtatem vindicat, ſubalternis vero abjudicat: ita enim tempora tunc ferebant, cùm Amſtelodamenſis aliarumque aliquot civitatum Magiſtratus Remonſtrantiſmo minime faverent: ſed diſtinctio hęc ab illis omiſſa eſt, cùm Ordines Hollandię decretum anni 1619. contra Remonſtrantium conventicula potioribus ſuffragiis 3. *Aprilis* anno 1627. declararent eſſe perpetuum edictum ejuſque executionem ſeriò injungerent; & cùm Magiſtratus ſubalterni in unâ ac fortè alterâ civitate Hollandiæ magis viderentur ipſis favere: illic ad novum illum orientem ſolem verſi ſunt calami, inculcata decretorum ſubalterni magiſtratus Poteſtas, autoritas, obedientia, ut ut decretis & obedientiæ ſupremi Magiſtratus oppoſita. Videant, quibus hoc tanti eſt, *libellos Remonſtranticos circa turbas Amſtelodamenſes* aut ſuper iis anno 1628. 1629. & deinceps emiſſos. Nos ἐν παρόδῳ hæc tangimus in *Therſite ſect.* 1. *cap.* 1. & 3. Inter libellos illos exſtat quis

quis *contra responsum Leidensium Theologorum ad Quæstiones de iuramento civico, autore*, ut putatur *Joh. Wtenbogardo*; quem dicti Theologi eodem anno refutârunt. Atque hæc quidem historia controversiæ Remonstranticæ de jure Magistratus in sacris. Cum anno 1639. Deputatis Synodi & Classium Hollandicarum occasio objiceretur hanc causam communi operâ den ıò apud Ill. Ordd^es. explicandi & agendi, & meum qualecunque indicium ac judicium à reverendo & amicissimo D. Paulo Colonio Pastore Leerdamensi, nunc ἐν ἀγίοις, postularetur, in ipsius aliorumque gratiam delineavi methodicum ante annos aliquot agitatæ inter Remonstrantes & Orthodoxos disceptationis compendium, idemque tribus partibus distinctum publico examini in Academiâ 6. April. 4. Maji. 11. Maji, subjeci hoc titulo: *De Quæstione, Penes quos sit Potestas Ecclesiastica*: quod postea ab Anonymo, me inscio, in vernaculum idioma traductum, & Hagæcomitis excusum fuit. Dictum illud compendium, inde, & ex *Disp. de Potestate & Politiâ Ecclesiarum*, anno 1644. propositis hic inserendum duxi: quod rationes, exceptiones, distinctiones illic adhibitas, tanquam accuratas & perspicuas orthodoxis atque eruditis passim probari, & studiosis ac πιφύτοις usui esse didicerim. Post pugnam hanc cum Remonstrantibus pugnatam, novam molestiam facessserunt causæ Ecclesiarum, duo scripta à duobus amicis nostris, eximiis cætera Theologis, & fortissimis orthodoxiæ contra Remonstrantismum hyperaspistis, edita tit. *Brevis responsio ad solutiones datas* &c. Franequeræ anno 1642. Et, *de Episcopatu Constantini Magni*. Priori opposita fuit anno 1642. *Apologetica rescriptio* &c. à *M. Petro Cabeljavio*; posteriori verò *Examen Dissertationis* &c. à *Jacobo Revio*, & *Theologica dissertatio de Potestate civili & ecclesiasticâ* à *Jacobo Triglandio*, & *Jus majestatis circa sacra* &c. à *Gulielmo Apollonio* nunc μαγείτοις. Bellum hoc anno 1642. ita confectum fuit, ut neminem nisi otii & famæ suæ prodigum quidquam moturum putarem. Prodiit tamen anno 1645. *Anonymi scriptum contra Apollonium* tit. *Grallarum*; quod & alia mox exceperunt tit. *Bombomachia Vlissingana*, & *Grallatoris furentis*. Virulentis illis libellis nonnulla reposuerunt *Jodocus Larenus* & *Guil. Apollonius*. Post illud tempus quievit in Belgio hæc controversia. Nam *posthumum* illud *Grotii scriptum de Imperio summarum potestatum &c.* & nupera *Ludovici Molinæi Paræneſis ad ædificatores imperii in imperio*, cum submisso *Corollario ad paræneſin*, nihil præter recocta & toties totiesq; protrita in scenam producunt. Nihil ergo restat, quam ut lector repetitis hodiernis pseudographematis & sophismatis, antehac solidè dicta applicet.

2. Est ergo τὸ ζητούμενον de Potestate Magistratus circa Sacra: hoc est, non de facto aliquo aut de factis sive in Politiâ sive in Ecclesiâ sive hic sive alibi; sed de jure: non de receptâ consuetudine aut de eo quod fieri consuevit; sed de lege Dei, & de eo quod fieri debet: non de lege aut controversiâ politicâ;

Digitized by Google

ſed de jure divino, de ſenſu Spir. S. in ſacris literis, non de dignitate aut præeminentiâ informandâ ex verbo Dei, eique per obedientiam fidei ſubjiciendâ: non de mundanis & carnalibus reſpectibus & præventionibus; ſed de ordine à Magiſtro Eccleſiæ J. Chriſto ſancito: non de eo, quod aut nunc, aut olim, aut in poſterum pro ratione perſonarum & circumſtantiarum maximè commodum aliquibus rebus & perſonis ſive eccleſiaſticis ſive politicis, judicio ſapientum videri queat; ſed de inviſibili puncto veritatis, ut ſciamus quid cuique pariter domeſtico & alieno, amico & inimico, volenti & nolenti tribuendum ſit. Profiteor & proteſtor, me nullius gratiæ aut autoritati, nullis particularibus cauſis, nullis præjudiciis & præjudicatis hic quidquam tributurum: Quęſtionem enim dogmaticè, in theſi, & univerſaliter decidimus; non damus conſilium theologicum, quomodo & quantum caritas, & prudentia Chriſtiana rebus hoc aut illo modo ſtantibus, in communi & multiplici hâc hominum etiam piorum infirmitate, ad pacem & ſalutem Eccleſiarum, ubi omnes ſcripturariæ perſuaſiones fruſtra adhibitæ ſunt, tolerare, connivere, indulgere, diſſimulare & concoquere debeat. Idem ſenſimus & diximus cum cauſæ veritatis & Eccleſiarum alicubi minus æqui videbantur Magiſtratus; præſertim in Hollandiâ, ubi in mediis illis turbis ſtudiorum & miniſterii tyrocinia mihi poſita: idem ſentimus ac aſſiduò profitemur poſtquam ab anno 1618. Deus Eccleſiis Magiſtratus reddidit addictiſſimos: idem profitebimur, ſive mutent (quod Deus avertat) ſive mutentur, ſive ſtent, ſive cadant. Neque enim committemus per Dei gratiam, ut Theologia noſtra audiat Pſeudo-Politica, hoc eſt, σόφισμα & inſtar cothurni verſatilis, pro conditione & ſtatu eorum qui ἐν ἀρχῇ: *Iſta enim eſſet fides* (ut olim Hilarius aliâ in quæſtione) *non euangeliorum ſed temporum.*

3. Termini hujus quæſtionis præcognoſcendi ſunt 1. Politia ſeu Magiſtratus. 2. Eccleſia ſeu Eccleſiaſtici. 3. Poteſtas Eccleſiaſtica. I. *Politia*, & Magiſtratus, quid ſignificent, ſatis conſtat, & alibi apud Politicos & Theologos explicatur: nec eſt quod hic repetam. Tantum præmoneo, me promiſcuè quemvis Magiſtratum hic intelligere ſive ſupremum ſive ſubordinatum, ſervatâ ſemper proportione juris & poteſtatis, pro ſtatu & loco cujuſque, juxta jura & leges fundamentales Rerumpublicarum. Quidquid enim in cauſis & negotiis politicis ſuperiori competit in inferiorem aut non competit: & rurſum inferiori in ſuperiorem: id etiam competit aut non competit circa cauſas & negotia Eccleſiaſtica: & ſic licita aut non licita eſt provocatio ab inferiori ad ſuperiorem: & rurſum recurſus à ſuperiori ad inferiorem aut inferiores: Nam ſi Eccleſia eſt in Politiâ, utique gaudere atque uti poteſt juribus politicis: quomodo Paulus provocavit ad Cæſarem *Actor.* 24 Et ſic *Melanthon Loc. communi de Magiſtratu*, docet inferiores Magiſtratus poſſe tueri

eri religionem contra ſuperiores, ubi reſpicit proculdubio Electores & Principes Imperii. Similis fere ratio eſt Illuſtr. Ordd. Hollandiæ, Zelandię, &c. qui reformatam religionem admiſerunt & defenderunt etiam ante annum 1581. quamvis abnuente tunc Principe ſuo Philippo II. Rege Hiſpaniarum. Excipio autem hic caſus ſpeciales, quando pacto, aut cohfœderatione, aut lege fundamentali negotia & cauſæ Eccleſiaſticæ excipiuntur. Excepto hoc, pari paſſu eunt (ſervatâ tamen proportione & diſtinctione inter Poteſtatem internam & externam) Poteſtas Politica circa negotia & cauſas ſæculares & circa negotia ac cauſas eccleſiaſticas. II. *Eccleſia*, notat hic *primo* particulares quaſque topicas in civitatibus aut vicis. *Deinde* ex illis combinatas ſeu confœderatione, correſpondentiâ, aut arctiori quâdam unione & neceſſitudine collectas & quaſi concorpores, quas Nationales, Provinciales, Diſtrictuales appellant. III. *Jus Eccleſiaſticum*, ſeu *Poteſtas* vulgò ſtatuitur triplex δογματικὴ, διατακτικὴ. κριτικὴ. Aliter ad dichotomiam redigitur, ut omnis Poteſtas Eccleſiaſtica ſit vel regiminis vel juriſdictionis, quæ etiam geminâ clavi eccleſiaſticâ exprimitur. *Illa* eſt vel prima, vel ſecunda, ad primam ordinata. *Prima* eſt, diſpenſationis verbi & ſacramentorum. *Secunda* eſt 1. tum leges ferendi, 2. tum conventus eccleſiaſticos & viſitationes inſtituendi, 3. tum eligendi & conſtituendi Miniſtros & inſpectores. *Poteſtas jurisdictionis* eſt diſciplinæ ſeu cenſuræ. Sed de his diviſionibus ſupra actum eſt.

4. Διδόμενα ſunt trium generum 1. à nobis conceſſa. 2. utrimque præſuppoſita. 3. poſtulata. *Conceſſa* & data à nobis ſunt. 1. *de Eccleſiâ*. 1. Eſſe eam in Politiâ, non contra. 2. Eſſe eam & ſingula ejus membra ſubjecta Politię quod ad exteriorem hominem, hoc eſt quod ad bona & corpora. 3. Nominatim Eccleſiaſticos & Clericos, etiam miniſtrantes & ſacra peragentes. II. *De Politiâ* 1. Habere eam reſpectu hominum non Miniſterium ſed Dominium, non miniſterialem ſed ſupremam & αὐτοκρατορικὴν Poteſtatem in omnes ſubditos. 2. Habere ſpecialiter coactivam, ſupremam & formalem Poteſtatem in perſonas, res, actiones, & cauſas eccleſiaſticas non quidem in ſe, aut quà tales: ſed quatenus ad hoc ſæculum, externum hominem, & externa naturalia aut civilia bona pertinent, aut ea attingunt: ratione & reſpectu externi ſcil. adjuncti, quatenùs publicè aut privato-publicè ea in Republicâ ſuâ minus magiſve tolerari aut non tolerari, ſtabiliri aut non ſtabiliri, defendi aut non defendi, hæc aut illa impedimenta removeri aut non-removeri, authoritate publicâ muniri aut non muniri, debeant aut poſſint. 3. Itaque indirectè, mediatè, per accidens extrinſeci adjuncti aut acceſſorii requiſiti ad ſpiritualia exercitia cum appendicibus publicè admittenda aut non admittenda. 4. Habere Magiſtratum quà talem publicam poteſtatem judicialem ſeu judicandi, judicio cognitionis & diſcretionis non tantum, ſed & definitivo, de negotiis

& cauſis eccleſiaſticis. Quod judicium conſequens eſt, non antecedens (neque enim ſunt πρωτόμορφοι in Eccleſiâ:) adhęc præſuppoſitivè eſt theologicum, ſed formaliter politicum; quia diſquiſitio ultimata in eo non eſt, an dogma hoc ſit verum, aut an ſit eccleſiaſticum; ſed an velint illud publicâ autoritate tueri & exequi. Denique in caſu poſtulatę approbationis, & publicæ defenſionis atque executionis eorum, judicium hoc tantum eſt neceſſarium & illis tantum competit. 5. Cognitionem æquè competere Magiſtratui in caſu publicæ tolerantiæ, & poſtulatæ libertatis exercitii: atque ita judicium politicum definitivum, an velint tolerare. 6. Et quidem Magiſtratui tam infideli quam fideli: ſiquidem cognitionem ſuſcipere velit: uti eam ſuſcipere poteſt ac debet. Quod oſtendunt *Apologiæ Pauli Actor.* 26. *Juſtini Martyris*, *Athenagoræ*, *Hilarii ad Conſtantium*, &c. 7. Infideli æquè ac fideli, competere Poteſtatem in Perſonas, res, cauſas, Eccleſias, quatenus illæ externum hominem & bonum naturale aut civile attingunt. *Rejicimus hæc nova dictata* Remonſtrantium cap. 25. Apologiæ: *quorum prius:* 1. *Non poſſe Magiſtratum ad decreta Synodica verbo Dei conformia obſervandam ſuâ autoritate obligare & conſtringere.* *Ref.* Veritates fidei ex ſcripturis deductas & ſynodaliter commonſtratas cum rejectionibus errorum, à ſe in conſcientiâ agnitas & approbatas *Gratianus*, *Valentinianus*, *Theodoſius*, *Martianus*, imperatoriâ autoritate muniunt *C. de ſummâ trinitate.* Illos imitati ſunt *Carolus Magnus*, *Ludovicus*, *Carolus Calvus in ſuis Capitularibus*, aliique pii principes; & ab inchoatâ reformatione omnes Reges, Principes, Magiſtratus ejuſdem reformationis defenſores. Quos nemo reformatus hactenus reprehendit, quod dum ab Eccleſiis & Synodis bene ſtatuta defendunt, & impedimenta omnia Poteſtate ſuâ tollunt, tyrannidem in conſcientias exerceant, aut quenquam cogant ea credere quæ credere non vult. Ipſi Remonſtrantes aliter loquebantur, cum Ordines Hollandię potioribus ſuffragiis, nullo legitimo ac publico Eccleſiarum judicio præcedente, decernerent anno 1617. publicâ autoritate imponenda eſſe omnibus Miniſtris receptionem Decreti ſui anno 1614. pro pace Eccleſiarum (uti ajebant) conditi. Ordines fœderati Belgii anno 1619. in Decreto ſuo contra Remonſtrantium conventicula ſatis ſuperque cavent libertati conſcientiæ: quam à libertate exercitii in Belgio noſtro ſemper diſtinctam fuiſſe, alibi oſtendimus. 11. Poſterius eſt, *Magiſtratui nullam competere Poteſtatem eccleſiaſticam, ſive noſtro ſive ipſorum ſenſu acceptam, in cœtus & Eccleſias ſegreges, extra publica templa.* *Ref.* Inauditum, abſurdum & contradictorium eſt commentum, quo Poteſtas Magiſtratus eccleſiaſtica, ſive formaliter (ſecundum Remonſtrantes) ſive objectivè & per extrinſecam denominationem (ſecundum nos) ſic dicta, fundatur, in publico ædificio templi; aut etiam in exſolutione ſtipendii Miniſtrorum per Magiſtratum: quod poſterius innui videtur à *Grotio in Pietate.*

Erit

Erit ergo Poteſtas Magiſtratus inſtar chamæleontis, & pro re natâ, varios colores induet. Ubi ergo ſtipendia à Magiſtratu non ſolvuntur (ut in bonâ parte Belgii, & in aliis fere omnibus Eccleſiis proteſtanticis ac reformatis) ibi Magiſtratus nullam habebit poteſtatem ſive eccleſiaſticam, ſive politicam circa eccleſiaſtica. Ne dicam pleriſque Miniſtris in Belgio, ſtipendia ſuppeditari, non ex ærario Reipublicæ, multo minus ex peculio Magiſtratuum; ſed ex reditibus eccleſiaſticis, antehac liberaliter in pios uſus, & quidem volente Prætore, fundatis; quos pii Magiſtratus in Reipublicæ ærarium hactenus non intulerunt, multo minus in privatos ſuos uſus converterunt. Videntur hi homines idem fere ſomniare, quod memini ab Anabaptiſtâ mihi aliquando objectum: Quod Miniſtri Belgici ſtipendia ex manibus Magiſtratuum accipientes, pari conditione ſint cum famulis, aliiſque Magiſtratuum mercenariis, qui mercede conducti nihil aliud quam voluntatem, præſcriptum, & opus Dominorum ſuorum facere tenentur. Quod ad publica templa, ſiquidem accidens illud, quod poteſt adeſſe aut abeſſe, ponit aut tollit Poteſtatem Magiſtratus: tum jure divino aut naturali, hoc eſt, ipſo jure Magiſtratus, eidem non competit. Quomodo hoc convenit, cum ſententiâ Remonſtrantium, quam uſque ad annum 1618. perpetuò *libellis* ſupra *citatis* inculcabant; & cum praxi Magiſtratuum ipſis faventium, qui ſegreges & clandeſtinos noſtrorum cœtus perſequebantur tanquam ſciſmaticos; applaudente paſſim, ſaltem nuſquam improbante Remonſtrantiſmo. Et ſanè, quam facile fuiſſet noſtris ab omni Poteſtate Magiſtratus ſe ſimul & ſemel tunc liberare, migrando Roterodami, Hornæ, Alckmariæ, Ultrajecti, Goudæ, &c. ex publicis templis in aliud quodcunque ædificium ſive conductum, ſive gratis conceſſum, exemplo Pauli *Actor.* 19. *verſ.* 9. Atqui hoc Remonſtrantes tunc condemnabant, & Poteſtatem Magiſtratus noſtris deprimendis & Remonſtrantiſmo promovendo tam largè & injuſtè ipſis adſcriptam, in noſtros concitabant & inclamabant. Quid dicent de pleriſque Eccleſiis reformatis in Ducatibus Clivenſi, Juliacenſi, &c. quæ extrà publica templa conventus agunt? Ut abſurda, quibus tunc veritatem noſtram urgebant, iis obvertam, ſequeretur hinc, dari Eccleſię Remonſtrantice Poteſtatem eccleſiaſticam in Urbe & Provinciâ aliquâ; (e.gr. Roterodami, aut Ultrajecti), quæ non ſit ſubordinata Poteſtati Magiſtratus, quæ ab eâ ſit independens, quæ illi ſit collateralis, quæ ædificet rempublicam in republicâ, imperium in imperio. Hæc concilient, ſi poſſint. Ut dicam verbo, ſequeretur dari Eccleſiam, quę non ſit in Republicâ; quod abſurdiſſimum; niſi dicatur eſſe extra mundum, in Utopiâ, aut in Regno Lunę.

5. *Hypotheſes* quæ tanquam utrimque conceſſæ ſumuntur, ſunt 1. Poteſtatem Magiſtratus eſſe immediatè à Deo atque adeo independentem ab Eccleſiâ, aut perſonâ eccleſiaſticâ (Papâ ſcil.) aut Concilio 2. Applicationem

Digitized by Google

Poteſtatis ad hanc aut illam perſonam non dependere ab Eccleſiâ, aut eccleſiaſticis quà talibus aut à jure eccleſiaſtico, ſed à jure divino permiſſivo, & jure humano poſitivo; vel per ſucceſſionem, vel per electionem, vel per aliud quodcunque pactum, vel per jus belli: de quo Politici & Juriſconſulti. 3. Magiſtratum non debere Poteſtatem politicam approbativam ſeu confirmativam exſerere circa regimen & juriſdictionem eccleſiaſticam, niſi prius eam cognoverit & in conſcientiâ de bonitate ejus ſtatuerit. 4. Eundem nullam poſſe exercere Poteſtatem politicam circa falſum cultum, quâ eum ſcil. approbet & approbatum defendat: ſed poſſe aliquo in caſu tantum adhibere approbationem immediatè circa mali tolerantiam (non verò circa malum quod toleratur) & ſic defenſionem immediatè circa decretum de tolerantiâ à ſe conditum, ſeu circa legem de politicâ tolerantiâ latam; quæ propriè eſt defenſio publicæ autoritatis & poteſtatis & ordinis per & ſecundum illam Poteſtatem ſuam conſtituti: non verò circa ipſum malum toleratum. An autem & quo in caſu falſum cultum Hæreticum, Idololatricum, Judaicum, Mahumediſticum, Ethnicum tolerare poſſit aut non poſſit, alibi dicendum eſt. 5. Magiſtratum ſive fidelem ſive infidelem ex voluntariâ conceſſione Eccleſiæ; aut prudenti & neceſſariâ conniventiâ, aut quocunque alio pacto, & conſenſu, poſſe habere Dominium, non tantum ſupremum directionis & juriſdictionis (quod pariter habet in omnia bona privatorum); ſed etiam proprietatis, ad uſus publicos, alioſque neceſſarios. Quod tamen dominium ejus à Poteſtate eccleſiaſtica circa res per ſe ſacras & ſpirituales plane diſtinctum eſt: an autem ab illo ſeparatum ſit, an verò ἀχωρίστως cum illo conjunctum, in progreſſu videbitur. Sed de conſenſu Eccleſiæ ſive explicito ſive virtuali in hanc dominii tranſlationem; denique confuſione ærarii eccleſiaſtici cum politico, ſeu illius in iſtud infuſione, ut & de diſpenſatione redituum eccleſiaſticorum Magiſtratui tradendâ, quando & quomodo alicubi illud obtinuerit, & quo in caſu Eccleſiis expediat aut non expediat; denique de traditione peculii pauperum, aut templi, aut curę paſtoralis, in manus Principis ſive fidelis ſive infidelis; ſic ut pauperes aut Eccleſię Paſtores iis priventur: alibi diſquiritur. Ubi inprimis ventilanda eſt quæſtio de facto Laurentii. Ex profeſſo & nimis circa has quæſtiones languent Pontificii; utpote quæ ſeculum hoc, & ventrem propius, quam animarum curam & ſalutem, attingunt. 6. Denique ut concludam, dico Magiſtratum, qui publicè religionem approbat & tuetur: *Primò* habere Poteſtatem, judicio diſcretionis conſequente de ejus cauſis in conſcientiâ ex verbo Dei judicandi: quod illi commune cum aliis membris. *Secundò*, Poteſtatem itidem conſequente publico judicio (non eccleſiaſtico ſed politico) definitivo ſtatuendi de iſtius veritatis aut cauſarum publicâ permiſſione & tolerantiâ, aut admiſſione, aut inſuper autoritativâ confirmatione, defenſione, & de-

& debitâ executione. *Tertiò*, Potestatem, & ante actum regiminis aut jurisdictionis ecclesiasticæ, & post eundem impedimenta omnia removendi, & curâ, consilio, admonitione, intercessione, viam actuum istorum productioni, & productorum applicationi atque executioni ecclesiasticæ parandi. *Quartò*, Potestatem Ecclesiam & ecclesiasticos ad propriarum legum ab & in Ecclesiâ ecclesiasticè constitutarum, ut & judiciorum ecclesiasticorum, aliorumque legitimè & ecclesiasticè actorum & nunc politicè approbatorum observationem constringendi & compellendi. Hic nota me loqui de canonibus, & decretis ab Ecclesiâ & judicio ecclesiastico profectis: non autem de iis, quę aliunde invitis Ecclesiis obtrusa & impositá, subinde tolerantur, aut tolerari debent; & quibus se subjicit, non propter conscientiam, sed propter metum. Quale est exempli gratiâ, tributum patriarchale, quod novus Patriarcha Constantinopolitanus Imperatori Otomannico ad ingressum muneris sui pendere cogitur. Qualia etiam epiſagmata seu assumentia nostrarum *Constit. ecclesiastic.* de Jure Patronatus, & de Præsentiâ aliquorum ex Magistratu in Consistoriis *artic.* 37.: siquidem illud de perpetuâ & ordinariâ, aut arbitrariâ præsentiâ intelligatur, uti nonnulli, nescio quibus fidiculis, ex textu assumenti illud extorquere conantur. Ecclesiæ omnes perpetuâ non observantiâ legis (siquidem lex esset), & decretis suis de non admittendo, atque actuali resistentiâ negativâ, satis declarant, non esse hoc suum; consequenter non debere à Magistratu ædificationem & pacem Ecclesiæ amante, bene constitutas & pac atas Ecclesias in suâ possessione jam ab anno 1586. (quo illud assumentum primùm comparuit) turbari: imprimis cum Magistratus oneroso & contentioso huic assumento, per totum Belgium jam inde ab anno 1586., & de novo (postquam Remonstrantes illud ursissent, quod hypothesi & intentioni suæ inservire putabatur) ab a. 1619. usque in hunc diem, non observantiâ suâ illud satis abrogasse videntur. De quo infra pluribus. Adeo ut non sine turpi cavillatione in verbis meis, in editione thesium an. 1639. talis compulsio Magistratus ad amplectendam dictam sessionem à nonnemine quæsita fuerit: cum *part.* 3. *ejusdem disp.* exsertè & pluribus eam oppugnaverim. Rejicimus hic 1. *Pontificios, qui indistinctè omne judicium de religione Magistratui auferunt*, Bellarminus lib. de Membris Eccles. cap. 17. Becanus de Primatu Regis &c. part. 1. cap. 8. 2. *Remonstrantes, & nominatim* Grotium in Pietate, *qui contendit omnem potestatem competere Magistratui in electionibus, negotiis, & causis ecclesiasticis, eo quod publica stipendia aut saltem eorum dispensationem procurent.* 3. *Remonstrantes* Apolog. cap. cit. *qui fundamentum hujus Potestatis in Magistratu faciunt publici templi concessionem.* 4. Eosdem loco cit. *ubi omnem Potestatem turbones & ἀπέκτους in Ecclesiâ coercendi & ecclesiasticè constitutam ἰσονξίαν tuendi, magistratibus eripiunt.*

6. Postulata sunt, quæ alibi alioquin ex professo probantur. 1. *Potestatem*

Digitized by Google

tem ecclesiasticam à politicâ realiter dictam esse. 2 *Paralip.* 19. 11. *Johan.* 18. 36. 2 *Cor.* 10 3. 2 *Cor.* 1, 24. 1 *Petr.* 5. 3. *Luc.* 22. 25. 1 *Cor.* 3. 5. coll. cum *Rom.* 13. 1. 4. Distinctio autem est ex objecto *tum materiali*, in nonnullis saltem; quia illa occupatur circa negotia Jehovæ, ista circa negotia Regis: *tum formali*, in omnibus & semper; quia *illa* directè versatur circa personam aut causam quod ad hominem internum & statum spiritualem, ut formâ spirituali gratiæ scil. & glorię cœlestis induendum: *Ista* verò circa eandem immediatè & directè versatur, quod ad hominem & statum externum & in ordine ad summum bonum politicum. 2. Ex causâ efficiente, fundamento, & sic subordinatione ac dependentiâ. *Illa* est à Deo redemptore quà tali, seu à Christo Mediatore quà Mediatore: *Ista* est & dependet à Deo & eodem Christo Mediatore, quà Domino naturæ communiter omnia conservante & gubernante *Hebr.* 1. 3. Non verò quà Mediatore & Domino specialiter. *Illa* igitur pertinet ad regnum speciale seu gratiæ; *ista* ad regnum generale seu potentiæ, aut naturæ. 4. *Illa* est inferior & purè ministerialis respectu hominum & Dei; *ista* respectu hominum est suprema & cum imperio. 5. *Illa* quod ad finem, executionem, ac modum agendi, est spiritualis, precatoria & obtestatoria in conscientiis & circa conscientias 2 *Cor.* 4. 2. & 5. 20. *Ista* verò externa, corporalis, coactiva. 6. *Illa*, quod ad distinctas formas, actus, modos, gradus, est à jure divino positivo *Eph.* 4. 11. *Ista* verò à jure merè humano, (præsuppositio jure divino permissivo): unde dicitur creatura humana 1 *Petr.* 2. 13. ut ex. gr. Monarchia, Aristocratia, &c. Electio, successio, &c. Dux, Comes, Rex, Consul, &c. 11. *Unam itaque Potestatem non continere alteram nec formaliter nec eminenter:* nec posse unam Potestatem quà talem dare aut producere alteram, juxta vulgatum axioma: *Nihil dat quod ipsum non habeat vel formaliter vel eminenter.* Haut aliter ac Potestas consularis aut pastoralis non continet maritalem, nec viceversâ: non potest etiam una alteram dare; quamvis una possit versari circa alteram directione sive dominante (ut in Republ. consularis circa maritalem); sive ministrante: ut in Ecclesiâ pastoralis circa eandem potestatem maritalem. 111. Non dari præter Christum, ullum caput Ecclesiæ, ullum Monarcham sive externum sive internum. 1v. Ecclesiam esse Ecclesiam, & residere in eâ ecclesiasticam omnem Potestatem ad ædificationem regni Christi ac salutem hominum absolutè necessariam; etiam cum Magistratus est extra Ecclesiam: immo & nonnunquam quod ad statum spiritualem optimè se habere, ut ex. gr. tempore Apostolorum, & post illud, virorum apostolicorum. Pariter Politiam esse verè & legitimè talem, etiam cum nullam in se habet Ecclesiam. v. Solum Christum architectonicè regere Ecclesiam; & nullam in homine aut angelo, in cœlo aut in terris esse Potestatem sub Christo, quà regat Ecclesiam, nisi ministerialem.

Neque

Neque enim dici debet cum Pontificiis esse duplex caput Ecclesiæ, duplicem Monarcham, principalem scil. & ministerialem: quocunque enim modo hoc explicetur, implicat contradictionem.

Consectar. *Strenuè calumniantur Remonstrantes* Apol.c. 25. p. 299. *cum nostris impingunt, quod Ministris reformatis asserant architectonicam Potestatem, quoad externum Ecclesiæ regimen; & architectionicum de iis quæ ad illud regimen pertinent, judicium.*

7. His præmissis Thesim nostram statuimus: *Magistratus non habet Potestatem ecclesiasticam ἀνωτάω & intrinsecam formaliter & propriè sic dictam ἐγκριτικὴν i. antecedentem seu directivam; atque adeo supremam sub Christo, supra ecclesiam, ejusq; antecessores.* Probamus hoc argumentis tum directis, tum indirectis seu ab absurdo consequenti. Directa sunt 1. *argum.* Quia eam nec habet totam, nec ex parte; nec totaliter seu adæquatè, nec inadæquatè. Ergo. Non totam totaliter, nam tum ecclesiastici nihil haberent: quod est contra 2 *Cor.* 10.4.6.8.&c. 13. *v.* 10. *Rom.c.* 12. *v.* 8. 1 *Cor.* 12. 28. Non totam inadæquatè, nec etiam ex parte, ut etiam Ministri eandem vel ex parte haberent: quia ex utroque sequeretur collateralitas Magistratus & Ministrorum in eodem genere Potestatis sive supremæ & dominantis, sive inferioris & ministerialis, quę nomine *clavium regni cælorum* designari solet. Quod ut in se absurdum est, sic etiam ab adversariis rejicitur. Itaque non est quod pluribus hoc deducamus. 11. *argum.* Quia haberet eam, aut quà Magistratus, aut quà Christianus, aut quà Christiano-Magistratus, tertium scilicet quid compositum ex Christianismo & imperio. Non quà Magistratus; nam tum omni Magistratui etiam infideli competeret: quod absurdum ipsi adversarii non admittunt. Non quà Christianus; nam tum omni Christiano competeret. Non quà Christiano-Magistratus, quia duo subjecta & principia formalia quę non sunt unum aut unita per se, non possunt fundare effectum formalem seu ἀποτέλεσμα per se ùnum. Sic ex gr. homo unus si sit Consul & Pater, non potest dici habere Potestatem consularem in cives quà Consul-pater; nec Potestatem patriam in Filium quà Pater-consul. Nam quamvis paternitas in eodem subjecto superaddatur Consuli, aut consulatus paternitati, non tamen jungitur illi in ordine ad proprium & formalem illum effectum nempe Potestatem consularem aut patriam; cum nullo modo paternitas imperii consularis, aut consulatus Potestatis patriæ fundamentum sit aut causa, sed purè putè unum ad alterum per accidens se habeant. Unius apotelesmatis, una ratio formalis desumitur ex duobus entibus completis & per se unitis ubi suppositum est extraordinarium; sic dicimus Christum satisfeciſſe pro peccatis nostris non quà hominem, sed quà θεάνθρωπον: ubi tamen distinctæ sunt ἐνέργειαι, & distincta principia ἐνεργήτικα; quæ tamen sunt unum per se, quia unum est suppositum naturis inconfusis. Quod nullis naturis aut rebus

Digitized by Google

creatis tribui potest. Itaque relationes illæ, Jus scil. Christiani & jus Principis, & fundamenta earum deberent coalescere in aliquod tertium Jus seu Potestatem unam per se: atqui tum tertium illud neutrum esset; & sic confundendo Christianitatem cum principatu, utrumque tolleretur. III. *argum.* Qui non est Ecclesia, non habet Potestatem ecclesiasticam intrinsecam scil. & formaliter sic dictam: Sed Magistratus non est &c. Ergo. Minor manifesta est, quia Magistratus potest esse unus (ut ex. gr. Imperator, Rex, Princeps &c.) sed Ecclesia non est unus, uti contra comentum Papistarum de Ecclesiâ virtualiter, Episcopo scil. aut Pontifice alibi disputatum est. Majoris consequentia probatur; quia Scriptura Ecclesię tribuit Potestatem *Math.* 18. 15. & locis supra cit. Idem probatur ex ratione quæ ex proximè sequenti argumento desumi potest. IV. *argum.* Qui non est de essentia Ecclesiæ, hoc est, qui nec essentia aut forma est Ecclesię, nec pars essentialis, nec essentiale constitutivum nec consecutivum, nec ullum adjunctum necessarium, ille non habet Potestatem ecclesiasticam: Sed verum prius. Ergo. Minor certa est: quia Magistratus potest adesse & abesse sine subjecti corruptione; eo enim posito non ponitur Ecclesia, nec sublato tollitur; quod imprimis liquet in Ecclesiâ apostolicâ. Major probatur, quia non potest relatio aut adjunctum proprium dici esse in aut cum aliquâ re, quæ non est ejus subjectum aut adjunctum proprium, nec subjecti sive adjuncti pars essentialis aut necessaria. Jam vero Potestas ecclesiastica interna, quę οἰκεῖος, propriè, & formaliter ecclesiastica dicitur est propria Ecclesiæ; ergo non potest communicari Magistratui, qui ab Ecclesia realiter distinctus est. Dici etiam nequit, Magistratum tanquam ecclesiasticum præfectum, & Ecclesiam seu ecclesiasticos subditos esse relata; & relationem inter subjecta, esse ecclesiasticam Prefecturam seu Potestatem. Ubicunque enim relatio, ibi relatum & correlatum: & ubi illa concipiuntur, debent concipi ut simul naturâ & tempore; quia relata λέγονται πρὸς ἀντιστροφήν, & uno posito aut sublato, tollitur aut ponitur alterum. Sed hic correlatum (quod dicitur) Ecclesia scil., potest esse sine suo relato, Magistratu scil. Ubi ergo relatio? Hic nullus color restat, nisi ut dicant, Magistratum scil. & ecclesiam esse relatum & correlatum, ac relationem inter illa duo esse Potestatem ecclesiasticam, cum Magistratus concedit & Ecclesia ex ipsius concessione usurpat publica templa. Quod musteum & novissimum Remonstrantium commentum speciatim *Apolog. cap.* 25. promulgatum non uno laborat absurdo. *Primò*, nusquam illud in scripturâ comparet; *deinde* infirmum est potestatis hujus ἀρχιτεκτονικῆς fundamentum, quod fundatur in proprietate seu dominio utili ædificii scil. lateritii aut lignei, quod ubi conflagraverit aut vetustate collapsum fuerit, atque adeo populus ille cum formulis, ritibus & reliquis ecclesiasticæ unionis ac confœderationis vinculis in locum aliquem privatum, sive tyranni scholam *Act.* 19. *v.* 9. sive suis sumptibus

ſumptibus ædificatum, ſive conductum, ſive gratis commodatum conceſſerit, ilico tantopere buccinatam illamſummam poteſtatem collabi & ceſſare neceſſe ſit; juxta regulam Logicorum: *ſublato fundamento tollitur relatio.* De ſtipendiis miniſtrorum ex publico perſolutis (quod Grotius ſupra cit. pro fundamento principali huic poteſtati ſubſternit) idem judicandum eſt. Quomodo verſatili & ἐμφερεῖ fundamento profeſſionis Chriſtianiſmi à Magiſtratu ſactæ hęc abſurda analogicè impingi poſſint, infra dicemus. *Tertiò*, Fundatur in mere βιωτικῶς; & conſequenter non eſt Poteſtas eccleſiaſtica intrinſeca, quæ in ſpiritualibus verſatur. Qualetenim fundamentum & ratio Poteſtatis hujus, talis Poteſtas circa eccleſiaſtica: ſed fundamentum eſt temporale, aut neceſſitas eccleſiaſtica & ſpiritualis non immediatè, in ſe aut per ſe; ſed mediatè, per accidens, propter & quod ad temporalia; ſeu quatenus eccleſiaſtica temporalibus (quæ ſoli ſupremæ Poteſtati Magiſtratus per ſe directè, & architectonicè ſubjacent) connexa & adjuncta ſunt, aut ea attingunt. *Quartò*, Nulla ex hoc reſpectu remanet Poteſtas, quam formaliter politica, quæ etiam Magiſtratui infideli competit. *Quintò*; Dum circulatoriâ & temporariâ ſuâ Theologiâ Magiſtratui Jus in publica templa & noſtras Eccleſias (quæ ibi conveniunt) vindicare videntur, quod nos illi minime negamus; turpiter perpetuam & naturalem eorum Poteſtatem negant, quam nos tamen ipſis tribuimus. Si enim Juris & Poteſtatis nihil habent in Templa & Ædificia Remonſtrantium, Anabaptiſtarum, Judæorum &c. apud nos; nec in Exercitia Religiones, Miniſteria, & Miniſtros, Seniores, Diaconos, Membra, Leges, Diſciplinam, eccleſiaſticos Conventus, cum omnibus profeſſionem iſtarum appendicibus: tum ſequitur nullum ipſos in loca aliqua, ædificia, bona ſuæ ditionis habere Dominium ſupremum ſeu directionis & juriſdictionis; nec etiam circa homines ſuæ ditionis agentes aut dicentes quidquam de Deo, religione, virtute (modo fiat in Templis aut Ædificiis & ſub roſâ ſocietatis ac profeſſionis Remonſtrantica, aut alterius cœtus ſegregis) ullam inſpectionem aut directionem ipſis competere; ſive politica ſive eccleſiaſtica, ſive ἀρχιτεκτονικῶς abſolute, ſive ſubalterne illa dicatur. Rurſum ſequitur hoc abſurdum; Dominium proprietatis, ſive propriam curam & præfecturam, ſive utraque, ſi quæ magiſtratui tribuunt in Templa publica, in Campanas, Turres, Candelabra, & Aream, in quâ Templum ædificatum, fundare ſummam eorum & architectonicam Poteſtatem, ſeu Jus Majeſtatis in Sacris, aut circa ſacra. Et ſi Dominium proprietatis fundat tale Jus & talem ſupremam Poteſtatem; tum ſequeretur quemlibet, in areâ ſuâ templum communitati in ædificantem (ut olim ſolent affectantes Patronatum) acquirere ſibi Jus Majeſtatis in eccleſiaſtica. Quod ſi excipiant, habere Magiſtratum in noſtra Templa etiam Dominium ſupremum & ſic Jus Majeſtatis habere, quod privati Templorum Do-

mini aut Patroni non habent: quæro ex illis, an non in Remonstrantium Templa (quæ prius usibus privatis Mercatorum &c. inserviebant) nunc eque habeant Dominium supremum & jurisdictionis, ac antea; & consequenter in ipsos Remonstrantium Ministros quà tales (juxta illud: *Partus sequitur ventrem*,) ut & in Ministeria, & quęcunque in templis illis sive bene sivè male peragi solita? Sed consulant suos *ICCos super causâ hâc Metamorphosios locorum & ædificiorum*: an scil. quandocunque Remonstrantibús libuerit ea in Templa sua convertere, ilico Magistratus Jura & imperium ibi cesset; & rursum quando aliud ædificium, aut Templum magis amplum cœtibus suis habendis sibi comparant, & vetus Templum suum in domum privatam convertunt, Magistratus tunc recuperet supremum suum, in illam domum nunc extemplatam, Dominium. v. *argum.* Omnis Magistratus (saltem supremi) Potestas est ἐγκυκλιος, dominans, externa & carnalis, coactiva, dependens immediatè à Deo tanquam domino mundi; adhæc jure divino indeterminata quod ad certas species, formas, aut modos, & jure humano hic & nunc determinata, (unde ἀνθρωπινη κτισις 1 *Petr.* 2.): Sed nulla ecclesiastica Potestas in his terris intrinsecè, ἀκυριος, & formaliter sic dicta talis est: sed contra ministerialis, spiritualis &c. ut supra dictum est.|

Major est in confesso. Minorem tanquam universaliter veram probârunt *Nostri in controversiâ de Pontifice.* Quod si excipiant partem aliquam Ecclesiæ, Magistratum scil.: exceptionem suam probent ex sacris literis & quidem de ecclesiasticâ Potestate, seu Potestate in Ecclesiâ, quam *Autores citati* expugnârunt: alioquin exceptionem tam facile rejiciemus ac illam Papisticam, quâ Papam suum perpetuò excipiunt. v 1. *argum.* Quę non sunt negotia Regis, in ea Rex (seu Magistratus) non habet regiam & architectonicam Potestatem sc. formalem, directam, & intrinsecam; qualem habet in bona, negotia, & homines sibi subditos. Sed negotia Jehovæ (hoc est ecclesiastica) non sunt negotia Regis. Ergo. Minor probatur ex 2. *Paralip.* 19. ubi exsertè à se invicem distinguuntur. Major per se evidens est: nec ulla patet exceptio; nisi dicant eum in negotia omnia Jehovæ habere Potestatem, non ut in se sunt & tanquam spiritualia spiritualiter considerantur, sed ut attingunt temporalia aut quatenus annexa & combinata sunt sive naturali necessitate, sive ex voluntario pacto cum locis, ædificiis, adminiculis, mediis & causis sine quibus non, & cum remotionibus impedimentorum? Atqui jam eo recidunt, quo volumus; esse scil. hanc Potestatem supremam, extrinsecam, indirectam, circa Sacra, non in Sacris; non immediatè aut directè versantem circa Sacra quà talià, sed circa sacrorum adjuncta & requisita sive antecedentia, sive consequentia. Potest res simili explicari: Pater Ministri alicujus qui eum educavit, docuit, immo etiamnum sustentat; aut præfectus militaris qui eum, & cœtum atque exercitia

ercitia ipsius tuetur contra hostes, habent & exercent necessarium officium circa ejus curam pastoralem: non tamen formaliter ipsi habent officium aut curam Pastoris sive in totum sive ex parte; quamvis uterque curet strenuè, ut functionem suam obeat. Sic Potestas Magistratus & cura politica sive subalterna sive architectonica (proconditione loci & muneris sui) versatur circa Potestatem ecclesiasticam; nec tamen transformatur in ecclesiasticam, eam scil. abolendo, in se convertendo, aut cum eâ in unitatem essentię coalescendo. Est enim Potestas regia seu Magistratus essentialiter una & uniformis: juxta illud: *forma rei in indivisibili posita*: nec in se dividitur aut chamæleontis instar variatur juxta varietatem objectorum. Sic Rex Potestatem regiam unam eandemque habet in Patrem suum, Filium, Fratrem, Socerum, Generum &c. æquè ac in civem aut rusticum quemque. Quod enim illic accedit alterum adhuc vinculum, Potestatis scil. patriæ, fraternitatis &c. hoc Potestatem regiam nihil minuit aut auget, aut in aliam formam transmutat: totum enim hoc est Potestati regiæ accessorium, & per accidens. VII. *argum.* Qui non habet ecclesiasticam Potestatem immediatè à Christo quâ Mediatore, & immediatè personę suæ applicatam per legitimam, missionem, electionem, ordinationem ecclesiasticam, ille non habet Potestatem ecclesiasticam: Sed Magistratus quâ talis non habet &c. Ergo. Minor manifesta est, quia Magistratus quà talis & omnis ejus Potestas quà talis, ab ecclesiasticis illis simpliciter est independens, Major probatur, quia nullum aliud medium applicandæ Potestatis ecclesiasticę ad hanc aut illam personam in totâ Scripturâ comparet, quam vocatio ordinaria aut extraordinaria. Imprimis ignoti sunt illi modi Potestatem hanc acquirendi, per hęreditariam successionem, per jus belli &c. VIII. *argum.* Quod nullo modo competit Fœminis, & Pueris illud non competit Magistratui quà Magistratui. Sed ordinaria Potestas ecclesiastica ἐπιτακτικὴ, directiva, publica, nullo modo competit Fœminis aut Pueris. Ergo. Minoris prius membrum constat ex 1. *Tim.* 2. 1. *v.* 11, 12. & 1. *Cor.* 14. *v.* 34. De posteriori alibi diximus. Major probatur, quia quidquid tribuitur Magistratui quà Magistratui, illud pariter tribuendum est Fœminis & Pueris, siquidem contingat (ut non raro contigit) Jus Majestatis in illis residere. Hic nihil potest excipi, quam Fœminis tribui supremum jus judicandi, non in Ecclesiâ (ubi ipsis tacendum) sed extra Ecclesiam in Politiâ. Rectè; hoc est quod volumus; esse Potestatem circa ecclesiastica; non formaliter ecclesiasticam. Si hæc competeret Magistratui quà tali, etiam Fœminis ὁσαύτως constitutis pari jure competeret. Sed quale sit judicium Magistratus, infra videbimus. Atque hæc argumenta directa, ex naturâ subjecti.

8. Sequuntur ex naturâ Prędicati. IX. *argum.* Qui non habet partes, nec exercet actus Potestatis ecclesiasticæ, ille ipsam non habet: Sed Magistratus non

Digitized by Google

non habet,&c. Ergo. Valet conſequentia majoris ab enumeratione partium. Minor probatur, quia nec Conſtitutiones ſeu Leges preſbyteriales,claſſicales, ſynodales condit ; nec verbi Miniſtros, Seniores & Diaconos prius probatos, eligit, ordinat, ſuſpendit, deſtituit ;nec Synodum facit , & ſuffragiorum conſenſu aut pluralitate ſynodaliter judicat & decernit(idem de Preſbyteriis,aliiſque Conventibus dicendum) nec ad Synodos deputat , nec deputatos literis mandati & fidei inſtruit ; nec verbum & ſacramenta diſpenſat; nec viſitationes eccleſiaſticas inſtituit ; nec cenſuras & diſciplinam eccleſiaſticam exercet. Si excipiatur , non quidem omnes partes , ſed aliquas jure ſuo obire poſſunt. *Reſp.* 1. Eſſe omnes partes connexas , nec poſſe probari ex Scripturis , unam ipſis magis aut minus competere quam aliam. 2. Et ſi aliquas poſſiderent tantum, eaſque pauculas & minus principales quæ ad alias tanquam primarias ordinantur , utique dicendi non ſunt habere architectonicam illam Poteſtatem in Eccleſiâ. 3.Quidquid aut ſumitur aut conceditur ipſos habere,nihil eſt Poteſtatis eccleſiaſticæ:ſed ſunt actus Poteſtatis politicę.Dum ergo Magiſtratus & Eccleſia verſantur circa idem negotium eccleſiaſticum , & eadem aut ſimilia apoteleſmata videtur producere aut comproducere;utique idem non agunt,ſed quiſque ἐνεργείᾳ propriâ, ſecundum propriam Poteſtatem, agit quod ſuum eſt.Haut aliter ac Magiſtratus & Pater, quiſque ſuâ Poteſtate , ſimul agunt , (non tamen ſimiliter ,) ut filium prodigum coërceant : idem dicendum de Magiſtratu & Marito ſimul occupatis in emendatione aut reductione Mulieris deſertricis.Hic ſane Poteſtates illæ non ſunt confundendæ,aut una alteri ſubſtituenda. x. *argum.* Poteſtatem eccleſiaſticam habent illi, qui habent Claves Regni cœlorum : atqui Claves habent eccleſiaſtici , non Magiſtratus. Minor notiſſima eſt , & à tyronibus catecheticis diſcitur ex egregiâ explicatione noſtræ *Catechef. qu.* 82.85. cui adde *Liturgiam* , de quâ poſtea. Majoris conſequentia patet ; quia idem ſunt Claves , & Poteſtas eccleſiaſtica. x1. *argum.* Quia Poteſtas eccleſiaſtica eſt formaliter ſacra , religioſa , ſpiritualis , obteſtatoria , precatoria , & denuntiatoria , purè miniſterialis paternè & fraternè admonens: non tam judicialiter judicans , quam judicium Dei indicans , & conſcientiis manifeſtans;præterea nihil: quamvis metonymicè Poteſtas & Clavis judiciaria dicatur , eique ut tali inſtrumento & minſterio efficacia & effectus inſtrumentalis tribuatur,abſolutio ſcil.remiſſio peccatorum,apertio regni cœlorum, ſalus æterna. 1 *Timoth.* 4. *v. ult. Dan.* 12. *v.* 3. *Johann.* 20. *v.* 23. *Matth.* 16. *v.* 19. & 18. *v.* 18. Atqui talis non eſt Poteſtas Regia , aut Magiſtratus; nec unquam Magiſtratui ſed ſoli Eccleſię ejuſque Miniſtris tribuitur. Ergo. x11. *argum.* Quæ Poteſtas eſt corporis eccleſiaſtici & eorum qui in & ab illo corpore ad id conſtituti ſunt, ea non eſt Magiſtratus qua talis : Sed verum prius , Ergo. Major patet. Minor probatur ex *Matth.* 16. 19. & 18. *v.* 18. *Johan.* 20. 21. 23.

Actor.

Actor. 20. 28. *Hebr.* 13. 17. 1 *Petr.* 5. 2. 1 *Theßal.* 5. 12. *Epheſ.*4. *v.*8. 1. *Corinth.* 5. *v.*4. 2. *Corinth.* 2. *v.* 6. 7. 10. Nec ullus locus poterit adferri, qui ultra extrinſecam & indirectam Poteſtatem circa Sacra, Magiſtratui quidquam tribuat. XIII. *argum.* Quidquid eſt Regnum cœlorum, & non de hoc mundo, in illud Magiſtratus, hoc eſt Poteſtates & Domini hujus mundi intrinſecam, directam, εἰκείαν Poteſtatem non habent: Sed Sacra & eccleſiaſtica ſunt talia: Ergo. Minor probatur ex *Joh.* 18. 36. Major, probatur, quia nulla eſt proportio inter objectum & Poteſtatem: Objectum eſt purè putè ſacrum, divinum, & ſpirituale, quod ſpiritualiter diſcerni & tractari debet: Et Poteſtas ſæcularis, humana eſt in ſe & formaliter ſæcularis: immo quod ad ſpecialem ſuam formam & modum eſt merè humana. Neque enim de Chriſto dicitur: Alios conſtituit Decemviros, Conſules, Dictatores, Centum viros, Miniſtros Regni ſeu Coronæ, & Miniſtros Regis, Comites, Marchiones &c. Sed de Miniſtris dicitur Joh. 20. *Sicut miſit me pater &c.* Et *Epheſ.*4. 11. *dedit apoſtolos* &c. Quod autem *Becan. in tr.* de *Primatu Regio* cum Canoniſtis & Pontificiis ſuis, & ex eo *Remonſtrantes Apol. cap. cit.* diſtinguunt inter juriſdictionem internam & externam: & monent de hâc ſolâ eſſe quæſtionem, non de illâ, quam ſcil. una cum Poteſtate regiminis, utraque pars eccleſiis relinquat: id quidem ad rem noſtram in Belgio nihil facit. Nam diſtinctio inter forum eccleſiaſticum interius, & exterius ſeu contentioſum, & inter juriſdictionem interiorem, quę omnibus ſacerdotibus, & exteriorem quę ſolis epiſcopis aliiſque eccleſiaſticis gubernantibus competeret, nec Scripturis, nec ratione nititur, ſed tantum ingreſſu & conſuetudine typhi ſęculi. Nec eſt aut fuit unquam poſt reformationem hic locus curiis epiſcopalibus, & permixtionibus ſæcularium negotiorum ac judiciorum cum eccleſiaſticis. Nemo etiam litem movet Magiſtratui de iis, quæ ad externum hominem ſpectant & extrinſecè ſeu indirectè vocantur eccleſiaſtica, ut pragmatica tota receptionis redituum, & exolutionis ſtipendiorum, fabrica Templorum, patrocinium bonorum, utenſilium, Templorum &c. Ut de externis requiſitis Synodorum, quæ publicè habentur &c. quatenus & quouſque Magiſtratus ea procurant, ut infra verbo explicabimus. Hęc omnia ſi juriſdictionem exteriorem concernunt, nihil ad nos: neque enim ſunt in ſe & formaliter actus directionis & juriſdictionis ſpiritualis aut eccleſiaſticæ. Modo ſalvum maneat Eccleſiæ, quod illi proprium eſt regimen, cum juriſdictione, ſeu potius diſciplinâ; cujus partes ſupra enumeravimus.

9. Addamus nunc argumenta indirecta quę ſunt vel ab abſurdis conſequentibus, vel ad hominem. Prioris generis ſunt ſequentia. *I. argum.* ab abſurdis conſequentibus 1. *argum.* Tum Eccleſia eſſet inſtar cothurni aut chamæleontis: ſiquidem Poteſtas eccleſiaſtica ab Eccleſiâ auferenda, aut deponenda eſſet, & ſic diviſum imperium cum eâ haberet Cæſar, prout ſcil. fidem eandem.

dem profiteretur aut abnegaret. 11. *argum.* Si partem aliquam Poteſtatis uſurparet, quam Magiſtratus antea orthodoxus, nunc infidelis jure ſuo tanquam Imperator Chriſtianus habuiſſe dicitur: ſiquidem poteſtas eſſet Politica, tum eccleſia involaret in jura politica: ſin eccleſiaſtica, tum Magiſtratus tamdiu uſurpaſſet jus Eccleſiæ. 111. *argum.* Siquidem Poteſtas eccleſiaſtica formaliter ſic dicta competat Magiſtratui; ſequeretur eam armis, carceribus, ſuppliciis &c. munitam eſſe (omnis enim Poteſtas Magiſtratui tributa, talis eſt) quod an nota ſit hujus ſpiritualis Poteſtatis, judicent, qui judicare poſſunt. Aliter ſtatuit Apoſtolus 2. *Corinth.* 10. *v.* 3. IV. *argum.* Sequeretur aliquam in eccleſiâ eſſe Poteſtatem ἀντικρατορικὴν, & aliquem in terris vocari Magiſtrum, præter Chriſtum, contra *Matth.* 23, 8. aliquod eſſe ſubalternum (ſub Chriſto ſcil.) Eccleſiæ caput, præter Chriſtum, contra *Eph.* 1. *v.* 20. 21. Vide *Diſputationes Noſtrorum contra Papæ monarchiam eccleſiaſticam, & Oecumenicum Pontificatum.* V. *argum.* ſubſtitui Magiſtratum Papæ, & Antichriſtum politicum Eccleſiaſtico; tanto pejorem, quod ille utrumque gladium ſeu utramque ſupremam Poteſtatem ſeu Monarchiam dicitur habere directè (quidam Papales verecundius hodie dicunt, Papam in temporalibus habere Poteſtatem tantum indirectam, in ordine ſcil. ad ſpiritualia): niſi forte eccleſiaſticam uſurpare ſe diceret indirectè in ordine ad ſua temporalia, & quia rebus & negotiis ſuis ita commodum eſt. VI. *argum.* Siquidem contingeret unus Monarcha temporalis toti Chriſtianiſmo, unum tum fore Papam: ſin ſingulis Nationibus aut Provinciis ſinguli, tum totidem fore Papas: juxta exemplum ſcil. hodiernæ Monarchię Siculæ (de quâ ex profeſſo egimus in *Deſper. Cauſâ Papatus*) & antiqui Numæ Pompilii, quem Regem ſacrorum una cum Melchiſedeko orthodoxis in πλατωνικῇ ſuâ ſupra *cit.* objiciebat *Barlæus*) & Virgiliani iſtius Anii Regis hominum Phœbique Sacerdotis, quem nuper ad hanc cauſam advocavit, *autor Vindiciarum Gallicarum*, cujus verba infra *Part.* 2. exhibemus *cap. de Jure Patronatus.* VII. *argum.* Ex eccleſiâ fieri monſtrum; & pariter monſtroſa Magiſtratibus affingi, cum evehuntur in capita Eccleſiæ. Utroque abſurdo urgent Reformati Papalem monarchiam & primatum. Accedit Arminius in Diſput. de Pontifice Romano, theſi 3. *Caput Eccleſiæ unum eſt: ſecus Eccleſia monſtrum erit &c.* Et poſt: *Pontifex non eſt Chriſtus ergo neque caput Eccleſiæ: nec poteſt ullæ inter Chriſtum & Pontificem Romanum propinquitas fingi, quæ non membri alicujus in corpore, vel officii membro alicui competentis nomine ſignificetur.* Eundem memini *in Publicâ Prælectione ad 2 Theſſal.* 2. nos docuiſſe, Pontificem ſi nihil aliud committeret, quam dicendo ſe caput Eccleſiæ, eo ipſo fore Antichriſtum. Nunc hæc applica ad ea quę Remonſtrantes Apolog. cap. cit. ultro citroque diſſerunt. Ubi tamen contra omnes exceptiones pro Monarchiâ eccleſiaſticâ hæc ipſorum verba notentur: *Hæc ſententia eſt ipſiſſimum Papatus corcu-*

Digitized by Google

corculum & medulla &c. continet illud ipsum, in quo sita est forma Papatus; seu Papalis hierarchia &c. Ex eo autem concesso, cætera omnia quæ Papa jam usurpat tam necessariò fluunt, quam calor ex igni, si quis modo consequenter sentire & loqui velit, quod infra monstrabimus. Quod id circo monendum putamus, ut intelligatur quam ineptè ii disputent, qui ut sententiam hanc suam à Papatus crimine aut suspicione purgent, varia adferre solent, quæ jam Papa sibi arrogat, à quibus ipsi se abhorrere profitentur; quasi videlicet id magnopere ad rem faciat, salvo manente principali Papatus fundamento, & quasi certum non sit, cætera ista ex fundamento hoc necessario consequi &c. Quod illi de architectonicâ, quam calumniosè fingunt, Ecclesiasticorum apud nos Potestate, id nos justius de prætenso ipsorum Monarchâ ecclesiastico, qualem faciunt Magistratum. Siquidem non tantum propter arrogatam Potestatem temporalem (quæ est Magistratuum) sed etiam & vel imprimis propter spiritualem (quæ est solius Christi architectonicè, & Ecclesiæ atque Inspectorum ministerialiter) Papa fuit dictus Antichristus. Legantur modo autores nostri *Plessæus, Daneus, Chamierus, Wittakerus, Vignierus* &c. ubi disputant de *Capite Ecclesiæ, de Papa, de Antichristo*: etiam *Arminius Disputat. cit.* & applicentur ad præsens hoc negotium absque præjudicio & prosopolepsiâ. Si mala est usurpatio illa Episcopi Romani seu Patriarchæ Occidentalis in spiritualibus, utique meo judicio non melior, sed multo pejor erit usurpatio Magistratus: quia ille bene se habens partim jure divino partim jure humano intrinsecam aliquam tenebat in Ecclesiâ Potestatem: quod de Magistratu ex Scripturis aut Antiquitate ecclesiasticâ dici non potest. VIII. *argum.* Regimen Ecclesiæ transformatur in Oligarchiam, & finguntur Magistratus esse Diotrephes (*Epist. 2. Johan. v. 9.*), qui se in spiritualibus efferant & primatum affectent supra fratres suos; sive donis & operibus spiritualibus (*1 Cor. 12. & 14.*) primi sint, sive medii, sive infirmi, sive nulli, aut fere nulli. Pari ratione diceretur eos esse supra ecclesiam quà talem, omnemque ac supremam potestatem ecclesiasticam in illis tanquam monarchis ecclesiasticis residere: haut aliter ac Pontificii de suo Papâ commentantur. Ita ut illis pari jure opponi posset, quod Gerson olim Papæ: *Papa est frater noster: nisi nobiscum nolit dicere, pater noster.* IX. *argum.* Ministri non amplius erunt dicendi diacritice Ministri Christi in Ecclesiâ & in opere Christi, (uti *1 Cor. 4. 1. & 2. Cor. 5. 19. 20. Gal. 1. v. 10.*) sed Ministri hominum, Politiæ, Status, Regis, aut Deputati & Vicarii Magistratuum: pari ratione ac alii quicunque Legati, Præfecti, Cursores, Quæstores, Graphiarii &c. quia operâ illorum eodem jure & modo utentur in Ecclesiasticis, ac istorum in negotiis politicis: est enim Imperium & Potestas Magistratus circa quasvis personas, res, causas una, uniformis, & indivisibilis. X. *arg.* Quin ministri dicendi erunt puri mandatarii Magistratus, à quibus mandatum, instructionem, missionem accipient: erit enim

Digitized by Google

Magiſtratus medius inter Chriſtum, & Miniſtros; & per Magiſtratum omnis Poteſtas, omne Miniſterium, omne opus Miniſterii derivabitur ac diſpenſabitur in Miniſtros; &ſic fingetur reſidere omnis Poteſtas Eccleſiaſtica in ſolo Imperatore, aut quocunque ſupremo Magiſtratu, quam πανεπισκοπὴν collocant in ſolo Papa; cui ſententiæ tamen acriter ab Epiſcopis Galliæ, & Hiſpaniæ reclamatum fuit, in *Concilio Tridentino*, ut videre eſt in *Hiſtor. Concilii Tridentini lib. 7. p. 721. 722. 743. 744.* edit. pr. in 4. Conferatur *Marcus Ant. de Dominis lib. 2. de Republ. Eccleſ. c. 5. 6. XI. argum.* Tum paulatim inflectendum eſſet totum regimen Eccleſiæ, ad particulares quoſcunque ſtatus, conditiones, & caſus Politicos; & ſic degenerabit in Regimen ac Regnum ſeculare, omniſque forma & figura ſpiritualis tandem plane evaneſcet: ita ut pro Membris & Miniſtris Eccleſiæ pro hominibus ſpiritualibus (1. *Cor.* 2. *v.* 15.) tandem habituri ſimus, hiſtriones aulicos, pſeudo-politicos, cothurnos, doloſos, ψυχικοὺς, κοσμικοὺς, breviter mancipia vanitatis, ſuperbiæ, gulæ, avaritiæ: qualis Eccleſia gemina eſſet curiali Romanæ. XII. *argum.* Sequeretur denique ab ipſo Magiſtratu omnem Poteſtatem eccleſiaſticam per ſe obiri poſſe, ſiquidem aliorum operâ uti non expediat: quod enim quis per aliam tanquam Miniſtrum, aut Vicarium aut Delegatum exequitur, per ſe exequi poteſt: quomodo quis per officiarios & per ſe ſubordinatos ſibi in rebus & negotiis publicis Miniſtros, curat quæſturas, præfecturas ærarii, exercitus, aggerum, ſupremi dicaſterii, Academiæ, &c. per ſe curare poteſt, & ſubinde, cum ita viſum eſt, curat. Ipſe ergo conſtituet Synedrium, & Synodum, ipſe paſcet populum verbo & ſacramentis; ipſe excommunicabit & utetur Clavibus Regni cœlorum; ipſe eccleſiaſticè conſtituet & ordinabit Miniſtros. Quæ omnia perquam abſurda eſſe nemo negabit. Quod ſi quis excipiat; poteſt per ſe omnia illa quæ ad exteriorem juriſdictionem ſpiritualem ſeu eccleſiaſticam pertinent, non verò quæ ad interiorem: petimus ut Papiſticum hoc diſtinctionis figmentum eique innixam exceptionem probet. Nam aut diſtinguitur totum (Poteſtas ſcil. eccleſiaſtica) in partes, quæ toti non inſunt; aut eſt mera diſtinctio vocis ambiguæ, & conſequenter tota diſputatio conſiſtit in luſu ambigui. Quod ſi per exteriorem intelligant (ut argumenta allata cogunt intelligere) 1. Periſtatica quædam & requiſita ſive ad eſſe ſive ad bene eſſe ſpiritualium. 2. Item connexa, combinata & χωρισμὸς adjuncta, etiam intermixta politica, quamvis à ſacris & eccleſiaſticis diſtincta. 3. Et ſic Poteſtatem extrinſecam, indirectam, conſequentem & mediatam circa ipſa ſpiritualia & eccleſiaſtica; quia immediatè, directè, & per ſe verſatur circa perſonas, loca, actiones, quibus ſpiritualia tanquam continentibus, aut inſtrumentis, aut vehiculis, aut adjunctis, aut quomodocunque requiſitis uti debent: utique totam illam concedimus. Ad exteriorem autem illam Poteſtatem Magiſtratus non pertinere Electionem Miniſtrorum, Cenſu-

Digitized by Google

Censurarum ecclesiasticarum Judicium & exercitium, synodales controversorum dogmatum & causarum per provocationem aut aliô quovis modo ad Synodos delatorum determinationem, receptionem hominum in communionem Ecclesiæ & ad usum cœnæ &c. infra *Part.* 2. *&* 3. suis locis probabitur. XIII. *argum.* Sequeretur Principes & magistratus esse spirituales patres & matres, & ecclesiam representativam. Atqui tale quid ex scripturâ probari nequit: ubi communitati ecclesiasticę, & in eâ antecessorum collegio titulus hic tribuitur *Hoseæ* 2. *v.* 1. coll. cum *Matth.* 23. *v.* 37. & *Galat.* 4. *v.* 26. Regibus vero & Magistratibus titulus nutritiorum & nutricum *Jesa.* 49. *v.* 23. XIV. *argum.* Sequeretur sub novo testamento plus potestatis competere Principibus & Magistratibus quam sub veteri testamento: ubi tamen politia illa, Reipublicæ forma, leges politicæ, & aliqui reges, ac judices non erant creatura humana (uti nunc sub N. T. 1. *Petr.* 2. *v.* 13. sed immediatè divina, & à Deo constituta. Non fuisse autem in V. T. regimen ecclesiasticum penes Magistratum, alibi probavimus. XV. *argum.* Sequeretur nullam hominum societatem & communitatem divinitus in hoc mundo ordinatam, præter civilem seu sęcularem, nullum populum, nullum regnum nisi de hoc mundo. Quod portentum Machiavellico-atheum, per Epicureos & homines de hoc sæculo (*Ps.* 17. *v.* 14.) dias in luminis oras propediem proditurum videtur; nisi jam prodierit: saltem mussitari subinde inter amiculos & in Eleusiniis (Bacchicis, inquam,) sacris, prudentiores non ignorant. Nos contra duplicem hominem, duplicem vitam, duplicem statum, duplicem felicitatem, duplicem bonum, duplicem cursum, duplex stadium, duplicem communionem ac societatem, duplicem potestatem & ordinem, duplex regimen publicum ex & cum scripturis agnoscamus: & quidem ut semper distinctum, quamvis non semper separatum, ut unum non sit de essentiâ alterius, nec unum alteri permixtum aut immixtum, nec unum transformari debeat aut possit in alterum. 10. Sequitur *nunc arg. ad hominem*, quod est tale: Quia ipsi adversarii cum multis contra nostram sententiam disputârunt, coguntur limitatione & distinctione aliquâ se retrahere, aut sua quodammodo involvere; adhibitis terminis de politicâ, aut objectivâ, aut directivâ, aut externâ potestate: quę sola secundum nos immediatè & directè versetur circa religionis formulam ac professionem seu doctrinam ecclesiasticam, non in se consideratam, quatenus in & à societate fidelium recipienda atque exercenda judicatur; & circa ecclesiam cum exercitiis & potestate ac regimine suo spirituali constituendam, continuandam, restituendam, reformandam: sed quæ sola & intrinsecè versatur circa religionem & ecclesiam, quatenus, & quousque in Republicâ publicè admittenda, recipienda, retinenda, defendenda est. Quod si enim apertè & candidè opinionem suam usque ad finem defendant, necessario in absurdum politici Pontificis & Antichristi compingi se videbunt. Et certè quomodocunque

illi, cum omnibus, qui poſt Remonſtrantes hanc cramben recoxerunt citationes orthodoxorum theologorum obtendant, omnes diſtinctionis toties totieſque inculcata, obliti videntur, aut κρύψει earundem ſibi & lectoribus imponere velle; ut cauſæ nuditatem quodammodo tegant. Hæc ergo perpetuò reponenda & inculcanda. Aliud eſt loqui de poteſtate intrinſecâ & οὐσίᾳ, quę purè eſt ſpiritualis, formaliter eccleſiaſtica, miniſterialis: & aliud de poteſtate ſæculari, formaliter politicâ, ſupremâ dominante, quæ eccleſiæ quâ tali, extrinſeca eſt non intrinſeca; ideoque objectivè tantum & ſecundum extrinſecam denominationem dici poteſt eccleſiaſtica: ſed quæ intrinſeca & propria eſt Reipublicæ ſupremiſque poteſtatibus in Republicâ conſtitutis. Rurſum aliud eſt religionem & eccleſiam in ſe & per ſe conſiderare, & aliud externum ejus adjunctum; ſeu eam ſecundum aut quod ad adjunctum, ſeu reſpectum extrinſecum, & coordinationem ejus ad Rempublicam conſiderare: an ſcil. & quatenus publicè admittenda, recipienda & per ſæcularem poteſtatem defendenda, ſit religio & eccleſia. Prior Poteſtas quę publica, anteceſſoria, & directiva eſt ſed purè ſpiritualis & miniſterialis, ſoli eccleſiæ, qua tali, competit, poſterior ſolis Principibus, & Magiſtratibus ſæcularibus. Et certè adverſarii, omnia cum dixerint hanc diſtinctionem & ſub eâ noſtram ſententiam tacitè velint nolint admittere coguntur. Unum nunc ex poſtremis indico Lud. Molineum in Corollario ad paræneſin ſuam ad ædificatores imperii in imperio pag. 48. *Si perperam*, inquit, *dixi poteſtatem propriè dictam eccleſiaſticam & civili oppoſitam non aliam poſſe excogitari præter internam, quæ ſe per miniſterium exſerit in perducendis animabus ad fidem Chriſti, id dixi cum Triglandio, qui ſui oblitus idipſum affirmavit.* Ibidem adducit verba Triglandii ex præfat. ad librum de poteſtate civili & eccleſiaſticâ, quibus diſtinguit inter poteſtatem eccleſiaſticam ſpiritualem, quę ſita eſt in adminiſtratione clavium regni cœlorum, &c. & inter poteſtatem civilem Magiſtratus, quâ judicat & ſtatuit de religione, quam in publico inter ſubditos velit exerceri: *ſi veram*, inquit Triglandius à Molineo citatus, *religionem removet, falſam ei ſubſtituit, abutitur quidem poteſtate ſuâ, non tamen ipſi neganda poteſtas.* Ubi non Trigandius, ſed Molineus ſui oblitus eſt, cum diſtinctionem & ſententiam Triglandii admittit. Sic enim cauſam tradere, & per totam paræneſin ejuſque corollarium ἄγνοιαν elenchi commiſiſſe ac ſchiomachiam exercuiſſe videtur. Si nihil aliud vult, quam quod Triglandius lib. cit. & in diſpp. c. apologiam Remonſtrantium conſcriptis, imprimis & in hiſtoriâ eccleſiaſticâ toties ac tam perſpicuè inculcat, penes Magiſtratum & quidem ſolum, eſſe ſupremam ſub Deo poteſtatem circa religionem & eccleſiam, non quidem in ſe quà talem, ſed per accidens ſeu quod ad accidens ſeu adjunctum, quatenus ſcil. illa publica eſt, in Republicâ, ibique per poteſtatem politicam publicè admittenda, fovenda, defendenda: utique bellum hoc ilico confectum

confectum erit, & Erastri, Grallatorum, Remonstrantium, similiumque Pontificatus politici satellitum operosę machinæ scombris & thuri devovendæ, aut Veneris marito tradendæ.

Caput III.

Fontes solutionum, & responsiones ad argumenta ac testimonia, quæ ab adversariis opponi solent.

1. Accedamus ad argumenta adversariorum. Ducuntur ea 1. Ex Scripturis. 2. Ex Rationibus. 3. Ex Autoritate humanâ dictorum aut factorum: quę ferè utramque paginam hic facit. 1. Ad testimonia Scripturę, fontes hos solutionum suggerimus: 1. Quod nihil habeant de illâ Potestate quam nos negamus: sed tantum de indirectâ illâ, exteriori & mediatâ circa sacra, immediatâ verò circa ea quæ sacris connexa, quamvis formaliter non sint sacra: quam nos concedimus. 2. Aut quod exempla & facta sint Magistratuum, qui fuerunt extraordinarii Prophetæ (ut Moses, David, Salomon) aut saltem habuerunt immediatam directionem & assistentiam Prophetarum. 11. Ad rationes & argumenta directa, fontes illi sufficient. 1. Politica Potestas est architectonica, & omnes res ac Potestates ei sunt subordinatæ, atque ab eâ dependent, etiam ecclesiastica seu spiritualis: sed subordinatio est duplex, *per se* seu quâ est spiritualis, & hanc negamus in sacris, concedimus in negotiis civilibus; *& per accidens* seu qua corporalis aut sæcularis, seu sæculari rei atque actioni conjuncta & hanc in sacris concedimus: Ita Philosophi dicunt fabricam statuæ pendere à cœlo tanquam causâ universali, quia statuarius pendet à cœlo, non quidem quà statuarius, sed quà corpus & agens naturale. Sic concio concionatoris pendet à Medico, non quà concio, sed qua actio seu functio animalis, aut eam necessario prærequirens: ad quam requiritur sanitas, quam procuravit Medicus. Architectonica potest dici facultas Medici respectu sanitatis per se & directè (est n. suo modo & dicitur vitæ Imperator) non verò respectu concionis, nisi per accidens, indirectè & consequenter, tanquam causa sine, quâ non, & removentis impedimentum. 2. *Rursum* versatur Potestas politica vel directè & immediatè circa aliquid: vel indirectè, mediatè, per accidens, & consequenter. *Illo modo* versatur absolutè circa externum hominem absque ullo discrimine fidei aut infidelitatis; & circa omnia negotia civilia. *Isto modo*, circa sacra & spiritualia; quod ad manifestam aut publicam existentiam & executionem eorum in hâc civitate, in hâc regione, in hoc regno. Quod ut melius intelligatur, duo in negotio quoque ecclesiastico sunt distinguenda (quamvis vix possint separari) natura & ratio ejus spiritualis in se & per se: & adjunctum ejus aliquod seu præsuppositum, quod est

Digitized by Google

vitę animalis, aut civilis. Ratio ejus ſpiritualis & eccleſiaſtica quà talis non eſt objectum immediatum aut perſe Poteſtatis & directionis politicæ, ſive illa architectonica ſive miniſterialis dicatur: ſed quod ſpirituali illi adjunctum eſt (actio ſcil. humana, locus, tempus, civiles qualitates, relationes, noti & aperti fidelium conventus, publica aut privato -- publica clavium regni cœlorum adminiſtratio, admittenda ac defendenda) eſt per ſe & immediatum objectum Poteſtatis politicæ quà talis: Et ſic conſequenter ipſa res ſpiritualis dicitur objectum ejuſdem Poteſtatis, ſed mediatum, indirectum & per accidens. Quomodo color, ſeu coloratum quà tale eſt objectum viſus directum, immediatum, & per ſe; ſed Diaris filius objectum, indirectum, mediatum, & per accidens. Accidit enim Diaris filium mihi hic & nunc occurrere, & à me videri. 3. *Alia eſt* Poteſtas in ſacris intrinſeca, ſacra, ſpiritualis, formaliter eccleſiaſtica, unius ejuſdemque generis analogici ſcil. cum Poteſtate Chriſti, quamvis numero, ſpecie & ordine diverſa: præterea unius ejuſdemque generis cum rebus illis, circa quas verſatur; Et alia eſt Poteſtas externa, communis, formaliter politica (non verò intrinſecè ſpiritualis, ſacra, aut eccleſiaſtica) quæ verſatur circa eccleſiaſtica ſeu ſacra, & inde per extrinſecam denominationem & prædicatione impropriâ (quod nôrunt Logicorum filii) *eccleſiaſtica Poteſtas* dicitur: eodemque ſenſu *Poteſtas eccleſiaſtica objectiva*, contradiſtinctè *à formali*. 4. *Poteſtatem* omnem, quæ eſt in Republicâ tanquam contentum in continente, non continet in ſe Magiſtratus aut formaliter aut eminenter, nec partes aut actus ejus exercere poteſt: ſed quandam tantum attingit & circa eam verſatur curâ & ope ſuâ, extrinſecâ ſcil. & architectonicâ. Ex. gr. Oeconomia eſt in Republica ut & prima Poteſtas œconomica, maritalis ſcil. At Magiſtratui nullo modo civium ſuorum maritalis Poteſtas in proprias uxores intrinſeca & formalis tribui poteſt: Et in hoc diſtinguitur Poteſtas maritalis à prætoriâ, quæſtoriâ, militari aliiſque quæ Republicâ continentur, quaſque Magiſtratus, ſi velit, perſe exercere poteſt, &c. Simili fere modo, de Poteſtate eccleſiaſticâ judicandum eſt. 5. *Aliud eſt* quęrere, an eccleſiaſtici ſubſint Magiſtratui, & ab eo immediatè dependeant: item, an etiam ſacra peragentes, juriſdictionem exercentes &c. hoc eſt, qui, quales, & an ſic & ſic conſiderati: & aliud, an quà ſacra peragentes, quâ ſpirituali clave utentes. *Prius affirmamus: poſterius negamus.* Janitor, Quæſtor, Præfectus, omnia ex præſcripto muneris ſui agunt quà Janitor &c. dependenter à Magiſtratu quà Magiſtratu. Sed Miniſter minimè: nam quà Miniſter non dependet primo, immediatè, & per ſe à Magiſtratu; ſed à Chriſti Poteſtate architectonicâ, & à communitatis eccleſiaſticæ & presbyterii Poteſtate miniſteriali. Sic Chriſtus Mediator in terris, exercens actus muneris mediatorii, ſubordinatus fuit Poteſtati politicę; ſed non quà Mediator, aut quatenus exercens actus mediatorios: niſi ſubordinatione

itized by Google

tione per accidens, quatenus actus humani & civiles functioni mediatoriæ subſtrati, aut ad eam prę ſuppoſiti, aut cum eâ conjuncti Magiſtratui ſubjecti erant; quales ex. gr. communibus plateis, templo, ſynagogis uti, & ibi ambulare, ſtare, ſedere &c. ingredi & egredi &c. 6. κατὰ ψιῦδος facit puerilis illa fallacia accidentis, & paralogiſmus à divisis ad conjuncta: Magiſtratus eſt primus, & eſt Chriſtianus, ergo eſt primus Chriſtianus, & primarium Eccleſię membrum; quod tantundem valet, *ac illud*, Hic eſt bonus, & eſt Poëta, Ergo eſt bonus Poëta. Item, Hic eſt præſtantiſſimus (in ſuo genere ſc. aut Miles, aut Doctor &c.) & eſt Membrum Eccleſiæ; ergo eſt præſtantiſſimum Membrum. Rurſum hic eſt, primus & principalis, in burſâ, in Academiâ, in familiâ, aut in collegio quocunque; & eſt membrum, Ergo. Denique Dives & honoratus civis eſt primarius in civitate, ergo quà talis etiam primarius in Eccleſia. Vide *Jacob.* 2. 1. 2. 3. 6. coll. cum 1 *Corinth.* 6. 4. 5. Magiſtratus quà Magiſtratus nòn eſt primarium membrum Eccleſiæ; ſed ſi primario qualitatibus ſpiritualibus cognitionis, fidei, pietatis, zeli &c. exornatus ſit. Vide qui ſint primarii *Philipp.* 3. 15. *Hebr.* 5. 12. 13. 14. *Galat.* 2. 9. coll. cum 1 *Cor.* 3. 1. 2. Alterum & vulgatum ſophiſma eſt: Rex, aut Magiſtratus eſt & agit hoc vel illud in Eccleſiâ (ἔνδον ſcil. & intrinſecè) ergo quà Rex, aut Magiſtratus. Vah ſophiſticam! Tyronibus Logicis notum eſt ex Ariſtotele, eſſe per accidens ratione cauſæ, quando Muſicus dicitur ædificare domum. Accidit enim Fabro alicui, quod ſit Muſicus: itaque domum ędificat, non quà Muſicus, ſed quà Faber. 7. *Radicalis* etiam error eſt, quod non diſtinguant cauſam ſine quâ non & removentem impedimenta, ſeu requiſitum antecedens, aut concomitans, aut conſequens Poteſtatis ſpiritualis, ab ipſâ ejus eſſentiâ, ſeu à Poteſtate formaliter ſic dictâ: quaſi quis dicat remotionem puris eſſe medicationem vulneris, aut legem nos juſtificare, aut opera: quia convictio legis præcedit juſtificandum, hęc verò ſequuntur juſtificatum. 8. *Ambiguitatem* parit, quod ea quę ordinem habent ad eccleſiaſtica, ſi ſcil. propius aut proximè ad ea ordinentur, dicantur eccleſiaſtica, & in iis ſtatuatur propria & formalis Poteſtas eccleſiaſtica; e. gr. collectio, cuſtodia, & erogatio ſtipendiorum, conceſſio templorum, eorumque inſtauratio, & quę ſunt ſimilia: quę ſi ad integritatem aut ad melius eſſe Poteſtatis eccleſiaſticæ, non tamen ad eſſentiam ejus faciunt. 9. *Poteſtas* populi alia eſt tranſlata in Principem, alia non eſt. Omnis illa quæ eſt populi quà populi, civium in ordine ad pacem ſymbioticam & felicitatem politicam, tranſlata eſt in Principem. Alia quæ non eſt iſtius generis non eſt tranſlata, ex. gr. Poteſtas cujuſque maritalis, aut patria; item Dominium particulare ſeu proprietatis bonorum, ut nec libertas (ſubditi enim non ſunt ſervi): Circa bona non habet Princeps Poteſtatem intrinſecam ſeu proprietatis, ſed directivam. Loquor de principatu limitato, ſeu pactionato: de abſoluto & ar-

Digitized by Google

& arbitrario principatu, an, quid, ubi sit, aliis quærendum relinquo. Similiter judicandum de Potestate ecclesiastica. Non habet eam populus quà populus, cives, subditi: sed quà Christiani, membra Christi, & συμπολῖται ἁγίων. 10. *Una* eademque genere Potestas, potest in species vel partes sibi subjectas inæqualiter descendere; quomodò philosophi loquuntur de genere & speciebus analogicis. Sed una genere analogico est Potestas Magistratus; sed inæqualiter descendit ad Potestates inferiores sibique directè & per se subordinatas, merè civiles e. gr. prætoriam, quæstoriam, &c. & ad Potestatem ecclesiasticam. Ibi est & dicitur Potestas συγγενὴς homogenea, intrinseca: non enim dirigit tantum, sed aut per delegatum aut per se ipsum eam exercet: hic verò ratione spiritualis objecti dicitur extrinseca, & directiva tantum, quatenus architectonicè scil. dirigit ea quod ad requisita & adjuncta quædam extrinseca: neque enim ipse Potestatem eam in se & per se spectatam habet, nec per seipsum aut per delegatum exercet. Hàc distinctione explicari possunt, quæ occurrunt Theologis nonnullis de Ministris ecclesiasticis & politicis pariter Magistratui inservientibus: Vide quæ citant *Remonstrantes Apolog. cap. cit. fol.* 30. 1. 6. ex Paræo. 11. *Fontes* solutionum ad argumenta quædam specialia, à jure vocationum, adhæc convocationum Synodorum, item præsidentiæ in iisdem, judicii peremptorii, & reformationis Ecclesiarum; ex infra dicendis peti debent.

2. Solutiones aut fontes earum ad argumenta indirecta sunt 1. Siquidem juxta Magistratum statuatur Potestas, cui immediatè sub Christo publica cura religionis & externum Ecclesiæ regimen conpetat, sequitur hoc absurdum, quod necesse sit supremam Potestatem parere aut servire. Sic *Remonstrantes cap. cit. fol.* 298. 299. ubi addunt pro more suo flosculos de *tyrannide*, *hierarchiâ ecclesiasticâ*, *Papatu*, &c. quæ, Thesis hæc non capit. *Resp.* Consequentia nulla est: quia Potestas Ecclesiæ non est architectonica, sed purè ministerialis; at tali Potestati subordinari aliquam personam ut ut superiorem aut supremam in politiâ idque ratione fraternitatis & symbiosis spiritualis in corpore & communione matris suę Ecclesiæ, id sanè *essentiæ supremæ Potestatis politicæ directè non repugnat*, ut *Remonstrantes ibidem* contendunt: quia est in alio genere Potestatis. Sic filius Consul aut Princeps subordinatur Patri, quod ad Potestatem patriam; & Rex ægrotus subordinatur facultati Medicę; & quid ni quod ad animæ salutem curæ pastorali? Ita Regina aliqua si alicubi regnaret, & nuberet Marito hâc conditione ne imperii consors esset, utique subjecta esset Potestati ejusdem maritali; nec ideo perderet regiam. *Instantia.* 1. Qui habent Potestatem immediatè sub Christo, illi habent supremam & architectonicam sub & à Christo: Sed Ministri ex nostro sensu habent primò & immediatè &c. Ergo. *Resp.* Major falsa est. Sebna habet immediatè clavem aulæ regię ab ipso Rege *Jesa.* 28. & sic servus quilibet, mediastinus, Atriensis suam

ſuam qualemcunque Poteſtatem à domino ſuo, ut & Regius quæſtor, equiſo, venator &c. ſuam; ergo habent Poteſtatem ſupremam, independentem, dominantem, & tenentur omnes Miniſtri Regni & Regis quin & Regina ac Liberi Regis ipſis ſervire, & ſunt ſervorum ſervi & ſubditi. Non ſequitur. *Inſtantia.* 2. Si exceptio illa de Poteſtate miniſteriali valet, tum nulla eſſet differentia inter Miniſtros & Magiſtratum, nam & hic Miniſter eſt & miniſterialiter tantum Dei ac Chriſti reſpectu agere dicitur. *Reſp.* Tanta eſt differentia, quod Magiſtratus Miniſter quidem reſpectu Dei ſit, ſed reſpectu ſubditorum ſit dominus *Rom.* 13. 1. 4. 5. 2 *Petr.* 2. 10. *Luc.* 22. 25. 26. atqui hoc nullo modo miniſtris competit. *Deinde*, quod Magiſtratus quà Magiſtratus habet Poteſtatem architectonicam circa Miniſtrum & in ortu & in actu ſui miniſterii quod ad requiſita illa externa, quæ ſupra indicavimus, atque ita dependeat neceſſario ac ſemper à Magiſtratu etiam infideli ſive velit, ſive nolit, ubicunque Eccleſia in propatulo eſt; etiam cum latet & ſub cruce miniſtrat, ſaltem quod ad ea quæ vitam animalem & civilem tum ipſius tum auditorum ſuorum concernunt, ſine quibus halitum ducere, ædes inhabitare, plateas & vias obire, Eccleſiam clandeſtinam colligere non poſſet &c. Sed Magiſtratus quà Magiſtratus nullo modo nulloque reſpectu quod ad ſupremam poteſtatem ſuam dependet à Miniſtro, nec illi ſubeſt tanquam ſuperiori Domino; immo non dependet ab illo tanquam membrum Eccleſiæ à Miniſtro Eccleſiæ, niſi velit ob animæ ſalutem nomen dare Eccleſiæ, ejuſdemque fieri filius. Ad hoc enim Miniſtri neminem cogunt: ſed tantum monendo & rogando nomine Chriſti ad communionem propriâ libentiâ ſuſcipiendam. Quando ergo Miniſter verbum Regis cœleſtis commonſtrat & defert ad Magiſtratum, quid aliud quam dux viæ eſt & nuntius? Et Magiſtratus ſive pareat ſive non pareat, manet tamen juſto titulo ſupremus dominus politicus, etiam cum Poteſtate maximè abutitur: uti patet in exemplo Pilati *Johann.* 18. Et Magiſtratuum Gentilium ac Judaicorum *Rom.* 13. *v.* 1. 1. *Petr.* 2. *v.* 13. 14. qui tamen illo tempore Poteſtate ſuâ contra Eccleſiam Chriſti abutebantur. Ruſticus ſeu cacula militaris aſſumptus, ut præeundo viam commonſtret Imperatori cum toto exercitu, dux eſt ſummi ductoris, & hâc ratione in eundo prior ac primus, ſed miniſterialiter, non ut ſuperior, aut collateralis dominus. *Denique*, aliud eſt ſervire & ſubjici alicui tanquam domino, aliud audire aliquem & monitis ejus parere: Pater idiota paret Filio Juris aut Medecinæ aut Theologiæ perito, imprimis ſi facultate doctorali inſtructus ſit, Princeps paret Conſiliario, immo & Vigili quem ipſe in ſtatione conſtituri juſſit, immo & collegio ac ſententiæ Judicum, quando civi alicui contra ipſum cauſa adjudicatur: nihilominus manet ſupremus Dominus. 3. *Inſtantia:* atqui ſi nulla alia Poteſtas ſit ſuperior ſub Chriſto (Magiſtratus ſcil. tanquam media inter Chriſtum & inter Eccleſiam cum Miniſtris)

Digitized by Google

jam regimen Miniſtrorum nihil aliud eſt, quam architectonicè ſeu cum imperio regere. *Reſp. Negatur conſequentia:* hęc enim non eſt eſſentia & definitio Poteſtatis ſupremę ſeu imperii, ut quis neminem in ſuo ordine habeat ſuperiorem. Tum enim Ludimagiſter quilibet in pulvere ſuo eſſet revera αὐτοκράτωρ βασιλεύς; & Pręco aut Tubicen Principis, aut primus legionis cujuſque Tympanotriba (militares noſtri vocarent, *Tambour major*) aut Janitor, haberent regium imperiū in omnes quibus quid promulgant, aut qui per portam intrant: quia ſcil. neminem habent in ſuo ordine & generē ſe priorem aut ſuperiorem. Sic Miles gregarius excubitor nocte in ſtatione ſuâ conſtitutus, neminem ſui ordinis in illâ ſtatione agnoſcit ſuperiorem, ne quidem parem aut collateralem. Quin & Decurio excubitorum nullos Centuriones prefidiarios, nec ipſum urbis Præfectum, mœnia obeuntem vigilias & vigiles luſtrantem, ſe ſuperiorem agnoſcit, dum ſtricto gladio (more militari) teſſeram ab illo exigit. Nec tamen ideo dicendus eſt Prefectus præfecturâ ſuâ motus. En acumen Remonſtrantium, qui Theologis noſtris tanquam caudicibus tam petulanter inſultant *Apolog. fol.* 298. 299. 300. 301. 4. *Inſtantia.* Qui judicia aliorum ſequi tenetur is non regit, ſed regitur, adeoque mancipium eſt & ſervus judicantium: & univerſa autoritas & directio quæ Magiſtratui tribuitur dependet à judicio Eccleſię tanquam ſummi tribunalis, & ſupremę curię, à quâ provocatio non datur &c. ſic *ibid. fol.* 300. *Reſp.* Juriſconſulti aut Conſiliarii ſententiam, quâ legem aliquam Regni fundamentalem Regi commonſtrat & interpretatur Rex ſequi tenetur; ſic ut facultas judicandi & interpretativa ſit penes illum Conſiliarium: imperans ſit penes legem, quam interpretatur. Sive enim Rex imperium legis agnoſcat, ſive non agnoſcat, nullum tamen hic eſt judicium dominans aut imperatorium ſupra Poteſtatem Regiam; ſed tantum miniſteriale: & conſequenter Rex quà talis non eſt mancipium Juriſconſulti. Idem de judicio eccleſiaſtico ſtatuendum eſt. Sed de judicio infra pluribus agendum. 11. *Obj.* ab abſurdo eſt: Tum directè tenebitur Magiſtratus decreta omnia Miniſtrorum autoritate ſuâ ſancire, ſententias latas approbare, & exequi Lictoris, aut Carnificis inſtar. *Ibid* & 30. 1. *Reſp.* Non valet conſequentia: 1. *Quia* non tenetur abſolutè, ſed hypotheticè, & poſitis ponendis, ſi ſcil. illa decreta & ſententias contulerit cum verbo Dei, & in conſcientiâ convictus ſit, eſſe ea materialiter ſententiam ipſius Chriſti, aut cum ea convenire: Et ſic tenentur privati quilibet, ut & Miniſtri ſententiam eccleſiaſticam amplecti & ſequi. 1. *Corinth.* 2. *v.* 15. & 10. *v.* 16. cum *Actor.* 17. *v.* 11. Audiant ſeipſos *fol.* 302. & 303. Miniſterium *Miniſtri* (in publicis ſcil. tem-
„ plis) *non dependet ſimpliciter à Magiſtratu*, &c. *Sed quatenus Magiſtratus Dei*
„ *miniſter eſt. Quare ſi judicent in conſcientiâ ſuâ præſcriptum Magiſtratus non*
„ *eſſe Dei præſcriptum &c. non modo non poſſunt ſed & debent miniſterium Magi-*
„ *ſtra-*

„ *ſtratui negare.* Pariter, ſi eccleſiaſticum aliquod decretum verbo Dei repugnet, poſſunt & debent Magiſtratus tali in caſu approbationem, & autocratoricam ſuam executionem aut defenſionem negare. Et hæc *prior* conditio illi cum omnibus aliis fidelibus communis eſt. *Altera* illi peculiaris eſt, ut politicè judicet & architectonicè ſtatuat, an hoc vel illud tolerare, defendere, aut exequi vel non exequi, expediat Reipublicæ. 2. *Non* obediunt ſententiæ & judicio eccleſiaſtico directè aut immediatè, ſed Chriſto (ut Noſtri docent contra Pontificios in quęſt. An leges humanæ obligent conſcientiam,) qui ſolus imperat conſcientiis: mediatè, autem, indirectè, & conſequenter, Miniſtris tanquam Miniſtris Chriſti, nuntiis, indicibus ſententiæ Chriſti, & ὑπηρέταις in viâ veritatis & pietatis 2. *Cor.* 5. 20. *Matth.* 18. 17. 18. 1 *Theſ.* 5. 12. 13. *Hebr.* 13. 17. *Matth.* 10. 40. *Luc.* 10. 16. 3. Cum Magiſtratus judicio politico (cui præſupponitur judicium theologicum & diſcretionis de veritate rei) ſtatuit executioni mandare, & actu executioni mandat decreta eccleſiaſtica, non facit hoc tanquam mancipium, aut Carnifex, ſed tanquam liber & ſupremus judex ac Dominus: haut aliter ac Rex aut Princeps Senatus Academici, aut curiæ ſive inferioris ſive ſuperioris judicium, aut parentum decretum ſibi oblatum approbat, & autoritate ſuâ munit, atque exequitur. v. *Obj.* ab abſurdo; quia ſic introducitur collateralitas, & fit alia Reſpubl. in Republicâ: quod funditus omnem Politiam & Poteſtatem Magiſtratus ſubvertit. Sic *Wttenbogardus libro cit. part.* 2. *Grotius in pietate Ordd. p.* 113. 114. *&c. Remonſtrantes Apolog. c. cit. Reſp.* 1. Siquidem duæ ſint Poteſtates ejuſdem generis & ordinis; hoc eſt ſi ſint Poteſtates politicæ; adhæc ſi ſint Poteſtates architectonicæ & cum imperio: valeret conſequentia. Sed cum una hic ſit ſpiritualis & miniſterialis; altera politica, coactiva, & architectonica: quis non videt acuminis hujus ἀνακόλουθον? Cum Chriſtus Rex Judæorum eſſet in terris, an non erat Rex ille & regnum ipſius in regno mundi, quamvis non de regno mundi; & ſic in eâdem Republicâ duę Poteſtates ſupremæ diſparatæ (quarum altera alteri quâ tali non erat intrinſecè directè, per ſe, & immediatè ſubordinata): & rurſum in eâdem Republicâ duę Poteſtates inferiores ſeu miniſteriales diſparatę (quarum altera alteri quà tali non erat directè & per ſe ſubordinata) Miniſtrorum ſcil. politicorum, & Miniſtrorum eccleſiaſticorum, Apoſtolorum & 70. Diſcipulorum. Quid an *Grotius* tanquam fiſci advocatus (hoc enim munere fungebatur, cum Philippicam illam tit. *Pietatis Ordinum Hollandiæ* conſcriberet) Pilato & Judæorum calumniis de collateralitate acceſſiſſet, & actionem in ſpirituale Regnum, Eccleſiamque Chriſti, atque adeo in Apoſtolos & 70. diſcipulos tanquam Miniſtros ſpiritualis illius regni inſtituiſſet? Expendat quęſo lector totum proceſſum coram Pilato *Johann.* 18., & videbit Remonſtrantes non poſſe Chriſtum quà hominem tunc ſubditum Rei-

publ. Indaicæ, & consequenter imperii Romani, cum Discipulis & Ministris ipsius in regno pro modulo promoventibus & propagantibus absolvere, quin & Ecclesias nostras absolvant; nec posse vice versâ nostras Ecclesias condemnare, quin Christum cum Apostolus & Discipulis suis unà condemnet. 2. Mitto Exceptiones & limitationes, quas hic forte adferrent Politici & Jurisconsulti de Legatis Regum in alieno territorio, de Rege in alterius regno sive casu & vi majori, tempestatis scil. ejecti, sive fœderis tractandi causâ ad tempus commorantis; deque Principe qui supremus sit in suâ ditione & tamen ratione feudi alicujus sit alteri subordinatus: quia ad rem nostram non faciunt, & directa responsio modo data sufficit. Unam saltem vindico instantiam de Patre Principis, & de Reginâ quæ nubit marito cui ex lege jus Regni non communicatur, aut in quem non transfertur. Hic Potestas patria & maritalis disparatæ sunt cum regiâ; sed diversi generis & ordinis cum sint, eam non perimunt, nec odiosè dictam collateralitatē inducunt. 3. Retorqueo hoc absurdum in ipsos Remonstrantes, qui in totâ Potestate suâ ecclesiasticâ, in Synedriis, in Synodis &c. plane independentes se faciunt ab omni inspectione & Potestate Magistratus tum internâ & ecclesiasticâ in negotiis & causis suis ecclesiasticis, tum externa & politica circa negotia & causas suas ecclesiasticas. In omnibus illis à solo Deo & conscientiâ suâ dependere volunt, & per consequens esse collaterales: siquidem ipsorum consequentia, quâ nos urgent, procederet. *Instantia*: Manet nihilominus hoc absurdum, quod in eodem populo statuantur duę potestates coactivæ. Certum enim est spiritualem jurisdictionem & censuras tum publicas tum privatas; cum actionibus eo pertinentibus esse Potestatem coactivam. Sic *Wttenbogardus libr. cit part. 2. p. 55. Resp. 1.* Siquidem Potestas coactiva sit, quæ externis quibusdam actionibus indiget & perficitur; tum potestas Remonstrantici Mariti in Uxorem, parentum in Liberos, Ludimagistri in Discipulos, Viri in Servulos, imprimis Remonstrantium Concionatorum ac Seniorum in suis cenventiculis & Synodis &c. dicatur coactiva, & consequenter jure divino: si Remonstranticæ Theologiæ credimus. Hâc ergo notione si crediderit Wttenbogardus argumentum procedere, nec fides illius fuerit tunc merè σχόταρ@- seu τοῖς χαίροις δυλεύουσι, utique sibi & suis ingenuè nunc applicet, & consequentias nectat, quantas ipsi visum fuerit. 2. Sed terminorum ignorantia, aut ὁμωνυμία τ᾽ ἀνθρώπου virum transversum abripuit. Quid sit Potestas coactiva, & quantum interfit inter arma spiritualia & verbalia, quæ nos Ecclesię tribuimus, & inter carnalia seu realia, quæ Magistratui tribuimus; ut & inter Potestatem coactivam, quæ propriè & strictè appellatur jurisdictio cum imperio, qualem Papę & Episcopis tribuunt Pontificii; docent *Nostri Locorum communium Scriptores tit. de Disciplinâ ecclesiasticâ*, & ipse *Arminius Disputat. de Potestate Ecclesiæ &c.* Leidæ habitâ anno 1606. 29. Julii

2. In-

Digitized by Google

2. *Instantia.* Ministerialiter agere, hic revera idem est quod architectonicè regimen Ecclesiæ habere: quia immediatè sub Christo regunt Ministri. Deindè, & Magistratus sunt Ministri respectu Dei, nec tamen desinunt habere Potestatem architectonicam. *Apolog. Remonstr. fol.* 288. 6. *Resp.* Prius exceptionis membrum supra diluimus, & forte infra aliquid addendum erit. Ad posterius respondemus, Magistratus Potestatem esse dominantem & architectonicam respectu subditorum, Ministrorum verò & ecclesiæ esse merè ministrantem respectu membrorum. 2 *Corinth.* 1. 24. & 4. 5. 1 *Petr. cap.* 5. *vers.* 3. VI. *Object. ab absurdo.* Tum in eodem populo Deus duos haberet vicarios, seu locum tenentes: Sed hoc absurdum. Ergo. *Wttenbog. sect.* 2. *p.* 65. *Resp.* 1. *Negatur consequentia:* Nemo enim in spiritualibus est vicarius Christi, aut Dei, nec Ministri, nec Magistratus. Commentum hoc vicarii & vicariatus, Pontificum Romanorum parasitis, & Wttenbogardo relinquimus. Solos Legatos, Nuntios, Oeconomos, Servos, Scriptura agnoscit. 2. Minor non est absolutè vera. In eodem populo Judaico duo erant vicarii Dei, sed diverso respectu Cæsar scil. & Christus Rex Judæorum. *Instantia.* Atqui Magistratus mandatum & autoritatem à Deo accepit circa ecclesiastica. *Resp.* Rectè non tamen ut Dei ecclesiasticus vicarius, aut Christi in Ecclesiâ legatus (2. *Cor.* 5. *vers.* 20.) aut Minister verbi & Ecclesiæ. Est enim Potestas spiritualis vicariatus in solo Christo, qui quà Mediator & caput Ecclesiæ subordinatur Deo. Ministerii verò in illis qui per legitimam vocationem in hanc messem extrusi sunt. *Rom.* 10. 15. *Hebr.* 5. 4. 5. *Instantia* 2. Atqui Magistratus, ut respectu militiæ, est militatis, respectu scholæ scholasticus &c. sic respectu Ecclesiæ ecclesiasticus. *Resp. Neg. consequ.* non magis intrinsecè & formaliter ecclesiasticus est, quam respectu Maritorum maritalis: non enim ut militaris, scholastica &c. sic maritalis potestas directè subordinatur Magistratui; quia solus Maritus habet maritalem Potestatem in corpus Uxoris, 1 *Corinth.* 7. *vers.* 4 39. Competit ergo illi universalis, suprema & peculiaris quędam Potestas, propriè & formaliter politica scil. (non verò spiritualis aut ecclesiastica) circa res spirituales; non ut, aut quà tales, hoc est in se & per se; sed tantum respectu externi adjuncti, quod accidit rebus spiritualibus & ecclesiasticis, quatenus illæ publicæ sunt, & quatenus considerantur in Republicà admittendæ, & defendendæ; Insuper ut & quà connexæ & implicitæ ipsis sunt res & actiones externæ, hominis externi, cum omnibus adjunctis & circumstantiis: quatenus scil. spiritualia symbiotica in hoc mundo non possunt subsistere & peragi, sine personis, rebus, actionibus, adjunctis, & circumstantiis talibus, quæ directè & per se subjacent Potestati Magistratus. Et adversarius ibidem satis videtur distinctionem hanc admittere: *Non dico debere omnia illa administrare Magistratum per seipsum, sed curare, ordinare, disponere, dirigere.* Atqui

Digitized by Google

hoc nos volumus, ſiquidem intelligatur de diſpoſitione & directione non excludente publicam curam, autoritatem, τάξιν eccleſiaſticam, nec etiam ei ſe ſubſtituente; nec illi ſe immiſcente, aut cum illâ confundente; nec eam præcedente & prævertente (non ſunt enim Magiſtratus αὐτοκράτορες & ἀγράφους ecclesiaſtici, ſicut ſunt politici, & quidem dominantes ac ſupremi) ſed ſubſequente. 3. *Inſtantia.* Curat & dirigit eccleſiaſtica per tales Præfectos ſeu Miniſtros, quos idoneos ad hoc invenerit & quos in conſilium adhibere poteſt. *Reſp.* Non magis, quam Poteſtate, directione, imperio abſoluto & antecedente curat ac dirigit conjugium & actus conjugales, & rem familiarem quarumcunque familiarum per tales Viros, quales ipſi viſum fuerit; quos Fœminæ libero, proprio, & conjugali ſuo conſenſu ad hoc non elegerunt. VII. *Object. ab abſurdo:* Tum Miniſtri immediatè dependerent à Chriſto, eſſentque Concionatores Dei gratiâ; Sed hoc abſurdum. *Reſp. Neg. minor:* Quod ad ortum miniſterii, ſeu quod ad applicationem miniſterii ad ſuam perſonam, dependent externè ab Eccleſiâ & Electoribus ſuis; quod ad actum ſeu exercitium miniſterii, dependent primò & immediatè à Chriſto, ejuſque verbo: de quo contra Pontificios egimus in *Deſper. Cauſâ Papatus lib. 2. ſect. 2. c. 18.* Vide 1 *Cor.* 4: 1. Quod ſi in exercitio miniſterii abutantur Poteſtate ſuâ ἱεραρχικῇ, ſervanda eſt regula Apoſtoli, 1 Corinth. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſto.* Nusquam ex Scripturâ & Antiquitate eccleſiaſticâ probabitur formula illa Papiſtica: *N. N. Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus, &c.* nedum illa: N. *Dei & Principis aut patroni gratiâ, Concionator, aut Senior, Eccleſiæ* N. &c. *Inſtantia.* Ergo ſubtrahunt ſe Miniſtri autoritati Magiſtratus, & novum Papatum moliuntur: quam calumniam paſſim in ſteliteuticis ſuis ſpargunt *Remonſtrantes*, & cum iis *Grotius*; nec etiam hodie aera hæc Dodonæa in famoſis libellis tinnire deſinunt. Præiverant ipſis antehac Neutrales an Libertinici illi, qui ſub nomine Senatus Leidenſis a. 1582. remonſtrantiam quandam Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus traditam typis evulgatam ſparſerant. Quibus Synodus Hollandica Harlemi congregata ita tunc reſpondit, ut plane depuduiſſe videantur, qui hodie talia recoquunt. Sed nimis infulſa hæc conſequentia. Perſonas, bona, actiones ſuas etiam eccleſiaſticas (quatenus externum hominem & politiam attingunt) Poteſtati Magiſtratus Reformati omnes ſubjiciunt. An quid præterea requirunt? Maritus à Deo & conſenſu mutuo conjugium ſuum derivat ac ſuſpendit, nec Principi ſuo vel minimam particulam Poteſtatis maritalis attribuit, nec eam tanquam Vicarius aut delegatus, aut Miniſter Principis exercet, aut directè Poteſtati Politicæ ſubordinat: non tamen ſe & Poteſtatem maritalem (quatenus illa bonum ſymbioticum & communitatis politicæ attingit) architectonicæ Poteſtati, directioni, juriſdictioni Principis ſubtrahere dicendus eſt. VIII. *Obj.* Sequeretur Miniſtros

Digitized by

ſtros in Eccleſiâ eſſe primos, & regere Eccleſiam Poteſtate primâ ſeu antecedente; Magiſtratus verò eſſe ſecundos, ſeu poſteriores Miniſtris, & regere Poteſtate conſequente. Sed conſequens abſurdum. *Reſp. Neg. minor.* Si Poteſtatem intrinſecam & publicam communitatis eccleſiaſticæ intelligis, illa eſt proprie antecedens; & Miniſtri reſpectu illius ſecundum ordinem divinitus ſancitum quique pro ſuâ parte, ſunt primi & anteceſſores: dicuntur enim & ἡγούμενοι & ἐξηγοῦντες, quos reliqui omnes Chriſtiani etiam Magiſtratus debent ſequi in fide, pietate, quatenus ſcil. illi ſequuntur Chriſtum. Sin vero intelligis Poteſtatem externam objectivam, ſeu politicam circa eccleſiaſtica; ea quamvis ordine ſequatur & præſupponat formalem ſeu intrinſecam Poteſtatem eccleſiaſticam ejuſque exercitium, tamen in ſuo genere eſt prima, & antecedens, immo eſt ſola & ſolitaria (ſi accurate loquamur); non enim præcedit aut comitatur aut ſequitur eam alia Poteſtas publica ſuprema architectonica; ſed tantum comitatur & ſequitur eam omnium civium (etiam eorum, qui membra ſunt Eccleſiæ) obedientia & ſubjectio, ut & Poteſtas ſubordinata ac miniſterialis Præfectorum ſeu Miniſtrorum politicorum. Quod ſi caſus ille incidat qualis *Daniel.* 3. & 6. *Actor.* 4. ut obediendum ſit Deo magis, quam hominibus; tum Miniſtri Eccleſiæ, omneſque fideles obedientiam ſuam, præmiſſâ reſiſtentiâ negativâ, implent ſecum habitando, aut fugiendo, aut quævis patiendo quæ declinare atque effugere nequeunt. Prudentiæ & fortitudinis Chriſtianę vox eſt pro Poteſtate & Regimine eccleſiaſtico à ſynodo utraque Hollandię a. 1582 emiſſâ in ſcripto Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus tradito, & ſimul publicato, cui tit. *Reſponſum Miniſtrorum & Seniorum Eccleſiarum in Hollandiâ, nuper congregatorum in civitate Harlemenſi* &c. in fine.

„ Similiter & nos declaramus nihil aliud nos velle, quam ut Regimen ec-
„ cleſiaſticum, ſicuti ſpirituale eſt, ita etiam totum & indiviſum maneat pe-
„ nes Eccleſiarum Paſtores & Inſpectores; & ne Viris politicis, immo & illis,
„ qui ſatis profitentur ſe non eſſe reformatæ religionis, via muniatur (aut ſter-
„ natur) ad indebitam juriſdictionem & magiſterium ſupra Eccleſiam: quod
„ non magis ſuſcipere poſſemus quam Papalem tyrannidem, & mallemus rur-
„ ſum in abdito repere, ut liberâ conſcientiâ fruamur eo, quod Anabaptiſtis in
„ falſa ipſorum religione non negatur. Poteſt hic ordo ſimilitudine illuſtrari. Conjugia contrahuntur & ſunt in Republicâ, cum & ſub approbatione, directione, judicio, confirmatione, defenſione autoritatis publicæ & architectonicę, quæ eſt penes ſolum Principem aut Magiſtratum. Conſenſus facit conjugium Caji & Sejæ. Hic formalis conſenſus, aut Poteſtas conſentiendi intrinſeca, prima antecedens, nec in totum nec ullâ ex parte tribuitur Magiſtratui, ut nec Poteſtas conjugalis in uſu conjugii, nec Poteſtas prima & antecedens deſpiciendi idoneam conjugem: ſed tantum partibus contrahentibus.

Quid

itized by Google

Quid ergo competit Magiſtratui? Primo conſenſus & approbans & conſequens. *Deinde*, Poteſtas objectiva ſeu extrinſeca & directiva circa Poteſtatem conjugalem ejuſque conſtitutionem & uſum: Breviter Poteſtas politica circa conjugalem tum conſenſum tum Poteſtatem, realiter ab illâ diſtincta. Quis ergo habet Poteſtatem maritalem formaliter ſic dictam? ſolus Maritus, non Rex aut Senatus: niſi rancidum & belluinum illud jus primi concubitus cum ſponſis ſeu novè nuptis propriorum hominum (quale olim uſitatum fuiſſe apud Scotos, Weſtphalos, Gallos teſtantur *Scyneus de legibus Scotorum*, *Huſanus de Servitutibus Germanorum*, *Bruelius in deſcriptione Pariſienſi*) reductum aut introductum quis vellet. Uter ergo antecedit & primus eſt conſenſus & uter ſubſequens ac ſecundus? Ille antecedit, quia formaliter facit matrimonium; iſte verò ſubſequitur, & initum matrimonium approbat, confirmat, & autoritate publicâ defendendum ſuſcipit. Hæc applica ad res eccleſiaſticas nominatim ad Cenſuras, membrorum receptionem, Miniſtrorum vocationem, Eccleſiarum unionem, ſeparationem, ſyncretiſmum, ad communis & eccleſiaſticæ doctrinæ formulas, nec non ad litturgias, agendorum ſacrorum τύπους conſtituendas, ad eccleſię in doctrinâ aut moribus reformationem. IX. *Object.* Tum Magiſtratui Chriſtiano, & Eccleſiæ nutritio nullum aliud jus competeret, quam cuivis infideli: Atqui hoc abſurdum. *Reſp. Neg. minor.* Ut fideli competit illi in ſpiritualibus, quod cuicunque Eccleſiæ membro; quia eſt ſacerdos & homo ſpiritualis qui judicat omnia 1 *Cor.* 2. cum 1 *Petr.* 2. Ut Magiſtratui nihil ratione publicæ & architectonicæ Poteſtatis illi competit, quod non & omni Magiſtratui conveniat: quia Poteſtas politica eadem ſpecie eſt penes Principem infidelem, & penes fidelem; & quidem circa ſcholaſtica, militaria, eccleſiaſtica &c. Eſt enim unà & uniformis, nec multiplicari poteſt. Ut nutritio, patrono, fautori eximio ſupra pleroſque alios Magiſtratus, aut ut eruditiſſ. ac piiſſimo theologo (qualis e. gr. Morneus Pleſſiaci dominus) ſi quid pręterea alicui aliquando tribuatur, id voluntariæ conceſſionis eſt, non juris. Eſſentia enim & forma juris (uti omnis forma rei) in indiviſibili poſita eſt, nec admittit magis, aut minus. Gratia fidei, ſi accedat ad Poteſtatem Magiſtratus infidelis, nec ponit, nec tollit, nec intrinſecè & eſſentialiter mutat naturam rerum, aut jura naturalia. Habent enim ſe ad invicem merè per accidens: quia unum non eſt de ratione alterius, nec ad illud eſſentialiter aut neceſſario pertinet. *Inſtantia* 1. Atqui ut conjugium, ſic & dominium quodcunque ſive directum ſive utile, breviter Poteſtas omnis in Oeconomiâ aut Politiâ ſanctificatur per fidem, & in fidelibus aliam quandam quaſi formam nanciſcitur. *Tit.* 1. 15. 1 *Timoth.* 4. 3. 5. 1 *Corinth.* 3. 21. 22. & 11. *v.* 3. *Epheſ.* 6. 5. 7. *Reſp.* 1. Jus ipſum eſſentialiter & in ſe conſideratum manet unum idemq;, quippe quod nec fundetur in gratiâ, nec dependeat à Chriſto Mediatore quà tali. Ut enim gratia

Digitized by Google

gratia non est de essentiâ seu ratione formali Potestatis maritalis, aut patriæ, aut herilis, aut politicæ: sic etiam ei intrinsecè nihil addit, nedum ut aliam ejus formam constituat; sed tantum gradu quasi eminentiæ & pulchritudinis eam exornat & auget (uti, Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:) Atqui magis & minus non variant speciem; nec additamentum aliquid aut cum re conjunctum, mutat intrinsecam rei naturam. Quidquid ergo hinc infertur, committitur fallacia accidentis. In foro & jure spirituali atque interno conscientiæ coram Deo infidelis nec circa ecclesiastica, nec circa quæcunque bona hujus mundi Potestatem habet: sed in foro externo, secundum jura naturalia gentium & civilia non minus justum ad ea titulum habet, quam fidelis. Sic Herus, Pater, Maritus, Rex infidelis aut apostata habent omnem Potestatem herilem, patriam, maritalem, regiam.

Instantia 11. Christus est caput Regis, aut Heri, aut Mariti fidelis. *Resp.* Non quà Rex aut Maritus est, sed quatenus est membrum Christi: Et sic Rex est caput Subditorum, & Maritus Uxoris; non quà sunt fideles, seu membra Christi, sed quà Cives, & Uxor. Neque enim dici debet Fœminam quà membrum Ecclesiæ habere duo capita, Christum, & maritum. Est ergo subordinatio hæc Potestatum planè sophistica & fallax, 1. Christus, 2. Rex seu Maritus fidelis. 3. Christiani subditi, seu Uxor. Miscentur & concatenantur ea quæ sunt per se talia, cum iis quæ sunt per accidens: ea quæ directè & per se subjiciuntur & objiciuntur alicui Potestati, cum iis, quæ per accidens & propter aliud: quomodo Legatus subjectus est Potestati publicæ (ubi moratur) sed non pari aut eâdem relatione quâ alii cives: circa hos enim per se & quà tales versatur Potestas; circa Legatum autem non quà talem (nam sic per se subordinatur principali suo, & quod ad mandatum & quod ad Potestatem legatoriam; & ab illo solo immediatè dependet); sed per accidens, seu ratione externi adjuncti, propter res & actiones istius Legati sive communes sive speciales, hic & nunc, in territorio scil. isto, per quod transit, aut ubi legatione fungitur, quæ directè attingunt Potestatem Magistratuum istius loci. 12. *Object.* Ergo Magistratus Potestas architectonica esset subordinata Ministris Ecclesiæ, & consequenter non esset Potestas suprema sub Deo. Atqui hoc absurdum. *Resp. Neg. consequentia.* Magistratus ut subditus spiritualis Christi seu quod ad actus externos Christianismi subordinatur & subjicitur Christo tanquam Capiti Ecclesiæ: & Pastori tanquam ejus Ministro, & Legato; Potestati Pastorum ministeriali, à quâ tanquam directivâ Potestate dependet; communitati ecclesiasticæ, ejusque repræsentamini, tanquam matri spirituali, *Hose.* 2. *vers.* 1. cum *Galat.* 4. *vers.* 26. & *Matth.* 18. *vers.* 17. Idem verò quà Magistratus, seu quod ad supremam Potestatem sive circa negotia sæcularia, sive circa ecclesiastica, nulli Potestati, nulli ministerio tanquam potestativè

tivè ac peremptoriè dirigenti per ſe ſubordinatur: quamvis Miniſtri Magiſtratui (ſi res ita ferat; imprimis ſi ipſe poſtulet) conſiliis ſuis inſervire queant. Judicium approbans & diſcretionis, quod præcedit politicam determinationem & executionem Magiſtratus, dici poteſt ab antecedenti & publico definitivo Eccleſiæ judicio pendere non abſolutè, ſed conditionaliter, ſiquidem cum verbo Dei conveniat: haut aliter ac judicium diſcretionis quorumvis fidelium. XI. *Object.* Tum nihil plus juris competeret Magiſtratui in publicam religionem, quam ipſe tuetur, quam in alios ſegreges cœtus. Atqui hoc abſurdum. *Reſp. Neg. minor.* Immo retorquemus, abſurdum eſſe, ſi minus libertatis concedatur fratribus, quam alienis & adverſariis; ſi Eccleſia clandeſtina, aut tanquam privatim tolerata majori & meliori ordine ac Poteſtate fruatur, quam publicâ autoritate munita; ſi ab hoſtibus aut neutralibus minus rapiatur Poteſtas ipſius, quam à domeſticis & ejuſdem fidei conſortibus. XII. *Object.* Tum nihil videtur differre ſententia hæc à Pontificia, nominatim à diſputationibus eorum contra primatum Regium ſeu ſuperioritatem in Angliâ; & *jurare auſint* (ut loquuntur Apolog. c. 25. fol. 300. 6.) *neminem ſani cerebri reclamaturum*, ſiquidem verba noſtrorum videantur. *Reſp. Neg. conſequentia.* Nam 1. *Magiſtratus* tanquam dominus quippe Poteſtate ſcil. dominante inſtructus tuetur Eccleſiam, ſecundum nos: tanquam Papæ Miniſter tantum, ſecundum Pontificios. Sic *Becanus tract. de Primatu*, à *Remonſtrantibus ibid. fol.* 301. citatus. 2. *Magiſtratus* quà Chriſtianus judicat judicio conſequente ſeu diſcretionis, an ſcil. velit approbare antecedens & objectum ſeu oblatum ſibi judicium eccleſiaſticum, ſecundum nos: Sed Eccleſia ſola judicat judicio ſupremo, definitivo & infallibili; quod ſimpliciter & fide implicitâ Magiſtratus æque ac privati tenetur amplecti, executioni mandare, abſque ullo præcedente judicio diſcretionis ſuper judicio Eccleſiæ; ſecundum Pontificios. Credulitatem, fidem implicitam, cœcam obedientiam, requirunt. Vide *bullam Innocentii VIII. apud Cherubinum in compendio bullarii pag.* 78. Sic *Becanus ibid.* 3. *Magiſtratus*, quà talis ſolus judicat publico, politico, ac ſupremo judicio, an judicia & negotia eccleſiaſtica velit approbare & defendere; an verò tolerare tantùm: an denique nec approbare nec tolerare; & conſequenter an & quomodo ſuam ſive approbationem, ſive tolerantiam, ſive contrarium ejus publicâ autoritate velit confirmare, tueri, executioni mandare; ſecundum nos. Contra gladium debet ſtringere ad nutum ſacerdotis, & eſſe cœcus decretorum Eccleſiæ executor, quotieſcunque Eccleſia ita judicaverit expedire; ſive res & rationes Reipublicæ ferant, ſive non ferant; ſecundū Pontificios. 4. *Magiſtratus*, ſiquidem in conſequente judicio diſcretionis erret, atque adeo Poteſtate ſuâ architectonicà circa res Eccleſiaſticas abutatur; tamen titulo Poteſtatis illius gaudet jure divino & humano, nec poteſt Eccleſia quà talis reſiſtere, autoritatem ejus imminuere, nedum

nedum illi titulum & Poteſtatem abrogare: Arma ejus ſunt preces & lacrymæ, & tantum patiendo ſe opponit; ſecundum nos. Contra ſtatuit Papatus, Eccleſiæ directam, aut ſaltem indirectam in ordine ad ſpiritualia competere Poteſtatem, quâ Magiſtratus judicio ipſorum Poteſtate ſuâ abutentes in ordinem redigant, ſive per proprios ſubditos (quos à juramento fidelitatis abſolvunt) ſive per Principes vicinos; prædæ aut exſtirpationi ditionibus eorum expoſitis. 5. Pręter coactivam Poteſtatem Magiſtratus nullam aliam eſſe in Republicâ, ſive penes Eccleſiam, ſive penes curias Epiſcopales &c.; Pręterea Excommunicationes & cenſuras eccleſiaſticas nihil ſtatuere in hominem externum ejuſque bona, jura, dignitates; nihil etiam detrahere politicæ Poteſtati Magiſtratus circa ſacra. Contraria omnia hic ſtatuunt Pontificii. 6. Denique credunt reformati Magiſtratum eſſe epiſcopum eorum quæ extra ſunt (ἐκτὸς ἱερῶν), & eccleſiaſticos eſſe Epiſcopos eorum quæ intus ſunt (ἐντὸς ἱερῶν) in Eccleſiâ, ut optimè diſtinguit Conſtantinus apud *Euſeb. in ejus vitâ lib.* 4. *c.* 24. At hoc Pontificii, ſiquidem hypotheſibus ſuis de Poteſtate Papæ inhæreant, reipſa negant. *Inſtantia.* 3. Si Magiſtratus nec ſubſequente theologico diſcretionis judicio approbet ſententiam Eccleſiæ; nec politicâ autotitate eam confirmet & exequatur, ſed potius contrarium faciat; an non eccleſia judicabit de illo judicio & facto Magiſtratus, & conſequenter ſubordinabit definitivo ſuo judicio totam Poteſtatem Magiſtratus? *Reſp.* Non ſubordinabit; ſed poſt omnia fruſtra tentata judicabit, (ſiquidem tanti ſit negotium,) Magiſtratum nomine fratrem, ſed revera apoſtatam & religionis hoſtem, habendum tanquam ethnicum & publicanum: quomodo in causâ Juliani Apoſtatæ, Valentis, Conſtantis, aliorumque Arrianorum faciendum fuit. Breviter diſtingue publicum Eccleſiæ judicium antecеſſorium, ἡγεμονικὸν & directivum in rebus fidei; à privato, ſubſequente, & approbante judicio ſingulorum fidelium; ſive Principes aut Proceres ſint in politiâ, ſive privati cives. Rurſum diſtingue judicium politicum & antecеſſorium Magiſtratus circa ſacra admittenda aut defendenda in Republicâ ſuâ, à judicio privato, ſubſequente, approbante quorumvis privatorum civium, ſive illi fideles ſint intra, ſive infideles extra eccleſiam. An autem judicium ἡγεμονικὸν & antecеſſorium eccleſiæ debeat eſſe publicum & eccleſiaſticum in formâ, an verò privatum & ſingulorum, item an repudium pacis, etiam anathema per excluſionem & dimiſſionem ex ſocietate Eccleſiæ, an verò per ſeceſſionem, ſeparationem, aut fugam denuntiandum pro ratione rerum, temporum, & locorum, prudenter deſpiciendum eſt. Cæterum, omnia adverſa, omnis ἀνωμαλία, & tyrannis politica, aut fugienda ei, cui fugere licet, (de quo caſu infra *Part.* 2. *cap. de Confeſſione & Martyrio*) aut patienter toleranda. Et ſic Poteſtas Magiſtratus nulli ſubjicitur, nec hilum imminuitur: ſed membrum Eccleſiæ, quod legibus Chriſti in baptiſmo

ptiſmo & profeſſione fidei ſuſceptis amplius ſubjici non vult, ſeparatur, aut deſeritur ac judicio Dei relinquitur. *Inſtantia* 2. Primatum Anglicanum juxta cum Papiſtis tolli; aut ſi ita explicetur, ut quidem ex noſtris *Walæus* explicat, *libr. de Poteſtate Magiſtratus pag.* 116. 117. tum nullum ſtatum controverſiæ conſtitui poſſe inter Papiſtas & Theologos Anglicanos; & hærere noſtros in eodem luto cum Papiſtis. *Sic Remonſtr. in Apolog. p.* 301. *Reſp.* 1. Quidquid de primatu ex *Becano* hic differunt, controverſiam noſtram non tangit: Alia enim ratio eſt Regni Anglicani, ubi tempore Papatus negotia Regis & eccleſiaſtica miſerè erant confuſa; quin & Papa tributarium ſibi fecerat hoc Regnum; nonnulla tamen peculiaria privilegia & regalia Regi remanſerant, aut à Papâ erant conceſſa; de quibus pluribus *Henr. Salcobrigienſis* theologus Anglus in tract. anno 1616. contra Jeſuitam Becanum emiſſo, cui tit. *Becano - baculus Salcobrigienſis.* Non mirum ergo eſſet, ſi tempore Henrici VIII. duro huic nodo durus fuiſſet quæſitus cuneus, ad excludendam omnem extraneam Poteſtatem. 2. Noſtri cum primatum ita explicant, faciunt id exemplo præſtantiſſ. Theologorum in Britanniâ: inter quos ſunt præter nominatos à *Becano in tract. de Primatu*, & *in Manuali*, *Rob. Abotus in tract. de Poteſtate Regiâ*, & *Davenant. in tract. de Judice Controverſiarum*, & *Raynoldus de Idolol. in præfat. p.* 20. Non enim video explicari ab illis primatum de Poteſtate eccleſiaſticâ intrinſecâ formali, ſed de extrinſeca, objectiva, ſeu defenſiva circa eccleſiaſtica. Accedit, quod Epiſcopis Poteſtas regiminis, & juriſdictionis illic competat: & quod explicatio hęc optimè conveniat eccleſiaſticis canonibus in Synodo Londinenſi anno 1603. conſtitutis, & Regiâ autoritate confirmatis *cap.* 1. & 2. Quin & ſereniſſ. magnę Britanniæ rex Carolus I. declaratione publicâ ſignificârit epiſcopalem Poteſtatem à Regiâ non derivari. 3. Nomen *capitis*, & *primatus*, explicant & emolliunt dicti Theologi: & ipſe *Rex Jacobus in Apologiâ pro juramento fidelitatis. Raynoldus in colloquio cum Harto cap.* 10. ſiniſtram interpretationem tituli *capitis Eccleſiæ Anglicanæ*, & *ſuprematus Regii*, quaſi eo Regibus tribueretur, quod à Papiſtis Papæ Romano, tanquam Pontificiorum calumniam in ſereniſſ. Angliæ reginam Elizabetham, ita refutabat, ut & antę eum fecerat *Novellus contra Dormannum* ibid. citatus, ut Hartus candidè faſſus ſit ſe doctrinam Anglorum reformatorum, hâc in parte, perperam accepiſſe, ſeque plane „ cum iis conſentire. Equidem, inquit *Hartus cap. cit.* credideram, atque ita „ illud multi interpretantur, *(Alanus* ſcil. & *Stapletonus lib. 5. princip. doctr. c.* „ 17. & 88.) tantum vos principi *ſupremæ poteſtatis* titulo voluiſſe adſcribe- „re, quantum nos Pontifici. Quum tamen nihil amplius mihi videmini ex „ Novelli verbis adſcribere, quam quod *S. Auguſtinus (contra Creſconium gram-* „ *mat. lib.* 3. *cap.* 51.), qui dicit: *In hoc reges Deo ſervire, in quantum reges* „ *ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant: non ſolum quæ pertinent ad* „ *huma-*

Digitized by Google

„ *humanam societatem, verum etiam quæ ad divinam religionem.* Et hactenus ego subscribo. Quod certè à tam docto theologo Pontificio dictum non fuisset, siquidem nostri *capitis & supremati*us titulo architectonicam intrinsecam & formaliter dictam Potestatem ecclesiasticam, cum exclusione clericorum ab eàdem, Regibus Anglicanis attribuissent. Fr. à S. Clarâ ex ordine Minorum non plus illis titulis asseri dicit, quam quod ubivis *terrarum Reges Christianissimi & Catholici hodie factitant, præsertim si attendatur ad expositiones Anglorum in hunc articulum; nullam utique jurisdictionem spiritualem Regibus concedere, sed gubernium civile & temporale, indirectè & per accidens in personas & causas prædictas ecclesiasticas extensum.* Sic ille in libro, cui tit. Deus, natura, gratia pag. 42. edit. Lugdun. 1634. *Calvinus in dedicatoriâ præfat. ad Eduardum & Elizabetham comment. in Jesaiam* præfixâ, Potestatem illam Regibus Angliæ, & *lib. 4. Instit. c.* 20. Regibus omnibus tribuit, quam, & non aliam, titulis illis designari *Raynoldus* coll. cum *Harto cap.* 10. interpretatur. Qui tamen ibidem fatetur *Calvinum in commentar. ad Amos. 7* reprehendisse titulum illum *capitis Ecclesiæ*, sed addit & probat ex verbis Calvini, reprehensionem illam directam fuisse in titulum, prout ille à Gardinero episcopo Wintonienſi explicabatur. Raynoldi vestigiis insistens *Rivet. in Jesuitâ Vapulante cap.* 30. titulum illum hoc „modo exponit: Nil monstrosi est si Regina &c. non quà fœmina, sed quà sum„mus Magistratus curam Ecclesiæ gerat, & *eorum quæ extra sunt* etiam regi„men suscipiat? Sed ne quis excipiat, quod Fr. de S. Clarâ, Raynoldum fuisse Puritanum, advocemus interpretationes Anglorum qui ipsi Episcopi aut Episcopatui faventes causam hanc contra calumnias & insultationes Pontificiorum defenderunt. *Richardus Cracanthorp* Regis Jacobi sacellanus *in defens. „Eccles. Anglic. contra Marcum Antonium de dominis cap.* 84. §. 8. Imperialis „est ipsorum (Regum scil.) Potestas, non *Pontificalis*; *coactiva* est, non *dire„ctiva* aut *definitiva* in causis fidei; *mandatoria* est, non *executoria*. *Ibid.* §. 13. agens de publicis colloquiis seu disputationibus super dogmatis contro„versiis: Indices, inquit, id est ordinis *præsides* ac *moderatores* vel Episcopi vel „laici esse possunt. Judicio *discretivo* & qui disputant, & qui præsentes adsunt, & qui gesta legunt, judicant omnes. Judicio *definitivo* non alii quam verbi Ministri, & in Synodo generali *soli episcopi*. Vides Potestatem ecclesiasticam intrinsecam, definitivam, directivam regio supremati minimè adscribi, eumque sic & non aliter à calumniis Spalatensis Sanderi, Bellarmini, Parsonii, Eudæmonis Johannis, Becani ibid. citatorum vindicari. *Henricus Salcobrigiensis in Becanobaculo, ad cap.* 6. §. 11. *libelli Becanici*, quem contra Graseri plagam Regiam anno 1610. conscripserat, cum primatum regium in generali & particulari pluribus probâsset, servatâ distinctione Constantini de episcopatu ἔσω & ἔξω, quam pag. 122. ex Euseb. lib. 2. de vitâ Constantini cap. 24. ibidem adducit,

Digitized by Google

tandem ex ipsius Becani concessione in *tract. de Primatu Regis Angliæ cap.* 8. Becanum confundit, & pro primatu regio concludit pag. 175. O *magnam veritatis vim & hîc sanè prævalentem, quâ ipsum in hâc causâ adversarium, hujus causæ patronum nacti sumus egregium! hoc pro certo scias Becane, sereniss. Jacobum non alium omnino ecclesiæ primatum sibi vendicare, quam Reges illi, qui, uti loqueris, laudantur in sacris literis*, &c. *Robertus Burhillus pro Torturâ Torti contra parallelum Andreæ Eudæmon Joannis pag.* 269. contendit suprematum regium à Puritanis non negari (quod ajebat adversarius), sed ipsissimum ab Episcopalibus assertum concedere. Jam vero constat Puritanos (quos ita vocant) minimè accipere & explicare suprematum regium, quomodo Remonstrantes, Erasti sectatores, Grallatores, & similes, Potestatem Magistratus in sacris. *Idem ibid. in appendice c. Becanum pag.* 282. ait minus tunc explicatione titulorum *suprematus* & *capitis* tributum non fuisse Regi Jacobo, (quod adversarius objiciebat) ac antehac Henrico 8. Eduardo, Elizabethæ: quamvis *ob loquendi proprietatem discederent ab usu aliquo sermonis, minimè tamen à sententiâ* &c. *nec aliud velle eos, qui regis primatum vocant spiritualem, nec omninò de re ipsâ ullum inter nos esse dissensum: etsi ob cavillationes & calumnias adversariorum opus jam tandem sit, ut cautius loquamur.* Et paulo post, tandem animadvertimus, *regiam potestatem in Ecclesiam potius dicendam temporalem in spiritualibus, quam spiritualem.* Quomodo Bellarminus c. Barclayum cap. 12. §. 3, *quando propriè loquimur, dicimus Pontificem habere Potestatem in temporalibus; non autem habere Potestatem temporalem quà Pontifex est. Lancel. Andreas* episc. Wintonienſis *in Torturâ Torti pag.* 379 exponens „primatum regium, adversario Calvinum objicienti sic obloquitur: Calvinus „nobiscum, & nos cum illo sentimus ejusdem esse in Ecclesia Christianâ Re„gis *Jacobi* partes, quæ Josiæ fuerunt in Judaicâ, neç nos ultra quidquam fie„ri ambimus. *Ibid. pag.* 382. Postremo &c. id postulat Rex, ut Episcopus sit „τῶν ὅλων τὸς, quod Constantinus ut *rector religionis*, quod non modo *Carolus* „*Magnus*, sed & *Ludovicus Pius.* Confer *pag.* 380. Vestrum, inquit, illud „(quod ad primatum Pontificium propriè pertinere dicitur) *docendi munus* „*vel dubia Legis explicandi*, non assumit &c. non vel clavium jus vel censuræ „&c. procul hæc habet Rex &c. *Franc. Masonus in vindiciis Ecclesiæ Anglicanæ lib.* 3. *cap.* 3. strenuè negat Regem vi suprematus *supremum & proprium in fidei controversiis cognitorem & judicem* esse, aut à quoquam nostrę religionis in Anglia unquam agnitum fuisse. Ibid. pag. 272. addit. *Pastorum est dubia legis explicare, Regum vero veritatem cognitam promulgare, ex subditis cujuscunque sint ordinis, imperare.* Et cit. epistolâ 166. Augustini, phrasi ejusdem concludit: *Hoc scil. est Regum munus in rebus ecclesiasticis, pro veritate iubere*, Ibid. cap. 3. pag. 279. *Verum ubi Sacerdotes his omnibus perfuncti sunt* officiis tum *demum Rex*,

Rex, quæ illi ita judicârunt, præscripserunt, docuerunt, monuerunt suaserunt, edictis suis & legibus sancit, pœnasque violantibus &c. constituit. Davenantius episcopus Sarilburiensis *tract. de judice controvers. capp.* 14.—17. accuratè distinguit inter publicum judicium Ecclesiæ *directionis sive instructionis*, quod Pastoribus & Doctoribus; & *coërcitionis spiritualis*, quod Episcopis; & *externæ seu corporalis coërcitionis*, quod supremo Gubernatori, hoc est, Magistratui civili attribuit, Ibid. pag. 92. ait ad ecclesiasticos & doctores pertinere *ceremonias utiles & decoras excogitare* &c. *controversias theologicas disceptare, definire, atque quid orthodoxum, quid hæreticum sit docere*: sed *opus esse regiæ Potestatis, hanc orthodoxam fidem cum imperio coactivo ab omnibus suscipiendam, atque hæreticam prævitatem rejiciendam judicare*. Samuel Wardus in determinationibus theologicis, tit. *Regis in regno suo suprema est sub Deo Potestas*, pag. 105. *Nos non dicere Regi inesse Potestatem ecclesiasticam sive ordinis, sive jurisdictionis in foro interiori aut exteriori; hæc enim solis ecclesiasticis subjectivè inest: sed Potestatem in ecclesiasticis, eo modo, quo Romanenses dicunt Papam non habere Potestatem temporalem, sed Potestatem in temporalibus.* Jacobus Usher archiepisc. Armachanus *in oratione habitâ in camerâ Dublinensi* 22. *Novembr.* 1622. (quam unà cum opere elenctico adversus Jesuitam Hybernum & nonnullis concionibus edidit a. 1631. in 4.) pag. 3. ita defendit juramentum fidelitatis, quod dictabat *Regem esse unicum supremum gubernatorem in hoc regno* &c. ut distinguat, *Duas distinctas Potestates in his terris à Deo stabilitas*: quarum una *sit clavium* demandata Ecclesiæ, *altera gladii* demandata civili Magistratui. *Illa ordinata ut operetur circa hominem interiorem*, habens *immediatam relationem ad remissionem aut retentionem peccatorum* Joh. 20. 23. *Ista ordinata, ut operetur circa exteriorem hominem; protectionem præstans obedientibus, & externas pœnas infligens rebellibus & inobedientibus.* Quod *ibidem* explicat ac probat. Et pag. 6. per prolepsin sic respondet: Et *quamvis hâc ratione & Principem & Sacerdotem faciamus suo quemque loco custodes utriusque tabulæ: Licet enim materia, in quâ munus suum exercent, possit esse eadem; est tamen forma & modus gubernandi in eâ, omni modo distinctus. Unum extendit se tantum ad externum hominem, alterum ad internum: unum solvit aut ligat animam; alterum attendit ad corpus, & res eò pertinentes: unum specialem respectum habet ad judicium futuri sæculi; alterum respicit præsentem retentionem aut privationem aliquot hujus vitæ commoditatum.* Ibidem addit, sicuti *spiritualis seu ecclesiastica gubernatio* exercetur in causis *civilibus seu temporalibus*; sic & *civilis gubernatio* in causis *spiritualibus seu ecclesiasticis.* Et paulò post: *Admittendum ergo absque contradictione sæcularem Magistratum exercere partem civilis suæ gubernationis in puniendo crimine, quod propriâ suâ naturâ est spirituale aut ecclesiasticum:* quale e. gr. est hæresis, ab ipso *ibid.* notata. Rursum *pag.* 7. occurrens exceptioni Pontificio-

Digitized by Google

tificiorum, declarat, juxta communem ſententiam & publicam autoritatem Eccleſiæ Anglicanæ, per Regis gubernationem ſupremam, intelligi *civilem* & *poteſtatem gladii*; nec poſſe ullo modo extendi, ad gubernationem, quæ merè ſit alterius generis. Non video quid punctius in explicatione ſuprematus regii, ſalvâ Poteſtatis eccleſiaſticæ à politicâ diſtinctione, contra Pontificios, Eraſtianos, Remonſtrantes, Grallatores, dici poſſet: ita ut, ſi quæ ab uno atque altero (ſcil. Gardinero, Mucketo apud *autorem altaris Damaſceni pag.* 4. & 5.) minùs cautè aut nimis adulatoriè amplificata ſunt, ad has lineas revocanda videantur. Præſertim cum ipſe ſereniſſ. *Rex Jacobus, peculiari epiſtolâ* 11. *Januar.* 1522. *ad autorem ſcriptâ*, orationem hanc approbârit, eumque ob *juſtam ſuam & legitimam tam multâ eruditione & ratione defenſam Poteſtatem* declarârit, *regiam & gratioſam ſuam euchariſtiam promeritum eſſe*, &c. Regiam hanc ſententiam idem ſereniſſ. *Rex* anno 1609. *in apologiâ pro juramento fidelitatis*, ubi ſub finem laudat tract. Anglicum, de *vero diſcrimine inter Poteſtatem regiam & eccleſiaſticam.* Et in præmiſſo ſyllabo mendaciorum Torti §. 1v. reſpondet, controverſum *ſuprematum* à *Calvino* probari *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 20. Jam vero neminem latere poteſt, quæ fuerit Calvini ſententia; & conſequenter, quomodo accipiendus ſit *ſuprematus* Anglicanus. Ut finem faciam, decretum totius cleri convocati Londinum anno 1562. (ad quod Uſsherus ibid. p. 8. provocat), declarat *ſuprematus* ſeu *ſupremæ gubernationis titulo ſereniſſ. Reginæ tributo, nihil aliud denotari, quam prærogativam in ſacris literis ab ipſo Deo principibus tributam, hoc eſt, ut omnes ſtatus & gradus hominum à Deo ſibi commiſſos ſive temporales ſive eccleſiaſticos gubernent: & refractarios ac maleſactores civili gladio coërceant.*

6. Ad autoritates & exempla, quæ objici ſolent iſtos indicamus fontes. 1. Omnia eſſe humanę autoritatis, & ſic nullam facere demonſtrationem in Theologiâ. Et certę bonę cauſæ ſignum non eſt, ſi quis factis & exemplis humanis, tantum aut pręcipuè, non lege aut jure divino pugnet. 11. Pręterea aut eſſe meras uſurpationes & ἀπάτας, hominum ambitioni, mundanis reſpectibus, & injuriæ temporum imputandas, 111. Aut eſſe meras conceſſiones ex caritate & reverentiâ, ſi non voluntarias tranſactiones ad majus malum evitandum; quomodo quis volens & ſciens merces in mare projicit, ut vitę ſuæ conſulat. 1v. Aut eſſe corruptelas Papiſticas, à factione Antichriſtianâ profectas. Cum enim Papę invaderent jura eccleſiaſtica & politica; Principes ſubinde quaſi lege talionis jure repreſaliorum, & jure belli, quæcunque poterant ad ſe trahebant: applaudentibus ſępe eccleſiaſticis, qui quâcunque ratione Papalibus harpyis quid præripi aut eripi gaudebant. v. Canones, ſi qui afferuntur, ſunt Conciliorum tantum particularium, & quidem ſequiorum ſæculorum (nulli enim ex primâ antiquitate) qui reſpiciunt conditiones & commixtiones aut combi-

combinationes (ut tunc erant tempora) particulares rerum & causarum ecclesiasticarum cum Politicis, in Hispaniâ, aut Galliâ, aut Britanniâ, aut Imperio Germanico, &c. Quibus canonibus & alii paris, immo majoris autoritatis opponi possunt. Ostendimus istas lunares in ecclesiis vicissitudines, infra *Part.* 2. ubi *de Vocatione Ministrorum.* Hinc ergo nullum perpetuum jus ecclesiasticum aut politicum deduci potest, quod ordini & ædificationi conveniat; nedum ut conscientiis Christianorum hoc usurpantium satisfaciat. VI. Breviter opponimus totam politiam & praxin antiquæ Ecclesiæ; etiàm postquàm Magistratus Christo nomen dedissent, usque ad quintum, immo & sextum seculum inclusivè, quam exhibet *Codex canonum Ecclesiæ Universæ:* cui adde, si ita placet, *Canones Ecclesiæ Africanæ.* Et ut compendio studeamus, petimus ab adversariis, ut sententiam suam nostrę secundum leges oppositionis repugnantem, probent vel uno canone ex *Codice canonum;* uno item dicto probati patris qui primis illis sæculis floruit; immo vel unâ lege ex *Corpore Juris*: & videbunt quid interfit inter rhetoricationes, & justas probationes. VII. Ut autem videant quam parum cum antiquitate conveniat paradoxologia ipsorum; paucula hæc solummodo ab illis inspiciantur. *Concil. Nicenum can.* 4. 5. coll. cum *Ruffino lib.* 1. *c.* 6. *Concil. Laodicen. c.* 12. breviter totum *Corpus canonum antiquorum.* Adhęc *Nazianzen. in Orat. ad Magistratum Nazianzen. Ambrosius Orat. in Auxentium. Socrates Histor. eccles. lib.* 6. *c.* 2. *& lib.* 7. *c.* 26. & 39. *Theodoretus lib.* 5. *c.* 9. & *lib.* 4. *c.* 5. & 20. & *lib.* 5. *c.* 27. *Euagrius lib.* 3. *c.* 6. Conferantur exempla eorum, qui contrariam viam institerunt, Deo & Ecclesiis improbata *Theodoret. lib.* 4. *c.* 20. coll. cum *Socrate lib.* 4. *c.* 16. *Sozomenus lib.* 6. *c.* 15. Reliqua vide infra *Part.* 2. ubi de *Vocatione Ministrorum* & *Jure Patronatus.* In illo enim imprimis apparet libertas & Potestas Ecclesiis jure divino & humano tum ecclesiastico tum politico tributa. Quod ad Waldenses, Hussitas, Reformatos, ex confessionibus agendis & liturgiis, statutis ecclesiasticis quarumcunque nationum liquet, Ecclesiis quà talibus Potestatem & regimen adscribi. Et quomodocunque facta alibi à lege discessisse videantur, saltem cum Reformatione in Belgio & constitutione libertatis Reipublicę nostrę minime convenire novum hunc Papatum, disces ex *Confessione Belgicâ artic.* 31. 36. Et *Catechesi Quæst.* 82. 85. Et *Liturgiâ in Formulis Confirmat. Pastorum: Seniorum: Excommunicationis*; adhæc ex omnibus *Constitutionibus Synodorum Nationalium* successivè, jàm inde ab *Emdanâ* anno 1571. usque *ad Dordracenam* anno 1619. Denique ex *Actis Synodorum particularium:* imprimis ex *Apologeticis Synodorum Hollandicarum scriptis super causâ Casp. Coolhaes* anno 1582. Dordraci typis Johannis Canin in 4. & Delphis anno 1600. typis Johannis Andreę in 8. Et *super causâ Hermanni Herberts* a. 1592. Hagæcomitis typis Alberti Henrici Ill. DD. Ordd. Hollandiæ,

Digitized by Google

diæ typographi in 8. Denique *Reſponſo ad remonſtrantiam ſenatus Leidenſis*, Illuſtr. Hollandiæ Ordd. nomine utriuſque ſynodi Hollandicæ oblato, & poſtea Delphis a. 1582. typis Alberti Henrici edito in 4. In ſcriptis illis praxis & exercitium regiminis, Poteſtatis & diſciplinæ eccleſiaſticæ ſub defenſione Celſiſſ. principis Arauſonienſis Wilhelmi I. & Illuſtr. DD. Ordinum Hollandię, lectori ob oculos ponitur. Atque hæc quidem acta & ſcripta publica ſeu eccleſiaſtica, & ſcripta privata probatorum & præſtantium reformationis noſtræ Theologorum. Inter quos imprimis notandi, qui in Belgio noſtro Libertinis, Pontificiis, Remonſtrantibus, aliiſque ſe oppoſuerunt: quales *Daneus loc. cit. Franciſcus Junius contra Bellarminum controv. 3. lib. 1. c. 6.* Idem *in eccleſiaſt. & in præfat. ad Exod. & Numer. Gerſon Bucerus de Epiſcopatu*, p. 326. *&c.*: & totis tractt. *Franc. Gomarus, Elhardus Mebnius, Ruardus Acronius, Ant. Walæus, Bogermannus, Lubbertus, Sopingius, anonymi contra decretum Ordinum Hollandiæ* a. 1614. *Jacobus Revius, Gul. Apollonius, Jac. Triglandius in tract. peculiari*, & in *Hiſtoriâ eccleſiaſticâ* vernaculo ſermonè editâ. Quibus addendi noſtrates, qui commentaria in catecheſin, aut locos communes ediderunt; in quibus Eccleſię diſtinctam Poteſtatem à Poteſtate magiſtratus attribuunt. Sed ne videantur eccleſiaſtici & theologi ſibi aliquid in hâc causâ indulgere, dicimus ex viris profeſſione & vocatione nec Concionatoribus nec Theologis ſed Politicis Catholicam Chriſtianiſmi ſententiam probari poſſe: Ut ex approbatione & confirmatione religionis reformatę catechiſmo (cum liturgiâ), & confeſſione contentæ, ſolenniter in renovatione fœderis unitatem provinciarum factâ Hagæcomitis a. 1651. de quo vide *peculiarem Hiſtoriam.* Ex *Actis Pacificationis Colonienſis, una cum annotationibus* anno 1586. juſſu Ill. DD. Ordd. in 4. editis, p. 6. 53. 54. 57. 58. 143. 170. 171. 195. 196. 197. 198. 199. Rurſum *p.* 98. 107. 121. Ex *Declaratione & Juſtificatione, Civitatum Amſtelred. Enchuyſ. &c.* anno 1617. factioni Politico-Remonſtranticæ oppoſita, *p.* 5. &c. Ex *indictione Synodi Dordracenæ* per Ill. DD. Ordines Belgii, *Literis mandati DD. delegatorum Politicorum, Citatione Remonſtrantium, & Approbatione ac Confirmatione actorum & Canonum Synodi*: quæ vide in *Actis ejuſdem Synodi* edit. in fol. *p.* 5. 14. 17. 171. &c. Adde & *Orationem Ill. D. Carletoni* Legati Magnę Britannię de mandato ſereniſſ. regis Jacobi habitam in conſeſſu DD. Ordd. anno 1618. & *Proſcriptionem libri* ab anonymo Remonſtrante, ſed fugâ Ultrajecto in Brabantiam paulo poſt ſe prodente, conſcripti adverſus dictam Orationem (nomine *Statera orationis Carletoni* &c.) ab Ill. Ordd. General. fœderuti Belgii a. 1618. publicatam. Nec prętereunda ſcripti illius Remonſtrantici *juſta refutatio* per *Joh. Caſimirum Junium* magni Theologi Franc. Junii filium in militari prętecturâ tunc conſtitutum. Imprimis memorandi ſereniſſ. Magnę Britannię Reges Jacobus & Carolus I. Quorum ille (referente *Andreâ Bailio* theo-

theologo Glaſcuenſi *in Defenſione* vernaculâ *Eccleſiæ Scoticæ c. Doctorem Bramble* Epiſcopum Londo Derienſem 1649. in Hollandiâ, ubi tunc erat, editâ) in diſputatione Academicâ in Scotiâ, quam fortè præſentiâ ſuâ cohoneſtabat, interfatus contentionem de poteſtate Regis ſeu Magiſtratus circa Sacra his verbis determinabat: *Ego*, ajebat, *poſſum quidem deponere caput Miniſtri, ſed non miniſterium.* Iſte paulo ante civile bellum in Angliâ, declaratione publicè editâ, Epiſcopalem Poteſtatem (regiminis & juriſdictionis) à regiâ derivari negabat. Et hoc Epiſcopos tunc avidè accepiſſe ac tenuiſſe refert *Baylius c. Bramble cap.* 1. Huc refer approbationem Regiam *Orationis Jac. Uſſheri* Archiep. Armachani, modo allegatam. Idem Rex in declaratione contra orationem Perroni pro defenſione juris & independentiæ Regum, circa medium in examine ſecundi inconvenientis: *Verum eſt Imperatores nunquam gloriatos, ſe eſſe ſupremos articulorum fidei & doctrinæ judices: cognitionem tamen decretorum & canonum conciliorum, & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſibi ſumebant &c. ſed hoc fiebat, ut viderent an in deliberationibus Epiſcoporum &c. nihil contineretur contra ſervitium Imperatoris, aut pacem Reipublicæ, aut contra decreta præcedentium conciliorum.* Et paulo poſt: *fateor eſſe punctam theologiæ judicare de extenſione Poteſtatis clavium, & eccleſiaſticos poſſe ac debere uti cenſuris ſuis erga Principes, qui contra juramentum ſuum Chriſto bellum inferunt, ità ut in hoc laicos non faciant Judices.* Nec prætereunda approbatio & confirmatio catecheſios & confeſſionis Belgicæ per Ill. ac præpot. Ordines anno 1619. in actis ſynodi Dordracenæ. & rurſum anno 1651. Hagę comitis in ſolenni confœderationis renovatione factam. Atqui *in catecheſi qu.* 82.–86. & in ſubjectis *Formulis Liturgicis titt. de Cœnâ, de Miniſtrorum & Seniorum Confirmatione, de Excommunicatione*, ut & in *Confeſſione artic.* 30. 31. 36. Poteſtas eccleſiaſtica à politicâ ſic diſtinguitur, & ſoli Eccleſiæ vindicatur, ut Eraſtianorum, Remonſtrantium, & ſimilium commenta cum iis plane *ἀσυμβ* deprehendantur. Accedant omnes aliæ *Confeſſiones* nomine Principum & Magiſtratuum editæ, aut ab illis approbatę. *Auguſtana artic. de Poteſtate eccleſiaſticâ; Ejuſdemque Apologia, Helvetica artic.* 18. quæ à Magiſtratibus Cantonum reformatorum approbata, & ab aliis Eccleſiis (Polonicis, Scoticis, Hungaricis) recepta. *Argentoratenſis art.* 13. *Saxonica art.* 12. *Bohemica art. de Poteſtate Eccleſiæ. Anglica artic.* 37. cujus verba ſupra exhibuimus cum explicatione ſuprematus Regii; & canonibus ſynodi Epiſcoporum a. 1603. & a. 1640. Theologorum ab hierarchico regimine alienorum (quos presbyteriales & Puritanos illic appellant) ſenſum & conſenſum, oſtendit eruditum illud ſcriptum vernaculè à Miniſtris quibuſdam Londinenſibus a. 1647. editum tit. *Jus divinum*: quæ omnia peremtoriè contra Eraſtianos & ſimiles concludunt. In his ergo habemus communem Principum & Magiſtratuum

Digitized by Google

reformatorum conſenſum. Quem etiam exprimunt ſcriptores vocatione nec theologi nec eccleſiaſtici ; quorum teſtimonia ſuſpicioni ſtudii partium minimè obnoxia ſunt. Verba, ut brevitati conſulam, hic non exhibebo, ſed lectori iſtarum rerum ſtudioſo loca ſolummodo indicabo. *Philipp. Marnixius in Alveario Eccleſ. Romanæ tom. 1. part. 3. Reinhardus Koeningh in Diſpp. politicis diſp. 11.* ubi dicit eſſe communem ſententiam theologorum Auguſt. confeſſ. & complures, ut & Politicos *ibidem* citat. *Joh. Althuſius* ſyndicus Embdanus *Politic. cap.* 38. Hanc nubem teſtium ſupplebunt, autores infra *Part.* 2. adducti ubi *de Vocatione Miniſtrorum*; & *Part.* 3. ubi *de Synodis*, & *judiciis controverſiarum*, & de *Clavibus Regni Cœlorum*. Huic univerſali conſenſui nihil video aliquâ ſpecie obtendi poſſe, niſi Eccleſias Germanicas de quâ moveri poſſet hæc *Quæſt.* Quid ſtatuendum de praxi Germaniæ, Helvetię, ejuſque defenſione per theologos nonnullos, (*Muſculum, Gualterum, Bucerum, Martyrem, Pareum,*) qui perpetuò ab adverſariis objiciuntur ? *Reſp.* Non poſſe juri Eccleſiæ inde aliquod præjudicium adferri. Nam 1. dici poteſt, à theologis illis reſpici ac referri non tam jus, quam factum quod longâ temporum præſcriptione, aut Imperatorum ac Principum contra Papam & Epiſcopos alioſque Eccleſiaſticos ſive uſurpatione, ſive contentione ac certamine aut obtinuit, aut politici obtinuiſſe prætenderunt, aut contenderunt ut obtineret. 2. Illud ergo præjudicatum ſive bonum ſive malum, non non tam probâſſe theologos: quam obtinentis ac tolerati hactenus ordinatum ac meliorem uſum oſtendiſſe: quomodo circa ἀρχαῖον jam obtinentem ordo aliquis conſtitui ac ſervari ſolet, e.gr. in lege Moſaicâ circa repudia, polygamias, &c. 3. Aut non loqui eos abſolutè, ſed comparatè: cum enim uſurpatores Papæ cum ſuis Epiſcopis Poteſtatem hanc injuſtè ad ſe traherent; iiſque Reges & Principes ac Magiſtratus obſiſterent: māluerunt eam his cedere, quippe reformationem amplectentibus: quam illis, qui ingenitâ & peculiari iſti ordini corruptione hoſtes juratos euangelii ſe oſtendebant. Cum neutri contendentium parti jure divino competeret, maluerunt eam uſurpari ab illâ parte, quæ ea in bonum tunc utebatur. 4. Aut conjunctim ſumſiſſe eos atque intellexiſſe Poteſtatem eccleſiaſticam ſimul & politicam: prout Papa cum ſuis Satrapis Epiſcopis pro utrâque præſertim in Germaniâ contendebat & magnam partem eandem uſurpârat): atque ita maluiſſe qualemcunque illam combinationem cedere Politicis ; quandoquidem pro ratione illorum temporum opportunè & cum fructu aliquo ab ovo res illa repeti & examinari non poterat. 5. Aut intellexiſſe ſubinde ſolam Poteſtatem politicam & σὺν ἴσῳ circa eccleſiaſtica: quam Pontifex cum Epiſcopis ſibi vindicabant. 6. Aut etiam excuſaſſe hanc praxin, ſi non probaſſe: quod Eccleſiæ ſeu populus eccleſiaſticus una cum ſecundario clero (uti loquuntur in Papatu) Poteſtatem illam ſeu mavis defenſionem ejus & jus defenſio-

Digitized by Google

fensionis Magistratibus deferrent, aut antehac detulissent: atque adeo ejus exercitium atque executionem ab illis postularent atque exspectarent. Quomodo fere Potestatem hanc Imperatoris contra Pontifices tuetur *Marsilius Patavinus, in Defensore pacis.* 7. Quod si hâc aut simili ratione quævis quorumvis dicta explicari ac defendi aut non possint, aut nolint theologi illi (quod tamen non arbitror), utique non verebor dicere, illos plusculum temporibus & circumstantiis hic indulsisse, & propter causæ bonitatem ac favorem, modo agendi non satis ordinato, nimium concessisse; sive per tolerantiam, & conniventiam, sive per nimiam moderationem & συγκατάβασιν. Libet hic adscribere verba Danæi part. 4. Locor. commun. lib. 4. cap. 4. quæ laudat & citat ex Calvini Commentariis in Amos. 7. vers. 13. *Certum quidem est, Reges si fungantur suo officio, esse & patronos religionis, & nutritios Ecclesiæ, &c. Sed interea sunt homines inconsiderati, qui faciunt illos nimis spirituales. Et hoc vitium passim regnat in Germaniâ. In his etiam regionibus nimium grassatur. Et nunc sentimus quales fructus nascantur ex illâ radice, quod scil. Principes, & quicunque potiuntur imperio, putant se ita spirituales esse, ut nullum sit amplius ecclesiasticum regimen. Et hoc sacrilegium apud nos grassatur, quia non possunt metiri suum officium certis & legitimis finibus; sed non putant se posse regnare, nisi aboleant omnem Ecclesiæ autoritatem, & sint summi judices tam in doctrinâ, quam in toto spirituali regimine.* *Ibidem Calvinus* paulo ante graviter perstrinxerat inconsideratum zelum eorum, qui Henricum VIII. in Angliâ extulerant tribuendo illi titulum capitis Ecclesiæ sub Christo.

8. *Respondeo*, si praxin & mores passim in Germaniâ receptos, & Doctorum quorundam verba citat. conferas cum desideriis ac votis, perpetuâque & constanti doctrinâ Ecclesiarum ac Doctorum in Germaniâ, etiam cum verbis allegatorum Doctorum, qui aut ibidem aut alibi in scriptis suis mentem suam luculentius explicant; utique non magis consensum Germanorum hâc in parte nobis eripere poterunt adversarii, quam Pontificii reformatis consensum antiquitatis in controversiis de Papâ, de Missâ, de Meritis &c. Meliorum desideria Germanis non defuisse testis est Beza in tract. de Excommunic. & Presbyterio c. Erastum a. 1590. in fine: *Certè*, inquit, *in Germanicis nonnullis Ecclesiis, quid optimi & doctissimi quique semper desiderarint, ac etiamnum superstites desiderent, obscurum non est ex eorum scriptis intelligere, tum veteribus ut D. Buceri, Melanthonis, Sarcerii, & fere omnium, quos inspicere licuit: tum recentioribus, ut D. Cythræi & Hemmingii, quibus tum etiam Lasciique sentire non dubito.* Si Confessiones, ut Augustanam, Saxonicam, Helveticam, si Catecheses, ut Lutheri, Lossii, Cythræi, Brentii, Palatinam &c. Si Constitutiones ecclesiasticas, si denique Locos communes, Disputationes Academicas, Consilia, Epistolas, Commentaria, aliaque Doctorum *scripta in*

Digitized by Google

tit. de Eccleſiâ, de Clavibus &c. ſi totam Germaniam proteſtanticam inſpicias: quis non judicabit quidquid ſit de defectu praxios, eſſe Anti-Eraſtianam, non minus ac Palatinatum, ubi Eraſti doctrina honeſte ſuppreſſa fuit; ne dicam, ab ipſo ante obitum haut obſcurè ſuppreſſam fuiſſe. De quo vide narrationem *Bezæ in præfat.* Ex infinitis teſtimoniis, quæ lectoris inquiſitioni relinquo, hæc paucula digito indicabo. *Lutherus* in Reſponſo *ad Melanthonem de Ceremoniis* (exſtat *Part. 1. Conſil. Melanth. p. 18. edit.* in 8.) cum ſit certum iſtas „ adminiſtrationes eſſe diſtinctas & diverſas, nempe eccleſiaſticam & politi- „cam, quas mirè confudit & miſcuit Satanas per Papatum: nobis hic acri- „ter vigilandum eſt, nec committendum, ut denuo confundantur. Hoc e- „nim eſſet furibus & latronibus participare: quia divina hic eſt autoritas, quę „præcipit eas diverſas & impermixtas ſervari. *Et paulo poſt*, Epiſcopus ut E- „piſcopus, nullam habet Poteſtatem ſuper Eccleſiam ſuam ullius traditionis „ aut ceremoniæ imponendę, niſi conſenſu Eccleſię vel expreſſo vel tacito: „ Quia Eccleſia eſt libera & domina, & Epiſcopi non debent dominari fidei „Eccleſiæ, nec invitas onerare aut opprimere. Sunt enim Miniſtri & œ- „ conomi tantum, non Eccleſiæ domini. *Et paulo poſt:* Epiſcopus, ut Prin- „ceps, multo minus (Nota) poteſt ſupra Eccleſiam imponere quidquam; quia „hoc eſſet prorſus confundere has duas Poteſtates, & tum verè eſſet *allotrio* „ Epiſcopus, & nos ſi admitteremus, tam eſſemus paris *ſacrilegii* (Nota) rei. „Hic potius eſt moriendum, quam hanc *impietatem & iniquitatem* commit- „ tere. Loquor de eccleſiâ, ut Eccleſiâ, diſtinctâ jam à civitate politicâ. *Et* „ *poſtea pag.* 120. Hic vero mihi cogitationes oriuntur, ne periclitemur falla- „cis & fucis eorum, ſcil. ſi prætendant, Cæſarem ut Cęſarem, Epiſcopos ut „ Principes velle talia ſtatui, ac ſtatuta retineri ab Eccleſiâ non ut ab Eccleſiâ ſed ut à ſubditis, & hoc prætextu totam tyrannidem confuſionis reſuſcitare „ & confirmare, ac ſic Eccleſiam nihilominus oppreſſam & ſubjectam epiſco- „pali Poteſtati habere. Hic ego ſentio, Divinâ auctoritate nos prohiberi, ne illis credamus &c. Exſtat ejuſdem *Lutheri præmonitio & præſagium de Antichriſto politico*, quod memini me ante annos complures ex aliquâ ipſius concione excerptum legiſſe, in vernaculo quodam ſcripto Remonſtrantibus tunc temporis oppoſito. Infra ex Wolffio verba ejus exhibebo. *Wigandus & Math. Judex in ſyntagm. ſeu corpore doctrinæ tit. de Clavibus & tit. de Eccleſiâ & ibid. ſubtitulo de reg. Chriſti.* Idem *Wigandus in lib. de Bonis & malis Germaniæ* (citante *Surio in Commentar. rerum in orbe geſtar. ad ann.* 1566. *pag.* 66.) inter mala numerat ordine 13. *Cæſareo-Papatum*, quo dicit vineam Chriſti deſtrui, & *Antichriſtum* eccleſiaſticum in *politicum degene-* „*rare*. Conqueritur ibi nonnullos ex dominis politicis pedem alterum ſuperbè „ in Eccleſiam collocare, eam pro ſuo arbitrio regere, Miniſtros verbi non

„ tantum

„ tantum oſculatores, ſed mera ſcabella ſuorum pedum eſſe velle, religionum „ formulas ſeu cothurnos gignere, articulos doctrinæ cudere, eoſque poſtea „ cum imperio & armatis minis doctoribus ærumnoſæ Eccleſiæ Chriſti ob- „ trudere ut citra omnem contradictionem amplectantur: mandata affigere „ atque exhibere, quibus præſcribitur: *quomodo & quatenus Miniſtri verbi „ Dei errores & peccata reprehendere debeant:* nempe ut errores graſſantes non „ refutent, falſos doctores non indicent, nec moveant eos cavendos eſſe: *pec- „ cata* hominum, quantumvis in hoc fine mundi atrocia, *tantum in genere „ ſtringant, nequis animadvertere queat ſe peti, ſibi ſcil. agendam eſſe pœnitentiam. „ Neminem eße excommunicandum niſi de ſententiâ Politicorum; nemini eſſe de- „ negandum ſacramentorum uſum, niſi ex arbitrio aularum & curialium.* Addit „ ibid. Quemadmodum Papa excommunicationis fulmen ſuæ tyrannidi ad- „ hibuit, ita illi ſuas minas *de expulſionibus, de carceribus, de gladiis* audaciſſimè „ ſubjiciunt. *Caſp. Olevianus in Epiſtol. ad fratres Bohemos* (quam exhibet *Johan-Amos Comenius in Ordine eccleſiaſtico Fratrum unitatis Bohemicæ* edit. „ pr. a. 1633. & poſter. a. 1660. *In præmiſſâ Hiſtoriolâ pag.* 53.): Videmus au- „ tem quanta ſit varietas, quamque ſubitæ mutationes in iis Eccleſiis, quæ ju- „ re veluti ſuo exutę ſimpliciter à politiis pendent. Hiſce malis niſi maturè „ occurratur, ſentient multi pii, ſe (ſaltem magnâ ex parte) in vanum cucur- „ riſſe: dico quod ad ſtabilitatem ædificii attinet, & ad conſervationem atque „ propagationem totius œconomię Regni Chriſti. &c Certe quum triſtem „ faciem Eccleſiarum reformatarum in Germaniâ intueor, totus pene cohor- „ reſco. Video politias hoſpitia fuiſſe Eccleſiæ, *ac iam multis in locis hoſpitia „ mutantur in dominia: ut liberè in Eccleſias adeoque ipſam cœleſtem doctrinam „ dominentur. Cauſa huius mali non poſtrema eſſe videtur, quod Eccleſiæ multæ ni- „ mis ſeſe politiis hujus mundi aſtrinxerunt: quaſi pars ſit eſſentialis Regni Chriſti. „ Itaque veſtram rationem ædificandi non poſſum non magnifacere, qui vultis Eccle- „ ſias veſtras ita politiis hujus mundi, immo omnibus hominibus ad bonum eſſe ſub- „ jectas, ut tamen nil libertatis ſuæ, quam Chriſtus ſanguine ſuo eis comparavit, de- „ cedat.*

Theologi Witebergenſis in Epiſtol. ad fratres Bohemos a. 1573. (ibid. apud „ *Comenium pag.* 50.) Probamus & diſciplinæ eccleſiaſticæ, quam Eccleſiæ „ veteris exemplo ſine ſuperſtitione & conſcientiarum laqueo apud vos reti- „ netis, ſeveritatem. Zachar. Urſinus nomine theol. Heidelberg. (Ibid. apud Comenium pag. 52.), extollit eorum felicitatem præ Germanicis eccleſiis, & addit: *Licet enim vota & ſtudia jam dudum eo contendant, ut aliquid melioris Or- dinis tandem inter nos conſpiciatur: tamen quia nomen Eccleſiaſticæ Diſciplinæ (a- liis imprudentiùs & importuniùs eam urgentibus, aliis acerbius & ſine diſcrimine repudiantibus) ita factum eſt odioſum, ut magna pars illud averſetur, atque dele-*

tum

Digitiz by Google

tum cupiat, vix etiam nomen ipsum, aut tenuem umbram disciplinæ hactenus obtinemus. Idcircò cum pudore & dolore videmus, vestrâ opinione plus nobis tribui, quàm apud nos deprehendimus: nobis tamen inde stimulos incuti sentimus, quibus excitati conemur vestræ & aliorum piorum, honestæ de nobis opinioni, magis respondere, &c. 19. *Martii*, anno 1574. Supersedeo hic verba *Zanchii ibid. pag.* 51. Et *Vergerii aliorumque* priori edit. *Rationis disciplinæ &c. in unitate fratrum*, subjecta, describere. *Reinhardus Koening* I. C. *in Politicis disp.* 11. §. 21.--31. disputat Magistratui non competere constitutionem & depositionem Ministrorum, sed Ecclesiæ: & citat *ibid. Chemnitium part.* 3. *Locor. comm. tit. de Ecclesiâ cap.* 4. *Mentzerum tom.* 2. *Dispp. Marpurg.* 22. §. 89. & in exegesi August. confess. artic. 19. Quibus ego addo *Cythræum* & *Pelargum in Math.* 18. *Selneccerum part.* 2. *Institut. Relig. tit. de Ecclesiâ subtit.* 6. & 7. *Hyperium part.* 3. *Method. theolog. tit. de Ecclesiâ. Strigelium part.* 4. *Loc. commun. tit. de Magistratu cap.* 7. *Heerbrandum in Synopsi theol. tit. de Ecclesiâ & de Clavibus. Melanthonem in Ratione reformandæ Ecclesiæ Friderico Electori Palatino transmissâ* (vide *Melch. Adamum in vitâ Melanthonis*) & *in Consil. theol. part.* 1. *pag.* 586. fusius explicatâ. Quorum omnium verba ad prolixitatem vitandam hic non exhibeo. Agmen claudant ex recentibus & eruditis Germaniæ scriptoribus *Henr. Gebhardus* al. Wesenerus JC. & *Christ. Weberus* theologus. Quorum ille *tract. peculiari* a. 1627. in 8. explicans Potestatem & Jurisdictionem ecclesiasticam, inter alia §. 21. asserit, judicium de rebus in religione obscurioribus ad theologos deferendum. Ibid. §. 24. ait, *Magistratum* „*æque peccare ac muneris sui metas transgredi, si omne de religione judicium, ac jus* „*constituendi Ecclesiam ad se trahat Potestatis obtentu politicæ; ac summum Pontifi-* „*cem, si solus sibi idem vendicet jurisdictionis nomine ecclesiasticæ.* Et paulo post: „*Sane enim si princeps liberam & absolutam haberet in ecclesiasticis Potestatem,* „*major utique esset quam Papa, qui ab optimis quibusque concilio subjicitur. Et hoc* „ *esset politicum facere Antichristum, de quo quid senserit D. Lutherus, videre licet* „*apud Joan. Wolfium tom.* 2. *memorabil. fol.* 987. *Ibid.* hanc suam determinatio- „nem indicatis locis *Chemnitii*, *Heerbrandi*, *Lyserі*, & exhibitis *pag.* 29. 30. *&* „ *seqq.* verbis Christoph. Besoldi class. 1. disp. 4. confirmat: *Sobriè ergo*, inquit „Besoldus, *intelligendum est, quod in concordiâ Anglicanâ scribit Ricardus Itarris:* „Regem supremum esse gubernatorem regni, tàm in spiritualibus sive Eccle- „siasticis rebus aut causis, quàm temporalibus. Ab eoque primatu Regem „vocat primatem & supremum Ecclesię caput: & ex ipsa corona regni sui hunc „illum habere contendit: Nec absurdum esse Regem quoque Ethnicum esse „primatem. Sobria ait *Besoldus*, hæc interpretatione indigent: Ni pro Papâ „Rege, Regem Papam agnoscere velimus, vide *Thuanum* 1. *histor. fol.* 14. *co-* „*lum.* 2. Annectit deindè sententiæ huic firmandæ rationes & has longè gravissimas

Digitized by Google

„ visſimas. 1. Ab Imperii ait juriſve Regii ſi penderet judicio vel poteſtate „ externum ordinare Divini Numinis cultum: Subditi tenerentur obedire re- „ formationi, ut alii alicui politicæ ſanctioni ſemperque mutabilis religio eſ- „ ſet. Æque enim Architectonica poteſtate Rex Ethnicus & hæreticus gau- „ det, eâque poteſtate uti vellet, quia nemio ſe hac in parte errare credit, vel „ religionem alis conatibus prętexeret. Nam varietas religionum (*ait Ever- „ hardus à Weibe de prærog. ſucceſſ. E. 5. b.*) citra controverſiam inde nata eſt, „ quod ſomnia traditiones ac ſcabiem geminum gubernatores politici volue- „ rint Chriſti doctrinæ conferre: tantum ſalvam ut haberent Rempublicam. „ (2.) Deinde diſſentire de religione non hæreſis amplius aut ſchiſma foret, „ ſed crimen Læſæ Majeſtatis. (3.) Ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus haud „ mundani Imperii ſubſidio regnum ſuum ſpirituale inſtituere firmareque vo- „ luit. Nam quis ex primoribus credidit in eum aut ex Phariſæis; ſed turba „ quæ non novit Legem *Joann. 7. v. 48.* cernitis, inquit D. Paulus 1. *ad „ Corinth. 1. v. 26.* Vocationem veſtram fratres: vos non eſſe multos ſapien- „ tes ſecundùm carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Neque „ ex neceſſitate Chriſtus & Apoſtoli ſine Magiſtratus præſidio ſuam propaga- „ verunt, & tutati ſunt doctrinam, quia nempè nullus aderat Magiſtratus „ Chriſtianus Religio cui cordi eſſet: Fuit namque omnipotens & aliter, „ ſi è re Eccleſiæ fuiſſet, ſane hoc efficere potuiſſet, neque pro bonitate ſua „ optima omiſiſſet Chriſtus: ſed quia regnum illud, quod introducebat Mun- „ danum haud fuit *Joann.* 18. *v.* 36. (4.) Vimque legis Eccleſiaſticæ habuerunt „ Decreta primi concilii *Act.* 15. abſque afflatu aulæ Cæſareæ. At aís, vim non „ habuiſſe corporalibus cenſuris coactivam, ut replicat *Concordia Auguſtana „ fol.* 49. Reſponderetur. Non eam requiri, aliàs enim primitiva Eccleſia „ ea carens, haud perfecta fuiſſet. (5.) In Deuteronomio commendatur „ Regi Lectio Legis Divinę, ſed additur quod accipere debeat hunc li- „ brum à Levitis, *Deuteron* 17. *verſ.* 18. Hęc ferè *Beſoldus. Weberus in tra- ctat. de Jure & Ratione Conſiſtoriorum cap.* 19. eccleſię Poteſtatem & preſ- byterium, contra exceptiones Eraſti & Saraviæ ſolidè tuetur; & cap. 27. ſect. 5. de Vocatione Paſtorum ſic loquitur: *Eccleſia libertatis lege jus, fas & po- tentiam externa proviſionis magiſtratui offert & exhibet. Neque tamen ideo voca- tio Miniſtrorum – verbi regale politicum efficitur, ut ut multi ita autument.* Ibid. taxato abuſu pręſentationis ſeu denominationis apud Principes & Magiſtra- tus uſitatæ, exclamat; *Si hoc non eſt ex Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ facere re- gale Pontificium; ſi hoc non eſt tyrannidem in Eccleſiâ exercere, ecquid demum e- rit?* Ex omnibus jam indicatis conſtat quis fuerit & ſit ſenſus, quod deſide- rium Eccleſiarum & Theologorum, immo & piorum JCC. torum in Germa- niâ de Poteſtate & Diſciplinâ eccleſiaſticâ; quamvis de facto aliter loqui vide-

antur & morem tanquam malum aut defectum bene positum tolerandum, eoque, ut queunt, in bonum Ecclesię utendum approbare. Obtestamur lectores ut in Lectione eorum prudenter distinguant, inter approbationem rei in se quidem non bonæ, tamen necessariò propter duritiem cordium *toleranda*, *& inter approbationem* necessarię & prudentis tolerantię. Habemus ergò universalem in hac sententiâ consensum; & ipsam ejusdem veritatem ex S. Literis solidè hactenus à nostris supra nominatis probatam: quæ etiam nuper contra Papatum sæcularem, & novos in Anglià tum Erastianos tum ceremoniarum in Scotiâ zelotas eruditissimè defensa est in scriptis quibusdam vernaculis; qualia *Anglo-Papistica ceremoniæ Ecclesiæ Scoticæ obtrusæ* autore anonymo, a. 1637. *part.* 3 *cap.* 8. *Jus divinum ecclesiæ per ministros quosdam Londinenses*, *Rhetor sortis Sanct. Andreani theologi jus presbyteriorum cap.* 6. *Georgii Gillespie Ministri* Edinburgensis *Virga Aaronis germinans* a. 1646. cui postea subjunxit *Defensionem c. Coleman & Hussett tit. Malè audis.* Idem latine thesibus quibusdam ab Ecclesiâ Scoticâ approbatis Potestatem & disciplinam Ecclesiæ explicuit. *Idem in virgâ Aaronis germinante lib.* 2. *in append. p.* 329. ex archivis Ecclesię Scoticæ impartit nobis hoc responsum sereniss. regis Jacobi, propriâ ipsius manu scriptum, subsignatum, & deputatis Ecclesiæ Scoticæ traditum in *Linlitgow* Scotię a. 1585. Ego pro „ meâ parte, nec mea posteritas unquam debet citare, evocare aut appre„ hendere aliquem Pastorem aut Concionatorem propter negotia doctrinę in „ religione, salute, hæresi, aut verâ interpretatione scripturæ; sed convenien„ ter primo meo statuto, quo confirmo libertatem prædicandi verbum & ad„ ministrandi sacramenta, adstipulor illud esse merè ecclesiasticum, & omni mo„ do non pertinens ad meam vocationem. Idcirco nec ego unquam arrogabo, „ nec debent illi (posteritatem meam intelligo) unquam aliquam potestatem „ aut jurisdictionem in prædictis arrogare.

Hic *Gillespius* de suo inserit: Sensus Majestatis regiæ erat, quod non deberet ipse tale quid agere *in primâ instantiâ*; hoc est antequam persona accusata, convicta, & judicata esset in aliquo judicio ecclesiastico: enim illo tempore controversia erat in causâ Andreæ Melvini. Sequitur in responso regio.

„ Non proposui ullam libertatem resecare, quam Deus Ecclesiæ suæ conces„ sit. Non vindico mihi quod judex sim doctrinæ in religione, salute, hæresi, „ aut verâ scripturæ interpretatione.

„ Et postea, non intendo miscere me in negotia excommunicationis; nec „ arrogo mihi aut hæredibus meis Potestatem in aliquo, quod sit merè eccle„ siasticum & non ἀδιάφορον, nec aliquâ in re, quam Deus simpliciter devole„ vit in manus Ecclesiæ suæ. Ut concludam, confiteor & agnosco Christum „ Jesum esse caput & legislatorem ejusdem. Et quicunque tribuit sibi ipsi tan„ quam capiti Ecclesiæ, & non tanquam membro, Potestatem suspendendi

„ au-

Digitized by Google

„aut mutandi aliquid, quod verbum Dei tantum remisit Ecclesiæ; ille, dico, „committit manifestam idololotriam &c.

Quod si forte quis exciperet nimium tunc concessisse Regem: profiteor me hac vice judicium de eo non pronuntiaturum, sed tanquam argumentum inartificiale ad hominem illud novis quibusdam Erastianis & Cæsareo-Papatus assertoribus considerandum objicere.

Est & aliud cimelium, quod postremus & unicus Ecclesiarum unitatis in Bohemiâ & Moraviâ ex tantâ desolatione nobis superstes Rever. Johan. Armos Comenius nuperrimè nobis impartiit in paræneſi ad ecclesias. Audiant, legant, expendant si qui sunt in Belgio aut alibi Cesareo-Papæ, & si qui inter Theologos aut J. Consultos eorundem assentatores. Sic ergo venerandus ille „senex, & theologus crucis, pag. 132. 133. 134. 135. Confusio igitur in Ec„clesia est, si personæ ad Ecclesiastica munia vocatæ secularibus sese rebus „(possessionibus, dominiis, judiciis, bellis, &c.) implicent: aut con„tra. Prioris Confusionis exemplum in Papatu omnes vident: ubi Ecclesia„stici utriusque gladii potestate arreptâ, spiritualiter & seculariter dominan„tur. Posterioris in Reformatarum Ecclesiarum parte oculatiores: ubi gladii „spiritualis potestatem Ecclesiæ Pastoribus eripuerunt Politici, nec eam „exercere permittunt. Qua de re utile aliquid Ecclesiam Dei monendi, „pientissimi Theologi *Olevianı* observatum dat occasionem, abominatio au„tem illius rei, extremaque pernicies, non tacendi imponit necessita„tem.

„ 41. Olevianus ita (suprà Hist. pag. 53. §. 115.) *Cùm tristem faciem Ec„clesiarum Reformatarum in Germania intueor, totus penè cohorresco. Video Po„litias hospitia fuisse Ecclesiæ, at jam multis in locis hospitia mutantur in dominia, „ut liberè in Ecclesias, adeóque ipsam cœlestem doctrinam, dominentur*, &c. Quid „hoc sit, explicat *Johan-Valentinus Andreæ*, primarius Lutheranorum The„ologus (inaugurali suâ Tubingæ anno 1642 habita Oratione) his verbis. „Impotens Papæ super Cæsares, Reges, omnemque Magistratuum potesta„tem, usurpatum imperium (quòd insolito quidem, non tamen absurdo no„mine, *Papa Cæsareatum* quis appellàrit) divino spiritu roboréque aggressus „Lutherus, jura, dignitates, Coronásque cum sceptris, libertati restituit, re„stitutásque Verbi divini authoritate suffulcivit. Intellexit facile Sathan, quam „immedicabile sibi vulnus inflictum esset hâc Magistratuum libertate, funda„mentáque Regni sui labefactata. Itaque à vi ad artes & stratagemata con„versus, quod nemo metuebat id tentans (indignum sanè tanti beneficii pre„tium) pro *Papa-Cæsareatu* (inversâ scenâ) *Cæsareo-Papatum* instituit, Ec„clesiéque Christi (vixdum Romanum carcerem egressæ) obtrusit. Quæri„tis quid hoc verbi sit? Triste profectò, Ecclesiæque progressibus noxium:

„ quod Conradi Schliffelburgii (excellentis quondam noſtratis Theologi)
„ verbis, quàm meis, explicare malo. *Eſt*, inquit, *Cæſareo-papatus confuſio*
„ *Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis, qua Domini Politici in Aulis & Civitatibus,*
„ *ſub prætextu cuſtodiæ utriuſque Tabulæ, rapiunt ſibi gladium ſpiritualem, ac ſe*
„ *Dominos ſupra Eccleſiam & Miniſterium Verbi conſtituunt: præſcribentes no-*
„ *vas, periculoſas, ambiguas, & Verbo Dei contrarias, formulas obligationis, ſeu no-*
„ *tulas docendi; orandi, conciones diſponendi, Magiſtratum venerandi, peccata &*
„ *errores taxandi, Sacramenta & Claves adminiſtrandi, ceremonias in Templis*
„ *adornandi; ac penes ſe, & ſuos Aulicos ac Senatum, volunt eſſe ſupremam, &*
„ *quaſi Dictatoriam poteſtatem cauſas Eccleſiaſticas audiendi, cognoſcendi, dijudicandi: eligendique & vocandi Miniſtros, atque abdicandi eoſdem, quos &*
„ *quando velint; Eccleſia ſive conſentiente, ſive diſſentiente. Omnia in eum finem,*
„ *ne ipſi à Spiritu Dei per fideles Concionatores arguantur, & ut pax Politica* (ju-
„ xta eorum opinionem) *conſervetur.* Hæc Schluſſelburgius.

„ 42. Edidit verò *J. Valent. Andreæ* peculiatem libellum, ſub titulo APAP
„ (i. e. inverſus PAPA) quô monſtri illius novi, *Cæſareo-Papatûs*, por-
„ tentoſam abominationem, exitioſoſque effectus, deſcribit. Eſſe verſutiſſi-
„ mum Diaboli ſtratagema, ex Euangelii Miniſtris fingere ſibi miniſtros Sa-
„ tûs, & ſervos Chriſti transformare in ſervos hominum: circumjicereque
„ Prophetis vincula, ad reddendum eos aut mutos, aut timidos, ne ſint Viri
„ objurgantes (Ezech. 3. 25, 26.) Rectè enim Chryſoſtomus: *Hoc eſt o-*
„ *mnium malorum cauſa, ſi Eccleſiæ Præpoſitorum authoritas periit, nullaque illis*
„ *reverentia, nullus honor, nullus metus, habetur* (Homil. 2. in 2. ad Tim.)
„ Nempe cùm Magiſtratus arguî non vult, neque volet populus: quia *Regis*
„ *ad exemplar ſemper componitur Orbis.* Atque tum Eccleſia ſit qualis fuit Pro-
„ phetarum tempore, effrenis, contumax, corripi impatiens. *Nemo eos argui-*
„ *to, nemo increpato quenquam: nam populus hic ſimilis eſt contendenti cum Sa-*
„ *cerdote*, inquit Deus, Oſeæ 4. 4.

„ 43. Unde factum, ut iſtis in Eccleſiis (ubi *Cæſareo-Papatus* dominatur)
„ *altera clavium Regni cælorum neglecta, ſpreta, amiſſa ſit.* Neſcieram ego id,
„ teſtor Omniſcium, nec ſcirem fortè hactenus (quid aliena in Domo fiat in-
„ curioſus) niſi id ante annos quatuordecim caſu innotuiſſet. Parcam no-
„ mini (loci & perſonę) rem recitabo paucis. Contigit in primaria Germa-
„ nica Urbe primarium Eccleſiæ paſtorem alloqui. Dixit is, dudum ſibi op-
„ tatam occaſionem cognoſcendi, *Utrum libellus quem aliquando legiſſet*, Ra-
„ tio Diſciplinæ ac ordinis in Eccleſiis F. F. Bohemorum, *veram contineret iſti-*
„ *us Eccleſiæ hiſtoriam? an verò Ideam ſolùm, quomodo conſtituenda eſſet Eccle-*
„ *ſia?* Quærebam *Cur dubitaret?* Reſpondit. Quia imaginari non poſſum
„ talem aliquam exſtare nunc in Orbe Eccleſiam. Reſpondi: Hiſtoriam reci-

„ tari,

„ tari, non figmentum. Veras fuiſſe leges, tametſi non ſatis obſervatas: ideò
„ nunc nos exleges cœleſti diſciplinâ caſtigari. Ille, *ô Vos beatos, qui utram-*
„ *que-habuiſtis clavem! Nos alteram amiſimus, ligantem. Tales non conſtituimur*
„ *in Domo Dei Oeconomi, qui Horrea, Cellas, Ciſtas, omniáque promptuaria, ſem-*
„ *per aperta relinquere, nunquam claudere, eóque ſancta dare canibus, margari-*
„ *tásque ante porcos projicere, tenemur. Novi ego* (inquiebat) *in cœtu meo pro-*
„ *faniſſimos homines, avaros, raptores, ebrioſos, adulteros, qui ad confeſſionem &*
„ *Cœnam accedunt, & à me abſolvuntur, cras in volutabrum certò redituri ſuum.*
„ Dixi. Non abſolvendi ſunt, niſi emendationem promittant. Reſpondit:
„ *Tentavi, non procedit. Diffamant me tanquam novum Papiſtam, aut Calvini-*
„ *ſtam. Amareſcit mihi vita*, &c. cœpitque ſuſpirare ac lacrymari.

„ 44. Hiſtoriam recito, in veraciſſimi teſtis Dei conſpectu: ſi fortè vel ſic
„ enormitas & pernicies, æquè *Cæſáreo-Papatus* atque *Papa-Cæſareatus*, agno-
„ ſci poſſit. Æquè enim hîc atque illîc Ordo Eccleſię funditus convellitur, per-
„ que ataxiam talem & peccata & pœnę cumulantur. Nonne Euangelicorum
„ ille *Cæſario-Papatus* ſimilitudinem habet Michæ illius Ephratenſis, Deum
„ novum ſibi quem domi ſuę haberet, & Sacerdotem qui ad præſcriptum ſer-
„ viret, fingentis? (Judic. 17.) Annon Jeroboami politicam prudentiam, Vi-
„ tulos ſibi Deos, Vitulinósque Sacerdotes miniſtros) quia ſic Ratio-ſtatûs
„ ſuadebat) architectantis, repræſentat? Attendite obſecro antiqui & novi
„ Eccleſiarum Formatores, totque diverſis (contrariis etiam) modis Refor-
„ matores & transformatores! Deus non irridetur: quod quis ſeminaverit,
„ hoc & metet. *Aaron ſacerdos*, cum *Maria Prophetiſſa*, excutere tentarunt
„ *Moſis principis* authoritatem: punitique ſunt à Deo leprâ (Num. 17. 10,
„ 11.) Rex Uſias contrà, ſpretâ Sacerdotum authoritate munia eorum uſur-
„ pavit: punitus & ipſe leprâ (2 Chron. 26. 16.) Nunc ergò dum apud
„ Chriſtianos utrumque hoc peccatum peccatur, mirumne, ſi ſpirituali leprâ
„ aliisque plagis hi & illi afficiantur? Utinam Romanus Aaron cum ſua Ma-
„ ria (Canoniſtis ſuis) erratum agnoſcens reddat Cęſari quod Cæſaris eſt!
„ contentus eô quod ſibi eſt aſſignatum, ſpirituali Ovium Chriſti curâ (Jo-
„ han. 21. 15.) ecce in Aaronis & Mariæ typo veniæ ſpes! (Num. 12. 15.)
„ Quod ſolatium pro Cæſareo Papanis non exſtat: Scriptum enim eſt: *Fu-*
„ *itque Uſias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ* (2 Chron. 26. 16.) Ulti-
„ nam ergò ſaltem cum Uſia feſtinent Templo egredi! v. 15. h. e. Eccleſię di-
„ vinitùs datam, humano verò errore (& Satanicâ fraude) ablatam, Clavi-
„ um Cœleſtis Regni poteſtatem, reſtituere! Prorſus reſipiſcendi, luxatum-
„ que Eccleſiæ Ordinem reparandi, tempus eſt.

9. *& ultimò* reſpondeo. Teſtimonia, quæ ab adverſariis Remonſtrantibus, & novis Eraſtiſectatoribus & à *Ludov. Molineo in corollario ad paræneſin ſuam*

ad ædificationes imperii in imperio, ex Bucero, Martyre, Musculo, Pareo, adferuntur causam hanc juvare nequeunt. Præterquam enim, quod dicta particularium Doctorum non sunt ἀπόδειξις, nec demonstrationem faciunt theologicam, nec universali Ecclesiæ antiquæ & hodiernæ consensui ullâ specie opponi debent: ipsi autores seipsos satis explicant, si quis modo textus cum antecedentibus & consequentibus accuratè expendere, & cum aliis ipsorum scriptis conferre dignetur. Ne autem hic nimis operosus sim, compendium me facturum & ingenuo lectori satisfacturum confido, si διακολοδείκτῳ vice nunc fungar. Vide ergo & confer *Bucerum in Epitomâ doctrinæ ad Eccles. Anglic. cap.* 11. 12. 13. & *lib.* 1. *de Regno Christi*: ubi de naturâ & subordinatione Magistratus & Ministri. *Martyrem in Loc. commun. class.* 4. *cap.* 1. & *cap.* 13. §. 1. 9. 10. *Pareum in Rom.* 13. & *in Dedicat. ad Hassiæ Lantgravium* præmissâ *Commentar. in Hoseam.* Quod ad Musculum, quamvis ejus orthodoxiæ & laboribus nihil detractum velim, dissimulare tamen nequeo, eum subindè non satis cautè locutum; atque hinc factum, quod ille præ aliis theologis orthodoxis à Socino, Cornherto, Remonstrantibus contra orthodoxos allegari solet. Testimonia, quamvis paucula, quæ subinde ex Antiquitate allegantur, totius Antiquitatis consensu, Canonibus & Actis Conciliorum, tot dictis Patrum. Ecclesiæ autoritatem nimis forte extollentium aut profligantur, aut collatione factâ adversariis obvertuntur.

CAPUT IV.

Quæstiones aliquot particulares de Potestate Magistratus circa Sacra, determinantur.

I. Quæst. AN Magistratui competat publica ecclesiasticæ doctrinę, aut rituum, aut regiminis seu disciplinæ repurgatio, & Ecclesiarum reformatio. *Resp.* Propriè competit Ecclesiæ corporis sui, & publicæ doctrinæ quæ ibi sonare debet cum ritibus & regimine instauratio ac reformatio. In *Desperatâ causâ Papatus*, contra ὑπερόχλιν & usurpatam Potestatem Papæ pro libertate & Potestate Ecclesiarum fusè disseruimus: quæ omnia analogicè huc applicari possunt. Nihilominus Magistratui fideli *quà fideli* tribuimus, quod omnibus aliis fidelibus Potestatem hortandi, excitandi, doctrinam voce & scriptis inculcandi, & modum ac formulam reformationis indicandi, præformandi, omniaque ad publicam & autoritativam reformationem præparandi. Eidem *quà Magistratui* & quidem soli tribuimus. 1. Potestatem politicam, impedimenta ecclesiasticæ reformationis constituendæ & introducendæ sive sæcularia & externa sive pseudo-ecclesiasticâ & interna removendi, per legum coactivarum

Digitized by Google

ctivarum prescriptionem, & realem earundem executionem. 2. Potestatem ecclesiasticè constitutam seu decretam reformationem in doctrinâ, aut ritibus aut regimine, eandemque subsequente suo judicio ad verbum Dei examinatam, approbatam, politicè in Republicâ suâ admittendi, stabiliendi, in Ecclesiis introducendi, autoritate suâ & legibus suis politicis consilia, decreta, canones ecclesiasticos de reformatione muniendi, defendendi, & ἀπάντων Ecclesiæ clavibus immorigeros ad observationem eorum compellendi. Qualem Potestatem imperator Novell. 133. de Monachis §. *certè*, sibi vindicat. *Hæc*, inquit, *quæ Deum concernunt ab omni corruptione libera præservanda sunt per sacros prælatos, & per civiles Magistratus, maximè vero per majestatem vostram* muniendi, defendendi. Et sic accipiendi atque exponendi sunt actus pertendentes reformationis ab anno 1517. in Germaniâ, Helvetiâ, &c. Si quid in tam horrendâ Ecclesiæ corruptione, rerum confusione, clericorum ἀταξίᾳ ab hâc regulâ exorbitaverit, id tanquam factum particulare regulam non facit in Ecclesiis jam reformatis & ordinatè constitutis. Adeo ut pessimè inde politico- ecclesiasticæ propugnatores argumenta ad subruendam Ecclesiarum libertatem ac Potestatem conquirere satagant. *II. Quæst.* An Magistratus possit ritus constituere in Ecclesiâ? *Resp.* Quæstio hæc orta est occasione controversiæ de cerimoniis in Angliâ & Scotiâ. Qui ceremonias illas defendebant, modo autoritatem Ecclesiæ, modo Regis allegabant. Ecclesiam inter alios allegat eruditiss. theologus *Davenantius, in Quæstionibus determinatis:* inter quas & hæc comparet? *Ecclesia Anglicana justissimè urget ceremonias.* Regis arbitrium & imperium obtendebatur in Scotiâ anno 1618. in Synodo Perthanâ, & hoc solo vehiculo, quinque ceremoniæ in illam Synodum invectæ, ac deinde invitis Ecclesiis obtrusæ fuere. De quo consulenda *Acta illius Synodi*, & *Disquisitiones de eâdem* seorsim vernaculo sermone editæ, ut & *Didoclavii Altare Damascenum*, cum *Historiâ Rerum* nuper *in Scotiâ gestarum.* Jus illud de ritibus statuendi Regibus vindicat *Robertus Sanderson* theol. Oxoniensis *tract. de Obligatione conscientiæ prælect.* 10. §. 23. Sed nos nec ex Tabulis Juris divini, nec ex saniori Antiquitate quidquam pro asserto illo hactenus allatum vidimus. Si ceremonia sacra est propriè dicta, qualis e. gr. fractio panis in Cœna; illam nullus magistratus prohibere potest, aut debet; quia jure divino mandatur; ut nec mandare potest genuflexionem ad crucem, aut mensam Cœnæ: quia est idolothyton, occasio & species mali, jure divino prohibita. Sin ceremonia solummodo ecclesiastica est, ordinis & decori causâ hic aut alibi observanda (uti prætenditur): ea aut utilis est, & ad ædificationem; aut inutilis. Si illud, mater Ecclesia debet eandem curare. Sin istud, jam explodenda est. Theologorum consensus, qui & Potestatem Ecclesiæ Anglicanæ, hoc est, Episcopalem, & Regis supremátum passim explicant, non poterunt non

Digitized by Google

non neganti huic determinationi noſtræ ſuffragari. *III. Quæſt.* An ſine Magiſtratus judicio & conſenſu nulla collectio, aut reſtitutio & reformatio Eccleſiaſtica inſtitui poſſit. *Reſp. Neg.* Et probant exempla Apoſtolorum, & Orthodoxorum tempore graſſantis Arrianiſmi, aut alterius hæreſeos. Quos imitati ſunt reformatores in Galliâ, Belgio, &c. Quod ad Eccleſias publicas, quę à Magiſtratu tanquam nutritio ſuſtentantur, ſi ejus conſenſum obtinere nequeant, & rei neceſſitas ita poſtulet, in ſegreges cœtus coïbunt; & ſi nec hoc quidem concedatur, clandeſtinos conventus agent atque ità reformabunt: Quod ſi nec hoc fieri queat, pii inde diſcedent, cœtus diſſolvent, & fuga conſcientiæ ſuæ conſulent. *IV. Quæſt.* An Magiſtratus faciat Synodum Eccleſiaſticam ſive in totum ſive ex parte. *Reſp. Neg.* non magis quam Eccleſia aut Paſtores faciunt curiam, ſeu conventum politicum. Vide exemplar Synodi *Actor.* 15. Confer *Concilium Ancyranum & Neo-Cæſarienſe anno* 314. *V. Quæſt.* An ergo abſque Magiſtratus conſenſu Synodi eccleſiaſticæ haberi poſſent, & an convocatio & indictio Magiſtratus, ſit de earum eſſentiâ. *Reſp.* De Conciliis œcumenicis, aut admodum generalibus ex variis Regnis aut nationibus, non eſt quærendum, nec multum de iis hic laborandum: quia impoſſibile eſt ut illi abſque Magiſtratuum conſenſu conveniant; ſiquidem palam celebrentur: nec etiam fas eſt ſubditis in caſu belli inter illa Regna, ultro citroque commeare, abſque impetrato ab utriuſque partis Magiſtratibus ſalvo conductu. De Nationalibus quamvis magna difficultas ſit, non tamen ſimpliciter negari poteſt. Aut enim clanculum conveniunt (uti in Galliâ olim in primis reformationis initiis factum): aut in alieno (non tamen hoſtili) territorio: quomodo noſtri Belgæ primam Synodum Nationalem Belgicam celebrarunt Veſaliæ anno 1568. & deinde Emdæ anno 1571. Sed ut apertè aut publicè conveniant abſque prębabito Magiſtratus conſenſu ſive tolerantiæ ſive approbationis, nec eccleſiaſticæ nec politicæ prudentiæ eſſe arbitramur. Nullus enim ex omnibus Regni aut Provinciæ partibus, ullorum hominum (imprimis inſpectorum Eccleſię) confluxus & conventus eſſe debet, abſque Poteſtatis politicę conſcientia & conſenſu. Eſt enim Eccleſia in Republica. Quod idem intelligi volo, æque de conventibus ſeparatis, qui tolerantia tantum gaudent, ac de Eccleſiis, quæ publicam approbationem & ſuſtentationem habent à Magiſtratu: æque itidem de Magiſtratu infideli, ac fideli. Et hanc viam anno 1616. & 1617. à Claſſibus Holland. & Eccleſiis Hollandicis ineundam difficilia illa tempora nobis ſuadebant. Synodi enim provinciales annuatim haberi ſolitæ à Magiſtratibus Hollandicis partim rerum iſtarum ignaris, partim miſerè circumventis, partim ab heterodoxiâ occupatis, partim malè erga religionem & Eccleſiam reformatam affectis, prohibitæ erant. Et ſanè non diu *Conventus correſpondentiæ* (uti eos vocabamus)

à nobis

à nobis celebrati erant, qui eximios eorum fructus perciperemus. Antea enim tanquam Paſtores diſperſi, quique gregem ſuum tuebantur, ut poterant; Remonſtrantibus non ſegniter concurſantibus & conſilia communicantibus: ſed nunc & nos communi animorum atque armorum militiæ noſtræ conſociatione lupis reſiſtentes victoriam à domino exercituum reportabamus. Nec obſtat, quod ipſi ἀπαξ. ſciſmata, ἀθεσίας, publicæ autoritatis violationes inclamarent. Nos certi eramus & etiamnum certi ſumus, jure divino & naturali in tanta rerum perturbatione & confuſione nobis hæc media non tantum licita eſſe, ſed & præſcripta. Non meum aut ſociorum, qui tunc actores erant, judicium hic audiri volo, ſed Eccleſiarum exterarum aut Eccleſiarum noſtrarum poſtea libertati ſuæ reſtitutarum, quin & eorum, qui extra partes illas poſiti ſunt. Prodeat inter alios eruditus & luculentus ſcriptor *de Ratione & jure conſiſtoriorum Chriſt. Weberus cap.* 49. ubi ad Caſum propoſitum: *Quid faciendum, quando Magiſtratus ditionis heterodoxus, & Conſiſtorium ab adverſariis Religionis occupatum eſt*, Reſpondet, tali in caſu privatum theologorum conventum inſtituendum, & de controverſis doctrinæ articulis deſpiciendum, &c. Et adducit *ibid.* exemplum *Actor.* 15. *verſ.* 6. & Synodi Carthaginenſis tempore Cypriani, & Antiochenæ, quam *proprio auſu atque autoritate* contra Samoſatenum ab Epiſcopis actam fuiſſe dicit. Addit Ancyranam, Neo-Cæſarienſem, Gangrenſem, & Romanam, quam Julius Epiſc. Romanus tempore Conſtantii Imperatoris Arriani cum Epiſcopis Orthodoxis contra Arrianos celebrabat. *VI. Quæſt.* An ubi Magiſtratus publica templa, & reditus ſacros Gentilibus, aut apoſtatis, aut hæreticis ereptos eccleſiis aut vindicat, aut fiſco vindicatos inde iiſdem donat; aut quocunque modo ex ærario Reipublicæ defectus Eccleſiæ ſupplet, eccleſiaſticam ſibi acquirat Poteſtatem in Definiendis controverſiis fidei, in Decernendis cenſuris, in Electionibus Miniſtrorum, in Receptione competentium ad communionem Eccleſię, in Canonibus & Decretis condendis? *Reſp.* Hæc quidem ſubinde jactantur, ſed admodum imperitè. Quo jure divino, quo eccleſiaſtico, quo civili aureum hoc ſomnium hominibus, quibus mica ſalis, perſuadebunt. Beneficium aliquod Eccleſiæ præſtitum aut collatum à Magiſtratu ſive fideli, ſive infideli, ſive orthodoxo, ſive heterodoxo, ſive neutrali tantam metamorphoſin inducet? tantę tranſlationis fundamentum erit? cedo fundamentum imaginarii hujus fundamenti. Illa ſi faciat, audiet nutritius, defenſor, patronus Eccleſiæ, & eccleſiaſticæ Poteſtatis ac politiæ: non tamen ejuſdem hæres, poſſeſſor, proprietarius. Et ſi jus illud hâc ratione ſibi acquireret Magiſtratus, & Eccleſia ilico eodem privaretur; quidni idem dicas de quocunque privato, qui liberaliter immo & magnificè Eccleſiam aliquam topicam tantis reditibus dotaret, quanti ad ſuſtentationem miniſterii fabricæ, pauperum requirerentur.

Unde duo ſequerentur abſurda: *Unum* eſt per eleemoſynam ſeu ſpontaneam oblationem, ſeu donationem quam Titio donatori acquiri jus in Mævii Poteſtatem, libertatem, munus, bona: & Mævium acceptâ eleemoſynâ, aut dono, ilico iis omnibus excidere. *Alterum* eſt, ſimoniæ quæ in acquiſitione eccleſiaſticæ Poteſtatis committitur, non fore tunc peccatum. Confer quæ alibi de *Simoniâ & de Jure patronatus* diſſeruimus. Ut verbo dicamus, externa illa quocunque modo ſe habeant, non ſunt de eſſentiâ Eccleſiæ aut Poteſtatis eccleſiaſticæ: nedum ut externorum illorum ſive templorum ſive redituum cauſæ externæ efficientes ſcil. ſi varient, quidquam intrinſeci ponant in Eccleſiâ, aut ab eâ tollant. Sed dicas, Si Magiſtratus ex ærario ſuo defectus non ſuppleret, aut reditus quibus abutebantur clerici Papales veræ Eccleſiæ non reſtitueret, utique eccleſia iis non frueretur? Regero, tantundem eſſe, ac ſi dicas, ſi Titius tutor Mævii bona ipſius non vindicaſſet & ex manibus injuſtè eadem poſſidentium aut involantium non eripuiſſet, utique Mævius nihil aut parum poſſideret: ergò ſequitur jus & poſſeſſionem dictorum bonorum competere nunc Titio, non Mævio. Subtiliter ſanè & legaliter. Denique ex ſuperioribus repetendum, quod jam toties inculcatum Eccleſiæ inſtitutę propriam, internam, & ἀχώριστον Poteſtatem dogmatizandi, Miniſtros vocandi, Canones, & Decreta condendi, Cenſuras exercendi, ſpectari (haut aliter ac maritalem & patriam) vel in ſe, quod ad eſſentiam veritatem & bonitatem ſuam; vel in ordine ad externum aliquod accidentale hoc eſt adjunctum ſeu connexum ac coordinatum ipſi ordinem Magiſtratus, ejuſque regimen circa Eccleſię Poteſtatem & regimen in Republicâ ſuâ tolerandum aut non tolerandum, fovendum, fulciendum, defendendum, & neceſſariis commodorum, locorum, redituumque ſubſidiis juvandum, aut non juvandum. *Priori* reſpectu non dicent, ut opinor, Magiſtratui competere Poteſtatem: quia non eſt Eccleſia, aut quà hoc Eccleſiæ membrum; non magis quam Epiſcopus eſt Eccleſia diœceſiana, aut Papa Eccleſia univerſalis uti ineptiunt Papiſtæ. Repugnat enim hominem unum, & quidem fidelem (e. gr. Regem aut Principem, aut Epiſcopum, aut Papam) eſſe multitudinem, numerum numeratum, gregem, communitatem &c. Nec *Poſteriori* reſpectu, quia omnia illa ad Eccleſiam ejuſque Poteſtatem ſe habent per accidens; & conſequenter accidentalia illa, ſuppeditata à Magiſtratu templa ſcil. & ſtipendia, Poteſtatis ac regiminis eccleſiaſtici fundamentum eſſe non poſſunt, aut cauſa efficiens proxima, ſive principalis, ſive procatarctica: quâ ſcil. poſitâ præſumta Poteſtas eſſet penes ſolum Magiſtratum, & quâ ablatâ ab eodem tolleretur. Quod tantundem eſt, ac ſi Divites ſive Principes ſive Privati cives Titio exuli aut pauperi cum uxore & liberis de hoſpitio & alimoniâ ſponte proſpicientes, eo ipſo Poteſtatem maritalem aut patriam in totum aut ex parte ſibi vindicarent: & rurſum, ſimulac

mulac nutritius ille ceſſaret benefacere aut pauper Titius beneficio renuntiaret, Poteſtas maritalis & patria in ſolidum à Titio teneretur & exerceretur: Talis alienatio, & Poteſtatis aut regiminis ab Eccleſiâ in Magiſtratum, ac viceverſa tranſlatio nec ex jure divino, nec ex humano tum civili tum canonico confirmari poteſt: præterquam quod accidens unum numero permanens de ſubjecto in ſubjectum non migret. Forte quis excipiat, abſurda hæc jure impingi poſſe tranſlationi ſive κτήσεως ſive χρήσεως Poteſtatis mariralis aut patrię in Mævium nutritium & benefactorem Titii; ſed non ita tranſlationi Poteſtatis eccleſiaſticæ tum regiminis tum juriſdictionis in Magiſtratum fidelem Eccleſiæ nutritium & patronum. Sed facile replicatur, longè majori ratione abſurdiſſima hæc abſurda impingi viciſſariæ illa Poteſtatis eccleſ. commigrationi (antehac à Remonſtrantibus, nunc apertius à novis Eraſtianis & *Ludov. Molineo in Coroll. ad paræneſin oſtentatæ*) quam tranſlationi Poteſtatis maritalis. Minus enim in aliud genus tranſitur, ſi ad imitationem tranſlationis dominii in bonis corporalibus, tranſlatio dominii, Poteſtatis, & poſſeſſionis maritalis concipiatur: quia utraque Poteſtas & in bona & in uxorem eſt de hoc mundo; & ſub uno hoc genere continetur. Sed Poteſtas eccleſiaſtica ut & Eccleſia cum omnibus ſpiritualibus rebus ac donis ſuis non eſt de hoc mundo. *Joh.* 18. *v.* 36. Quod ſi adverſarii propriis dictatis ſtare velint, facile ab hoc nodo Eccleſia ſe expedire poſſet renuntiando templis publicis & ſubſidiis Magiſtratus, & res ſuas ſibi ſive publicè, ſive privatim ſive clam habendo: ad exemplum, *primitivæ Eccleſiæ*, & Waldenſium, Huſſitarum, reformatorum in Galliâ in variis partibus Germanię, in Belgio regi Hiſpaniarum ſubjecto, jam inde à primâ reformatione uſque in hunc diem; adhęc in partibus Hungarię Turcico imperio ſubjectis. Ut nondicam de quamplurimis eccleſiis Orientalibus, Græcis, Bulgaricis, Syris, Armenicis, Ægyptiacis &c. in eodem imperio. Eccleſias in Belgio fœderato primęvæ ſuę conditionis non ita pudet aut piget, ut, ſi Deo ita viſum fuerit, ad eam redire non mallent, quam idolum illud Cæſareo Papatus introducere. Vide ſupra *Cap.* 3. *pag.* 159. dictum eccleſiar. Hollandic. a. 1582. Confer quæ circa præſentem quæſtionem de Templis & Stipendiis nobis dicta cap. 2. *pag.* 138. *VII. Quæſt.* An Magiſtratui competat jus deputandi ad Synodum, & literis mandati ac fidei Deputatos ſynodales inſtruendi. *Reſp. Neg.* 1. Non eſſet tum Conventus eccleſiaſticus, ſed politicus. 2. Repugnaret, & Scripturæ *Actor.* 15. coll. cum 2. *Corinth.* 8. 18. 19. (unde analogicè id colligitur) & omni antiquitati ac praxi eccleſiaſticæ. Videantur *Tomi Conciliorum*: & praxis celebris *Synodi Dordracenæ* a. 1611. 1619. *in Actis* modo cit. *VIII. Quæſt.* An eccleſiaſticè & legitimè Deputatos aliquos ad Synodum prohibendi, aut revocandi? *Reſp. Neg.* niſi politicè judicet, politiæ ſuæ, & ſalutis Reipubl. intereſſe, propter ſcil. negotia aut difficultates politicas deputationi

tioni illi implexas. Num autem rectè an secus ita judicet, & an res agatur tantum prætextibus (quod est inter arcana Reipublicæ) Dei solius est judicare, cui rationem reddet: Ecclesiæ autem est tolerare. Prout Ecclesiæ nostrę in Galliâ a. 1618. tolerabant, sequestrationem regiam profectionis quatuor theologorum à se ad Synodum Dordracenam deputatorum. Sed propter causas mere ecclesiasticas, aut theologicas, Deputatos nullos arcere potest, quos ecclesiasticum judicium admittendos statuit: nisi ordinem omnem inversum, Deoque adversum velit. *IX. Quæst.* An per se aut per suos delegatos debeat interesse Synodo? *Resp.* Nulla hic est absoluta necessitas, nec ex parte Synodi, nec ex parte Magistratus, *Non ex parte Synodi*; quia Magistratus ejus partem non constituit, nec est de ejus essentiâ, ut videre est in primâ & perfectissimâ Synodo *Actor.* 15. aliisque illius exemplo tum in primitivâ Ecclesiâ, tum in reformatâ habitis: quarum paulo ante meminimus. *Non ex parte Magistratus*: siquidem tales novit esse synodales; talisque sit rerum in Republicâ constitutio, ut nulla sit justa suspicio, præter boni civis officium, aut in mutuam perniciem, aut in Reipubl. detrimentum ibi quidquam committendum. Inter bonos bene agier oportet. Si tamen in contrarium sit præsumtio, aut alioquin ad abundantem cautelam ita velit Magistratus, utique contra comparitionem & præsentiam ejus nihil excipiendum. Immo nonnunquam Ecclesia ipsa, quamvis Magistratus nollet aut non urgeret, præsentiam ejus utiliter requireret. Illustre exemplum dedit Belgium nostrum in celebratione Synodi Nationalis Middelburgensis a. 1581. Ubi cum Ecclesiæ ob Libertinorum, Neutralium, Semi-Pontificiorum quorundam ex Magistratibus (præsertim in Hollandiâ) sinistras suspiciones, immo & atroces calumnias de novo Papatu, de novâ inquisitione, de novo jure canonico &c. peterent ab Ill. Ordd. Generalibus, ut aliquos ex suis eò ablegare dignarentur: responsum hoc tulere 14. Maji 1581.

Propositum petitorum se non posse non probare tanquam Christianum & pium &c. Se requisivisse ut etiamnum præsentibus hisce requirunt, ut instantem Synodum promoveant, celebrent, absolvant loco hic designato absque Deputatorum à generali Ordd. conventu ad hoc exspectatione: quod DD. Orddes. nihil aliud de petitoribus præsumere aut opinari possint, quam quod omnes actiones suas tam in hâc instante Synodo quam aliàs ad Dei gloriam & ædificationem Ecclesiarum Christi instituturi & directuri sint. Hæc a. 1582. ex archivis suis Synodi Hollandicę ita exhibebant in responso suo ad Remonstrantiam Senatus Leidensis DD. Ordinibus Hollandiæ tradito, & paulo post evulgato. Quod D. *Triglandus Historiæ suæ ecclesiasticæ* inseruit; & nos seorsim a. 1659. hic Ultrajecti recudi curavimus, Quod ad Magistratus in Synodis præsentiam modo explicatam, observari velimus, nos nullam hic distinctionem facere inter Magistratum fidelem & infide-

Digitized by

fidelem, orthodoxum & heterodoxum: ſi rigidè naturale jus in ſe ſpectemus, & non exercitium juris, locis, temporibus, perſonis, & ſtudiis actionibuſque hominum attemperatum. Cum pari jure uterque præſentiam ſuam urget, & pari jure admittendus eſt. Sic hodie Rex Galliæ per Delegatum ſuum intereſt Synodis Nationalibus noſtrorum. Si Imperator Turcicus ob juſtas ſuſpiciones ex mutationibus politicis, quæ a. 1658. 1659. 1660. in partibus Transſylvaniæ & Hungariæ evenerunt, nec adhuc ceſſant, conceptas, Miniſtris ſibi ſubjectis pro tempore earum Synodorum, quas una cum Miniſtris Regis Hungariæ ſubditis quotannis celebrant, frequentationem prohiberet: aut ob rationes politicas cognitionem omnium, quæ illic aguntur per præſentem quem Delegatum ſuum ſibi expoſceret; quo jure hoc declinarent magis quam noſtri in Galliâ, aut etiam in politiis reformatis? Quod ſi judicent Eccleſiæ non expedire ut aut Imperator Ottomannicus per delegatum ſuum audiat deliberationes de propagatione fidei inter Muhammediſtas, aut Galliæ Rex per delegatum ſuum audiat conſilia & decreta de Miniſtris ad clandeſtinas Eccleſias, aut ſub papatu delitescentes fratres mittendis, deque frangendis & præveniendis conſiliis ac machinationibus Papatus: illo in caſu Conventus Clandeſtini inſtituendi, præter publicos, aut intermiſſis publicis. *X. Quæſt.* Quibus actibus ordinarium officium Magiſtratus circumſcribitur, ſiquidem Synodis intereſſe voluerit? *Reſp.* 1. Ut omnium, quæ ibi eccleſiaſticè geruntur, agat *cognitorem.* 2. Ut architectonicâ Politicâ Poteſtate provideat & impediat, ne ſynodales tractent politica, & res non ſui fori. 3. Ut eâdem Poteſtate exorbitantes, *ἀτάκτους*, tumultuantes compellat, ad communis honeſti & decori, ut & ordinis eccleſiaſtici ac legum ſynodalium jam publicè & communi conſenſu receptarum obſervationem, in ſedendo ſcil., audiendo, ſuffragiis dicendis, ſententia formanda &c. 4. Ut in quæſtionibus facti & de diſciplinâ, ſi quę mixti ſint fori (ut non rarò ſunt) ſeparato purè & formaliter eccleſiaſtico à politico, in politicis architectonicè & ſolus definitivam ſententiam ferat ſecundum leges, & mandatum ſuum: aut ſi mandatum ipſius ad hæc ſe non extendat; judicio principalium hoc reſervari curet. In eccleſiaſticis verò deliberativo ſuffragio & conſilio, ſiquidem ita illi viſum fuerit, aut Synodus poſtulaverit, commune bonum promoveat. 5. Ut examinandas & decidendas proponat cauſas, aut quæſtiones quaſcunque eccleſiaſticas de doctrinâ & moribus in theſi aut hypotheſi, quarum deciſionem judicaverit aut ad conſcientiæ ſuæ, aut ad populi ſui inſtructionem atque ædificationem, aut ad publicum bonum pertinere. Plura ſi Magiſtratui in Synodis aliquando tribui contigerit; id totum fuit non juris, ſed voluntariæ conceſſionis totius Synodi, aut partium diſſidentium ex compromiſſo, &c. *XI. Queſt.* An etiam penes ipſum ſit gravamina & agenda in Synodis preſcribere, & ſolis illis Synodum alligare? Reſp.

Neg. Eſt enim illud *primò* quidem eccleſiarum quarumcunque particularium, & combinationum eccleſiaſticarum in diſtrictibus, aut provinciis, aut nationibus, quæ ad Synodum illam pertinent: *Deinde* etiam privatorum quorumcunque fidelium cum exterorum, tum domeſticorum, qui ad communem ædificationem aut per literas aut coram Synodis quid proponendum habent. *Denique* & imprimis gravatorum, qui per juſtam provocationem cauſas & querelas ſuas eo deferunt. Quod ſi Magiſtratus omnia illa ad ſe rapiat, utique libertati & conditionibus Synodi Chriſtianæ vim facit. In caſu tamen implexi graviſſimi incommodi politici (quod quid ſit forte non dicit, ſed numerat in arcanis Reipubl.) ſi cauſam aut quæſtionem aliquam particularem, aut facti in Synodo proponi aut ventilari nolit; utique Eccleſiæ obediendum eſt, & ab ejus tractatione ſynodicâ illo tempore abſtinendum. Sin cauſa ſit doctrinę & quidem capitalis ac ſontica, quæ moram non patitur, niſi Eccleſię ſalutem ſubverti aut periculoſiſſimè concuti velimus: tempeſtivè & piè deliberandum, annon in clandeſtinis conventibus remedium imminenti malo parari queat: alioquin erit ſecedendum, aut publicis Eccleſiarum Conventibus & privilegiis renuntiandum. Nunquam enim extrema illa & temporalia cum tantâ conſcientiæ, & ſalutis publicæ jacturâ emenda ſunt. *XII. Quæſt.* An præſidentia in Synodis competat Magiſtratui. *Reſp.* De præſidentiâ externâ & politicâ, quæ tamen poteſt adeſſe aut abeſſe, *Aff.* De præſidentiâ intrinſecâ, eccleſiaſticâ, & ſynodali, *Neg.* *XIII. Quæſt.* An Poteſtatem habeat ſynodales concluſiones inhibendi, aut etiam Synodum diſſolvendi & abrumpendi? *Reſp.* Coram Deo, & in foro conſcientiæ non habet: niſi politica ibi tractentur; aut ſaltem talia, quę cum fundamento Reipublicæ conſiſtere nequeant, aut legibus ac præjudicatis Eccleſiaſticis antehac legitimè approbatis & publicè receptis, ut & Miniſtrorum ac particularium Eccleſiarum, qui ſynodales delegârunt, ſenſui ac conſenſui repugnent. Quo in caſu curſus factionis, & ἀταξίας malignantium ſiſti poteſt, ſaltem ad tempus, ut extra præjudicium cauſa tantiſper maneat, & Eccleſiis occaſio propius iſta conſiderandi non præripiatur. Quod ſi vero Magiſtratus Poteſtate ſuâ abutatur ad opprimendam libertatem & ordinem eccleſiaſticum; patienter ferendum: interim Eccleſiæ ædificationi, (ſiquidem neceſſitas ita poſtulet) alio, quo fieri poteſt, modo providendum; uti ſupra dictum eſt. *XIV. Quæſt.* An Eccleſiæ conveniat Synodorum indictio & convocatio, an verò Magiſtratui. *Reſp.* Primo, per ſe, & intrinſecè Eccleſiæ convenit; Magiſtratui verò convenit conſenſus; non quidem per ſe, ſed per accidens externi ſcil. hominis cum ſuis circumſtantiis, & relatè ad politiam, in quâ eſt Eccleſiâ? Ratio communis hæc eſt; quia docet natura nullum confluxum hominum ex variis Regni aut Nationis Provinciis abſque conſcientiâ Magiſtratus palam fieri

Digitized by

fieri posse: nedum ex variis Regnis, & Nationibus. Ipsius enim scire interest, qui, quales & cur conveniant. Haut aliter ac consensus primo & intrinsecè fundamentum, est ut conveniant mas & fœmina ad cohabitationem conjugalem; quamvis sine consensu Magistratus convenire non possint. Et hoc est, quod nostri volunt, dum Papæ convocationem abjudicantes, Magistratui adjudicant. Præterquam quod imprimis hoc intelligi debeat de Concilio Generali in Imperio Romano aut occidentali. Alioquin multas Synodos particulares & topicas tum clanculum, tum etiam palam absque convocatione Magistratus convenisse certum est. Vide controversiam de Conciliis; ubi imprimis notanda *Novell.* 123. & exemplum Valentiniani apud *Sozom. lib. 6. c. 7.* Quidquid enim excipitur, nihil manet, quàm absque tacito aut expresso consensu Magistratus palam vix convenisse: quod nos facile concedimus. Alioquin primum Concilium, & omnium aliorum exemplar, *Actor.* 15. & sic Ancyranum, Carthaginense aliaque supra memorata à Magistratu convocata non sunt; ne quidem exsertum habuerunt Magistratus consensum. *XV. Quæst.* An Magistratus invitos ecclesiasticos in Concilium cogere possit? *Resp.* Non video cur hoc aliquo in casu non sit licitum; siquidem necessitas Ecclesiæ id postulet, & factio malignantium Clericorum in tantum perturbaverit Ecclesiam, ut amplius nec mala sua, nec remedia ferre possit: imprimis etiam si propter intestinas contentiones Clerici Synodos refugiant. Est enim Conciliorum, si legitimè congregentur, & liberè haberi possint, salubris autoritas. Quod eventus contrarium non raro docuit; id totum est per accidens; & abusui hominum, non ordini divinitus concesso imputandum. Nihil enim tam justum, tam divinum, tam utile, quo hominum malitia non abutatur. Compulsionem cum dico, non intelligo de Ecclesiis sed de ἀπάκτοις aut refractariis, aut turbantibus quibusdam clericis. Quibus non compulsoriis Papam & addictos ipsi ecclesiasticos pro habendis Conciliis ad Ecclesiarum in Occidente reformationem urserint Imperatores & Principes Christiani, docent *Historiæ* imprimis duorum proximè præcedentium sęculorum. Vide *Pleßæi Myster. Iniquit.* coll. cum *Historiâ Guicciardini, Thuani,* & *Pauli Scarpi, cui* tit. *historia concilii Tridentini. XVI. Quæst.* An judicium in Synodo decisivum soli Magistratui competat; ut quidem velle videtur Episcopius Disput. de Jure Magistratus circa sacra, thesi 16. *Claßes & Synodos convocare, personas evocare atque eligere, convocatis leges ponere, modum agendi præscribere, exorbitantes in officio continere, sententias & vota rogare, & vel peremptoriè statuere, vel quod in iis gestum est approbare, ut in publicam legem transeat, ad eundem supremum Magistratum pertinet.* Verecundius multo *Wttenborgardus libr: cit. p.* 109. ait: etiam à Magistratu inter synodales judicium ferri posse: quæ opinio mox excutienda. *Resp.* Insulsum hoc paradoxum nulli Scripturę,

aut

aut rationi, aut eccleſiaſticæ antiquitati aut novitati ac praxi convenit; quin & omnibus illis diſertè repugnat, & deſcriptioni Conciliorum, ac Poteſtatis Eccleſiæ, apud quaruncunque partium Theologos Dogmaticos, & Elenctico s: nominatim etiam apud *Arminium Diſput.* in Acad Leidenſi a. 1606. propoſitâ *de Poteſtate Eccleſiæ* & anno 1608. *de Conciliis.* Breviter nulla eſſet vel ſpecies Concilii Eccleſiaſtici; ſed tantum evocatio quorundam Theologorum, à quibus Conſilium exquirat Princeps, aut quos velit ſecum aut inter ſe collationem ſuper controverſiis religionis &c. inſtituere: ſic tamen, ut etiam ſine hoc choragio peremptorium judicium ſit penes illum: ſic enim ſancit Epiſcopius ibid. theſi 10. & 11. *Jus habet &c. perſonas idoneas vocare & eligere* (ad miniſteria ſcil.) *de earum publicis actionibus omnibus judicare ac peremptoriè ſtatuere, vel exauthorando, ſi malè &c. Et quidem ſi videbitur & gravis aliqua cauſa urgeat, inconſultis iis, quibus ſacrorum adminiſtratio demandata eſt: non enim conſilio ipſorum in conficiendis decretis ſuis, aut in iiſdem roborandis & ſtabilendis authoritate opus habet.* Quæ abſurda Theologia plane gemina eſt illi Curiali-papiſticæ, quæ omnem Concilii & Eccleſiæ Poteſtatem in unum Papam redigit: in eo tamen Papiſticâ magis ſtolida & ridicula eſt; quod nullam vel probationis ſpeciem moliatur, & ex ſolâ ſuâ affirmatione eam ſe nobis obtrudat. Et hæc quidem verſatilis Remonſtrantium Theologię dictata de Synodis, tantiſper dum in Hollandiâ brachii ſæcularis favore novitates ſuas Eccleſiis obtruſum iri ſperabant. At poſtquam verſæ ſunt rerum vices, aliam formam Synodorum commenti ſunt. Vide *Acta Synodi Dordracenæ ſeſſ.* 25. & 26. Poſtquam ſynodale judicium, peremptorio (ut cum ipſis loquar) & architectonico Illuſtr. DD. Ordd. judicio approbatum eſſet, nihil niſi nullitates Synodi tam contra eccleſiaſticos quam politicos crepabant: de quibus conſulendi libri tit. *Nullitates Synodi Dordracenæ*, vernaculè editæ, aliique iſtius commatis. *XVII. Quæſt.* An ergo Magiſtratui una cum Eccleſiaſticis judicium competat? ut vult *Wttenbogardus loc. cit. Reſp.* eſt hęc mera confuſio Poteſtatis & judicii politici cum eccleſiaſtico, & quaſi collateralitas quædam. In Synodis ſuffragia ſuffragiis architectonicè non dominantur, ſed libera ſunt: potiora autem ſuffragia, paucioribus legem figunt. Si ergo Magiſtratus ſuffragetur cum ſuffragiis, quæ vincuntur, jam ſequitur ſupremam & architectonicam Poteſtatem ſubjici judicio Synodi & Poteſtati eccleſiaſticæ: atqui hoc tanquam grande nefas ad invidiam noſtræ ſententiæ conflandam proclamant Remonſtrantes: prętерquam quod hęc determinatio *Wttenbogardi* & propriis hypotheſibus, & *Epiſcopio modo cit.* & *Apologiæ cap.* 25. egregiè contradicat. Quia autem nec ſeipſos, nec noſtros ſatis intelligere videntur, aut doloſè diſtinguenda confundere & ludere ambiguitate terminorum; accuratè diſtinguendum eſt judicium Magiſtratus, quale & quotuplex ſit. *Primò* Magiſtratus judicium

um non est publicum judicium ecclesiasticum seu synodale directionis scilicet & instructionis ; sed est longè ab illo distinctum. Ratio est; quia Magistratus non est Synodus, nec ministerium ecclesiasticum, nec Ecclesia quâcunque notione scripturariâ aut theologicâ vox Ecclesię intelligatur (nisi dicant Imperatorem aut Principem esse Ecclesiam virtualiter, quomodo *Bellarminus* Papam suum.) Jam Ecclesiæ aliquod esse judicium & quidem intrinsecum, αὐτὸν, primum, antecedens, πρόδρομον constat ex Act. 15. 6. 19. 22. 25. 28. *Matth.* 18. 17. 18. 1 *Cor.* 5. 3. 4. 5. 13. 2 *Cor.* 8. 19. 2. *Thess.* 3. 14. 15. *Act.* 20. 28. 29. 30. *Tit.* 3. 10. *Apoc.* 2. 2. 20. & 3. 9. Quę loca plus indicant, quam consilium, quod judicio ecclesiastico per magistratum habendo adesse aut ab eo abesse potest, pro libitu Magistratus, uti ἀπὸ γραφῆς dictat M. Episcopius. *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi tanquam Ethnicus &c. Secundò*, Magistratui, si fidelis sit, competit consequens spirituale judicium, (quod discretionis & approbationis vocari potest) juxta 1 *Cor.* 10. 16. 1 *Thess.* 5. 20. 21. 1 *Joh.* 4. 1. Estque hoc illi commune cum omnibus Ecclesiæ membris; & subordinatum est immediatè atque hypotheticè judicio antecedenti Ecclesiæ; ultimò autem & absolutè judicio Spiritus S. loquenti in Scripturis. Quam subordinationem pariter tribuendam omnibus fidelibus, & consequenter etiam Magistratui quà fideli, & Ecclesiæ membro, constat ex *Math.* 18. 17. & 10. 40. 41. *Hebr.* 13. 17. 1. *Cor.* 10. *v.* 16. 1 *Thess.* 5. *v.* . Quod si Magistratus sit infidelis, & si ita velit, competit illi judicium *cognitionis* (hinc antiquitus dicti *cognitores*) quod naturâ posterius est judicio ecclesiastico, circa quod versatur, (omne enim objectum prius est suo adjecto) : non tamen est illi directè & proximè subordinatum, quia non est unius ejusdemque generis & ordinis, non est internum & αὐτὸν; sed alienum, extrinsecum & ξένον adveniens. Siquidem infideles sunt & dicuntur *peregrini*, *hospites*, *incolæ*; fideles dicuntur *concives sanctorum*, *domestici Dei Ephes.* 2. *homines spirituales*, *prudentes* 1 *Cor.* 2. & 10. Nec ita attinet ad Ecclesiam *de iis qui foris sunt judicare*, ac *de his qui intus sunt.* 1 Cor. 5. Atque hoc Magistratui infideli quà infideli cum omnibus infidelibus & θεῖς ἴξω commune est. *Object.* Atqui judicium hoc sive cognitionis sive discretionis præstruitur & presupponitur judicio architectonico Magistratus quà talis (de quo mox dicendum) & cum illo necessario connectitur : ergo non videtur hoc commune esse Magistratui cum hominibus quibusque privatis. *Resp.* Intrinsecè & suâ essentiâ ac ratione formali unum idemque est judicium: quamvis intrinseco illo respectu differat, & aliter se habeat in homine privato, aliter in Magistratu. Sic objectivè unum idemque utrobique est Jus & potestas judicandi, quamvis subjective differat. In privato homine est judicium privatum & purè spirituale ac theologicum; in Magistratu dici potest publicum & architectonicum, impropriè sc. & per extrinsecam denominati-

Digitized by Google

onem, quia ad architectonicum & publicę potestatis judicium peculiariter ordinatur. *Tertiò*, Magistratui quà Magistratui (non quâ fideli) omni, & soli, competit judicium aliquod architectonicum, peremptorium, decisivum, politicum: Quod judicium istis aphorismis describitur. 1. Est distinctum à judicio illo sive cognitionis sive discretionis (quod modo explicuimus) quo Magistratus sive ut vir bonus & sapiens (quomodo eleganter Athenagoras justitiæ æquabilitatem & philosophiam in Imper. M. Aurelio Anton. & L. Aurelio Commodo implorat,) sive ut fidelis, Ecclesiæ membrum, concivis sanctorum, ovis Christi vocem ejus in Ecclesiâ audiens, pro se in conscientiâ sive naturali sive regenitâ dijudicat & statuit, quid in causâ & judicio illo ecclesiastico liquidum sit. 2. Habet pro objecto suo proprio, immediato, directo, & per se, non veritatem & pietatem aut spirituale quid in se (circa illud enim versatur judicium discretionis aut cognitionis modo dictum) sed externa omnia & politica cum causâ illâ veritatis & pietatis conjuncta. Itaque non judicat, an quid sit verum, aut pium; sed an & quomodo in Republicâ illud tanquam fundamentum aut adjunctum ejus ἐχόμενον stabiliri possit, ut scil. transeat in *materiam status*; quod si non, an & quomodo juxta cum religione publicè receptâ defendi debeat: si ne hoc quidem, an & quomodo tolerari in Republicâ aut non tolerari possit. 3. Est ergo formaliter & intrinsecè judicium politicum; non verò ecclesiasticum aut Theologicum & sacrum, nec publicum nec privatum, nec antecedens nec consequens: nisi quis objectivè & impropriè per extrinsecam scil. denominationem ita appellare velit, quod scil. versetur circa sacra indirectè, consequenter, & per accidens intersse & respectus politici cum re aut causâ sacrâ inseparabiliter conjuncti. 4. Potestas hujus judicii competit omni Magistratui infideli æquè ac fideli; idque jure divino, naturali, & humano. Cuicunque enim competit Potestas publica, ei competit hoc judicium publicum: est enim Ecclesia in Republicâ, est in hoc mundo, quamvis non sit de hoc mundo. Hinc est, quod ad hoc judicium provocaverit, & coram eo causam dixerit *Paulus Act.* 24. & 25. & 26. Et sic antiqui Christiani, ut videre est in egregiis *Apologiis Justini*, *Athenagoræ*, *Minutii Felicis*, *Tertulliani*: qui postremus & professione erat Juris consultus, & omnem sæculi eruditionem complexus; ut de illo loquitur *Hieronymus*. 5. Judicium hoc nulli Ecclesiæ, aut ecclesiastico Ministro, aut Concilio communicatur; quia Potestas ejus residet in solo summo Magistratu, in ἐξουσίᾳ ὑπερεχούσῃ; idque jure divino, & humano. 6. Qui illud cum ecclesiastico confundunt, sive in Synodis sive extra Synodos; illi non leviter illud violant; & objectum adjecto & vice versa substituunt, aut cum illo confundunt & faciunt Aulam seu Curiam Synedrium aut Synodum ecclesiasticam; aut Ecclesiam faciunt curialem seu aulicam: hoc est, πραγμάτειον. Sic dum

Ma-

Magiſtratui quid tribuere videntur, reipſa jus Majeſtatis illi adimunt, quod ſoli illi illibatum erat reſervandum, nec ille cum eccleſiaſticis in eundem confeſſum, idem tribunal, idem judicium compingendus. 7. Judicium illud de judicio eccleſiaſtico, & circa illud poteſt formare, ferre, & pronuntiare, aut è veſtigio coram ipſâ Synodo & in loco Synodi (ſiquidem ita ipſi viſum fuerit,) aut poſtea & inde ſecedens, in aulâ aut curiâ ſuâ. Locus enim & tempus rei eſſentiam non conſtituunt, aut intrinſecè immutant. 8. Judicium hoc eſt peremtorium, deciſivum, ſummum, & architectonicum. 9. Itaque non eſt ſubordinatum eccleſiaſtico (quamvis eo ſit & naturâ & tempore poſterius, illudque conſequens) ſed ei coordinatum; verſatur enim circa judicium eccleſiaſticum ratione ſcilicet τ πολικῶν cum illo connexorum, ſeu illi adjunctorum. Expendit enim, cognoſcit, & judicat ſpiritualia & eccleſiaſtica ſub alio formali; haut aliter ac medicus & pictor corpus humanum, ille quà ſanabile, hic quà effigiabile. Sed Eccleſia ſeu eccleſiaſtici ab Eccleſiâ ad hoc conſtituti & quidem ſoli judicant ſpiritualia & eccleſiaſtica antecelſorio & autoritativo ſuo judicio, ſub alio formali, ut talia ſcil. in ſe & per ſe. Qui didicit diſtinguere & ſpecificare ſcientias e. gr. phyſicam & medecinam ex objecto formali, is non confundet judicium eccleſiæ antecelſorium architectonicum, publicum cum politico? quamvis unum idemque ſit objectum materiale, Eccleſiæ ſcil. doctrina, ordo, regimen, cauſa. 10. Ab illo nulla eſt provocatio ad judicium ullum aut eccleſiaſticum aut politicum, ſed tantum ad judicium Dei. Si quis in conſcientiâ illud probare nequit (uti nemo tenetur in conſcientiâ ullum judicium Curiæ adverſus ſe latum approbare, ſiquidem juſtè & debitè latum non ſit) debet ſaltem obedire eique ſe ſubjicere, ferendo, patiendo, aut fugiendo; quia faciendo, quod imponitur, per conſcientiam non poteſt. Hoc autem ſic intelligi volumus, ut Eccleſiæ & eccleſiaſticis provocationis via ſecundum leges Reipublicæ fundamentales, ad Magiſtratus ſuperiores, immo & inferiores, non magis quam aliis quibuſcunque ſubditis intercluſa non ſit. Sic e. gr. in Imperio Germanico, ſi ſubditi à ſupremo Principe Papiſticæ religioni addicto graventur, quidni ad Electores, aut Comitia Imperii, aut Status ac Principes Auguſtanæ confeſſionis confugiant, eorumque interceſſione & patrocinio tantiſper utantur, fruantur: ut antehac non raro factum. 11. Vocatur etiam hoc judicium *approbativum*, & nonnunquam *executivum*. Sed accuratè diſtinguendum; an Scriptores abſtractè & præciſè reſpiciant judicium diſcretionis ſeu cognitionis ut ſic; an vero politicum ſeu architectonicum, ut ſic; an denique utrumque συνδιδυαζόντως. Niſi enim ſua cuique attributa propria, & utrique attributa communia diſtinctè aſſignentur: totus controverſiæ ſtatus pervertitur, & in caſſum farragine allegationum pugnatur: immo tota diſputatio in imperitam λογομαχίαν, & συλλογομαχίαν deſinit, aut ipſi ſibi inſigniter con-

tradicunt, propriaque cædunt vineta. Legat, cui vacat, *Wtenbogardum*, *Grotium*, *Episcopium locis cit. & Remonstrantes in Apologiâ.* Hâc distinctione judiciorum observatâ: optimè etiam explicari potest quæ debeant esse & quæ fuerint partes Magistratus in Reformatione Ecclesię, aut procurandâ unione dissidentium. *XVIII. Quæst.* An Magistratus sit Constitutiones, seu Leges ecclesiasticas formare, & præscribere. *Resp. Neg.* Quia penes Ecclesiam est Potestas regiminis spiritualis ad quam pertinet νομοθεσία: ut docent omnes *Theologi Pontificii* pariter ac *Nostri*; etiam *Arminius Disput.* antehac citatâ, anno 1606. qui & ipso titulo disputationis hoc præscribit. Praxis antiquę Ecclesiæ, & Codex Canonum, quibus Ecclesia Oecumenica in orbe Romano olim Regi solet, aliique Nationalium Canones seu Capitula, idem evincunt. Magistratus autem non est Ecclesia: *ergo.* Aliud est, si Magistratus Leges ecclesiasticas à se approbatas, autoritate politicâ muniat, & in materiam ac partem status transire faciat: aut si leges quasdam ferat circa res & leges ecclesiasticas, de rebus quibusdam politicis, sine quibus ecclesiastica commodè promoveri aut executioni mandari nequeant. *XIX. Quæst.* An ad eum pertineant visitationes ecclesiasticæ? *Resp. Neg.* Cum communi consensu & praxi Ecclesię antiquæ & hodiernæ. Est enim visitatio pars curæ & regiminis ecclesiastici. Aliud quid est, si politicam visitationem circa ecclesiastica (siquidem rem ita postulare judicaverit) instituat; aut si ecclesiasticos autoritate suâ ad debitas visitationes secundum receptum ordinem, imprimis politicè confirmatum constringat. *XX. Quæst.* An penes ipsum sit jus eligendi Ministros, Presbyteros &c. *Resp. Neg.* Cum communi antiquæ & hodiernæ Ecclesię consensu; attestantibus etiam JCC. ac Politicis tum nostris ut *Plesæo*, *Justello*, *Marnixio Sanct. Aldegundio*; tum Pontificiis, *Thuano*, *Petro Matheo &c.* Quæstionem hanc ex professo tractârunt *Helmichius*, *Joh. Acronius*, *Molineus tractatibus de Vocatione Ministrorum*; & contra velitationes Remonstrantium sæpius laudati *Walæus*, *Lubbertus*, *Sopingius*; & *Nos* infra *Part. 2. ubi de Vocatione* contra prætensionem Juris patronatus. *XXI. Quæst.* An possit exauthorare Ministros? *Resp.* Ecclesiasticè non potest: quia non est Ecclesiâ; nec politicè propter ecclesiastica, sine judicio ecclesiæ: quia judicium ipsius non est hic antecedens, nec illi sunt commissæ claves ecclesiasticæ. Propter purè politica si aut exilio, aut deportatione, aut inclusione, aut etiam extremo supplicio eum punit, jam tantum indirectè seu consequenter una ministerium aut exercitium ejus tollit. *XXII. Quæst.* An Jurisdictio ecclesiastica sit penes Magistratum, hoc est censuræ & excommunicatio? *Resp.* Nec in totum, nec ex parte: sed penes Ecclesiam. *Math.* 16. 18. & 18. 17. 18. 1 *Cor.* 5. 3. 4. *XXIII. Quæst.* An ipsi competat in cultibus publicis, per quos & quomodo fieri debeant, constituere, ordinare, exigere; ut dictat *Episcopius thesi* 8. *Resp.* Ut Ecclesiæ jam constitu-

Digitized by Google

ſtitutę & ordinatæ ſive in publicis ſive in privatis ædibus anteceſſor ſit Magiſtratus, qui non eſt diſpenſator Chriſti, 1 *Cor.* 4. 1. & cui Euangelium non eſt concreditum, abhorret ab omni Scripturâ. Locis vero in margine notatis 2 *Paralip.* 17. *verſ.* 6. 7. 2 *Reg.* 23. *verſ.* 19. 2 *Paralip.* 31. *verſ.* 2. 2 *Petr.* 2. *verſ.* 13. *Deut.* 17. *verſ.* 18. *Joſ.* 1. *verſ.* 7. nihil minus dicitur, quam quod Epiſcopius vult, ut ab autoribus ſępe cit. notatum eſt. Quodnam autem conſequens judicium, & quę Poteſtas executoria Magiſtratui hic competat, ex ſupra dictis conſtat. *XXIV. Quæſt.* An membro aut Miniſtro Eccleſiæ liceat cenſuras ſeu deciſiones & ſententias eccleſiaſticas forti favore brachii ſęcularis prȩvenire, ſiſtere; aut ab iis jam latis ad Magiſtratum provocare? *Reſp.* Fecerunt hoc Remonſtrantes, in *Remonſtrantiâ ſuâ ad Ill. Ordd. Hollandiæ* anno 1611. (unde etiam nomen ſuum ſortiti ſunt) & ſic deinceps totâ praxi ſuâ; epithema ſcabioſis ſuis novitatibus & ἀνθέλκυσις adverſus pacificas & bene conſtitutas Eccleſias ab authoritate publicâ Magiſtratum quorumque (quos tunc circumvenire ac dementare poterant aut quos religioni & Eccleſiæ reformatę minus favere noverant) quærentes: quam calumniabantur per latus ſuum ab Eccleſiis peti. Sed quam hoc Poteſtati, ordini, regimini divinitus in Eccleſiâ conſtituto repugnet anno 1641. oſtenſum eſt à Deputatis ſynodi Friſicæ in exceptione declinatoriâ Curiæ provinciali exhibitâ; quam facultas noſtra Theologica, juxta cum Leidenſi & Groninganâ approbavit, quamque ſequenti anno typis expreſſam evulgavit *Petrus Cabeljavius* nuper Eccleſiaſtes Leovardienſis tunc Leidenſis, una cum pleniſſima ac doctiſſimâ ejuſdem defenſione tit. *Apologetica reſcriptio pro libertate Eccleſiæ in exercendâ diſciplinâ &c.* Quo lectorem remitto: ne actum agam. Quod ad calumniam Remonſtrantium de proculcatâ aut imminutâ auctoritate Magiſtratus, ad ravim uſque tunc buccinatâ; vide quomodò a. 1617. *Miniſtri orthodoxi in Secundâ contraremonſtrantiâ, ſeu Reſponſione ad ſecundam Remonſtrantium remonſtrantiam ſub finem pag.* 108. *in reſp. ad* 11. impactam novitatem, profligaverint. Quamvis obſervata modo determinatione noſtrâ ſupra perſpicuè, uti arbitramur, propoſitâ, ſponte eam concidere neceſſe ſit. Eſt tamen caſus, in quo licitum eſſet, ſi non ad ipſos provocare, ſaltem auxilium ipſorum implorare: cum ſcil. Diotrephes aliquis, aut tyrannica factio malignantium indebitè & contra communiter ac publicè approbatas conſtitutiones eccleſiaſticas, ἀνομίαν, & libertatem Eccleſię ſubverſum eunt: aut cum ordine recepto & publicè ſtabilito ac præſcripto (bene an malè hic non diſputatur) Poteſtatem illam Magiſtratus obtinet & ex conſuetudine ac quaſi ex lege eandem exercet: aut cum directè & propriè quęſtio ſeu cauſa eſt politica, ſuper quâ ſit provocatio; ſic actiones *Pauli Actor.* 24. & 25. & primorum Chriſtianorum, item Catholicorum contra Arrianos, & Donatiſtas, ut & teſtium veritatis ſub Papatu, ad hæc primorum reformato-

Digitized by Google

rum & martyrum, explicari debent. Quod ſi quis excipiat provocationi in formâ ſemper locum non fuiſſe; dicatur prævention, aut querela, aut indicium &c. Modo nullum aliud judicium Magiſtratui tribuatur, quam quòd ſupra expoſitum eſt; pro ratione rerum ſeu cauſarum, de quibus judicium ferendum eſt. *XXV. Quæſt.* An Poteſtas hactenus Magiſtratui tributa, etiam infideli aut heterodoxo competat. *Reſp. Aff.* excepto judicio ſpirituali diſcretionis: quia non eſt homo ſpiritualis 1 *Cor.* 2. 19. nec prudens ſeu ſapiens 1 *Cor.* 10. 16. Cujus tamen vicarium, & analogum, eſt judicium *cognitorium:* quod Ethnicis Magiſtratibus ſemper delatum fuit à Chriſtianis. Sic Archelaus coram Ethnicis cognitoribus diſputavit cum Mane teſte *Epip. Hær.* 56. Athanaſius cum Arrio coram Probo; Idem obtulerunt Catholici in Africâ coram rege Hunderico Arriano: teſte *Victore de Perſecut. Vandal.* Quamvis autem vix perſpici poſſit, quid plerique autores recentiores de Poteſtate Magiſtratus infidelis circa eccleſiaſtica ſenſerint, (hodie enim diſputantes in medio Chriſtianiſmo, ut plurimum ſubjectum quæſtionis ad Magiſtratum Chriſtianum reſtringunt); ingenuè tamen dicendum quod res eſt: ne ſimpliciores in eam opinionem paulatim adducantur, quaſi interveniente heterodoxiâ aut infidelitate, Poteſtas à Magiſtratu in alium ilico tranſlata ſit. Non poteſt melius Cæſari dari quod Cæſaris, & Deo quod Dei eſt, nec confuſio omnis evitari, quam ſi rotundè dicatur, Magiſtratui quà tali nihil competere quod Eccleſiæ eſt quà Eccleſiæ, nec viceverſa. *Robertus Burhillus de Poteſtate Regia contra Eudæmon-Johannem p.* 288. ſubobſcurè & timidè indicat, ſe ſentire omnes Reges etiam excommunicatos & Ethnicos habere Primatum Eccleſiæ, (qualem ille explicuit,) in ſuis Regnis. *Arminius in Diſputat. de Conciliis* anno 1608. Reſp. & autore (uti arbitror) Gul. Wirtſeo de Bergomo, *theſi* 19. apertè idem jus tribuit Magiſtratui Gentili, quod Chriſtiano. *XXVI. Quæſt.* An Magiſtratus Poteſtatem habeat circa Sacra æque in privatis conventiculis, ac in publicis templis. *Reſp. Aff.* & muſteum Remonſtrantium commentum, de Poteſtate eorum architectonicâ ſed templorum muris coërcitâ aut alligatâ, ſupra perſtrinximus. *XXVII. Quæſt.* An Miniſter Magiſtratu prior ſit & honoratior. *Reſp. Neg.* contra praxin & doctrinam Pontificiorum, *Bellarmin. lib.* 3. *de membris Eccleſiæ cap.* 17. conferri poteſt *Chaſſaneus in Catalogo Gloriæ mundi parte.* 4. *conſid.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. Inſulſas eorum rationes, unicâ hàc ſolidè profligari putamus: quod illi præſint Miniſtris *quà ſubditis ſuis*, Poteſtate architectonicâ, ſupremâ, dominante coactivâ: Miniſtri autem Magiſtratui, quà ovibus ſuis, Poteſtate miniſteriali. 1 *Cor.* 3. *verſ.* 5. 2 *Cor.* 1 *verſ.* 24. 1 *Petr.* 5. *verſ.* 3. Et quod quæſtio cum ſit de catalogo gloriæ, præſtantiæ, ἐξοχῆς ſeu eminentiæ ac primitatis (ita loquar) in hoc mundo; & regnum Chriſti ſpirituale, cujus officiarii & Miniſtri ſunt Concionatores, non ſit de hoc mundo: nullo

Digitized by Google

nullo modo ex præstantiâ rei spiritualis supra temporalem, eminentia Ministri spiritualium, supra Dominum ac Regem temporalium, in statu & ordine hujus sæculi, inferri debet. Alia esset quæstio, si collatione Dei redemtoris in Christo, aut Christi mediatoris, cum Rege aliquo, aut supremo Magistratu institutâ h. e. Domini cum Domino, Regis spiritualis cum sęculari, quæreretur, An Christus *dictus Rex Regum & Dominus Dominantium*, Apocal. 19. vers. 16. sit prior & honoratior Rege sæculari. Tunc enim quæstio esset de statibus & gradibus parallelis, quamvis heterogeneis. Sicuti in collatione Ministri sęcularis, apparitoris scil. aut janitoris &c. qui Principi aut Magistratui inservit; & Concionatoris, qui Minister Christi in curâ Ecclesiæ. Adferri solent à nonnullis & aliæ rationes: sed non videntur tam solidæ; & hanc unam peremptoriam arbitror sufficere.

APPENDIX

Continens quæstionem, de Præsentiâ Magistratus in omnibus Conventibus presbyterialibus seu Consistorialibus, qui oppidatim & hebdomadatim habentur.

Anno 1639. cum vulnus illud contentionis, celebri & florenti alicui Ecclesiæ in Belgio infli-ctum, adhuc recens esset; & multus tum apud fideles esset sermo; occasio in Disp. Penes quos sit Potestas ecclesiastica, *se offerre videbatur (præsertim petentibus aliquot fratribus) ad hanc quæstionem digrediendi. Eam ergo, uti tunc tractabam* tertiæ Disputationis illius parti *insertam, pauculis mutatis, hic repono.*

APpendicis loco disquirendum de hâc quæstione alicui nuper agitatâ: An in Ecclesię cujusque parochiario ordinario conventu presbyteriali, præsentia & externa præsidentia Magistratus requiratur. *Resp.* determinamus τὸ ζητούμενον per istas conclusiones 1. *Conclusio.* Non requiritur de necessitate. Ratio est, quia necessitas illa aut esset mandati divini, aut medii? *Non prior*, quia hoc nusquam in sacris comparet: & praxis ecclesiæ tum apostolicæ tum primitivę ostendit talem præsentiam ac præsidentiam posse abesse. *Non posterior*, quia nec requiritur ad esse Ecclesiæ seu Synedrii, nec ad bene esse. *Non illud*; nam alioquin sequeretur, nullum fuisse legitimum Synedrium tempore Apostolorum, aut proximè sequentibus sæculis, nec in ullis Ecclesiis post reformationem: quod absurdum est. *Non istud*, quia Ecclesiæ integerrimæ: & optimè se habentes nec habuerunt eam, nec curârunt eam, nec expetierunt, tanquam quid ad ulteriorem perfectionem & integritatem suam requisitum. Exemplo sint Ecclesiæ apostolicæ. Si quis excipiat, quia homines ecclesiastici scil. nunc sunt fragiliores, & Magistratus Christia-

Digitized by Google

Christianismum profitentur, jam in actum & executionem duci & debet & potest perpetuum illud jus Magistratus. *Resp.* 1. Non minus homines in Politiâ sunt fragiliores: nec omnes Senatores hodie sunt Moses, Josaphati, Hiskiæ, Josiæ, Constantini, Theodosii, Caroli Magni &c. 2. Papistæ de Potestate temporali Papæ similiter excipiunt: à tempore scil. Apostoli Petri jus fuisse, sed non actum aut exercitium, quod Magistratus esset hostis Ecclesiæ: Sed illi probationem aliquam ex Scripturâ, ratione, & antiquitate pro Hildebrandicis suis dictatis moliuntur; qui in eo ἐνσάρκους videri volunt hodiernis novatoribus Cæsareo-Papatus patronis; quos non nisi ex suâ affirmatione dictata sua defendere audias. Sed de hoc infra. 11. *Conclus.* Non esse prætensam illam præsentiam utilem. Quia aut Ecclesiæ, aut Magistratui & politiæ, aut utrique esset utilis. *Non Ecclesiæ*; quia nec ratio, nec experientia, nec testimonium vel sapientum, vel plurimorum aliquam utilitatem hactenus probavit: saltem non talem, quæ Ecclesię perturbationes, meliorum cogitationum jacturas, animorum distractiones, bonorum gemitus, infirmorum scandala, hostium Ecclesiæ exultationes & insultationes, malevolorum sinistras de ecclesiasticis suspiciones, communis religionis opprobria & dedecora compensare queat. Non *Magistratui*, quia ut hâc tam impotenti suâ contentione (quasi de summâ Reipubl. & Ecclesię ageretur) serenitatem majorem conscientiæ suæ, & παῤῥησίαν apud Deum in precibus suis, in cruce, in agone mortis (si qui jam hinc discesserunt) acquisiverint, ego non facilè crediderim. Hebr. cap. 13. vers. 17. *Ipsi enim* (præpositi scilicet ecclesiastici) *vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, cum gaudio hoc faciant; & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* (ἀλυσιτελές.) Ego non applicabo; sed omnibus cònscientiam suam excutiendam relinquo, an non illę molitiones, per quas cœlum terræ potius miscendum videtur, quam quidquam de contentione remittendum, reliquerint stimulum aliquem post se, aut in die malo subjecturi sint; juxta Rom. 6. v. 21. *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis.* Jam verò & Pastores, & multa millia piorum ingemuisse, Deus novit, nec amici juxta cum inimicis ignorare potuerunt. *Non Politiæ*; quia ante hanc prætensam præsidentiam; securitati, paci, gloriæ & splendori Reipublicæ per Dei benedictionem nihil defuit; nec alibi in orbe reformato quidquam decedit, ubi hæc præsidentia ignota est. Atque hæc de utilitate: quam autem frustra eam prętendunt, mox considerabimus. III. *Conclusio.* Non est decorum, ut præsidentia talis introducatur. Quid sit πρέπον, & quomodo ab honesto seu bono distinguatur aut cum eo conveniat, exponunt Philosophi: & nos hic præsupponimus. Conferantur *Commentatores ad* 1. *Corinth.* 11. 13. Est aliquid, quamvis absolutè & in se non malum, tamen indecorum. Jam verò indecorum hic est & à parte Ecclesię, & à parte Magistratus

tus. *Ex parte Eccleſiæ*, 1. Quod ſoli Eccleſiæ reformatæ Belgicæ quaſi perduellionis, & neſcio quorum criminum reæ aut ſupra omnes alios cœtus graviſſimâ ſuſpicione laboranti, alicubi nova hæc ſervitus imponatur: cum omnibus aliis Conſiſtoriis exterorum (Anglorum & Gallo-belgicorum) ſua libertas relinquatur; immo & ſectarum, ut Anabaptiſtarum, Sociniano-Remonſtrantium &c. etiam Judæorum? Illi enim de ſuæ religionis cauſis & negotiis, in ordinariis aut extraordinariis ſuis Conventibus, liberè conſultant abſque præſentiâ & præſidentiâ Magiſtratus, An fratribus & ejuſdem fidei conſortibus minus fidendum, quam perfidiæ Judæorum, aut κακοπλοΐας Remonſtrantium, Anabaptiſtarum? 2. *Quod* cuivis Collegio civico, & Fraternitatibus Mechanicorum, Nautarum, Bajulorum &c. etiam infamium & Libertinicorum hiſtrionum pluscredi videatur; quam piis Paſtoribus & probatis Senioribus. Illi enim ordinarios ſuos Conventus celebrant abſque præſentiâ Magiſtratus. 3. *Quod* cum in unâ Eccleſiâ novitas illa urgetur, nuſquam verò in aliis Eccleſiis Belgii, aut ullis exteris reformatis: ſtigmate aliquo aut rebellionis, aut conſpirationis, Paſtores & Seniores illi præ omnibus aliis notari videntur. Quæ contumelia virisinnocentibus & univerſæ religioni noſtræ ſatis acerba eſt: cum illi exemplo primorum Chriſtianorum in legatione Athenagoræ (in principio); & Eccleſiarum Gallicarum in publica & celebri declaratione ſynodi Privacenſis anno 1612. Kal, Junii, nullum ſupplicium deprecaturi ſint, ſiquidem culpæ ulli ſuccubuiſſe deprehenſi fuerint. Ex parte *Magiſtratus, & politiæ.* 1.° Quod illi hanc novitatem obtrudunt, qui Eccleſiæ nutritios ſe profitentur, & magnâ, ſi non maxima ex parte ejus membra, filii, fratres amici audiunt; ſaltem audire volunt. Nolim dicere, ut cum Semo & Japheto patrum ſpiritualium nuditatem tegant, ſi quæ eſſet; minimè: ſed ne ſaltem aliis pravam aliquam de iis ſuſpicionem injiciant, cum juſta cauſa non ſit. 2. *Quod* alibi in Eccleſiis reformatis (ubi Preſbyteria locum habent) Magiſtratus nihil tale urgeant: imprimis ubi reſident ſupremæ Poteſtates, & Curiæ, ut Hagæ-Comitis, Arnhemi, Ultrajecti (ſic a. 1639. verè ſcribebam, nunc autem hominibus & temporibus mutatis illa haut parum hic mutata ſunt) Leovardiæ, Groningæ, Middelburgi &c. nec etiam ubi peregrini ſunt Belgæ, ut Londini, Colceſtriæ &c. in Angliâ; & Hanoviæ &c. 3. *Quod* Reges, Principes, & Magiſtratus à religione noſtrâ alieni hoc minime urgeant aut uſurpent, qui alioquin alio colore & majorem diffidentiæ ſpeciem prætenderent: ex.gr. in Galliâ, in Convallibus Duci Sabaudo ſubjectis, in Imperialibus quibuſdam civitatibus, Hamburgo, Noribergâ, Argentinâ &c. 4. *Valide* præſumptiones hominibus injiciuntur, non amore Chriſti & religionis à nonnullis hæc agi, ſed ex vindictæ cupiditate κατ' ἐξέτασιν, ἢ κατάδηλα (*Philip.2.v.3.4.*) ſi non propter aliud quid, quod dies aliquando revelabit; ſemi-Libertiniſmum ſcil., aut Sociniano-Remonſtran-

ſtrantiſmum &c. ut quidem tunc erant tempora, & nonnulli primipili in hac contentione. 5. *Quod* ibi hæc fierent, ubi tot ſectæ circumſiſterent, & certatim ſibilarent ac manibus plauderent. 6. *Quod* libertas Eccleſiæ ibi in arctum cogeretur magis, quam alibi: ubi tamen tanta licentia & Judæis, & ſectis, & hiſtrionibus concederetur, veram Chriſtianam religionem, ejuſque Antiſtites ſcenis & editis ſatyris exagitandi. IV. *Concluſio*: Non convenit aut conducit Eccleſiæ ordinaria illa præſentia; ſed plane *inconveniens* eſt: quamvis abſolutè & omni in caſu non eſſet illicita: de quo infra dicendum. Diſtinctio hæc inculcatur 1 Corinth. 6. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt* & 1 Corinth. 10. 23. *omnia non ædificant*. Rationes ſunt 1. *Quia* arcana quęvis conſcientiarum, & familiarum, quæ ex viſitationibus eccleſiaſticis, aut quavis aliâ ratione Synedriis innoteſcere poſſent, & materia fieri ad hortationis & correptionis fraternę, aut cenſuræ eccleſiaſticę, non convenit coram Magiſtratu (qui ſuo juramento, & Politiæ legibus aſtrictus eſt) revelari: tangunt enim illa non raro judicia ipſorum civilia aut criminalia. 2. *Quia* præjudicare videtur libertati ſuffragiorum, & ea non leviter impedire in particularibus cauſis & negotiis; imprimis ſi ea concernant aliquos ex familiis & cognatione Senatorum, aut etiam aliquem ex ipſis Senatoribus. Si Toparcha, aut ſupremus Princeps vellet adeſſe conſeſſui Judicium, cum proceſſus de reditibus aut debitis ipſius terminandus eſſet, an non putaretur impediturus ſuffragiorum libertatem, aut ſaltem impedire velle? 3. *Quia* ſaltem ſpecies mali eſt: quaſi velint involare regimen eccleſiaſticum; & cum Papis clavem Petri, & gladium Pauli ſibi uſurpare. Quod ſi dicant ſe Eccleſię relinquere claves; ſed velle ut ad nutum ipſorum claudant & aperiant, quomodo Bonifacius VIII. gladium Magiſtratus ſtringi volebat ad nutum Sacerdotis: reponimus, hoc ipſum nihil aliud eſſe, quam claves tollere. Sin Eccleſię debitam & antiquam Poteſtatem ac libertatem relinquant; cur non abſtinent ab illâ ſpecie mali? cur Eccleſias turbant? 4. *Quia* novitas eſt; omnis autem novitas (ſine neceſſitate) periculoſa eſt. Nôrunt, quid Politici judicent de illis, qui rebus novis ſtudent, & præſentia faſtidiunt, & velint mutari præſentem rerum ſtatum &c. 5. *Quia* à Remonſtrantibus in gratiam factionis ſuæ odioſa hęc novitas alicubi cœpta eſt promoveri & introduci: quod eam non parum debebat ſuſpectam reddere. 6. *Quia* Eccleſiis noſtris ex turbis Remonſtranticis nuper emerſis, & per Dei gratiam tantâ unitate ac pace florentibus, ea maximè ingrata, odioſa, & ſcandaloſa eſt. 7. *Quia* contra Sectis, & Eccleſiæ hoſtibus ea admodum grata eſt: putant enim per depreſſionem & vilipendentiam Eccleſię reformatæ infra alias ſectas (hâc ſaltem in parte) immo infra Collegia & Conventus quoſcunque hominum, etiam Hiſtrionum; ſe emergere, & gloriæ ac ſpei ſuæ non parum accedere. 8. *Quia* communi conſenſu & praxi Eccleſiarum in Belgio,

nec

nec in ullâ Provinciâ, nec in ulla Classe tale quid receptum est: ab iis autem ut una Ecclesia particularis de novo separetur, minime consultum videtur; quæ hactenus doctrinâ & ordine Fraternitati, consociationi ac correspondentiæ ecclesiasticæ in Classibus & Synodis fidelissimè adhæsit. 9. *Quia* manifestè repugnat *Decreto Ill. DD. Ord. Hollandiæ* 19. *Julio* 1624. qui ad postulatam communis ordinis ecclesiastici politicam confirmationem respondent: Ut quælibet Ecclesia inhæreret ordini recepto & hactenus in singulis classibus usitato, donec communis ordo ecclesiasticus politicâ authoritate confirmaretur. Quod Decretum confirmant Delegati Concilii Ordinum 19. Decembr. 1626. Cum quo conveniunt *Statuta Synodorum Hollandicarum*, præsentibus & approbantibus DD. Delegatis Ordd. ut *Goudanæ* 1620. *art.* 91. *Gorinchemensis* 1622. *art.* 6. *Brielanæ* 1623. *art.* 4. *Dordracenæ* 1627. *art.* 5. Accedit communis praxis, absque ullâ innovatione ubique usque in hunc diem continuata. v. *Conclusio*: Introductio prætensæ præsidentię non convenit caritati & prudentiæ Christianæ, & consequenter *importuna* est: quamvis daretur in se esse adiaphora. Hic ex. 1 *Corinth.* 8. & 10. ac loco communi de *scandalo*, velim discant, aliquid in se adiaphorum & non illicitum, illicitum tamen fieri ratione & in casu scandali. Rursum usum libertatis Christianæ (si dicitur hic esse libertas) circumscribi lege caritatis & prudentię. Adhæc adiaphorum aliquid esse in specie seu objectivè, nullum tamen in individuo, seu subjectivè: hoc est, nullam singularem actionem humanam esse adiaphoram. Circumstantiis omnibus & rerum momentis expensis, cogitet quisque, an non aliquo modo induerit se istis telis. *Qui autem scandalizaverit unum de illis pusillis* &c. *væ mundo à scandalis* &c. Math. 18. 6. 7. An non mœrere fecerit cor justi, & manus impii confortaverit?

Nunc solvendæ objectiones; quarum 1. Sessio Magistratus in Synedrio, competit illi *ipso jure Magistratus*, idque secundum jus divinum & humanum. *Resp.* 1. Est contra humanitatem, æquitatem, caritatem (quæ non cogitat malum 1. *Corinth.* 13.) ut ordinariò & semper illic sedeat, aut suos habeat observatores & excubitores; quasi in medio hostium, proditorum, perduellium, turbonum, conjuratorum versaretur & quasi Ministri ac Seniores reformati aut soli aut magis hac suspicione apud proprios filios & fratres suos laborare, atque ab iisdem haut obscurè stigmatizari debeant, quam alii quicunque cives, incolæ, advenæ professione religionis aut nulli, hoc est, Athei, Libertini, Neutrales, aut Idololatrę Papales, aut Judęi, aut Anabaptistę, aut Neo-Arriani; quorum omnium Consistoriis & Conventibus nec interstunt, nec interesse cupiunt aut conantur. In casu necessitatis & justi metus, ubi salus populi & politię hoc exigit, non tantum fideli, sed & cuivis infideli, hęretico &c. ipso jure magistratus competit, aut tantisper & istos & alios quoscunque Conventus inhibere, aut iis

Digitized by Google

intereſſe. Haut aliter ac domeſticos, quoſcunque civium ſuorum Conventus, convivia domeſtica, &c. tali in caſu luſtrare poteſt, aut iis tanquam ſpeculator adeſſe; non tamen ordinariò & ſemper obſervatores ſuos in armario, in triclinio, in officinâ, in fabricâ, in muſeio, in ærario, in cubiculo conſtituit: ut ſine paredris obſervatoribus illis pater & materfamilias aliiq; domeſtici, ſe veſtire, ſe exuere aut cubitum ire, cibum coquere & capere nequirent, nec ſcribere epiſtolas ad amicos, ad mercatores, nec inde viciſſim epiſtolas recipere eaſdemq; legere, rationes accepti & expenſi inire & conſignare. Certè ſi nulla ſine publicis teſtibus, obſervatoribus, præfectis loquendi, ſcribendi, deliberandi & quæcunque œconomica propria negotia agendi ac curandi familiis relinqueretur, idque prætextu publici boni, & metuendę conjurationis, proditionis & machinationis contra Rempublicam: ubi tunc eſſet communis libertas non ſine ſudore & ſanguine parta? Grotius lib. 5. annal. de rebus Belgicis, non longè poſt initium, ait *ingens Reipublicæ damnum* à comite Leiceſtrio *allatum fuiſſe* (ſunt verba indicis) *quod mercaturam circumſcriberet.* Modum circumſcriptionis in eo ponit, quod Reingautius quidam *ius inquirendi in tabulas mercatorum & literas* à Leiceſtrio accepiſſet; contra *vetera inſtituta, quæ maximam partem habent libertatis, amovere à cujuſque re privatâ ſpeculatorem.* Sed an Conſiſtorium eccleſiaſticum collegium maximè licitum & maximo favore dignum, minori libertate fruetur, quam familiæ & collegia mercatorum? An minus de mercatoribus ſuſpicari licet, ne quid agant in fraudem Reipublicę, & ne extraneis, quin & juratis Reipubl. hoſtibus, ſolius lucri cauſa (uti bonus odor lucri eſt ex re quâlibet) aliquâ in re velificentur; quam de orthodoxis & piis verbi Miniſtris. Hoccine eſt illos in honore habere 1 *Theſſal.* 5.? hoccine eſt illis tanquam præpoſitis ſuis obedire. *Hebr.* 13.? Deus cordium ſcrutator exurget aliquando & hanc cauſam judicabit. *Reſp.* 2. Velim vel unum textum Scripturę, & unam legem in corpore Juris, aut in Statutis Provinciarum & Civitatum nobis commonſtrari: quod cum hactenus nemo fecerit immo ne quidem conatus ſit (imprimis nec ipſi Politici Theologi Grotius, Wttenbogardus &c. qui alias Poteſtatem eccleſiaſticam Magiſtratus nimis ebuccinârunt) hinc pii & prudentes judicent, quâ juris divini humanique ſcientiâ & conſcientiâ hæc cauſa agatur. *Reſp.* 3. Siquidem *ipſo Jure Magiſtratus* Seſſio illi competat; ergo & omni etiam Infideli, Sociniano, Papiſtę, Mahumediſtico &c. competeret. Atqui abſurdum eſt, & cum Conſiſtorio plane *ἀσύμφωνον*, ut illi interſint deliberationibus de cenſuris in Miniſtros aut membra Eccleſiæ noſtræ, item de ſollicitando hoc aut illo infideli & heterodoxo ad fidem noſtram, de avertendis aut pręveniendis inſidiis & conatibus adverſariorum &c. Denique interſint clandeſtinorum peccatorum delationi (juxta *Mathei* 18. 15.) ad Synedrium, eorumque confeſſioni &c. Certe ſi hoc jus

ſuum

ſuum Magiſtratus (ex. gr. Rex Gallię, aut dux Sabaudiæ, aut hodiernus dux Neoburgicus in Ducatibus Montenſi & Juliacenſi) ab Eccleſiâ alienus urgerent, utique neceſſario Conſiſtoria abrumpenda eſſent, & clandeſtinæ Eccleſiæ inſtituendę, aut inde migrandum. *Reſp.* 4. Sequeretur hoc abſurdum, tum nullum hactenus Magiſtratum ſive filium Eccleſiæ ſive extraneum jus ſuum cognoviſſe: ſed omnes tanquam umbras volitaſſe. *Reſp.* 5. Jus divinum (permiſſivum ſcil., nullum enim aliud hic intelligi poteſt) ſiquidem adeſſet, non valeret ad tranquillandam eorum conſcientiam: videndum enim, quid neceſſitas, quid utilitas requirat, quid decorum, quid conveniens, quid oportunum, quid ſcandaloſum, quid occaſio aut quid ſpecies mali, quid ſuadeat prudentia & caritas Chriſtiana: ut ſupra oſtendimus. 11. *Obj.* Saltem Magiſtratui Chriſtiano competit, tanquam *cuſtodi utriuſque tabulæ. Reſp.* 1. Quid Magiſtratui & quà Chriſtiano, & quà Magiſtratui tribuendum ſit, & quomodo una eademque Poteſtas politica circa eccleſiaſtica infideli æque ac fideli competat; ſupra ſatis ſuperque docuimus. Siquidem hanc ἐπιτροπὴν ſibi jure divino & humano pro cuſtodiâ deberi putent, utique beneficia ſua transformant in onera & ſervitutes; & fieret nonnunquam *amaritudo Eccleſiæ* (ut olim alio in caſu conqueſtus eſt Bernardus ſerm. 33. in Cantic.) *in pace ipſius amariſſima. Reſp.* 2. Sequeretur, eodem jure & eâdem conſcientiâ debere Magiſtratum urgere, ut Concionatores prius conciones ſuas ipſis viſitandas exhibeant, adhęc literas mandati & fidei cum ad Synodum proficiſcuntur; præterea interſint & adſint ordinariis viſitationibus claſſicalibus, item ſingulorum membrorum in unaquâque Eccleſiâ; quin & extraordinariis viſitationibus, ubi de peccatis clandeſtinis aut de ſcandalis membri Eccleſię inquirendum, cognoſcendum, ubi ἔλεγχοι corripiendi, ignorantes inſtruendi, afflicti in conſcientiâ aut externâ calamitate conſolandi, infirmi aut dubitantes confirmandi, pauperes ſublevandi &c. Hæc enim eſſet genuina cuſtodia primæ tabulę, prout eam ipſi explicant & extendunt. Huc inſuper cuſtodia Poteſtatis politicæ, quæ prætextu ejuſmodi agendorum eccleſiaſticorum non minus peti & per factioſam πολυσυναγωγίαν, ἀποστασιοποιΐαν, conſpirationem violari poſſet, quam per Conventus conſiſtoriales; immo multo magis: quia multitudo virorum qui Conſiſtoria in majoribus civitatibus conſtituunt, vix admittit conſpirationem aut factionem contra Magiſtratum; & interſunt illis plerumque aliqui ex ipſis Senatoribus, aut Scabinis, aut ſaltem ex illis, qui peculiari ratione Magiſtratui obnoxii ſunt. Porro modo memorata ad primam legis tabulam magis ac proprius pertinere, atque adeo ad curam & cuſtodiam Magiſtratus, quam Conventus conſiſtorii, nemo ut opinor negabit. 4. Chriſtiani vox admodum ambigua eſt: ſunt qui nomen illud ſibi tribui velint, ut Enthuſiaſtæ, Libertini, Arriani, Sociniani; quibus tamen totus Chriſtianiſmus id negabit: hinc

diſquirendum eſſet, quâ homonymiâ tales dicantur *cuſtodes primæ tabulæ*, & *Eccleſiæ nutritii*. III. *Obj.* Quia alicubi in Belgio talis ſeſſio obtinet; ergo pari jure &c. *Reſp.* Tres ſolum Civitates in Belgio fœderato numerari poſſunt, in quibus hæc ſeſſio obtinuit; occaſione factionis politico Leiceſtrianæ introducta. Sed à facto & occaſione extraordinariâ in certo neceſſitatis caſu, ad praxin perpetuam non valet conſequentia. Ceſſante enim cauſâ ceſſat effectus, ceſſante occaſione tali, ceſſat factum extraordinarium: ſiquidem inter bonos bene agier oportet, nec eſt imputandum omnibus aut ordini, ſi quid aliqui ex illo ordine commiſerint: nedum ut ſiniſtræ ſuſpiciones Magiſtratuum de conſiliis & actionibus quorumvis Conſiſtoriorum & Miniſtrorum æternizari, atque adeo obſervatores & cuſtodes uſque ad finem mundi continuari debeant. Illi nodo, ſiquidem ille cuneus tunc fuerit quæſitus, & quidem illis in Eccleſiis; quid hoc ad præſentem rerum ſtatum, & alias Eccleſias. Infinitæ poſſent dari inſtantiæ: ſed una atque altera evidentiſſimè hoc, quod dicimus, evincent 1. Non pauci ex confœderatis Nobilibus, Gubernatoribus Provinciarum, Magiſtratibus Civitatum, Præfectis militaribus &c. cum Hiſpanis perfidè conſpirârunt: quod notiſſimum ex *Hiſtoriâ Belgicâ*: ſed quis tam inhumanus, ut omnibus iſtius ordinis in perpetuum diffidendum dicat, aut eos quaſi adhibitâ cuſtodiâ contumelioſè obſervandos; ne ſcil. ſimili modo exorbitent. 2. Factioni Leiceſtrianæ impliciti tunc erant, non tantum eccleſiaſtici quidam, ſed & Politici Judices ſuperiores, Præfecti militares, Magiſtratus civitatum, viri minimè mali; ſed per multiplicem rerum confuſionem ac ſubtiles prætextus, quibus tunc res agebantur, circumventi ac decepti; adeo ut nonnulli armis ab eâ divelli & expediri debuerint. Sed quis hinc integritati, fidei, & libertati omnium iſtius ordinis virorum perpetuò præjudicatum velit? 3. In primâ reformatione & rerum mutatione, in Belgio & alibi, Eccleſiaſtici cum Politicis, & hi viciſſim illis permixti ſæpe Conventus habuerunt, ubi in commune de ſalute patriæ & Eccleſiæ conſultabant: In Galliâ ejuſmodi mixtos Conventus habuerunt reformati uſquè ad annum 1624. quando poſtremus Rupellæ celebratus fuit, à quo declaratio illa querelis plena publicè edicta. Quid ſi hinc conſuetudinem perpetuam, & jus aliquod eccleſiaſtici exſculperent, an non merito dicerentur ἀποστατικοὶ, & res novas moliri? Quod in caſu neceſſitatis, aut in tantâ trepidatione & rerum omnium perturbatione aliquando fieri neceſſe eſt, id legem non facit, nec in perpetuam conſequentiam & conſuetudinem trahendum eſt. 4. Gubernatores Provinciarum, una cum Illuſtr. Ord. aliquando in mutandis Magiſtratibus civitatum extraordinariò quid egerunt (ex. gr. Roterodami, Amſtelredami &c. vid. *Hiſtoriam Petri Borrii*) quia rigido Papiſmo plerique tunc iſtic addicti: unde juſtus metus erat eos Hiſpanis favere & primâ datâ occaſione aliquid adverſus Rempubl. molituros. Extraordi-

ordinariu m etiam quid incidit circa mutationem anno 1618. propter factionem Remonſtranto Politicam (de quâ vide *Hiſtorias Baudartii, Sandii* &c.) in Geldriâ, Hollandiâ, Provinciâ Trajectinâ. Simile quid evenit Woerdę, propter contentionem noſtrorum cum Lutheranis. Sed nemo, niſi peſſimus politicus & libertatis Belgicæ ignarus, hinc concludet perpetuam conſuetudinem, & jus ordinarium. 1v. *Obj.* Synodus nationalis Hagæ Comit. anno 1586. talem ſeſſionem decrevit; & poſt eam Synodus Dordracena anno 1619. *Reſp.* Illa non ſtatuit ſed volens nolens, ut tunc erant tempora, poſtulantibus ita Politicis eam appendicem, ſeu illud epiſagma articulo ſeu ſtatuto eccleſiaſtico adjici paſſa eſt (ante enim in condendis & conditis ſtatutis a. 1578. & 1581. in Synodis Nationalibus Dordrac. & Middelb. non comparuit) quia aliter communi Illuſtr. Ordd. politica canonum confirmatio ſperari non poterat. Spes tamen illa nihilominus decollavit; & fruſtra præjudicium hoc adverſus fidelitatem ſuam paſſæ ſunt Eccleſiæ. Itaque non præſtitâ conditione, quam hâc conceſſione imprimis impetrari poſſe putabant; ipſo jure nulla eſt conceſſio, nullum decretum iſtius Synodi. Synodus Dordracena, a. 1619. quod confirmationem generalem Ordinis Eccleſiaſtici anno 1586. concepti tunc poſtulatam, non tamen impetratam, certâ ſpe devoraret: nihil auſa fuit hic mutare, ne apud Politicos ſpem ſuam vel leviſſimâ occaſione turbaret: quia primâ erat Synodus Nationalis poſt Synodum anno 1586., quę petitionem ejuſdem confirmationis nunc non impetratæ proſequebatur. Quid? quod eadem Synodus Dordracena a. 1619. inſuper aliam multo majorem Eccleſiæ ſervitutem *Jus* ſcil. *Patronatus* adjici paſſa eſt: quamvis invitiſſimè. De quo infra *Part.* 2. ubi *de Jure patronatus.* Nondum tamen communis totius Belgii politica confirmatio haberi potuit. Unde videmus, quam dextrè ex jure & decretis eccleſiaſticis hæc ſeſſio derivetur. v. *Obj.* Atqui Magiſtratui ſeſſio competit in Conciliis; ergo etiam in Preſbyteriis. *Reſp.* 1. Quomodo & quo reſpectu illis competat, ſupra dictum eſt. 2. Conſequentia nulla eſt à Conciliis ad Preſbyteria urbica, aut ruralia. Alii enim illic quam hic ſunt conſtituentes; illic linguis, legibus, moribus, inſtitutis, factionibus, tum eccleſiaſticis tum politicis ſæpe diviſi: hic ut plurimum omnia aliter ſe habent. *Deinde* autoritas & executio brachii ſecularis, illic ſępiſſimè præſto eſſe debet; hic non ita. *Tertio*, quia materia & agenda illic plerumque publicè nota ſunt; atque adeo ipſis Magiſtratibus; hic verò minime. *Quarto*, majora illa negotia Conciliaria ſubinde magis ſive directe ſive indirecte, ſive remote ſive propinque tangere aut poſt ſe trahere poſſent quædam politica; ſed negotia in Preſbyteriis non ita, quia ſunt exigua, aut particularia, ordinaria, & quotidiana. *Quinto*, hinc eſt, quod exſertus & particularis conſenſus Magiſtratus, ad quodque Concilium, etiam ordinarium poſtulari ſolet; non tamen ita ad habendum

dum Consistorium. VI. *Obj.* Habent forte alicubi particulares rationes, cur hanc sessionem præ aliis Magistratibus urgeant. *Resp.* 1. tum non debebat ex absoluto jure Magistratus defendi; nec adiaphorum, aut jure premissivo divino licitum tanquam absolutè necessarium urgeri. 2. Rationes nullæ possunt esse nisi particulares factiones aut negotiationes paci publicę & regimini politico præjudicantes, quas Magistratus justè aut injustè metuunt aut suspicantur. Quomodo fervente contentione Leicestrianâ, Hollandi & imprimis Leidenses tùm illo metu (quippe incommodum aliquod experti), tum imprimis sua quâdam contra reformatæ Ecclesiæ orthodoxiam, ἐυνομίαν, disciplinam antipathiâ, Consistoriis, aliisque Conventibus ecclesiasticis, eorumque agendis se haut parum favere multis modis jam ab anno 1579. usque ad 1586. ostenderant. Non mirum ergo, si illis deliniendis, & impedimento, quod vel ab illis solis ordinis ecclesiastici confirmationi poni poterat, removendo Synodus Nationalis a. 1586. consilium hoc necessariæ tolerantiæ in arenâ cœperit, præsertim sperato firmiter concessę πανοπλίας non-exercitio: prout experientia docuit in civitatibus Belgii (exceptâ unâ atque alterâ ἀκαιρίας hic satagente) hoc nunquam tentatum fuisse. Synodus tamen satis trepidè & ægrè hoc à se concedi verbis suis hoc modo temperatis ostendit artic. 34. (37. in novâ edit. post annum 1619.) *In omni Ecclesia erit Senatus ecclesiasticus constans ex verbi Ministris & Senioribus: Minister verbi (aut ministri, si plures sint) præsidebit, & actionem deriget. Et poterit quoque Magistratus loci, siquidem ipsi placeat, unum aut duos ex suis, existentes membra Ecclesiæ, apud Consistorium habere ad audiendum atque etiam de negotiis propositis deliberandum.* Consistoria debent sibi ab omni ἀπραγμοσύνῃ solicitè cavere, non minus ac Magistratus: utrisque enim intra limites vocationis suæ permanendum est. Quod si Consistorium aliquod, aut aliqua membra Consistorii ita exorbitent, ut metus sit perturbandæ pacis publicæ, aut moliendi quid contra regimen politicum, jam Magistratui cuilibet, etiam Ethnico aut hæretico, jus & fas est aut prohibendi pro tempore Conventus consistoriales, aut saltem justè suspectos inde arcendi, aut siquidem necessitas Ecclesiæ Conventus suspendi non ferat, suos quosdam observatores & epoptas eò mittendi. Ut autem hoc perpetuum sit, aut perpetuum super hoc statutum politicum condatur, nulla Christiana æquitas, prudentia, philadelphia suadere poterit. Quomodo jam post annum 1586. nullus Magistratus in fœderato Belgio de novo talem sessionem tentavit excepto Ultrajectino a. 1588. impellente eum merâ contentione politicâ: sed sequenti anno 1589. sessio illa intermissa fuit, usque ad ann. 1660. Post habitam Synodum Dordracenam a. 1619. nullibi tale quid tentatum: nisi unicâ in Civitate Hollandiæ, obstetricante occasione politicæ inter Magistratum & cives diffidentiæ. Dicam amplius, ante annum 1660., nequidem in

Pro-

Provinciis illis, ubi ordo ecclesiasticus episagmate illo de sessione delegatorum Magistratus in Consistoriis oneratus, politicam confirmationem obtinuit (scil. in Geldricâ, Ultrajectinâ, Transisalanicâ) ab ullo Magistratu tale quid tentatum. Ill. Ordd. Zelandiæ adstipulante ac suadente Celsiss. Principe Arausonensi Wilhelmo II. contra alicujus munerarii politici tentamen anno 1649. confirmati antehac anno 1590. ordinis ecclesiastici observantiam denuò decreverunt, & simul hujus episagmatis, quod in ordine illo iisdem terminis, quibus in ordine 1586. & 1619. comparet, non-observantiam. Dices forte æquitatis, χρηστότητος, philadelphiæ hanc fuisse exuperantiam. Quid prohibet alios honestâ æmulatione, ad hoc pietatis & caritatis fastigium eniti? nemini hæc laus præcluſa est. Ne autem nimiâ indulgentiâ, & inviris sacri ordinis fiduciâ, Rempublicam negligat Magistratus, attendat ad quosvis hominum & rerum mutationes, pericula præveniat, procul arceat, in tempore iis occurrat. Aliter autem iis & expeditissimè ac tutissimè occurri potest, ut scil. inter Seniores, aliquis aut aliqui sint ex ordine Senatorio, aut ex aliis Collegiis, Officiariis, Ministris civicis, qui Magistratui supra alios cives peculiariter obstricti sint: aut aliâ aliquâ ratione. Sed videndum ne suspicionibus erga nos mutuo, conscientiam injustitiâ polluamus. Fuerunt aliquando aliqui suspicionibus ac susurris obnoxii; quasi Clavium Regni cœlorum & Disciplinæ Ecclesiasticæ hostes essent, quasique ordinem Ecclesiæ his machinationibus paulatim subversum irent; & sub titulo Christianismi introductum vellent, Neutralismum, aut honestum Ethnicismum seu Ethnico-moralismum, aut Libertinismum, aut Socino-Remonstrantismum; saltem cum eo syncretismum & moderationem. Quis dicet omnia hæc certa esse? Adsit modo conscientia, caritas, & prudentia Christiana; & ilico omnia illa spectra evanescent: quod ut fiat, Deum veritatis & pacis animitus precamur. Ita ferè concludebam a. 1639. respiciens statum alicujus Ecclesiæ, ibique jam a. 1638. acta & translacta.

COROLLARIUM,

Quod cautelæ ergo anno 1639. *Disp. nostræ* de Potestate Ecclesiasticâ *subjiciebam, tale erat.*

NE quis siniſtrè hæc nostra interpretetur: ex abundanti monemus; aliud esse disputare de jure, & aliud de ratione & modo juris exercendi, (quam distinctionem etiam habet *Grotius in Pietate Ordd. p.* 85.) De jure divino strictè & ad conscientiam disputamus (nullum enim jota legis solvendum *Matth.* 5.) ut quisque sciat quid sibi agendum: sed quid & quantum humanæ infirmi-

Digitized by Google

tati, ac variis defectibus piâ & neceſſariâ ſæpe conniventiâ & tolerantiâ, cum tolli non poſſunt, concedendum ſit, ut principale aut majus Eccleſiæ bonum ſaltem obtineri aut retineri queat; in genere hic determinari nec debet, nec poteſt: quia pertinet ad conſilia Theologica & Eccleſiaſtica de particularibus negotiis, & cauſis hic & nunc curandis, tractandis.

Coronidis loco ad Diſceptationem de Jure Magiſtratus circa ſacra, exhibeo ipſa formalia verba Wolfii & Lutheri, ad quæ ſupra digitum intendi.

WOLFFIUS J. C. Tom. 2.

„ *Memorabil. centenario XVI. fol.* 987. *Vaticinium de* „*politico Antichriſto.*

„ QUidam Dominus nobilis hoc tempore Concionatorem ſuum publicè „ pro concione reprehendit, & eum mentiri dixit: quæ eſt vaticinii „ Lutheri ſufficiens impletio, qui politicum quendam Antichriſtum mox fo„ re ex *Apocal.* 17. prædixit: ut quemadmodum Papa Eccleſiæ prætextu poli„ticum arripuit gladium: ſic ille politiæ reſpectu eccleſiaſticum ſit capeſſu„rus, & politicam Eccleſiam, ſicuti & Papæ, facturus. Ac de eo id vatici„nium in concione dominicâ. 23. Trinitatis Witebergæ anno 1537. habi„ta, ita ſonat.

Verba magni Lutheri, quæ Wolfius ex tomis Germanicis Germanicè ibid. exhibet in Latinum tranſlata ſunt iſta:

„ Mixtura nunc fiet alia, ante Epiſcopi defecerunt; Aſt, ſi mundus dura„turus ſit diutius, eò deveniet, ut ii, qui Principes ſunt, & Magnates ſecula„res, velint eſſe Clerici; & tunc Prætor in Pago, Conſules in Urbibus, No„biles in Agris, Parochos & Concionatores reformare, iis magiſtraliter im„perare, imò præſcribere ſibi præſument dicentes: *Ita debet prædicari*, vel ſic „concionaberis. Hactenus autem, res ipſis non ceſſit, licet diabolus id jam „quærat ſummoperè omnemque eò navet operam. Illi ex Epiſcopis Princi„pes facti, Hi, utut Principum ſæcularium habitu incedant, nihilominus E„piſcopatum affectabunt. Et hujus generis Epiſcopi erunt ultimi circa fi„nem mundi, noviſſimo ſcil. die. Deus enim ad iram ſummè provocatus „eſt contra mundum, quod neque Chriſtum, neque pretioſiſſimum verbi „ſui theſaurum recipere voluerit. Siquidem jam piis ac probis Viris auſcul„tare ac obtemperare recuſabis; venient Epiſcopi, ut Principes ſæculares. „ Hæc Lutherus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Determinantur particulares aliquot Quæstiones de subjecto Potestatis ecclesiasticæ: an sit Magistratus, aliave collegia politica; saltem in statu Ecclesiæ corrupto aut turbato: an Papa, Episcopi &c. eorumque Curiæ, Ecclesiæ Cathedrales, Concilia: an soli Ministri, eorumve Conventus: an Ecclesia œcumenica, seu catholica: an Populus &c.

I. Quæst. AN in casu necessitatis, ordine in Ecclesiâ turbato, Potestas ecclesiastica ab tyrannis ecclesiasticis sive usurpatione, sive abusu, sive utroque (quales e.gr. Papa, & Papales Episcopi) ad Magistratum pro illo tempore transferri debeat, eique à populo seu corpore ecclesiastico, aut etiam à Parochis & Presbyteris tribui; si non quod ad jus, saltem quod ad exercitium, solummodo in illo casu & pro illo tempore, donec ordo in Ecclesiâ sit constitutus? *Resp.* Ita quidem concedere videntur nonnulli, & sic interpretari primas aliquot reformationes in Germaniâ, Daniâ, Suecià, Helvetiâ; atque huic basi superstruere subsecutum jus ecclesiasticum successivè usque in hunc diem: Sed meo judicio aut periculosè aut ambiguè ista dicuntur. Certè recentiores Theologi in Germaniâ quorum aliquos *preced. cap.* indicavimus, magis distinctè, cautè, & accuratè nunc loqui amant: experientiâ quippe edocti, quomodo factis & dictis quorundam primorum reformatorum sæculares abutantur in præjudicium Potestatis & disciplinæ ecclesiasticæ. Quidquid enim sit de factis, de quibus multa penitius disquiri, & non pauca in saniorem partem accipi & exponi possent: de jure omnino negamus. 1. *Quia* sufficit implorari & agnosci, hic Potestatem externam h. e. politicam circa sacra & ecclesiastica, *cap.* 3. & 4. à nobis expositam. 2 *Quia* sufficit externâ illâ & directiva Potestate si non auferri Potestatem tyrannis (indirectè scil. & consequenter, dum legitimo bello, aut Potestate quâvis coactivâ eos inde pellit, aut etiam propter scelera & flagitia extremo supplicio afficit) saltem exercitium ejus impediri; donec pressa & perturbata Ecclesia ordinem nacta, aut ordini suo restituta manusque jam liberas & expeditas habens, ecclesiasticè causam ἀπολύτων istorum examinet ac dijudicet. Non est ergo Potestas illa Magistratus, ejusque exercitium causa directè, per se, & proximè constituens formans, reformans, ecclesiasticum corpus, & publicum in eo cultum: sed est causa sine quâ non, seu removens impedimenrum. Non est ergo conveniens, nedum ut sit necessarii juris, ut Magistratus Potestatem tyrannis & usurpatoribus ablatam sibi tribuat & in se transferat. Hoc enim esset non tam tollere tyrannidem & Antichristianismum, quam mutare subjectum, Haut

Digitized by Google

aliter ac ſi Magiſtratus ad querelam & poſtulatum Mariti, uſurpationem Poteſtatis maritalis adultero aut raptori adimat aut prohibeat, atque unà eandem Poteſtatem maritalem in illam Fœminam (jure quaſi ſpolii aut confiſcationis, aut officii Marito præſtiti) in ſe transferat, & ipſe uſurpet. Quod eſſet mutare adulterum, non adulterium, ſubjectum turpitudinis, non turpitudinem. Ut ergo Magiſtratus per Poteſtatem ſuam directivam, ſupremam, & coactivam, ſed externam, prohibendo adulterum aut alienæ conjugis raptorem, nullo jure ſibi vindicare poteſt internam & αὐτεξούσιον illam Poteſtatem Mariti in Uxorem (quam maritalem vocamus); & ut idem Magiſtratus fures, prædones, ac graſſatores arcendo à bonis ſubditorum, in poſſeſſiones illas non involant & excluſis proprietariis, Dominium proprietatis ſibi vindicant, hoc ſcil. fundamento, quod habeant Dominium ſupremum & juriſdictionem circa illa bona ejuſque poſſeſſorem; quatenus ſunt illa illa ſuâ Republicâ; ſic etiam propter exercitium Poteſtatis ſuæ externæ ac ſæcularis circa Eccleſiam, & in bonum ejuſdem, non acquirit ſibi internam Poteſtatem in eccleſiaſticis, ſeu Poteſtatem eccleſiaſticam formaliter ſic dictam. *Object.* 1. Videtur Poteſtas eccleſiaſtica à noſtris reformatoribus tranſlata fuiſſe in Magiſtratus, aut ſaltem occaſionem datam Magiſtratui eam ſibi tribuendi; cum brachio ſæculari uſi ſunt contra Poteſtatem eccleſiaſticam, quę tunc erat penes Epiſcopos. *Reſp. Neg.* Poteſtatem Magiſtratus implorârunt, ejuſque auxilio & præſidio cum Deo uſi ſunt; quæ illis ſolis & jure & facto competebas, in defenſione ſcil. eccleſiaſticæ libertatis ac Poteſtatis: & coactivâ coercitione Papæ & Epiſcoporum, qui uſurpationem Poteſtatis eccleſiaſticæ & tyrannidem ſuam aliâ tyrannide & uſurpatione coactivę & politicę Poteſtatis (nominatim in Germaniâ) defendebant, & eccleſiam opprimebant. Erat ergo totum hoc pro Poteſtate & libertate eccleſiaſticâ tum populi tum cleri; non contra legitimam Poteſtatem eccleſiaſticam, ſed contra tyrannicum ejus abuſum & uſurpatores Epiſcopos. Errant ergo, qui hinc, ut & ex exemplo Pauli (*Actor.* 25. 10.) provocantis ad Cęſarem perperam inferunt, poſſe cauſas eccleſiaſticas à legitimâ Poteſtate & judicio eccleſiaſtico per provocationem aut alio quocunque modo ad Magiſtratum transferri. Nam 1. *Pauli* illegitimis & injuſtis judicibus Poteſtas eccleſiaſtica non competebat: conſtitutâ jam Eccleſia Chriſtianâ, & abductis diſcipulis à communione Synagogæ, quæ jam obduruerat, & conſequenter à Deo rejecta erat. 2. *Deinde* Poteſtas politica Sanhedrin tunc imperio Romano ſubjecta, tam acciſa & limitata erat, ut provocationi non tantum ad Imperatorem, ſed vel ad ipſos Imperatoris Prefectos locus eſſet: immo ne quidem ſine Prefectis capitale ullum judicium abſolvi poſſet. Uti patet ex Hiſtoriâ paſſionis Chriſti. 3. *Preterea*, cauſa ſuper quâ provocationem ſeu appellationem Paulus inſtituebat,

non

non erat directè cauſa religionis, aut formaliter ſacra atque eccleſiaſtica: ſed ei partim incidentalis, de jure fori & civis Romani *Actor.* 22. 25. cum *Actor.* 25. 10. & de modo procedendi *Actor.* 24. 19. 20. cum 25. 9. 10. 11, 16. partim acceſſoria in quęſtione de rebellione, ſeditione, crimine læſæ Majeſtatis: ſiquidem etiam eorum nomine adverſarii Paulum accuſabant, *Actor.* 24. 5. 12. 18. & 25. 8. 4. *Denique* dicendum, ſi rem penitius conſideremus, Paulum nec à judicio Judæorum Pſeudo-eccleſiaſtico, nec à judicio & conſeſſu eorum politico (uti tunc temporis adhuc erat) ſed à tribunali Præfectorum ſeu ἡγεμόνων, coram quo à Sanhedrin accuſabatur, & ad ſupplicium poſcebatur (quodque hic vacillabat *Actor.* 24. 1. 2. 3. cum 25. *verſ.* 8. 9. 10. 11. 16. 17. 18. cum tamen Paulum debuiſſet abſolvere; *ibid. verſ.* 16. 17. 18.) propriè abduxiſſe hanc cauſam, ad cognitionem & tribunal Cæſaris. Qui ergo in quæſtionibus pertinentibus ad forum politicum, utitur licitis exceptionibus & præſidiis quibuſcunque, non peccat in Poteſtatem eccleſiaſticam, nec ſacrilegè eam ad Magiſtratum transfert, cui non competit. Hinc etiam patet quo jure martyres, aliique fideles perſecutionem paſſi à Pſeudo Epiſcopis & curiis Epiſcopalibus; aut etiam à curiis aut Præfectis ſæcularibus, Gentilium in imperio Romano ad ipſos Reges ac Principes provocaverint ac confugerint; ab iiſdem defenſionem religionis ac jurium civicorum, ſeu libertatis utriuſque & ſacræ & ſæcularis petierint: Vide quęſo exemplum Annæ Burgii martyris declinantis tribunal & judicium epiſcopale, in *Martyrologio*, & in *Hiſtoriâ Thuani*; & exemplum Albigenſium in *Hiſtoriâ Joban. Pauli Perrin.* & Merindolenſium &c. an 1550. in *Martyrologio Gallico*, & *in Hiſtoriâ Thuani*; immò & antiquæ Eccleſiæ, quæ Imperatorum Ethnicorum opem imploravit (vide *Apologias Juſtini & Athenagoræ*), eorundemque Imperatorum jam Chriſtianorum præſidio adverſus Poteſtatem Pſeudo-ſacram ſacerdotum Ethnicorum, ut & adverſus inferiores Magiſtratus & tribunalia uſa eſt. *Object.* 2. Magiſtratui Poteſtas eccleſiaſtica, aut ſaltem proviſionale ejus exercitium aut uſurpatum aut etiam tributum fuit, tantiſper dum Eccleſia eſſet conſtituta; in colligenda ſcil. & ordinandâ Eccleſiâ, conſtituendo regimine, & miniſterio, & eligendis & vocandis ordinariis verbi Miniſtris, Senioribus, Diaconis, exercendâ diſciplinâ eccleſiaſticâ, ſive per ſe ſive per ſuos delegatos ſæculares aut eccleſiaſticos; in iis ſcil. locis ubi nulla erat forma Eccleſiæ, ſed mera barbaries & Schythiſmus, aut profeſſio Ethniciſmi, aut Mahumediſmi, aut Papiſmi &c. Et quid ſi præſumtum illud jus Magiſtratus fundetur in eo, quod locum illum armis, aut aliâ ratione occupaverit, aut colonias eò duxerit, aut denique in vacuam venerit poſſeſſionem, ita ut nulla ordinata ſocietas humana, nedum eccleſiaſtica illic fuerit. *Reſp. Neg. Ubi* nulla unquam fuit Eccleſia, colligenda ea & conſtituenda ab illis quos *Tract.* præced. *de Ec-*

cleſiâ Viſibili deſignavimus. Ubi Pſeudo-Eccleſia, & Pſeudo-Poteſtas eccleſiaſtica, ſeu uſurpatio (e. gr. Papalis) antea obtinuit, ibi Magiſtratus debitâ Poteſtate coactivâ removendo impedimentum illud, viam aperit veræ Eccleſię, & legitimæ Poteſtati ac politiæ eccleſiaſticæ, ut & electionibus Miniſtrorum: quæ omnia ductu & anteceſſione Miniſtri aut Miniſtrorum ordine & ſucceſſive eccleſiaſtico modo peragenda; ut primo auditores conveniant, ex auditoribus membra formentur aut membra aliunde advenientia in cœtum cogantur, & ſuffragiis communibus initâ ac conſtitutâ ſacrâ confœderatione ac communione, & corpore eccleſiaſtico, Synedrium conſtituatur; inde ad vocationem miniſtri aut miniſtrorum procedatur. Sed uti Eccleſiam per ſe ibi non conſtituit Magiſtratus, immo ne partem aliquam Eccleſię, quia nec verbum ordinariò audit, nec ſacramenta percipit, nec alios actus unionis & explicitæ communionis eccleſiaſticæ ibi exercet: ita nec Poteſtas eccleſiaſtica, auc exercitium ejuſdem, & quidem in agendis principalibus, illi competit. Quod ad jus & exercitium Poteſtatis ſupremę ac coactivæ, per quam impedimentum remotum fuit, hoc eſt per quod pſeudo-Poteſtas & politia eccleſiaſtica ibi prohibita aut inde exterminata eſt; eam in ſolidum Magiſtratui vindicamus. Sed inde conſequentia ducenda non eſt, ad jus aut exercitium Poteſtatis eccleſiaſticæ: non magis quam Magiſtratui adulteros inter Barbaros coercenti, & vim à Fœminis ac Puellis ibidem prohibenti, Poteſtas maritalis in omnes illas Fœminas tribuenda eſt: cum Poteſtas illa tantum viam aperiat, per quam viri, ſi qui Uxores habent, aut ſi qui ducturi ſunt, legitimâ Poteſtate maritali in poſterum uti frui poſſint. Non enim ſibi ſed maritis maritalem, patribus patriam, Eccleſiis conſtitutis aut conſtituendis eccleſiaſticam Poteſtatem ejuſque liberam praxin procurat ac ſartam tectam facit Magiſtratus.

II. Quæſt. An Poteſtas ſive adæquatè & primo, ſive per delegationem in mixtis politico eccleſiaſticis & ſupremis Conſiſtoriis, aut Principum Conciliis ac Conſiliariis, ad quos alicubi in Germaniâ omnes cauſæ & negotia eccleſiaſtica per Superintendentes aut inſpectores deferri ſolent? *Reſp.* 1. Aut ſunt & dicitur Collegia formaliter eccleſiaſtica (qualia apud nos Conſiſtoria, Claſſes, Synodi conſtantes ex verbi Miniſtris & Senioribus); aut politica. Si ſunt eccleſiaſtica, non tantum objectivè, ſed & formaliter: utique de iis hic non diſquirimus. Sed ſi ſint & dicantur formaliter politica & mixta illa Conſiſtoria, aut Concilia & Conſiliarii Principum ex Theologis & Politicas ac Juriſconſultis conflata, conſilia in agendis à Principe circa res eccleſiaſticis ſuggererent; aut ſi nihil aliud nomine Principis exercerent, quam Poteſtatem circa ſacra & eccleſiaſtica; utique nihil eſt quod vel ſpeciem mali habeat. Sin autem & intrinſeca ſpiritualis eccleſiaſtica Poteſtas illis tribueretur; & illa

Digitized by Google

& illa tribuendi est: & Collegiis, Consistoriis, & Conciliis ecclesiasticis ea instituantur & habeantur, præjudicarent; ingenuè fateor me talia collegia tali potestate in agendis & regendis negotiis ac causis ecclesiasticis, hactenus in apostolicâ, & antiquâ ecclesiâ, etiam sub imperatoribus Christianis, non reperiisse. 2. *Aut si* Consistoria & Concilia ex Consiliariis Theologis & Jureconsultis composita, circa causas matrimoniales, aut etiam circa alia Ecclesiarum negotia peristatica & externa, ex. gr. de reditibus ecclesiasticis, de protectione libertatis ac immunitatis Ecclesiarum &c. tantum directè versentur, aut nomine ac de mandato Regis aut Principis supremam Potestatem externam seu objectivè ecclesiasticam exequantur; utique non repugnamus: Neque enim hæc est Potestas sacra, intrinseca, & ecclesiastica propriè dicta. 3. *Sed si*, Potestatem intrinsece ecclesiasticam, propriè dictam & quidem supremam in illo territorio sibi vindicant & exercent tanquam à Principe adeo delegatam, eamque Ecclesiis earumque Conventibus, Consistoriis, & Conciliis præripiunt, immo ea in totum abolent aut arcent; utique ex scripturâ, hic mos defendi nequit. Considerentur Conclave & Consistorium Cardinalium, & Sacræ congregationes Cardinalium, quæ nomine & ex delegatione Pontificis negotia ecclesiastica absolvunt, causas determinant. De numero, formâ, authoritate, & operis istarum Congregationum, alibi quid notabimus, *infra part.* 2. tit. *de Cardinalibus.* Interim videre poterunt φιλομαθεῖς *Quaranta Constitutiones Pontificũ in voce congregationes illustriss. Cardin.* Rationes contra ejusmodi Congregationũ autoritativas determinationes si à reformatis instruerentur, facilius & evidentius perspici posset quid de dictis Consistoriis, uti à nonnullis Potestas eorum explicatur, judicandũ. *Mitto* nunc abusus istorum Consistoriorum: in illis dominantur Consiliarii Politici & Jurisconsulti, supra ac contra Theologos, torti ad aulæ ac mundani status ac regiminis curriculum plurima inflectentes: ita ut Regnum Cœlorum transformetur in mundum, ac ad cursum regiminis sæcularis, aut ad illud adaptetur contra *Joh.* 18. 36. cum *Luc.* 22. *v.* 25. 26. 2 *Cor.* 10. 3. 4. Quid de eo sit, fateor me ignorare; ideoque absolutè ipsis nihil imputare possum: solummodo ex aliorum, qui rerum istarum gnari sunt, relationibus & querelis dubia hæc moveo. Vide quæso *Hyperium in Opusc. tract. de sacris studiis non deserendis*, & *Zepperum lib.* 3. *Polit. eccles. cap.* 6. Sed nolumus abusibus notandis immorari: quandoquidem ipsum usum etiam optimè in suo genere se habentem, mandato, doctrinâ, & exemplo Prophetarum, Apostolorum, & antiquæ Ecclesiæ, carere asserimus. Nihil ultra contra hæc Consistoria adferri necesse est: satis enim est, si constet esse creaturas merè humanas, siquidem substituræ sint Ecclesiis earumq; Synedriis seu Consistoriis, Presbyteriis & Synodis jure divino sancitis *Math.* 18. 18. 1 *Tim.* 4. 2 *Cor.* 2. *Actor.* 15. & perpetuo jure ac praxi antiquę Ecclesię confirmatis.

Digitized by Google

illos, qui ipsi eam non habent formaliter aut eminenter. Atqui Principes, Magistratus, Episcopi &c. non habent: sed sola Ecclesia, & Collegia ecclesiastica. Breviter novæ tales πολιτείαι, in verbo Dei non comparent, apostolicæque & antiquis ecclesiis plane incognitę fuerunt. Quod satis suspectas eas reddit; & reddere inprimis debuisset apud illos, qui nihil nisi antiquitatem ecclesiasticam, & Ecclesiæ hodiernæ ad ejus modulum atque exemplar revocationem præ se ferebant.

IV. Quæst. An Papa sit immediatum & primum subjectum Potestatis ecclesiasticæ: ita ut omnes alii Rectores, Pastores, Episcopi, habeant illam mediante Papâ, & per gratiam sedis apostolicæ. *Resp.* Vide Andabatas Pontificios digladiantes apud *Bellarminum lib. 4. de Pontif. c. 22.* & in *Historia Concil. Tridentini lib. 7.* Nos hic spectatores sumus. Interim remittimus lectores ad *Whitakerum*, *Chamierum de Pontifice*, *aliosque Antagonistas Bellarmini*: & *Marcum Antonium de dominis de Republ. ecclesiasticâ*, & nuperum *Tractatum* Gall. *Davidis Blondelli*, viri in antiquitate ecclesiasticâ versatissimi, *de Primatu. V. Quæst.* An Conclave seu Consistorium Cardinalium, mortuo Papâ? *Resp.* Quęstio Andabatarum de creaturis seu chimęris humanis. De hoc infra *Part. 2.* ubi agemus de Cardinalibus: & jam prælibavimus in *Desper. Causâ Papatus lib. 2. sect. 3. VI. Quæst.* An Episcopi, Archiepiscopi, seu Metropolitæ, Patriarchæ; curiæ Episcopales? *Resp. Neg.* Infra *Part. 2.* humanas has creaturas examinabimus. Interim consuli possunt Scriptores, qui episcoporum Potestatem refutârunt, indicati à nobis *libr. 2. Biblioth. Theolog. sect. 2. cap. 8. VII. Quæst.* An Concilia Episcoporum, præsertim Oecumenica? *Resp.* Ita quidem velit Sorbona, ejusque frenum sanctio pragmatica, quæ Papam subordinat Concilio. De quo vide *Bellarmin. lib. 4. de Pontifice c. 22.* Nos neutri eam tribuimus. Si tamen ex duobus malis minus tolerandum esset, staremus à parte Concilii œcumenici ęquivocè sic dicti: nam Concilium œcumenicum propriè dictum post tempora apostolica hactenus οἰκουμένην (1. *Orbis*) nondum vidit. *VIII. Quæst.* An Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanę, aut earum Capitula? *Resp. Neg.* De Ecclesiis illis humanâ arte & industriâ fabricatis, egimus *Tract. Præced.* de Capitulo & Capitularibus, & agemus infra *Part. 2. IX. Quæst.* An soli Ministri sive seorsim considerati, sive collectim, h. e. conventus Ministrorum Synodi, scil. & Classes constantes ex delegatis Ecclesiarum, solis scil. Ministris, aut etiam Senioribus; ita ut inde Potestas in particulares quasque Ecclesias, earumque Consistoria derivetur? *Resp. Neg.* Tantum enim abest, ut Ecclesias ab illis cœtibus oriri tanquam primis principiis constituentibus, omnemque earumque Potestatem inde communicari & in Delegatos illos ultimo resolvi, atque adeo necessario ab iis in ortu & actu suo dependere putem: ut potius contrarium statuam. Sen-

tentiam hanc meam explicabo *Part.* 2. ubi *de Classibus & Synodis.* Rationes nullas adfero, præter istam, quod Ecclesia quælibet particularis per se sit, & dicatur Ecclesia, & consequenter primum ac proprium subjectum sit Potestatis ecclesiasticæ: non minus quam homo quilibet est subjectum facultatis intelligendi. Quod autem dicitur Ecclesiam œcumenicam seu universalem, aut saltem generalem nationalem esse πρῶτον subjectum διεκτικὸν, sicuti homo in ideâ seu in specie quà talis subjectum est intellectus, non autem Petrus aut Alexander: proximè sequenti quæstione explicabimus; unde & præsentis determinatio dependet. Porro nullum Ministrum seorsim consideratum esse πρῶτον, proximum, ἐικεῖον & adequatum subjectum hujus Potestatis ex eo constat, quia non est Ecclesiâ nec formaliter nec virtualiter: uti contra Pontificia figmenta de Ecclesia, quę sit Episcopus, aut Papa, à reformatis abunde determinatum est.

X. *Quæst.* An Ecclesia œcumenica, seu catholica aut universalis, sit proprium, immediatum, & adæquatum subjectum ecclesiasticæ Potestatis: ita ut inde derivetur in particulares Ecclesias, quæ Potestatem habeant solummodo per communicationem? *Resp.* Ecclesia catholica considerari potest, aut ut totum universale, genus scil. aut species quod partes subjectivas habet; aut ut totum integrale & quidem individuum seu singulare, quod partes integrantes habet, ut hic Oceanus, hoc Cœlum, hic Mundus. *Illo modo* si consideretur ut genus aut ut species abstractè scil. à suis inferioribus, fateor πρῶτον subjectum διεκτικὸν Potestatis esse Ecclesiam catholicam universim consideratam; non vero hanc aut illam singularem catholicam seu œcumenicam, e.gr. hujus nostri sæculi, aut hodiernam, aut eam quę hoc vel illo tempore exstitit. Idem dico de Ecclesia particulari urbicâ aut oppidanâ, aut vicanâ ut sic, & abstractè aut in ideâ consideratâ; quæ primum & immediatum subjectum est omnium proprietatum. *Isto modo* si consideretur, dico prius esse in istâ aut istâ particulari ac singulari, ex. gr. hodiernâ & præsenti Ultrajectinâ, Leidensi, Amsteldamensi &c. ac deinde ac consequenter in istâ singulari, seu individuâ provinciali seu nationali ex illis particularibus Ecclesiis per combinationem & correspondentiam aggregatâ, & sic deinceps in œcumenicâ seu catholicâ hodie in mundo existente. Ita ut σύνθεσιν individua tota similaria, seu individua collectiva ex multis Ecclesiis individuis conflata, ordine naturæ posteriora sint partibus suis imperfectè integrantibus & componentibus; & consequenter Potestas, aliæque affectiones & proprietates Ecclesię prius competant Ultrajectinę nostrę, aut Leidensi, aut Amsteldamensi, & postea per, ac propter illas Ecclesiæ Batavicę aut Belgicæ, & sic deinceps Ecclesiæ catholicę, quæ hodie est in mundo. Sicuti particularibus, & singularibus quibusque aquis salsis earumque collectionibus in hoc aut illo loco hodie existentibus, prius & immediatè insunt ac competunt Potestates seu proprietates a-

quæ

Digitized by Google

quæ marinę ex. gr. salsedo, affluxus & refluxus &c. & deinde toti individuo hodieque existenti Oceano, qui ex illis collectionibus seu maribus partialibus aggregatur. Hic enim comparo individua cum individuis, partes integrantes cum toto imperfectè integrato, hoc est, cum toto collectivo. Evitandus ergo hic est paralogismus & transitus à toto universali, cujus unitas est à mentis operatione & conceptu nostro; ad totum singulare seu individuum ex individuis partibus integratum aut collectum. Posteriori modo totum semper accipiendum esse in hâc disputatione de primo & proprio subjecto Potestatis ecclesiasticæ, inde constat, quod de reali individuâ individuę Potestatis possessione, exercitio, communicatione, participatione, translatione, ablatione, collatione hic agitur: An scil. Ecclesia ex. gr. hodierna Genevensis aut Ultrajectina habeat libertatem, Potestatem, & autoritatem ecclesiasticam dogmatizandi, eligendi, regendi, judicandi intrinsecam, propriam, & per se; an vero tantum extrinsecam seu extrinsecus derivatam ac communicatam ab universali seu œcumenica Ecclesiâ hodie in mundo existente, idque quod ad ortum suum, & quod ad continuationem tam γένεσιν quam κτίσιν. Quod si omnis Potestas hujus Ultrajectinæ Ecclesiæ nostræ actualiter penderet ab Ecclesiâ hodiernâ œcumenicâ tanquam proprio ac primo subjecto simul & principio, quo mediante illi primum data esset & etiamnum continuo influxu in eâ conservaretur (uti lumen a sole) multa sequerentur absurda, & papatui haut parum faventia: quorum primum esset 1. *Ecclesiam* hanc nostram Ultrajectinam male esse constitutam, & reformationem male etiamnum hodie continuari, & regiminis ac jurisdictionis potestatem malè ei tribui, atque in eâ & ab eâ exerceri; quippe sine influxu & consensu actuali atque explicito Ecclesiæ catholicæ, hoc est Ecclesiarum totius orbis; cum quibus sive seorsim, sive in uno corpore & collective consideratis hæc nostra explicitam communionem non colit: immo ne quidem omnes novit, an sint in rerum naturâ. 2. Communionem explicitam cum totâ hodiernâ œcumenicâ aut secundum singulas ejus partes integrantes, secundum totalitatem suam alicubi collectim existentem, saltem legitimè repræsentatam, necessario esse colendam & exercendam, & ad ejus authoritatem in omnibus respiciendum: Quod si non fiat; schismaticum esse non verocatholicum, quidquid hic viget doctrinæ, regiminis, & jurisdictionis. Quomodo philosophatur Antagonista noster *Corn. Jansenius*: cui contradicimus in *Desper. Causâ Papatus lib. 2. sect. 1. cap. 5.* coll. cum *sect. 2. cap. 19. 20. 21. 22. 23. 24.* 3. *Ecclesiam* quamque particularem habere solummodo Potestatem ab aliâ Ecclesiâ, scil. œcumenicâ, sibi delegatam; & consequenter non esse nec propriè dici posse matrem nostram, aut sponsam Christi, aut domum Dei, aut Ecclesiam. Quod absurdum est & scripturis repugnans.

Digitized by Google

XI. Quæst. An Potestas sit in particularis cujusque Ecclesiæ Synedrio, aut Ministris; an vero in Populo seu Plebe ecclesiasticâ à Synedrio distinctâ; an in toto corpore ecclesiastico constante Populo & Synedrio, tanquam proprio, primo, & adæquato subjecto. *Resp.* 1. *Negamus* omnem Potestatem esse in solo Synedrio, aut in solis Ministris. Hoc enim esset Oligarchicum, & Papisticum; ubi Populus ab omni Potestate tanquam laici excluduntur, & clero, & quidem hierarchico, omnia in solidum vindicantur. Ut videre est in *disputatione* Jesuitę *Thyræi* habitâ Moguntiæ anno 1586. *de Potestate ecclesiasticâ*, *part.* 2. Et *Corn. Jansenii Spongia.* Nos in contrarium *Desper. Caus. Pap. lib.* 2. *sect.* 2. 6. 12. *in fine*, *& cap.* 21. *& lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 9. *&* infra *part.* 2. ubi *de Jure Patronatus*, jura Populi defendimus contra Pontificios. Confer *Tract. præced. de Ecclesiâ institutâ.* 2. *Negamus* omnem Potestatem esse penes Populum à Synedrio distinctum, tanquam primum & adæquatum ejus subjectum; unde derivetur aut possessio aut saltem usus ejus ad Ministros & Synedrium: eo scil. quod eligat & constituat Populus Ministros & Seniores, inque eos Potestatem aut potius exercitium Potestatis transferat: quasi scil. nullam propriam, in se & per se, ex vi ministerii seu operis sui secundum jus divinum haberent. Hoc si velint hodierni nonnulli Separatistæ (quomodo ante eos contra autoritatem Presbyterii disputavit *Morelles* in Gallia); utique errant, & regimen Ecclesiæ pervertunt, si non tollunt: uti ostensum est in Scripto gallico nomine Ecclesiarum contra dictum Morelles ante hac edito autore *Ant. Zadeele* tit. *Confirmation de la discipline &c.*; nec non ab Antagonistis Separatistarum; quos vulgò Brownistas & Barrowistas vocabant. 3. *Negamus* omnem Potestatem æqualiter competere Synedrio ejusque membris, & Populo sive capitatim sive collectim considerato. 4. *Affirmamus*, Potestatem ecclesiasticam universè ac collectim sumptam esse in toto corpore Ecclesiæ, quod constat ex Synedrio & Populo; tanquam in subjecto proprio & adæquato; nec derivari à corpore Populi in Synedrium, nec vice versa: non magis quam oculus meus dexter visus mei proprium, primum, immediatum, & proximum subjectum est, eumque derivat in oculum meum sinistrum; aut vice versa. 5. *Negamus* tamen eodem modo aut æqualiter omnem Potestatem collectim & integrè consideratam; aut etiam partes quasdam Potestatis seorsim consideratas esse in Synedrio & in Populo. Tota Potestas sive collectim sive distributim secundum partes considerata est in utroque æqualiter tanquam in subjecto inhærentiæ; sed est in Synedrio aut in Ministris quod ad partes quasdam (e.gr. ordinariam antecessionem in verbo & sacramentorum administrationem) &c. quod ad executionem seu exercitium, tanquam in subjecto & principio quo: sicuti visus adæquatè est in toto composito; sed tantum in oculo quod ad exercitium (non

in

Digitized by Google

in pede, aut manu), tanquam subjecto & principio *quo*. Rursum singulę partes Potestatis, quæ & Populo & Synedrio tribuuntur etiam quod ad exercitium & executionem, aliter sunt in Populo aliter in Synedrio: in illo per modum libertatis, & Potestatis sequendi, approbandi: in isto per modum autoritatis, hoc est prioris seu antecedentis & directivæ Potestatis. Haut aliter ac Maritus & Uxor gubernant Liberos suos & bona sua, ita ut κτῆσις & χρῆσις eorum utrique communiter competat; cum hâc tamen distinctione quod cum comparantur Maritus & Uxor inter se, prioritas, autoritas, & directiva Potestas illi competat, præ istâ; & consequenter ab illo per prius (ita loqui liceat) sit exercitium Potestatis & regimen; ab istâ non. Atque his distinctionibus adhibitis putamus controversiam hanc commodissimè secundum Scripturas & convenienter perpetuæ ac stabilitæ praxi Ecclesiarum nostrarum determinari posse, & simul objectionibus Pontificiis, & Hierarchicis, Oligarchicis, Ochlocraticis responderi. Voluimus junioribus hos conceptus præformare, ut tanto expeditius, quæ sparsa sunt in *Marsilii Defensore pacis*; *Parkero de Politiâ Ecclesiasticâ*; & in *Godefrido Sopingio contra Grotium*, *Scripto Ecclesiarum Gallicarum contra Morelles*, *Pageti*, *Amesii*, *Rhetorfortis aliorumque Scriptis Anglicis* partim *contra Brownistas & Ochlocratiam*, partim *pro Politiâ presbyteriali*, dijudicare; imprimis etiam Politiæ & Praxi Ecclesiarum nostrarum, aptare queant. *XII. Quæst.* An Potestas Ministrorum, aut Presbyterii propria ac peculiaris, sit primò & immediatè in populo seu Ecclesiâ; & inde derivetur in Ministros, ac formaliter iis conferatur per electionem Ecclesiæ, quâ Titium aut Mævium eligit & constituit Ministrum aut Seniorem: ita ut populus sit univocum, proprium, intrinsecum & proximum communicationis principium; unde Potestas illa ministerialis in existentia seu in ortu, in essentiâ, in opere seu exercitio perpetuo dependeat. *Resp. Neg.* Est enim vocatio seu electio nihil aliud quam applicatio muneris ad hanc vel illam personam: & consequenter antecedens seu causa sine qua non, aut saltem remota istius Potestatis, quæ per se ex vi muneris Ministro quà Ministro competit, atque adeo à ministerio tanquam principio intrinseco & formali dependet, ita ut Ministro quà tali & tanquam primo & proprio subjecto tribuatur. Quomodo generatio Parentum non est principium proximum & intrinsecum facultatis ratiocinandi in Titio, nec Parentes ejus subjectum primum individuæ illius facultatis; sed ipsa individua humanitas & humana natura Titii: quamvis fateamur sine generatione parentum, nullum Titium, & consequenter nullam talem facultatem futuram fuisse. Atque hâc distinctione nostrâ limitari atque explicari velimus, quæ disputat *Parkerus*, & post illum ac cum illo *Maccovius tom. 1. Colleg. Theologic. disp. 29.* quod Rectores Ecclesiæ, etiam ipsi Apostoli omnem suam Potestatem habeant ab Ecclesiâ, tanquam

Digitized by Google

primario ejuſdem Poteſtatis ſubjecto. *XIII. Quæſt.* An viciſſim Populi Poteſtas libertatis, quæ communiter omnibus in corpore eccleſiaſtico conſtitutis competit, ſit in Miniſtro, aut in Presbyterio, tanquam primo & proprio ſubjecto; & inde communicetur Populo, quando & quantum voluerint Miniſtri: eo ipſo, quod membra Eccleſiæ formentur, & conſtituantur, & in ſocietatem corporis eccleſiaſtici cooptentur aut admittantur per Miniſtros aut Presbyterium. *Reſp. Neg.* Quamvis enim Miniſtri generent eos Chriſto & Eccleſię; non tamen Miniſtris primo, per ſe & adæquatè illa Poteſtas competit; ſed ipſis membris Eccleſiæ & ſocietati populi ſeu membrorum, cuilibet pro parte ſuâ; idque ex naturâ & vi membri & ex vi ſanctæ ſocietatis: hoc ſolum concedendum, quod generatio, ſatio, plantatio ſpiritualis Miniſtrorum, eos ad illum ſtatum promoveat. Ut caput ſeu venter ſupremus in corpore humano officina ſenſuum, & proximum organicum ſubjectum ac principium functionum animalium, atque adeò ἐμφυτικὴν facultate præditum, non eſt primum & immediatum ſubjectum, aut proximum principium *quo* facultatum, & functionum peculiarum, quæ aliis corporis partibus tribuuntur; nec dicuntur aliæ partes habere inſitam & propriam ſuam facultatem per caput aut cerebrum, aut proprias eorum organicas facultates, quamvis ἐμφυτικὰς: Et ut Luna alięque Stellæ, quamvis luceant lumine Solis, (quod illi tanquam proprio ſubjecto & principio peculiariter competere dicitur); non tamen negatur ipſis lux propria & inſita, nec illa maximo luminari Solis tanquam primo & proprio ſubjecto tribuitur; quaſi ſcil. per ſe illi inſit, & ab illo Lunæ ac Stellis communicetur: Sic poteſtas communis Eccleſiæ & Populi (quam libertatis vocamus), inſita & intrinſeca omnibus membris quà membris, corpori quà corpori, non eſt in ſolis Miniſtris; nec illis per prius, aut primò & per ſe competit, tanquam ſubjecto proprio, primo, proximo, adæquato.

XIV. Quæſt. An partes poteſtatis eccleſiaſticæ Miniſtrorum & Anteceſſorum (quam organicam, directivam & peculiariter *autoritatem* vocamus) ſic divelli & ſeparari poſſint, ut Poteſtas dogmatizandi *Theologis* & *Concionatoribus* hoc eſt, dictis *Parochis*, *Rectoribus*, *Curatis ſeu Curionibus* demandetur, tanquam vicariis & adjutoribus, illique tantum in verbo & precibus præeant, cum appendice adminiſtrationis ſacramentorum: Poteſtas vero leges condendi, ſecundum illas Eccleſiam externè gubernandi ſeu regendi, & diſciplinam cleri (uti loquuntur) ac populi cuſtodiendi atque exercendi Synodum ſeu Concilium faciendi cedat aut Magiſtratui, aut Conſiſtoriis politico-eccleſiaſticis, aut Eccleſiaſticis quibuſdam gradu eminentiori diſtinctis, dictis Epiſcopis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Senioribus, Superintendentibus &c. *Reſp. Neg.* Inordinata illa divulſio juri divino & primæve ſimplicita-

Digitized by Google

plicitari regiminis in Ecclesiâ apostolicâ minimè convenit ; sed inter humanas inventiones & posterius ingressas, aut inter Papatus corruptelas numeranda est. 1. *Quia* omnibus Ministris, Presbyteris, Episcopis, ex vi & natura muneris sui æque regimen & prefectura formaliter tribuitur, *Actor.* 20. 28. 1 *Tim.* 5. 17. 1 *Thess.* 5. 12. 1 *Petr.* 5. 1. 2. coll. cum 1 *Tim.* 3. 5. ac doctrina & verbi prædicatio: & vice versa, omnibus Episcopis, Presbyteris, Ministris, eque Potestas & potentia prædicandi & docendi tribuitur 1 *Tim.* 3. & 4. 13. 14. & 2 *Tim.* 2. 2. & 4. 2. *Tit.* 1. 3. 5. 7. 8. ac Potestas & donum regendi & gubernandi. Non novit Scriptura aut Dominos Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, Archidiaconos; aut Magistratus & Dominos politicos, qui Ecclesiam pascant clave solius regiminis, ordinationis, dispositionis, & jurisdictionis ecclesiasticæ ; clavem vero doctrinæ & prædicationis nec habeant, nec curent, nec adhibere possint, aut si possint, non velint. 2. *Quia* in Apostolorum ministerio omnes partes Potestatis directivę & ἐγκυκλιακὰς fuerunt conjunctæ nexu individuo: idque apparet *Primo* ex institutione & mandato Christi *Math.* 16. 18. *Joh.* 20. 20. coll. cum *Math.* 28. 19. *Actor.* 1. *Deinde*, ex perpetuâ praxi apostolicâ 1 *Cor.* 1. & 3. & 4. *vers.* 1. 2. Jam vero ex missione & ministerio Apostolorum ipsi Pontificii perpetuo derivant Potestatem omnium Presbyterorum & Ministrorum. Quæ ergo Deus conjunxit homo ne separet. Si quis non possit aut non velit esse Minister ecclesiasticus ; nullam partem muneris, nullam partem ministerialis Potestatis organicę & directivæ sibi vindicet. Si quis non possit aut non velit pascere verbo, & uti potestate directivâ atque autoritativâ docendi privatim ac publicè (*Actor.* 20. cum 1 *Tim.* 3. *Tit.* 1. & sic pro animabus vigilandi *Hebr.* 13. & multos ad justitiam adducendi *Dan.* 12.) is abstineat à clave κυβερνήσεως, regiminis, jurisdictionis, donec in partem hujus curæ vocetur: nedum ut sibi soli eam vindicet. Et vice versa, si quis facultate, dono, ac spiritu regiminis præditus non sit, aut clave regiminis ac disciplinæ uti nolit, is clavem verbi, hoc est, Potestatem non arripiat aut sibi tribuat oves pascendi verbo, seu ordinariò docendi. Sed excipi forte potest, & Magistratui & Ministris Potestatem ac clavem doctrinæ, & muneris seu clavem regiminis ac jurisdictionis simul competere; hac tamen cum diversitate quam nonnemo ex Theologis recentioribus sic explicat: *Quod dirigere ac disponere penes Magistratum sit propriè ; penes ecclesiasticos Ministerium atque executio propriè. Deinde vero, cum directio atque dispositio etiam ad ecclesiasticos pertineat, ut cum Ecclesia persecutionem patitur, aut Magistratus eam rem arbitrio Ecclesiæ permittit Potestatis tamen hujus longè alia est conditio &c. Magistratus dirigit atque disponit, imperando, corrigendo propositis præmiis & pœnis temporalibus &c.* Resp. Potestas disponendi ad dirigendi extrinseca circa ecclesiastica, quæ objective & per extrinsecam denominati-

minationem ecclesiastica dicitur, non est confundenda & formali ecclesiasticâ propriè sic dicta. *Illa* est suprema & coactiva soli Magistratui propria; ista est purè ministerialis & spiritualis Ministris & Presbyterio propria. *XV. Quæst.* An partes Potestatis ecclesiasticæ ita divelli ac separari possint, ut Ecclesia aliqua per delegationem in unam aliquam personam ecclesiasticam, aut collegium quoddam ecclesiasticum, sive sibi πρέσβυον, sive supra se elevatum, aut in aliam aliquam Ecclesiam transferendo, in perpetuum abalienet, pro se & pro posteris suis, clavem jurisdictionis, aut electiones aut quamcunque aliam regiminis ecclesiastici partem. *Resp. Neg.* 1. *Quia* nullâ hominum conventione, nullâ transactione legitimè in foro conscientiæ divelli aut abalienari possunt, quę jure divino conjunctim & ἀχωρίστως Ecclesiis, aut Ministris, aut Presbyteriis tributa sunt. Vide *Math.* 18 18. & 16. 18. 1 *Cor.* 5. aliaque loca modo *præced. Quæst.* citata. 2. *Quia* nulla Ecclesia quamvis rationibus aut necessitate quàdam hoc expedire putet: obligare potest aut debet alias Ecclesias eodem in loco in posterum successuras. 3. *Quia* etiam nulla præscriptio hic locum habet. Si enim JCC. dicunt, res civitatum non admittere usucapionem: quanto magis id de rebus Ecclesiæ dicendum est. Breviter non debebat talè quid dari aut concedi ab unâ parte contrahentium, nec ab alterâ parte peti aut accipi. *Dubium.* An ergo omnis delegatio, deputatio, & commissio ecclesiastica illegitima aut periculosa est? *Resp.* Minimè; siquidem in casu necessitatis & ex compromisso, aut compendii causâ fiat ad singulares actus & executiones, non ad ipsius juris aut potestatis ecclesiasticæ possessionem per ejusdem in Titios translationem, & à Męviis abalienationem. *Deinde* si sit ad hos aut illos actus & executiones particulares ac transeuntes: non promiscuè ad quosvis, aut universim ad omnes. *Tertiò*, siquidem sit ad aliquam collectionem aut universitatem actuum ejusdem generis atque ordinis ex. gr. ad examina Candidatorum ministerii peragenda (unde denominatio Examinatoris); ad visitandas Ecclesias (unde denominatio Visitatoris); ad denuntiandam censuram, aut absolutionem à censurâ (unde olim orta denominatio Sacerdotis pœnitentiarii & Confessarii): ut non fiat nisi ad tempus. *XVI. Quæst.* An Populo à Presbyterio & Ministris distinctio etiam Potestas aliqua competat; formaliter, & quod ad exercitium atque executionem; an vero tantum virtualiter, & quod ad possessionem? *Resp. Aff. pr.* sic tamen ut exercitium & executio communiter ab utrisque & conjunctim peracta, distinguatur ratione subjecti & principii unde proficiscitur. Nam duo cum faciunt idem, non tamen sunt idem, nec faciunt eodem ordine, modo, & causalitate. Sic causa instrumentalis & principalis idem agunt: & causa prima ac secunda, sed non eodem ordine, modo, causalitate, influxu. Sic Maritus & Uxor gubernant familiam: Potestatemque in Liberos, in Servos, in bona simul

Digitized by Google

mul exercent atque exequuntur: non tamen eodem aut pari ordine ac modo. Ita etiam Ministri seu Presbyterium, una cum Populo simul exequuntur ecclesiastica illa, quæ supra annotavimus; sed servatâ proportione, & distinctione ibidem inculcatâ. *XVII. Quæst.* An Populus aut saltem potiora ejus suffragia in hâc aut illâ particulari Ecclesiâ excommunicare possint Ministros & Synedrium, aut partem ejus? *Resp.* 1. De parte Synedrii, minimè dubium est; siquidem potior pars Synedrii Populo se jungat, & directivâ suâ Potestate illi præeat. Quod si major & melior Synedrii pars hic cesset; non video quâ ἐνεργείᾳ per Populum hoc tentari possit. 2. De toto Synedrio negandum puto: quia destituitur Populus autoritate, seu ordinariâ Potestate directivâ atque ἡγεμονικῇ. Consultissimum ergo est si Populus in casu necessitatis & pertinacis corruptionis ac perturbationis, confugiat ad Ecclesias vicinas earumque Presbyteria, quibus vinculo correspondentiæ & combinationis cohæret: aut si remedium atque ordo inde obtineri nequeant, secedant aut ad tempus aut in totum ab illis Ministris, aut Presbyteriis, & siquidem res ita postulet anathema ipsis denuntient: quod analogum & vicarium est excommunicationi; ut suo loco dicemus. 5. De parte Synedrii majori excommunicandâ per Populum, uno atque altero ex Presbyterio aut minori hic præeunte; dubitandum & disquirendum videtur. Tutius mihi videtur, si inclinemus in *Neg.* *XVIII. Quæst.* An si Populus à Synedrio distinctus, comparetur cum Synedrio, & vice versâ; plus sit Potestatis in Synedrio, an vero in Populo. *Resp.* 1. Plus Potestatis communis, quam *libertatis* appellamus, est in Populo, quam in Synedrio; ubi scil. Populus numerosior est (uti ferè semper est) Synedrio. Sicut oculi duo plus habent Potestatis videndi, quam unus, & decem homines plus habent roboris, quam tres & quatuor. Atque hæc majoritas & ἰσχὺς est extensivè considerata. 2. Quod ad Potestatem Synedrio aut Ministris peculiarem, quæ *autoritatis*, & *directiva* dicitur, illa non tantum plus est in Synedrio, sed ordinario tantum est in Synedrio, & nullo modo in Populo, formaliter scil.: nam virtualiter si dicatur inesse Populo (quia propter Populum data est Synedrio, & Populus junctus est Synedrio in unum corpus ecclesiasticum) illud inesse est merè extrinsecum & propter aliud, seu per accidens, ratione scil. cohæsionis, συνδεσμοῦ, & aggregationis Synedrii cum Populo, & vice versâ in unum corpus ecclesiasticum. Uti supra distinximus. *XIX. Quæst.* An hinc sequatur, absolutè plus valere Ministrum aut Ministros, aut Synedrium: quam Populum? *Resp. Neg.* Quamvis enim ratione autoritatis & directivæ Potestatis majoritas aliqua sit & potior dignitas Ministrorum & Synedrii, 1 *Thessal.* 5 *vers.* 12. 13. coll. cum 1 *Tim* 5. *v.* 17. *Hebr.* 13. 17. quos tanquam patres honorare, iisque in domino obedire tenentur: præstat tamen communitas Populi, suo

Digitized by Google

quęque Miniſtro, aut ſuis quæque Miniſtris: ut finis *cujus* & *cui* præſtat mediis, quæ ſunt propter finem. Sunt enim Miniſtri propter Populum. Accedit, quod tota Miniſtrorum autoritas ſit inferior, delegata, miniſterialis, 1 *Petr.* 5. 3. 2 *Cor.* 1. 14. 1 *Cor.* 3. 5. immo & populus diſtinctè à Miniſtris conſideratus vocetur clerus domini, 1 *Petr.* 5. 3. Sponſa Chriſti, *Joh.* 3. 29. cum 2 *Cor.* 11. 2. domus Dei, 1 *Tim.* 3. 14. cum 1 *Cor.* 3. 9.

XX. Quæſt. An Eccleſiæ combinatæ in Claſſem aut Synodum habeant Poteſtatem autoritatis ſeu directivam in & ſupra quodlibet membrum iſtius combinationis, hoc eſt in & ſupra quamlibet Eccleſiam particularem, & conſequenter in & ſupra quodlibet membrum cujuſque Eccleſię particularis? *Reſp.* Alibi (infra ſcil. *Part.* 3.) probavimus Synodos ſeu correſpondentias & uniones Eccleſiarum in corpus Synodicum. Iis præſuppoſitis, ſequitur eſſe quandam authoritatem ac Poteſtatem Synodicam: quæ eſt Poteſtas eccleſiaſtica orta, (non prima) compoſita ſeu aggregata (non ſimplex) ex pluribus particularibus exurgens. Et hæc Poteſtas in ordine ad Eccleſiam quamque particularem intelligenda eſt non privativè, ſed cumulativè: haut aliter ac Poteſtas, omnium Apoſtolorum comparata cum Poteſtate cujuſque Apoſtoli, & Miniſtrorum in uno Presbyterio comparata cum Poteſtate cujuſque Miniſtri, & membrorum in uno corpore eccleſiaſtico comparata cum Poteſtate ac libertate cujuſque membri, & robur decem hominum collectim cum robore cujuſque ex illis decem. Hinc eſt quod ordinario Poteſtatem Eccleſiaſticam non exerceant ſupra aut extra Eccleſiam particularem, ne quidquam in eâ aut circa eam autoritativè exequantur, niſi in negotiis & cauſis communibus, aut in caſu provocationis & malæ adminiſtrationis, ſive præſumtæ ſive revera talis. *XXI. Quæſt.* Si ergo comparatio inſtituatur inter Eccleſias omnes illius correſpondentiæ Synodicæ collectim, & inter quaſlibet Eccleſias ſigillatim conſideratas; quæritur, an potior & major ſit autoritas illarum quam iſtarum? *Reſp. Affir. pr.* cum diſtinctionibus & cautelis, uberius infra *Part.* 3. (ubi de *Claſſ.* & *Synod.*) recenſitis. Non inſcite huc applicet quis vulgatum illud Hieronymi, quod ſedi Romanæ opponere ſolent Reformati: *Major eſt autoritas orbis quam urbis.* *XXII. Quæſt.* An quælibet Poteſtatis eccleſiaſticæ pars, etiam excommunicatio, in caſu malæ adminiſtrationis, inſanabilis corruptionis, Synodicæ Eccleſiarum collectioni attribui poſſit, atque ab eâ exerceri. *Reſp.* Non video cur in negotiis, & caſibus ſupra memoratis, id negari poſſit. Dubium movetur à recentioribus quibuſdam de Poteſtate excommunicandi; quod a baliis diſtinctione & conciliatione diſſidentium ſententiarum ſic tollitur: Ut dicatur in caſu malæ adminiſtrationis directionem & ſententiæ præformationem, non autem excommunicationem, competere Synodo; Eccleſiæ autem particulari ipſam excommunicationem

Digitized by Google

tionem, competere Synodo, Ecclesię autem particulari ipsam excommunicationem in formâ, seu mavis executionem esse relinquendam: uti 1 *Cor.* 5. cum *Matth.* 18. Atque hactenus quidem non malè (neque enim tanti debet esse hæc controversia), posito illo casu Corinthiorum, cum scil. Ecclesia negligens aut malè administrans, ad se redit, & consilio Synodi atque autoritativę directioni omnino & præformatæ sententiæ locum dat. Sed ultra dubium est & quærendum: An & quomodo, posito contrario casu, Ecclesiæ particulari Potestas, & executio relinqui & attribui possit? Aut cum tota Ecclesia excommunicanda est? Ulterius ergo respondendum totum Synedrium cum & coram potiori parte populi siquidem ad se redeat in formâ excommunicari posse, præeunte directivâ Potestate Synodi, quæ etiam per suos delegatos Ecclesiæ illius particularis (omnibus scil. Antecessoribus in hoc actu destituræ) defectum supplebit. 2. Quod si potior pars Populi, immo omnes & singuli una cum Synedrio desperatè corrupti sint, & consequenter excommunicationem mereantur, aut in loco & cœtu ordinario sententia excommunicationi per delegatos Synodi seu Classis in formâ pronuntianda est; aut anathema in omnibus Ecclesiis ejusdem correspondentiæ promulgandum; aut privativè & implicitè saltem (cum aliter fieri nequit aut non expedit) anathemizandi; hoc est communioni eorum renuntiandum, atque ab eâ abstinendum: aut insuper positivè per literas, aut delegatos anathema ipsis denuntiandum. Primum non videtur necessarium aut decorum, quando excommunicandi unà cum solo suo cœtum illum deserunt, nec quisquam ibi comparet; nisi forte auditores qui antehac conciones illic frequentarunt, aut in posterum frequentaturi sunt, cœtum aliquem faciant. Tria posteriora aut simul, aut divisim fieri possunt. Quomodorumque autem ista ad maximam ædificationem executioni mandentur; manet tamen aliqua Potestas non tantum dirigendi excommunicationem & præformandi sententiam excommunicationis, hoc est, autoritate Synodali statuendi ac peremtoriè judicandi, sed etiam in formâ exequendi, & excommunicandi, aut saltem illud agendi, quod analogicè æquipollet excommunicationi. Distinctio inter directivam Potestatem circa Potestatem excommunicandi, ipsamque excommunicationem; vel, inter præformationem sententię seu judicium & instructionem de sententiâ formandâ, & inter ipsam sententiam aut sententiæ formationem; rursum inter sententiam excommunicationis, & inter ejus executionem ac promulgationem cum omnibus suis requisitis ac formalitatibus à nobis libenter admittitur, cum quæstio est de hoc aut illo particulari membro, aut Ministro, aut membris quibusdam & Ministris, cum tota aut potior pars Ecclesię non est desperatè corrupta, sed ad meliorem mentem atque ἐυβουλίαν reduci potest (uti in casu illo 1 *Cor.* 5.). Nemo enim dubitat quin jus, & exercitium potestatis,

teſtatis, Eccleſiæ cuilibet particulari ſub diſtinctionibus modo poſitis integrum ſervandum ſit: nihilque in caſu negligentiæ aut malę adminiſtrationis, ultra judicium, ſententiæ formationem & directionem Synodico corpori tribuendum. Sed hę diſtinctiones non tollunt difficultatem in caſibus modo propoſitis. Qui ergo nobiſcum agnoſcunt Poteſtatem regiminis & correſpondentiæ Synodicæ (uti facit doctiſſimus Theologus, qui dubium hoc movit) non poſſunt non iiſdem Synodis tribuere excommunicationem, ſi non formalem, ſaltem vicarium ejus actum denuntiandi anathema & repudium pacis, fraternitatis, ſpecialiſque correſpondentiæ Synodicæ explicitè aut implicitè, aut utroque modo. Videmus ergo hæc ſimiliaque dubia non debere apud prudentes & pios rerum arbitros impedire conſtitutionem aut ſuſceptionem Politiæ Synodico-presbyterialis.

XXIII. Quæſt. An Poteſtas directiva, ſeu ἡγεμονικὴ ita ſit affixa Presbyterio, ut in caſu neceſſitatis & irreformabilis corruptionis non poſſit ab eo auferri ſive quod ad jus ſive quod ad exercitium, & aliò transferri, ad corporis eccleſiaſtici ſalutem ac ædificationem. *Reſp. 1. Concl.* Poteſtas illa, in hoc aut illo ſubjecto non habetur à nobis tanquam character indelebilis, aut privilegium perpetuum ſolà morte terminandum. Apparet hoc ex ſuſpenſione, depoſitione, degradatione, ſeu exauctoratione Miniſtrorum; quam juſtis de cauſis fieri, & poſſe fieri, convenit inter Nos & Pontificios. *2. Concl.* Quandoquidem per Eccleſiam Poteſtas hæc collata eſt Miniſtris & Presbyteris (uti loquitur *Noſtra Catechęſis de Clavibus Regni Cælorum Quæſt.* 85.); utique per eandem in caſu neceſſitatis & juſtis de cauſis auferri poteſt, aut ſaltem quod ad exercitium & χεῖρον tantiſper impediri. Ratio eſt: *Quia* per quem in Eccleſiaſticis legitimè quid confertur, applicando ſcil. Poteſtatem ad hanc aut illam perſonam; per eundem idem legitimè aufertur; cum neceſſitas hoc ita poſtulat. Atqui populus eccleſiaſticus eſt per cujus legitimam electionem tum immediatè per ſe, tum mediatè in Synedrio, ac per illud originaliter, huic aut illi perſonæ Poteſtas applicatur. Quod ſi auxiliaris Poteſtas Eccleſiarum ſynodico vinculo coadunatarum hic ſuccurrere nolit, aut non poſſit, ipſa Eccleſia in caſu neceſſitatis per ſe hoc agat. Sin ne hoc quidem fieri poſſit propter valida impedimenta, à Presbyterio illo aut Presbyteris ſecedat: uti tempore primæ reformationis, & ſpecialiter tempore turbantis in Belgio noſtro factionis Remonſtranticę multis in locis factum, & legitimè fieri potuiſſe oſtendimus in *Deſper. Cauſâ Papatus.* *3. Concl.* Poteſtas directiva ordinariis & propriis Miniſtris ablata, aut ſaltem executio & exercitium iis prohibitum ad tempus, ſaltem in hoc actu neceſſario, transferri poteſt in Presbyteros vicinæ aut vicinarum Eccleſiarum ejuſdem. correſpondentiæ ſynodicæ; quorum vicaria & ſuccedanea opera poſtulanda & adhibenda tantiſper dum ordo

ordo constitutus sit, & proprium presbyterium restitutum. Quomodo factum meminimus ab Ecclesiis aliquot in Belgio, quorum Presbyteria factio Remonstrantica occupaverat. Et huc usque se extendere populi Potestatem, dicemus proximè sequenti quęstionè, Nec videmus ullam rationem, cur recentiores nonnulli promachi Independentiæ Ecclesiarum asserant, Non licere Ministro in alienâ Ecclesiâ actum ullum Potestatis ministerialis exercere. Debebant ita hoc pronuntiatum suum limitare: nisi ab Ecclesiâ illâ alienâ opera ipsius mutuatitia, vicaria & succedanea in aliquo actu aut in aliquibus actibus, aut ad tempus postuletur, & ipsi, quidquid agit, demandetur; idque volente & approbante propriâ ipsius Ecclesiâ, sive explicitè & specialiter, sive implicitè, virtualiter & generaliter ex vi correspondentiæ synodicæ. Tunc enim illi suo modo applicari potest illud Catecheseos nostrę Quæst. 85. *Qui ab ecclesiâ ad eam rem sunt constituti.* Nulla est ergo ἀναγκαιοποιία, nec currunt illi Ministri antequam missi sunt. 4. *Concl.* Ecclesia Ministris vicinis, omnibusque auxiliis & pręsidiis correspondentiæ synodicę destituta (cum scil. nulla est Synodus, nullæ Ecclesiæ vicinę; aut si sint, nolunt debitum auxilium pręstare: aut etiam brachio sæculari, aut calamitatibus & vastationibus Bellicis impeditæ non possunt), aget quantum potest, utendo non tantum ordinariâ & quocunque in casu competente Potestate libertatis, sed etiam aliquâ Potestate autoritatis: non quidem sibi sumendo & usurpando omnem autoritatem Ministris & Presbyterio propriam, sed analogicè iis actibus & partibus utendo quibus potest, donec defectui ipsius prospectum sit. *Quæres*, quinam illi actus, & quæ exercitia Potestatis ecclesiasticæ quasi directivæ, seu analogicè sic dictæ? *Respondeo*, convocatio Ecclesiæ, aut clandestina circumitio & compellatio singulorum; deliberatio & consultatio, de rebus suis; deputatio seu delegatio quorundam ex corpore suo, qui necessaria quædam mandata curent & exequantur, judicia & decreta de necessariò & pro illo tempore ordinandis, agendis, exequendis; aliqua verbi divini prælectio, etiam explicatio, & prędicatione cum subjunctis precibus per aliquem ad hoc provisionaliter & pro illo tempore constitutum ministerii Candidatum aut ægrotantium Consolatorem, aut quemcunque alium ex fratribus, si qui maximè idoneus videatur; ad hæc separatio, ubi aliter fieri non potest, ab illo Presbyterio; denique, siquidem tanta sit corruptio corporis ecclesiastici, nova collectio & formatio, aut instauratio. Hęc aut similia à piis ritè tentata sunt tempore Waldensium, & primæ reformationis jam inde ab anno 1517. (præsertim in Galliâ & Belgio), ut & tempore perturbationis Remonstranticæ in Belgio; quin etiamnum hodie tentantur à reliquiis Ecclesiarum, quæ sub cruce gemunt; ut & nuper aliqua ex iis tentata passim ab Ecclesiis nonnullis, quæ in Anglia fidis atque orthodoxis Ministris destitutæ erant, quibusque Ministri corrupti &

ἔπαυτοι obtrudebantur. Quę ut illo in casu necessitatis, & statu perturbato potuisse fieri defendemus, conformiter iis, quæ contra Pontificios Formalistas disseruimus in *Desper. Causâ Papatus*: sic consequentiam inde deduci nolimus ad ordinarium aut perpetuum regimen, & tranquillum Ecclesiæ statum. *XXIV. Quæst.* An Ecclesia Ministris aut Presbyterio destituta aliquam habeat Potestatem? *Resp.* de Ecclesiâ nondum integrè & organicè constitutâ, quæ nunquam habuit Presbyterium, quæque in fieri & in primâ suâ collectione etiamnum versatur. *Aff.* analogicè: de Ecclesiâ constitutâ, quæque antehac Ministros aut Presbyterium habuit, *Aff.* propriè, quamvis non completè. Adest enim illi propriè communis illa Potestas libertatis; non Potestas autoritatis, & directiva, nisi impropriè & analogicè, hoc est, saltem quod ad exercitium & actus quosdam, in casu necessitatis, uti modo determinavimus. Rationes hujus assertionis sunt. 1. *Quia*, talis cœtus ecclesiasticus, quamvis nunc Ministris & Presbyterio destitutus, essentialiter est & verè dicitur Ecclesia visibilis instituta. 2. *Quia* in Scripturis dicitur sponsa Christi, domus Dei, cletus Domini: uti supra ostendimus. 3. *Quia* evincunt hoc disputationes nostrorum adversus Pontificios pro jure & libertate populi Christiani contra usurpationes & oligarchias clericales. Vide infra *Part.* 2. *de Vocatione Ministrorum*, & *de Jure Patronatus*, & *Lib.* 2. *Desper. Causæ Papat. c.* 21. coll. cum *Lib.* 3. *sect.* 1. *c.* 9. Confer & *Polanum lib.* 7. *Syntagm. cap.* 11. 12. 13. Hinc educimus ista porismata. 1. Malè eos accipere & interpretari nostros Canones ecclesiasticos, qui Ecclesiis, grassante peste aut alio casu Ministris aut Presbyterio orbatis omne jus electionum ereptum eunt, alioque illud transferunt: quia scil. non esset & maneret constituta & formata Ecclesia, quamvis nunc deficiat ejus integritas organica. 2. Nec satis æquos esse, qui Ecclesias Ministro (quem unicum tantum habuerunt) nunc orbas, Presbyterium tamen habentes, minori libertate aut jure electiones peragere velint, quam alias quascunque Ministro uno aut altero gaudentes. *XXV. Quæst.* An Ecclesię nostræ earumque Ministri reformatores in partu primæ reformationis laborantes, habuerint Potestatem ecclesiasticam? Quod si habuerint, fueritne ea ordinaria? *Resp. Aff.*, *prius*; ut & *poster.* cum distinctione & explicatione, quam fusè deduximus in *Desper. Causâ Papat. lib.* 1. *sect.* 1. & 2. *XXVI. Quæst.* An Ecclesiæ novellæ & recens plantatæ habeant Potestatem, & quidem ἰσοτιμον? *Resp. Aff.* Neque enim ad essentiam aut etiam integritatem Ecclesiæ confert durationis extensio major aut minor. Uti in Ministris, sic in Ecclesiis valet illud apostolicum: *Nemo contemnat juventutem tuam.* *XXVII. Quæst.* An in Ecclesiâ veteranâ ἰσοπολιτεία, & æqualis Potestas sit neophytorum cum membris veteranis? *Resp. Aff.* Æqualem enim fidem acceperunt, & consequenter æquali gaudent Potestate in χειροτονίαις & suffragiis ecclesiasticis. Quam-

Digitized by Google

Quamvis ad gradus eccleſiaſticos æqualiter ipſis aditus patere non debeat, 1 *Tim.* 3. *verſ.* 6. (ubi vide *Commentar. Danei & Corn. à Lapide*): niſi prudentia, zelus, ſpiritualis cognitio ſuppleat defectum ætatis, & Deo viſum fuerit ipſorum opera uti. Conſiderentur exempla Jeremiæ, Danielis, Timothei. Nec obſtat huic æqualitati, quod proprior quædam & peculiaris cura in eruditendis, & obſervandis neophytis requiratur. Vide quę de hâc curâ deque æquali honore neophytorum congeſſit *Thomas à Jeſu lib.* 10. *de Procurandâ omnium Gentium ſalute cap.* 16. 17. 18. 20.: & nos infra *Part* 2. *lib.* 1. *XXVIII. Quæſt.* An in Eccleſiâ ſciſmatis laborante, immò & erroribus atque hæreſibus infeſtatâ, etiamnum ſuperſit aliqua Poteſtas eccleſiaſtica? *Reſp. Aff.* ſub illis diſtinctionibus, quas explicui *Lib.* 2. *Deſper. Cauſ. Papat. ſect.* 2. *cap.* 13. 14. 15. *XXIX. Quæſt.* An etiam in Eccleſiâ, aut Synodo, aut Presbyterio excommunicato? *Reſp.* de excommunicatis illegitime nullum eſt dubium: uti ex profeſſo docuimus *Lib.* 2. *Deſper. Cauſ. Papat. ſect.* 1. *cap.* 3. De quibuſvis aliis, quamvis legitimè (modo, ordine, & proceſſu ordinario ſervato) excommunicatis aut à fraternitate ac communione excluſis, nolim peremtoriè ſtatuere: ſiquidem cauſa excommunicationis ſit pertinacia in mero ſciſmate, aut in contentione & ἅψεξία aliquâ eccleſiaſticâ; non vero in hæreſi, aut apoſtaſiâ, aut idololatriâ, aut blaſphemiâ, aut quacunque alia impietatis ſpecie. Si enim tales laxâ ac communiori aliquâ ratione aut ſtylo apoſtolico (2 *Theſſal.* 3. *v.* 14. 15.) poſſunt dici fratres, & omni ratione & appellatione Eccleſię deſtituti non ſunt; utique nec omni Poteſtate.

XXX. Quæſt. An penes Scholas theologicas, aut Collegia catechetica, aut Collegia exercentium & prophetantium quà talia peculiaris Poteſtas eccleſiaſtica, ſive ἐσωτερικὴ & collateralis, ſive inferior, ſive ſuperior; aut ſaltem pars quędam ejus Poteſtatis quam habet aut habuit Eccleſia, in cujus communione collegia illa verſantur? *Reſp. Neg.* nec ex naturâ collegii, aut ſocietatis Scholaſticæ, Catecheticæ &c. (Non enim ſunt Eccleſia); nec ex delegatione Eccleſiæ. Quo ipſo tamen non negatur peculiaris Poteſtas, facultas, & auxilium ex peculiari vocatione ac delegatione Eccleſiis & eccleſiaſticæ Poteſtati & ſingulis fidelibus in dogmaticis determinationibus, in conſiliis theologicis, & ſimilibus, convenienti cum autoritate præſtandum.

XXXI Quæſt. An per voluntariam ceſſionem, aut conventionem, aut tranſactionem univerſa Poteſtas eccleſiaſtica tum libertatis tum autoritatis ac directionis pro nunc & ſemper alienari ac transferri poſſit in Papam ſeu Monarcham eccleſiaſticum, aut in Archiepiſcopos, Epiſcopos & Prælatos ſive regulares ſive ſæculares, alioſque eccleſiaſticos (quos Pontificii gubernantes vocant), aut in Monaſteria canonicorum regularium Auguſtini, Nortberti, &c., aut in Capitula cathedralium & aliarum collegiatarum Eccleſiarum, aut in

Super-

Superintendentes, aut Principum Concionatores aulicos, eorumve Conſiliarios, aut in ipſos Reges, Principes, & Magiſtratus aut in vulgò dictos patronos? *Reſp. Neg.* Quia talis Poteſtas & tale Miniſterium & Regimen eccleſiaſticum eſſet creatura humana, & juris merè humani: quippe quod fundaretur in contractu humano per jus divinum minimè approbato. Jam verò ſacra Eccleſię Politia cum ſit juris divini, non poteſt redigi & revocari ad jus humanum: niſi Deum homini, divina humanis, cœleſtia ac ſpiritualia terrenis & βιωτικοῖς ſubjicere aut miſcere velimus. De facto prętenſæ ceſſionis aut conventionis, quid ſit, ſupra verbulo perſtrinximus. Quidquid ſit, ſaltem hinc jus nullum inferri poteſt: neque enim iſta ſpiritualium rerum monopolia & nondinationes Deus unquam probavit. Hinc corruit, quidquid pro Regaliis, Inveſtituris, Electionibus, Patronatibus Imperatorum & Regum, ex humanis quibuſdam contractibus aut tranſactionibus inter ipſos & Papas aut Epiſcopos olim initis prætendi ſolet. Confer ſupra *Quæſt.* 14. & 15. ubi probavimus nullam partem Poteſtatis eccleſiaſticę poſſe alienari: Nedum ergo, ut tota. Addamus argumentum ad hominem: bona eccleſiaſtica alienari non poſſunt, quia ſunt juris divini, ut docet conſenſus Theologorum & Juriſconſultorum tam Proteſtantium quam Pontificiorum, quos alibi indicamus: multo minus Poteſtas eccleſiaſtica. Hoc argumento urgendi ſi qui Politici aut Juriſconſulti proteſtantes Magiſtratibus videantur ſacram Poteſtatem tribuere. Eos tamen, ſi ita velint, bene explicari & cum ſententia Eccleſiarum noſtrarum conciliari poſſe docebit ſequens problema. *XXXII. Quæſt.* An vulgò rectè dicatur ab iis, qui Imperatorum, Regum, Principum, & Magiſtratuum reformatorum Jura ac Poteſtatem contra uſurpationes Papæ & Epiſcoporum tuentur; ſuccedere illos in Poteſtatem Epiſcoporum, & tribui illis quod ante reformationem, aut etiam hodie in partibus Germaniæ nondum reformatis tribui ſolet Epiſcopis. Videantur *Arumeus in Diſcurſu de Jure publico, Mathias Stephani de Juriſdictione, Carpzovius de lege Regiâ Germanorum, Liebenthalius, König, aliique JCC.* & *Scriptores Politici Germani*, à modo dictis citati, *Ohmius in tract. de Jure Epiſcopali, Michael Havemannus in Helice hierotacticâ, ſeu Diſſert. theologico-politicâ de Jure Epiſcopali* anno 1646. *pag.* 129. inprimis *pag.* 56. -- 64. *Reſp.* Cum diſtinctione verba eorum accipienda. Aut enim de facto loquuntur aut de jure. Si illud, veritati hiſtoricę nolo refragari. Sin iſtud; aut de omni Poteſtate Epiſcoporum intelligi volunt, eccleſiaſticâ ſcil. internâ & externâ: aut tantum de externâ circa eccleſiaſtica, quę pars eſt Poteſtatis politicæ formaliter ita dictæ. Si poſterius; illis aſſentior: quia ceſſat in terris Proteſtantium Politica Poteſtas Epiſcoporum. Sin *prius, (quod tamen non arbitror) aſſentiri* non poſſunt Eccleſiæ Reformatæ: quia repugnat juri divino, ut Poteſtatem ſacram injuſtis poſſeſſo-

possessoribus ereptam ipse Princeps sibi vindicet. Erant autem Episcopi injusti possessores, quia partim rapiebant sibi & usurpabant Potestatem, quæ erat communitatis & omnium Ecclesiæ Ministrorum: partim abutebantur eâ parte Potestatis ecclesiasticæ, quam quisque eorum tanquam Ecclesiæ hujus aut istius particularis Pastor in solidum tenebat. Quod si Princeps aut Magistratus internam ecclesiasticam Episcoporum Potestatem sibi vindicaret, jam ὑβρει suâ ipsos Episcopos superaret. Quia Episcopi jure & vi vocationis ecclesiasticæ, quamvis corruptæ, aliquam habebant Potestatem, tantam saltem, quantam singuli Pastores. Atqui Principes & Magistratus sæculares quà tales, nullam omninò habent vocationem sacram & ecclesiasticam. Sunt enim distinctissimæ Potestates sæcularis seu civilis, & sacra, seu ecclesiastica: & consequenter distinctissima sunt media quibus tales Potestates huic aut illi personæ applicantur. De Episcopis protestantibus (quales antehac Bremensis, Verdensis, Halensis, &c. quibus nunc Duces & Principes sæculares successerunt) longè alia est quęstio; ad quam sine distinctione responderi non debet. Si enim per Episcopatum intelligis politicam & coactivam Potestatem, præfecturam, administrationem, jurisdictionem, qualem sæculares imperii Principes in suis quique territoriis possident atque exercent in *Academiarum Scholarumque erectione, Synodorum indictione, Bonorum ecclesiasticorum administratione, Disciplinæ ecclesiasticæ conservatione, Adiophorum introductione & abrogatione, Ministrorum Ecclesiæ vocatione & depositione, Causarumque matrimonialium cognitione, &c.* (uti jus hoc in terminis vindicatum ivit *Havemannus*, & titulo libri sui præscripsit): certè quin talis ἐπισκοπὴ & præfectura politica tanquam ἀνθρωπίνου τίνος jure divino permissivo alicubi (ubi rationes publici boni ita ferunt) institui aut haberi possit, nemo sanus negabit: si modo demas illud de Adiaphororum introductione, & Ministrorum vocatione ac depositione; aut utrumque hic intelligas de secundâ instantiâ, hoc est, de actu subsequentis approbationis ac confirmationis; non verò de primâ instantiâ, quę jure divino Pastoribus & Conventibus ecclesiasticis competit: uti supra satis superque inculcatum. Sin vero per *Episcopatum* intelligis omnem Potestatem atque administrationem ecclesiasticam formaliter ac propriè sic dictam; ea ut nec Magistratibus, sic nec Satrapo-episcopis quà talibus jure divino aut antiquo ecclesiastico adscribi potest. Neque enim primam & præcipuam Potestatis partem, quæ in clave doctrinæ & prędicationis consistit, in se suscipiunt, aut sibi vindicant, aut exercent. Quid sit de jure politico-episcopali in foro soli, in recessibus imperii & conventione Passaviensi, fundato, nos hic non spectamus, nec in controversiam vocamus: sed solummodo quid sit de jure divino; & in foro poli. *XXXIII. Quæst.* An jure humano Papa tanquam prędes & Princeps Ecclesiæ universæ, seu Monarcha ecclesiasticus

 constitui,

conſtitui, & agnoſci poſſit ; & ipſe licitè tali Poteſtate uti. Idem quæro de omnibus modo memoratis ſive eccleſiaſticis ſive politicis , ſiquidem Poteſtas eccleſiaſtica in illos transferatur ? *Reſp.* Ita quidem Papali Monarchiæ conſultum velint Syncretiſtæ nonnulli : inter quos *Grotius in Notis ad Caſſandrum*, & *in Animadverſ. ad Riveti Animadverſ. cap. 7.*, & in *Vindiciis notarum ad 2. Theſſal. 2.*, quas *Notis ſuis in Euangeliſtas* ſubjunxit. Quin & communis Germaniæ præceptor *Melanthon in Articulis Smalcaldicis* fere tale quid permiſiſſet Papæ, ſiquidem euangelicæ reformationi locum dare voluiſſet. Sed ſolus fuit in illâ Synodo Smalcaldicâ , cui hęc συγχώρησις placebat. Similiter alii ducti rationibus ex facto deſumptis ad Epiſcopatum , & Pontificiam hierarchiam conniverent. Sed nos ſimpliciter negamus hæc approbanda eſſe ; & humana conſilia, traditiones, creaturas in ſacrarium inferendas, atq; ita per jura & conſilia humana divinis præjudicandum. Minime vero autores eſſe poſſimus, ut Eccleſia à defectibus illis ſemel repurgata, de novo eos tolerando recipiat, aut recipiendo toleret. Et quidquid homines volentes nolente animo hic alicui, ut ut cætera optimè ſe habenti concederent, ipſe tamen non deberet ſe efferre ſupra fratres, nec poſſet bonâ conſcientiâ Poteſtatem aſſumere. Sicuti cum aliquo in caſu Magiſtratus reformatus non poteſt, quin Pontificiam miſſam admittat: inde tamen non ſequitur, eam licitè ab ullo homine celebrari aut frequentari. Porro tota hæc controverſia revocanda eſt ad quæſtiones de Traditionibus, & de Politia Eccleſię immutabili, quod ad eſſentialia & generalia. *XXXIV. Quæſt.* An arbitrium in caſu aliquo particulari à partibus diſſidentibus, aut electio eccleſiaſtica uni alicui tributa, arguat abalienationem & tranſlationem Poteſtatis eccleſiaſticæ , & in delato tali arbitrio jus perpetuum fundari poſſit ? *Reſp. Neg.* Nam arbiter ſive ex compromiſſo , ſive ex ſpontaneâ & rationali ceſſione ac conceſſione, ſive ex mandato eorum , penes quos Poteſtas eſt, arbitrium ſuum exerceat, non habet ordinariam Poteſtatem Judicis aut Rectoris : uti docemur à *JCC. ad tit. de Receptis, qui arbitr.* Immo ne quidem judices extra ordinem delegati, quales ſunt reviſores, & commiſſarii deputati, ordinarium & perpetuum jus ſibi vindicare poſſunt. Hinc concidunt argumenta non pauca, quę ex particularibus factis deducta , perpetuam Poteſtatem & jus aliquod eccleſiaſticum aſſerunt Papæ contra Eccleſias, aut Epiſcopos, Imperatores, Reges, Principes; & econtra talem Poteſtatem aſſerunt Epiſcopis, Imperatoribus, Regibus, contra Papam non tantum, ſed etiam nonnunquam contra Eccleſiam. Vide & nota ejuſmodi argumenta in *Diſceptationibus de Pontifice Romano, de Conciliis, de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, de Poteſtate Imperatorum & Regum in rebus eccleſiaſticis, de Poteſtate Epiſcoporum* ; imprimis in controverſiis hiſtorico - theologicis apud annaliſtam *Baronium* , ipſiuſque *Hyperaſpiſtas* in *Bibliothecâ noſtrâ* indicatos.

CAPUT

CAPUT VI.

De Objecto Poteſtatis eccleſiaſticæ, eius perſonali tum reali.

§. 1. OBjectum circa quod ſacra Poteſtas verſatur eſt vel perſonale, vel reale. *Perſonale* eſt vel primarium, vel ſecundarium. *Illud* eſt ſolus cœtus hominum fidelium ſeu quęlibet Eccleſia viſibilis inſtituta in his terris: ejuſque ſingula membra ſeorſim ſeu diſtributim conſiderata. *Iſtud*, ſunt catechumeni, & competentes: de quibus *tract. præced. de Eccleſiâ inſtitutâ.* Unde ſequitur hinc excludi. 1. *Conſectar. Bruta*; corvos ſcil., aſinos, lupos, locuſtas &c. circa quos Poteſtatem dogmatizationis ſeu prædicationis, inſanè exercebat Franciſcus Aſſiſius, quem Jeſum typicum & ducem normamque Minorum in Papatu ſalutant: qui idem & circa lupum carnivorum Poteſtatem juriſdictionis interioris in conſcientiâ haut obſcurè exercere viſus eſt, cum à rapiendis ovibus eum abduxit, & præmiſſâ concione in publico foro ſolenne pactum inter Eugubinos & lupum iniri, & ab hoc ſtipulatâ manu (an pede) indemnitatem promitti fecit. Similem lupinam pœnitentiam procuravit apud Græcienſes a. 1217. Vide *Waddingum in Annal. Minorum ad ann. 1222. num. 18.* & *ad ann. 1217. num. 13.* Ex Waddingo repetit & practicè applicat utramque Hiſtoriam *Corn. à Lapide in Comment. in Syracidem cap. 29.* & 47. Sed plenius Hiſtoriam exhibet *Barthol. de Piſis in Lib. Conformitatum.* Mitto nunc excommunicationis & anathematis fulmen vibratum in locuſtas, aliaque hominibus noxia; & miſſas pro morbidis jumentis & canibus venaticis celebrari ſolitas. De quibus alibi. 2. *Conſectar. Dæmonas:* quorum ejectionem & adjurationem Poteſtatis eccleſiaſticæ per exorciſtas & Sacerdotes ordinarios in Eccleſiâ Pontificiâ Miniſtros exercendæ objectum faciunt. Quod commentum ex profeſſo examinavimus *in 2. Part. Selectar. Diſpp. tit. de Exorciſmo.* 3. *Conſectar. Angelos bonos*: quibus Clemens V. ex plenitudine ſcilicet Poteſtatis Pontificalis imperabat in Bullâ ſeu indulgentiâ ſuâ Romipetis conceſſâ anno 1313. Bullæ illius exemplum ex libro M. S., qui in ampliſſ. & literatiſſ. Exconſulis Ultrajectini manibus eſt, editum eſt à Rever. & conjunctiſſ. antehâc Collega noſtro *Joh. Hoornbeeck*, nunc Profeſſore Leidenſi. Ejuſdem bullæ exemplaria etiamnum Viennę, Pictavii, Lemovici ſervari teſtatur *Pleſſeus in Myſter. Iniquit.* Nec multum abludit à Poteſtate in Angelos & Cœlites, epinikium illud Leoni X. in Concil. Lateranenſi cantatum à Stephano Archiepiſcopo in Orat. habitâ ſect. 10. *Omnis Poteſtas tibi data eſt in cœlo & in terrâ. Qui omne dicit, nihil excipit.* Ut nec illud celebris Poëtæ Jacobi Zannalarii, in Dedicat. poematis ſui: *Sancte parens cuſtoſque hominum, cui ius datur uni Claudere cœleſtes, & reſerare*

& reserare fores. 4. *Consectar. Animas beatas* in cœlo, seu totam Ecclesiam triumphantem: circa quam Potestatem ecclesiastico-Pontificalem sibi tribuit & exercet. Papa Romanus, in canonizatione Sanctorum, & in degradatione quorundam. Histrioniam hanc descripsimus. 2. *Part. Sel. Disp. tit. de Canonizatione &c.* cum quâ confer *ibid. Disp. de Sancti Chimericis.* 5. *Consectar. Animas damnatas* in inferno: ad quas Potestatem suam pseudo-ecclesiasticam suo modo extendunt, cum in Missarum solennibus preces pro iis concipi solent, ad levamen cruciatuum: juxta antiquum *Missale Parisiense anno* 1506. editum in 8. *fol.* 227. a. 6. *Consectar. Animas putatitias* in purgatorio: quas Papa indulgentiis suis, uti Mercurius caduceo, evocat orco. Commentâ purgatorii & indulgentiarum deteximus *in* 2. *Part. Selectar. Disp.* Ut verbo dicam, cum mortui non habeant partem inter vivos, nec amplius membra sint Ecclesiæ militantis in his terris; sequitur ecclesiasticam Potestatem ad illos se non extendere. 7. *Consectar. Populos, & politias* infideles: super quas pastorale pedum extendebat Alexander VI. cum eas tanquam donum suum inter Castilianos & Lusitanos partiretur anno 1493. Cujus donationis bulla, in compendium redacta à Flavio Cherubino, non tantum sonat *donationem Insularum & Terrarum in novo Orbe firmarum à Polo Artico, scil. Septentrione, ad Antarcticum scil. Meridiem, inventarum, & inveniendarum versus Occidentem & Meridianum, ut ad catholicam fidem inducantur:* sed insuper prohibitionem, *quâ cæteris omnibus prohibet accessum ad eas Terras, absque Regis licentiâ, pro mercibus habendas. Cherubinus ibid. in scholiis* notat, (fide *Nicol. Rebelli* juxta *finem Operis de Obligationibus*) à Pontificibus Martino V. Nicolao V. Calixto III. Sixto IV., ejusmodi conquisitionem Insularum Regi Lusitaniæ commissam fuisse. Judicatur tamen modus ille redigendi invitas gentes ad fidem Christi, & Terras eorum occupandi, improbus, à Theologis præstantissimis in Papatu, præsertim Hispanis. Ecclesia enim in illos nullam habet Potestatem sacram, juxta 1 *Corinth.* 5. *vers.* 12. 13. multo minus temporalem. Videndi inter alios *Victoria de Indis Part.* 1. *num.* 25. 28. 31. Et determinatio Cajetani ad Thomæ 22. qu. 66. art. 8. *Quidam autem infideles nec de jure, nec de facto subsunt secundum temporalem jurisdictionem Principibus Christianis: nit si inveniuntur Pagani, qui nunquam Imperio Romano subditi fuerunt, terras inhabitantes, in quibus Christiani nunquam fuit nomen. Horum namque Domini quamvis infideles, legitimi Domini sunt, sive regali sive politico regimine gubernantur, nec sunt propter infidelitatem à Dominio suorum privati,* &c. *contra hos nullus Rex, nullus Imperator, nec Ecclesia Romana potest movere bellum ad occupandas terras* &c. *quia Jesus Christus Rex Regum* &c. 8. *Consectar. Leprosos*, quà tales. Quorum personas & bona Potestati regiminis & jurisdictionis Episcopo-ecclesiasticæ subjiciunt. Ita docet nos ex recentissimis Canonistis *Franc.*

Zypæus.

Digitized by Google

Zypæus Officialis & Vicarius Epiſcopi Antwerpiani in *Analyt. explic. Juris canonici novi:* ubi refert cauſas eorum aliquoties ad ſe delatas & à ſe judicatas. *Bullæ Clementis IV. anno* 1265. & *Pii IV. anno* 1565. idem evincunt. Derivant hanc Poteſtatem ex judicio de Leprâ in V. T. Sacerdotibus commiſſo, *Levitic.* 13. & 14. Sed eâdem ratione poſſent omnes ceremoniales leges & pragmatiæ V. T. in Eccleſiam N. T. traduci. *Corn. à Lapide in Levitic.* 13. non improbabiliter conjicit ideo judicium hoc Sacerdotibus tunc commiſſum fuiſſe, quod lepra ceremonialiter immundum faceret; & judicium de tali mundo aut immundo ad Sacerdotes pertineret. Nunc autem in N. T. immunditiæ legalis ex leprâ contracta cum ceſſet, etiam judicium ſacerdotale de leprâ ceſſare credendum eſt. 9. *Conſectar. Omnes perſonas miſerabiles* externè ſcil.; quod ad externa earum, omniumque domuum piarum negotia *Bonna* & cauſas; quæ Epiſcopis ſubjiciunt. *Concil. Trid. Seſſ.* 7. *Cap.* 15. *&* 22. *Cap.* 8. 9. *&* 25. *Cap.* 8. *Renatus Choppinus lib.* 3. *Politiæ Sacræ tit.* 5. 10. *Conſectar. Militiam contra Turcas aliosque infideles*; cum univerſâ materiâ belli, *Treugæ, pacis* (de quibus peculiaris *Tit. in Extravagantibus.*) Adde cruciatas expeditiones contra infideles & hæreticos: quas attigimus in 3. *Part. Sel. Diſpp. tit. de Saurolatriâ.* Denique Milites Eccleſiæ, ſeu Equites ſacros Teutonicos dictos Marianos, Melitenſes antehac Rhodios, dictos Johannitas, De Calatrava &c. de quibus infra *Part.* 2. *Tit. de Monachis*; omneſque *Milites* Eccleſiæ ſeu Equites ſacros, ita dictos, quos Poteſtati politicæ ſubducunt, & ſoli eccleſiaſtico-Papali ſubjiciunt. De quibus infra *Part.* 2. ex profeſſo agimus in *Tit. de Monachis.* De objecto Poteſtatis eccleſiaſticę quæri poſſet. *I. Quæſt.* An aliqui fideles in communione alicujus Eccleſiæ particularis conſtituti, ab hâc Poteſtate ſint exemti, aut ſub conditione exemtionis in communionem recipiendi? Idem quæritur de exemtione particularis alicujus Eccleſiæ ſive urbicę, ſive oppidanæ, ſive vicanæ in correſpondentiâ claſſicâ aut ſynodali conſtitutæ, an ſcil. à Poteſtate ſynodali exemta ſit, aut eximi poſſit? *Reſp. Negutrumque.* Eſt enim talis exemtio διάστασις cum unione, coordinatione, communione, ſocietate, concorporatione, & correſpondentiâ eccleſiaſticâ. Advocentur huc omnia argumenta, quibus abſoluta monarchia Papæ & Canoniſtæ ejuſdem buccinatores à noſtris, quin etiàm à Concil. Conſtantienſis & Baſileenſis, & libertatum Eccleſiæ Gallicanæ defenſoribus oppugnari ſolent. Conferenda inſuper argumenta independentium opinioni, & congregationalibus (uti vocant) Eccleſiis nuper in Angliâ oppoſita. Adeo ut peregrinum plane & abſurdum videri debeat, aliquam particularem Eccleſiam in Civitate aut Oppido quo, à viſitatione claſſicâ, aliiſque Poteſtatis & correſpondentiæ claſſicę actibus eximi velle, prætextu ἐξουσίας politicę ſeu ſæcularis, quam habet Civitas ſupra Vicos ſibi ſubjectos: aut ob Eccleſiam in illâ Civi-

tate prius constitutam ac reformatam, quam in Vicis, aliisve Oppidis vicinis. Quasi scil. Ecclesiæ cathedrales, earumque Ministri tanquam primæ sedis Episcopi de novo, post tanta Ecclesiç Christianę pericula & naufragia, ėdolandi essent; & ad antiquum illud Diotrephicum & canonicum axioma denuò sensim sine sensu deveniendum: *Judicat omnes, judicatur à nemine.* Quid ergo fieret Ecclesiarum Belgicarum publicè receptę Politię, ad cujus observationem in quovis casu omnes ἀναγκαῖοι revocati solent. Illic enim *Artic.* 84. edit. a. 1619. statuitur, Non esse Ecclesiam supra Ecclesiam, nec Ministrum supra Ministrum, &c. *II. Quæst.* An casus & causę ad primam Decalogi tabulam referenda, tantum sint objectum Potestatis ecclesiasticæ? *Resp. Neg.* Æque enim secunda tabula, ac prima, est lex divina & veritas à Deo revelata, quæ norma perpetua nobis esse debet. Jam vero lex divina ex ore Sacerdotis requirenda, &c *Malach.* 2. *vers.* 6. Et Ecclesia est columna ac firmamentum veritatis. 1 *Tim.* 3. 15. Ita ut optimè dictum sit à *Davenantio* supra *cit.* duos esse utriusque tabulę custodes Magistratus & Ministros; sed diverso modo, & sub diverso formali. Nam ad furtum, adulterium, perjurium, homicidium attendit & attendere debet Ecclesia suo modo, sive Magistratus attendat, sive non attendat: & vicissim Magistratus ad eadem attendit, sive Minister aut Ecclesia attendat, sive non attendat. Una Potestas non est altera, aut de ratione alterius; nec una alteri sive in possessione sive in usu & exercitio Potestatis quidquam præjudicat. Sunt enim Potestates diversi generis & ordinis; & quamvis unum idemque objectum materiale sit utriusque, formale tamen & modus versandi circa illud objectum toto genere diversus est, & Potestates tam in possessione quam in exercitio ita distinguit, ut altera alteri vel hilum præjudicare nequeat: non magis quam Facultas Medica, & Ars Pictoria circa idem corpus humanum versantes, sibi mutuò obsunt aut præjudicant. Et certè si imperitorum & malevolorum quorundam Libertinorum ac Machiavellistarum improbis & calumniosis sophismatis locus aliquis relinquendus sit, nefas erit posthac propter adulteria, aut furta, aut pugnas, aut usuras mordentes, &c. quenquam Ecclesiæ filium corripere, & corripiendo ad pœnitentiam adducere: ne scil. crimen usurpatæ Potestatis Magistratuum (in quorum tribunalibus de his criminibus aut agitur, aut agendum est), atque adeo læ æ majestatis, perturbatæ pacis publicæ, affectati imperii, novi Papatus erecti incurratur. Quantum est in rebus inane! *III. Quæst.* An quorumcunque hominum qui sunt de Ecclesiâ, negotia & causæ ad particularem cujusque œconomiam, & vitæ occupationem spectantia ab Ecclesiâ & Inspectoribus ecclesiasticis curanda & tractanda sint? *Resp. Neg.* De speciali omnium factorum, dictorum, testium, præsumtionum, probationum examine ac dijudicatione. Quod probatur 1. ex exemplo Christi *Luc.* 12. *v.* 14. *Quis me constituit*

vestrum

Digitized by Google

vestrum judicem. 2. ex exemplo Apostolorum, qui se à collectis, & distributionibus eleemosynarum & particulari curâ pauperum magnam aut maximam partem liberârunt, ut tanto melius verbi prædicationi possent vacare *Actor.*6.*v.*2.4. Hinc ergo argumentum ducatur à majori ad minus, à speciali cura eleemosynarum & pauperum, ad specialem pragmaticam circa quęvis negotia sæcularia. 3. Ex consequentiâ quam nectit Apostolus 2 *Tim.*2.*v.*4.*Nemo militans* &c. *IV. Quæst.* An Potestas ecclesiastica indirecte hoc est, in ordine ad spiritualia versari possit ac debeat circa omnia *βιωτικὰ* tam politica, quam œconomica: quomodo Magistratus Potestas versatur indirectè circa omnia ecclesiastica, non quidem quà talia & directe ac sub illo formali, sed quatenus attingunt hominem externum, ejusque res & actiones animales & civiles, & quatenus palam sunt ac fiunt in Republicâ, ejusque ordinem, regimen, actiones attingunt, aut illis coordinata sunt tanquam adjuncta connexa, & cum illis conjuncta. *Resp.* 1. *Concl. indefinite & in genere*, concedo: quatenus scil. sunt aut debent esse actiones moraliter & spiritualiter bonæ, secundum omnes conditiones bonorum operum: hoc est, 1. *quatenus* tendunt ac dirigi debent ad finem supernaturalem, gloriam scil. Dei & salutem animę. 1 *Cor.* 10. *v.* 31. *Phil.* 2. *v.* 12. 2. *quatenus* conscientiæ Dei ejusque judicio & dictamini, & legi ac juri divino conformari, iisque subjici debent, & ad regulas ejus exigi. Jam vero hujus juris custodia & interpretatio speciali quâdam ratione est penes Potestatem ecclesiasticam, & penes Antecessores in Ecclesiâ: quibus directio, usus & applicatio clavium data est; qui vigilant pro animabus, qui conscientias informant, qui incidentes casus determinant. 3. *quatenus*, ex verâ fide tum generali tum speciali seu applicante, tanquam fonte suo promanant; & consequenter caritate conditę & maceratæ sunt, *Gal.* 5. *vers.* 6. 14. 1 *Tim.* 1. *vers.* 5. De fide enim & caritate docet ac consulit Theologus & *εἰκότως*, antecessorio, publico judicio judicat Ecclesia; quę columna & firmamentum veritatis 1 *Tim.* 3. quam si quis rectè judicantem non audiverit, habendus est tanquam Ethnicus. *Math.* 18. 11. *Concl.* Sed de negotiis, causis, actionibus cum œconomicis, tum politicis, aliisque omnibus *βιωτικοῖς* & ad hoc sæculum pertinentibus, aut etiam *singulariter* seu *in individuo* consideratis aliter statuendum est. Circa *Singularia βιωτικὰ* & sæcularia, quę infinita sunt & pertransiri non possunt, non occupatur Potestas ecclesiastica, nisi ea actor ipse profiteatur, & in peccatis suis gloriando, aut alii eadem denuntient; aut ita gesta sint, ut de notoreitate constet, & scandalum detur aut datum sit sive fidelibus sive extraneis sive utrisque. Ut autem in occulta hominum & familiarum, imprimis in arcana Rerumpublicarum, & in interiores sensus ac conscientias quarumvis hominum curiosè inquiratur, machinis juramenti inquisitorialis seu ex officio, & confessionis auricularis adhibitis,

non

Digitized by Google

non ad Poteſtatem eccleſiaſticam, ſed potius ad *διοικητικὸν* & ad maledictam conſcientiarum carnificinam pertinere putamus. De occultis non judicat Eccleſia, nec adigit aliquem ad ſui ipſius proditionem atque accuſationem. Conferri poſſunt *Diſceptationes Noſtrorum de Confeſſione auriculari*; & quæ nos alibi diſſerimus, *de libertate conſcientiæ*, & *de Juramento religionis*. III. *Concl.* Aliter etiam ſtatuendum eſt, ſi negotia, cauſę, & actiones ſæculares ac *βιωτικαὶ* conſiderentur magis *hypotheticè*, *definitè*, *& in particulari*; quatenus illa ſecundum omnes circumſtantias, & ſecundum circumſtantiales ac ſpeciales juris humani determinationes, hoc eſt ſecundum leges poſitivas & humanas cognoſci, tractari & accuratè dijudicari debent. Ita enim pertinent & ableganda ſunt ad Magiſtratus, tanquam cognitores & judices competentes: & ad Juriſconſultos tanquam indices & Conſiliarios competentes: *illis* enim commiſſæ ſunt circa talia claves autoritatis & juriſdictionis; *iſtis* claves ſcientiæ, prudentiæ, conſilii. Fundatur hęc diſtinctio noſtra in locis 1. *Cor.* 10. v. 13. *Eph.* 5. 15. *Cor.* 6. 4. 5. coll. cum *Luc.* 12. 13 14. coll. cum 2. *Paral.* 19. 11. Ex hujus problematis determinatione inferimus hęc. 1. *Conſectar.* Dari diſtinctam quam à diſciplinâ theologicâ cognitionem, diſciplinam, ac profeſſionem, quam Juriſprudentiam vocamus; quę propriè & principaliter verſetur circa particulares circumſtantias τῶν *βιωτικῶν*, earumque diſtinctiones, determinationes, ſpecies, ac formas rite ac prudenter applicandas ad facta particularia; cum contra theologia propriè verſetur circa principia juris divini, atque unà cum Philoſophiâ circa principia juris naturalis, concluſioneſque ac theſes inde ritè educendas; quæ factis ritè cognitis, & regulis ſpecialibus ac circumſtantialibus ab humanâ Societate ſeu Poteſtate politicâ determinatis applicari debent. Breviter Theologus incipit à jure divino ac naturali, ejuſque regulas adducit ad facta & jura humana: Juriſconſultus incipit à factis & juribus humanis cognoſcendis atque inter ſe conferendis, atque inde regulas efformat, eaſque adducit ad regulas & principia juris divini ac naturalis. Ex hoc conſectario explicari aut etiam emendari poteſt ac debet aſſertio eximii theologi *Gul. Ameſii lib.* 1. *Medull. Theolog. cap.* 1. §. 12. Quam ibi vide. Nec obſtat, quod Levitæ & Scribæ in V. T. juris divini, moralis, politici, eccleſiaſtici & cerimonialis conſulti fuerint, deque eo reſponderint: erat enim triplex illud jus immediate divinum & poſitivum: cujus ipſi conſtituti erant conſulti & interpretes. At noſtrum jus politicum nunc non eſt tale, ſed humanum; nec ex vi cognitionis ſcripturarię Theologi, apud nos vocantur aut rectè vocari poſſunt, Doctores utrinſque juris, divini ſcil.; & humani ſeu politici. Quod ſi qui ſint Theologi (quales in Papatu frequentes) qui pręter facultatem & titulum Theologię, etiam Juris civilis ſibi comparârint, inde non infertur cognitiones & Facultates non poſſe diſtingui. Cum quis Doctor Medi-

cinæ,

cinæ, insuper assumit Doctoratum Theologiæ, aut vice versa; utique nemo negabit Facultates illas esse distinctas, quamvis in eodem sint subjecto. 2. *Consectar.* Potestatem & vocationem Magistratus esse distinctam à Potestate ecclesiasticâ, quod ad cognitionem, judicium & executionem. Nec obstat quod apostolus τὰ βιωτικὰ à fidelibus dijudicari velit 1 *Cor.* 6. aut antiquitus Episcoporum audientia constituta fuerit. Vide *Jurisconsultus ad tit. de Episcop. audientiâ.* Et *Scriptores de Potestate Episcoporum.* Arbitrium illud fuit, non jurisdictio. Etsi posterius aliquid amplius fuisse concedatur: dicimus totum hoc fuisse delegatum à supremâ Potestate politicâ.

CAPUT VII.

De Politia seu Regimine Ecclesiarum.

§. 1. POlitia Ecclesiæ duo notat I. Ordinem, & Regimen Ecclesiis impositum, aut potius ab Ecclesiis, susceptum & observatum, seu observandum. II Ἐκτύπωμα & expressionem ejus in Constitutionibus ecclesiasticis & Liturgiis, secundum quas & per quas tanquam, normas & instrumenta Regimen illud servari & exerceri solet. III. Prudentiam & aptitudinem in subjecto gubernante Ecclesiam: ut idem sit, quod Politica ecclesiastica. IV. Actiones, seu actualem gubernandi executionem. Nos in primâ significatione hic accipimus, & sic describimus: *Politia ecclesiastica est certus ordo, secundum quem externa salutis media in communione ecclesiasticâ diriguntur & applicantur.* Ordinem esse, seu ordinatam res sacras in Ecclesiâ dispensandi & applicandi rationem constat ex 1 *Cor.* 14. *vers. ult.*, & ex omnibus locis Scripturę, ubi Ecclesia domus, familia, regnum appellatur 1 *Timoth.* 3. *vers.* 15. Consideratur autem hic ordo in actu primo & in se; vel in exercitio & executione. Cui distinctioni affinis est ista; vel jure, vel facto. *Subjectum* ejus esse Ecclesiam quà talem jam ante dictum est: non vero Oeconomiam, quà talem, nec Politiam civilem, nec Scholam, nec ullum Collegium civile seu sęculare, nec ullos gradus in Politiâ, Oeconomiâ &c. *Objectum* proximum & ἀκρότατον sunt res sacræ externæ, quà tales, cum requisitis personis & actionibus: quas *seqq. Disp.* ordine delineabimus, si Deus velit. *Finis* internus & proximus seu opus ejus *primarium* communionis fidelium cum Christo & inter se promotio & perfectio. *Secundarium*, est scandalorum, persecutionum, schismatum, hæreseon dissipationum aversio & pręventio; adversariorum confusio; & consequenter major pax & securitas Ecclesiæ. Finis externus, seu operis finitio subordinata est salus electorum; ultima est gloria Dei: quæ communia cum sint omnibus aliis mediis salutis; hic explicari haut opus. *Efficiens* est Christus Mediator & Ecclesiæ caput, quà tale: vel *immediate* & absolutè quod ad essentialia, generalia,

& immutabilia, quæ jure positivo determinavit & Ecclesiæ in verbo suo præscripsit: vel *mediatè* & hypotheticè, positis scil. ponendis, & tali aut tali casu ac rerum circumstantiâ, quod ad accidentalia peristatica particularia, & ambulatoria; quæ jure permissivo Ecclesiis secundum potestatem prudenter & cum conscientiâ determinanda reliquit, ad meliorem ædificationem, non vero ad perturbationem aut destructionem. *Efficientiâ* inferiora quod ad applicationem ordinis, hoc est ejus particularem constitutionem, receptionem, præscriptionem, & executionem sunt Ecclesia ejusque Ministri. De quo supra *præced. Parte*, *& infra* pluribus *in Problematis*. Quomodo autem Magistratus sit causa, quę conservet & Potestate politicâ confirmet Politiam, quamque ea necessaria sit aut non sit; infra *in Problematis* dicemus.

§. 2. I. *Comparantur* cum eâ Regimen œconomicum & politicum; à quibus Scriptura terminos plerumque mutuatur, quibus sacram hanc Politiam exponit. In his ferę cum civili Politicâ convenit. 1. Quod utrobique sit supremus Dominus seu suprema Potestas. 2. Officiarii & Ministri, per quos Regimen administretur. 3. Leges seu Constitutiones. 4. Pacta & conditiones quibus Societas, & Politia seu Regimen ejus constituitur. 5. Cura mediorum ad vitam, pacem, & felicitatem requisitorum. 6. Quod alterum alteri per se qua tale & directè non subordinetur, sed tantum per accidens propter aliud, & sub aliâ ratione formali. Confectar. *Hinc patet Cœlum Terræ misceri & spiritualia temporalibus quando alterutra Politia alteri directè subordinatur, aut in eâ essentialiter includitur. Quod ad unâ parte faciunt Autores Pontificii* præced Disp. *citati*: *ab alterâ si suâ intentione non faciunt, saltem à specie confusionis & fallacis ambiguitatis, non satis sibi cavent Theologi illi reformati, qui Ecclesiam, duplici regimine regi volunt* (Polanus lib. 7. syntagm. cap. 10.) *aut qui utramque Politiam Sacram ac Sacularem Magistratus Potestati pariter subordinant.* Qui posteriores quomodo excusari possint aut non possint, dicemus *in Problematis*. II. *Differunt* tamen inter se duæ illæ Politiæ. 1. *Objecto* tum formali omnino; tum etiam aliquatenus materiali: quia ut quædam arcana Rerumpublicarum ad cognitionem & Politiam Ecclesiæ definitè & in specie non pertinent; sic sic vice versa quædam subjecta cognitionis & Regiminis ecclesiastici ad Magistratum, quà talem, deferenda non sunt, sivé fidelis sit sive infidelis. 2. *Subjecto*. 3. Fine. 4. Efficientibus. 5. Affectionibus. Repetenda & applicanda quæ *Thesi*. 1. dicta sunt de Potestate ecclesiasticâ. III. *Opponuntur* illi. 1. Omnis ἀναρχία & ἄταξία ecclesiastica. 2. Monarchia, & captivitas Babylonica Ecclesiæ sub jugo Papæ, & hierarchiæ Romanę: ubi sedi & Episcopo Romano omnium Ecclesiarum Politia annectitur & subjicitur. 3. Defectus & aberrationes Politiæ Ecclesiarum Orientalium, & aliquarum in occidente; quæ in multis, si non in plerisque, Papatui hic similes sunt. 4. Nimia

sæcularizatio Politiæ Sacræ, ejuſque ad Politiam hujus mundi aut ad receptas quaſque conſuetudines efformatio & conformatio. Quod radix eſt omnium corruptionum. 5. Nimia viciſſim ſpiritualizatio (ita loquar) Politiæ mundanæ: ita ut uterque gladius Papæ ereptus illi tribuatur, aut Politia civilis in Sacram transformetur, aut ſaltem ad eam extendatur. De quo infra *in Problematis.*

§. 3. *Dividitur* Politia vel in partes, vel in ſpecies. In *partes* dividi poteſt. I. In quaſi materiale & formale. *Illud* eſt *tum* ordo ſeu regimen cujuſque agendi ſeu rei, & perſonæ eccleſiaſticæ: *tum* juriſdictio, ſeu diſciplina. *Iſtud* eſt, partim legis, partim conſuetudinis eccleſiaſticæ introductio & obſervatio; & ordinis ac regiminis cum illis conformatio. II. in partes integrales: quæ ſunt agendorum, ſeu rerum eccleſiaſticarum ordinatio & executio; adjunctorum & requiſitorum ad illa agenda applicatio & cura; morum directio, & diſciplina; breviter omnes actus regiminis & juriſdictionis: quos ſigillatim cum bono Deo explicabimus. *In ſpecies* totidem dividitur, quot Eccleſia viſibilis. Tantum nunc indicamus (reliquas ipſi ſtudioſi colligent ex *Diſp. de Eccleſiâ viſibili*) diviſionem in Politiam V. & N. T. *Prior* eſt *I. vel* Patriarcharum ab Adamo, uſque ad populi Iſraëlitici propagationem in Ægypto. Quam deſcribit *Bonaventura, Corn. Bertramus cap.* 2. *de Republ. Hebræorum*, & *Daneus Lib.* 2. *de primi mundi Antiquitatibus cap.* 4. Et ex Pontificiis *Bolduc. Tract. de Eccleſiâ ante legem &c. II. vel* Iſraelitarum in Ægypto & deſerto, uſque ad ingreſſum in terram Canaan; de quâ *Bertramus Cap.* 4. 5. 6. 7. *III. vel* Iſraëlitarum in terrâ Canaan; quam *ibid.* deſcribit *Bertramus cap.* 15. Et fuſe *Sigonius de Republ. Hebræorum lib.* 2. 3. 4. 5. & *Menochius. IV.* Decem tribuum: de quâ *Bertramus cap.* 16. *V.* Judæorum in captivitate Babylonicâ. *Ibid. cap.* 17. *VI.* Eorundem poſt reditum ex captivitate uſque ad adventum Chriſti. De quâ *ibid. cap.* 18. Conferri poſſunt *Paulus Eberus*, *& Ludovicus Capellus* qui res Judęorum iſtius temporis deſcribunt & *Jacobi Capelli Hiſtoria ſacra & profana ab Adamo uſque ad Auguſtum*, *Seldenus de Succeſſione* Sacerdotum, & *de Synedriis.* Imprimis Jeſuita *Menochius in tract. de Republ. Hebræorum. VII.* Eorundem Politia, qualis erat in Chriſti adventu: qualemque mutationem tunc ſubiit per miniſterium Johannis Baptiſtę & Chriſti. Erat illa Politia partim V. T. partim N. *Poſterior* eſt extraordinaria vel ordinaria. *Illa* inchoata fuit cum miſſione Spiritus S., & finitâ ætate ſeu exceſſu Apoſtolorum. Quę quatenus erat extraordinaria, & formaliter apoſtolica, differt ab ordinaria executionis modo & applicationis; quia erat infallibilis: ita ut conſilia & exempla apoſtolica faciant nobis demonſtrationes theologicas, & regulas Regiminis eccleſiaſticí, in iis quæ perpetui atque univerſalis ſunt juris & obſervationis. *Iſta* eſt quæ poſt exceſſum Apoſtolorum, uſque ad finem mundi durabit deſumpta ex Scripturâ abſque aſſiſtentiâ

ministerii & directionis infallibilis. Quæ distingui potest. 1. In puriorem & impuriorem. 2. In antiquissimam, antiquam, intermediam; novam Waldensium scil. & Bohemorum; novissimam post reformationem Lutheri. Quæ rursum dividi potest secundum nationes in Germanicam, Helveticam Hungaricam; Danicam, Suecicam, Gallicam, Belgicam, Scoticam, Anglicam: quam postremam descriptam ab ejusdem defensoribus exhibuit & examinavit Scriptor sub nomine *Didoclavii in Tract.* cui tit. *Altare Damascenum.* Denique Græcam, Armenicam, aliarumque Orientalium. Singularum Politiarum specialem formam & modum disces ex Canonibus Regiminis & Liturgiis, quæ infra *Tit. de Canonibus & Liturgiis* partem aliquam indicamus.

§. 4. Politiæ hujus adjuncta distinctiva, quibus à Politiâ V. T. discriminatur, sunt ista potissimum. I. Quod immutabilis sit, nec ullam aliam in formam mutanda, quod ad essentialia, & generalia. II. Quod libera sit; non adstricta aut accommodata certo Regimini politico, aut certæ nationi, aut regioni, aut locis sacris, aut familiæ (quod ad Ministros sacrorum) , aut typis & ceremoniis. Hoc discrimen si observetur, utique lumen inferetur controversiis de Sacra Politiâ hodiè agitatis. III. Quod forma Politiæ V. T. fuerit mixta ex monarchiâ (in summo Pontifice); ex Aristocratiâ (in Principibus Sacerdotum & Sacerdotibus, & superioribus Collegiis ac Dicasteriis); ex democratiâ in Levitis, & in Patribus seu Capitibus familiarum, aliisque qui populum repræsentabant; forma vero politiæ N. T. sit quasi mixta ex Aristocratiâ & Democratiâ. IV. Quod illa reciproca esset cum Politiâ civili, idemque esset civis Ecclesiæ qui Reipublicæ. Erat enim Ecclesia catholica, tunc una quasi Nationalis Ecclesia, nationaliter in tribus majoribus festis anniversariis pietatis atque actibus ecclesiasticis uno in loco explicitam communionem exercens; regimen insuper & jurisdictionem sacram per summum Pontificem, & Principes Sacerdotum, & nationale ac supremum Collegium seu Consistorium ecclesiasticum Monarchicè & Aristocraticè exequens, *Deut. 17.* coll. cum 2 *Par.* 19. Ubi videndi *Commentatores, & rerum Judaicarum Scriptores* supra cit. Sed aliter se res habet in Ecclesiâ catholicâ N. T.

§. 5. Quandoquidem autem *variis hominum telis petita est & oppugnata autoritas Ecclesiæ* (ut loquitur Daneus Loc. Commun. part. 4. libr. 4. c. 1.) dum *ab aliis prorsus negatur, à plerisque disputationibus involvitur; ab aliis sic imminutur, ut tota ad Magistratum &c. transferatur:* operę pretium facturos nos arbitramur, si omnia accuratius explicemus per Problemata, ac primo quidem de Politiâ ecclesiasticâ; quæ distribuimus in duas classes, quarum prior de naturâ & definitione Politiæ: posterior de ejus proprietatibus, oppositis, & partibus. Sit ergo prioris classis. *I. Probl.* An detur talis Politia à Politicâ & Oeconomicâ distincta. *Resp. Aff. 1. Quia* Scriptura meminit distinctæ clavis,

Digitized by Google

vis, Potestatis, ministerii, præfecturæ, armorum, solii, jurisdictionis, &c. *Matth.* 16. 1 *Cor.* 4. & 5. & 2 *Cor.* 5. & 10. 4. *Zach.* 6. 13. *Deut.* 17. 8. 2. *Quia* Ecclesia est Regnum spirituale, domus Dei, populus peculiaris, Reges & Sacerdotes, Sponsa Christi 1 *Petr.* 2. 5. & 9. 1 *Tim.* 3. 16. 2 *Cor.* 11. cum *Ephes.* 5. *Apoc.* 1. 5. 6. distincta à Regno, Regimine, & Politiâ hujus mundi *Joh.* 18. Ergo Potestas ejus distincta est. 3. *Quia* discrimina inter utramque Politiam nimis manifesta supra indicavimus: adeo ut altera alteri substitui, aut cum eâ confundi, aut in eam transformari non possit; nisi velimus Cœlum Terræ miscere. Excipi posset, 1. *Exc.* Jus ac Potestatem illam Ecclesiæ non concedi in his Terris versanti, sed in Cœlis. *Resp.* 1. Uti hic Ecclesia est Regnum gratiæ, sic etiam Potestas illi conceditur. 2. Manifestè dici Matth. 16. & 18. *Quidquid ligaveris in Terris &c.* 3. Denique non potest jus & exercitium Potestatis ecclesiasticæ in ligando & solvendo in Cœlis concedi, quia nullus istic usus erit: quin immo omnis Potestas sive Politica sive ecclesiastica istic abolebitur. 1 *Cor.* 15. 2. *Exc.* Videtur Potestati & juri Magistratus præjudicium fieri; immo & Regimen in Regimine, Respublica in Republicâ constitui. *Resp.* 1. Minime: non magis quam per Potestatem patriam aut maritalem, cum à Potestate Magistratus distinguuntur. Confer quæ diximus in *Tit. Penes quos sit Potestas ecclesiastica.* 2. Distinguitur non tantum expressè à Politicâ *Joh.* 18. 2 *Paral.* 19. *Deut.* 17. 1 *Sam.* 2. 28. *Psal.* 149. 7. Sed etiam in actu & exercitio separatur, uti videre est 2 *Paral.* 19. & *cap.* 26. in exemplo Uzziæ; qui Potestatem non habebat suffitum faciendi: sed Sacerdotes soli Potestatem habebant. Magistratui concessus est divinitus gladius; quem Ecclesia & ecclesiastici usurpare non debent. Et Ecclesiæ concessæ sunt claves doctrinæ, regiminis, jurisdictionis spiritualis; quas Magistratui non magis licet ecclesiæ sive in totum sive ex parte eripere, & sibi sumere sive possidendo sive utendo, quam Ecclesiæ licet Magistratui sive fideli sive infideli gladium eripere. *II. Probl.* An Ecclesia habeat propriam Politiam, & Regimen intrinsecum; & an illud sit necessarium: an vero, ubi Magistratus est nutritius Ecclesiæ, solum extrinsecum eorum Regimen in & circa Ecclesiam sufficiat. *Resp. Aff. pr. Neg. poster.* 1. *Quia* exsertè in Scripturis πολιτεία, regimen, ordo, & dispositio Ecclesiæ tribuitur. 1 *Cor.* 14. *vers. ult. Col.* 2. *vers.* 5. 2. *Quia* Ministri vocantur ductores, rectores, præfecti, pastores, dispensatores &c. ut notum est; & conformiter muneri ac Potestati suę regere, pascere, præesse, &c. 1 *Tim.* 3. & 5. 1 *Petr.* 5. 1 *Thess.* 5. 3. *Quia* Ecclesia dicitur grex & populus domini, domus, civitas, regnum & quidem distinctum ab hoc mundo, & regnis hujus mundi: ergo non potest esse sine proprio & connaturali ac homogeneo sibi ordine, regimine, & politiâ spirituali. Et confirmari potest hoc argumentum ex jure & necessitate natu-

Digitized by Google

rali. Nam ubicunque eſt multitudo (imprimis in hâc humanâ infirmitate) ibi ordo : alioquin eſſet mera confuſio, mater diviſionis & deſtructionis. Ubi ordinata & ad unitatem reducta multitudo; ibi ordo, diſpoſitio, & politia. 4. *Quia* Magiſtratus politica Poteſtas non eſt de eſſentiâ & ratione formali Eccleſiæ; nec ſemper Magiſtratus fidelis eſt, & Eccleſiæ nutritius. Neceſſe eſt ergo peculiarem eſſe Politiam Eccleſiæ: ita ut Eccleſiâ quâcunque & quandocumque poſitâ, ponatur ejus Politiâ. 5. *Quia* res politicæ & eccleſiaſticæ (2 *Paral.* 19.), & conſequenter Poteſtas eccleſiaſtica à politicâ toto genere diſtincta eſt: uti ſupra probatum eſt. Ergo & diſtinctæ ſunt Politiæ. 6. *Quia* Eccleſia V. T. habuit ſuam peculiarem Politiam. De utilitate & neceſſitate politiæ agit *Parkerus Lib.* 1. *de Polit. eccleſ. cap.* 1. & *p.* 26. 45. Et *Daneus part.* 4. *Locor. Commun. pag.* 579. Et *Zepperus Lib.* 1. *Polit. eccleſ. cap.* 1. Non abſonum erit ſi hic inſeram, approbarionem Facultate noſtrâ theologicâ ad poſtulatum Fratrum in Scotiâ adſcriptam CXI. theorematis, quibus conſentiente Synodo Nationali Scotiæ neceſſitatem, diſtinctionem, & formam regiminis ac diſciplinæ Eccleſiarum eruditè deſcripſerat clariſſ. theologus Edimburgenſis *Georgius Gilleſpicus*. Formula approbationis à me nomine Facultatis noſtræ tunc concepta, ſic ſonat:

Quandoquidem viſum ſuit Reverendo & pererudito theologo D. Georgio Gilleſpico CXI. Theoremata de miniſterio & regimine Eccleſiaſtico *impreſſa Edimburgi apud Evanum Tyler a.* 1647. *Facultati noſtræ in hâc Acad. Ultraj. fraternè communicare, iudiciumque noſtrum ſuper iis exquirere, non potuimus hoc qualemcunq; officii Reverendo huic Fratri noſtro denegare. Omnibus ergo lectis & debitè expenſis declaramus ac cenſemus, prædictis Theorematis eruditè, & convenienter ſacris Literis, nec non communi doctrinæ ac diſciplinæ Eccleſiarum noſtrarum in Belgio controverſiam de Miniſterio & Regimine eccleſiaſtico determinatam eſſe. Candidè tamen monemus, videri nobis abundantis cautelæ ergo in* Theor. 3 *uberius explicandam aſſertionem de* MISSIONE *ſeu* ORDINATIONE: *ne illa tanquam diſtinctum quid ab* ELECTIONE, *adeſſentiam & rationem legitimæ vocationis, abſolutè ant ſimpliciter neceſſaria putetur. Præterea* Theor. 76. *addendum, quomodo & quouſque Poteſtas eccleſiaſtica ſive propria aut directa, ſive analogica & indirecta verſetur aut non verſetur circa membra Eccleſiæ incompleta (ita loquamur) hoc eſt, baptizatos in infantiâ, alioſque omnes catechumenos, immo & quoſcunque auditores. Denique* Theor. 7. & 75. *limitandum, ne totum corpus populi à Synedrio diſtincti ab omni poteſtate eccleſiaſtica participatione, quod ad* κτῆσιν & χρῆσιν, *in quocunque ſtatu aut caſu abſolutè excludatur. Aliter enim à nobis (ſalvo eorum judicio) hoc ex Scripturis & antiquorum conſenſu explicari, & ab Eccleſiis Belgicis paſſim obſervari, Scripta & Diſputationes noſtræ antehac editæ oſtendunt. Ultrajecti* IV. *Kal. Apriles* CIↃ. IↃC. XLVIII. *Subſcripſerant* GISB. VOETIUS, CAROLUS de MAETS, JOHANNES HOORNBEECK. Epiſtola,

Epistola, quâ D. Gillespicus approbationem Facultatis nostræ petebat, talis erat:

„ Reverende & Clarissime Vir, Frater in Domino plurimum observando.
„ Accepi literas tuas datas Ultrajecti 8. Cal. April. 1647. atque mihimet ve-
„ hementer gratulor tum de singulari tuâ humanitate tantillum munus tam
„ benignè accipiente, tum de insigni contra Erastianismum testimonio suf-
„ fragioque, quod eruditissima tua epistola mihi exhibuit. Jam verò de alio
„ negotio liceat mihi te interpellare rogo, quandoquidem ut de eo cogitarem
„ ipse monitor & extimulator eras. Itaque eo res perducta est, ut nuperæ no-
„ strę Synodo Nationali visum fuerit cóntra periculosissimos, & pernicios-
„ simos errores Erastianismi, Independentiæ, & libertatis Conscientię falsò
„ sit dictæ (nam licentiam multo satius nuncupaverimus) publicum habere
„ testimonium. Hæc tria, ut hoc nostro sæculo, evasere summa Impedimen-
„ ta; & ferè solæ remoræ, religionis, in hâc nostrâ Insulâ juxta verbum Dei, &
„ exemplum Ecclesiarum optimè reformatarum stabiliendæ, ita si altiùs ra-
„ dices in Angliâ egerint, vix fieri potest quin exinde alias etiam, & transma-
„ rinas Ecclesias reformatas, progressu temporis, lethalis vulneris aleam sub-
„ ire atque in summum conjici discrimen oporteat: nisi enim (quod promisit
„ Dominus) invadente tanquam fluvio hoste, Spiritus Jehovæ contra eum
„ incurrerit, ejusmodi errorum longè latéque semet diffundentium malignus
„ Influxus, ad alias reformatas Ecclesias, non potest non brevi pervenire.
„ Quæcunque residuę Ecclesię reformatę per nostra cæduntur latera & vulne-
„ rantur; nec hoc solum ita obliquè, sed & aperto marte regimen omnium Ec-
„ clesiarum passim reformatarum, deditissimo oppugnantur studio. Pręterea
„ non pauca quę in confessionibus fidei Ecclesiarum reformatarum apertè ha-
„ bentur, ab istis Sectariis reprehenduntur, vituperantur, damnantur: illis e-
„ nim obloquuntur quotidie, & palam ogganniunt; imo contra receptam ve-
„ ritatem scripturiendi sępenumero tenentur pruritu, pasquillos edunt, nihil
„ minus sibi supercilioscè arrogantes, quàm temporum mutationem, & (quia
„ rebus student novis) approbatissimarum legum abrogationem: reformatas
„ omnes & singulas Ecclesias pro non reformatis imò deformatis insuper ha-
„ bentes, atque (horrendum dictu) Christi Ecclesias Antichristianas agno-
„ minantes. Interea indignis tractantur modis qui nolunt nomen dare alicui
„ Sectarum. Atqui viri probi & cordati satius ducunt, vel cum mille Sectis
„ belligerari, quam fœdifragis, perfidis, juratis catholicæ & Christianæ verita-
„ tis hostibus, manus dare. Quocirca ne latius (si fieri possit) serpat hoc ma-
„ lum, ne hæc erroris gangræna se ulterius diffundat & propaget, & ne conta-
„ gio pestifera glisçat, Theses hæ ad vos transmissæ, concinnatæ sunt, Synodí-
„ que nationalis decreto (quod unà tum Theorematis ad vos transmittitur)

ratæ

„tatę habentur, quoad ipſa doctrinę miſi contentæ capita, de quibus in ipſo
„Synodi decreto expreſſè & ſigillatim mentio fit. Pleniorem & planiorem,
„exactiorem & accuratiorem Theſeon approbationem, rejecerunt & diſtule-
„runt in proximè ſequentem Synodum nationalem, menſe Julio anni jam in-
„euntis, videlicet quadrageſimi octavi ſupra milleſimum ſexcenteſimum, fa-
„vente numine celebrandam. Quo tempore hi unà cum quatuor noſtratium
„Theologicarum Facultatum (quibus res egregiè committitur & demandatur)
„ſententiis approbativis, veſtræ etiam celeberrimæ Academię calculus albus
„theorematis hiſce addatur, ità tempeſtivè, ut coram Synodo illâ Nationali
„produci & proferri poſſit: hujus rei fructum uberem & felicem, benedicti-
„one divinâ, fore confido: puta ad doctrinæ Chriſtianæ partem illam adeò
„neceſſariam validius ſtabiliendam, & harmonico conſenſu ac ſanctâ conſpi-
„ratione tot tantorumque orthodoxorum & doctiſſimorum in diverſis regnis
„ac rebuspublicis Theologorum, firmiùs corroborandam. Unde & gratiſſi-
„mus hic effectus, Dei beneficio, conſequi poterit (neque enim de hac re con-
„clamatum eſt) ut non pauci nunc contra ſentientes tantâ animorum con-
„junctione perſuaderi poſſint, ut veritatem catholicam & orthodoxam am-
„plectantur. Quare diſerto non paucorum prudentum & eruditorum fra-
„trum conſilio & impulſu, has vobis Theſes, à vobis examinandas, humili-
„ter offero: ardenter petens & efflagitans ut Theoremata iſta, in quantum &
„qualiter vobis probentur, veluti verbo Dei conſentanea, Eccleſiæque ædifi-
„cationi utilia, veſtro teſtimonio & ſuffragio quo apud alios confirmentur
„non careant. Hęc habui quæ tibi Vir eruditiſſime communicarem ac com-
„mendarem, quæque ope tuâ impetrari & perfici vellem. Faxit Deus ut fra-
„tres quoque transmarini commoti malis noſtris tanquam ſuis atque rerum
„Anglicarum miſerandam & lugendam conditionem ſeriò penſitantes, fœ-
„derique Britannico vulnerato & periclitanti indoleſcentes, prompti ſint in
„omnes hujuſmodi occaſiones (quod certè mihimet polliceor) ut maturè o-
„pem ferant, & ad commune incendium reſtinguendum lubenter accurrant,
„ſaltem animas ſuas liberent dulciſſimoque hoc ſolatio fruantur, fecimus
„quod potuimus, neque enim ſubterfugimus quominus publicum etiam con-
„tra gliſcentes hujus temporis errores perhiberemus teſtimonium. Mihi per-
„ſuaſum eſt, fœliciorem fore harum turbarum exitum, quam polliceri viden-
„tur proœmia. Deus nobis propitius erit, ſi ſinceris animis ad eum confuge-
„rimus, nec talem tantumque nomini fœderiſque ſui contemptum, diu inul-
„tum ſinet. Tibi cum Symmiſtis tuis doctiſſimis plurimam ſalutem precor.
„Deus vobis omnibus, veſtriſque ſtudiis ac conatibus quam uberrimè bene-
„dicat. Scripſi Edenburgi 31. Januarii 1648. R. T.

„ *Deditiſſimus omni officio* GEORGIUS GILLESPICUS.

Super-

„ Superscriptio erat: Reverendo Clarissimoque Viro D. D. Gisberto Voe-
„ tio SS. Theologiæ in Academiâ Ultrajectinâ Professori, ibidemque Pastori
„ vigilantissimo.

Conferri possunt pro distinctâ & sacrâ Ecclesiæ Politiâ theologi supra *Cap.* 4. & 5. cit. *Omnes* etiam *Canones antiquæ Ecclesiæ tum universæ*, tum *Ecclesiæ Africanæ*, ut, & *Decreta Ecclesiæ Gallicanæ, & omnes Canones reginiinis*, jam inde à temporibus Waldensium, Hussi, Lutheri ab Ecclesiis quibusque Nationum conditi. Ex abundanti, si cui vacat, inspiciat *Canonistas* & inter theologos Pontificios, *Scriptores de Legibus*: inter quos subtiliter more suo *Zuarez. lib.* 4. *de Legibus Cap.* 11. Et inter politico-Jureconsultos, *Renatus Choppinus de Sacrâ Politiâ, & Petrus Marca de Concordia Sacerdotii & imperii seu de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Quod ad necessitatem Politiæ ecclesiasticæ, dicimus eam necessariam 1. *ad* externam & ordinatam, visibilis seu institutæ & particularis alicujus Ecclesiæ subsistentiam. 2. *ad* Ecclesiam notandam & indicandam. 3. *ad* Ecclesiæ bene esse. Quæ ergo doctrinam & disciplinam integrè & purè habet, ea integra & pura est; quæ disciplinam mutilatam, illa mutila; quæ nullam disciplinam, sive directè, sive analogicè, illa nulla esse videtur Ecclesia visibilis & instituta, hoc est, ordinata multitudo; sed potius promiscuus hominum ad verbum Dei audiendum confluxus; ubi materialiter quidem est populus seu corpus populi; sed forma nulla & species populi, seu nulla castrorum acies ordinata. Hic tamen in variis casibus adhiberi velim distinctionem inter jus disciplinæ & factum; inter Potestatem, & ejusdem exercitium; inter possessionem, & usum. Potest enim eclipsin pati, & ἀοχωρίᾳ i. e. temporario usu, & χρήσει carere: ut tamen omni jure, possessione ordinati regiminis & disciplinæ non careat. *III. Probl.* An sit pars officii Christi Sacerdotalis, an vero Regii? *Resp. Affir. poster.* Vide de eo disputantem *Parkerum Libr. cit. p.* 57. *IV. Probl.* Quodnam sit principium & quis judex, & cujus sit eam quod ad substantialia restituere & quod ad circumstantialia instituere? *Resp.* Supremum & independens principium, est Deus: subordinatum & dependens est Christus quà Mediator & constitutus Rex Ecclesiæ. Principium dependens instrumentale & infallibile est Scriptura. Principium dependens sed fallibile est ipsa Ecclesia & Ministri ecclesiastici. Servatis distinctionibus supra in explicatione potestatis ecclesiasticæ allatis: quas hic non repeto. Confer *Parkerum Lib.* 1. *p.* 34. 90. 104. & *Lib.* 2. *p.* 143. 324. cujus conceptus cum his distinctionibus accipi velim. Magistratus est principium dependens fallibile, sed externum & ambulatorium: potest enim adesse aut abesse; salvâ tamen manente essentiâ Ecclesiæ, & Politiæ ecclesiasticæ. *V. Probl.* Quodnam sit & non sit proprium ac primum subjectum Politiæ ecclesiasticæ? *Resp.* dependet hæc determinatio ex iis quæ de Potestate ecclesiast. supra

 diximus.

diximus. Confer. *Parkerum Lib.* 3. *cap.* 1. *VI. Probl.* An in ſubſtantialibus ſit immutabilis? *Reſp. Aff.* Vide probationem apud *Parkerum Lib.* 1. *p.* 42, 342. 347. Ne actum agam. Quænam autem ſint ſubſtantialia ex *Parkero ibid.* colligi poteſt. *VII. Probl.* An ſit pure monarchica, an monarchico-ariſtocratica, an ariſtocratico-monarchica, an purè ariſtocratico-democratica. *Reſp. Primum* ſtatuunt rigidi Papalis monarchiæ aſſertores, omneſque illi, qui ſolum Papam jure divino primum & immediatum eccleſiaſticę Poteſtatis ſubjectum faciunt, à quo & per quem in Epiſcopos derivetur. De quo vide *Diſputationes Bellarmini de Pontifice* cum *Antagoniſtis*, & *Hiſtoriam Concilii Tridentini. Secundum*, qui Papæ ſupremam Poteſtatem tribuunt, ſic tamen ut Epiſcopis in Concilio œcumenico congregatis autoritatem non detrahant, eamque in ſolum Papam transferant. Cujus ſententię fuere Epiſcopi Hiſpani in Concil. Trident. ut videre eſt in *Hiſtoriâ*. *Tertium*, qui ſacram Epiſcoporum Poteſtatem extollunt, & Papam Concilio ſubjiciunt: quæ eſt ſententia Concilii Conſtantienſis, & Baſileenſis, & pragmaticæ ſanctionis in Galliâ, & ſecundum eam Sorbonæ Pariſienſis, cujus Doctores in pragmaticam ſanctionem jurare coguntur. Vide *Servini Vindicias ſecundum libertatem Eccleſiæ Gallicanæ*; & ex noſtris *Pleſſei Myſterium Iniquitatis*, & *Chamierum de Oecumenico Pontifice. Quartum*, qui ſolis Epiſcopis Poteſtatem eccleſiaſticam adſcribunt, etiam ablato Papâ. Quales ex Pontificiis ne hodie quidem deeſſe arbitror, quibus placet celebris ille *Joh. Gerſoni tractatus*, *de Auferibilitate Papæ ab Eccleſiâ*, quique ſubinde conſilia agitârunt de conſtituendo Patriarchâ Gallię. Exemplum habes apud *Rudolph. Botereum Hiſtor. Gallum ad ann.* 1594. cum Papa negaret Henricum IV. ad reconciliationem admittere. Ex noſtris nonnulli puram ariſtocratiam laudant, qui ſolis Epiſcopis Eccleſiæ Regimen & Poteſtatem aſſerunt, & illis ſolis ſuffragia deciſiva in Synodis tribuunt: Quales ſcriptores pro hierarchiâ Anglicanâ alibi citandi. Quorum argumenta & exceptiones ſubruerunt *Parkerus*, *Gerſon Bucerus*, *Didoclavius*, *Paul. Baynes*, *aliique complures* alibi citandi. Puræ ariſtocratiæ hierarchicorum quodammodo affinis eſſe videtur (neutiquam tamen eadem eſt) Politia eorum, qui Superintendentibus, aut Paſtorum Senioribus Poteſtatem ordinariam concedunt; quando & dum annua Synodus Miniſtrorum non habetur. *Poſtremum*, nos ſtatuimus: ut conſtat ex iis, quæ hactenus conformiter praxi apoſtolicæ; & noſtratis Eccleſiæ Belgicæ à nobis determinata. Neque tres aut quatuor anteceſſores ſunt Eccleſia particularis, aut ità eam repræſentant, ut in electione Miniſtrorum, in diſciplinæ executione &c. totus populus tantum numerus ſit: Confer infra *Part.* 2. *tit. de Vocatione Miniſtrorum*, & *Part.* 3. *de Clavibus Regni Cœlorum. VIII. Probl.* An objectum Politiæ eccleſiaſticæ ſint ſcholæ. *Reſp.* 1. *Concl.* Scholæ quędam directè & intrinſecè pertinent ad Politiam eccleſiaſticam,

tleſiaſticam, eique directè ſubordinantur: quales ſunt catechumenorum, & exercentium ſe in ſacris ac prophetantium, & ſimilia collegia theologica ab Eccleſiis inſtituta, & per ſe ab Eccleſiis dependentia. Talia fuerunt olim Collegia Canonicorum quæ ab Auguſtino originem habuiſſe dicuntur, & ſequioribus ſęculis ſcholę monaſteriorum Benedictinorum; & etiamnum hodie in Papatu ſeminaria Epiſcoporum, & ſtudia regularium: de quibus infra *Part.* 2. diſquirendum. In V.T. fuere eccleſiaſticæ ſcholę & collegia prophetantium ſub præfecturà Samuelis, Elię, & Eliſęi. 2. *Concl.* Scholæ mixtæ, ubi præter catecheſin & Theologiam linguæ & artes quælibet docentur, indiſtinctè ſubordinantur politicæ eccleſiaſticę, ubi ſcil. religio permittitur quidem, ſed non eſt publica; & ubi Eccleſiæ diſtinctas ſcholas habent à ſcholis publicis. Utc. gt. hodie in Turciâ, & olim ſub Imperatoribus Ethnicis in Imperio Romano; & hodie alicubi, ubi in Politiis & ſub Principibus ac Magiſtratibus Pontificiis, Reformatæ Eccleſiæ peculiares ſuas ſcholas ſive majores ſive minores aperiunt. Quod autem publici Ludimagiſtri & Profeſſores ibi quod ad ſtudia artium ſæcularium directè & immediatè ſubordinantur Politiæ eccleſiaſticæ, illud totum eſt ex conceſſione aut delegatione Magiſtratus Politici, aut approbantis aut permittentis; & conſequenter juris humani & ambulatorii, non divini & perpetui. 3. *Concl.* Ubi Eccleſia & religio noſtra publica eſt & Magiſtratus ipſe curam ſcholarum ſuſcepit: ibi nihilominus ludimagiſtri, qui una præcentorum & prælectorum ordinarium & publicum munus ſive auxilium Eccleſiis præſtant, ab eccleſiaſticâ Politiâ etiam dependent in muneris ſui ſuſceptione & exercitio, quod ad illam partem ſcil., quæ in lectione & cantu eccleſiaſtico occupatur. *IX. Probl.* An ſcholæ ſint ſubjectum Politiæ Eccleſ. R. 1. *Concl. Primò* per ſe, & propriè eccleſiaſticę Politiæ ſubjectum dici nequeunt: ſed tantum participatè, quomodo appetitus ſenſitivus in homine eſt ſubjectum rectæ rationis, & liberi arbitrii. Eccleſiæ enim has aut illas partes, aut appendices regiminis ſui, ſcholis aut ordinariò & perpetuò aut in ſpecialibus caſibus ſubinde curandas & exequendas demandare poſſunt. Sic e. gr. exploratio eorum, qui ad miniſterium promovendi, non tantum ab Eccleſiis mediæ ætatis ſub ἀκμῇ Papatus, ſed etiam à noſtris reformatis, in Germaniâ, Angliâ, & Belgio ſcholis publicis; in quibus filii prophetarum educantur, demandata eſt. Videantur *Conſtitutiones eccleſiaſticæ ſynodi Nationalis Hagæ-comit. a.* 1586. *artic.* 18. Ante hac, cum ſcholę reformatę nobis deeſſent, presbyteriis ſeu conſiſtoriis examen ordinandorum commiſſum eſt, ut conſtat ex *Conſtitut. Eccleſ. Synodi Nationalis Embdanæ.* Poſtea tamen ad claſſicos conventus devolutum: Academiis tamen jure ſolito minimè ablato. Ante paucos annos partim ſponte hoc officium à ſcholis nonnullis Fœderati Belgii paulatim intermiſſum eſt, partim hâc occaſione nonnullis alicubi oppoſitione factâ impeditum fuit: quâ

de cauſâ non liquet. De quo alibi forte pluribus diſquirendum. 2 *Concl.* Scholæ theologicæ ſeu collegia, quæ ſub Epiſcopali præſidio & ſub communi regulâ ac victu olim habita & inſtituta fuerunt, quamdiu talia tantum erant, nullâ Poteſtate eccleſiaſticâ, nullâ adminiſtratione publicâ fungebantur. Sed collegia purè ſcholaſtica & ſtudioſorum theologiæ ſemper tunc manſiſſe (uti contendit *Himmelius* Theologus Jenenſis *in tract. de Canonicatu* &c.) minime inducar ut credam. Senſim enim ſine ſenſu collegia illa canonicorum (à coliegiis Aſcetarum & Monachorum propriè dictis diſtinctiſſima) in clericos & ordines eccleſiaſticos, ſi non omnes ſaltem maximam partem presbyteros, mutata ſunt: qui non tantum exercitia ſua privata in collegio abſolverent, ſed ſub & cum Epiſcopo Eccleſiam ſuam, cujus clerici erant, & ſcholas eccleſiæ illius, docerent, & curarent, alienos à fide converterent; ita ut pro ſuâ parte Politiæ eccleſiaſticæ ſubjectum fuerint tum poſſeſſione tum executione. De quo videnda *Reformatio Eccleſiaſtica Ludovici* a. 816. quam integram exhibet *Goldaſtus tom.* 3. *Conſtitut. Imperial. p.* 201. & deinceps. Ut & *Hiſt. Ultr. Beka p.* 12. *& Heda*, ubi de primis Epiſcopis Willebrordo, Bonifacio &c. & de donationibus Dagoberti, Caroli, Pipini. p. 26. Conferendi *Molanus*, *Joh. Bapt. Signius*, *Auguſtinus Barboſa*, *Mireus in Tract. peculiar. de Canonicis.* Et *Caſſander in Conſultat. tit. de Canonicis.* Ex noſtris *Hoſpinianus de Monachis cap.* v. Ex JCC. *Tholoſan. Lib.* 15. *Syntag. c.* 32. *Beſoldus de Majeſtate cap.* 7. X. *Probl.* An una ſpecie ſpecialiſſima Politia, omnibus Eccleſiis imponi & aptari poſſit? *Reſp. Aff.* quod ad ſubſtantialia: *Neg.* quod ad periſtatica. *XI. Probl.* An accommodanda & aptanda ſit ad Regimen politicum. *Reſp.* In ſubſtantialibus *Neg.* De quo vide diſputantes *Scriptores contra Epiſcopatum Anglicanum*, *& contra Papatum Romanum.* In periſtaticis cum diſtinctione videndum, quid Eccleſiæ ædificatio & ſalus requirat, & quid ac quouſque ibi, ſi non approbandum, ſaltem prudenter tolerandum ſit. *XII. Probl.* An Poteſtas ſeu Clavis dogmatica à Clave Regiminis ac juriſdictionis ſeparari debeat, & rurſum Clavis ordinis à Clave juriſdictionis, & juriſdictio interior diſtingui ac ſeparari ab exteriori: ita ut una Eccleſiis aut eccleſiaſticis quibuſdam concedatur, altera negetur. *Reſp.* Ita quidem inveteratas corruptiones Regiminis in Papatu palliare ſtudent, & hierarchicas uſurpationes tueri. Papæ tribuunt Regimen Monarchicum externum totius Eccleſiæ, Chriſto ſolum internum relinquunt: De quo figmento diximus in *Diſp. de tranſlatione Papatus à Petro ad Papam.* Epiſcopis, Eccleſiis cathedralibus, & Capitulis Canonicorum tribuunt Poteſtatem regiminis. Rurſum ſolis, Epiſcopis juriſdictionem exteriorem in foro (uti loquuntur) eccleſiaſtico, ſolam interiorem in conſcientia Sacerdotibus, Confeſſariis relinquentes. Reliquiæ uſurpationum iſtarum hærent alicubi in Eccleſiis quæ à Papatu ſeceſſerunt: ubi Eccleſiis particularibus

Digitized by Google

cularibus earumque anteceſſoribus tantum Regiminis ac juriſdictionis adimitur, quantum tribuitur Epiſcopis, aliiſque Conſiſtoriis Politico-eccleſiaſticis, Capitulis Canonicorum, Cæteris ſtellatis, Celſis commiſſionibus, Convocationibus, Patronis clericalibus, & laicis, conſiliis & conſiliariis Principum, & ipſis Principibus ac Magiſtratibus. Conſulatur praxis quotidiana, & *Canones eccleſiaſtici Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ*, & quæ de Regimine in Germanicis Eccleſiis ſubinde conqueruntur *Zepperus in Politicâ eccleſiaſtica, aliique Scriptores* mox infra & *Part. 3. ub. de Diſciplina, citandi.* Sed quid pro divulſione illa Poteſtatis, adferre poſſunt Pontificii, aliique eorum veſtigiis inſiſtentes? Nihil niſi factum & conſuetudinem, diſtinctioneſque principium petentes ſine ſcripturâ ſine ratione. Quod ſi ſubinde jus aliquod prętendunt, illud merè humanum eſt, & fundatum in tranſlatione Poteſtatis eccleſiaſticæ in illos delegatos, aut in illa Collegia ſolius antiquitatis & diuturnæ poſſeſſionis præſcriptione præjudicans. Cum ergo volenti non fiat injuria, ipſæque Eccleſiæ melioris ædificationis cauſâ illis talem Poteſtatem commiſerint, ſequi videtur quibuſdam inter ipſos moderatioribus Caſſandri ſimiliumque ſectatoribus, jure eam ſic uſurpari. Sed multa hic reponi poſſent. 1. Hiſtoriæ ſeu narrationi de tranſlatione non credo: probationem exſpecto. Typhum ſæculi, ambitum, raptum, ſpolia, circumventionem, ſpiritum monarchicum aut oligarchicum, facilius ex lectione Hiſtoriarum deprehendas; quibus Eccleſiæ, earumque Miniſtri ſenſim ſine ſenſu circumventi, oppreſſi, libertate ſuâ ſpoliati, paulatim volentes nolente animo tolerârunt immo & conceſſerunt. 2. Dato tale quid alicubi factum, an inde ſequitur ab omnibus Eccleſiis totius orbis communi conſenſu hoc factum? an ideo Eccleſiæ, quæ hoc non fecerunt, prejudicium inde patientur? 3. Immo quidquid per coactionem, aut negligentiam, aut ignorantiam, aut imprudentiam hic olim conceſſiſſent aut paſſæ eſſent; an ideo in perpetuum obligarentur Eccleſiæ ipſis ſuccedentes? Quo jure divino, quâ lege? Pari jure conſuetudinis & ſucceſſionis oppugnari poſſet omnes reformatio Eccleſiarum, in doctrinâ, moribus, diſciplinâ. 4. Quidquid ſit, non debuiſſent Eccleſię jus illud alteri cedere, nec in Collegia aut Perſonas ſive politicas ſive eccleſiaſticas transferre: nec iſti oblatum & collatum debuiſſent recipere aut retinere. Quid ſi Eccleſia aliqua, Diotrephem aliquem caput faciat, & dominium in fidem ſuam ei deferat, an ille bonâ conſcientiâ talem conditionem acciperet? Videatur de divulſione hac poteſtatis *Bellarminus Lib. 4. de Pontifice cap. 22.* cum *Ameſio, aliiſque ipſius Antagoniſtis.* Sed indicemus breviter argumenta quæpiam quæ una fontes ſint ſolutionum, quibus ſpectra illa diſtinctionum & uſurpationum, merę creaturæ humanæ profligentur. I. *Quia* Poteſtas eccleſiaſtica ſeu Clavis indiſtinctè & indiviſè eccleſiaſticis & Eccleſiis omnibus tribuitur, & ſignatè

gnatè Clavis jurisdictionis exterioris *Math.* 16. & 18. Unde omnes communiter Pontificii & nostri ecclesiasticam Potestatem accersunt. II. *Quia* Ecclesia quælibet particularis vocatur sponsa Christi, domus Dei, columna veritatis, grex & populus & clerus Dei 2. *Cor.* 11. *vers.* 2. 1. *Tim.* 3. *v.* 15. *Actor.* 20. *v.* 28. cum 1. *Petr.* 5. *v.* 2. 3. & quilibet presbyteri vocantur πρεσβύτεροι, ἐπίσκοποι, ποιμένες pastores, œconomi & dispensatores &c. quibus Potestas dogmatizandi, regendi, judicandi negari non potest. Vide 1. *Thess.* 5. *vers.* 12. 1. *Tim.* 5. *vers.* 17. *Tit.* 1. *vers.* 7. *Actor.* 20. *vers.* 17 28. 1. *Cor.* 4. *vers.* 1.

CAPUT. VIII.

De Ecclesiasticis Canonibus, Decretis, Moribus seu Consuetudine.

§. 1. DE Legibus in genere earumque naturâ & proprietatibus agunt *Scriptores Politici*, *Juridici*, & *Theologi*: *nostri in Secundâ Parte Theologiæ*, ubi *de Bonis Operibus in generali*, seu *in Prolegomenis ad Decalogum*: *Pontificii ad Thomæ* 1. 2. *qu.* 90. *&c.* & passim *Casuistæ* ac *Canonistæ*. Ut nunc præteream *Tractatus peculiares Bannes*, *Zwarezii &c.* & *Vivialdi Candelabrum aureum*, *Barthol. Mirandæ &c.* Quæ omnia alibi indicanda: Nunc de Canonibus. Leges distinguuntur in Divinas & Humanas. Divinę sunt morales, ceremoniales, forenses. Humanæ sunt vel civiles vel ecclesiasticæ. De *illis* consulendi *Scriptores Politici* & *Juridici*. *Istæ* specialiter dicuntur Leges canonicę, Canones, Κανόνες, Κανονικαὶ, Constitutiones ecclesiasticę, Statuta ecclesiastica, Capitula, & synechdochicè Decreta & Traditiones. Describi possunt Canones, quod sint *Leges scriptæ ad communem directionem Regiminis ecclesiastici authoritate Synodali constitutæ*. Hanc descriptionem sic explicamus. I. Dico *Leges*, ut distinguam *primò*, à Sententiis judicialibus quę secundum Leges illas feruntur: *Deinde* ab aliis quibuscunque Decretis ecclesiasticis, quę super variis casibus & negotiis Regiminis ecclesiastici condi & formari solent. II. Dico Leges *scriptas*, ut distinguam à Moribus, seu Consuetudine ecclesiasticâ: de quâ infra. III. Dico *directionem Regiminis ecclesiastici*: ut distinguam à Formulis & Liturgiis agendorum sacrorum. IV. Dico *Directionem communem*, ut distinguam tum ab extraordinariis in casu necessitatis aliove extraordinario statutis: tum à specialibus indultis, dispensationibus, prerogativis, privilegiis: de quibus infra. V. Dico *Regiminis ecclesiastici*, ut Canones à Legibus civilibus distinguam. Cum objectum directionis immediatum hic sit regimen sacrum, seu Politia ecclesiastica: mediatum, res, personæ & actiones ecclesiasticæ. Sed Legum civilium objectum immediatum sit Regimen politicum, seu Politia civilis: mediatum, τὰ βιώσιμα seu sæcularia, hoc est, res, personæ, actiones civiles seu sæculares sæculariter seu civiliter

Digitized by Google

civiliter consideratæ. VI. Dico *constitutæ*, ut distinguam à capitibus circa directionem & Regimen Ecclesiæ sapienter conceptis sive privato alicujus aut aliquorum studio, sive publico mandato; quæ tamen quia à publicâ autoritate non recipiuntur & præscribuntur, leges proprie dici nequeunt; sed tantum consilia aut dictata prudentum, quibus salubriter in Regimine ecclesiastico uti possumus. Quo loco habentur *Lancelοti Institutiones Juris Canonici*, ab illo quidem de mandato Pontificis Romani conscriptæ, sed ob interventum mortis ab eodem non autorizatæ. VII. Dico *autoritate Synodali*: ut distinguam ab accessoriâ seu superadditâ Canonum confirmatione (non vero Constitutione), quę fit à solo Magistratu politico. VIII. Dico *Synodali*, ut distinguam à Statutis & Moribus particularibus cujusque parochialis Ecclesiæ aut Presbyterii.

§. 2. Requisita seu conditiones Canonum sunt. I. Ne Jus aliquod fundent conscientias directè obligandi; sunt enim Leges humanæ. Jam vero sola Lex divina conscientias obligare potest; uti aliunde hic præsupponimus & infra *in Problematis* tribus verbis contra Pontificios docebimus. Quod etiam extendimus ad Canones, si qui dogmata necessaria fidei confirment & præscribant. Nam tales Canones non obligant conscientiam directè immediatè & per se ad talia dogmata recipienda; sed solum verbum Dei. II. Ne fiant perpetui, aut in perpetuum præscribantur, illi scil. qui particulares ac circumstantiales ordinis, temporis, modi, rituum & similium adiaphororum determinationes continent: sed perpetuò libertas servetur addendi, minuendi, abrogandi, mutandi; quotiescumque turbatus aut tranquillus rerum status aut Major ædificatio Ecclesiæ ita tulerit. Et hoc exsertè stipulatur. *Postremus Canon ordinis ecclesiastici in Belgio constituti* an. 1578. 1581. 1586. 1619. Confer infra *de Ritibus ecclesiasticis*. III. Ne propter particulares quasque occasiones & casus condantur; nec quævis Consilia, Decreta, Consuetudines canonizentur, hoc est, in Canones transformentur. Sufficit enim & præstat Decretis aut Moribus nonnulla servari. Alioquin pluribus laqueis se induunt, quibus libertas, ac prudentia Christiana impeditur: & tristi exemplo suo monere nos debet Ecclesia Romana, in quâ tandem fabricata est à *Gratiano concordantia discordantium Canonum*, quod & *Decretum* dicitur; cui postea additi sunt *Decretalium libri quinque*, tot titulis distincti; & illis *Clementinæ*, *Sextus*, *Extravagantes*. Tantæ molis erat constituere Corpus Juris Canonici. IV. Ne condantur circa ambulantes gentium, Regionum, Provintiarum &c. ritus ac mores civiles in specialibus gestuum, vestium, domuum, supellectilium, funerum, nuptiarum, &c. in communi vitâ formis & modis. Quod si propter scandalum hic & nunc aliquid statui debeat, id Monitionibus coram vivâ voce adhibitis, aut per Epistolas Synodicas scriptis commodissimè & tutissimè fieri poterit. V. Ne sint multi numero; sed quam fieri potest, paucissimi.

Digitized by Google

cissimi. Cautiores nos reddant antiquorum Conciliorum Canones, qui paulatim succrescentes tandem in Panormiam, concordiam discordantium Canonum, & Decretum Gratiani, immo & vastum Corpus Canonicum excreverunt; hoc rursum fisso in jura vetera & nova. De quo *peculiari Diss.* egimus. Multitudo Legum perdidit Ecclesiam Romanam & regimen spirituale in forum mere litigiosum commutavit. VI. Ut breves sint quantum fieri potest; nihilominus distinctè ac perspicuè concepti. VII. Ne nimis rigidè executio & observatio eorum præscribatur ac teneatur: ne scil. aut Legibus divinis æquiparari, si non præferri videantur; aut omnis prudentiæ ac caritatis Christianæ æquitas & συγγνώμων excludatur. Tunc enim summum jus fieret summa injuria, nec ædificatio Ecclesiæ suprema lex esset. Conferendi *Ethici & Theologi de Æquitate.*

§. 3. Accidunt Legi Canonicæ, quædam communia aliis Legibus, quædam ipsi propria. I. *Communia* ut dispensatio, declaratio, privilegium, exemtio, irritatio, abrogatio, derogatio. *Dispensatio* est, quando in aliquo, quo viget & obligat Lex, tollitur obligatio Legis ab aliquo homine particulari, reliquis manentibus obligatis. In Papatu dicitur; etiam *gratia*, *indulgentia*, *concessio*. *Declaratio* seu *interpretatio* Legis est, quando declaratur in aliquo casu Legem non obligare. *Privilegium* est, veluti privata Lex in alicujus favorem data seu, quando quis excipitur ab obligatione Legis communis. De eorum speciebus, ad Ecclesiastica appropriatis prolixè *Bassæus in Floribus Theol. practicæ.* Ubi recentiores plerique citantur. *Exemtio* est species Privilegii; estque libertas seu eductio ab aliquâ subjectione aut servitute. *Irritatio* est, quando Lex aboletur antequam perfectè obligat. *Abrogatio* est quando Lex, quæ jam perfectè obligabat, simpliciter aboletur & tollitur. *Derogatio* est, quando Lex ex parte tollitur, ex parte manet. De his omnibus operosè nimis (saltem quod ad ecclesiastica) *Zwarez de Legibus*, *Rodericus* in vasto opere *de Regularibus*, *Miranda in Manuali*, *Casuistæ* passim &c. II. *Propria* sunt. 1. *Quod* non sit armata, sed inermis, destituta scil. imperio & coactivâ Potestate. 2. *Quod* nihilominus sanciri possit, sub pœnâ Canonicâ, suspensionis, scil. degradationis, inhabilitatis ad munera Ecclesiastica. 3. *Quod confirmatio* politica adsciscì possit ad ejus autoritatem statuminandam, & ad removenda impedimenta executionis, & consequenter, ipsa politizari. 4. *Quod* vicissim Legem aliquam civilem adaptationem, & judicii ac Potestatis Ecclesiasticæ applicationem Canonizare (ut loquuntur in Papatu), hoc est, Canonicam facere possit.

§. 4. Canones Ecclesiastici variè dividuntur. I. Ex *efficiente* & *objecto cui*, alii dicuntur Ecclesiæ universæ, uti loquuntur; alii Ecclesiæ particularis. *Illi* sunt, constituti aut saltem approbati in Conciliis Oecumenicis, ad regimen omnium in orbe (Romano scil.) Ecclesiarum: & hos exhibet *Codex Canonum Ecclesiæ*

by Google

cleſiæ univerſæ græcè à *Tilio Epiſcopo Meldenſi* in Galliâ, & poſtea à *Juſtello gr.lat. cum notis editus.* Huc facit *Photii Nomocanon cum Scholiis Balſamonis ab* eodem *Juſtello* gr.lat.*editus.* Tales etiam feruntur *Canones* dicti *Apoſtolorum*; de quibus infra *in Problematis.* Poſt Photium & Schiſma inter Orientales atque Occidentales, qui dictorum Generalium Conciliorum Canones in Tomis conciliorum exhibentur, ſequioris ætatis, & valoris, & revera particulares, Occidentales ſcil. ſeu Romani: de quibus mox. *Iſti* ſunt conſtituti & applicati ad regimen Eccleſiæ particularis. Et ſunt vel *Orientalium*, quos vide in *Jure Orientali Græcorum à Leunclavio edito*: vel *Meridionalium*, *Eccleſiæ* ſcil. *Africanæ*; quos *gr. lat.* dedit laudatus modo *Juſtellus*: vel *Occidentalium*, Eccleſiæ Gallicanæ, Hiſpanicę, Anglicanę, quarum Concilia ſeorſim edita, in quibus Decreta & Canones earum exhibentur. Cum quibus conferendi *Tomi Conciliorum*, edit. *Surii*, *Nicholini*, *Crabbe*, *Binii*; & *Epitome ſeu Summa Conciliorum Barthol. Caranzæ*: ubi pleraque provincialia comparent. *Codex Canonum Eccleſiæ Romanæ à Wendelſtino ſeu Cochleo a.* 1528. *editus*, & ante annos aliquos Pariſiis recuſus, peculiariter hic conſiderandus. II. Ex *diverſitate temporis*, dividuntur in Antiquos, Mediæ ætatis, & Novos. De illis & iſtis jam diximus. Reſtat de his quid indicemus. Sunt autem illi vel, novitatis & ἀκμῆς Papatus à ſęculo duodecimo incluſè uſq; in hunc diem: vel diſceſſionis à Papatu & reformationis tum non pertendentis, tum pertendentis. *Illius* partis farraginem Canonicam diſtinctè mox infra indicabimus *cap. de Jure Canonico. Illius* partis *Canones & Conſtitutiones* ſunt, quę mihi nunc occurrunt aut ad manum ſunt, *Genevenſes*, *Belgicæ*, *Scoticæ*, *Anglicæ* (*a.* 1603. & rurſum *a.* 1640.), *Hungaricæ*, *Tranſſylvanicæ*, *Bohemicæ* & *Polonicæ Fratrum unitatis*, *a.* 1633. & poſtea *a.* 1660. *cum ſcholiis J. Amoſi Comenii* editæ; *Haſſiacæ*; *Palatinæ*; *Embdanæ*; *Tigurinæ Lavateri*; *Naſſovicæ* cum *Zepperi Politiâ eccleſiaſticâ* editæ. Anglicas nuper à cœtu Theologorum Londini conceptas, hic non numero, quia opus illud inſpongiam incubuit, nec eccleſiaſticè conſummatum & approbatum, nec politicè confirmatum. Eccleſiarum peregrinarum in Angliâ per *Joh. à Laſco a.* 1550. Eccleſiarum Belgicarum ibid. per *Mart. Micron*, Belgicè a. 1554. III. Ex *diverſitate objectorum circa quod* variè dividi poſſunt. *Alii* enim conditi ſunt de doctrinâ univerſim, aut de aliquo Doctrinæ capite, ut e. gr. *Canones Synodi Dordracenæ a.* 1619. quamvis hi ſtrictè & propriè Canones dici nequeant: *Alii* de Regiminis eccleſiaſtici ſubſtantialibus: *Alii* de ejuſdem Regiminis accidentalibus, & periſtaticis: *Alii* ſpecialiter de Ritibus: *Alii* ſpecialiter de Vocationibus & Ordinationibus Miniſtrorum. *Alii*, de aliis ſecundum omnes Politiæ eccleſiaſticæ titulos & ſubtitulos. Ex Pontificiis *Martinus* „ *Funes in* ſuo *Speculo* ita diſtribuit; unde ſequentia excerpo. Lex agendo-„rum eccleſiaſticorum, vel *divina*, de adminiſtratione ſeptem ſacramento „rum: vel *eccleſiaſtica humana.* Hęc rurſum eſt vel *præceptiva*, *vel pœnalis. Illa* „eſt vel *communis* vel *propria. Communis* eſt triplex. 1. *Prima* omnibus Chri-

„ſtianis, quæ eſt quintuplex, ſanctificandi feſta: jejunandi diebus ab Eccle-
„ſiâ præceptis: confitendi ſemel in anno: communicandi in Paſchate: deni-
„que ſolvendi decimas. Hic nota, priora quatuor in vulgaribus Catechiſmis
„κατ' ἐξοχὴν vocari præcepta Eccleſiæ, quæ decalogo ſubjici ſolent. II. *Se-*
„*cunda* omnibus beneficiatis & clericis in ſacris, & ſunt quinque: de geſtatio-
„ne habitus clericalis & tonſuræ: Ne clericus ſæcularibus negotiis ſe immil-
„ceat: caſtè vivendi: legitimè adminiſtrandi & recipiendi ſacramenta: horas
„Canonicas recitandi. III. *Tertia* ſolis & omnibus beneficium eccleſiaſti-
„cum habentibus. *Propria* eſt quadruplex. 1. *Prima* quorundam beneficia-
„torum: 1. *Epiſcoporum*, Romani Pontificis: Patriarcharum: Archiepiſco-
„porum: Epiſcoporum. 2. *Dignitatum*, videl. Cardinalium, Legati ſummi
„Pontificis, Archidiaconorum, Archipreſbyterorum. 3. *Officiorum*, ut
„Parochi, Patroni. 4. *Regularium* utriuſque ſexus. II. *Secunda*, Principum
„& dominorum temporalium. III. *Tertia*, Judicum, Accuſatorum, Reo-
„rum, Teſtium, Advocatorum, Notariorum. IV. *Quarta*, aliarum perſona-
„rum ſæcularium, ut Doctorum, Studioſorum, Medicorum, & ſimilium.
„*Lex pœnalis* eſt duplex: *vel enim continet cenſuram*, qualis eſt excommunica-
„tio major & minor; ſuſpenſio; interdictum: *Vel non continet*, ut eſt irregu-
„laritas, degradatio, depoſitio, ceſſatio à divinis; & aliæ arbitrariæ, jeju-
„niorum, carceris, & ſimiles. Quæ nam circa materiam hujus diviſionis, a-
lioquin accuratè quod ad formam & accommodatè ad hierarchiam Papa-
lem inſtitutæ, animadverti poſſint, ſuis quæque locis indicantur.

§. 5. Hactenus de Canonibus. Sequuntur Decreta eccleſiaſtica, quæ & quate-
nus à canonibus diſtinguuntur. Nam vox *decreti* vel latè, vel ſtrictè accipi-
tur. Latè accepta *notat quaſcunque Eccleſiarum circa negotia eccleſiaſtica genera-*
lia aut particularia concluſiones. Strictè accepta dupliciter ſumitur. 1. *vel* pro
Canonibus propriè ſic dictis: quomodo *Burchardus Wormatienſis* ſuam *Colle-*
ctionem Canonum, vocat *libros Decretorum*; & *Gratianus* ſuam *Diſcordantium*
Canonum concordantiam vocat *Decretum*; & *Laurentius Bochellus* ſuam *Colle-*
ctionem, *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ.* 2. *vel* pro omnibus actis eccleſiaſticis, quæ
ſunt præter Canones. Et hæc acceptio hujus loci eſt. Tabulæ quibus Decreta
eccleſiaſtica exhibentur, ſunt Acta Synodorum Generalium, Particularium
&c. Antiquarum, Recentiorum &c. De quibus *Part.* 3. *ad tit. de Conciliis.*
Decretis eccleſiaſticis quomodocunque exequendis, denuntiandis, commu-
nicandis inſerviunt *Epiſtolæ Synodales* de quibus *Part.* 3. dicendum. Materia
ſeu contentum Decretorum & Actorum eccleſiaſticorum ad hæc quinque fe-
rè revocari poteſt 1. Deſcriptionem aut præſcriptionem ordinis & decori in
agendis ſacris, & in conventibus eccleſiaſticis hic nunc obſervandi 2. Ne-
gotiorum particularium expeditiones, earumque expediendarum rationes.

Sunt

Digitized by Google

Sunt autem negotia illa quæ intercedunt Ecclesiis & Ministris, vel cum aliis Ecclesiis & Ministris, vel cum Politiis & Magistratibus, iisque amicis, inimicis, mediis seu neutralibus. 3. Quæstionum circa religionem, & Casuum conscientię determinationes. 4. Causarum quarumcumque contentiosarum decisiones. 5. Censurarum ordinationes, executiones, relaxationes, abolitiones. Quæ omnia Conciliorum, antiquorum & recentium acta inspicienti patescent.

§. 6. Decreta ecclesiastica variè dividi possent: nos in præsentiarum contenti erimus distinxisse ea in propria, analogica, equivoca. 1. *Propriè* dicta Decreta ecclesiastica sunt, quę ecclesiastica autoritate, in legitimo conventu legitime conduntur. Eaque sunt vel Primaria, vel Secundaria. *Illa* sunt Synodalia. *Illa* sunt tum Presbyterialia seu Parochialia, tum Districtualia seu Classicalia. 11. *Analogicè* dicta sunt quadruplicia, Academica, Politico-consistorialia, Episcopalia, Politica circa ecclesias & ecclesiastica. *Prima*, Academica, sunt, quę ab Academiis seu Facultatibus theologicis, ex generali aut speciali sive delegatione, sive concessione ecclesiastica Potestatem aliquam participantibus, circa res ecclesiasticas concipiuntur. Non parum tributum fuisse Academiis constat ex Scriptoribus de Academiis, earumque Privilegiis. Post reformationem ubi regiminis ecclesiastici forma ad simplicitatem primævam proxime revocata est, Academiis minus tribui solet; plus, ubi à primæva illa simplicitate longius abest. Ante reformationem celebrior fuit autoritas Academię & Sorbonæ Parienſis, quâ etiam Papæ subinde in ordinem coacti sunt, uti docet exemplum Johannis. 22. ad palinodiam erroris de animarum statu post hanc vitam adacti. De quo vide *Scriptores in Mysterio Plesſei* citatos. Post reformationem autoritas ejusdem crevisse videtur, Regum & supremæ Curię Parisiensis splendore collustrata: uti nominatim constat ex *Variis Actis & Decretis contra molimina ac scripta Jesuitarum*; de quibus consulenda *Historia Jesuitica*. Adeo ut nunc minus locum habere videatur illud dicterium antiquitus jactatum: *Decreta Sorbonæ non transeunt Sequanam.* Sed de Academiarum Potestate alibi, in *Disp. de Scholis.* 2. *Politico-consistorialia* sunt, quæ fiunt à quibusdam Consistoriis in Germania sic dictis: qualibus Decretis Superintendentes atque Inspectores, & per illos Ecclesiæ illic gubernantur. Quę autem & qualia sint illa Consistoria, & quæ eorum jura; peculiari tractatu explicatum est à *Christiano Webero.* Et nos infra *in Problematis* aliquid de iis disquiremus. *Episcopalia* rursum sunt triplicia, vel *pure Episcopalia*, qualia ante hac fuerunt in Anglia: *vel Politico-episcopalia*, qualia Principum quorundam Protestantium Germaniæ, qui Administratorum, Episcoporum, & Principum ecccleſiasticorum nomine insigniti, utramque Potestatem exercebant, ut Magdeburgensis, Hallensis, Bremensis &c. *vel*

Digitized by Google

moderatè - Episcopalia; qualia Super - intendentium & Seniorum in Poloniâ, Hungariâ, Transylvaniâ, Bohemiâ, Moraviâ. 4. *Politica* sunt decreta Principum & Magistratuum circa ecclesiasticorum Decretorum confirmationem, defensionem, & executionem: quæ formaliter non sunt ecclesiastica, sed Politica. Dicuntur autem ecclesiastica objectivè, seu secundum extrinsecam denominationem. Confer supra *Tract. de Potestate & Politia Ecclesiarum*; III. *Æquivocè & catachrestice* dicta Decreta ecclesiastica sunt vel prætensa Ecclesiastico-politica, vel Politico-ecclesiastica. *Prioris generis* sunt Papalia, Consistorialia, S. S. Congregationum, Conciliaria, Archiepiscopalia, Episcopalia, Capitularia. *Papalia* exhibentur *Epistolis decretalibus*, *Bullis*, *Motibus propriis*, *Brevibus*, *Vivæ vocis Oraculis*. Quod si autem Decreta Papæ ad communem Ecclesiæ usum spectare putentur, ea peculiariter dicuntur, *Constitutiones summorum Pontificum*, quas jam inde ab edito Jure Canonico usque ad Paulum V. peculiari volumine collectas edidit Stephanus Quaranta. *Consistorialia* dicuntur, quæ Papa cum Consistorio Cardinalium, aut Consistorium tempore interregni condidit. Quales autem & quomodo Consultationes Consistorii instituantur, docet Cardinalis *Paleotus* tract. *de Sacris Consistorii Consultationibus*. *S.S. congregationum Decreta* sunt, quę fiunt super dogmatis, ritibus, aliisque controversiis aut negotiis Romano - ecclesiasticis. Quæ autem & quales sint quindecim sacræ Congregationes Cardinalium à Sixto V. constitutæ, & quæ negotia singulis assignata, ex professo explicat *Quaranta Lib. cit. pag.* 243. 272. & nos ex illo infra *Part.* 2. *tit. de Cardinalibus*. *Conciliaria* seu Synodalia sunt Decreta Pseudo-synodorum jam inde ab ἀκμῇ Papatus usque ad Concil. Tridentinum inclusè; & Diœcesianarum Synodorum jam inde à Concilio Trid. usque in hunc diem. *Archiepiscopalia*, *Episcopalia*, & *Capitularia*, sunt quoruncunque Episcoporum, & Capitulorum, quæ sigillatim indicare operosum & otiosum esset. Quisque potissimum noret ea, quæ in locis ubi vivit, concepta aut edita novit. Prætensa *Politico ecclesiastica* sunt, qui à Principibus & Magistratibus Potestatem ecclesiasticam usurpantibus & in Ecclesię doctrinam ac regimen se intrudentibus illegitime sanciuntur. Qualia sunt e. gr. Famosum illud *Decretum Ordinum Hollandiæ pro Pace Ecclesiarum a.* 1614. Cui eruditum scriptum ab anonymo oppositum fuit. Cujus receptionem & subscriptionem cum urgerent apud ecclesiasticos, experti tandem sunt, fuisse illud aurum Tholosanum, quod proprios Dominos perdidit. Vide malorum & contentionum syrma inde secutum in *Historiâ ecclesiasticâ D. Triglandii* vernaculo sermone conscripta. Utinam discerent hodie, quorum interest, mandato munere fungi, & πολυπραγμοσύνῃ Diotrephicam & Cæsareo - Papalem, ceu pestem fugere. Prodierat etiam, rebus in Belgio per Remonstrantes turbatis, *Ordinum Transisalaniæ Decretum super quinque controversis*

Digitized by Google

versis Articulis: Cui Ministri classis Steenwicensis sapienter & animosè se opposuerunt. Adhæc *Constitutiones ecclesiasticæ Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ a.* 1612. quæ à Petro Cudsemio apostatâ & tunc sacrificulo Colonienſi in Latinum sermonem translatæ, & additis notis exagitatæ sunt, aliquam partem non immeritò. Denique novæ *Constitutiones ecclesiasticæ*, quas nomine Regis Ecclesiis Scoticis obtrudere conabantur a. 1638. De quibus *Historia rerum in Scotiâ gestarum.*

DE CONSVETVDINE.

HUcusque actum est de Canonibus & Decretis ecclesiasticis, quæ scribuntur: sequitur nunc Lex non scripta, quam *Consuetudinem*, *Mores*, *Praxin communem aut receptam*, *Præscriptionem* appellare possumus. Scio apud Jurèconsultos distingui Præscriptionem à Consuetudine: sed hæc distinctio ad rem præsentem non facit. Nos respicimus acceptionem Tertullíani, qui librum quendam suum, titulo *Præscriptionum adversus hæreticos* insignit. Consuetudo in *Jure Canonico* explicatur *quod in communi est usu. Cap. consuetudo, dist.* 1. Accipitur autem hæc vox vel latè, ut etiam Legem scriptam complectatur (vide C. *cit. dist.* 1.) vel strictè; ut Legi scriptę opponitur. Et hæc acceptio hujus loci est; & Ibidem sic definitur: *Consuetudo est jus quoddam Moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum defecit Lex.* Ad cujus definitionis intelligentiam notandum cum *Zwarezio lib. 6. de Legibus cap.* 1. *num.* 5. Consuetudinem dupliciter spectari posse: *Uno modo*, ut est quid facti, & sic nihil aliud est quam frequentia actuum similium exercitorum à Majori parte communitatis, à viris videlicet ratione utentibus, per quos actus jus quoddam constituitur. *Altero modo*, ut est quid juris, & sic nihil aliud est quam Jus non scriptum, quod ex frequenti actuum similium exercitio, seu longo & continuo usu nascitur. Porro Consuetudinis tres proprietates seu effectus vulgo ponuntur à *Scholasticis ad* 1. 2. *qu.* 97. *art.* 3. & passim à *Casuistis*, & ex nostris *Zanchio Lib.* 1. *de lege Dei cap.* 10. 1. Legem mutare, abrogare, tollere, immo etiam confirmare. 2. Legem interpretari. 3. Legem facere & constituere. Quod ad tertium effectum. Ut Consuetudo vim Legis habeat, communiter istæ quinque conditiones requiruntur. 1. ut sit rationabilis, hoc est ut habeat conditiones Legis justæ. Hinc sequitur, nullam Consuetudinem legitimè introduci posse contra Jus divinum aut naturale. 2. Ut nascatur ex pluribus actionibus iisque externis & manifestis: ita ut una actio sit quidem principium Consuetudinis, non tamen Consuetudo. 3. Ut si Consuetudo Legem aliquam abrogęt, illa tanto tempore duret, quantum ad præ-

Digitized by Google

ſcriptionem requiritur. Secus ſe res habet cum tantum eſt præter Jus, non contra Jus. 4. Ut à populo ex certâ ſcientiâ ſit introducta, & quidem ſciente illo, qui publicam Poteſtatem habet. Unde ſequitur non valere Conſuetudinem, quæ per errorem introducitur: nec etiam cum ille, penes quem Poteſtas eſt jus condendi, animum non habet Conſuetudinem introducendi. 5. Ut major pars populi uſa ſit Conſuetudine, vel illius uſum expreſſe aut ſaltem tacite approbarit. Circa has conditiones varia, apud Autores citatos excipiuntur, diſtinguuntur, & diſputantur. Nos ea mittimus; quod plerumque non tam ad res & leges eccleſiaſticas, quam ad civiles accommodata ſint & quod Conſuetudo tanti nobis non ſit, ut in mere adiaphoris eccleſiaſticis Legis vicem præſtare putemus. *Azorius Inſtitut. Moral. part. 1. lib. 5. cap. 17. qu. 2.* & *Zwarizius Lib. 7. cap. 4.* Conſuetudinem faciunt triplicem, contra Legem, præter Legem, ſecundum Legem. *Contra Legem* eſt, quæ conſiſtit in actibus frequentatis contra Legem, & vim habet abrogandi legem, concurrentibus debitis conditionibus. *Præter Legem* conſiſtit in frequentatione actuum, qui nullâ Lege vetantur. *Secundum Legem*, eſt illa quæ declarat ſeu interpretatur Legem. Si hæ diviſiones ad eccleſiaſtica noſtra applicentur, *Primæ* ſpeciei exempla poſſent eſſe iſta, Quod Deputati Magiſtratus in conſiſtoriis ſeſſionem non habeant de quo ſupra *Cap.* 5. quodque in Vocationibus Miniſtrorum Jus patronatus non exerceatur ab illis qui antehac à principio reformationis illud non exercuerunt; quod in adminiſtratione Cœnæ Miniſter ad menſam ſtans formulam inſtitutionis de Cœna non legat, ſed in ſuggeſto: quamvis noſtri Canones eccleſiaſtici, aliquam iſtorum mentionem faciant, non tamen in forma præſcribant; uti nonnulli perperam opinantur. *Secundæ* exempla ſint, quod Miniſtri Belgici ordinariò aperto; Galli & Gallo-Belgici operto capite concionentur; quodque illi in baptiſmo trina, iſti vero unica aſperſione utantur. *Tertiæ* exemplum eſt, quod examina præparatoria Candidatorum miniſterii vigeant; alicubi etiam examen in lingua græca & hebraica præmittatur.

CAPUT. IX.

Explicantur Quæſtiones aliquot theticæ de Canonibus eccleſiaſticis.

DE Canonibus iſta quæruntur. 1. *Probl.* An debeant eſſe Canones, ſecundum quos Eccleſiæ communiter regantur. *Reſp.* 1. *Concl.* Non ſunt abſolutè cuivis Eccleſiæ particulari neceſſarii neceſſitate medii, ne quidem præcepti. 2. *Concl.* Multò minus ſunt neceſſarii, qui ab univerſali Eccleſiâ conditi, omnes particulares quorumcunque temporum

temporum & locorum Eccleſias obligent aut diligant. Nam *primò* tales nunquam fuerunt in rerum natura: nunquam enim poſt exceſſum Apoſtolorum aliqua perſona aut aliquis cœtus fuit, qui omnes orbis Eccleſias legitimè repræſentaret, earumque Poteſtate & mandato inſtructus Canones conderet. Si qui opinantur de dictis Canonibus Apoſtolorum, Canonibus Eccleſiæ univerſę, Traditionibus ſive apoſtolicis ſive eccleſiaſticis; illi de ſolida probatione cogitent; quam hactenus non vidimus. *Deinde* chimærici illi Canones, qui omnes Eccleſias obligarent, aut ſaltem dirigerent, circa ea quæ Jure divino determinata non ſunt, (nam de Jure divino determinatis aliter & cum diſtinctione judicandum: de quo infra) nec debent nec poſſunt condi. Quid enim abſurdius, quam determinanda in particulari, ſecundum infinitos fere caſus & mutabiles circumſtantias in univerſali & in anteceſſum determinata, aut determinanda fingere: quaſi ſcil. omnibus Vicis, Oppidis, Civitatibus, Provinciis, Nationibus &c. una regiminis & legum forma, aut omnibus omnium temporum, locorum, complexionum hominibus una doſis, una diæta univerſalis à collegio aliquo medicorum in anteceſſum præſcribenda eſſet. 3. *Concl.* Si qui Canones ſint neceſſarii, univerſaliter obligantes & autoritativè dirigentes, atque adeo immutabiles, ii Jure divino aut naturali præſcribuntur; nec habentur ex traditione aut conſtitutione Eccleſiæ, ſed ex verbo Dei; conſequenter non ſunt nec dicuntur propriè eccleſiaſtici, de quibus quæritur, ſed divini aut apoſtolici. 4. *Concl.* utile tamen eſt, & ſubinde ad bene eſſe Eccleſię alicujus particularius, imprimis ad bene eſſe plurium Eccleſiarum correſpondentiâ aliquâ ſynodicâ unitarum neceſſarium, ut ſcripti aliqui ſint Canones. 11. *Probl.* An Canones eccleſiaſtici obligent conſcientiam? *Reſp. Aff.* communiter Pontificii de omnibus Legibus humanis, tum eccleſiaſticis tum politicis. Vide *Zuarez, alioſque Scriptores de Legibus, Bellarminum Lib.* 3. *de Eccleſia c.* 11. *Breſſerum alioſque de Conſcientia* diſputantes; imprimis *Alphonſum à Caſtro Lib.* 1. *de Poteſtate legis pœnalis cap.* 4. ubi operoſè & ex profeſſo diſputat contra *Joh. Gerſon de Vita ſpirit. animæ lect.* 4. adductis octo argumentis: atque unà refutatis (uti putat) omnibus Gerſonis & aliorum ejuſdem ſententiæ fautorum objectionibus. *Cap.* 5. limitat, non omnem Legem humanam ſemper aut ad ſemper obligare ad culpam mortalem: & ſex ſigna ſeu documenta adducit, quibus cognoſci poſſet Legem ſive civilem ſive canonicam ad culpam mortalem obligare. Sed poſterior hæc diſquiſitio otioſa eſt, ſiquidem oſtendi poſſit eum in priori errare: ne dicam quod utraque falſum lemma præſupponat diſtinctione peccati venialis & mortalis. Noſtri ergo ſub diſtinctione communiter negant: quâ adhibita ſponte cadunt omnia argumenta Alphonſi, Bellarmini &c. Eſt autem hæc diſtinctio inter obligationem directam, formalem, per ſe, & inter indirectam, materialem, per accidens

dens seu per aliud. Non obligant illæ Leges humanæ directè & per se: quia solus Deus est dominus conscientiæ, qui imperium in eam habet: *Quia* est unicus legislator &c. *Jac.* 4. 12. *Quia* ipsi Apostoli talem Potestatem non habuerunt 1 *Cor.* 7. 35. & 2 *Cor.* 1. 24. *Actor.* 15. 10. *Quia* non debent fideles hâc in parte fieri servi hominum. 1 *Cor.* 7. 23. Servari tamen possunt ac debent Canones, & Leges civiles siquidem legitimè constituti sint, & Juri divino aut naturali non repugnent; non minus quam obedire & subjici debemus Magistratuum, Parentum, Herorum, specialibus mandatis, ut & legitimis Politiæ & Ecclesiæ Judiciis; propter Legem à Deo conscientiis nostris directè latam *Rom.* 13. *vers.* 1. de Magistratibus, *Ephes.* 6. ubi de Parentibus & Heris, *Matth.* 18. *vers.* 17. & *Hebr.* 13. *vers.* 17. ubi de Ecclesia & Pastoribus. Quod autem *Alphonsus* putat talem Legem etiam esse divinam, siquidem debitè lata sit; id ambiguitate & ἀκριβολογίᾳ sua non caret, & tolleret distinctionem inter Leges divinas & humanas. Quando specialia præcepta & speciales determinationes circumstantiarum proponit & quidem legitimè; ad Deum reduci potest, quia Jure divino permissivo nititur; permisit enim & concessit Deus superioribus inter homines hanc Potestatem: non tamen ex Jure divino positivo educi potest, quia nullum est. III. *Probl.* An illi saltem Canones conscientiam obligent, qui continent dogmata divina fidei aut morum, aut substantiale quid disciplinæ seu politiæ ecclesiasticæ ipso verbo Dei præscriptum. *Resp.* Materialiter, indirectè, & per accidens conceditur; sed formaliter, directè, & per se. *Neg.* Quatenus enim Canon est ecclesiasticè constitutus, non magis obligat quam Catechesis nostra, aut Symbolum Athanasii, aut quæcunque Confessio, aut quæcunque Formula consensus cum verbo Dei conveniens & ex eo desumta. Quamvis materia illis Scriptis contenta obliget ex vi Scripturæ seu præcepti divini. IV. *Probl.* An in Canones ecclesiasticos jurari, aut saltem iis subscribi possit? *Resp.* 1. *Concl.* Juramenta parcè adhibenda, & non nisi necessitate ita postulante. Non sunt tamen simpliciter illicita, positis scil. ponendis: ita ut excusare aut defendere ea facilius sit, quam vehementer probare: saltem ubi non obtinent, non arbitror introducenda. Confer 3. *Part. select. Disp. tit. de Juramento religionis.* 2. *Concl.* Quod ad subscriptionem, propter Canones circumstantiales ac mutabiles, imprimis propter problematica, si quæ intercurrunt, in quibus libertati prophetandi locus relinquendus est (confer infra *Part.* 3. *ubi de Libertate prophetandi*) præstat Ministros ad eam non adigi: ne libertas nimium coarctetur, aut conscientiis infirmis laqueus ponatur, aut modestè in aliquâ determinatione dissentientibus posteà à rigidis & insidiosis censoribus molestiæ creentur. Nolo tamen culpare, si alicubi peculiari aliquâ de causâ subscriptio exigatur. Sed particulares occasiones, & casus necessitatis non semper debent esse

Digitized by Google

esse perpetuarum & generalium Legum matrices. Quis enim Canonum finis esset? v. *Probl.* An tantum ritus adiaphori, item determinationes de moribus & de disciplinâ ecclesiastica sint materia Canonum? *Resp.* Ita sentire videtur *Calvinus in* 1 *Cor.* 11. *v.* 34. & 14. *v.* 40. *Daneus lib.* 2. *Isagogæ part.* 4. *lib.* 3. *cap.* XI. & XIII. nec multum dissentit. *Zanchius loc. cit.* ubi Leges seu Canones ecclesiasticos vocat *traditiones.* Et certe si propriè ac strictè vocem Canonis accipiamus, rectè hoc observasse videntur; sin praxin antiquæ & hodiernæ Ecclesiæ attendamus, comperiemus materiam Canonum non tantum ritus aut regimen Ecclesiæ, sed & determinationes dogmatum, adhæc quæstionum & casuum moralium. Vide e. gr. *Concil. Gangrensis can.* 1. 2. 3. *Laodic.* 29. 31. 53. & *Eliberini, Ilerdensis,* ubi aliqua determinantur ad theologiam moralem spectantia, sed intuitu disciplinę ecclesiasticę. In *Concil. Milevitano, Arausicano, Constantinopolit.* 5., *Toletano* 3. *Bracarensi* 1. &c. determinationes & anathematismi circa dogmata fidei canonibus continentur. Et eorum exemplo *Synodus Dordrac. a.* 1619. canones condidit continentes explicationem controversiæ quinquarticulanæ. Quam autoritatem quęstiones de dogmate fidei exortas definiendi *Daneus Lib. cit. cap.* 7. ecclesiæ tribuit, *ad legitimum in verâ fide consensum conservandum.* Forte ex latiori aut strictiori vocis acceptione hic variare videntur dicta Theologorum. Aut respicitur hodiernus usus, quo dogmata fidei peculiaribus concordiæ Formulis, dictis Confessionibus aut Catechesibus, aut aliis scriptis communibus explicari solent, quarum plerumque mentio fit in canonibus: ita ut canonibus ea describi, aut in iis repeti supervacaneum esset. VI. *Probl.* A quibus Canones constituendi ab Ecclesia, an à Magistratu? *Resp. Aff. pr.* est enim nomothetica, pars seu species ecclesiasticæ Potestatis; uti communi Theologorum antiquorum & recentiorum universali consensu ac praxi præjudicatum est. Ipse Arminius, cujus sectatores plerique ad Magistratum hanc potestatem transtulerunt, eandem Ecclesiis vindicat in Disput. a. 1606. conscriptâ & 29. Julii proposita. Resp. Bernhero Vezekio Daventriensi, cujus titulus erat: *Disput. theologica. quarto repetitarum trigesima octava de Potestate Ecclesiæ in fidei dogmatis, Legibus ferendis & Jurisdictione.* Ibi th. 8. sic loquitur: *Dubium non est, quin ipsi Ecclesiæ aliqua sit concessa Potestas in ferendis novis ad ἐυ&ξίαν Legibus.* Thesi 9. addit, *novas Leges ferri posse à pluribus Ecclesiis particularibus in Synodo congregatis: aut à presbyterio alicujus Ecclesiæ constitui pose quæ non prætoriâ autoritate, sed communi ecclesiæ consensu introducantur. Actor.* 15. *v.* 22. Sunt tamen idiognomones, qui in solidum hoc Magistratui tribuant, ut Remonstrantes in Belgio quorum opinionem tangimus in Disp. de *Potestate & Politia Ecclesiarum.* Illis fessis successerunt nuperi *Scriptores satyrici*, qui tit. *Grallarum* multum bilis & privati odii sui in quoldam Ministros, parum scientiæ & conscientiæ

Digitized by Google

entiæ oſtentarunt. *Eraſtus* Medicus Heidelbergenſis, ſimilem errorem foviſſe videtur: de quo conſulenda *Scripta* ipſius *in Bezam* emiſſa. Ejus veſtigiis inſiſtunt hodie nonnulli in Angliâ, quos Eraſtianos appellant. Quorum patrocinium haut obſcurè ſuſcipit vir in utraque literatura imprimis etiam in Orientali admirandus *Johannes Seldenus in Tract. de Conſiſtoriis*, ubi etiam honorificam ſatyrici & famoſi libelli tit. *Grallarum* in Belgio editi mentionem facit. De quâ controverſiâ vide ſupra, de *Poteſtate Eccleſiarum.* Radix erroris in eo eſt quod nec Poteſtatem eccleſiaſticam à Poteſtate politica circa eccleſiaſtica, nec Canones eccleſiaſticos à Legibus & Sanctionibus politicis circa Canones eccleſiaſticos accuratę diſtinguant. Quomodo Poteſtates illę à ſe invicem diſtinguendæ ſint, ſupra abunde docui. Quomodo itidem Leges & nomine & re diſtinguantur à Canonibus explicat Danæus lib. cit. cap. 12. ubi de differentiâ nominali, & cap 10. ubi de differentiâ reali. *Diverſos*, inquit, *fines reſpiciunt Eccleſia & civilis Magiſtratus in Externâ morum diſciplinâ & modeſtiâ ſanciendâ, diverſoque modo eam ſtabiliunt ac tuentur. Nam eccleſia reſpicit* 1. *Dei præceptum.* 2. *Conſcientiam cujuſque membri Eccleſiæ, ut ille eſt membrum Eccleſiæ.* 3. *Proximi ædificationem etiam infidelium, ut incitetur ad Deum agnoſcendum & colendum. At civilis Magiſtratus reſpicit propriè* 1. *Tranquillitatem publicam illius cœtus cui imperat.* 2. *Factum externum.* 3. *Intereſſe privatorum, ne propter multas injurias turbetur Reſpublica. Eccleſia ſe tuetur ſolis cenſuris & admonitionibus eccleſiaſticis. Magiſtratus autem mulctis & infamiâ, carcere & pœnis corporis.* Sed objiciat quis 1 *Object. Capitularia Caroli Magni, Ludovici, Caroli Calvi aliæque Conſtitutiones Imperii à Goldaſto collecta* verſantur circa eccleſiaſtica, & illis dirigitur Regimen eccleſiaſticum. *Reſp.* Illa Capitula ab illis concepta, conſtituta & formata non ſunt, ſed ab Eccleſiis: ab illis poſtea approbata & firmata. Habent ergo ab Eccleſiis autoritatem intrinſecam, eſſentialem, ἐνεργείᾳ, eccleſiaſticam; ab imperatoribus extrinſecam, accidentalem ſeu acceſſoriam, politicam. 2. *Object. & inſtantia*: Hinc ſaltem evincitur, eſſe utriuſque Poteſtatis ſimul: atque adeo ad Canonum ſanctionem concurrere debere utramque ſive collateraliter ſive ſubordinatè. *Reſp. Neg.* antecedens: quia ipſa Canonum conceptio & conſtitutio pendet à ſolâ Eccleſiâ: & Canonum eorundem ſuperaddita politica confirmatio, per quam in Legem politicam tranſeunt, à ſolâ politiâ. Ut ergo Magiſtratus quà talis in ἐνεργείᾳ ſuæ Poteſtatis apoteleſmate non patitur conſortem, ſic nec Eccleſia quà talis in ſuo. Par enim utriuſque Jus eſt: & ſuum cuique, ex Juſtitia, æqualiter tribuendum, idque ex vi & præſcripto juris divini. 3. *Object.* In praxi ſeu pragmatica eccleſiaſtica non poſſunt limites Poteſtatum tam accuratè ſemper diſtingui: itaque fruſtra diſputatur, quid huic quid illi Jure divino competat aut non competat. *Reſp.* Aliud eſt in caſu conſcientię determinare, quid ſit Juris divi-

Digitized by Google

divini;ut conſcientię ex verbo Dei fideliter informentur:& aliud eſt,conſilium in rebus agendis ſuggerere aut admittere;an & quouſque,& quomodo injurię temporum & hominum armatæ infirmitati cedendum;aut aliquid permittendum, ſeu tolerandum, quod tolli non poteſt. Cum quis infirmitatibus aut defectibus hominum in Regimine Eccleſiæ ſe ſalvâ bonâ conſcientiæ accommodat exemplo Pauli 1 Cor. 9. v. 22. *Omnia omnibus factus ſum &c.* non debet tamen infirmitates & defectus illos approbare, docere, defendere; nedum peccata illa conniventię in virtutes, & Jura divina transformare. VII. *Probl.* An Canones à Pontificibus, Epiſcopis; an verò à Synodis & Presbyteriis condi debeant? *Reſp.* 1. *Concl.* De Papis *Neg.* Et pendet hoc ex quæſtione, de Poteſtate Papæ. 2. *Concl.* De Epiſcopis *Diſt.* & pendet hoc ex controverſia de Epiſcopatu; quam infra *Part.* 2. explicamus. 3. *Concl.* De Synodis non eſt dubium; cum Canones & Conſtitutiones κατ' ἐξοχὴν dicantur ſynodales. Et de talibus propriè hic agimus. Non tamen ſubtrahenda eſt Poteſtas particularibus quibuſque Eccleſiis, circa Ordinem & Regimen ſuum ſtatuendi, quæ ratio loci, temporis, & perſonarum iſtic poſtulat ad maximam ſui ædificationem. Uti hoc inter alios notat *Danæus Lib. cit. cap.* 12. qui ibid. cap. 13. *Nam*, inquit, *in eo nihil intereſt, à multisne Eccleſiis, an ab unà duntaxat lati conditique fuerint, quod ad cautiones noſtras pertinet.* Hoc tamen cavendum, ne quid Canonibus ſynodalibus ſapienter Statutis per municipales illos (ita loquar) derogetur; aut additamentis Claſſicalium ac Presbyterialium ſive Decretorum ſive Canonum, Eccleſia ejuſque Regimen nimium oneretur, & ædificatio opprimatur, aut ſaltem impediatur.

§. 2. Atque hæc Problemata circa Canonum definitionem: ſequuntur aliquot circa eorum accidentia, confirmationem ſcil. & receptionem, interpretationem, executionem cum diſpenſatione. 1. *Probl.* An requiratur Canonum approbatio & receptio à plebe eccleſiaſtica. *Reſp.* Approbatio eſt vel antecedens vel conſequens. Rurſum eſt vel explicita poſt inſtitutum examen, vel implicita. Conſenſus item vel tacitus vel expreſſus. Et ſic receptio eſt vel immediata, vel mediata, ſeu per delegationem. Sit ergo 1. *Concl.* Antecedens approbatio, quæ Canones tanquam cauſa principalis aut inſtrumentalis ſive ſolitaria ſive ſocia conſtituat, aut tanquam conditio ſine qua non populo non competit: quia non ſunt Eccleſiæ ἡγεμόνες, Rectores, Inſpectores, Præfecti; & per conſequens non competit ipſis Poteſtas publica & directiva, cujus pars eſt νομοθεσία. 2. *Concl.* Conſequens approbatio ipſi competit: Sic tamen ut neceſſe non ſit ut ſinguli fideles immediatè examinent, & ſic explicitè recipiant Canones: quamvis licitum ſit, immo laudabile à ſingulis hoc fieri. 3. *Concl.* Ut ergo conſenſus vel tacitus vel expreſſus, & approbatio vel explicita vel implicita hic requiritur, ſic receptio mediata, in anteceſſoribus ſuis ſcil.,

Digitized by Google

hic ſufficit ad fundandam ſubjectionem juxta textum Hebr. 13. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris* &c. 1. Theſſal. 5. 12. *Ut cognoſcatis illos qui laborant* &c. Sed determinatio hujus quæſtionis pendet à controverſia, penes quos ſit Regimen eccleſiaſticum, contra Anabaptiſtas, Morelles &c. quam ſupra tangimus. 11. *Probl.* Hinc pendet quæſtio, An Canones & Conſtitutiones eccleſiaſticæ publicè in Eccleſia populo ſint prælegendæ, aut κατ' οἶκον ſingulis inſinuandę? *Reſp.* Non videtur talis promulgatio eſſe neceſſaria: quamvis inutile non eſſet, ſi lectio pręcipuorum Canonum, præſertim quorum obſervatio populum propius tangit, quotannis in ſingulis Eccleſiis repeteretur. Ut autem in ſingulis Presbyteriis & Conventibus Diaconorum quotannis ſemel atque iterum legantur ac relegantur, pæne neceſſarium videtur. Neque enim cognitio & ſcrutatio Canonum privatæ cujusque induſtriæ & prudentiæ in totum committenda eſt. 111. *Probl.* An confirmatio politica Canonum ſit neceſſaria & affectanda. *Reſp.* Confirmatio eſt vel poſtulata, vel ſponte oblata aut præſtita. Rurſum eſt vel approbativa, vel permiſſiva, vel tolerativa. *Illius* exemplum eſt Genevæ, in Helvetia, in Scotia, in Comitatu Naſſovico, in Ducatu Geldriæ, in Zelandia, in hac noſtra Provincia Ultrajectina, in Urbe Embdana &c. ubicunque ſcil. reformata religio ſola obtinet, aut ſaltem ut religio ſtatus ſeu publica habetur. Ubi tamen obſervandum confirmationem & approbationem poſſe eſſe magis aut minus plenam, expreſſam, ſolennem & in formâ: uti in Belgii Provinciis videre eſt. *Iſtius* exemplum eſt in Gallia, ubi edicto Nannetenſi confirmata eſt libertas religionis reformatę, cum politia & diſciplina eccleſiaſtica. Et antehac in Bohemia, Polonia, &c. De quo vide *Hiſtoriam Eccleſiarum Slavonicarum*, nuperrime Ultrajecti editam. *Hujus* exemplum eſt, in variis Eccleſiis Ducatuum Clivienſis, Juliacenſis, Marcani, &c. quę olim ſub Ducibus Wilhelmo & Johanne in privatis domibus convenire ſolent. His præcognitis ſint iſtæ concluſiones. 1. *Concl.* Politica confirmatio non eſt de eſſentia aut de neceſſitate Canonum, ſeu ordinis eccleſiaſtici; eſt enim accidens, quod adeſſe aut abeſſe poteſt ſine ſubjecti interitu. Probatur hoc exemplo ordinatiſſimæ Eccleſiæ inſtitutæ, apoſtolicæ ſcil.; qualis poſt nulla fuit, nulla erit. Adde & Eccleſias antiquas trium primorum ſęculorum in imperio Romano. Apoſtolicæ Eccleſiæ Ordo & Conſtitutiones caruerunt omni confirmatione politica, non tantum approbativa, ſed & permiſſiva, ſæpe etiam tolerativa. Item ferè dicendum de Eccleſiis ſubſequentibus uſque ad Conſtantinum Magnum. 2. *Concl.* Facit tamen ad bene eſſe Eccleſiæ ſi confirmatio approbativa, aut ſaltem permiſſiva haberi poſſit. Nam hâc ratione oſtium facilius occluditur hæreticis, ſciſmaticis, profanis, carnalibus, falſis fratribus, αὐθάδεσι, turbonibus, qui plerumque contra Ordinem Eccleſiæ & uſum Clavium brachium ſęculare inclamant

Digitized by Google

mant ac concitant. 3. *Concl.* Est ergo officii nostri, ubi deest talis confirmatio, eam serio efflagitare. IV. *Probl.* An Canones legitimè constituti aut in totum aut ex parte sint mutandi? *Resp.* Duæ extremæ sententię evitandæ; una eorum qui putant esse irrevocabiles: altera eorum, qui in horas fingi & refingi, constitui aut aboleri velint; cum modo privata ipsorum studia & contentiones ita ferunt. Nos sic sentimus. 1. *Concl.* Nulli Canones de Adiaphoris, sive externo Ordine, sive circumstantiis, sive ritibus aut moribus particularibus, debent esse aut censeri immutabiles, atque adeo universales, ab omnibus ubique & semper observandi. Quin immo conducit eos subinde mutari & diversis in Ecclesiis variare, ubi melior ędificatio, aut alia aliqua occasio hoc suaserit, aut saltem non dissuaserit, ut homines libertatis & adiaphoriæ admoneantur, & nimis rigida & perpetua observatio in præceptum universale necessarium non transeat. Vide *Socratem lib. 5. Histor. ecclesiast. cap.* 22. ubi scribit, ab apostolis & primitivis Ecclesiis Leges de Festis celebrandis lancitas non fuisse; sed antiquis temporibus ex consuetudine ea observari cœpta & apud singulos populos observationem privatam ex consuetudine habuisse. Sed à moribus illis & liberâ consuetudine per Victorem Romanum ventum fuisse ad Decreta, & anathematismos. *Ibidem* refert tempora jejuniorum & synaxeon, conjugia clericalia, aliaque variante consuetudine observata fuisse: quod tolerabilius erat. Quæ tamen postea, non sine damno Ecclesiæ, perpetuis Edictis & Canonibus Conciliorum circumscripta & Ecclesiis tanquam necessaria, imposita fuere: ita ut æque, si non magis pro humanis illis, & ut plurimùm, inutilibus Constitutionibus, quam pro fidei & pietatis regulis pugnatum sit. Prudenter Calvinus ad 1. Cor. 11. vers. 34. *Cætera cum venero* &c. *Quum*, inquit, *certum sit Paulum non nisi de externo decoro loqui: quod ut in libertate Ecclesiæ positum est, ita pro temporum, locorum, hominum conditione constitui debet.* Et *Danei Lib. cit. cap.* 13. ubi taxat quendam qui in libro gallicè edito de Politiâ Ecclesiæ asserebat, tam immutabilem esse Politiam Ecclesiæ, quam est ipsa doctrina. Quod si autor ille locutus fuisset, de substantialibus & generalibus Politiæ, utique aliquid dixisset. 2. *Concl.* Non facile tamen nec otiosè Canones de peristaticis mutari debent, cum major ædificatio, aut aliqua alia necessitas id non suadet. Quod imprimis observandum, ubi mutatio ostium aperiret mutationi aliorum majoris momenti, immo & totius religionis in pejus. 2. *Concl.* Canones doctrinam aut partem ejus continentes mutari non debent. Si qui tamen Scripturæ repugnant, mutatio eorum serio capessenda. Huc applicari possunt, rationes *Admonitionis Neostadianæ contra Librum Concordiæ*, & nostræ in *Desper. Causæ Papatus lib.* 2. 3. *Concl.* Canones circa substantialia Regiminis ecclesiastici verbo Dei præscripta mutari non

Digitized by Google

debent. Si qui tamen Scripturę repugnare deprehenduntur, eorum mutatio legitimè instituenda. Huc faciunt rationes *Parkeri*, *Autoris Altaris Damascemi*, *Pauli Baynes*, *Gersonis Buceri*, *aliorumque Scriptorum* infra Part. 2. *in Tract. de Classibus*, *Senioribus*, *Episcop. cit.* v. *Probl.* An propter Populum, aut Magistratum ita volentem Canones non constituendi, aut etiam mutandi, idque vitandi majoris mali causâ, scismatis scil., aut persecutionis; aut spe obtinendi majoris boni, ex. gr. multos ad Ecclesiæ communionem alliciendi, confirmationis Politicæ & Religionis & Canonum obtinendæ &c. *Resp.* Distinguenda est ecclesiastica seu synodalis Constitutio, ab omissione ejus aut dilatione ad tempus; & rursum à contrariâ Constitutione, aut abrogatione. Ad hęc distinguenda propria Ecclesiarum conceptio & constitutio, à nudâ tolerantiâ, in quam ex necessitate aliquâ consentire coguntur. Sint ergo hæ conclusiones. I. *Concl.* In doctrinalibus & substantialibus Regiminis nulla mutatio in pejus instituenda, quacumque intentione hoc fiat. Non enim sunt facienda mala, ut eveniat bonum. II. *Concl.* In eorundem non constitutione & emendatione in melius, cum propter impedimenta boni conatus differri debent, patientia & prudentia piorum elucere potest; sic tamen, ne elogio illo se indignos præstent, Apoc. 2. vers. 2. *Quod non potes tolerare malos.* III. *Concl.* In circumstantialibus aliisque Adiaphoris, quædam hoc in casu Canonibus indeterminata relinqui possunt; quamvis judicemus ad meliorem ædificationem talium formalem determinationem futuram. Præstat enim minori illo bono carere quam majori; cum scil. utrumque obtinere non possumus. IV. *Concl.* Quin immo Adiaphora autoritate synodali jam determinata & constituta, & quidem ἀναγκαῖα, hoc in casu abrogari possunt, aut saltem Canonum quorundam observationi derogari. Exemplum talis prudentiæ dedit Ecclesia Gallicana an. 1606. Cum occasione controversiæ à curiâ motę Jeremię Ferrier Pastori & Professori Nemausensi (postea anno 1611. apostatę) super disputatione Academicâ de Antichristo, Confessionis suæ Artic. 26. interpretatione aliquâ & eductione consectarii elenctici hypothetici atque applicativi, quod Papa Romanus sit Antichristus, explicandam censuisset, & jam nova editio Confessionis cum hoc sive interpretamento sive augmento publice data esset Rupellæ an 1607. (quam eodem anno Jac. Viverius medicus Amstelodamensis in nostrum idioma translatam edebat) ad mandatum aut monitionem regis Henrici IV. ilico tale interpretamentum abrogavit, quod ad formam scil. ac modum: manente tamen determinatione illa de Antichristo publicâ ac synodali, cui omnes Ministri subscribere tenentur, non minus ac si in ipsa Confessionis formula exstaret. Declarabat enim Rex Synodi Deputatis, se permittere ut secundum religionem suam hoc sentirent, prædicarent, defenderent, sed rationes suas in præsentiarum non ferre,

ut

Digitized by Google

ut Confeſſioni publicæ de novo inſeratur. v. *Concl.* In aliis quæ Adiaphora dicuntur, nec tamen ab omni defectu, aut ſcandalo, aut ſpecie mali libera ſunt, aut ſaltem ad meliorem ędificationem futura non ſunt, prudenter deſpiciendum ne Canones aut epiſagmata Canonum eccleſiaſtice conſtituantur & determinentur, quod ad contentum ſeu materiam: ſed tantum, ſub proteſtatione, ut à Magiſtratu adjecta aut obtruſa (præſertim ſi novæ ſint tales adjectiones) tolerentur, & prudens ejuſmodi tolerantia ſynodaliter determinetur. Et ſic accipienda ſunt nonnulla, quę de Jure Patronatus & de Correſpondentia cum Magiſtratu in Vocatione Miniſtrorum anno 1619. & de Seſſione in Synedriis anno 1586. occaſione factionis politico-Leiceſtrianæ & ann. 1572. 1578. 1581. de dictorum Feſtorum obſervatione Canonibus Belgicis partim propter Magiſtratum partim propter Populum adjecta ſunt. Idem applicatum volo multis, quę in contentionibus de primâ reformatione à *Melanthone Bucero*, *aliiſque Reformatoribus*, ad approbationem & defenſionem, aut ſaltem libertatem ac tolerantiam reformatæ religionis ab Imperatore, & Principibus Imperii obtinendam tolerata aut conceſſa ſunt. Ibant enim qua poterant, ne ſumma & fundamentalis doctrina euangelii in ipſâ nativitate opprimeretur. Eadem tamen Eccleſiæ reformatę jam conſtitutæ, non conſtituendę, in actu non in ortu, in facto eſſe τὸ τοῦ γεγονέναι, non in fieri τὸ τοῦ γίνεσθαι minimè in viſceribus ſuis permitterent aut admitterent: quidquid in aliis Eccleſiis huc uſque nondum reformatis inito ſyncretiſmo tolerarent. Verſatur enim Decretum & Canon ſynodalis immediate & directè non circa Eccleſiis impoſita, quippe quæ ab Eccleſiis nec affectata, nec poſtulata, nec ſponte ſeu motu proprio concepta, propoſita, promota ſunt; ſed circa eorum permiſſionem, admiſſionem, tolerantiam. Hinc perperam, ſaltem admodum improprie, à nonnullis dicitur Synodos noſtras talia voluiſſe atque approbaſſe. Quaſi quis diceret Illuſtres Ordd. Belgii miſſam totamque Papalem religionem approbare ac defendere; cum eam ſolummodo e.gr. Trajecti ad Moſam, tolerent ac permittant. Decretum vero ſuum de illâ tolerantiâ, atque adeo publicam ſuam Autoritatem & Poteſtatem, quâ Decretum illud conditum, directè approbent ac defendant. vi. *Concl.* Poſſent talia prætextu adiaphorias de novo Eccleſiis bene conſtitutis & meliori ædificatione gaudentibus à Magiſtratu obtrudi, cum veterum ac meliorum Canonum aut Morum abrogatione; quę propter periculoſam conſequentiam tolerari non deberent, nec Decretum aut Canon ſynodaliter de eorum admiſſione condi. Exemplo ſit factum *Pauli*, qui ultra cedere nolebat, ne quidem ad horam *Galat. 2. v. 5.* ut Titum circumcidi pateretur, cum tamen antea Timotheum curaſſet circumcidi. Sic infeliciter nonnulla obtrudebantur Eccleſiis Scoticis in Conventu Perthano anno 1618. At Capys & quorum melior ſententia

tentia menti monebant non esse obtrusas illas novitates majoris mali, quod minabantur, evitandi causa admittendas. Aut hoc ligno occultantur Achivi, Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri. Quod experientia a. 1633. & imprimis anno 1638. & *seqq.* comprobavit. Vide *Scripta partim Historica partim Elenctica* infra Tit. *de Ceremoniis ecclesiasticis* indicata. VII. *Concl.* Abrogationem aut surrogationem aut quamcumque mutationem Canonum quamvis in pejus circa Adiaphora, in exteris Ecclesiis, absque dubio tolerare possumus, & in fraternitate earum persistere: quandoquidem propter defectum aut mutationem in substantialibus Regiminis, & nonnullis dogmaticis ilico ominis fraternitas abrumpenda non est: uti docet exemplum Ecclesiæ Anglicanæ, & Lutheranæ in Polonia, cum quibus fraternitas servata; sicuti & aliis Lutheranis in Germania à nostris oblata. Confer infra *Part.* 3. *tit. de Syncretismo.* Sed perperam Ecclesiæ accuratius quod ad Doctrinam, Politiam, Ritus reformatæ urgentur ad retrocessionem per aliqua, quæ in primæ reformationis in Germaniâ, aut Angliâ conceptione ac partu à Principibus protestantibus, aut à primis Reformatoribus Theologis, præsertim in primis ipsorum scriptis (e. gr. *Zwinglii, Lutheri, Melanthonis, Bugenhagii, Oecolampadii, Bucceri, Crammeri &c.*) permissa, aut non ita improbata, aut concessa sunt; sive per vim inevitabilem, sive per conniventiam quam hoc factum sit, sive per ignorantiam aut dubitationem; cum primam glaciem tantarum corruptionum frangentes omnia æque accuratè non perspiciant. Multò pejus ζηλωταί, qui non tam Decretis, & testimoniis, quam nudis istorum temporum factis, & malis bene positis loco tunc non motis, bene in Ecclesiis constituta sollicitare audent. VI. *Probl.* An executio Canonum circa Adiaphora tam rigide semper urgenda tanquam Legum Persarum & Medorum, ut nulla benignior interpretatio in generali, aut dispensatio in casu particulari locum habere debeat. *Resp. Neg.* Neque enim probare possumus eos, qui subtilitates Juris hic magis captant, quam Populi ædificationem ac salutem, idque ut rebus aut factionibus propriis studeant; Legem prætendentes, cum Titio obesse volunt, & Legem susque deque habentes, cum Mævio prodesse volunt.

CAPUT. X.

Continet Paralipomena aliquot Quæstionum tum generalium tum particularium.

§. 1. *Quæst. 1.* An Canones mera adiaphora aut peristatica determinantes à nationali Ecclesiâ conscripti, omnes tam rigidè urgendi, aut executioni sint mandandi, in particularibus quibusque Ecclesiis, etiam sub pœnâ publicæ, aut suspensionis, aut excommunicationis? *Resp.* 1. Obsistendum quidem ἀπαξίαις, & ἀπάταις, per quos unio, commu-

Digitized by Google

communio, & correſpondentia Eccleſiarum in communi ædificatione, orthodoxiæ & pietatis promotione, diſciplinæ adminiſtratione. 2. *Concl.* Omnis omiſſio aut non obſervatio ſive ad tempus, ſive diuturnæ conſuetudinis præſcriptione perpetua ejuſmodi canonis circumſtantialis, & quidem hypothetici & particulari aliquâ urgente occaſione olim conditi, non eſt ἀνομία, ſed potiùs ἀνωμαλία in talibus Eccleſiis, ubi ad majorem ędificationem, & ad pacis conſervationem omittitur. 3. *Concl.* Imprimis hoc obtinet in illis ſive Canonibus periſtaticis, ſive potiùs Canonum epiſagmatis & oneribus invitæ Eccleſię aliunde impoſitis; quæ velit nolit tolerare cogitur, quia propter hominum pervicaciam, tollere non poteſt. Moleſtiſſimum Eccleſiis eſt e.gr. additamentum illud de Jure Patronatus: ingratum & indecorum alterum illud de perpetuâ Seſſione Magiſtratuum in Conventibus conſiſtorialibus. De poſteriori egimus ſupra *Cap.* 5. & de priori antehac *peculiari Diatriba Parti ſecundæ* infra inferendâ. Nec caret difficultate additamentum ἔξωθεν advectum invectum (non ex proprio corde Eccleſiæ), de correſpondentia cum Magiſtratu loci in electione & vocatione eccleſiaſticâ Miniſtrorum ſervandâ. Generale illud additamentum a. 1619. delegati aliqui à Synodo Nationali, ordini eccleſiaſtico demum addi paſſi ſunt (nam in ordine concepto a. 1586., cujus confirmatio politica petebatur, nihil tale comparet); tum quod aliter non poterant, tum quod magnæ illæ promiſſiones de communi ordinis eccleſiaſtici politicâ confirmatione à ſupremis fœderati Belgii Poteſtatibus jam jam certò certiùs exſpectandâ prudentem hanc conniventiam ſuadebant. Sed quid factum, potentiſſima Provincia una cum duabus aliis, propter quas maximè onerosa illa additamenta fieri debebant, uſque in hunc diem ordinem eccleſiaſticum non confirmarunt. Interim onerosa illa tanquam ſynodalia ſtatuta ex corde eccleſiæ & ex reformatę theologiæ fontibus concepta, probata, & Eccleſiarum conſcientiis commendata, paſſim jactantur, iiſdemq; homines pro re natâ tanquam baliſtis, catapultis, arietibus, vineis ad oppugnandam Eccleſiarum & electionum libertatẽ uruntur. Et certè aliter fieri vix poteſt, ut qui ſuos quamvis minus aptos & Eccleſiis minus gratos, ſi non planè ingratos, prævalente ambitu intrudere ſtudent, correſpondentiam illam non extendant, intendant, eamq; modo plus modo minus applicent ac tribuant Magiſtratibus ſupremis, mediis, infimis; Et ut medii ſubinde cum infimis, aut ejuſdem Poteſtatis ac ordinis cum Collegis ſuis pro correſpondentiæ tempore atque ordine primę, aut ſecundę, aut tertiæ, aut pro ejuſdẽ in quarto, aut in ſexto gradu, privilegiis non contendant. Interim dum de contentionibus illis ſopiendis Claſſes & Synodi laborant, dum coram ſupremis Poteſtatibus, quarum auxilium implorandum eſt, cauſa agitur, vacant miſeræ Eccleſię, non tantum menſibus aliquot, ſed & annis: Sataná, Antichriſto, Atheis ac Libertinis, aliiſque Eccleſię hoſtibus non

ſegniter occaſioni illi ad cauſæ ſuæ promotionem intentis: juxta Proverb. 29. verſ. 18. *cum non fuerit viſio, nudabitur populus.* 4. *Concl.* Qui ergo periſtaticum Canonem, contrariâ Conſuetudine ad neceſſariam aut ſaltem meliorem Eccleſiæ ædificationem in aliquâ Eccleſiâ non obſervatum, importunè urgere velint, & quidem non ſine magnâ Eccleſiæ perturbatione, ac concuſſione, majori cum damno emergente quam ſperato lucro: illo aut rerum mutationem, ſi non inverſionem quęrunt, aut oſtendunt ſe ignorare diſtinctionem inter dogmata fidei, & inter particularem applicationem ac modum Regiminis eccleſiaſtici; inter Canonem generalem ac perpetuum, & inter particularem, periſtaticum, ambulatorium; denique inter Jus Canonicum & inter exercitium iſtius Juris, particulari applicatione factâ ſecundum perſonarum, rerum, factorum, temporum, locorum circumſtantias. 5. *Concl.* Produnt ergo Poteſtatem, Libertatem, & ædificationem Eccleſię ſatis imprudenter, immo & improbè (ſiquidem ex contentione contra fratres, aut propter ſeipſos & *τὰ ἴδια* hoc agant) quicunque in deſignatis modo Canonum additamentis, Principi aut Magiſtratui aut Patrono alicui velificantur, eorumque cauſam agunt, in caſu non ſatis tributi ipſis Juris in præſentatione aut correſpondentiâ, aut promtâ admiſſione, ſi non præveniente invitatione ad ſeſſionem in Conſiſtoriis. Quaſi ſcil. illi per vocationem ſuam eccleſiaſticam ab Eccleſiâ conſtituti eſſent eccleſiaſtici aut canonici procuratores ſive ad cauſas ſive ad lites, qui in talibus negotiis & cauſis Magiſtratuum partes agere debeant, & quidem contra Matrem ſuam Eccleſiam. Oſtendant Scripturas, aut formulas conſenſus, quibus ſubſcripſerunt, aut Canones eccleſiaſticos, aut literas mandati & fidei à Conſiſtorio, aut Claſſe aut Synodo, aut Magiſtratu ipſis datas: ut ſciamus, quâ Poteſtate hoc agant. An Patroni, an Magiſtratus, eorumque advocati & munerarii, quorum operâ utuntur, rerum ſuarum non ſatagunt? an hæc aliaque, quæ ad Poteſtatem ſuam tuendam facere arbitrantur, non ſatis arripiunt, urgent, amplificant? An non major metus eſt ſtante humanâ fragilitate, exceſſus in uſurpandâ Poteſtate, quam defectus? An non quotidie metum (vanum an non vanum hic non diſquiro) pſeudo-Eccleſiaſtici Papatus (qualis ante reformationem dominabatur) antehac a. 1582. à *Senatu Leidenſi in Remonſtrantiâ ad Ill. Hollandiæ Ordines* tunc typis deſcriptâ prætenſum, & per Remonſtranticam factionem denuò concitatum in quibuſdam, qui *οὐ ἄρχῃ*, aut in quibuſdam ipſorum Miniſtris recrudeſcere videmus? Et dum illi ſatis ſuperque ad ſua attendunt, an orthodoxæ religionis & Eccleſiæ filii, preſertim anteceſſores curâ ſibi demandatâ ſepoſitâ, *ἀπροσωπολήπτως* procurationi patronorum aut Magiſtratuum vacabunt? Si quidam ex Advocatis & Miniſtris Magiſtratuum putant omnia tuta ſibi timenda, & neſcio quæ non ad præſumtiones (juxta *Menochium*, & *arcanorum Scriptores politicos*,

non

non juxta Juris divini tabulas) trahenda: an Juris divini periti, putabunt nefas esse, si & ipsi metuant & ad se atque Ecclesiam accuratè attendant? Si ex abundanti, cavent homines, ne aliquando recidat Ecclesia in Papæ - Cæsariatum; cur non caveat Ecclesia, ne aliquando incidat in Cæsareo - Papatum? Ab utroque cavendum est; & contra utramque præmonuerunt nos *Lutherus*, aliique supra nominati.

II. Quæst. An nulla Ecclesia absque crimine schismatis aliquam circa re- §. 2.
ceptos Canones mutationem tentare potest; & an à solâ correspondentiâ & Synodo sive œcumenicâ sic dicta, sive nationali, sive provinciali hic præeunte hoc exspectandum? *Resp.* Distinguo mutationem. *In* eam quæ à privato quo Ministro, aut Consistorio, aut à districtuali aliquâ Synodo fit; & *in* eam quæ fit à Synodo particulari, seu provinciali. 2. *In* eam, quæ volente Ecclesiâ fit: & in eam quę nolente Ecclesiâ fit, & cum præsenti scismatis aut gravis contentionis periculo. 3. *In* eam quæ fit dissentiendo, tantum & tacitè observationem omittendo: *& in* eam quæ fit contradicendo, & alias Ecclesias nobiscum non mutantes condemnando. 4. Denique distinguo Canones circumstantiales *in* eos, qui occasione aut necessitate aliquâ particulari (nunc tamen cessante) observationem ritus aut ordinis alicujus adiaphori, aut abstinentiamab aliquâ re, actione, ceremoniâ adiaphorâ olim præscripserunt: & *in* eos, qui non tam præscripserunt, quam huc usque & non ultra aliquid permiserunt; quod in totum quamvis omissum aut sublatum tunc voluissent Ecclesiæ, non tamen propter varia impedimenta omittere potuerunt. His præmissis, sic concludimus. 1. *Concl.* Unus Concionator non potest *ἰσονόμως* & tutò, adiaphorum quid canonibus memoratum sine districtualis Synodi seu Classis, aut saltem sine Consistorii sui expresso vel tacito consensu mutare sive omittendo antehac non omissum, sive aliquid observando antehac non observatum, sive aliter observando, ac antehac observatum fuit. Et ejusmodi in casibus absque autoritatis synodalis aut communis correspondentiæ, absq; *ἐυταξίας* & pacis ecclesiasticę præjudicio, in Ecclesia particulari, aut in Ecclesiis unius Districtus, aut unius Provincię ad majorem & commodiorem ædificationem, aut ad præveniendа scandala, aut dissidia & contentiones, aut ad libertatem suam hâc in parte ostendendam & reipsa vindicandam talis mutatio fieri potest. Nec est quod ejusdem nationalis correspondentiæ Ministri, Consistoria, Classes Synodi, *συνοδικὸν* Victoris Romani (de quâ *Euseb. Lib.* 5. *cap.* 22. 23. 24. & ex illo *Plessæus in Mysterio ad ann.* 195. ejusque hyperaspistes *Rivetus c. Couffetellum*) imitati Diotrephico fastu in fratres suos aut in Ecclesias sorores insurgant: quippe quibus optimè & intimè perspectum est, quid ædificationi, paci, decoro istic magis aut minus conveniat. Nolo huc generalem illam considerationem adducere, quod Synodi particulares nationali-

bus & generalibus non raro in decretis ſuis præſtiterint, & conſequenter, non eſſe ſemper tam ſtrictè illarum circa adiaphora ſtatutis inhærendum: ſed exempla Eccleſiarum apoſtolicarum, & ſuccedentium, ut & omnium reformatarum, nominatim noſtrarum Belgicarum, & propria Zelotarum, ſi qui prætextu ritus aut ordinis adiaphori non obſervati occaſionem cum fratribus & ſociis Eccleſiis contendendi quærunt: dum camelos aliorum deglutiunt, & trabem in oculo ſuo non vident; hoc eſt, omiſſiones Canonum, quorum obſervatio maximum ad animarum ædificationem, & Eccleſiarum propagationem momentum adferre poſſet. Eccleſiæ apoſtolicæ & ſuccedentes Canonem illum apoſtolicum *Actor.* 15. de abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocato, non tamdiù obſervârunt, donec per Synodum quam apoſtolicam, aut ſubſequentem oecumenicam, Canon ille mutatus eſſet. Minimè. Ne quidem per ſexdecim ſæcula meminimus, ab univerſali aut nationali quâ Synodo illum Canonem mutatum eſſe: quin contra videmus in *Concilio Gangrenſi* (cujus Canones partem faciunt codicis Canonum Eccleſiæ univerſæ) a. 324. *Can.* 2. abſtinentiam illam ſtabiliri. Et à *Leone Imperatore Novell.* 58. ἐκεῖ δὲ μόνον τὸ αἷμα πωλεῖν: ubi renovat Canonem apoſtolorum. Ante ipſos *Clemens Alexandrin. Lib.* 3. *pædagogi cap.* 3. deteſtatus morem Schytarum ſanguinem ex equis ſuis eductum potantium, in hæc verba erumpit ἐγὼ γὰρ θέμις αἷμα τῶν ἀνθρώπων λαμβάνειν, id eſt, *neque enim hominibus fas eſt tangere ſanguinem.* Hinc etiamnum hodie apud Græcos abſtinentia hæc obtinet. Apud Occidentales diù eam ſervatam fuiſſe conſtat ex Tertulliani Apologet c. 9. *qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminentur, vel intra viſcera ſepulto.* Huic adde Minutium in Octavio: *tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* Quid quod *Concilium Provinciale Aurelianenſe* 2. a. 540. *Can.* 20. ſub pœnâ excommunicationis abſtinentiam à ſuffocato præſcibit. Et tamen paulatim Eccleſiæ particulares, ceſſante cauſâ illius decreti & Canonis apoſtolici (ſcandalo ſcil. recenter ex Judaiſmo ad fidem converſorum), per deſuetudinem obſervationem ejuſdem abolêverunt; non exſpectatâ univerſalis conſenſus declaratione, aut ſynodali ſive œcumenicâ ſive nationali abrogatione Auguſtin. Lib. 32. c. Fauſtum Manicheum Cap. 13. *Ubi Eccleſia Gentium talis effecta eſt, ut in eâ nullus Iſraelita carnalis appareat, quis jam hoc Chriſtianus obſervat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus nullo cruento vulnera occiſus eſt? & qui ſorte pauci tangere iſta formidant, à cæteris irridentur.* Sic ille de Apoſtolici Canonis obſervatione per contrariam conſuetudinem paſſim (ſaltem in Africâ, ubi Auguſtinus verſabatur) omiſſâ & abrogatâ: & quidem abſque communi conſenſu aut Synodali ſententiâ, ſive Oecumenicâ ſive Nationali; immo non obſtante contrariâ aliarum Eccleſiarum praxi, &

Synodi

Synodi Gangrenſis decreto. *Secundum exemplum* abſurdiſſimæ huic & ab omni Politiâ eccleſiaſticâ alieniſſimæ opinioni oppoſitum dedit Eccleſia antiqua & media; quæ poſt condita à quatuor primis Oecumenicis Conciliis ſtatuta, poſt collectionem Canonum Eccleſiæ univerſalis (quorum Codices una cum Codice S. Scripturę in Conciliis in medio conſeſſus poni ſolent, uti diſcimus ex *actis Concil. Chalcedonenſis Actione* 4. & 12. & 13.) poſt conſtitutos ſimiles Codices Canonum Eccleſiæ Romanę, Eccleſiæ Africanæ, poſt editum Photii Nomocanonem, poſt ſancita Capitularia Caroli M., Ludovici, Caroli Calvi, ad obſervationem ſingulorum Canonum circumſtantialium aut occaſionatorum (ita loquar) Eccleſias ſingulas quocumque in ſtatu aut caſu aſtrictas non putârunt, ut in applicatione ad quælibet facta & agenda, parem quaſi neceſſitatem & autoritatem cum jure divino ipſis tacite tribuere, aut majori zelo pro iis quam pro Lege Dei contendere viderentur. Vide *Scriptores noſtros Chemnitium, Wittakerum, Molineum, Chamierum, Rivetum, de Traditionibus* differentes. Et quę nos in *Diſp. de Tempore nativitatis Chriſti* Montacutio nil niſi τὰ ἐξ ἀρχῆς, traditiones, Concilia, Canones crepanti reponimus. *Tertium exemplum* huic opinioni oppoſitum eſt communis Eccleſiarum reformatarum praxis; quæ ut in reformatione doctrinæ, ita & in obſervatione aut omiſſione, Rituum, Ordinis, & Regiminis eccleſiaſtici, nec Generalis aut occidentalis, nec Nationalis Concilii ſive Germanici, ſive Britannici, ſive Gallici, ſive reformati & reformantis, ſive irreformati anteceſſorium decretum exſpectavit; nec etiam communem omnium aliarum ejuſdem nationis Eccleſiarum conſenſum. Hoc enim Eccleſias particulares nec potuiſſe nec debuiſſe facere, apud omnes reformatos in confeſſo eſt: niſi totum opus reformationis, crimine αὐθαδίας, rebellionis, ſciſmatis, Donatiſmi, perjurii (qualibus terminis hodiè nonnulli partim imperiti partim malevoli utuntur) condemnare velint. Nos in *Deſper. cauſâ Papatus Lib.* 2. & *Lib.* 3. *Part.* 3. hanc cauſam operoſè, & infra *Part.* 2. *tit. de Vocatione Miniſtrorum*, compendioſe agimus. Vide pro non obſervatione & Traditionum Legum Conſuetudinum eccleſiaſticarum in variis Eccleſiis Germaniæ, *Altingium in Syllabo Controverſ. Part.* 2. contra Lutheranos pro iis *non aliter quam pro aris & focis* (ut ibi loquitur *pag.* 260.) *digladiantes*. Et *Scriptores Anglos & Scotos de hierarchiâ & ceremoniis in Bibliothecâ noſtrâ* indicatos. Sed fruſtra apud δοκησισόφους & ſolos ipſos, ſolis naſcentibus in cerebro ſuo conceptibus contentos, in ſpatia antiquitatis & novitatis eccleſiaſticæ excurrimus: fruſtra etiam ſcripturarias rationes, & non-obſervationem Canonis Apoſtolici *Actor.* 15. apud alios quoſdam contentioſos juris divini planè imperitos, aut apud ſolius antiquitatis eccleſiaſticæ admiratores & buccinatores quidem, minimè tamen ſcrutatores, obtendimus. Age ergo exemplo domeſtico ſingularum eccleſiarum Belgicarum, & ſuo pro-

Digitized by Google

prio, tanquam argumento ad hominem & imperitiſſimis quibuſque cavillatoribus palpabili eos confundamus. Nulla eſt particularis Eccleſia in Belgio, nulla Claſſis, nullus Miniſter, nullus zelotes Canoniſta, aut juris canonici exactor, qui Canones noſtros eccleſiaſticos uſque ad omnes periſtaticos, aut hypotheticos, aut certis occaſionibus, à Synodis nationalibus Emdanâa. 1571. Dordracenâ 1578. Middelburgenſi 1581. Hagienſi 1586. Dordracenâ 1619. & ſynodis Provincial. Holl. Zeeland. Dordracenâ 1574. Zeeland. Middelburgenſi 1591. ſive ſponte conſtitutos, & mutatos, ſive per coactionem admiſſos, in Eccleſiæ regimine in applicatione ad negotia & cauſas eccleſiaſticas, & in juris exercitio obſervat. Eant nunc & procuratoris fiſcalis aut officialis Epiſcopalis partes ſibi ſumant, atque eadem ſtramineâ conſequentiâ, crimen & actionem ἀσεβείας, rebellionis, ſciſmatis, turbatæ pacis, novitatis, heterodoxiæ, immo & perfidię, perjurii (ſi qui canonibus illis ſubſcripſerunt) omnibus & ſingulis Eccleſiis, Presbyteriis, Claſſibus, Miniſtris, imprimis ſibi ipſis intendant. Provoco ad lectionem & relectionem Canonum, ut ſinguli divortium Legum à moribus ſuis notare queant, & quælibet Eccleſia, quælibet Claſſis, quilibet Miniſter Canonum exemplari ſuo toties quoties ſolitum illum ſcholæ Pariſienſis obelum adpingat: *Hic magiſter* (ſcil. Lombardus) *non tenetur.* Ego, quantum memoria mihi tunc ſuggerebat, ſymbolam meam huc contuli in 3. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. de Sabbatho* & *Feſtis Part.* 2. §. 6. Unde diſcant impacati, cum de juris communis exercitio, deque applicatione Legum ad infinita facta, & vice verſa agitur, ſe in Platonis ideali republ. & Eccleſiâ non verſari. 2. *Concl.* Obſervatio Canonum, qui circa ſubſtantialia & generalia regiminis eccleſiaſtici aliquid continent, quod Scripturæ repugnet, aut quorum obſervatio majori Eccleſię damno ſit quam ædificationi, ab Eccleſiâ aut ab Eccleſiis particularibus, quæcunque & ſimulac poſſunt, omittenda eſt; nec hæc libertas & hic profectus in melius ab aliis ejuſdem correſpondentiæ eccleſiis & miniſtris, quibus nunc non licet eſſe tam beatis, directè aut indirectè impedienda. Ut in bonis exempla antecedentia non exſpectanda, ſed danda: ſic nec in defectibus manendum, uſque dum omnes alii ſocii malorum pari ſucceſſu ſuperatis & remotis impedimentis, nobiſcum ab iiſdem ſe expediant. Omnes currant in hoc ſtadio; & qui paſſibus æquis non ſequitur, præcurrentem ne impediat. Reformatio à nobis ipſis inchoanda. *Quidquid manus tua invenit ad faciendum*, & *Eccleſ. 9. verſ.* 10. *Hebr.* 3. *verſ.* 13. *Et tu converſus confirma fratres Luc.* 22. *verſ.* 32. Sic in Germaniâ factitatum à multis Miniſtris & eccleſiis circa cereos in die accenſos, altaria, fractionem panis, exorciſmos, confeſſiones auriculares, &c. & in Angliâ circa genuflexionem in perceptione euchariſtię, crucem poſt baptiſmum, album ſuperindumentum, aliaque ordinem & ritus ſpectantia:

Digitized by Google

tia: non obstante antiquâ & communiori Praxi, & Decretis ac Canonibus episcopalibus ecclesiasticis, imprimis Londinensibus anno 1603. & anni 1640. Quæ Ecclesię reformatę, qui Belgarum theologi fratres Germanos & Anglos hâc in parte culpârunt? Videant ergo contentiosi, qui Canonis aut decreti, aut Moris ecclesiastici machinam perversè & importunè nimis Fratribus in opere Domini optimè currentibus & se longè præcurrentibus objiciunt, ne imitentur Scriptores quosdam ceremoniales in Germaniâ, Angliâ, Scotiâ, qui antehac pro dictis adiaphoris suis non minus, si non magis, contendẹrunt, quam pro nucleo pietatis, aut fundamentalibus religionis reformatæ dogmatis. De quo multa ex ipsis & ex Antagonistis eorum proferri possent: & nos duo aut tria specimina ostendimus *in Dispp. de Tempore nativitatis Christi*, *de Superstitione*, *de Festis*, *de Staurolatriâ*. Non possum non hic referre liberrimam & verissimam vocem *Zachariæ Boyd* Concionatoris Glascuensis in *Alloquio ad Episcopos & Ministros Britanniæ tomo I. tractatus vernaculi de ultimo animæ conflictu in morte* a. 1629. prẹfixo: Ubi querelas de depositis & exclusis ob ceremonias fidelibus Ministris concludit: *propter ceremonialia pœna est substantialis*; *propter substantialia pœna est ceremonialis*. Sane perquam acutè. 3. *Concl.* Observationem Canonum seu potius additamentorum, quæ non sunt inventa Ecclesiæ, nec ex corde ejus profecta, sed aliunde tanquam onera imposita, & à nolente Ecclesiâ admissa, ne totius ordinis tamdiu expetitâ & speratâ approbatione excideret, primâ quâque occasione quælibet Ecclesia particularis, aut quælibet Classis, aut quælibet Synodus particularis omittere aut abrumpere potest; & legitimis instantiis atque intercessionibus, auxilium supremarum Potestatum implorare, conscientias eorum qui obsistunt informare: ne ad horam quidem exspectato Decreto aut Canone Synodi nationalis; cujus convocatio apud nos fere est instar Eliæ Judæorum, quem in dubiis & perplexis communi illo diverbio, *Elias veniet*, frustra exspectant. Ita Synodus Zelandica additamenti illius de sessione deputatorum Politicorum in conventibus Synedrii, non-observationem sedulò ursit, & intercedente celsiss. principe Arausonensi Wilhelmo 2. ab Ill. Ordinibus impetravit. Ejusdem onerosi & ingrati additamenti executionem ab Ecclesia Amstelodamensi amoliri voluit Synodus Noorthollandica Enchusan. a. 1632. sed non obtinuit. Quid super eodem hoc odioso additamento Ultrajecti a. 1660. agitatum fuerit, & quâ cum prudentiâ Synedrium legis (siquidem talis esset) post 70. annorum desuetudinem denuo suscitatæ observationem declinare studuerit, historiæ loquuntur. Juris patronatus exercitium prima Synodus Zuydhollandica paucis hebdomadibus post Nationalem Dordracenâ a. 1619. Leidæ celebrata insigni remonstrantiâ Illustr. Holl. Ordinibus tradita, impedire conabatur; idem ab Synodi Holl. Deputatis, aliisque Conventibus ecclesiasticis toties

Digitized by Google

toties tentatum,quoties mollior & melior aliqua occasio se offerre videbatur. Et nemo, uti spero, tam infrunitus bucco tam servilis parasitus inter ecclesiasticos,qui fratrum suorum fideles pro Jure Dei, pro Ecclesiarum Potestate ac libertate à supremo magistro collatâ labores, rebellionis adversus Synodum Nationalem, aut turbatæ pacis publicæ, apud superiores & inferiores Magistratus accusaret. Monendi ergo omnes, qui sacram & simplicissimam Ecclesiæ Politiam apostolicæ per omnia conformem, aut saltem proximè ei assimilatam, ex animo cupiunt, ut semper ipsis pendeat hamus, & Patronatu aut Sessione utentes quâcumque datâ occasione admoneant:si quo modo det Deus, aliquem aut aliquos absistere ab iis, quorum prius juri divino è diametro repugnat; alterum non nisi cum ignominiâ Ecclesię & Synedrii extra casum necessitatis, usurpari potest: saltem ibi locorum, ubi ex collegio Senatorum semper aliqui in Seniores electi Synedrio interfunt. 4. *Concl.* Non tamen debet particularis aliqua Ecclesia omnes alias ejusdem confessionis & synodalis correspondentiæ Ecclesias in observatione Canonum purè circumstantialium, aut obtrusorum, quæ cum ipsâ simul aut ipsius exemplo non mutârunt, condemnare, unitatem turbare, nedum stabilitam correspondentiam deserere. 5. *Concl.* Multo minus debet Ecclesia, quæ absque periculo scismatis, aut turbationis, circa dictorum Canonum observationem & executionem quid mutat, usurpare Potestatem Synodi nationalis, & omnium istius correspondentiæ Ecclesiarum, in condendis, substituendis, & præscribendis Canonibus. Hoc enim saperet Diotrephem φιλοπρωτεύοντα & ἀκοινωνησίαν Ecclesiarum ac Ministrorum nimis manifestè repugnaret.

§. 3. *III. Quæst.* An Synedrium aliquod, aut Synodus districtualis, seu Classis Potestatem habeat Canones, aut Decreta, aut Constitutiones condendi, secundum quas omnes Ministri, Seniores, Diaconi illius particularis Ecclesiæ, aut omnes illius districtus aut Classis Ecclesiæ regere & regi debeant? *Resp.* Si admonitionum tantum & consiliorum vicem præstent, conceditur. Sin tanquam necessariò observandæ, aut tanquam Canones per præcedaneam singulorum Ministrorum subscriptionem aut exsertam approbationem obstricturos, putamus ordini communi & Potestati Synodorum nationalium ac provincialium nimium præjudicari, unionem turbari, factionibus & schismatis ostium aperiri; & tale quid cum tempore eventurum, quale olim Corinthi (1. *Corinth.* 1. *Ego sum Pauli* &c.) & in Papatu,ubi alius dicit ego sum de regulâ Franciscí, alius, ego de regulâ Dominici &c. Quod quis Imperator olim de medicis, id de regulis, Canonibus, & Constitutionibus ecclesiasticis justius conqueri posset Ecclesia, multitudo Legum me perdidit: siquidem tot corpora juris canonici constituantur, quot sunt classes. Et hæc quidem de modo & more Constitutionum in Classibus condendarum, & Synedriis,ne quidem

Digitized by Google

quidem auditis, nedum consultis imponendarum; absque Synodorum nationalium & provincialium autoritate; & quidem per Classes tales, quæ frequenter, si non ut plurimum, à solis verbi Ministris, & non pariter à Senioribus juxta Canonum Nationalium præscriptum constituuntur. Hæc monenda duximus: ut cautiores, si fieri possit, aliquos reddamus, in Constitutionibus classicalibus cupidè multiplicandis, novis subscriptionibus, quâcunque particulari occasione oblatâ urgendis, & infinita facta perpetuis ac generalibus determinationibus circumscribendo: quasi nihil curæ & prudentiæ Ministrorum, Seniorum, Synedriorum esset relinquendum. Suggero & hanc considerationem, quod ejusmodi statuta classicalia sine exceptione omni servanda (quotiescunque privatis quorundam studiis, negotiis, causis consultum putabitur), si non aperte, saltem tacitè & indirectè nationalibus Canonibus & Decretis nonnunquam derogetur. Et quomodocunque se habeant, saltem occasionem hinc sibi datam putabant Cæsareo-Papatus ædificatores, quique suis Concionatoribus directoria nova, peculiares claves clavium, novas doctrinæ, aut consensus, aut syncretismi famulas, peculiares & variantes, pro peculiari studio suo aut statu rerum suarum, conditiones sine quibus non proponere, & ad subscriptionem ac prestationem earum adigere: alioquin ad vocationem & ministerii exercitium non admittendos, aut si admissi sint, ultra non tolerandos. Exempla olim dederunt in Belgio nostro supremi Magistratus in Hollandiâ a. 1614. cum 1617. in hâc Provinciâ a. 1612. in Trans-Isalaniâ 1616. Quantæ inde in Ecclesiâ & Republicâ turbationes ortæ sint, loquuntur *Historiæ Baudartii & Triglandii.*

IV. Quæst. An à Magistratu aut Ecclesiâ, aut Classe aliquâ, aut Episcopis novæ & peculiares [illegible], regulæ, directoria contra Scripturas aut etiam contra receptas sive Formulas consensus sive Constitutiones ecclesiasticas, oecumenicas, aut nationales, aut saltem præter & extra illas Ecclesiis & Ministris imponi possint? Et si imponantur, an Ministri eas admittere, aut bonâ conscientiâ iis subscribere possint? *Resp.* 1. *Concl.* Verbum Dei neutiquam docebit Magistratus talem usurpationem; uti supra satis probatum. 2. *Concl.* Siquidem Magistratus cum Rege Uzzia involet in propriam Potestatem Ecclesiarum, Synodorum, & omnium istius correspondentiæ Ministrorum; utique vis hæc ferenda est: non tamen stipulatâ promissione aut subscriptione aut observatione pius & fidelis Minister [illegible] & usurpationi Magistratuum in modo agendi commisse, multo minus defectui in talibus [illegible] & directoriis præscripto accedet; sed libertatem sibi servabit executionem eorum omni cum prudentiâ & remediis quibuscunque legitimis adhibitis, atque onera imposita declinandi, avertendi, & in ministerii sui exercitio ab iis abstinendi, quamdiu & quantum possunt. Uti antehac factum à pluribus reformatis Ministris dictis §. 4.

ctis non-conformiſtis in Angliâ. Unde judicatum ab Eccleſiis Belgicis, *ἀνιέναι* & perfidè aut ſaltem nimis ſerviliter & imprudenter egiſſe Miniſtros qui decreti Ill. Ordd. Hollandiæ a. 1614. & Ill. Ordd. Trajectinorum Politiæ eccleſiaſticæ a. 1612. ſive volentes ſive nolentes ſubſcripſerant: contra piè, prudenter, fideliter egiſſe Miniſtros illos, qui nec periculis & minis exterriti, nec malis cedentes, conſtanti approbationis, receptionis, promiſſionis, ſubſcriptionis negatione orthodoxiæ & eutaxiæ eccleſiaſticæ inhærebant. 3. *Concl.* Quod ſi à Claſſe quâ aut ab Epiſcopo dioceſiano, in quem unum tota claſſicalis aut ſynodalis, hoc eſt, communis vicinarum Eccleſiarum Poteſtas diſtrictualis contracta prætenditur, ſimile quid ad ingreſſum miniſterii exigatur; non video tali in caſu ultra tolerantiam & permiſſionem, hactenus non tollendi, & ſubjectionem tanquam ad Legem pœnalem, bonâ conſcientiâ à pio Miniſtro quidquam præſtari poſſe. Promiſſio & ſubſcriptio ſi accedat, aufert libertatem ſi non privatim rectè ſentiendi, ſaltem aliorum conſcientias melioribus imbuendi, ab impoſitis illis defectibus in exercitio miniſterii abſtinendi, & meliori quâcunque occaſione convenientem ac ſalutarem mutationem legitimis conſiliis, conatibus, ſuffragiis promovendi, & à jugo illo Eccleſias ac Miniſteria eccleſiaſtica pro parte ſuâ liberandi. Quod ſi tamen limitata promiſſio & ſubſcriptio exigatur, aut ſaltem admittatur, qualis Zanchii, deliberandum forte quis putaret, & conſilia Academiarum ac Synodorum ſuper eo exquirenda, an potius ſtatio deſerenda, an vero promiſſio aut ſubſcriptio præſtanda? Pondus aliquod in hâc deliberatione adferre diceret ſtatum Eccleſiæ aut Academię qui forte per diſceſſum fidelis Miniſtri aut perditus eſſet, aut vehementer turbatus. Nam rationes oeconomicæ & particulares ipſius Miniſtri ut non faciunt externum neceſſitatis caſum, ita in tam anxiâ deliberatione conſiderationem non merentur. Sunt aliæ Eccleſiæ & Academię, quibus inſervire licet: ſin minus, ſunt alię honeſtæ occupationes, quibus familiæ proſpici poteſt. Quidquid ſit aut futurum ſit de ſtatu particulari Miniſtri aut miniſterii candidati, nunquam ſunt facienda mala aut ſpecies malorum, ut eveniant bona. Salus Eccleſię, & genuinę doctrinę ac pietatis in eâ promotio, ſupremam hic Legem facit. Subſcriptio Zanchii non ſine præmiſſâ proteſtatione verbali contra articulos quoſdam verbis ambiguis & malè ſonantibus conceptos, quibus *niſi immundâ conſcientiâ ſimpliciter ſubſcribi non poßet*, ſic ſe habebat: *Hanc doctrinæ formulam ut piam agnoſco, ita etiam recipio.* In *Epiſtolis Part. 2. pag. 303. in Epiſt. ad Mathiam Erbium Paſtorem in Rabſtein* ubi refert tria illa, quæ proteſtatus erat. *Primum*, ſe nolle ut hâc ſuâ ſubſcriptione aliquid derogetur, aut præjudicetur aliis Eccleſiis, Scholis, & Veritati. *Deinde* ut nihil derogetur, & præjudicetur Doctrinæ, quam per decennium in hâc Scholâ docuerat, & quæ continebatur in Prælectionibus, Diſputationibus,

by Google

tationibus, & Confeſſionibus. *Tertio*, ut ſibi liceat tam hos Articulos, quam Auguſtanam Confeſſionem, Apologiam, & Articulos concordiæ inter Lutherum & Bucerum, interpretari juxta normam verbi Dei, doctrinam Auguſtini, Lutheri & Buceri. Ibidem ſic verba ſubſcriptionis ſuę interprètatur: *Illud* ut *accipio pro* quatenus, *&* ita *pro* eatenus. *Non agnoſco autem toram illam doctrinam ſimpliciter piam. Non ſimpliciter igitur eam probo aut recipio. Ibidem* ſubjicit quatuor rationes, quamobrem diutius noluerit detrectare illi formulæ ſubſcribère: quas ibi videat, cui vacat. Quod ad hanc & ſimiles ſubſcriptiones ſine inſertis proteſtationibus (quod exſertè *Zanchio* fuit impoſitum, ipſo *ibid.* referente) non poſſum videre, quin ſaltem ſpeciem mali contineant, & conſequenter ſcandalum apud orthodoxos infirmos, & apud neutrales aut in bivio poſitos, ut & gloriationem atque inſultationem adverſariorum concitent. Quid dicam de iſtâ explicatione τῶ *ut* per *quatenus*, & τῶ *ita* per *eatenus*? annon æquivocationis fallaciâ deceptos & deluſos ſe dicent ſubſcriptionem illam poſtulantes? cum ad mentem, ſenſum, & poſtulatum eorum non reſponderit *Zanchius*. Neque enim mens & intentio ſubſcriptionem urgentium erat illa, quæ *Zanchii* per τὸ *quatenus* & *eatenus* apud alios *poſtea* explicata. Quod ſi coram illis, qui ſubſcriptioni præerant, in anteceſſum ita ſe explicaſſet, utique de dolo aut fraude illi non potuiſſent conqueri. Et ſi unà hanc ſic explicatam ſuam ſubſcriptionem evulgaſſèt, ſcandalum nullum hinc ſequi potuiſſet apud exteros, niſi acceptum. Sed cum neutrum ſit præſtitum, quomodo ſcandalum apud ſubſcriptionis exactores & ejuſdem ſocios (inter quos non pauci, ſi non plerique à doctrinâ Zanchii de Cœnâ & de Prædeſtinatione planè alieni) & apud exteros ſive homodoxos ſive heterodoxos, evitari potuit? Et quid tandem nimiâ συγκαταβάσει in formulis conſenſus, conciliatoriis, ſyncretiſticis concipiendis, approbandis, admittendis, ſubſcribendis, Zanchius, Bucerus, Melanthon, aliique pii & præſtantes Theologi tum Eccleſiis tum ſibi lucrati ſunt? De primo vide ipſius *Miſcellanea*: de ſecundo *Hiſtorias ſacramentarias*: de tertio *ipſius Vitam à Camerario*, & *Melchiore Adami* deſcriptam; quin & ipſius propriam confeſſionem ſeu mavis retractationem in *Epiſtolis ad Illyricum*, *Wigandum*, *Magdeburgenſes*, alioſque ipſius orthodoxiæ detrahentes. Cum ſubſcriptiones aut promiſſiones, aut ſaltem admiſſiones à Magiſtratu alicubi, aut ab Epiſcopis, aut ab aliis Poteſtate eccleſiaſticâ inſtructis urgentur, ſeriò omnia examinanda, atque acta circa Interim Germanicum, librum concordiæ, Decretum Ordinum Hollandiæ 1614. uſque 1617. inclusè, Politiam eccleſiaſticam Ultrajectinam 1612., poſtulatam antehac conformitatem in ceremoniis & regimine eccleſiaſtico Angliæ, etiam Scotiæ, præcipuè jam inde ab a. 1618. percurrenda ac conferenda, ut ex aliorum exemplis & conſiliis, eorumque eventibus tantò magis diſcamus ſa-

pere. Insonet perpetuo auribus nostris illud apostoli 2. *Timoth.* 2. *vers.* 7. νόει ἃ λέγω· δώῃ γάρ σοι ὁ κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι.

§. 5. *V. Quæst.* An Ministri aut Membra Ecclesiæ, ob constitutos & introductos ecclesiasticè, aut solâ autoritate politicâ obtrusos novos Canones, aut nova Directoria in agendis & ritibus ecclesiasticis, & in regimine, quin & in aliquâ parte doctrinæ sive docendæ sive omittendæ, necessariò externæ correspondentiæ & communioni renuntiare debeat? *Resp.* 1. *Concl.* De privatis Fidelibus negatur; siquidem illi simpliciter talem mutationem cogantur solummodo tolerare, non vero illi cooperari, aut aliquid agere, quod conscientiæ ipsorum repugnet. Fas tamen est, immo & consultum in tali casu ordinatè transire ad aliam Ecclesiam, siquidem illic loci haberi queat, ab illis defectibus immunem; aut aliò commigrando missionem à suâ petere & puriori se adjungere. 2. *Concl.* De Ministris itidem negatur; siquidem melior Ecclesiæ ædificatio ipsorum operâ carere nequeat, & ipsis subscriptio, aut approbatio, aut perpetua observatio rigidè non imponatur. Sic e.gr. sub ceremoniis & Canonibus Anglicanis multi Ministri munere suo functi sunt, tolerantes ἀπλῶς e. gr. crucis in baptismo &c. quæ tamen in conscientiâ non probabant, nec unquam iis voluissent cooperari; functi, inquam, sunt, quamdiu poterant per tolerantiam moderatiorum quorundam Episcoporum, aut per Officialium conniventiam autoritate, gratiâ, intercessione Procerum, aut Magnatum impetratam.

§. 6. *VI. Quæst.* An aliquis Minister, aut aliquod Synedrium, aut aliqui Ministri, aut aliqua Classis in Ecclesiâ suâ, aut in Ecclesiis suis, ad meliorem ædificationem, circa regimen, disciplinam, doctrinam publicè privatimque tradendam, propagandam, eandemque contra adversarios muniendam & vindicandam alia & plura agere possit, quam Canones in specie præscribunt? *Resp.* Quidni? *Rat.* 1. Bonum bono additum facit majus bonum. Semper licet bene inventis & constitutis alia addere: modo Formulis consensus, & substantialibus Canonibus non repugnent; nec etiam circumstantialibus & occasionatis, ex hypothesi tamen & propter aliud (non per se) hic & nunc necessariis: quomodo de Canone apostolico super abstinentiâ à scortatione, idolothyto, suffocato, sanguine *Actor.* 15. *vers.* 29. exsertè pronuntiatur; quorum duo priora tanquam absolute & per se, duo posteriora, tanquam ex hypothesi & propter aliud tunc observatu necessaria imponebantur. Similiter introducta sunt primum à Classibus quibusdam deinde approbata à Synodis quibusdam particularibus examina præparatoria Candidatorum ministerii antequam ad specimina concionum coram Ecclesiis exhibenda admittantur, *adhæc* ut Directoribus Classis & Synodi Præsidi scil. & Actuario, adjungatur Assessor: ut Concionatores, Proponentes, Seniores, Diaconi subscribant non tantum

Digitized by Google

tantum Confessioni & Catechismo, sed etiam Canonibus doctrinalibus Synodi Dordracenæ anno 1619.; *insuper*, constitutio paracletorum seu consolatorum qui auxilientur Concionatoribus in visitandis ægrotis & captivis; nec non Præceptorum & Prælectorum. *Denique* & alia nonnulla, quæ in particularibus quibusdam Synodis, aut Classibus, aut Ecclesiis ad arctiorem Ecclesiarum in fide & regimine unionem, & ad majorem auditorum ædificationem observantur, quamvis Canones Nationales eorum non meminerint: quales sunt variæ tum publicæ, tum privato-publicæ Catechizationes; Concionum Repetitiones; Præparatoriæ institutiones competentium; Missiones Concionatorum & lectorum in terras Gentilium, ad Ecclesias clandestinas, ad castra, ad naves bellicas; ministerium diaconissarum in maximâ Belgii Ecclesiâ à primâ reformationis constitutione usque in hunc diem continuatum. 2. *Rat.* Non possunt, nec debent omnia hypothetica quæ his aut illis circumstantiis positis in hâc aut illâ Ecclesiâ valde utilia, immo & necessaria judicantur, Canonibus præscribi & circumscribi: quamvis immensa & intoleranda Canonum farrago (quod tamen fieri non debet) coacervaretur. Peccant ergo si qui ἀμαθίᾳ, ignaviæ, & invidiæ suæ effugium hic quærunt: quotiescunque vident vicinam quam Ecclesiam, aut vicinas Ecclesias, uberiori institutione tum publicâ tum privatâ, etiam κατ' οἶκους *Actor.* 20. *vers.* 20.-- 31. meliori regimine, accuratiori vitæ morumque praxi & disciplinâ excellere, idque per Dei singularem benedictionem sub pii ac laborioſi Ministri ductu. Si quis oculum interiorem conscientiæ aperiat, & perspicillum experientiæ adhibeat, videbit ultimam multarum machinationum, & contentionum analysin esse in barbarum illud Ephesiorum quendam Hermodorum ex civitate suâ ejicientium pronunciatum: *Nemo de nobis unus excellat: sed si quis exstiterit, alio in loco, & apud alios sit.* De quo *Cicero lib. 5. Tuscul. quæst. sub finem.* & *Strabo lib. 14. pag. 441.* edit. gr. lat. Casaub. Quod pronuntiatum sic interpretor, nemo inter sui ordinis homines plura & meliora scire, aut si sciat plura ac meliora, aut melius dicere, depromere, communicare, facere debet, quam alii quicunque, præsertim vicini, aut voluerint, aut potuerint pariter dicere & facere. ut scil. inter omnes omnimoda æqualitas donorum, laborum, honorum, præmiorum in hâc & in futurâ vitâ servetur.

VII. Quæst. An Canones posteriores sive œcumenici, sive nationales semper præferendi prioribus; & œcumenici nationalibus, & nationales provincialibus? *Resp.* 1. *Neg. prius.* Quamvis enim posteriores deberent esse accuratiores prioribus, juxta illud vulgatum δεύτερα φροντίδες σοφωτέρας; & aliquando sint, siquidem iidem plantatores aut reformatores secundas, aut etiam tertias, & quartas suas curas adhibeant: experientia tamen nos docuit non rarò, si non ut plurimum de ἀκριβοῦς remitti, & ex minus bono malum, ex §. 7.

Digitized by Google

malo pejus, ex pejori peſſimum fieri: cujus rationes ſunt 1. *quod* Succeſſores non ſunt iidem numero, homines cum primis eccleſiarum plantatoribus aut reformatoribus, qui tanto ſudore, etiam ſanguine ſuo, Eccleſias Chriſto genuerunt. 2. *Quod* Eccleſia bene ordinata & ex cruce emergens, per pacis otia huic ſæculo magis ſe conformare incipiat, & aliqua de hoc ſæculo paulatim admittere, cum tales ingrediuntur, qui nomine Chriſtiano hominibus malunt placere, quam Deo; propter quos, ſiquidem potentes ſint, nonnulla primum tolerari, deinde admitti, tum ſuſque deque haberi, denique quaſi probari contingit, quę ab initio ſic non fuerant. Ita Eccleſia poſt Apoſtolorum exceſſum, non diu manſit virgo; & per Conſtantinum jam in pace & luce poſita, typho ſæculi magis magiſque ingrediente, à primævâ εὐσεβείᾳ & σωφροσύνῃ magis indies degeneravit. Poſt inchoatam reformationem anno 1517. prima Eccleſię amaritudo erat in ſanguine Martyrum, ſecunda in impugnationibus Hæreticorum, tertia & amariſſima in moribus domeſticorum, & in conſequente apoſtolicæ diſciplinæ ac regiminis eccleſiaſtici laxatione, diminutione, adulteratione: dum per tolerantias, συγκαταβάσεις, & accommodationes ad præſens ſęculum, ad populi cujuſque imperium politicum, & magnatum arbitrium multa inflectuntur, mutantur, abrogantur, obrogantur. Ita experimur veritatem dicti Horatiani: *Ætas parentum pejor avis tulit &c.* *Reſp.* 2. Quod ad quæſtionem, An œcumenicorum aut generalium Conciliorum Decreta ſemper præferenda Decretis particularium, de eâ alibi ſuo loco agendum. Daneus lib. cit. cap. 13. dicit *nihil intereſſe à multis Eccleſiis an ab unâ duntaxat lati conditique ſuerint, quod ad cautiones noſtras pertinet.* Ego ſic ſentio, quando concilia generalia in ſuis Decretis, errant & errores illi corriguntur à particularibus; ſequitur horum Decreta præferenda: quandoquidem juxta vulgatum illud *Panormitani*, uni Laico verum dicenti cum Euangelio potius credendum eſt quam toti Concilio falſum dicenti contra Euangelium. Erraſſe autem Concilia generalia vide abunde probatum à *Wittakero* in *Prælection. de Conciliis quæſt.* 6.

§. 8. *VIII. Quæſt.* An Canones paris autoritatis in Eccleſiis eſſe debeant, cum publicis Confeſſionibus, ſeu formulis conſenſus; & conſequenter an ſubſcriptio & obſervatio Canonum, præſertim hypotheticorum aut circumſtantialium, aut conſulentium æquè rigidè ſit exigenda ſub pœnâ non admiſſionis ad miniſterium, aut depoſitionis? *Reſp.* Quod ad ſubſcriptionem, videtur tale quid rigidè præſcribi in *Canonibus Londinenſibus anno* 1603. *Can.* 36. Sed per pietatem & prudentiam variorum Epiſcoporum aut per conniventiam Officialium divortium ſæpe factum arbitror executionis à Jure & morum à Lege: abſque hoc multi eruditi, pii, & laborioſi Miniſtri ceremoniis & modo regiminis minimè faventes tam diu iſtic Eccleſiis non inſerviiſſent. In Eccleſiâ antiquâ,

Google

tiquâ, & in reliquis Eccleſiis reformatis ut par autoritas nunquam tributa Symbolis aut Confeſſionibus, & ἀληθείαις ſeu Canonibus ſic exſerta approbatio & perpetua obſervatio pariter non impoſita. In Belgio noſtro non tantum Miniſtri, ſed & Candidati miniſterii, & Seniores formulis conſenſus in doctrinâ ſubſcribere tenentur: ſed non pariter Canonibus. In hâc Provinciâ à Miniſtris in admiſſione ad claſſicos Conventus ſubſcriptio Canonum exigitur: ſed in aliis Provinciis, ubi non minus quam hic Eccleſię regimen ſecundum Canones illos adminiſtratur, etiam ubi Politicâ Autoritate confirmati ſunt, tale quid non obſervatur. Miſſis factis & moribus, adferamus rationes. 1. *Rat.* Quia Canones plerique ſunt mutabiles; & conditores eorum ſemper ſibi reſervant libertatem addendo aut demendo eoſdem mutandi, quotieſcunque Eccleſiarum ſtatus & ædificatio hoc poſtulaverit. Vide inter *Canones Belgicos Can.* 86. ſeu *ultimum.* Quod de omnibus Canonibus intelligendum, exceptis qui continent ſubſtantialia & perpetua regiminis eccleſiaſtici verbo Dei definita, & Jure divino poſitivo directè & immediatè ad receptionem & obſervationem nos obligantia; qualia etiam in ipſâ *Confeſſione Belgicâ*, *Artic.* 30. 31. 32., ex parte etiam in *Catecheſi Quæſt.* 83. 84. 85. 103. explicantur. Sed in Formulis conſenſus Confeſſionibus ſcil. & Catecheſibus articuli proponantur tanquam verbo Dei definiti & judicati, & ab Eccleſiâ indicati, & certâ atque Invariatâ fide perpetuò tenendi; juxta *Hebr.* 10. *verſ.* 23. *Judæ verſ.* 3. 1 *Tim.* 1. *verſ.* 19. & 2. *cap.* 1. *verſ.* 12. *Gal.* 3. *verſ.* 1. 2. *Epheſ.* 5. *verſ.* 14. 2. *Rat.* Quia Canones ſeu ἀληθεῖαι ſtrictè acceptę propriè & tantùm (uti plerique volunt, & inter eos *Daneus Iſagog. lib. cit. cap.* 11.) ſaltem præcipuè & plerumque præſcribunt externum decorum in rebus externis, & ordinem in rebus adiaphoris: *ſolam in rebus externis & indifferentibus ædificationem quærit, judicat, definitque in ſuis iſtis Legibus Eccleſia.* Sunt verba Danæi. Plerique Canones præſcribunt conventuum eccleſiaſticorum, & agendorum in iis ordinem, tempus, locum, modum, ritus ad εὐταξίαν, & ad εὐχημοσύνην pertinentes. Nonnulli ſunt Canones *tolerantiæ & neceſſitatis*; de illis ſcil., quæ Eccleſia ἄκουσα δέουσα ϑυμῷ admittere cogitur ob vim majorem, & magnam inde Eccleſiæ concuſſionem aut libertatis ſuæ ſubtractionem, ſi non totalem diſſipationem præveniendam, aut avertendam. Alii ſunt *Adiaphori & permiſſivi*, in Adiaphoris quibuſdam alterutrum uſum electioni & arbitrio ſingularum Eccleſiarum permittentes. Alii ſunt *proviſionales*, quibus certo aliquo rerum ſtatu, in aliquibus ad ſolitam & publicam doctrinæ propoſitionem, ſeu mavis proponendi modum, ad regiminis & diſciplinæ exercitium ſpectantibus, ad tempus ſive breve ſive longius omittendis: uſque dum καιροὶ illi κρείσσους mutentur, & tempeſtas perſecutionis externæ, aut inteſtinæ contentionis deſæviat. Alii ſunt *conſultorii*, qui non tam præſcribunt, quam conſulunt, quod tutius

by Google

tutius & expeditius, & minori cum offenſione videatur fieri aut non fieri poſſe. Alii denique *plane per accidens*, & *propter aliud & alios*, non per ſe decernuntur, ad evitanda aut tollenda ſcandala: ut *Actor.* 15. de ſanguine & ſuffocato. Sed Formulæ conſenſus (Catecheſes & Confeſſiones) continent & ex tabulis Juris divini indicant, ea quę ad fidem & interiorem ſanctitatem, moreſque vivendi omnibus præſcripta ſunt; & conſequenter ad curam ſalutis neceſſaria. 3. *Rat.* Quia canonum aut omnium aut plerorumque contenta ſunt Juris poſitivi humani: unde appellantur leges aut Conſtitutiones humanæ; non divinæ. Solo enim Jure divino permiſſivo conceſſum eſt illis, penes quos Poteſtas eccleſiaſtica, ſecundum particulares & variantes circumſtantias ordinem & modum agendorum in Eccleſiâ viſibili Canonibus aliquot circumſcribere, ad maximam tum fidelium tum unitarum Eccleſiarum commoditatem, tranquillitatem, ędificationem: modo ne Juri divino aut naturali repugnent. Sed contenta Confeſſionum & Catecheſium (quæ ſcil. & quatenus recte concepta) ſunt Juris divini; ad quorum fidem & obſervationem omnes conſcientię nunc & ſemper directe obligantur, quia ſcil. & quatenus ex unico fidei principio, verbo ſcil. Dei, proponuntur. Eſt enim & debet eſſe fides noſtra non temporum ſed Euangeliorum: ut utar phraſi Hilarii. 4. *Rat.* Quia contenta Confeſſionum & Catecheſium omnes Fideles, omnes anteceſſores, omnes Eccleſias, omni loco & tempore uſque ad finem mundi obligant ad fidem & obſervationem: nulla enim exemptio, nulla prærogativa, nulla contraria ſanctio hic locum habet; uti in canonibus periſtaticis.

CAPUT. XI.

Continet Quæſtiones de Decretis eccleſiaſticis, & de Conſuetudine.

§. 1. QUęritur de Decretis eccleſiaſticis 1. *Quæſt.* An Decreta ſynodalia ſint multiplicanda? *Reſp.* Diſtingue Decreta generalia ſeu thetica, à particularibus ſeu hypotheticis: quorum *illa* fiunt de quęſtionibus dogmaticis, moralibus, & generalia regiminis eccleſiaſtici ejuſque Canones concernentibus: *iſta* de quæſtionibus circa hypotheſin negotiorum & cauſarum eccleſiaſticarum. Sit ergo 1. *Concl.* Decreta Claſſium & Synodorum hypothetica tot fieri debent, quot negotia & cauſæ vel per modum gravaminis vel per modum quęſtionis particularis illic proponuntur, aut per appellationem, aut propter generalitatem ſuam &c. eò legitimè deferuntur. Confer infra *Part.* 3. *de Claſſibus & Synodis.* Ne tamen, Actiones, Decreta, Acta ſynodorum nimium excreſcerent, cautum eſt Canonibus noſtris, ut quod in inferiori conventu determinari poteſt, ad ſuperiorem non deferatur ex. gr. à Presbyterio ad Claſſem, à Claſſe ad Synodum Provincialem, ab eâ

Digitized by Google

ab eâ ad Nationalem. 2. *Concl.* Decreta thetica de receptæ ecclesiasticæ doctrinæ capitibus communi Formulâ consensus comprehensis in Synodis non sunt multiplicanda: immo parcè & non nisi indicatis Formulis consensus (siquidem aliquid hic decerni debeat) talia formanda videntur: ne acta Synodorum mutentur in Locos communes, aut Commentaria catechetica. 3. *Concl.* Idem dico de Decretis circa generales regiminis ecclesiastici Canones. 4. *Concl.* Quod ad Canones de particularibus & dictis Adiaphoris, inconsultum eos per accumulationem Decretorum augeri, aut glossis sæpe ad textum adductis eumque onerantibus, si non opprimentibus, operose explicari. Hinc enim plerumque fit, ut Decreta cum Decretis, Jura antiqua cum novis comparata, progressu temporis non tantum συμφωνῶ, sed & exsertè contradictoria pariant, iisque & ingenia Doctorum & res ac regimen Ecclesiæ perturbent: uti experientia docuit in corpore *Juris Canonici.* 5. *Concl.* Decreta circa Theologiam problematicam, ut illa à communi doctrinâ ecclesiasticâ distinguitur, prudenter & parcè concipienda: ne libertatem prophetandi aut legitimam moderationem (de quibus vide infra *Part.* 3.) nimium coarctemus, & præstantissimis viris, aliter forte hic sentientibus, præjudicio autoritatis synodalis laqueus struatur ab æmulis, aliisque qui eruditionis aut pietatis hostes σοφοὶ zeli synodici, occasiones illas captarent. 6. *Concl.* De problematicis quibusdam moralibus, in quibus fortè unus atque alter orthodoxus dissentit, aliter judicandum. Potest enim e. gr. Decreto ecclesiastico caveri, ne quis in Ecclesiâ aut in Scholâ defendat mendacium officiosum, quamvis *Musculus in Joh.* 8. ita senserit, & *Bucerus in Eph.* 4. dubitârit. Similiter de lusu aleæ, de usuris mordentibus, de jure patronatus, de abusu redituum ecclesiasticorum sub umbratili & ementito gradus, aut operis ecclesiastici sive reformati, sive Romani-Papalis titulo, absque re aut opere. Etiamsi enim Synodi subinde tales abusus tolerare debeant; non tamen indecoras & pudendas Theologorum pro iisdem disputationes. 11. *Quæst.* An & quomodo Ecclesiæ regi possint Decretis Consistorii. *Resp.* Præsupponimus Consistoria illa in Germaniâ esse constituta à Principibus & inde mandatum atque autoritatem suam habere. Adhæc constare ex Politicis seu Jureconsultis & ex Theologis. Negotia & causas omnes ecclesiasticas ac nonnullas mixti fori ibi tractari, quæ in Papatu ab Episcopis & eorum Curiis tractari solent. Esse Consistoria & *Judicia ecclesiastica seu Episcopalia:* Distingui tamen à Conciliis seu Synodis ecclesiasticis, & à Judiciis civilibus. Originem & occasionem talibus Consistoriis erigendis datam fuisse per secessionem à Papatu, & Papalis Episcopalis potestatis in terris Principum Protestantium abrogationem. Hæc aliaque fusè pertractantur à *Christiano Webero de Jure & Ratione Consistoriorum.* Sint ergo istę conclusiones 1. *Concl.* Ubi aliis Decretis presbyterialibus

bus & ſynodalibus Eccleſiæ non reguntur, nec regi poſſunt, fideles Miniſtri bonâ conſcientiâ Conſiſtoriis eorumque Decretis ſe Eccleſiaſque ſuas ſubjiciunt; quamdiu materia Decretorum non repugnat Juri divino & naturali: ſic tamen ut non abnegent orthodoxum ſenſum ſuum de ordine, regimine, & judicio eccleſiaſtico per Synodos ex præſcripto verbi divini & antiquæ Eccleſiæ uti hoc fatetur *Weberus cap.* 49. Et nos infra *Part.* 2. illud regimen, vulgò dictum *Presbyteriale*, probavimus in *titulis de Senioribus*, *de Claſſibus & Synodis*, *de Epiſcopatu*; & ſupra, ubi *de Poteſtate & Politiâ Eccleſiarum*, & *de Eccleſiis cathedralibus.* Et communiter hanc libertatem eccleſiaſticam defendunt *Antagoniſtæ Pontificiorum de Conciliis*, *de Papâ*, *de Epiſcopis.* 2. *Concl.* quod ſi Conſiſtoria illa & Decreta ac Judicia epiſcopalia transformarentur in Politica, & eſſent ac dicerentur propriè *Politica* circa eccleſiaſtica; & objectum eorum eſſent cauſæ matrimoniales, de uſuris, de juramentis, de decimis, de ærario eccleſiaſtico, de noſcomiis, de ſcholis &c.: utique non eſſet regimen presbyteriale cum illis αὐτόπτων. 3. *Concl.* Defectus in executione regiminis conſiſtorialis, de quibus conqueritur *Zepperus in Politiâ eccleſiaſticâ*, ab ipſo regimine diſtingui debent, tanquam factum à Lege: qualem prudentiam atque æquitatem in judicio de regimine presbyteriali adhibendam diximus *de Claſſibus & Synodis.* 4. *Concl.* Hypotheſin illam de Decretis regiminis & Judicii eccleſiaſtici presbyterialis non neceſſariis, ſaltem ad bene eſſe Eccleſiæ, ubi Magiſtratus eſt Chriſtianus, ſubruunt *Antagoniſtæ Eraſti & hodiernorum ejus ſectatorum*, ut & *Remonſtrantium* in Belgio; quos ſupra indicamus *tit. de Poteſtate eccleſiaſticâ*, & infra *Part.* 3. *de Clavibus Regni Cœlorum.*

§. 2. De Conſuetudine varia quæruntur apud *Pontificios Scriptores de Legibus*, & *pleroſque Caſuiſtas*, & *Mirandam in Manuali Prælatorum Regularium tom.* 2 *quæſt.* 28. ſed quæ in regimine Eccleſiæ nullum ferè uſum habent. Inter quæſita illa hæc ſolum hic tangimus. 1. *Quæſt.* An conſuetudo vim legis obtinere poſſit, Legemque poſitam tollere & amovere? *Reſp. Aff. Thomas* 22. *Qu.* 97. *artic.* 3. & cum eo inter antiquiores Caſuiſtas *Sylveſter*, *& recentiores omnes*, *& Miranda loc. cit. art.* 2. Ex noſtris *Zanch. loc. cit.* & *Daneus* & quidem applicatè ad eccleſiaſtica *Lib. cit. c.* 15. & 16. ubi æqualem eam facit Canoni ſcripto, & per eam Jus & ordinem Eccleſiæ in Ceremoniis, & in morum diſciplinâ conſtitui dicit. Et adducit locum 1. *Cor.* 11. *v.* 16. Sed nos putamus Conſuetudinem illic intelligi Lege naturali & divinâ ſubnixam. De quo conferri poteſt accuratiſſima & erudiſſ. *Diſputatio textualis* collegæ noſtri Θεμιστείου *Caroli de Maets ad* 1. *Cor.* 11. Et ſic intelligenda illa quæ in *Jure Canonico* & *Miranda aliiſque Recentioribus ex Auguſtini Epiſt. ad Caſulanum* vulgò adferri ſolent. *Deinde*, notamus, Conſtitutiones eccleſiaſticas ſcriptas de Adiaphoris & periſtaticis non dici Leges ſed Canones; quod etiam obſervat *Daneus*

cap.

Digitized by Google

cap. 12. Multo minus Consuetudo Legem hic facere dicenda est; quæ Ecclesiam obligaret. 11. *Quæst.* An Consuetudo unius Ecclesię aut plurium Ecclesiarum, etiam in eâdem Classe aut Synodo conjunctarum in purè Adiaphoris & particularibus, de quibus nullus Canon, nullum ecclesiasticum Decretum, quascunque Ecclesias particulares, aut Ministros in eadem Ecclesiâ obliget? *Resp.* 1. *Concl.* Una aut plures Ecclesiæ non debent aliam aut alias ad suam Consuetudinem alligare; sed suam cuique libertatem in purè Adiaphoris & moribus particularibus relinquere. 2. *Concl.* Nec debet Minister quis aut Ministri unius Ecclesiæ aut aliquot Ecclesiarum, Ministrum aut Ministros alterius Ecclesiæ, ad suam Consuetudinem astringere; multo minus aliter hic agentem aut agentes admordere & invidiâ onerare, prętexendo scandalum aliorum, quod sæpe nullum est; aut zelum ac ἰδιοσυγκρασίαν suam pro symbolo Lipsiano: *moribus antiquis.* Hoc enim repugnaret libertati ecclesiasticæ, & ἰσονομίᾳ Ministrorum. Videatur apud *Pleßeum in Mysterio Iniquitatis* insignis Historia de Victoris Episcopi Romani contentione pro tempore celebrationis Paschatis. Accedit quod humanæ Consuetudinis tam rigida observatio absque necessitate aut spe majoris ædificationis plerumque rigidam Legis divinæ observationem laxare solet, hominesque nimis serva pecora efficiat: uti tristis experientia in antiquis Pharisæis *Math.* 15. cum 23. & in Pontificiis hoc docuit. Quomodo autem Antiquitas aut consuetudo in ecclesiasticis præjudicare non debeat, cum melioris ædificationis vel minimus gradus sperari potest, colliges ex *Disputationibus nostrorum adversus Bellarmini Notas Ecclesiæ, & Lessii aliorumque* clamores *de Reformationis Novitate.* 3. *Concl.* Nec debet Collega Collegam, ne quidem se ipsum in eâdem Ecclesiâ, ad Consuetudinem circa externum quendam & Adiaphorum particularem ritum obligare. De ordine & tempore omnium in Ecclesiâ communiter à Collegis agendorum juxta Decretum Presbyterii, aut communem Collegarum consensum, aliter judicandum est.

§. 3. Problemata hypothetica sunt de Canonibus partim Antiquæ partim Belgicarum Ecclesiarum. De illis ergo quæritur. 1. *Probl.* Quid statuendum de dictis Canonibus Apostolorum, qui cum Tomis Conciliorum Tom. 1. & cum Corpore Juris Canonici & Civilis, nec non cum Operibus Clementis Romani edi solent. *Resp.* 1. *Concl.* esse supposititios: uti hoc probatum à *Riveto in Critico sacro* & à *Coco in Censura Patrum*, & prolixè à *Johanne Gerardo in Confessionis catholicæ lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. ubi una indicat *Scriptores Pontificios* qui eos tanquam genuinos defendunt; denique pleniſſimè à *Joh. Dalleo Lib.* 3. to to *tract. de Pseudepigraphis apostolicis* &c. 2. *Concl.* Occurrunt in iis multa bona: aliqua etiam absurda, aut inepta, aut nova & sæculum apostolicum minimè redolentia, ut *Can.* 3. 4. 7. 17. 19. 25. 30. 33. &c. 11. *Probl.*

Digitized by Google

Quid de Clementis octo libris Constitut. Apostolicar: qui cum Tom. 1. Concil.; & cum Operibus Clementis; & seorsim editi à Bovio Episcopo Ostunensi cum scholiis; & græce a. 1563. Venetiis cum Prolegomenis & explanationibus apologeticis græcè, autore Franc. Turriano. *Resp.* Idem quod supra. Videantur *Autores* modo cit. imprimis *Joh. Dallæus*, qui *lib.* 1. *&* 2. post omnes, peculiaris *tract. tit. de Pseudepigraphis Apostolicis* &c. contra Bovium & Turrianum hoc evincit. III. *Probl.* Quid de Codice Canonum Ecclesiæ universæ? *Resp.* Canones illos esse genuinos, & multa bona continere: intercurrere tamen nonnullos, qui doceant Ecclesiam post discessum Apostolorum non diu mansisse virginem; primo quidem & præcipuè in ritibus & politiâ, deinde etiam in dogmatis quibusdam obscuratâ primævâ ejus simplicitate. Progressum ejus vide in *Centuriis Magdeburg.* & *Mysterio Plessei* descriptum. Canones aliquot speciminis causa digito indicavimus in *Disp. de Tempore nativitatis Christi.* IV. *Probl.* Quid de Photii Nomocanone, & de Canonibus Ecclesiæ Africanæ? *Resp.* Idem. V. *Probl.* Quid de jure Orientali Græcorum, deque Capitularibus Caroli M., Ludovici, Caroli Calvi? *Resp.* Ut sequioribus sæculis nata, sic plus limi trahere juxta illud: *Ætas parentum pejor avis tulit &c.* VI. *Probl.* Quid de Corpore Juris canonici? *Resp.* Esse farraginem πανσπερμίαν καὶ ἴαθλον: & faciem Antichristi in formâ ejus atque in magna parte materiæ relucere. De quo infra *Cap.* peculiari.

§. 4. De Canonibus Ecclesiarum Belgii, ista quærimus. 2. *Probl.* A quibus sint conditi, à Magistratu an ab Ecclesiis, *Resp. Neg. pr. aff. post.* à Delegatis scil. Ecclesiarum, Ministris & Senioribus in Synodum nationalem congregatis *primò* extra Patriam Vesaliæ, & Embdæ, cum Ecclesiæ essent sub cruce. *Deindè* in Patria Dordraci 1578. Middelburgi 1581. Hagæ-Comitis 1586. Dordraci 1619. cum Ecclesiæ defensione Magistratuum fruerentur. II. An si à Magistratu non confirmati sint, vim Canonum obtineant, quibus Ecclesiæ regi possint, aut reguntur? *Resp.* 1. *Concl.* Ab Ordinibus plerarumque Provinciarum in forma & solenniter confirmati sunt. Ab aliis, quamvis formalis & solennis approbatio & confirmatio hactenus præstita non sit, reipsa tamen præstita esse intelligi potest? 1. *Quia* Catechesin cum Liturgia & Confessione Belgica in Synodo Dordracena 1619. relectam tum per delegatos suos in illa Synodo præsentes, tum paulo post in Provinciis quique suis approbarunt. Atqui illa scripta continent substantialia & generalia ad regimen & disciplinam Ecclesiæ pertinentia. 2. *Quia* volentibus & probantibus illis, Ecclesiæ secundum illos Canones reguntur, disciplina exercetur, conventus presbyteriales, classici, synodici habentur; electiones & institutiones Concionatorum, Seniorum peraguntur. 3. *Quia* acta & Decreta Synodorum Provincialium, per Delegatos, qui nomine Ill. Ordd. Synodis interesse solent, ad ipsos semper referuntur.

tur. 4. *Quia*, in ſolenni fœderis & unionis ſeptem Provinciarum renovatione factâ Hagæ-comitis a. 1651., religio reformata ſola approbata, ac confirmata fuit, prout ea Confeſſione, Catecheſi, & Canonibus ſynodi Dordracenæ a. 1619. explicata eſt. 11. *Probl.* An Canones illi cum verbo Dei conveniant, & rectè atque accommodatè ad ſtatum Eccleſiarum Belgicarum conditi ſint? *Reſp.* 1. *Concl.* Canones de univerſalibus & ſubſtantialibus regiminis ex verbo Dei educti ſunt, & conſequenter cum eo conveniunt. Sunt autem illa, de diverſis gradibus ſeu ordinibus Miniſtrorum, de Presbyteriali regimine, de Electione, & Vocatione eccleſiaſtica, de Cenſuris & excommunicatione, de Ritibus Baptiſmi & Cœnæ &c. Eductio eorum eſt *vel* proxima aut ſaltem magis immediata ſcil. quod ad principales theſes: vel remotior aut magis mediata, quod ad hypotheſes ſcil aut conſectaria; quę tanquam acceſſoria ſequuntur ſuum principale, & ſunt adjuncta, aut media, aut conditiones ſine *quibus non.* Ex. gr. de ſcholis, Academiis, earumque Magiſtris aut Doctoribus. 2. *Concl.* Canones de particularibus & periſtaticis regiminis ac rituum ad verbum Dei reduci poſſunt; quia Juri divino & naturali non repugnant: ſive quid poſitivè ſecundum circumſtantias ad maximam ædificationem & εὐταξίαν obſervandum; ſive quid toleративè aut permiſſivè ex præſenti neceſſitate majoris mali evitandi cauſâ admittendum, ſic determinaverint; ſive deliberativè aliquid obſervandum aut non obſervandum ſuaſerint. 3. *Concl.* conſequenter rectè & quam fieri tunc potuit accommodatiſſimè ad ſtatum Eccleſiarum noſtrarum conditi ſunt: hac tamen cum intentione & expreſſa ſtipulatione ad finem adjecta, ne tanquam perpetui & immutabiles retineantur aut urgeantur: ubi ratio alicujus Canonis aut aliquorum Canonum ceſſaverit; aut major ædificatio aut neceſſitas aliqua mutationem ſuaſerit.

§. 5. Objiciuntur nonnulla contra Canones Belgicos partim ab iis qui presbyteriali regimini non ita favent, partim ab iis, qui impensè favent.' 1. *Obj.* Quod diſciplina & Poteſtas eccleſiaſtica, quæ tota diſtributivè eſt & eſſe debet penes ſingulas Eccleſias, illis ſubtrahitur & ad Claſſem traducitur, ex. gr. in proceſſu excommunicationis, qui terminari non debet abſque antecedente cognitione Conventus claſſici. *Reſp.* Fateor hunc Canonem poſitivè & approbativè determinare: relicta aliis Eccleſiis ſuâ libertate. Sed ad dubium contra eum motum à Johanne Canne cœtus Anglo-Amſtelodamenſis (quem Browniſtarum vocant) quondam Miniſtro, aliiſque quos vocant, Independentibus, reſpondeo infra (*Part.* 2. ubi *de Claſſibus & Synodis*) hanc Poteſtatem & cognitionem Claſſis eſſe cumulativam non privativam, Canonibus noſtris præſcriptam; partim ad abundantem cautelam quæ non nocet, partim ad diſciplinę nomen & exercitium Belgis noſtris paſſim occaſione inquiſitionis Romano-Hiſpanicæ admodum tunc ſuſpectum ab odio tanto melius liberandum.

11. *Obj.* Quod Seniores noſtri gubernantes non ſint perpetui ſed biennales; quod tempus Canones noſtri præſcribunt. Hoc objicit Robinſonus cœtus Anglo-Leidenſis (quem Browniſtarum vocant) quondam Miniſter, cætera eruditus theologus & orthodoxiæ ac pietatis Zelotes. Videtur & *Grotius in Pietate Ordinum* tacite hoc perſtringere. Idem objiciunt hierarchię epiſcopalis zelotę. *Reſp.* Canon hic non eſt directe poſitivus & præſcribens; ſed tantum conceſſivus, ac per modum indulgentiæ & συγκαταβάσεως: quia in prima illa infrequentia fidelium in multis vicis & civitatibus Belgii haberi vix poterant, qui perpetuo huic oneri & quidem ſine ſalario vacarent. Non debet ergo hic Canon imprudenter ita accipi, quaſi perpetuitas Seniorum Eccleſiis noſtris prohiberetur; ſi quidem Eccleſia aliqua eam habere poſſit, & neceſſitas conceſſionis atque indulgentiæ ad uſum ſecundæ hujus (ita loquar) navigationis ibi ceſſaret. Vide quid *Gerſon Bucerus* theologus Belga in eruditiſſ. *tract. contra Downamum de Presbyterio & Epiſcopatu*, Hierarchicis reſpondeat, quod etiam à *Robinſono in Apologiâ* citatur. Sunt etiam celeberrimæ aliquot Eccleſię Belgicæ, quę perpetuis utuntur Senioribus, ut Groningana, Belgica Londinenſis, alięque in Angliâ. 111. *Obj.* De Jure Patronatus? *Reſp.* Aſſumentum Canonis de Vocatione Miniſtrorum a. 1619. poſt diſceſſum exterorum admiſſum, eſt pure tolerativum: non vero poſitivum. Itaque perperam allegatur cum Eccleſię jugum illud aut deprecantur, aut opem Magiſtratus contra illud implorant, aut quocumque alio modo ſive prece ſive pretio ſe redimere ſtudent. Quidquid ſit, ſaltem nulli Miniſtri, nulli Seniores, nulla Synedria, nullæ Claſſes aut Synodi illius ἀναλογίαν ſuſcipere, aut pro ejus uſu zelare debent. De tolerantia ejus, ubi tolli aut declinari non poteſt, alia eſt quæſtio. Confer infra *Part.* 2. ubi *de Jure Patronatus.* 1v. *Obj.* Feſta anniverſaria, quæ vulgo ita dicuntur, Canonibus Belgicis ſtabiliuntur. *Reſp.* Canones illi ſunt pure tolerativi, & limitantes, non poſitivi & præſcribentes, uti abunde probavi in *Diſp. de Feſtis* 3. *Parti ſelect. Diſpp.* inſertâ: Nec hic repeto. Non debent ergo tanquam tales, urgeri contra Eccleſias aut Miniſtros, qui apud Magiſtratum & populum ſuum [illegible] & cum ædificatione procurare poſſint eorum abolitionem aut ſaltem diminutionem. v. *Obj.* De Seſſione Deputatorum Magiſtratus in Synedriis. *Reſp.* Et hoc additamentum eſt tolerativum, aut permiſſivum. Vide ſupra *Cap. 4. pag.* 199. v1. *Obj.* Multi Canones non ſervantur, e. gr. de Seniorum comparitione in Claſſibus, de eorundem numero in Synodis, de numero Miniſtrorum, de modo eligendi Viſitatores Claſſis & Deputatos ad Synodum &c. *Reſp.* Mores aliquando differunt à Canonibus, & in executione particulari indulgentia aut diſpenſatio ſubinde locum habet; ſalvo tamen ordine eccleſiaſtico: modo hoc agatur ut Canones illi poſitivi, quantum fieri poteſt obſerventur. Non eſt ergo quod odioſe & importune illos

Digitized by Google

los urgendo, præjudicium aut insidias Fratribus nostris aut vicinis Ecclesiis moliamur. Multo minus hoc agendum in Canonibus aut assumentis Canonum onerosis, aut odiosis, non ex corde & consilio propriè Ecclesię natis, sed à Magistratu infideli, aut heterodoxo, aut æmulo & contentioso Ecclesiæ invitę obtrusis atque impositis; quę merito tolerativa, aut permissiva appellamus. A quibus quælibet Ecclesia, quilibet Minister primâ quâque occasione se liberare potest & debet; non exspectatâ universali aut provinciali sive abrogatione sive liberatione. Quod si alii Ministri, aut alię Ecclesię, quę à servitute illâ liberari non possunt, aut etiam nolunt ad exemplum servi *Exod.* 21. *v.* 5. illos, qui se in præsenti expedire possunt, impediant; assimilandi videntur captivis ab hoste, qui socium captivitatis fugâ, aut intercessione aliorum, aut soluto lutro liberandum, liberari nollent, sine communi omnium liberatione. Solamen scil. miseris socios habuisse malorum. Porro rationes varię sunt, cur in aliquâ particulari Ecclesiâ aliquis circumstantialis Canon aliquando observari non possit: cum scil. Ecclesia est novella, & vix primæ plantationis tempus egressa: cum status ejus est turbatus: cum metus est schismatis, aut saltem magnæ contentionis: cum corpus Ecclesiæ, aut major, aut saltem bona ejus pars obsistit, & plus destructionis, quam ædificationis inde exspectandum: cum Magistratus est unguis in ulcere, & non minus ἀπ'κτος, quam præfractè obsistit; atque adeo periculum tollendæ, aut saltem admodum imminuendæ libertatis ac Potestatis ecclesiasticæ impendet. His & similibus in casibus consilia prudentiæ & prudentum adhibenda.

Caput. XII.

Jus ecclesiasticum, seu Canonicum in genere & historicè explicatur.

IN Explicatione Theologię non unum locum sibi vindicat Disserta- §. 1.
tio de Jure Canonico. 1. in primâ parte, ubi agitur de Principiis Theologiæ: inter quæ Pontificii referunt Jus Canonicum, ut videre est in *Scriptoribus* ipsorum *Polemicis*, & *Casuisticis*. 2. In eâdem parte, cum disputatur de Potestate Papæ in Legibus ferendis, & suprema atque universali ejus Jurisdictione ecclesiasticâ. 3. In secundâ parte Theologiæ, seu in parte Morali, ubi agitur de Legibus. Hic enim *Scholastici an* 1. 2. *Thoma* multa disputant de Lege Canonicâ, ejusque autore, autoritate &c: & *Zwarez* in operoso volumine *de Legibus lib.* L. per totum. 4. In eâdem parte tract. de Magistratu, ejusque Potestate & Regimine. 5. Et rursum tract. de Justitiâ & Jure; ubi de Jure civili, ejusque cum Canonico comparatione. Et sic per totum Decalogum; ad cujus explicationem referendæ, quæstionum moralium, & casuum conscientiæ determinationes quam plurimæ, quæ in Jure

Digitized by Google

Jure canonico attinguntur. 6. In partis ſecundæ ſectione illâ ſeu Appendice, quam Politiam Eccleſiaſticam vocamus: ibi enim de Legibus regiminis eccleſiaſtici, & Jure canonico ex profeſſo agendum. Et nosin curſu Locor. commun. ibi ſedem argumenti hujus poſuimus. 7. Adde quod in theologiâ elenctică contra Pontificios, cognitio & ſtudium Juris canonici uſum ſuum habet. Ne quid dicam de theologiâ Patriſticâ & Conciliorum, & de Antiquitatibus eccleſiaſticis;quarum veſtigia quam plurima in jure Canonico comparent.His conſiderationibus inductus a. 1639. *Diatribam* Academicam *de Jure canonico* ſtudioſis noſtris impartiebar: quam totam de verbo ad verbum hic inſero; trium quatuorve ſolummodo autorum qui poſtea prodierunt aut mihi innotuerunt, ſuis locis, addito indicio. Inter eos in limine nominandi ex proteſtantibus *Joh. Himmelii tract. de Canonicatu, Jure canonico, & Theologiâ ſcholaſticâ a. 1632. & Joh. Gerardi Confeſſio catholica Lib. 1. part. 2. cap. 14. Conf. Rittershuſii Collatio Juris civilis & canonici.* Ante ipſum *in methodo Juris Pontificii* à ſe editâ hiſtoricè ſolummodo, abſque interpoſito judicio, conſenſum & diſſenſum notaverat *Nicol. Vigelius:* cujus liber a. 1581. Lugduni in Galliâ denuo editus fuit à Joh. Baptiſta Regulæ.

§. 2. Jus Canonicum ſic dicitur à Canone, ſeu Canonibus, non quidem Scripturæ (quæ tamen verè Canon eſt Juris divini *Galat. 6.*) ſed Conciliorum; quos ab effectu ſeu officio proprio vocant Canonas ſeu regulas, regiminis ſcil. eccleſiaſtici: qui & Statuta, Capitula, Decreta &c. dici ſolent. Eſt ergo prima origo, & prima autoritas Juris Canonici à Conciliis, quamvis poſteriores aliò autoritatem illam traduxerint. Poteſt ergo deſcribi *Jus canonicum in genere conſideratum, quod ſit illud quod ab Eccleſiis Imperii Romani & aſſociatis, communi ſententia per Concilia Oecumenica ſeu generalia conſtitutum, & autoritate publicâ in unum Corpus collectum ac receptum fuit, ut Eccleſiæ regimen & juriſdictionem juxta illud adminiſtrarent.* Ut autem generalem hanc deſcriptionem tanto melius intelligamus, diſtribuemus Jus & Corpus canonicum per ætates 1. Quale ante finem quatuor Conciliorum. 2. Poſt quatuor Concilia uſque ad conſtitutum Decretum Gratiani, & Corpus canonicum, quod nunc habetur. 3. Inde uſque ad Concilium Tridentinum. 4. Poſt Concilium Tridentinum.

§. 3. Quod ad primum: Jus & Corpus aliquod ſeu Codicem canonicum ante finem quatuor Conciliorum fuiſſe conſtat ex *Concil. Chalcedonenſis actione* 4. & 11. & 13. & fatetur *Baronius ad annum* 341. *n* 34. *Antonius Auguſtinus lib.* 1. *de Emendatione Gratiani Dialogo* 2. Unde colligimus in Synodis illis Oecumenicis in medio propoſitum fuiſſe præter Biblia (de quo *Epiſt. ſynod. Concil. Aquileienſis, & Cyrill. in Apolog. ad Theodoſium*, & *Concil. Oecumenic.* 8. *art.* 1., & paſſim in *Concil. Chalcedon. Conſtantinopolit. in Trullo, Nicen.* 11.) Codicem,

Digitized by Google

cem, continentem certam regularum ac definitionum collectionem, seu Corpus regularum ac definitionum ex certis Conciliis certo numerorum ordine collectum, & communi Ecclesiarum autoritate receptum seu confirmatum. Hic antiquariis disquirendum relinquo de seqq. Problematis. I. An Canones Concilii Ancyrani anno 314. Neo-Cæsarienſis anno 314. soli constituerint dictum Codicem, ante Concilium Nicenum: an vero insuper alii fuerint? II. An & qui Canones fuerint ante Concilia Ancyranum & Neo-Cæsarienſe & sic retro usque ad tempora Apostolorum, quibus communiter omnes Ecclesiæ in imperio Romano regerentur? III. Quod si qui fuerint; unde universalis eorum autoritas, cum nondum fuissent habita Concilia Oecumenica? IV. An vice Canonum fuerint Constitutiones, quæ dicuntur Apostolorum, item Clementis &c. V. An vero Ecclesiæ contentæ tum fuerint regi Jure divino in essentialibus regiminis à Scripturâ determinatis; & jure quæque suo particulari ecclesiastico in peristaticis & mutabilibus? VI. An si quod tale jus aut generale in Ecclesiis Imperii Romani; aut particulare in & pro Ecclesiis parochialibus sigillatim, aut in Provinciâ, aut natione &c. collectis, constitutum & in Corpus canonum collectum fuerit: illud hodie in scritis superſit? Aut aliqua sint scripta, quæ certo probari possint non esse suppositia? VII. Siquidem tale scriptum adhuc exstaret; an Canones illi infallibilem haberent autoritatem? aut saltem proximam, propter propinquitatem Ecclesiæ apostolicæ: ita ut nostræ Ecclesiæ absque contradictione iis tenerentur? Quæ Problemata si quis penitius consideret, & ad ea respondeat, utique non parum momenti adferet ad detegendum prętensę antiquitatis μυριολυκεῖον.

§. 3. Ad secundam ętatem accedimus, cujus initium ponimus post prima quatuor Concilia generalia. Facimus autem duos ejus articulos. *Prioris articuli* Corpus seu Codex canonum constitui cœpit à primo Concilio Niceno & deinceps, usque ad Concilium Chalcedonense inclusive: de quo notandum I. Quod contineat præter Canones quatuor Conciliorum œcumenic., Niceni, Constantinop., Ephesini, Chalcedon.; etiam Canones Concilior. particularium, à Conciliis Oecumenicis approbatos: sunt autem Ancyrani a. 308. Neo-Cęsarienſis a. 316. Grangrenſis anno 325. Antiocheni 341. Laodiceni 364. Quorum duo priora pręcesserunt Concil. Nicenum; duo posteriora Nicenum secuta sunt, sed reliquis tribus Oecumenicis priora fuerunt. III. Canones illos numero esse 207. Niceni scil. 20. Ancyrani 25. Neo-Cæsariensis 14. Gangrenſis 20. Antiocheni 25. Laodiceni 59. Constantinopolitani 7. Ephesini 8. Chalcedonenſis 29. IV. Codicis illius universalem & ecclesiasticam in Imperio Romano, aliisque Ecclesiis in Barbarico (ut loquitur *Concil. Chalcedonense Can. penult.*) illi in religione associatis, fuisse autoritatem; & post Scripturam secundum illum controversias ecclesiasticas circa dogmata &

 disci-

Digitized by Google

disciplinam communiter fuisse decisas. v. Codicis hujus autoritatem fuisse constitutam seu declaratam in Concil. Chalcedonensi, & autoritate Imperii munitam constat ex can. 1. Concil. Chalcedon. τὰς ὑπὲρ τῶν &c. *Canones qui à sanctis Patribus in unaquâque Synodo, hucusque constituti sunt, observari equum censuimus*, & evidentissimè ex Novellâ 131. περὶ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν Κανόνων: ubi Imperator; §. 1. *Sancimus (ὁρίζομεν) igitur ut sancti ecclesiastici Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis (hoc est Niceno 318. Constantinopolitano 150. sanctorum Patrum, Ephesino primo, in quo Nestorius condemnatus est, & Chalcedonensi, in quo Eutyches cum Nestorio anathemate percussus est) expositi & confirmati sunt, vicem legum obtineant (τάξιν νόμων ἐχέτωσαν). Prædictorum enim sanctorum Conciliorum Decreta perinde ut sacras Scripturas suscipimus; & Canones ut Leges custodimus.* Videat, cui vacat, *Commentar. Cujacii* & *Rittershusii.* Reliqua *ibi* vide, *cum Notis Cujacii.* Atque hoc est genuinum illud antiquum jus, & Corpus canonicum, quod ecclesiasticâ & Imperatoria Potestate sancitum fuit in Imperio: cui Corpus Canonicum Papale, solâ usurpatione absque autoritate Ecclesiarum & Imperii, immo & contra eam paulatim in parte occidentali Imperii substitutum, & usurpatâ autoritate Papæ Ecclesiis & Scholis impositum fuit. *Problemata de* Codice seu Corpore illo Canonico sunt. 1. An post Constitutionem Justiniani, Codicis illius aliqua autoritas & usus fuerit? *Resp. Aff.* ex *Synodo Bracharensi* 1. *Can.* 18. & *Tolet.* 4. *Can.* 3. & *Nicolao* 1. ac *Leone* IV. apud *Gratianum c. Si Romanorum dist.* 19. *& c. de libellis dist.* 20. *In inscriptione canonis: & c. Hæ vero* 27. *qu.* 1. *Burchardus in Enumeratione librorum*, quibus ejus collectio constat primum locum assignat *Canonibus, qui Corpus canonum vocantur*; secundum *Apostolorum canonibus* &c. Floruit autem Burchardus a. 1020. Exstat etiam gr. & latinè (quamvis nonnihil variet Latina collectio & quidem à Wendelstino a. 1525. edita sub tit. *Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ:*) & tria MSS. ejus exemplaria haberi in Bibliothecâ Vaticanâ testantur *Recognitores Juris Canonici* à Greg. XIII. adhibiti, *in Præf.* quam vide. 11. An & quomodo differant Acta Conciliorum, quæ vulgò tomi Conciliorum appellantur à Canonibus. *Resp.* Ut Historia Juris, si quis eam conscriberet, ab ipso Jure, & ut historicus quivis ab Imperatore. Acta quæ nunc exstant, sunt συγγράμματα, & pleraque incerti Scriptoris ac Collectoris: atque adeò nullius certitudinis & autoritatis ecclesiasticæ; quod non tantum de Scriptione historiæ, sed & de Epistolis synodicis, aut aliorum ad Synodum ibidem insertis censendum est. Ne dicam editiones Conciliorum quotidie in majorem molem excrescentes varietatem & incertitudinem satis arguere. De quo memini me monuisse in *Desper. Causâ Papatus*: & forte alibi ex professo de eo agendum. Faciunt ergo Jus antiquum ecclesiasticum seu Canonicum, Canones illi Conciliorum publicâ autoritate collecti & confirmati: non Acta seu Historiæ

Historiæ. III. Quando & à quibus facta collectio & constitutio hujus corporis: & quando primò mutationem aliquam subierit? *Resp.* De priori jam constat ex *cit. Novellâ.* De posteriori mox. §. sequenti dicetur. IV. Quę ejus sit genuina & optima editio græca? *Resp.* Quam in Gallià dedit *Tilius Episcopus Meldensis*; & post eum *Christ. Justellus* JC. Paril. 1610. ex Græcis codicibus editis & M. S. V. Quomodo restitutio genuina antiqui & primigenii Codicis Canonum haberi, aut habita probari possit? *Resp.* Egregiè hoc docuit *Lechasserius* J. C. *in Consultatione de controversiâ inter Paulum V. & Sereniss. Rempubl. Venetam:* & post eum *Justellus in Prolegom. ad Codicem Canonum Ecclesiæ universæ:* ubi etiam verba Lechasserii descripta exhibet; unà cum approbatione Antagonistæ ejus Romano-Papalis. Quæ omnia ibi videnda: neque enim huc transcribi possunt. VI. Quæ fuerint translationes latinæ? *Resp.* Variæ, quandoquidem apud Ecclesias Occidentales, quę latino idiomate utebantur, Codicis hujus autoritas ubique obtinuerit; ut infra dicetur. Potiores autem & quarum memoria ad nos pervenerit, fuerunt vetus quædam, *Dionysii Exigui*, & *Martini Bracharensis*: de quibus vide *Justellum loc. cit.* VII. Quæ fuerint Epitomæ, seu qui indices? *Resp. Fulgentii Ferrandi*, titulo: *Breviatio Canonum*; *Crisconii*, titulo *Breviarium Canonum: Dionysii Exigui*, qui titulos omnium, quæ in Conciliis ordinata sunt, sub uno aspectu locavit: ut ipse loquitur *in Præf. ad Stephanum Episcopum Salonitanum.* Quæ omnia cum *Codice veteri Canonum Ecclesiæ Romanæ* edita sunt Lutetiæ apud Petrum Chevalier anno 1609. VIII. Quæ & quanta Corporis hujus Canonici in Ecclesiis & Rebuspublicis reformatis debeat esse autoritas? *Resp* Saltem non divina: Nec etiam Canonica ecclesiastica, aut Politica. Ratio est 1. *Quia* in non paucis partim repugnant verbo Dei; partim illis temporibus forte conveniebant, aut tolerari poterant? non tamen universaliter omnibus locis, temporibus, occasionibus conveniunt. Vide & expende *Concil. Niceni Can.* 15. 19. 20. *Ancyrani can.* 14. 19. 20. 21. *Neo-Cæsariensis can.* 1. 7. 11. 14. *Antiocheni can.* 12. *Laodiceni can.* 15. 26. 45. 48. Nequid dicam de *Niceni can.* 4. 6. 11. 12. 13. 15. *Ancyrani* 13. 36. 37. *Chalcedonensis.* 7. 15. 16. 28. 2. *Quia*, autoritas Ecclesiarum aut Conciliorum istius ætatis in imperio Romano tanta non est, nec tanta admitti aut stabiliri debet, ut prejudicet libertati & potestati Ecclesiarum totius orbis, & omnium sequentium sæculorum: quibus singulis Jure divino competit de suis agendis eceleſiasticis (quod ad peristatica scil. & mutabilia) statuere, mutare, &c. ad maximam sui ædificationem & commoditatem. Nedum ut potestas illis Ecclesiis & Conciliis tribuatur, nobis aliquid imponendi, quod saperet otiosam periergiam, vanitatem, typhum sæculi, superstitiosas & vacuas observationes. Sed reducenda hæc controversia ad vulgatam de Concilii, aut Ecclesiæ autoritate. De quo vide *Wittakerum*, *alios-*

Digitized by Google

que Bellarmini Antagonistæ. 1x. An non ergo hoc agendum, ut Ecclesiæ nostræ retrahantur & reducantur ad antiquam rituum, & Politiæ immo & Theologiæ (non fundamentalis) formam, illis Canonibus comprehensam. *Resp.* Hoc quidem velint tepidi & medii quidam, seu Interimistæ ab utrâque parte Pontificiorum & Nostrorum; quales sunt qui Erasmi, Cassandri, Balduini & similium peculiares opiniones hâc in parte sectantur, quosque nomen Antiquitatis, Ecclesiæ antiquæ, Ecclesiæ Gallicanæ &c. prætendere audias. Sed nos *Neg.* Quâ conscientiâ à perfectione ad imperfectionem relabemur, & inventis aristis glandem non fastidiemus? Vide *Phil.* 3.15. 16. *Hebr.* 5.11.12. 14. & 6. 1 *Cor.* 3. 1. 2. 3. Huc faciunt *Disputationes de Antiquitate, de Consuetudine Majorum, de Patribus, de Reformatione abusuum & Ecclesiarum* &c. De quibus per occasionem egimus in *Desperatâ causâ Papatus*; & in 1. *Part. select. Dispp. tit. de Tempore Nativitatis Christi.*

§. 4. *Articulus posterior* secundæ ætatis habuit eundem Codicem Canonum sed auctario seu additione aliquâ aut *ἐπιγράφῳ* aut ad circumstantias particulares Ecclesiæ suæ accommodato. Ubi occurrit. 1. Ecclesiæ Græcorum *Orientalis*, quę primum Codici antiquo & primigenio cum adhæsisset (juxta *Novellam* 131.) assuevit tamen postea sensim sine sensu Codici paulatim variato, ut in talibus fieri solet. Hinc prodierunt collectiones *partim* publico quasi nomine & autoritate; *partim* privato quorundam studio; duum generum. Quarum *aliis* verbis Conciliorum, & quorundam veterum Episcoporum, qui Canones conscripserunt, relatis, interpretationes addunt suas; quales *Alexii Aristeni. Johannis Zonaræ* & *Theodori Balsamonis. Aliæ*, sub certis quibusdam titulis sententias Canonum comprehenduntur adjectis etiam Legum de iisdem rebus Decretis; quas collectiones ideo Nomo-canonas vocant. Sunt autem tales 1. antiquissima omnium (quæ quidem exstet) *Johannis Scholastici* Patriarchę Constantinopolitani, quo sedente Justinianus Legum Romanarum collector est mortuus. 2. *Photii* Patriarchæ Constantinopolitani, qui Isidoro Hispalensi posterior fuit. Ejus *Nomocanon cum Scholiis Balsamonis* translatus ab Henr. Agylæo editus est Basileę 1561. in fol. & translatus à Gentiano Herveto editus est Paris. tandem anno 1615. ibid. editus est græcè ex biblioth. Palatinâ *cum Agylæi interpretatione à Christ. Justello* in 4. qui adjecit *Tractatus Photii, Nili* Motropolitæ Rhodii, *& Anonymi de Synodis.* 3. *Mathiæ Blastaris* Monachi. 4. *Constantini Harmenopuli* Judicis Thessalonicensis; qui duo posteriores *Ivone* & *Gratiano* antiquiores non fuerunt. 5. *Arsenii*, qui omnibus aliis brevior est. Præter hos in unum corpus collegit & edidit *Emundus Bonefridius* J. C. anno 1573. *Jus quoddam Orientale Græcorum* gr. lat. cujus liber primus continet Imperatorum Orientis Constitutiones, inde ab Heraclio, cum jam Occidens ab Oriente disjungi cœptus esset, usque ad Michaëlem Palęologum: Liber secundus

Digitized by Google

cundus continet Sanctiones Pontificias Archiepisc. & Patriarchar. Constantinopol. Tertius Responsa, Epistolas & Sententias aliorum Patriarcharum, & Episcoporum. Post Bonefidium majus opus movit *Johannes Leunclavius Collecto Jure Orientali Græcorum tam Canonico quam Civili* 2. tom. anno 1569. Francofurti. Tomus prior continet præter Chronologiam & Constitutiones Imperatorias de rebus privilegiis, & quæstionibus Ecclesiasticis; Jus ecclesiasticum tam antiquum (in compendium ex Canonibus redactum per Balsamonem & Harmenopulum,) quam recentius intermediæ ætatis, quæ partim ex Bonefidii editione transcripta partim de novo addita ibi videnda. Quidquid autem *Possevinus in Apparatu sacro Tom. 1. p. 993.* in hoc opus Leunclavii incurrat; continet tamen Jus Orientale Græcorum tam antiquum, quam recens: (prout in Papatu antiqua & nova Jura canonica distinguunt.) Quam autem omnia defœcata sint, & in quibus ab apostolicâ antiquâ ecclesiâ recedatur, alterius est disputationis. Antiquarium & historicum cum ageret Leunclavius, aliud Jus Græcis affingere non poterat, quam quo olim usi fuissent, & etiamnum uterentur, & quod exstaret. Nam frustra novorum quorundam Saguntina fames, quotidie aliis & novis aut Actorum aut Canonum collectionibus inhiat. Ex Orientalibus antiquissimus *Sabinus Heraclea* Thraciæ Macedonianus Episcopus omnia Acta & Canones Conciliorum collegerat. Sed ubi nunc sunt? Quod etiam notat *Anton. Augustinus in Præfat. ad antiquas Collectiones Decretalium.* Canones omnes ecclesiasticos haberi M. S. Constantinopoli refert ex Verderio *Possevinus Appar. tom. 1. in voce Canones.* Quasi inde hactenus prorepere nequiissent? Quinam, quales, & quanti sunt illi Canones? An ergo Canonibus antiquis ecclesiasticis hactenus caruimus? quam bellè constat autoritas Antiquitatis ecclesiasticæ, quâ lumen scripturarum præstingui & tantum non in tenebras verti subinde blasphemant?(de quo differimus contra Jansenium in *Desper. Causâ Papatus?*) Sed forte aliud lumen Antiquitatis ex Oriente affulget in Canonibus Arabicis: ut quidem novitas & fama illa antehac multos prurire fecerat. Minime: Arabici enim Canones nuper in latinum translati, certa fide nutant; uti sancit cum Baronio *Possevinus eodem Tom. p. 113.* De Æthiopicis, quos suspirabat Cardinalis *Perronus in Epistolis*, tantundem puto fore: Ut & de Copticis sive Ægyptiis, item Persicis, Syriacis; siquidem illis linguis exstent Collectiones Canonum. Atque hæc quidem de Jure Canonico Orientalium: cujus progressum & successionem hunc observa. 1. *Primo* usi sunt antiquo Jure, & sola collectione supra memorata & à *Tilio* ac *Justello* edita, juxta cum omnibus aliis Ecclesiis in orbe Romano: uti ἀναμφίβολος evincit *d. Novella Justiniani.* 131. *Postea* nonnulla huic Codici addiderunt, quæ enumerat *Can. 2. Synodi Sextæ* (al. *Constantinopol. 3. in Trullo*) anno 681. Sunt autem episagmata illa 1. *Canones dicti Apostolorum*

lorum 85. 2. *Concilii Sardicenſis canones* 21. (quamvis *Nicol.* 1. *Epiſtol.* 6. *Tom.* 3. *Concilior.* & apud *Gratianum c. Quod dicitis Diſt.* 16. neget à Græcis eos recipi.) 3. *Africæ Concilia* ſeu *Canones Afrjcani.* 4. *Sanctorum Patrum Canones*; hoc eſt canonicæ quædam *Epiſtolæ*, *Theophili*, *Dioniſii*, *Petri*, *Athanaſii &c.* Et novus hic *Codex* hiſce auctus à dicta *Synodo ſexta*, *& Nicena* 11. *act.* 2. anno 787. confirmatus eſt. Quem græcè primum evulgavit *Tilius* Epiſc. Meldenſis anno 1540. 111. *Denique*, acceſſerunt & alia: ut *Leges Imperatorum*, quas addiderunt *Scriptores Nomocanonum*, *Scholaſticus*, *Photius*, *Blaſtares*, *Harmonopulus*: addiderunt & interpretationes ſuas *Alexius*, *Zonaras*, *Balſamo.* Poſt illos alii alia, ut Sanctiones patriarchales, Reſponſa Epiſcoporum &c. quę vide apud *Boneſidium & Leunclavium in Jure Orientali Græcorum.*

§. 5. *Jus Canonicum Africanum* exhibet *Codex Canonum Eccleſiæ Africanæ* continens canonas 138. quem ex M. SS. unâ cum tranſlatione Græcâ vulgavit *Juſtellus* anno 1614. De quo conſule ipſius *Epiſtol. Dedicator.* & *Prolegom.*, *& Obſervation. p.* 3. De Jure & Codice hoc Problemata ſunto. I. An fuerit diſtinctus à Codice Canonum Eccleſię Univerſæ. *Reſp. Aff.* Solent enim in ſingulis Dioeceſibus duo eſſe Codices Canonum; unus Eccleſiæ univerſæ, quo velut Jure communi omnes in orbe Romano Eccleſiæ utebantur; alter continens collectionem ex Conciliis cujuſque Dioeceſeos; Provincię, aut Nationis. Vide *Codicem Canonum Eccleſ. Africanæ p.* 58. II. *An* in Eccleſiâ Africana, aliiſque particularibus, major ſolet eſſe illius quam iſtius autoritas, atque adeo hoc Jus ex illo explicandum & corrigendum fuerit. *Reſp. Aff.* ex *Sanctione Novellæ* 131. Jam aliquoties citatæ. Confer & *Can. Si Romanorum, diſt.* 19. Et *Africani Can.* 2. III. *An* Canones hujus Codicis in Conciliis Africanis generalibus ſeu *Univerſalibus* (ut loquitur *Concil. Carthagin.* anno 418. *Can.* 1. qui eſt *Can.* 108. *in Codice & can.* 19.) conſtituti ſint: an verò, aliqui in Conciliis Provincialibus? *Reſp. Aff. prius*; & conſtat ex ipſo *Codice* coll. cum *Tomis Conciliorum*, atque *Hiſtoriis eccleſiaſticis.* IV. *An* Canones illi diſtincti ſint, à Decretis ſeu Capitulis doctrinalibus? *Reſp.* Quamvis huic Codici Africano inſerti ſint Canones doctrinales contra hęreſes Pelagii? ſolent tamen diſtinctæ eſſe Collectiones ſynodicę. Quarum una continebat Acta Concilior. quę dogmata ſpectant, quam *Socrates Lib.* 3. *c.* 21. συναγωγὴν ἢ συνόδων appellat. Altera Canones Conciliorum, qui ad diſciplinam ſeu πολιτείαν Eccleſiarum pertinebant; & dicitur βιβλίον κανόνων, *Concil. Chalcedonenſ. act.* 4. & 11. & 13. Hinc apud *Græcos eccleſiaſtic. Scriptores* diſtinctio ἀξιωμάτων, & κανόνων. Et Statuta ſynodalia circa mores & diſciplinam, ſpeciatim fuiſſe appellatos Canones docent *Sozomenus lib.* 1. 23. & *Socrates Lib.* 1. *c.* 13. V. *Quænam* & quo tempore celebrata fuerunt Concilia Africana, unde Codex hic collectus eſt. *Reſp.* Fuêrunt Concilia 17. habita intra annum 393. & 419. annos

autem

Digitized by Google

autem & nomina ſingulorum vide *in margine Codicis* annotata. Chronologicos quoſdam ſcrupulos & errores circa ea detegit *Juſtellus in Prolegomenis.* VI. *Quando* hic Codex collectus, & confirmatus fuit. *Reſp.* Collectus & receptus fuit in Africâ jam ante Concil. Carthaginenſe anno 419.; & denùo confirmatus autoritate ejuſdem Concilii à 217. Epiſcopis; uti conſtat ex *Actis primæ ſeſſionis* VIII. *Kal. Junii;* & *alterâ ſeſſ. Kal. Jun.* VII. *Quo ſermone* conſcripti Canones Africani, & hic Codex? primum editus? *Reſp.* Græco, ſecundum *Antonium Auguſtinum in cit. Præfat.* Nos cum *Juſtello* dicimus latino; ille enim erat tunc nativus Doctorum Africanorum. Et probatur ex *Synodicâ Epiſtolâ* collectioni ſuę pręmiſſâ; & *Synodicæ Epiſtola Concilii Carthaginenſis* a. 254. cujus mentio apud *Euſebium Hiſt. Eccl. lib.* 6. *c.* 35. Certè Auguſtinus, qui Synodis aliquot interfuit, ſi græcè locuti fuiſſent, debuiſſet eſſe κῶφος ἀχόουστος, quippe græci ſermonis ignarus, uti fatetur *Confeſſion. Lib.* 1. *c.* 13. 14. & *Lib.* 3. *de Trinitate in Proëm.* & *Libr.* 2. *c. Perilian. c.* 38. Breviter erat lingua latina vulgò omnibus tunc ita nota in Africâ, ut Sacra non Punicè ſed latinè peragerentur; & eſſent auditores, qui Punicam non intelligerent. (*Auguſtin. Epiſt.* 261. & in *Epiſtol. Johannis tract.* 2. *& Lib.* 1. *Retract. c.* 20. *& Serm.* 25. *de Verbis Apoſt. & Confeſſ. Lib.* 1. *c.* 14.): quo ergo conſilio græcè in Synodis locuti eſſent? præſertim, cum coram iis ſæpe comparerent Idiotæ ſive Seniores, ſive alii ex plebe Accuſatores, Teſtes &c. VIII. *An* aliqua hujus Juris Africania fuerit autoritas apud alias Eccleſias, nominatim Orientales, & Romanam Occidentalem? *Reſp. Aff.* Orientales enim auxerunt eo in græcum tranſlato Codicem ſuum Canonum Eccleſ. Univerſę: quod liquet ex *Codice Eccleſ. Oriental à Tilio* editò. VI. In Occidente Juſtiniani temporibus anno 527. *Dionyſius Exiguus* (qui floruit circa an. 540. uſque ad 572.) ipſa Africana Concilia eodem ordine, eâdemque numerorum ſerie diſtincta ſuæ collectioni inſeruit, iiſque auctum Codicem Canonum Eccleſiæ Uuniverſæ primus vulgavit. Quam autem hodiernæ Eccleſiæ Romanę Collectio illa Dionyſii conveniat, quod ad Canones & Acta Concil. Carthag. anno 419. viderint Pontificii, quorum intereſt. Saltem *Poſſevinus in Appar. ſacro*, *Bellarminus lib.* 1. *de Concil. c.* 19. & *Baronius tom.* 7. *Annal.* virum, & hanc ejus operam extollunt. IX. *An* hic Codex ea forma ſeorſim, & nativo ſermone primum editus ſit, à *Juſtello? Reſp.* Sic arbitror: neque enim ab aliquo propriâ formâ, & ſeorſim ante illud tempus editum fuiſſe, hactenus mihi conſtare potuit. Atque hæc de Jure Canonico Africano.

III. Jus *Canonicum Occidentale Romanum* eſt, quod ex Canonibus Eccle- §. 5.
ſiæ univerſæ, & additamentis nonnullis conflatum ibidem obtinuit. Hos autem habuit progreſſus. 1. *Primo*, fuit *Dionyſii Exigui Collectio*; qui Canonibus Eccleſiæ Univerſæ ex græco à ſe traductis adjicerat *Canones Apoſtolorum*, *Sardicenſe* item & *Africana Concilia*; ſic tamen ut epiſagmatum iſtorum certam aut

ſaltem

Digitized by Google

saltem parem autoritatem minimè faciat: ut videre est in *Præfat.* ipsius *ad Stephanum Episcopum Salonitanum.* Hanc autem collectionem ab Ecclesiâ Romanâ receptam esse, testis est *Cassiodorus*, *De divin. Lection. c.* 23. Eandem Hadrianus I. anno 773. Carolo Magno Romæ dedit, ad dispositionem Ecclesiarum Occidentalium. *Epitome* ab *Henrico Canisio* evulgata, cum *Dionysii Collectione* omninò convenit. Eundem fere Codicem in Africanâ Ecclesiâ obtinuisse, colligimus ex *Fulg. Fetrandi* diaconi Carthaginensis *Breviario*, quod ille ex Canonibus Codice Ecclesiæ universæ comprehensis composuit; *additis* tantum *Sardicens. & Africanis quibusdam Conciliis*; *& Epistola Siricii ad Episcopos Africæ.* II. *Deinde*, adauctum fuit quibusdam *Epistolis Romanorum Pontificum*, *Siricii*, *Innocentii*, *Zosimi Cœlestini*, *Leonis*, *Gelasii*: quarum primus meminit *Crisconius*, *in Breviario*, & ex iis Canones citat. Floruit autem is sub Justiniano. III. *Postea*, adjectæ sunt *Epistolæ Hilarii*, *Symmachi*, *Hormisdæ*, *Simplicii*, *& Gregorii Junioris.* Annum autem augmenti illius præcisè quis observavit? Ut in physicis augmentis & decrementis, sic etiam in politicis & ecclesiasticis prima initia vix deprehenduntur. Saltem obtinebat hæc mutatio anno 847., uti discimus ex eo quod *Leo IV.* eas recensent *c. de Libellis Dist.* 20. Et hoc quidem *Corpus canonicum* latinorum, seu Ecclesiæ Romanæ; quod idem (excepta *Epistola Sylvestri*, *& Synodo Ephesina*; & quod additæ sint quædam *Decretales de primatu Papæ in tertio Codice* repertæ) editum est Moguntiæ anno 1525. ex tribus M. S. S. exemplaribus à Joh. Wendelstino (al. Cochlæo;) & recusum Parisiis apud Petrum Ghevalier 1609. Ejusdem Codicis autoritatem in Eccleſia Romana referunt, & confirmant *Nicolaus* I. & *Leo* IV. apud *Gratianum Dist.* 19. *&* 20. Quibus allegatis concludit Anton. Augustinus Episcopus Ilerdensis Præfat. cit. ad collect. Decretalium: *Hos possumus fontes juris Pontificii apud latinos appellare.* Atque hæc quidem publicæ quasi autoritatis. Privatum quorundam studium collectiones modo citatas partim præcesserat, partim exceperat. *Præcedentes*, quorum labores hodie supersunt, sunt 1. *Cresconius*, Episcop. Africanus, qui *Canonum Breviarium* scripsit, *Dionysii Exigui Collectionem* tanquam rotam in medio rotæ (juxta *Ezech.*) complexus: ut habet M. S. Codex Romanus, teste *Possevino.* Editus est cum Codice canonum Eccles. Romanæ Paris. anno 1609. 2. *Isidorus*, sive *Hispalensis* sive *Mercator*, (de quo disceptatur: vide infra §. 6.) Collectionem Canonum seu Decretorum compilavit; unde *Compilator* dictus est, eum M.S. Siebergensem citat *Schultingius lib.* 5. *Anacris. hierarch. pag.* 12. 3. *Martinus Bracharensis*, itidem *Capitula Conciliorum. Sequentes* sunt 1. *Burchardus* sive *Brocardus*, Episcopus Wormacienſis, quem vocant sextum sacrorum Canonum Collectorem. Hic ex dictis Patrum, Decretis Conciliorum Generalium & Pontificum, 20. *Libros Decretorum* composuit de variis Consiliis & Accidentibus

Digitized by Google

tibus ab an. 600. usque ad 1020. Excusi sunt Parisiis anno 1499. in 8. & Coloniæ anno 1548. in 8. & alibi. 2. *Deus dedit* Presbyter Cardinalis, quem refert *Anton. Augustinus.* 3. *Anselmus Lucensis*, seu *Mantuanus* (erat enim Lucensis Episcopus;) cujus meminit *ibid. Ant. Augustinus.* 4. *Ivo* Episcopus Carnotensis scripsit *volumen Decretorum tomis* 17. comprehensum; cujus *Abbreviationem* vocat *Pannomiam* (Barbari, *Panormiam.*) Prodiit Basileæ anno 1499. & Lovanii 1561. De *Abbreviationis* hujus *Compendiolo per Hugonem Catalaunensem* vide *Vincentium Spec-Hist. l.* 26. *c.* 84. Tanta autem fuit & Autoris & Operis istius celebritas, ante *Collectionem Gratiani*, ut tanquam Patronus & divus Tutelaris studiosorum Juris, præcipuè Pontificii, habitus sit, & inter Divos ipsorum relatus, ac cultus. Vide *Boëthium Eponem* in *Syntagm. Antiquit. Ecclesiastic.* ubi oratione illum celebrat; & *Juretum in Dedicatione* & citatis variorum de Ivone Elogiis, quæ editioni Epistolarum ejus præmisit. Præcipua materia Ivonici Decreti sunt *exceptiones ecclesiasticarum regularum* (ut ipse in Prologo loquitur) quas *partim ex epistolis Romanorum Pontificum, partim ex gestis Conciliorum catholicorum Episcoporum, partim ex Tractatibus orthodoxorum Patrum, partim ex Institutionibus catholicorum Regum &c. in unum Corpus adornare curavit.* Ut videas quantum privato quorundam institutio & industriâ, à primæva illâ Canonum, & Juris canonici ratione discessum sit. *Probl.* 1. An *Gratiani Collectio* debeat præferri *Codici Canonum Ecclesiæ Romanæ* à *Wendelstino* editę, ut quidem ipse contendit in *Præfatione. Resp.* Non magis quam Glossator, aut Epitomator, aut Interpres Juris Bartolus, aut Baldus præferendus est Corpori Juris. Rationes ipsius sunt 1. *Quia multò ampliora & vetustiora habuit originalia ex quibus volumen suum collegit. Concilia multò plura, ut Toletanum, Agathense, Meldense, Arelatense, Elibertanum & id genus plurima. Pontifices multò vetustiores, ut Anacletum, Eusebium, Alexandrum, Sixtum, Urbanum, Fabianum & complures alios &c.* 2. *Quia horum ipsorum, quos Codices isti Antiqui referunt, plura, quam hic reperias, adducit decreta, & quidem egregia.* 3. *Quia insuper recitat plurima, eaque tum pietate tum eruditione laudatissima, ecclesiasticorum, Interpretum atque Doctorum, atque irrefragabilium Autorum dicta &c. Cypriani scil. Ambrosii, Nazianzeni, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini &c.* Sed hę rationes facile diffluri possunt. Plura si congessit & ex pluribus, pluries etiam lapsus est: partim malè citando; partim malè interpretando; partim malè ratiocinando. Vide *infra in Crisi. Problem.* 2. An Jus canonicum ex posterioribus *Conciliis & Sanctionibus Episcopalibus* auctum, *à Burchardo, Anselmo, Ivone, Gratiano*, debeat revocari ad dictum Codicem & quidem in ipsâ Ecclesia Romana, si quidem hypothesibus suis insistere velit. *Resp. Aff.* 1. *Quia* additamenta illa sunt à privato judicio & autoritate Doctorum modo cit. ergo non possunt facere jus

Digitized by Google

commune aut habere vim Legis. Idem dico de dictis & expositionibus propriis, quas Juri communi infarciunt, & cum eo confundunt. 2. *Quia* consilia & dicta sive Episcoporum Roman. sive aliorum Doctorum quibus illi Jus amplificârunt, non sunt Canones & decisiones Conciliorum: quæ sola faciunt Jus canonicum, seu ecclesiasticum. 3. *Quia* plura illa Concilia, quibus illi onerârunt Jus canonicum, aut conveniunt cum iis quæ Codice canonum Decreta sunt, aut non conveniunt. Si illud: jam frustra corpus logis & tautologiis illis extenditur. Sin istud: dico particularia Concilia debuisse cedere universalibus, ut supra dictum: & universalia posteriora prioribus, siquidem propriis suis & Patrum regulis hic stare velint. Vide *Can.* 28. *dist.* 50. *& c. c. Hoc ipsum.* 33. *qu.* 2. Exceptis tamen rebus levioribus, quæ pro varietate circumstantiarum mutari possunt: de quibus intelligendus *Augustin. lib.* 2. *de Baptismo.*

§. 6. Status Juris canonici Occidentalis in Hispaniâ, Britanniâ, Galliâ, Germaniâ breviter nunc perstringendus. 1. Ecclesias Hispanicas communem Codicem Ecclesiæ universæ, habuisse, primo ex *veteri*, postea ex *Martini Bracarensis*, *Denique* ex *Isidori latinâ Interpretatione*, arbitror constare ex Subscriptionibus Conciliorum, quæ fiebant hac formula, ut videre est in *Concil. Toletano* 11. *Salva autoritate priscorum Canonum.* Quid prisci Canones, nisi primorum *Concil. Braccarense* 1. *can.* 18. *&* 40 *anno* 563. *& can.* 3. *Concil. Toletani* IV. *anno* 633. exlertè meminit *Codicis Canonum*: quos sanctos, Antiquos *ibid.* appellant. Addunt Codicem illum, qui in Braccar. Synodo præsens erat & quem consulebant, continuisse Canones tam generalium Synodorum, quam localium. Notentur ergo hi progressus & mutationes Juris canonici in Hispania. 1. *Usi* sunt post Concilium Chalcedonense, Jure & Codice communi, illic confirmato. 2. *Accessit* Codici Hispanico Collectio Canonum de negotiis & rebus illi Ecclesiæ peculiaribus, ex Synodis Hispanicis: ut jam ostensum est ex *Concil. Braccar.* 1. *can.* 18. *anno* 563. & nonnullis Gallicis; uti discimus ex *Concil. Tarraconensi anno* 517. *can.* 11. *& Ilerdensi can.* 3. *& Valentino can.* 2. *anno* 524.: *Epistolarum Pontific. Romanor.* meminit *Concil. Toletan.* 3. *can.* 1. *anno* 589. *Postea* videtur obtinuisse collectio seu translatio *Martini Braccarensis* tit. *Collectionis Canonum Orientalium*, directa ad Nitigesium, vel Concilium Lucensis Ecclesiæ. Est autem hæc desumpta ex Codice Ecclesiæ universæ, ac cum eo plane convenit: exceptis paucis, quæ ex Toletanis Conciliis ad peculiarem usum Hispaniæ ab ipso aut Successoribus ejus adjecta sunt. Hic nota ὁ παρόδῳ, exulare ab hac collectione *Canones* (quos vocant) *Apostolorum.* Quos ne quidem anno 633. in Codice Canonum Hispanico (cujus meminit *Concil. Toletan.* IV. *c.* 3.) fuisse agnitos, constat ex *Indicio Isidori Hispalensis* (qui Concil. illi Toletano subscripsit) inserto *can.* 1. *dist.*

dist. 16. Ubi vide. 4. *Denique* circa aut post annum 785. *Isidorus Mercator*, (uti eum vocant plures vulgati & M. SS. Codices; al. *Peccator.*) Antiquum Codicem, sed privata autoritate, auxit *Canonibus Apostolorum*, *Sardicensium*, *ac diversorum Conciliorum Africæ*, *Galliæ*, *& Hispaniæ*, insuper *Epistolis Romanor. Pontificum à Clemente usque ad Gregorium I.* uti ipse testatur in *Epistola præfixa*, quam vide in *c. placuit dist.* 16. relatam. Protenditur autem collectio ejus à Canonibus Apostolor. usque ad Concil. Toletan. 12. anno 682. & inseruntur (in M. S. exemplari Justelli) *Canones ab Hadriano* 1. *collecti & Ingelramno Mediomatricensi Episcopo traditi anno* 785. Unde *Justellus* rectè infert, non esse hunc Isidorum Hispalensem, qui obiit anno 635. Non fuit autem hæc Mercatoris collectio publicè approbata, nisi forte ab Alexandro 11. (quo jure, hic non disceptabimus) anno 1061. uti innuere videtur *Innocent.* 111. *Epist. ad Petrum Compostellanum*, quæ exstat *tom.* 2. *Concilior.* Nisi per Corpus Canonum aliud quid, quam istam collectionem intelligas. Quidquid sit paulatim Jura nova & particularia subrepserunt, & supposuerunt se antiquis atque universalibus. Atque hæc de Jure canonico Hispaniæ. 11. *Britannicas* Ecclesias habuisse suum *Corpus & Codicem*, à *Theodoro Archiepiscopo collectum*, & in Concilio Herefordiensi approbatum docet *Beda lib.* 4. *Histor. Eccles. gent. c.* 5. Et meminit Anglicanæ collectionis ex Patrum Sententiis compositæ, quibus Conciliorum Canones præponendos censet *Leo* IV., *Epist. ad Episcopos Britanniæ*, quæ inserta est *can. de libellis dist.* 20. Atque hoc antiquum ipsorum Jus canonicum. Cui novum successit, Pontificium scil. aut ad normam Pontificii efformatum, postquam Anglia Papis tributaria facta est. Ejus magnam partem exhibet liber dictus, *Pupilla oculi*, conscriptus anno 1385. à *Johanne de Burgo* Cancellario Univers. Cantabrig. & impressus Parisiis 1510. Est autem liber ille tractans de Agendis ecclesiasticis, magnâ parte excerptus (uti in titulo præ se fert) ex libro cui nomen, *Oculus sacerdotis.* De Scotiæ, Hyberniæ, Daniæ &c. tum communi tum peculiari Jure Canonico an & quale fuerit mihi nondum constat. Refert *Possevinus in Appar. tom.* 1. Kennethum Regem Scotorum scripsisse *Breviarium Legum antiquarum*, quo in Foro Anglicani JCC. utebantur: *Quod*, inquit, *habet aliqua (nisi ab hæreticis fuerint detruncata & immutata) quæ ad commodum ecclesiæ pertinent.* Sed Breviarium illud hactenus ignoro. *Richardus Zoucheus a.* 1636. edidit Oxoniæ, *Descriptionem Juris & Judicii ecclesiastici secundum Canones & Constitutiones Anglicanas.* 111. *Gallicanæ* Ecclesiæ Jus Canonicum & Liber canonum fuit 1. *primò Codex Canonum Ecclesiæ universæ, cum collectione Canonum ex suis Synodis, etiam ex Africanis, & nonnullis Epistolis Pontificum. Vide Concil. Matiscon.* 2. *c.* 6. & *Agathense c.* 9. *De Codice Hormisda cap. si quis diaconis, dist.* 50. & *Tarraconense Concil. an.* 517. *can.* 11. & *Agobardum lib. de Dispensatione Eccles. & Epist. ad Im-*

Digitized by Google

peratorem de Duello; ubi semper nominant *Canones Gallicanos*; & antiquos generalium Conciliorum à particularibus Conciliorum Gallicorum, & à Novellis exsertè distinguit. Vide imprimis *pag.* 275. & 114. edit. Paris. anno 1605. in 8. Idem cum *Agobardo insinuant Conc. Valentin.* 2. *c.* 1. Hic nota Canones Apostolorum illi libro Gallicano nondum insertos, aut à Gallis receptos fuisse, ne quidem anno 580. ut liquet ex *Historiâ Gregor. Turonensis lib.* 5. *c.* 18. 2. *Deinde, Codex Romanus ab Hadriano* 1. *Carolo Magno datus*, à Gallis receptus & approbatus est circa annum 773. Continebat autem ille *Decretales à Siricio ad Gregorium juniorem*; quas propterea in *Capitularibus Gallicanis* & ab *Hincmaro Rhemensi in Epistolis* allegari videas. Nam reliquas, Clementis scil. ad Sylvestrum usque ab Isidoro Mercatore additas, Galli in suo Codice canonum non habebant anno 860. *c. si Romanorum dist.* 19. Hinc etiam *Hincmarus* circa idem tempus *Epist.* 8. *cap.* 22. & 23. rejicit Decreta, quæ Sylvestro tribuuntur. 3. *Postea Collectiones* aliæ in Galliâ conscriptæ, & à Regibus titulo *Capitularium Caroli Magni, Ludovici, Caroli Calvi* confirmata. Priora duo *Capitularia* collecta sunt ab *Ansegis. Abbate*, & *Benedicto Levita*; edita à *Pithœo*, *cum notis & Glossario. Caroli* vero *Calvi* editum est à *Jesuitâ Sirmondo, cum Notis.* Notat *Franc. Juretus ad Ivonis Epist.* 62. codices, quibus utebatur Ivo, fuisse ampliores, quam hodie sunt editi: nam Lex illa, quam citat *Epist.* 62. & 171. & in suo *Decreto part.* 16. *c.* 344. in iis non reperitur. *Capitula Regum Francia*, qui Imperium Romano-Teutonicum tenuerunt, inseruit *Goldastus* suis *Constitutionibus Imperii*, ut *Caroli Magni, Ludovici &c.* 4. *Deinceps*, post habitum Concilium Basileense, *Decreta dicta Basileensia & Bituricensia* sub nomine *Sanctionis Pragmatica* Regis Caroli VII. sigillo & autoritate Biturigibus munita publicè recepta sunt anno 1438. Vide *Pragmaticam* illam *Sanctionem* seorsim editam, *cum commentario Cosmæ Guymier* L. C. Parisiis an. 1502. Secundum hoc peculiare Jus Canonicum, tuentur etiamnum hodie Sorbonna, & suprema Curia Parisiensis *Libertates*, quas vocant & *Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ*: contra Papalis Monarchiæ, Curiæ Romanæ, & novi Juris Canonici usurpationes. Cletus Gallicanus, hoc est Archiepiscopi & Episcopi, idem antehac præstiterunt: sed an hodie omnium æqualis sit candor ac zelus, dubitare nos faciunt, quæ post parricidium Henrici IV. dicta & gesta sunt à Cardinale *Perrono* cum aliis, qui curię Romanæ nimis velificati. De quibus vide *Magnæ Britanniæ Regem in Refutatione Orationis Perroni*; & *Molinei Novitatem Papatus.* Atque hoc quidem Jus Canonicum Gallicanum; cujus & antiqui, & medii, & novi Oceanum habes in *Decretis Ecclesiæ Gallicanæ* quæ *Laur. Bochellus* JC. anno 1621. octo libris edidit. IV. *Germanicis* Ecclesiis peculiare Corpus & Codicem Canonum à Gallico distinctum (nam Gallicana capitula ab Imperatoribus, quamdiu

quamdiu Galliæ Leges essent, confirmata, Germanis communia fuisse minime dubitandum est) fuisse colligimus, ex *Decreto Ludovici* 11. *per Germaniam de Libertate Ecclesiasticâ anno* 862. & *Caroli Calvi Decreto Duziacensi anno* 871. *Arnulphi Constitutione de excomunicatis, in Concil. Tiburtiensi anno* 895. *Concilii Ravennatis Capitulis* à Lamberto Imperatore confirmatis *anno* 906. ubi *cap.* 1. provocatur ad *sanctorum Patrum regulas* (hoc est, Canones Ecclesiæ Universæ) & ad Capitularia Car. Magni, Ludovici, Lotharii, Ludovici 11. Ex his, aliisque Constitutionibus à Goldasto collectis, de Jure Canonico apud Germanos olim recepto statui potest: quin & Capitulare aliquod, seu Corpus Canonicum ex fragmentis & reliquiis illis colligi; si quis alter Bochellus materiam à Goldasto magnâ ex parte congestam, in libros & capita seu titulos tribuat, & titulo hoc evulget: *Decreta Ecclesiæ Germanicæ.* Tres autem periodi essent constituendæ. 1. *post* quatuor Concilia usque Carolum Magnum: ubi præter *Corpus Canonum Ecclesiæ universæ*, notanda essent *Additamenta Codicis Ecclesiæ Romanæ*: & si qua Germaniæ peculiaria fuissent ex Synodis suis localibus. 2. *Inde* usque ad constitutum & paulatim obtrusum Corpus Gratiani, seu Juris Pontificii. Ubi præter *Codicem Canonum Ecclesiæ Universæ*, & *capitularia Caroli Magni*, *Ludovici &c.* modo cit. observanda essent Statuta nationi Germaniæ propria, ex suis Synodis. 3. *A Constituto* Corpore Juris Pontificii, usque ad Concilium Tridentinum, ubi observanda essent tum Synodalia tum Imperatoria Decreta Juri Pontificio ejusque intrusioni adversantia. Qualia non pauca *partim* ex *Conciliis Wormatiensi*, *Basiliensi &c.* in Germania, aut alibi autoritate Imperatorum Romano-Teutonicorum celebratis; *partim* ex *Capitularibus*, *Rescriptis*, & *Constitutionibus Imperatorum*, harum rerum curiosus colligeret, ex. gr. *Sigismundi Aurea bulla de Receptione Concilii Basileensis anno* 1432. & similia sexcenta: quæ apud *Goldastum*, *Centuriatores Magdeburgenses*, *Illyricum in Catalogo Testium veritatis*, *Pleßeum in Mysterio Iniquitatis* aut exhibentur aut indicantur. Unum hic moneo, quod & alibi monui; Imperatores, Principes, Comitia Imperii hic assignari, non quod faciant Canones, seu Jus canonicum: sed quod Sanctiones ecclesiasticas suis Rescriptis aut Capitulis inserant, repetant & confirment. Atque hæc de Jure canonico Germaniæ.

Caput. XIII.

De Corpore juris canonici explicatio historica.

Accedamus nunc ad Corpus Canonicum à Gratiano inchoatum, §. 1.
ab aliis successivè consummatum, quod propriè *Jus Pontificium*; & stylo Ecclesiæ Romanæ *Canonicum* appellatur. De eo prius theticè;

Digitized by Google

ticè; deinde problematicè seu elencticè agendum. Tractatio Thetica explicabit. 1. Ejus naturam, & affectiones. 11. Ejus curam & studium. *Naturam & affectiones* dupliciter exponemus. 1. Historicè; ex sensu scil. vulgato seu Papali. 2. Criticè, ex rei veritate & sensu nostro. Historica contemplatio duplex erit secundum duplicem Juris canonici statum, veterem scil. & novum. Unde profluxit recentiorum Canonistarum & Theologorum Casuistarum vulgata distinctio, inter *Jura antiqua & nova*. Prior status, est à receptione Corporis Canonici usque ad Concilium Tridentinum. Posterior jam inde à Concilio Tridentino: Quod ad priorem statum, circumscribemus *ineius* Corporis Canonici tum in genere, tum in specie ratione istius particularis status. 1. Materiâ. 2. Forma. 3. Efficientibus. 4. Finibus. 5. Adjunctis. 6. Comparatis & Affinibus. 7. Oppositis. 1. Materiam distinguimus in circa quam, & ex quâ. *Circa quam* est gemina; Una (quæ etiam objectum tractationis dicatur) res, & actiones, seu negotia, agenda, & causæ ecclesiasticæ primario & directe; res autem & actiones politicæ, secundario, indirecte, & consequenter. De posteriori fidem faciunt tituli, de Sponsalibus, Divortiis, Decimis, Treugâ & Pace, Majoritate & Obedientiâ, Donationibus inter virum & uxorem, Feudis, Judeis & Saracenis, Sepulturis, qui filii sint legitimi &c. Altera (quæ etiam objectum cui, & directionis) est corpus ecclesiasticum; primario quidem hierarchia ecclesiastica, & universus Clerus; secundario plebs ecclesiastica, seu laici, ut ordinem habent, ad dictam hierarchiam Ecclesiasticam: & utraque pars, ut ordinem habet ad Papam, qui synodum facit generalem, & virtualiter est Ecclesia. 2. *Materia ex quâ*, est gemina, una originis, altera constitutionis. *Illam* faciunt triplicem: Legem divinam, Consuetudinem, Constitutionem. Quæ autem illa sint perspicuè docet *Lancelotus Institut. tit. 2. & 3.* Consuetudinem (justam scil. subdividit *Ranchicourt in Compendio Juris Canonici*) in Generalissimam, generalem, specialem, specialissimam. Constitutiones rursum sunt triplices: *Primò* Canones seu Statuta Conciliorum (quæ triplicia, Universalia, Provincialia, Episcopalia.) *Secundò*, Decreta Pontificum. *Tertiò* Dicta Sanctorum; Patrum scil. aut Doctorum Ecclesiæ. *Materia ex quâ constitutionis*, seu constituens Corpus Canonicum est vel propinqua seu partes majores; vel remota seu partes minores. *Partes majores* sunt quinque, Decretum, Decretales, Sextus, Clementinæ, Extravagantes. Et hæc quidem divisio secundum ordinem ipsius Corporis. Sed Doctores in Scholis technicè dividunt totam materiam canonicam, per res, personas, judicia. Et hâc methodo *Ranchicourt*, & *Lancelotus juris canonici compendia seu systemata* sua disposuerunt. *Partes minores* sunt. 1. *Decreti* partes tres: Distinctiones; Causæ; De Consecratione. Quarum *Prima* constat distinctionibus 101. Distinctio autem quælibet suis Capitulis seu

Digitized by Google

seu Canonibus. *Secunda*, constat Causis 36. & Causa quælibet aliquot Quęstionibus; Quæstio suis Capitulis seu Canonibus. Hic nota: Causæ 33. quęstionem 3. in tam longam tractationem excreviſſe, ut Interpretes tanquam peculiarem Tractatum titulo *De Pœnitentiâ* eam designârint, & in 7. Distinctiones; & has in sua quæque capitula tribuerint. *Tertia*, quæ inscribitur de Consecratione habet Distinctiones quinque; cum Appendice Canonum pœnitentialium & Canonum Apostolicorum. Utramque Appendicem habes in Corpore emendato per Gregor. XIII. non in antiquo Corpore Glossato edit. Basil. aut Paris. 1511. Prima *dist. de Consecrat. constat capitulis* 73. *Secunda* 97. *Tertia* 30. *Quarta* 156. *Quinta* 40. 11. *Decretales* absolutè sic dictæ (al. Decretales Gregorii IX.) comprehenduntur quinque Libris: qui singuli constant titulis seu rubricis; tituli capitibus. Sunt autem tituli in universum 185. *Primi* scil. 43. *Secundi* 30. *Tertii* 50. *Quarti* 21. *Quinti* 51. Ne juniores in lectione nostrorum aut Pontificiorum Theologorum, aut quorumcunque autorum hęreant: notent hic, quando tituli seu rubricæ sine aliqua additione citantur, intelligi has Decretales: quibus tota congeries Sexti & Clementinar. famulatur: & titulorum eorundem aliqui modo in Sexto, modo in Clementinis repetuntur. 111. *Sextus*, continet Decretales Pontificum postmodum collectas. Dividitur itidem in Libros, rubricas seu titulos capita. *Liber primus* habet titulos 22. *Secundus* 15. *Tertius* 23. *Quartus* 3. *Quintus* 13. IV. *Clementinæ*, continent Decretales, tertium autoritate Pontificiâ collectas, & Corpori juris appositas. Dividuntur etiam in quinque Libros: & libri in titulos, tituli in capita. *Primi* libri sunt tituli 11. *Secundi* 12. *Tertii* 17. *Quarti* 1. *Quinti* 11. Numerum titulorum cujusque collectionis indicant hi versiculi:

Centum rubricas, octuagintaque volumen
Gregorii noni ponit, quinas superaddens.
Ac septuaginta septem numerat tibi Sextus.
Ex Clemente duas, quinquagintaque notabis.

V. *Extravagantes*; sunt duplices. Johannis XXII. & Communes. *Illæ* sunt 20. Constitutiones à Johanne 22. editæ, & distributæ per titulos 14.; quorum quidam constant uno capite, alii pluribus. *Illæ* sunt à diversis Pontificibus post *Sextum* editæ. Distributæ autem sunt per Libros, titulos, & capita; ut Libris & titulis Decretalium respondeant: Excepto; quod quarti Libri nulli sint tituli. Ita, numerantur Liber primus, secundus, Tertius, Quintus. Atque hæc partitio Corporis Canonici: quam ad dichotomiam redigere possumus, *Decretum* & *Decretales*. Auctarii loco additi sunt Corpori jussu Gregorii XIII. emendato & Lugduni 1616. atque alibi in 4. excuso edito Libri quatuor Institutionum Juris Canonici autore Johanne Paulo Lanceloto: qui quia jussu Pontificis & conscripti, & à Magnis Canonistis ac Theologis visitati

Digitized by Google

tati atque approbati sunt ; non vulgaris debent esse autoritatis ; & parum abfuit quin partem feciſſent Corporis Canonici. Sed mors Pontificis promiſſionem & ſpem illam intervertit. De quo vide *Præſat.* ipſius *Lancelοti* ; imprimis *Commentarium*, quem Romanæ editioni 1584. adjecit ; Et *Poſſevinum in Apparatu*. Ita ut privata hactenus manſerit Inſtitutionum iſtarum autoritas.

§. 2. 11. *Formale*, ſeu forma hujus Corporis interna eſt Jus ſeu Lex eccleſiaſtica. Obtinet enim rationem Legis, immo & principii Theologici, quidquid ex Corpore illo allegatur; imprimis ex Decretalibus: ut infra videbitur. *Forma externa* eſt collectio, & confirmatio. De quâ in cauſis Efficientibus, *Efficientes* cauſæ, *principales*, ſeu collectores ſunt 1. Gratianus & Palea. 2. Papæ Gregor. IX. Bonifacius VIII. &c. *Minus principales* ſunt Raymundus, Guilelmus Ebrudunenſ., Berengarius Biterenſis &c. Quorum operâ Pontifices collectores uſi ſunt. Ut autem ſucceſſivam hujus Corporis originem Studioſi noſtri intelligant. 1. Gratianus monachus Benedictinus Bononiæ Decretum ſuum compilavit anno 1151. poſt omnes alios collectores. Niſi quod de autore Panormiæ Ivonis (quam à Decreto ejuſdem Ivonis diſtinguendam, ut contractum ab eo unde contractum eſt, monent *Authores Emendationis Gregorii XIII. in Præfat.* & *F. Juretus in Notis ad Ivonis Epiſtol.* 288.) aliter ſtatuendum. 2. *Deinde* Diſcipulus ejus Palea (quem alii Protopaleam vocant, & *Jaſon* dicit Cardinalem fuiſſe) putatur aliquot addidiſſe capita, quibus ejus nomen præſcribitur. Sic Johannes Andreæ, Imola, Alexandrinus, Jaſon, Anton. Auguſtinus. Quamvis alii velint vocem paleæ appellativè denotare res leves ac inanes: Alii derivent ab adverbio πάλιν, quod ſint repetitiones. *Interpolatores Gregorii XIII. in Præf.* etymologiam in medio relinquunt: hoc ſolum conjicientes, additiones ſeu paleas illas (inter quas eſt Diploma Donationis Conſtantini) non eſſe eodem tempore factas ad collectionem Gratiani; ſed in margine primum adſcriptas, forte nonnullas inter relegendum ab ipſo Gratiano; quas deinde Librariorum quidam omiſerint, quidam in contextu poſuerint. Extra dubium ponunt ibidem, non eſſe contemnendas; quod multæ & in Decretalibus & apud vetuſtiores Gratiani Collectores habeantur. Nos aliam & quidem præcipuam addimus rationem, quam illi tacent: *Quia paleæ ille tam multum grani attulerunt Eccleſiæ*, ut habet vetus proverbium; & reipſa oſtendit illud Donatio Conſtantini. Sed de autoritate palearum mox aliquid dicendum. 3. *Decretum* à Gratiano privatâ autoritate compilatum probaſſe Eugenium 111. teſtis eſt *Trithemius Libr. 2. de Scriptor. Eccleſiaſticis.* Quod tamen hodie diſſimulatur, à *Bellarmino libr. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Poſſevino in Apparatu*, & à *Gregorio XIII. ipſiuſque Correctoribus:* ut videre eſt in illius *Bullâ:* & horum *Præfat.* 4. *Decretales*

per

Digitized by Google

per Pœnitentiarium ſuum Raymundum collegit *Gregorius IX.* anno 1230. & volnit ut hâc compilatione (ita loquitur *Bulla*) in Judiciis & Scholis uterentur. Collectionem hanc nominant nonnulli *antiquam*, ad diſcrimen Sexti, & Baldus aliquoties *Novellas*; uti notat *Albericus Gentilis in Diſput. de Libris Juris Canon. c.* 1. 5. *Sextum* dedit Bonifacius VIII. Is enim epiſtolas Decretales Prædeceſſorum diligenter fecit recenſeri, per Gulielm. Archiepiſc. Ebrudun. &c. & quibuſdam novis Decretis à ſe additis in unum Librum ſub debitis titulis redigi circa annum 1294. Et has *Baldus* ſæpius *Novellas* vocat. 6. *Clementinas* Clemens V. ad editionem paraverat. Cum enim plurimas ſuas Conſtitutiones in Concilio Viennenſi, & poſt editas in unum volumen ſub certis titulis collocatas collegiſſet, morte prœventus eas edere non potuit. Quod præſtitum eſt à Succeſſore ejus Johanne 22. 7. *Extravagantes* Johannis 22. ab ipſo editæ, communes autem à diverſis Pontificibus ſucceſſivè poſt Sextum. A quo autem & quando collectæ, non indicant. 8. Matheus JC. Lugdunenſis collegit *Septimum*, nunc cum Corpore canonico editum.

Problema: 1. An in Eccleſiâ Romanâ ullæ fuerint collectiones Decretalium, ante iſtas quinque Corpori canonico inſertas. *Reſp. Aff.* & quidem numero quinque: quas titulis ſuis diſtinctas ex M. SS. primus edidit *Anton. Auguſt.*; eaſdemque retractavit, & auctiores dedit ex Codicibus Cujacii & Nicolai Fabri *Carolus Labbeus* I. C. *cum notis Ant. Auguſt. & Cujacii* Pariſ. 1609. Duas priores collectiones privatâ, tres poſteriores publicâ autoritate factas refert *Joh. Andreas*, & poſt illum *Anton. Auguſt.*, & *Alber. Gentilis Diſp. cit. c.* 1. qui videndi. *Probl.* 2. An non ipſæ Decretales Pontificum extra Corpus Canonicum integræ ſint editæ? *Reſp. Aff.* ſeorſim Romæ 1592. tomis 3., & plenius uſque ad Paulum V. una cum tomis Conciliorum Binii Coloniæ 1606. qui & notas adjecit. *Problem.* 3. Si quid poſt illud tempus à Papis conſtitutum ſit, ubi illud quærendum. *Reſp.* In Bullario Cherubini; de quo infra.

Explicemus nunc adjuncta quædam Juris Canonici: quæ ſunt 1. Neceſſi- §. 3.
tas & utilitas. 2. Perfectio & præſtantia. 3. Autoritas & efficacia. 4. Interpretatio. Primi adjuncti explicatione complectimur fines, & effecta ſeu uſus ejuſdem. Eſt ergo uſus ejus. 1. Ut Poteſtas ſeu Monarchia Papæ tam in temporalibus quam ſpiritualibus ſarta tecta conſervetur, & propagetur. Hunc enim ſcopum, hoc opus primarium eſſe Juris canonici ex infinitis allegationibus probari poſſet: quas noſtri variis ſcriptis paſſim excerptas exhibent; nominatim Principes Proteſtantes in libro cui tit. *Gravamina Concilio Tridentino oppoſita pag.* 282. 344. edit. germanicè a. 1564. 11. Ut univerſalis Eccleſia, imprimis hierarchia eccleſiaſtica, eo regeretur: atque adeo Curiæ Eccleſiaſticæ, & Scholæ ſeu Facultas Decretorum, immo & Curiæ civiles & Facultas Juri-

dica haberent quod in docendo & judicando ſequerentur. III. Habet & uſum in explicatione Scripturę: Hinc ſolent Biblia edere cum concordantibus Canonibus in margine notatis. Vide editionem Lugdun. a. 1526. in fol. IV. Etiam in explicatione Theologiæ ſcholaſticæ, prętertim Moralis & Caſuiſticæ: ut paſſim videre eſt in *Scriptoribus antiquis & recentioribus.* Et *Canus loc. Theolog. lib.* 8. *c.* 6. ex profeſſo probat Juris hujus cognitionem eſſe Theologo neceſſariam. V. Inſuper ad Antiquitatis eccleſiaſticæ illuſtrationem. De quo vide *Præfat. Boëtii Eponis ad Syntagma Antiquit. Eccleſiaſticar.* VI. Ad ſupplendum, corrigendum, explicandum Jus civile. Hinc vulgatum proverbium: *Il legiſta ſenza capitulo vale niente*; uti memini referri alicubi à *Melch. Cano*: VII. Ad honores, dignitates, officia & beneficia eccleſiaſtica. Sunt enim ad hæc qualificati (juxta nova *Jura Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *c.* 12. & *ſeſſ.* 22. *c.* 2.) qui promotionem ſeu gradum habent in Jure canonico. Quin & Conſuetudo obtinuit, ut ad multas dignitates & pinguia munera in Curiâ Romanâ, in Curiis Inquiſitionis, & Epiſcopalibus; etiam ad Archidiaconatus, Præpoſituras, Epiſcopatus Canoniſtæ potius promoverentur, quam Theologi: ne quid dicam de Guidone, Innocentio IV. Gregorio XIII. Qui Canoniſtæ ad Papatum aſcenderunt; nec etiam de Raymundo, & Antonio Florentino, qui ex hoc ordine inter Deos relati. Hinc apud Theologos & Caſuiſtas controverſia agitatur, utri potius Theologiam Canoniſtæ eccleſiaſticas curas ſint promovendi. *Joh. Major in* 4. *diſt.* 24. *qu.* in fine 3. ex profeſſo hanc quęſtionem tractat, & recte concludit pro Theologis. Canus lib. 8. cap. 7. fatetur ſe *non videre, quonam conſilio in negotio cognitionis fidei partes poſtremæ, ne dicam nullæ Theologis permittantur; Jureconſultis vel primæ, vel etiam omnes.* Addit ibidem in Moralibus, *quatenus vel lex euangelica, vel ratio philoſophica de hujuſmodi præſcribit, Jure-conſultorum autoritatem parum aut certè nihil Theologo conferre poſſe.*

§. 4. *Præſtantia &* perfectio hujus Iuris ſpectatur vel in ſe, vel comparatè ad alia. *Illa* eſt 1. *ratione* formæ internæ quæ pertinet ad ejus autoritatem; de quâ mox *theſi ſeq.* 2. *ratione* materiæ; quam præſtantiam buccinant *Weldenſius in Præfat. ad Codicem canonum Eccleſiæ Romanæ*; & *Vivianus in Rationali Juris Canonici lib.* 1. *ad tit. de Conſtitutionibus.* 3. *Ratione formæ externæ*, hoc eſt, methodi & collectionis: quia omnia per titulos (quos non exiguâ parte deſumpſit Gratianus, & tandem ſupplevit Gregorius IX. ex Corpore Iuris civilis) tam affabrè digeſta ſunt. *Schultingius Hierarch. Anacriſ. lib.* 5. *p.* 12. vocat theſaurum, diſciplinæ eccleſiaſticæ; qui etiam ſufficiat ad elenchum Politiæ eccleſiaſticæ reformatorum; uti *ibidem* conatur oſtendere. Ulterius progreditur *Canus lib* 8. *de Locis Theol. cap.* 6. *p.* 491. dicendo ex & cum *Alvaro Pelagio lib.* 2. *de Planctu Eccleſ. art.* 20. (Rationes hujus aſſertionis ſatis infirmas videat cui vacat.)

vacat.) Juris canonici disciplinam esse *theologiam quandam practicam. Ista* est: quod longè præstet Corpori Iuris civilis; etiam cum in unâ eâdemque materiâ versantur. Et ratio est: Quia ut Potestas ecclesiastica civili præstat, sic Lex canonica civili. *Zwarez de Legibus lib. 4. c. 11. n. 9.* Addit Petrus à Navarrâ Toletanus in præfat. ad libr. de Restitutione: Se Ius civile citare, *non quod putaret illud Legis vim habere; sed intra latitudinem, ut ajunt, opinionis tanquam Sapientum quædam dicta esse accipienda; & certe suscipienda.* Ibidem de Iure Canonico; *Leges ejus veras esse Leges & vim coactivam obligantemque habere, etiam ante sententiam.* Hinc etiam de præcedentiâ cum disceptatur inter Ius Canonicum & Civile, inter Doctorem Canonistam & Iuristam; pro illo determinatur, rationibus quamplurimis fusè allatis à *Chassaneo Catal. Gloriæ Mundi part. 10. consid. 17.* Et ita tenent *Johannes Andreas, & omnes alii in Capitulo clerici:* ut *Turrecremata ibid.* refert. Contra tamen dicit *Præpositus ad tit. de Judiciis* (referente *ibid. Chaßaneo*) *Bonum Doctorem Legistam præferendum Doctorculo ignaro Canonum, per textum in c. quæ ipsis, dist. 23.*

Autoritas & efficacia Juris ut dextrè percipiatur, videndum. 1. Quid au- §. 5.
toritativè obliget. 2. Quos. 3. Quomodo. Ac 1. De Jure canonico in genere affirmatur à *Canonistis*, pariter & *Theologis*, illud habere autoritatem; ut secundum illud in Scholis Politiam ecclesiasticam tradant: in Curiis judicia exerceant. Vide *tit. de Constitutionibus: & ad eundem Canonistas: & Præfat. Gregorii IX. ad Decretales:* ut & *Bullam Gregorii XIII.* & *Præfationem Correctorum* præmissam novæ editioni, Cardinalem *Tuschum Concl. Pract. 577. n. 4. Duarenum in Præf. ad Tract. de sacris Ecclesiæ ministeriis. Suarez. Lib. 4. de Legib.* modo *cit.* Sed de extensione hujus autoritatis ad singulas partes Corporis dubitatur. *Theologi nonnulli* hodie Decretalibus tantum vim Legis tribuunt: & sic *Jurisconsulti*, & *Canonistæ* nonnulli Antiquiores: quos cit. vide in *Alberici Gentilis Disp. de Jure Canonico.* Gratianum verò alii in angulum plane retrudunt; alii multa in illo reprehendunt; illum mentitum dicit *Glossator*; facinus familiare illi, consuere in unum diversos Canones clamat *Delrio Disquisit. Magicar. Libr. 4. cap. 4. quæst. 3. Correctores Gregoriani* affirmant *in c. Ita dominus dist. 19.* illud caput de Anastasio fuisse omnino confictum. *Alciatus* juratus alioquin Pontificum assentator *Libr. 4. Paregon Juris cap. 23.* & *Lib. 6. cap. 8.* haut obscurè fidem Gratiani elevat, ac si ψεύδυμιον quid commentus sit in suam utilitatem. Contra tamen *Canonistæ* communiter (cum quibus *Chassaneus Loc. cit.*) autoritatem Decreti tuentur; quamvis non omnes parem ei autoritatem cum Decretalibus tribuant. Vivianus ad tit. modo cit. sic distinguit: *licet non sit à Pontificibus statutum ut contenta in Libro illo habeant vim Legis; Liber tamen ille est ab Ecclesiâ approbatus, & propter sanctitatem & autoritatem illorum Scriptorum, censentur dicta rationabilia, & de con-*

Digitized by Google

filio ſequenda. Et citat pro ſe *Panormitan.* & *Francum.* Idem fere, ſi non plus, tribuit Decreto, inter Juriſctos. *Elfricus Hunnius Diſp.* 1. Sed rurſum *quæritur* de contentis illo Decreto quæ ſunt dicta 1. vel Pontificum. 2. vel Conciliorum. 3. vel ex Jure civili (quæ vocant Leges canonizatas) (quamvis *Zwarez cap.* 11. reſtringat hoc ad Leges citatas in ſolis Decretalibus.) 4. vel Patrum. 5. vel ipſius Gratiani. 6. vel Paleę. 7. vel denique ſunt Rubricę ſeu Summę. De quorum autoritate ut Andabatæ in tenebris diverſimodò definiunt. Vide *Alber. Gentilem Diſput. cit.* & confer ex Theologis *Zwarez Lib.* 4. *c.* 5. & 11. Et ex *Juriſc. Hunnium* modo *cit.* 11. *quæritur*, In quos habet autoritatem? *Reſp.* In omnes fideles, ſeu in omnes Baptizatos adultos. De quo vide *Zwarez. c.* 19. 111. *quæritur*, Quomodo? *Reſp.* Ita ut in conſcientiâ obliget? Sic *Zwarez c.* 18. ex communi ſententiâ Canoniſtarum & Theologorum, & *Becanum Theolog. Scholaſt. part.* 2. *tom.* 1. *c.* 4.

§. 6. Interpretatio hujus Juris eſt vel ſcholaſtica, vel pragmatica ſeu forenſis: Ad *illam* conſtituta eſt in Academiis peculiaris facultas & Profeſſio *Decretorum*, ſeu Juris canonici: cujus appendices ſunt promotiones ſeu gradus, qui vel ſeorſim in jure Pontificio, vel conjunctim in utroque jure conferri ſolent. *Iſtam* peragunt pragmatici in foro civili & eccleſiaſtico. Hinc eſt, quod qui ad alterutrius aut utriuſque fori cauſas agendas & conſilia, judicia, admitti volunt; gradus in utroque jure titulum affectent. Utriſque interpretibus inſerviunt Scriptores Canonici, ſeu communes Doctores. Qui ſunt vel primi & quaſi authentici, vel ſubſequentes. *Illi* ſunt Gloſſatores, quos vide in Corpore juris canonici Gloſſato: inter quos viri multiplicis eruditionis (ut illa tempora ferebant): quorum tanta fere fuit autoritas, quanta in Thalmude & Gemara. Sed fama & autoritas eorum ſtragem aliquam ante paucos annos paſſa eſt per *geminas Cenſuras*; quarum unæ juſſu Pii V. prodierunt a. 1573. alteræ juſſu Gregorii XIII. a. 1580. Utraſque denuo excudit Lazarus Zetſnerus, una cum *Indice Expurgator. Belgico* a. 1609. Argentor. in 8. *Iſti* ſunt quamplurimi, hic non recenſendi. Vide *Indicem Poſſevini tom.* 1. *Biblioth. ſelectæ in fine*; *ubi de Juriſprud.*

§. 7. Cognata ſeu affinia hujus Corporis ſunt duplicia. 1. Quæ ſe habent ut partes ejus: ut ſupplementa, aut ut correctoria, aut ut appendices, aut ut ſubordinata ei & ad illud propriè ordinata tum doctrinalia, tum pragmatica. 2. Quæ cum eo proprius ſymbolizant, & comparari poſſunt. *Prioris generis*, ſunt triplicia; publica, quaſi publica, privata. 1. Publica ſunt & primaria. 1. *Bullæ & Conſtitutiones Pontificum* editæ poſt conſtitutum Corpus canonicum: quę paris immo & majoris ſunt autoritatis, quam totum Jus canonicum. Ut enim Pandectæ, Inſtitutiones, & Codex Juris civilis ex Novellis tandem explicanda ſunt; ſic totum Corpus canonicum ad Bullas poſtmodum editas uſque

Digitized by

quę ad Concilium Tridentinum, inflectendum & exigendum eſt; & hę rurſum ad Canones Concilii Tridentini; & Canones illi ad Bullas exinde & quotidie prodeuntes; utraque tandem ad Deciſiones ſacræ congregationis Cardinalium: de quibus infra dicemus. Ita ut Jura dicta *antiqua* (revera tamen nova) ſint in *Corpore canonico*: *Nova*, in *Bullario*: *Noviſſima*, in *Concilio Tridentino*, & *Deciſionibus Cardinalium.* Collegit autem Bullas omnes jam inde poſt Corpus Canonicum (pauculis exceptis, Leonis ſcil. 1. Gelaſii 1. Pelagii &c.) uſque ad Paulum V. *Laërtius Cherubinus*, *in* 3. *tomos*, quibus nomen fecit *Bullarii*: quod filius ejus *Flavius Cherubinus in Compendium* redegit, *adjectis ſcholiis & indice copioſiſſimo. Conſtitutiones Pontificum* ad univerſale regimen facientes ſeorſim collegit *Quaranta*, & *Scholia* adjecit. Duo autem hic notanda. *Unum, de Bullâ de cœnâ Domini*, quę inſtar Pandoræ cœlitus delapſæ una cum anno in ſe ſua per veſtigia volvitur, hoc eſt, ſolenniter quotannis promulgatur: quam vide apud *Zwarezium in Commentar. ad* 3. *Thomæ Tom.* 5. *diſp.* 21. & *Toletum Inſtruct. ſacerdotum lib.* 1. *c.* 18--31. qui prolixos *Commentarios in eam* ſcripſit. *Alterum*, de differentiâ Bullæ, Motus proprii, Literarum Apoſtolicarum, Brevis, Oraculi vivę vocis. *Literæ Apoſtolicæ* ſunt genus; cujus ſpecies, Motus proprius, Bulla, Breve. *Motus proprius* eſt, cum non ad requiſitum aut inſtantiam alicujus quid ſancitur aut determinatur, ſed motu proprio; & tales in peculiare volumen collecti ſunt. *Bulla* eſt, cum ad inſtantiam aliorum quid ſtatuitur & pluribus verbis ſcribitur & totam rei ſeriem continet, & ſigillo plumbeo cum effigie Petri & Pauli munitur. *Breve* eſt, cum ad inſtantiam aliorum quid ſtatuitur, & brevioribus verbis ſcribitur, & ſummam rei continet, & ſignatur annulo Piſcatoris in cerâ rubrâ. Uti ex *Canoniſtis* & *Practicis* ſuis docet *Cherubinus Compend. Bullar. tom.* 2. *p.* 9. & 25. *Decretalis* Epiſtola idem eſt quod *Bulla*; Conſtitutio ſcil. ad alicujus conſultationem promulgata. Eſtque vel *ſpecialis*, quæ dirigitur ad unam perſonam, aut provinciam, & in conſequentiam non trahitur: vel *Generalis*, quæ ad omnes dirigitur, ſeu quæ pertinet ad generale Eccleſiæ regimen: quales, poſt Corpus Juris uſque ad Paulum V. habes in *Quaranta*; una cum *ſexto Extravagantium. Oraculum* vivæ vocis eſt, quando Pontifex coram vivâ voce in Conſiſtorio, aut alibi quid ſtatuit & determinat. Ad quod ſubinde à litigantibus aut diſceptantibus provocari oſtendimus in *Deſper. Causâ Papatus* notabili exemplo *Baronii*, qui momentoſæ quæſtionis de Monarchiâ Siculâ determinationem firmabat ingeminando, Petrus (h. e. ipſe Pontifex) dixit. Pertinent ergo ad ſupplementum, & perfectionem Juris Canonici *Bullarium Cherubini*; *Conſtitutiones Quarantæ*; *Collectio Motuum propriorum*; Quibus addi poteſt, *Immanuelis Roderici nova Collectio Privilegiorum Apoſtolicorum*, *Regularium Mendicantium*, *& non Mendicantium*: Et *Collectio Privilegiorum Apoſtolicorum* Jeſuitis conceſſorum,

quæ edita Romæ 1606. & Parisiis 1612. hoc titulo: *Litera Apostolice, quibus institutio, confirmatio, & varia privilegia continentur societatis Jesu.* imprimis autem *Concilium Tridentinum, cum Declarationibus Cardinalium:* de quo infra. 2. Inter cognata primi generis referimus *Antiquas Collectiones Decretalium*, præsertim tres posteriores, quæ factæ sunt autoritate Pontificum. Ex antiquis, novas Collectiones, quæ habentur in Corpore Canonico, tanquam ex fontibus promanasse, atque adeo eas necessarias esse omnibus, *qui veram cognitionem & scientiam novarum sibi acquirere desiderant*, censet *Car. Labbeus in Præfat.* 3. *Liber Indulgentiarum*, Romæ editus, continens Indulgentias à Papis promulgatas, aut concessas. 4. *Capitula Synodorum* particularium confirmata à Papis imprimis. Qualia ante tempus reformationis famosa illa Leodiensia cum suis Modificationibus per *Bullam Nicolai V.* confirmata anno 1451. Et post tempus Reformationis, immo post Concilium Tridentinum; ut *Archiepiscopale Bononiense*, *Statuta Mediolanensia sub Borromeo sex Synodis determinata*; item *Bituntina*, *Vercellensia &c.* quorum summam exhibet *Schultingius lib. 5.* 5. Denique publica scripta Liturgica & Ritualia, qualia sunt *Officium Mariæ*, *Breviarium*, *Diurnale*, *Rituale seu Pastorale*, *Missale*, *Antiphonarum*, *Graduale*, *Episcopale*, *Pontificale*, *Ceremoniale:* 11. *Quasi publica* sunt 1. *Pœnitentiale Romanum* editum ab *Anton. Augustino.* 2. *Taxa pœnitentiariæ & cancellariæ apostolicæ.* 3. *Practica cancellariæ Apostolicæ.* 4. *Vitæ Pontificum*; quę continent Historiam aliquam Juris Canonici. 5. *Tomi Conciliorum.* 6. Item *Baronii Annales*, aut saltem *eorum Compendium.* 7. *Decreta Isidori*, *Burchardi*, *Ivonis*, quæ cum *Jure Canonico* conjuncta Thesaurum disciplinæ Ecclesiasticæ vocat *Schultingius Lib. 5. p. 12.* 8. *Rationale Durantis* Episcopi Mimatensis, dicti *Speculatoris:* qui professione Canonista distinguendus à Durando de Sancto Portiano, celebri Theologo scholastico, & Episcopo Meldensi. 9. *Glossatores Juris Canonici* illi scil., quorum Glossę in Scholis prælegi solent, aut cum textu edi; ut *Johannes Teutonicus*, *Bernardus*, *Johannes Andreæ:* de quibus *Possevinus in Apparatu.* 10. *Expositio Canonis Missæ Odonis*, *Thomæ*, *Lyrani*, *Biel*, *Clichtovei.* 11. *Manipulus Curatorum Guidonis de Monte Rocherii.* 12. *Stella Clericorum.* 13. *Modus Procedendi in Curiâ Romanâ*, autore *Vestrio Barbiano.* 14. *Directorium Inquisitorum Eymerici cum notis Pegnæ:* cujus Epitomen edidit *Bariolus* titulo *Florum ex Directorio.* 15. *Practica criminalis canonica Joh. Bernardi Diaz*, quam postea *Commentariis* illustravit & auxit *Lopez de Salzedo.* 16. *Thesaurus Exorcismorum*, cum variis artibus & manualibus Exorcisticis. 17. *Barthol. Gavanti Thesaurus sacrorum Rituum ad rubricas Missalis & Breviarii.* 18. *Octavarium Romanum.* 19. *Liturgica à Claudio de Xaintes*, aliisque edita. 20. *De antiquo Romano Officio seu de divinis Ecclesiæ Officiis Alcuini*, *Amalarii*, *Bernonis*, &c. ex *Collectione Hittorpii.*

Quibus

Digitized by Google

Quibus addenda *Ruperti Tuitenſis*, *Innocentii* 111. De iiſdem & *Joh. Belethi*, *Pupilla oculi* &c. Sed de liturgicis & agendariis, infra *Lib.* 2. 21. *Deciſiones rota Romanæ.* 111. *Privata* ſunt 1. Infiniti propè *Caſuiſtæ*, olim dicti *Summiſtæ:* quorum ſynonymas appellationes & antiquiorum nomina indicavi in *Vindiciis Diſceptationis* meæ *de Luſu Aleæ.* Non pigebit inde iſta hic exhibere, ut juniores diſcant diſtinguere inter *Scholaſticos* qui in *Summam Thomæ* com-
„mentati ſunt, & inter dictos *Summiſtas* ſeu Caſuiſtas *p.* 14. Quod cenſor in-
„ſtat Malderum & Thomam exſertè definiviſſe, id παρεόμενον ipſius, non meo
„ ænigmati adſcribendum. Loquebar ego de Pontificiis *ſummiſtis*, *non de ſcho-*
„*laſticis.* *Summiſtæ* uſu illic recepto dicuntur, non qui commentaria aut quę-
„ſtiones ad ſummam theologicam Thomæ ſcripſerunt, ſed qui ſummas ca-
„ſuum conſcientiæ & materiarum judicialium complexi ſunt; quos hodie vo-
„cant *Caſuiſtas*, quorumque profeſſio & cathedra in Academiis ac collegiis
„diſtincta eſt à profeſſione Theologiæ ſcholaſticæ ad textum Lombardi aut
„Thomę. Quos à theologię Profeſſoribus in tantum diſtinguit *Thomas Gar-*
„*zoni* in celebri Libro tit. *la Piazza univerſale cap. ſeu diſcurſu* 19. ut eos ac-
„cenſeat Canoniſtis. Sed media potius ſententia tenenda, quæ eos faciat
„medios (participatione ſcil.) inter Scholaſticos & Canoniſtas. *Summa* titu-
„lo *Caſuiſtæ* Papales antehàc uti ſolebant & inde denominati *Summiſtæ.* Qua-
„les ſummæ à Pontificiis ſcriptoribus paſſim, & collectim à *Gerſoni loc. cit.*
„(ubi ſcriptores titulo *Summiſtarum* inſignit) & à *Poſſevino lib.* 3. *Bibliothecæ*
„*cap.* 22. indicatę ſunt, Roſella, Pacifica, Raimundina, Piſanella, Tabiena,
„Sylveſtrina, Angelica, Hoſtienſis, Rolandina, l' Aſtenſis, Antonina, Ber-
„nardini, Petri Caſuelli, Raynerii, Cajetani, Jac. Cavicei, Barthol. Fumi, Al-
„berti de Brixia, Antonii de Corduba, Auguſtini de Ancona, Joh. Baptiſtę
„de Salis, Claudii Altiſiodorienſis, Henrici de Erfordiâ, Monaldi, Conradi
„Summergart, Gaufredi de Trano, Hugonis Barchinonenſis, Joh. Epiſcopi
„Valorienſis, Joh. de Friburgo, Scarſellæ, Joh. de Saxoniâ, Sebaſtiani Medi-
„ces. Quibus adde ex *Alegambe Bibliothecâ* Summam Henrici Henriquez.
„Ejuſdem ordinis ſunt libri Caſuiſtici, qui à recentioribus certatim ſed aliis ti-
„tulis *directorii*, *confeſſionalis*, *praxis fori pœnitentialis*, *inſtructionis ſacerdotum*,
„*theologiæ paſtoralis*, *clavis regiæ*, *theologiæ practicæ*, *theologiæ moralis* &c. editi
„conſpiciuntur. *Scholaſtici*, propriè & diſtinctè vocantur, qui commentaria
„& quæſtiones ſcripſerunt ad ſententias Lombardi, & ſummam Thomę. In-
„ter eos ex recentioribus eſt Malderus, qui ex Profeſſore Theologiæ Schola-
„ſticę Lovanienſi, factus fuit Epiſcopus Antwerpianus. Eum ego citaveram,
„non ut *Summiſtam* (talis enim ſtylo ſcholæ Romanæ dici non ſolet) ſed ut
„recentiorem *Scholaſticum* & commentatorem in aliquam partem Thomæ,
„poſt Cajetanum, Bannes, Medinam, Valentia, Tannerum, Vaſquez, &c.

Jam

Digitized by Google

„ Jam vident lectores me mihi non contradicere, nec ænigmata projicere, „ ſed ipſum cenſorem per rerum iſtarum & terminorum ignorantiam, ſibi in „ evolvendo ænigmate (quod nullum erat) moleſtiam creaſſe. Quod ſi quis „ mihi non credat, is adeat *Poßevinum lib.* 3. *Bibliothecæ cap.* 4. *& ſeqq.* cum „ *cap.* 16. *& ſeqq.* ubi inter ſcholaſticam theologiam & ſcholaſticos ad Lom- „ bardum, Thomam, Scotum, Bonaventuram commentantes, & inter pra- „ cticam ſeu caſuiſticam, & ſummas caſuum, ac Caſuiſtas, exſertè diſtinguit, „ & ſuas cuique operas aſſignat. Idem fit in *indice materiarum* ſubjecto *Bibli-* „ *othecæ Philippi Alegambe*, ubi Scriptores ſcholaſtici à Caſuiſtis diſtinguuntur. Inter quos autoritate videntur aliis præcellere *Navarrus* & *Toletus*. 2. *Doctores Scholaſtici*, quorum authenticus quaſi anteceſſor *Thomas*; qui *in* 22. & 3. non pauca habet, quibus Canoniſtæ agrum ſuum irrigare queant. 3. *Canoniſtæ* & *Juriſconſulti* propè infiniti: inter quos excellunt, qui totam eccleſiaſticam Politiam delineare conati; ut *Renatus Choppinus*, aut qui eam defende- re, ut *Renatus Ruſus*; & nominatim *Creſpetius*, qui totum Jus Canonicum ex antiquitate contra Novatores ſe defendere profitetur. Vide *Summam* ejus extractam à *Schultingio Lib.* 6. Atque hæc quidem cognata prioris generis. *Poſterioris generis* ſunt, inter quæ & Jus Canonicum comparatio inſtitui poteſt, quia in multis cum eo conveniunt. Sunt autem ea 1. Scholaſtica & Poſtilliſtica ipſorum Theologia; quæ pari felicitate cum Canonicâ demonſtrationes ſuas fabricat ex Scripturis, Patribus, ac Conciliis: inſuper μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, humanam ſcil. autoritatem ac ſcientiam divinæ admiſcendo, & cum eâ confundendo. 11. *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ*, ut & *Eccleſiæ Orientalis*, & *Africanæ*; *Capitularia Caroli Magni &c.* & omnia *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ*, *Concilium Baſileenſe*, *Centum Gravamina nationis Germanicæ &c.* quę quamvis ex ipſorum ſenſu hic inter cognata collocemus, revera tamen in pugnantibus numeranda cenſemus. 111. Idem dicimus de *Jure civili*. Quod *Zwarez* cum canonico convenire dicit. 1. Quod utraque Lex tam canonica quam civilis verſetur circa ſolam materiam honeſtam. 2. Quod præcipere poſſit in materia cujuſcunque virtutis. 3. Quod præcipiat omnium virtutum actus; non tamen omnes actus omnium virtutum. 4. Quia non prohibet abſolutè omnia vitia & peccata. Differentiam ſtatuit in iſtis. 1. Quod materia Legis civilis ſit temporalis; canonicæ verò ſpiritualis. 2. Quia canonica eſt excellentior & univerſalior. 3. Quia materia Legis civilis primaria & magis per ſe intenta eſt quæ pertinet ad juſtitiam humanam; canonicæ vero materia per ſe intenta eſt, quæ pertinet ad juſtitiam & religionem divinam. Hæc fuſè *Lib.* 4. *c.* 11. ab ipſo explicata, additis allegationibus Autorum, ibi videnda. Addamus nunc pro ἐπιείκεια Juris hujus maximè affinia ex rei veritate & noſtro ſenſu: ſunt autem 1. Jus Canonicum ſeu Pontificium Nu-

mę

Digitized by Google

mæ Pompilii, & Antiquorum Pontificum ac Augurum: Prædeceſſorum Romani Papatus. Cujus paralleliſmum cum præſenti canonico Pontificio, ex Antiquitatibus Romanis non ineptè inſtitui poſſe alibi indicavimus: & *ibidem* Autores, qui huic inſtituto conducant; inter quos Nobiliſſ. *Marnixius in Alveario Eccleſiæ Romanæ.* Quibus facem prętulit ex ipſis Pontificiis *Polydor. Virgilius de Inventoribus rerum,* quin ipſum *Jus Canonicum c. decretis diſt.* 21. ubi ait diſcretionem graduum quorundam in Eccleſiâ, *maximam partem à Gentilibus introductam, qui ſuos Flamines alios ſimpliciter Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant.* Et *c. dilectiſſimis* XII. *qu.* 1. ubi communem vitam Clericorum comparat cum communione Platonicâ. In Iaponenſibus, Chinenſibus, Mogoronicis nonnulla inveniri poſſent, quæ eidem ſimilia ſunt. II. Ius Canonicum Iudæorum *Thalmude* ipſorum compreheńſum: quod in multis Romano tam ſimile eſt ac lac lacti. Quin ipſum Ius canonicum cum antiquo Iudaiſmo per mortem Chriſti abolito ſua comparat, immo ex illo accerſit, in materiâ, de Templis, Feſtis, Iejuniis, Decimis, Miniſteriis eccleſiaſticis, &c. III. Ius Canonicum Mahumediſtarum *Alcorano* tanquam Corpore canonico, ſeu Collectione Decretalium: & *Suna*, ſimilibuſque quiſquiliis tanquam gloſſis comprehenſum. Vide *Turco-Papiſmum* ante annos aliquot ab anonymo (*Matthæo Sutlivio*) editum.

Oppoſita ſeu pugnantia Juris Canonici ſunt vel magis, vel minus. Magis §. 8.
cum eo pugnant. I. *Sacra Scriptura*: & ſana Theologia. II. Recta ratio, & ſana ac ſobria Philoſophia. Utriuſque documenta præbent Controverſię cum dogmaticæ tum morales: quas contra Pontificios ab Antagoniſtis eorum pertractatas vide. III. Politia Eccleſiaſtica omnium Eccleſiarum, quæ poſt inchoatam reformationem à Romanâ divortium fecerunt. Inter quas fortiſſimè & exquiſitiſſimè ei repugnant *Conſtitutiones Gallicanæ*, *Genevenſes*, *Scoticæ*, *Belgicæ*: & quæ in Germaniâ, Poloniâ, Bohemiâ, Helvetiâ, Rhætiâ illis conformes ſunt, aut ad illas proximè accedunt. Quas propterea *Schultingius*, aliique ab illo producti præ aliis ſibi oppugnandas ſumſerunt. IV. Antiquum Jus canonicum *Codice Canonum Eccleſiæ* univerſę comprehenſum: imprimis etiam *Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ.* V. *Codex Canonum Antiquæ Eccleſiæ Orientalis* editus à *Tilio.* VI. *Codex Eccleſiæ Romanæ*, quo Antiquos Pontifices uſos fuiſſe, quemque eundem eſſe qui Moguntiæ editus eſt anno 1525. teſtantur *Correctores Gregorii* XIII. in ſuâ *Præfat.* VIII. *Corpus Juris civilis*: & *Juriſconſulti* Papali tyrannidi non obnoxii; Quales *Hotomannus*, qui autor putatur *Bruti Fulminis* contra excommunicationem Henrici Regis Navarræ à Sixto V. factam: *Innocentius Gentiletus*, qui *Examen Concilii Tridentini* conſcripſit. *Franciſcus Balduinus*, antequam apoſtataret: is enim putatur autor libri, cui tit. *Chriſtianorum quorundam JCC. reſponſio ad librum Duareni de Ec-*

 cleſiaſtic.

cleſiaſtic. Miniſteriis; *Chriſtophorus Juſtellus* antehac nobis laudatus. *Carolus Molineus:* quamvis, quod ad externam religionis profeſſionem nonnihil dubius fuiſſe videatur, aut ſaltem à Theologis noſtris, ex neſcio quâ contentione, alienor. Vide ejus *Conſultationem de Concilio Tridentino*; & Pontificiorum de eodem & Scriptis ejus judicium, in *Indice ex purgatorio Hiſpanico poſteriori pag.* 117.- 160. & apud *Poſſevinum tom.* 2. *Biblioth. ſel. lib.* 2. imprimis in *Appar. ſacro.* Quibus ſuccenturiamus eos, qui quamvis religionis noſtræ conſortes non ſint, ſatis animoſè tamen Antiquum Jus canonicum, & libertates Eccleſiæ Gallicanæ contra Curiam Romanam & nova Iura defendunt: & tales ICC. ac Politici in Galliâ vocantur *Catholici Status & Boni Galli*; ſed à zelotis Pontificiis *Athei.* Sunt autem *Lechaſſerus ſuprac.* cujus ſtudium in reducendo antiquo juſte Canonico vide apud *Juſtellum. Servinus* advocatus Regius *in Vindiciis*, *Laurent. Bochell.*, *Paſchaſius*, *Nicol. Faber*, *Pithœus*, *Papir. Maſſon. Petrus Matthæus &c.* Quibus præluxerant *Marſilius Patavinus* in *Defenſore pacis*; & celeberrimus *Budeus*, qui *in Libris de* Aſſe in Ius novum Pontificium, & totam ejus pragmaticam acriter invehitur: quò factum, ut verba illa tolli juſſerit *Index Expurgatorius Hiſpanicus*: ſunt autem inter alia »*Itaque ſacroſanctos Canones melioribus annis factos &c. jam in amuſſes plumbeas evaſiſſe quis non videt. &c.* Lib. 2. de tranſlatu Helleniſmi: *Canonum* (Antiquorum ſcil.) *canities*, *vel caries potius nulli jam uſui eſt* &c. Nec prætereundus inter ICC. *Goldaſtus*, quem imprimis luminibus Iuris Canonici editione *Conſtitutionum Imperialium* obſtruxiſſe, ſenſerunt Pontificii. Hinc occaſio illi data ſcribendi *Replicam pro Imperio contra Gretſerum*; ubi multa reperies juri Papali repugnantia. Sed non eſt quod plura de oppoſitione Juriſconſultorum adducamus; cum ii eſſe nequeant, qui dicuntur, niſi Jus canonicum tanquam αὐτόχθονα cum jure publico Imperatorum, Regum, Principum; ut & cum Iure Antiquo eccleſiaſtico ex profeſſo oppugnent. Inter *minus pugnantia* Iuris Canonici referimus, *Jus recens Orientale Græcorum*; *Sanctionem Pragmaticam*, & ſi quæ in Eccleſiis Occidentalibus pro Antiquâ Politiâ & libertate Eccleſiaſticâ contra fori Romani uſurpationem dicta, ſcripta, geſta ſunt: de quibus conſulendi *Hiſtorici. Curiæ & Sorbonæ Gallicanæ, & Theologorum ac JCC. Venetorum Scripta contra Curiales Romanos* in omnium manibus ſunt: unde conſtat, quam parum illi ſe ſubmittant Juri Canonico & Sanctionibus Decretalium. Inter & ſupra alios omnes (ne domeſtica exempla præteream) nominanda hic mihi Eccleſia, & Clerus Ultrajectinus; qui quamvis miſerè erroribus iſtius temporis implicati, non deſiterunt tamen Antiquam libertatem, ſecundum Antiquiores Canones, contra novum Jus & Corpus canonicum, aliquâ ratione tueri. Infra *Part. 2. tit. de Jure Patronatus* refero, quomodo illi Pontificum Poteſtatem circa confirmationem Epiſcopi ſui Rod. de Diepholt poſt habuerint.

rint. De reſiſtentiâ biennali adverſus canonica in Concilio Tridentino determinata, vide ſis *Hiſtoriam Petri Borre.* Nunc addo in *Corpore canonico* hujus *Eccleſiæ*, cui titulus: *Statuta & Privilegia Eccleſiæ Trajectenſis* (M. S. exemplar ad menſes aliquot commodato habui à Giſberto Lap à Waverên IC. & magno Antiquario Ultrajectino, cætera religioni Pontificiæ addictiſſimo; à quo tandem meo indicio & ſuaſu exemplar illud ære ſuo redemtum in Archivis & Cimeliis Bibliothecæ ſuę ſervat ampliſſ. hujus urbis Senatus) non pauca poſſe obſervari; quę Iuri Canonico ἀλίνδην adverſentur. Qualia ſunt *Cap.* 1. Quod de hæreſi Clericorum & omnium miniſtrantium huic Eccleſiæ, non cognoſcet nec definiet nec exequetur Epiſcopus, vel Vicarius ſuus, niſi in Capitulo, præſente Decano & Capitulo. Et fol. 36. b. *Capitulum noſtrum habet de conſuetudine, quod ſi Epiſcopus, vel quivis alius eccleſiaſticus Prælatus, vel Dominus temporalis nobis injurietur, quod contra eos procedere poſſunt ſine auctoritate alicujus ad ceſſationem divinorum, hoc modo, ut campanæ non pulſentur, niſi unæ ad horas & ſolemnitas decantationis divinorum omittatur &c.* Plura ejuſmodi exhiberi poſſent, ſi otium eſſet accuratius perlegendi & deſcribendi. *Defenſio cauſæ Ludovici Bavari* Imperatoris à præſenti Duce Bavarię peculiari libro evulgata per *Haiwartum* conſiliarium Bavaricum ſine læſione abſolutę Monarchię Papalis, & ſic ipſius Iuris Pontificii abſolvi non potuit. Et anno 1639. Rex Galliarum *Ludovicus XIII. publico Decreto* contudit Ius canonicum & Theologiam Papalem, cum publico edicto ſtatueret, ſponſalia nulla rata eſſe ſine conſenſu Parentum.

§. 9. Sequitur nunc ſpecialis ſtatus Iuris canonici poſt Concilium Tridentinum. Acceſſerunt ergo Iuri canonico, ab illo tempore I. *Determinationes Concilii Tridentini in Canonibus de reformatione.* Cujus *Decreta cum Remiſſionibus Barboſæ, ac Citationibus Sotealli & Horatii Lucii*, atque unà cum *Hiſtoriâ Concil. Trid.* conferenda. II. *Emendatio Corporis Canonici* affectata à *Pio IV.* & *Pio V.* ſed perfecta à *Gregor. XIII.*: cujus juſſu Correctores mendas Librariorum ſuſtulere, & modeſtè notârunt, ſi quâ in re Gratianus ut homo minus vidiſſet; ipſa capita ſuis Autoribus reſtituêre; inſuper Notas adjecere: idque in hunc finem, *ne hujus utiliſſimi & graviſſimi Codicis vacillaret autoritas*, ut ipſi loquuntur. III. *Gloſſæ* etiam duplicem ſubiere emendationem; ſed quarum altera alteri in multis repugnat: quod enim prior *Pii V. Cenſurâ* notat & delet, altera Gregorii XIII. commodâ ſæpè explicatione, aut excogitato commento emollire conatur: uti conſtabit ex utriuſque collatione. Recuſæ ſunt dictæ *Cenſuræ gloſſarum* una cum *Indice expurgatorio Belgico & Hiſpanico*, Argentorati apud Zetſnerum anno 1609. IV. *Collectiones Bullarum* quæ jam inde ab abſoluto Corpore canonico, uſque in hoc tempus prodierant: quarum collectionum volumina & Autores ſupra nominavi. V. *Varii indices librorum prohibitorum;*

Digitized by Google

torum; quorum postremus & plenissimus est jussu Urbani VIII. nupertimè auctus: In quo nominatim prohibentur Opera Canonistar. Politicor. & Jurisconsult. Papalis religionis; ut *Duareni Libellus pro libertate Ecclesiæ Gallicæ adversus Romanam aulam defensio*; *Querimonia Frederici Imperatoris per Petrum de Vineis*: *Bodini liber de Republicâ*: *Joh. Pauli Donati de Reservatione casuum*: *Laur. Vallæ de Falsâ donatione Constantini*: *Cardinalis Zabarellæ de Schismate*: *Gaufridi de Monte electo, Tract. super Concilio Basileensi*: *Franc. Balduini Constantinus Magnus, seu de Legibus Ecclesiasticis Constantini*: *Udalrici Zasii Apologia contra Eckium.* VI. *Varii indices expurgatorii*, *Belgicus*, *Romanus*, *Neapolitanus*, *Lusitanicus*, *Hispanicus* duplex: quorum posterior editus à *Cardinale Sandoval* Archiepiscop. Toletano & à supremo Concilio Inquisitionis anno 1612. uberrimus est: in quo etiam præstantissimi aliquot *Canonistæ*, *Antiquarii*, *Politici & Jurisconsulti* Papalis religionis expurgantur: ut *Anton. de Rosellis*, *Duarenus*, *Joh. Corasius*, *Cujacius*, *Papyrius Massonus*, *Budæus*, *Æroäius*, *Petrus Matheus*, *Thuanus*. Confer *Indicem Librorum prohibitorum* ibidem præfixum, ubi varia Scripta canonica & Juridica adhuc expurganda notantur; ut *Duareni de Ecclesiastic. Ministeriis &c. Joh. Petri de Ferrariis Practica*; *Corasii Liber de Universâ Sacerdotum Materiâ*; *Zasii Opera Juridica.* VII. *Varia Statuta & Capitulâ Diœceseon*, conformata ad novum Jus canonicum Concilii Tridentini: quorum aliqua supra indicavimus. VIII. Denique *Decisiones Sacræ congregationis Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini*: in quas ultima nunc analysis omnium controversiarum tam Theologicarum quam canonicarum; quandoquidem Romæ oracula cessant: raro enim aut fere nunquam nunc Pontifices definiunt; uti etiam observavit Jesuita *Valentia Tractatu de Analysi fidei.* Magnas autem habent rationes; quod tam facile, ac olim solent, Decretales, Bullas, Brevia, aut interdictorum ac anathematismorum Fulmina non emittant, siquidem vana est sine viribus ira. Et didicerunt jam Papistæ in Galliâ, Hispaniâ, Italiâ, Germaniâ ea susque deque habere, aut de iis sibi dispensare. Tantum debent Reformationi. Est autem illa *Definitio Cardinalium* quasi suprema & infallibilis: & qui eam non sequuntur, sunt quasi hæretici, ut alibi ostendimus. *Decisiones ejusmodi* habes, in recentioribus Editionibus *Decretorum Concil. Tridentini*, anno 1633. & deinceps; ut & in celebris Canonistę Lusitani *Augustini Barbosa Collectaneis Bullarii*, *& Decisionum &c.* a 1637. Quem librum anno uno aut altero post Romæ unà cum aliis edito indiculo prohibitum vidi. Atque hic Status, & hi fontes novi Juris canonici. Ubi non est omittendum: Nova illa jura Tridentina, non esse ubique in Ecclesiis & Politiis Papisticis tam promptè recepta (quod discces ex *Decisionibus SS. congr. Cardinal.* vel ex *Historiâ novellâ*, ubi de oppositionibus in Galliâ, in Belgio hic Ultrajecti) immo ne hodie quidem à Papistis in Germaniâ recipi. Quo factum,

ut

Digitized

ut Iesuita Becanus consultum putaverit contra Zwarez alioſque Theologos & Canoniſtas determinare : *Leges Pontificias non obligare niſi acceptentur à ſubditis.* Hinc ſequitur, *multos ſubditos in Germaniâ legitimè excuſari quando non ſervant Leges Concilii Tridentini*, aut *Bullæ cœnæ Domini, quia ſcil. illæ Leges in multis locis uſu receptæ non ſunt.* Addit *ibidem* quæſtionem : An Epiſcopi & Principes excuſentur, qui non curant ut Leges illæ promulgentur & retineantur. Et Reſpondet : *Si Pontifex expreſſè mandat* (quaſi ſcil. Bulla Pontificis Concil. Tridentino ſubjecta expreſſe non mandaverit) *ut promulgent & recipiant, tunc tenentur obedire, niſi adſerant legitimam cauſam cur non obediant.* Tandem hoc conſectarium educit : *Hinc patet Epiſcopos & Principes, qui hoc tempore vivunt, & quorum anteceſſores non receperunt Concilium Tridentinum aut Bullam Cœnæ Domini, liberos eſſe in conſcientiâ, & multò magis eorum ſubditos.* Sic ille Part. 2. Theolog. Scholaſt. tom. 1. tract. 3. c. 6. qu. 8. Unde diſcas Theologiam Papalem eſſe merum cothurnum, & naſum cereum ; Pontificem inſuper revera eſſe Regem ſtultorum, ipſiuſque Poteſtatem in opinione conſiſtere ; denique Papiſtas tam Clericos quam ſæculares eſſe Papas Paparum, quippe qui de Papis judicent, & de Decretis ipſorum diſpenſent, & contra ea multis modis excipiant, ubi uſu venerit. Cujus inſigne exemplum non poſſum quin hic indicem, ex *M. S. Interdictione* (quam nunc penes me habeo) *Gerardi à Groisbeeck* Epiſcopi Leodienſis, quâ anno 1566. in Franciſcum Sonnium primum Epiſcopum Sylvæ-ducenſem conteſtatur, literis oppoſitionis ad valvas Eccleſiarum Epiſcopatus ſui (nominatim in agro Sylvæ-ducenſi) affixit ; Quibus eidem Sonnio animę diſpendium, temerarios conatus, & Eccleſiæ atque eccleſiaſtici ordinis turbationes & inquietationes notorias objicit, atque una Clero ac Populo Conciliorum Beeckenſis, Cuyckenſis, Woencelenſis, &c. ſub pœna excommunicationis mandat, ne dictum Sonnium tanquam Epiſcopum ullâ ex parte agnoſcant &c. : non obſtante, quod nova Epiſcopatus Sylvæ-ducenſis erectio Literis apoſtolicis Pauli IV. inſtituta, & Epiſcopatus ille Sonnio demandatus eſſet : ut *ibidem* fatetur.

Caput XIV.

Criſis Corporis Canonici, ſeu Juris Pontificii ; deque Studio ejuſdem.

§. 1. Succedit nunc tractatio Critica gemina : quarum prior notabit mala ſeu Defectus Juris canonici ; poſterior non nulla bona, ſeu aliquem ejus uſum. Prior criſis reſpicit vel formam, vel materiam. 1. Quod *ad formam internam*, quæ prętenditur eſſe Jus ſeu Lex canonica aut eccleſiaſtica obligans in conſcientiâ omnes fideles, Eccleſias, Concilia & Collegia eccleſiaſtica immo & Politica ; illa toto genere mala

Digitized by Google

ſcu potius omni Iure nulla eſt: idque ob duas rationes. *Primò*; quia non poſſunt nec debent extra aut præter Scripturam ſeu Ius divinum novæ Leges ferri. Aut enim verſantur circa Theologica; aut circa Politiæ Eccleſiaſticæ generalia & immutabilia; aut circa particularia periſtatica & mutabilia. Si circa *illa* & *iſta*; habentur ea in Iure divino, nec ullæ novę Leges conſcientiis hic ferri poſſunt aut debent. Sin circa *hæc*; jam nullo modo ferri debent aut poſſunt Leges univerſaliter obligantes; ſed Conſtitutio talis Iuris, aut talium Legum libertati Eccleſiæ cujuſque, aut Eccleſiarum quarumcumque (quæ ſcil. in unam correſpondentiam, ſocietatem, aut confœderationem veniunt) permittenda eſt. Cujus rationis noſtræ fulcimenta, & hypotheſes, ex *Locis Commun. de Perfectione Scripturæ: de Autoritate ac Poteſtate Eccleſiæ, de Politiâ Eccleſiaſticâ, de Legibus divinis & humanis, de Conſcientiâ*, &c. petenda. *Secundò*, quodcunque Ius canonicum ſeu quodcunque Leges eccleſiaſticę poſſint ferri; ſaltem id Papę Romano nullo modo competit: quia nec Iure & conſenſu antiquo, aut œcumenico humano ſive politico ſive eccleſiaſtico, nec particulari Occidentali, immo, ne quidem hodierno & noviſſimo Papiſtico hoc illi convenit: nondum enim in Papatu deciſum eſt tanquam de fide, An Papa ſubſit Concilio nec ne; item an ſuprema Poteſtas eccleſiaſtica reſideat in Papâ an verò in Concilio; An competat illi Poteſtas temporalis nec ne. De quibus omnibus fuſè diſputatur in *Locis Communibus, de Papâ & de Conciliis*. Porro formam Juris canonici & autoritatem omnem accerſi à prætensâ monarchiâ Papæ docet ipſe cum *Theologis & Canoniſtis* ſuis, in *Decretalibus tit. de Conſtitutionibus*.

11. Quod ad formam externam Juris canonici, Collectionem ſcil. ejus, ex partibus majoribus, minoribus &c. dicimus illam eſſe abſurdam, indoctam & illegitimam. Coacervantur enim dicta & conſilia omnis generis Scriptorum, quæ non poſſunt facere Leges eccleſiaſticas: Doctores enim non ſunt Legiſlatores. Nec etiam omnes illi Doctores ſunt probati; aut ſaltem omnia eorum ſcripta: de quo mox dicendum. *Deinde*, adduntur Decreta Conciliorum particularium & localium: quæ ne quidem Iure humano poſſunt facere Ius canonicum ſeu Leges eccleſiaſticas univerſales. *Denique*, tanquam anima & forma autoritativa pręcedentium infarciuntur Conſilia aut Deciſiones Pontificum: qui tamen magnam partem illegitimi, & ipſo Iure nulli fuerunt, ne quidem Epiſcopi Romani intra muros: dum erroribus, ſimoniâ, factionibus, aliiſque irregularitatibus & ſe & ſedem ſuam polluerunt; de quo vide *Vitas Pontificum* & *Pleßeum in Myſterio Iniquitatis*. Nominatim conſiderandi Gregorius IX. Bonifacius VIII. Clemens V. & Johannes XXII. qui Collectiones Decretalium in publicam Legem canonicam authentizârunt. Et ut ut quidam Epiſcopi Romani ac eorum Conſtitutiones cætera optimè ſe habuiſſent; eo ipſo tamen nullæ ſunt, quod deſtituti fuerint Poteſtate Juriſdictionis

Digitized by Google

nis in omnes, aut saltem in Ecclesias Occidentales Galliæ, Britanniæ, Germaniæ &c. (quibus Leges ferunt) sive eam indirectè aut directè usurpârint, sive non. Nunquam enim aut Iure divino, aut antiquo ecclesiastico vel umbra talis Potestatis collata probabitur. Sed contrarium potius liquet ex *Antiquo Jure canonico, Can.* 6. scil. *Concil. Niceni*, & *penult. Concil. Chalcedon.*: & sic ex *Rescriptis & Constitutionibus Imperatorum*, ut *Novell.* 131. & Successorum ejus in Occidente; quæ vide in *Collectione Goldasti*: immo & in ipsis *Annalibus Baronii.* 111. Quod ad materiam: censuræ infinitæ hic essent accumulandæ, siquidem Augiæ illud stabulum repurgandum susciperem. Sed non fert ratio instituti hujus: peculiaris enim Libellus, seu Index esset faciendus. Sufficiet ergo methodum illum indicem conscribendi, & specimen aliquod Studiosis nostris ostendisse. *Methodus* potest esse gemina. 1. vel *Analytica*, ut secundum distinctiones, causas, titulos totius Corporis ordine, omnia falsa, aut absurda, aut incerta & minus solida enotentur ex scriptis integris, sententiis & verbis; vel potius (quod minus operosum & suadeo) numeris tantum in chartâ purâ Corpori canonico præmissâ aut in chartâ aliquâ peculiari consignatis. 2. Vel *Synthetică*; ut secundum *Locos Communes Theologiæ*, imprimis partis illius, quæ Politia ecclesiastica dicitur, nudis numeris annotemus omnia illa, quæ à dogmatum & rationum veritate aut ἀκριβείᾳ discedunt. Præterea, ut in margine *Institutionum Lanceloti*, aut chartâ præmissâ aut insertâ, censurâ notentur omnia capita, theses, hypotheses scripturis, aut etiam antiquis Canonibus repugnantia: indicatis solummodo *Sectionibus & Capitibus Locorum Communium Nostrorum*, ut & præstantissimis *Scriptoribus*, ubi illa ex professo examinantur. Ad utriusque Indicis seu Censuræ conscriptionem non parum conferet, si in Corpore nostro Canonico omnia illa subvirgulentur, aut signo marginali designentur: ut tanto facilius ea quæri & conferri possint. Specimen hujus Indicis censorii, à quolibet facile complendi hoc damus. 1. *Materia* Canonum & Decretorum, nimis magna, operosa & varia est; & confusionem, dubitationem non raro majorem adferens Lectori, quam lucem. Si enim Gratianus olim Decretum suum inscripsit Concordiam discordantium Canonum: quid nunc dicemus de farragine Concordis discordiæ in toto Corpore? Quod si Sapientes, Politici, & Iureconsulti gravissimi de nimiâ Legum Romanarum multitudine conquesti sunt; quid non conqueramur de Iure & Corpore canonico in Ecclesiis, ubi pragmatica omnia simplicissimè & expeditissimè peragenda: ne hominum animi & meliores horæ praxi & ἀσκήσει pietatis, ad quam omnia collimant, subducantur. 2. Quod ad erronea & absurda; illa occurrunt duplicia, aut in ipsis thesibus, aut in thesium probationibus, hypothesibus, consectariis, explicationibus. *Prioris generis* considerantur ut repugnant vel Scripturæ & Theologiæ; vel antiquo

Iuri-

Juri canonico in Codice Canonum Ecclesiæ universæ, vel Juri civili, vel hodierno peculiari Ecclesiæ Orientalis aut Occidentalis aut Gallicanæ &c. *Theologiæ* repugnant partim errores graviſſimi, partim hæreſes & blaſphemiæ, de Poteſtate Papę, de Miſſâ & Tranſubſtantiatione & de reliquis Sacramentis, de Suffragiis pro mortuis &c. Et hęc quidem in Dogmaticis: In Moralibus ſunt; de Diſpenſatione in juramento, de Cœlibatu Clericorum, de Monachatu, de Concubinatu, de Homicidio, &c. In Politiâ eccleſiaſticâ, de Hierarchiâ Papali, de Templis, Feſtis, Decimis &c. Quæ aliaque ſecundum ordinem *Locorum Comm. Theologicor.* ex Indice Locor. Comm. qui Corpori Canonico ſubjectus, annotanda ſunt. Inter quæ emicant cimelia iſta c. In canonicis *Diſt.* 19. *c.* Is qui *diſt.* 34. *c.* Si Papa *Diſt.* 40. *c.* dilectiſſimis. 12. *qu.* 1. *c.* Excommunicatorum 23. *qu.* 5. *c.* Quoties *&c.* Rogamus 24. *qu.* 1. *c.* Ego Berengarius *diſt.* 2. *de Conſecr. c.* De his. *diſt.* 5. *de Conſecr. c.* propoſuit, *De conceſſ. præb. c.* dilectus. *De præbend. c.* ſignificaſti, *De Electione c.* Unam ſanctam, *De Major. & obed. Extrav. comm.* *Antiquo juri canonico* repugnant infinita, tam ad Dogmata fidei, quam ad Moralia & Politiam eccleſiaſticam pertinentia. Speciminis causâ conferantur modo capita à nobis notata, cum Codice Canonum Eccleſiæ Univerſæ; & Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ. *Politica & Juri civili* repugnantia concernunt vel Jus publicum, vel jus privatum. Quæ Jus privatum concernunt ICCtis. ſeligenda & ventilanda relinquimus: ne falcem in alienam meſſem mittamus. Et nuper id præſtitit D. *Meeſtertius* Iuris Anteceſſor in Academ. Lugduno Batavâ: ubi ventilat *c.* 1. *&* 3. *Extrav. de Partis arg. & c. juramenti* 22. *qu.* 5: *aliæque de Tranſactione*, *de Confirmatione actus Jure non validi per juramentum*, *de Præſcriptione*, *de Teſtamento ſolemni*, *de Legato rei alienæ*, *de Uſuris*, *de Conſenſu Parentum ad nuptias*, *de Divortio*, *de Qualitate Reſcriptorum*, *de Compromiſſo*, *de Appellationibus &c.* Quæ ad Jus publicum ſpectant Theologiæ, Politicæ, & Juriſprudentiæ vindiciis communiter ſubjecta ſunt. Qualia, de Poteſtate Papę ſive indirecta, ſive directa in temporalibus: de Exemptione Clericorum à Juriſdictione Magiſtratus: de Decimis; & quod Jus canonicum vindicat Papæ judicium de Rebus Matrimonialibus, de Natalibus *c.* tuam, *de Ordin. cognit.* Quod ſolus, poteſt ſupra jus diſpenſare *c.* propoſuit, *de Conceſſ. præbend.* Quod de hæreditate judicare poteſt ratione fidei *c.* Iudęi, *de Jud.* Quod poteſt legitimare illegitimos *c.* per venerabilem, *qui Filii ſint legitimi.* Quod contra Papæ voluntatem nemo Jus habet in collatione beneficiorum *c.* dilectus, *de Præbend.* Quod ſolus cauſas committat appellatione remotâ *c.* ſuper quæſtion. *de Offic. Deleg.* Quod ſolus major ſit omni Concilio, omnive Statuto *c.* ſignificaſti, *de Elect.* Quod ſolus ſententiam diffinitivam mutare poteſt *c.* cum olim, *de Sent.* Quod Poteſtatem habeat à Deo, Imperator à Papa *c.* novis, *de Jud.* Quod Principem ſæcularem

cularem deponere potest *c.* ad abolendum, *de haretic.* Breviter de quibusvis rebus temporalibus potest Leges ferre, peremptoriâ & supremâ Potestate judicare, quatenus scil. intelliguntur respicere bonum & causam pietatis: tum enim omnia fiunt canonica; ita ut juxta ipsos Theologos totius mundi Dominus temporalis sit indirectè, juxta plerosque Canonistas directè. De quo mysterio vide *Zwarezium lib.* 3. *de Legibus c.* 6. Et hæc quidem in principali materia seu Thesibus & Sententiis censurâ notanda. In materia secundaria, hoc est, methodo probandi & explicandi ejusmodi sententias, infinita perstringenda essent. Nos summa capita & titulos tantum indicabimus. 1. in Argumentationibus, & Deductionibus Conclusionum ex suis principiis multa pseudographemata: & si ad formam redigerentur, nonnulli paralogismi obtruduntur. 2. In Allegationibus autoritatum nullus delectus adhibetur; miscentur n. Jura civilia & canonica; dicta Patrum & Doctorum, Conciliorum generalium & particularium; Pontificum quorumvis probatorum & non probatorum. 3. Scriptura sæpissimè perverse, profanè, ridiculè, sine mente sine sensu ad suffragia vocatur. 4. Patres ita allegantur; ut sępissimè notha & supposititia pro genuinis; phantasmata collectorum & absurdæ ac perversæ opiniones pro verbis & sensu Autorum: ipsorum summarii conceptus ac dictatus ferruminati quasi ex variis dictis hinc inde sparsis, pro ipsis sententiis Patrum obtrudantur: ita ut cum Patrum nomina à Canonibus seu Capitulis præscribantur, nihil sæpe minus quam Patres invenias; quo artificio etiàm usi sunt *Burchardus & Ivo.* 5. Ne quid dicam de Paleis, summariis, rubricis: quibus tamdiu Scholæ, Ecclesiæ, curię promiscue Regi debuerunt. 6. Contradictiones & vertigines per totum Corpus ita sparsæ sunt, ut merito concordia discors vocari possit. Neque enim S. Scripturæ tantum, rationi, & Antiquo Juri ecclesiastico; sed & sibi ipsi & hodiernæ Theologiæ, pragmaticæ, ac curiæ Romanæ sæpissimè repugnat: ut mox indicabimus. Canones enim Canonibus, Decreta Decretis, Decreta Decretalibus, Decretales posteriores prioribus, Jura nova antiquis, Rubricæ contextui repugnant? Hinc enim vulgatum illud: *quando rubrum repugnat nigro; standum est nigro potius quam rubro.* Quæ omnia tam notoria sunt, ut vel ipsi Pontifices cum Theologis & Canonistis magnâ ex parte fateri debuerint. Vide *Bullam Gregor. XIII. & Præfationem Correctorum novæ editioni Corporis Canonici* pręmissam; adhęc *Pighium*; *Delrio*, *Melchiorem Canum* supra cit. Adde imprimis *Bellarminum de Scriptor. Ecclesiastic. in Gratiano.* Et *Posevinum in Appar. sacro* in voce *Gratianus.* Et *Joh. Roas.* Episc. Sergentensem, qui in *tract. de Hæretic. part.* 1. *p.* 8. ait Gratianum in pluribus contra Sacram Scripturam errasse; & *Felinum in cap. ex parte* 1. *n.* 43. *de Rescript.* ubi quadraginta ac plures errores Gratiani congessit; ut refert *Roas loc. cit.* Alios Canonistas, & Juristas vide apud *Albericum Gentilem Disp. cit.*

Digitized by Google

Alciatum ſupra indicavimus. *Aventinus Lib.* 6. Gratiani collectionem improbat. *Agrippa cap.* 92. *de Vanitate Scientiarum*, egregie in rhapſodiam hanc canonicam cenſuras ſuas ſtringit: qui dignus eſt qui totus legatur. Inter alia: *tam ingenioſæ avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas ſpecie pietatis adumbrat &c. taceo quod nonnulla verbo Dei contraria & repugnantia* &c. *Cætera omnia non niſi jurgia, lites, faſtus, pompæ &c. Pontificumque Romanorum placita &c.* Ex Noſtris vide *Theologos elencticos* paſſim: inter quos *Marnixium in Alveario*, *Pleßeus in Myſterio Iniquit. Rivetus in Defenſione Myſter. Pleß. part.* 2. *p.* 9. & 83. 84. *Daneus Prolegom. in Lombardum c.* 3. *Raynoldus Cenſur. Libr. apocryph. tom.* 1. *prælect.* 6. & luſe *Hyperius de Studio Theologic. lib.* 4. *c.* 5. & 6. Ex Politicis & JC. noſtris *Sleidanus de* 4. *Monarch. lib.* 3. *Goldaſtus Replic. pro Imperio cap.* 13. *Principes Proteſtantes in Gravam. contra Concil. Tridentin.* Quibus adde *JCC.* & *Theologos* non quidem reformatos; ſed tamen vindices libertatis Eccleſiæ Gallicanæ: quorum aliquos ſupra nominavimus: addimus nunc ex *Indicio Goldaſti, Tilletti Commentar. de Libertatibus Eccleſ. Gallic.*

§. 2. Altera pars criticæ ſequitur; quæ deſignat bona & utilia. Sunt autem ea præcipuè, aut fere ſolum de Decreto Gratiani intelligenda. I. Ad Antiquitates eccleſiaſticas; quarum quamplurima veſtigia illic deprehendas. Quem uſum notârunt ex Noſtris *Hyperius lib. cit. c.* 5. Et *Pleſſeus Myſter Iniquit. ad an.* 1151. II. Ad Theologiam Moralem, varioſque in eâ caſus. III. Ad Politiam Eccleſiaſticam, ejuſque conſilia ac caſus. IV. Ad Ius civile. V. Ad Theologiam Elencticam, nominatim Anti-Papiſticam. In plurimis enim hodiernus Papatus ex Iure canonico coargui poteſt: ſive veris argumentis, ſive ad hominem: utſaltem inveniantur ἀντιγραφήματα, & ad vertigines ac contradictiones adigantur. Habebunt autem Studioſi indicium eorum apud *Theologos Polemicos*; nominatim, qui Patres & Antiquitates conferunt: aut qui Papiſtas ex Papiſtis refutant: quos alibi nominavi: iis nunc addo *Caſparis Laurentii Conſenſum catholicum* editum cum *Harmoniâ Confeſſionum.* Sed ſupra omnes alios hoc ex profeſſo egit *Illyricus in Catal. Teſt.* & *Joh. Hallerus* Tigurinus peculiari *Libello* in 8. quem ante paucos annos *Alſtedius Encyclopædia* (poſtr. edit. in fol.) *Lib.* 25. *ſect.* 4. *c.* 4. inſeruit. Ex horum aliquo ſtudioſi ad Corpus ſuum Canonicum certo ſigno, aut lemmate marginali loca omnia notent. Prodiit etiam *Anonymi Gratianus Anti-Jeſuita*; quem librum in *Indice poſteriori Hiſpanico*, & *nupero Urbani* VIII. prohibitum video: ſed legere nondum contigit. Ut autem diſcordiam Papatus tanto melius perſpiciant: enotent etiam ex *Antonini Summâ part.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8. omnia illa loca in quibus Gratianus non ſolet teneri. Atque hæc quidem utilitas Corporis Canonici ex rei veritate. Longè aliter præconia ejus canunt *Canoniſtæ*: & Theologi cum ſcribunt *de Legibus*; & cum iis *Chaſſaneus loco cit.* & *Antonius Paganus Libello*

gitized by Google

bello peculiari, unde floſculos quoſdam decerpſit *Garſoni in Piazza Univerſale Diſcurſ.* 18.

Dicamus nunc paucula de Studio & cura Juris Canonici. Eſt autem pro- §. 3.
ſcopo cujuſque ea duplex vel Juriſconſ. vel Theologorum. Illam Magiſtris iſtiùs artis committimus; nos inſtruimus Theologiæ Studioſos. Præſupponimus autem pertinere ad eos aliquod Juris hujus ſtudium, immo admodum ipſis utile eſſe: (vide *Hyperium loc. cit.*) propter rationes ex *praced. Theſi* petendas. Quibus adde has tres: quarum 1. ut ex oppoſito, tanto melius veram & ſimplicem Politiam eccleſiaſticam ex Scripturis & Apoſtolico ævo à Reformatis revocatam intelligant. 2. Ut Myſteria papatus & luridam Eccleſiarum ſub papatu faciem tanto melius perſpiciant, detegant, & refutent. 3. Ut Theologos Polemicos, tum Noſtros tum Pontificios, adhæc Caluiſtas & Canoniſtas, ipſorumque allegata legere & intelligere queant. Porro quadruplicem Theologis noſtris præfigerem (ſiquidem rationes eorum ita ferrent) impreſſionem. *Prima* ſit in curriculo Academico poſt perceptos Locos communes Theologiæ; imprimis etiam partis ejus, quam Politicam eccleſiaſticam vocamus. Hanc velim conſtare lectione *Inſtitutionum Lanceloti cum Notis ſeu Gloſſis eius & Hier. Elani apud Plantinum.* Admodum commendat *Poßevinus Commentarium Lanceloti* additum editioni Romanæ, quo rationem reddit, cur Inſtitutiones conſcripſerit. Habeo Antiquam *Epitomen Juris Canonici Car. Ranchicourt*, *per Tabellas digeſtam*, quam incipientibus ad cognitionem terminorum puto utiliſſimam. Sed dubito an exemplaria ejus haberi poſſint. *Henr. Caniſius* itidem edidit *Inſtitutiones cum Notis* anno 1599. Sed ut minimâ Studiorum jacturâ hoc agant Studioſi; perlegant ſemel atque iterum *Inſtitutiones Lanceloti*; conſulto *Lexico Juridico*; ſicubi hæreant aut res ita poſtulet. Hoc autem moneo, *Antiquum Dictionarium* (quod dicitur *utriuſque Juris*) *Alberici*; & recens *Calvini* ex omnibus aliis conflatum in non paucis deficere: quod expertus loquor. Hactenus autem omni inquiſitione adhibitâ, nondum reſciſcere potui, an ſit peculiare & plenius Dictionarium canonicum. Submittenda lectio *Analytica explicationis Juris canonici novi*, autore *Franc. Zypæo. Secunda* impreſſio conſtabit relectione indicati modo *Zypæi*, cum obſervatione & annotatione omnium eorum, quæ à Scripturâ & verâ Theologiâ recedunt. Una cum *Defenſionibus & Exceptionibus Creſpetii*, apud *Schultingium lib. 6.* Video citari Jeſuitę *Roeſtii Defenſionem juris canonici*: ſed quamvis jam annis aliquot alloborârim, hactenus exemplar ejus non potui nanciſci. Ad quod forte conduceret collatio, ſeu collegium examinantium, conferentium, & diſputantium de notis illis cenſoriis, & de defenſionibus Roeſtii. *Tertia Impreſſio*, in curriculo Academico (ſi cujus rationes ita ferant; ſin minus aliâ occaſione) peragatur curſoriâ lectione præcipuarum quarundam partium Decreti Gratiani,

Digitized by Google

quæ Theologiam & Generalia Polit. Ecclesiasticæ, etiam Antiquitates maximè attingant: Decretalium enim lectione bonas horas non esse perdendas, rectè judicat *Hyperius cap.* 6. Suffecerit, ubi opus fuerit allegata ex iis inspicere & conferre. Sed hic velim notari, ubi *Jus canonicum ab Antiquo Jure in Codice Canonum Eccles. universæ, ut & Africana* contento recedat. Insuper controversa Juris Canonici in ipsis scil. Scholis & Curiis papalibus (siquidem ea quæ inter Nos & papatum controversa, secunda impressio sibi vindicat) una cum discordantiâ Jurium novorum & antiquorum, delibari. Ad quod conduceret *Compendium* aut *Systema* ejusmodi *controversorum*, aut novus *Conciliator* à Canonistâ editus. Interim dum illud exspectatur, aut saltem nullum tale scriptum hactenus mihi innotescere potuit: uti possunt φιλοπαπισταὶ ex Casuistis, *Azorio* aut *Toleto*, & *Beja*; quibus addo *Bullarium cum Scholiis Cherubini. Quarantæ Constitutiones*, & *Concil. Tridentinum* ex postrem. edit. Antwerp. (quæ aucta est *Decisionibus sacræ congreg. Cardinalium*), collatis & adhibitis *Glossis ad Textus in Corpore canonico* ἰσοπαπικὰς seu potius ἐναντίας; una cum *Censuris Glossarum*. Ex quibus chaos seu labyrinthus Concordiæ discordis in Papatu satis superque patescet. Commendarem & *Viviani Rationale Juris Canonici*; sed non invenio, tanti esse, ac quidem sperâram. *Gavanti Thesaurus sacr. Rituum* non pauca habet, quæ ad detectionem discordis Concordiæ faciant. *Ælfricus Hunnius* JC. celebris theologi Ægidii Hunnii filius, sed quiad Papatum defecerat, edidit *Collegium Disp. juris* canonici: sed illud imperfectum. *Quarta Impressio*; in controversis pergat; & vagetur per omne genus autorum modo, & supra *thesi* 6. & 7. notatorum. Adde iis *Zwarezium de Legibus, de Virtute & Statu religionis; Ejusdem Commentar. in* 3. *Partem Thomæ, de Sacramentis &c. Thomæ Zanchæ* operosum volumen *de Matrimonio*; & *duos Tomos in Decalogum*: quorum posterior tantum agit *de Religiosis*. Qui occasione ita postulante inspici & conferri possunt.

CAPUT XV.

Quæstiones aliquot de Jure canonico.

§. 1. COntroversiæ & Problemata de Jure Canonico sunt duum generum. Alia enim intercedunt Papatui & Canonistis, cum Protestantibus; alia vero inter ipsos Canonistas & Theologos Papales agitantur. Prioris generis sunt 1. An sit aut debeat esse præter Jus divinum, Jus aliquod commune positivum, quod ecclesiasticum, seu Canonicum dicitur. *Resp. Neg.* 1. propter defectum Imperii & Jurisdictionis communis seu universalis, in Ecclesias omnes totius orbis: nulla enim talis Potestas residet in ullâ personâ, aut ullâ communitate hominum, quæ Leges ferre queat omnibus

bus Ecclesiis. Jam vero Potestatem & pactum communitatis, & inde derivatam Potestatem legislatoriam, ad rationem Juris positivi constituendam requiri disputat *Zwarez Lib.* 3. *c.* 1. & 2. & *Autores ibid. citati.* Quod autem postea excipit *Lib.* 4. *cap.* 3. pro Lege Canonicâ, Potestatem hanc Episcopis per Papam, & Papæ divinitus tributam; id refutationem hic non meretur, sed alibi & suo loco excutitur. 2. *Quia* repugnat non tantum Monarchiæ & Potestati legislatoriæ Christi: sed & libertati Ecclesiarum. 3. *Quia* tribunalia & jurisdictio propriè dicta non competunt Episcopis & Rectoribus Ecclesiarum. Nec Jura, nec Imperia, nec Curiæ, nec carceres, nec apparatus & figura processus (qualis in Papatu comparet), nec externum forum contentiosum (ut Pontificii loqui solent) locum habet in Ecclesiis, quâ talibus. Vide 1 *Cor.* 6. 1. 2. 3. & 2 *Cor.* 1. *vers. ult.* & 10. *vers.* 3. 1 *Petr.* 5. 1. 2. 3. *Luc.* 22. 25. 26. Vide *infra part.* 3. *de Clavibus Ecclesiasticis.* Porro Jurisdictionem Episcopis ne quidem Jure aut concessione humanâ competere, sed tantum audientiam & cognitionem tanquam judicibus delegatis docet *Cujacius in Paratitl. Codicis ad tit. de Audient.* Quâ autem occasione & in quem finem Episcopis audientiam concesserint Imperatores, alibi dicendum est: saltem factum eorum omnibus temporibus, populis, Magistratibus, Ecclesiis perpetuam Legem non facit. 4. *Quia* Ecclesia universalis, hoc est Ecclesiæ totius orbis nunquam in Concilio aut extra, convenisse leguntur ad prętensum Jus commune constituendum aut acceptandum: quod omnes in conscientiâ & in perpetuum obligaret. 5. *Quia* qualecunque illud Ius esset in determinandis adiaphoris, peristaticis, particularibus, & mutabilibus, vergeret illud necessario in onera, incommoda, injuriam, servitutem, destructionem, & oppressionem multarum Ecclesiarum. Omnia enim omnibus non conveniunt; quod his salutaris medecina, aliis venenum esset. 11. *Probl.* An Leges Iuris canonici obligent in conscientiâ, & sub mortali ut loquuntur: atque adeo observandæ cum periculo vitę. *Resp. pr. Aff.* simpliciter, *Zwarez Lib.* 4. *c.* 18. & sic communiter tota Schola; & cum eâ *Becanus Theol. Scholast. p.* 2. *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. *qu.* 1. ubi conatur argumenta Nostrorum dissolvere. In secundo distinguit *cap.* 19. & ex illo *Becanus qu.* 3. In tertio distinguit *Becanus qu.* 4. Nos omnia illa *Neg.* Rationes ex modo dictis, & ex *Locis de Conscientiâ, de Legibus, de Perfectione Scripturæ*, petendæ. 111. *Probl.* An Ius Canonicum sit scientia? *Resp. Aff.* & multis probat *Chassaneus Part.* 10. *consid.* 18. *Nos Neg.* ex definitione scientiæ, sive latè sive strictè dictę. Quin & negamus esse artem, propriè dictam, sive principalem sive organicam, sive liberalem sive illiberalem. Est enim ars (juxta *Philosophum*) habitus cum rectâ ratione effectivus: atqui Ius canonicum est irrationale & irregulare quod ad formam absolutè & simpliciter; quod ad materiam magnâ, si non maximâ ex parte. Propone semel Philosopho quęstionem:

Digitized by Google

nem: An Magia, Pyratica, Lenonia, Sophiſtica, Tyrannis, Hiſtrionia, Furtomendicatoria ſeu Erratica, Empyrico-circumforanea cum omni Iure non-jure ipſorum ſcripto & non ſcripto; ſit ars, an ſcientia, an prudentia, an ſapientia? Et reſponſum eorum analogicè ad Ius canonicum applica. VV. *Probl.* An ergo in Papatu veri ſint Doct. Iuris Canonici? *Reſp.* Si veritas hic notat conformitatem rei cum ſuâ definitione, atque adeo cum ideâ veritatis æternæ in Deo (quatenus illam verbo ſuo expreſſit & nobis revelavit) Abſolutè *Neg.* Quia Ius illud non eſt verum Ius eccleſiaſticum: & conſequenter nulla ejuſdem vera ars aut ſcientia; & nulla promotio nulla pragmatica, niſi Ἐμφανίζειν ἀνομίαν (2. *Theſſal.* 2. 3. 4. 7.) Sin vero notat, convenientiam cum falsâ illâ & corruptâ ac vulgo receptâ formâ Iuris: ex hypotheſi illâ & per conceſſionem, dicimus ibi eſſe artem, ſcientiam; & conſequenter artifices, anteceſſores, Doctores: ſed cum caudâ ſeu termino diminuente, Iuris ſcil. canonici Papalis, hoc eſt Iuris non juris, νόμου ἀνόμου; quia profeſſione ſuâ inſerviunt τῇ ἀνομίᾳ. (1. *Theſſal.* 2. 8.) Quomodo veri Doctores Iuris Thalmudici, Alcoranici; & veri ac graduati impoſtores, venefici, hæretici, ſophiſtæ, lenones &c. dici poſſint. Quod ſi excipias: Illi putant eſſe illud verum Ius eccleſiaſticum; & conſequenter veram & legitimam eſſe artem ſuam, ac profeſſionem, in quam jurarunt. *Reſp.* Opinio aut error hominum, non facit ex falſo verum, ex malo bonum. V. *Probl.* An juratus Canoniſta mordicus inhærens ſuo Iuri canonico, poſſit eſſe bonus civis in Republ. reformata aut Proteſtantica; & an poſſit juramentum fidelitatis legitimè præſtare: & ſiquidem per æquivocationem & mentalem reſervationem præſtiterit, an illi tanquam bono civi fidendum ſit? *Reſp. Neg.* Eruditiſſ. Theologus *Davenantius in Determinat. Quæſtionum* quarundam & iſtam habet: *Jeſuitici Pontificii non poſſunt eſſe boni ſubditi.* Nos illud juſtius de craſſis Canoniſtis *Affirmamus*; minus enim verecundè Poteſtatem Papæ in temporalibus amplificant, quam Ieſuitę. Applica huc, quæ commentamur in 2. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. An Sedes Romana ſit compatibilis cum Politiis reformatis.* Interim examinetur formula Iuramenti, quod Doctores Iuris in promotione ſuâ præſtare tenentur Duaci, Lovanii, & ubicunque receptum eſt Concil. Tridentinum. VI. *Probl.* An Ius Canonicum ſit ſupra Ius civile, eique præſtet. *Reſp. Aff.* communiter *Canoniſtæ*; quos ſequuntur, aut ſequi tenentur *Jureconſulti* ſub Papatu. Vide prolixam hujus demonſtrationem apud *Chaſſaneum Part.* 10. *conſid.* 17. *Nos Neg.* Quia quod ſimpliciter & abſolutè bonum non eſt, non poteſt bono aliquo præſtantius eſſe. Adhæc tantumdem eſt ac ſi quæras: An privatæ opiniones ſeu errores Doctorum, ſint ſupra Ius civile. Neque enim ullam Iuris rationem & formam habet Ius Canonico-Papale; ſed potius injuſtitiæ, uſurpationis, tyrannidis, Antichriſtianiſmi. VII. *Probl.* An corrigere debeat Ius civile; & de facto corrigat?

corrigat? *Resp. Neg.* & ratio patet ex supra dictis. VIII. *Probl.* An peculiaris professio & facultas Juris canonici sit instituenda? *Resp. Neg.* Quia, Juris ecclesiastici explicatio, (cum bene se habet) ad Theologiam pertinet. Est enim pars Theologiæ, ratio administrandi sacramenta, regendi Ecclesiam, censuras exercendi &c. IX. *Probl.* An examen, collatio, & refutatiσ Juris canonici, pertineat ad Jureconsultos, an verò ad Theologos? *Resp.* Ad utrosque; magis tamen ad Theologos. Ad illos propriè pertinet Jus publicum tueri, & sic Potestatem Papæ temporalem & supremam circa res, personas, ac causas ecclesiasticas expugnare: præterea jus privatum, *ἐν τοῖς βιωτικοῖς* contra Canonistarum vellicationes & censuras explicare ac vindicare. *Ad istos* verò pertinet Potestatem Papæ non tantum temporalem, sed & imprimis spiritualem ventilare; insuper pleraſque determinationes in Politia Ecclesiastica, morali, dogmatica: præsertim cum ad controversias Pontificias, aut Antiquitates ecclesiasticas excurrunt. Quæ omnia maximam partem, immo *τὸ ἔργον* Juris canonici facere, reliqua autem fere *παρεργα* esse, nemo negaverit. X. *Probl.* An Doctor utriusque Juris quamvis à reformatione alienus, possit esse novitius seu rigidus, aut curialis Papista; siquidem Corpus Juris civilis, & Decretum Gratiani sequatur? *Resp. Neg.* & ratio patet ex supra dictis & indicatis. XI. *Probl.* An Reformatus in Academiis Reformatis, propriè possit promoveri & dici Doctor juris Canonici? *Resp.* De facto quidem sic videtur dici, cum dicuntur Doctores utriusque Juris. Sed factum illud penitius explicandum est; deinde & Ius inquirendum. Quod ad factum, non dicuntur, nec ullo modo velint dici Doctores Iuris canonici, pari ratione ac Iuristæ in Papatu promoti, qui in Potestatem & defensionem Papæ jurârunt; ubi etiam in Scholis secundum peculiarem Facultatem discitur, docetur & defenditur Ius Canonicum; ubi denique in Curiis & Dicasteriis tam civilibus quam ecclesiasticis consilia, judicia & tota pragmatica secundum supremam ejus Potestatem instituitur. Sed tantum dicuntur æquivocè, analogicè, & secundum quid: quatenus in quibusdam conferunt Ius canonicum, atq; ex ejus collatione Ius civile illustrant, (quod ex Historicis, Philosophis, Theologis, Legibus antiquis aut novis variarum gentium pari ratione faciunt); & tandem, sicubi sanari aut ad æquitatem Iuris divini, naturalis, civilis inflecti nolit, ex professo refutant. Atque hæc quidem passiva, vulgo recepta, ac laxa sit appellatio; ut non semper æque ac Dialectici aut Scholastici in terminis *ἀναλογίαν* Iureconsulti. Sed quæritur de Iure seu *ἀναβάσει*. Nos moniti olim ex lectione *Tileni in Syntagmate tom. 2. Disput. cap.* 38. §. 41. putavimus ad omnem speciem mali evitandam, & vel obscurissima Papalis corruptioni ac tyrannidis vestigia procul evitanda præstare ut abstineretur ab hoc titulo, cum satis honorifica & tutiora suppetant nomina, *Antecessorum*, *Jureconsultorum*, *Antistitum*, *Doctorum LL. aut Juris*. Rationes

tiones ſunt 1. *Quia*, ſunt, ſaltem debent eſſe profeſſi adverſarii Iuris canonici, quod ad formam, & fundamentum ejus, hoc eſt quod ad eſſentiam ejus: ſi quidem forma dat eſſe rei. Nam Jus illud eſſe aut in conſcientiâ, aut ſaltem externè & politicè obligans, idque ex vi ſummi imperii & juriſdictionis Pontificum tanquam legiſlatorum; negat & religio ipſorum & Ius civile: quorum illud profitentur ut Chriſtiani, hoc ut Antiſtites Iuris. 2. *Quia* eccleſiaſticas Leges ut ut melius ſe habentes & repurgatas (ſi quod aurum ex ſtercoribus illis canonicis legerent) formaliter ita dictas, non explicant, tractant, applicant Iureconſulti quà tales; ſed potius viri eccleſiaſtici & Theologi. 3. *Quia* Jus canonicum nec ut eſt in ſe, nec ut ſcoriis rejectis meliores reliquiæ ejus ad reformationem noſtram inflectuntur; in Scholis noſtris à Iuriſtis ex profeſſo privatis publiciſve exercitiis & collegiis diſcitur aut docetur; nec iidem in Conventibus eccleſiaſticis aut Dicaſteriis politicis conſilia ſecundum illud conſcribunt, cauſas agunt, judicia exercent, Quæ tamen omnia debebant fieri, ſiquidem æque iſtius, ac alterius Iuris Anteceſſores & Doctores dici velint. 4. *Quia*, quod ad principalem materiam Iuris canonici, eam in pleriſque & quidem capitalibus articulis aut ſuſque deque habent, aut graviter oppugnant, tanquam Iuri divino, & humano adverſam. Quod ergo juxta cum Theologis cognitionem ejus habent in pleriſque & capitalibus illis merè apprehenſivè, hiſtoricè, & contemplativè; abſque aſſenſu, patrocinio, uſu, & applicatione ejus: id neutros facit artifices ſeu Doctores, nec abſolutè, nec quidem hypotheticè ſeu cum caudâ; (quales veri Doctores ſunt in Papatu, qui in illud jurant, ad illud obligantur, illud explicant, defendunt, & ſecundum illud eccleſiaſtica & politica omnia agunt & dirigunt) uti patet ex *Problem.* 3. Poſſent enim pari ratione dici Doctores Juris Alcoranici, Thalmudici, Normandici aut Britannici, Chinenſis, Japonici: & Theologiæ Doctores utriuſque, aut omnifariæ Theologiæ veræ, falſæ; antiquæ, novæ; Chriſtianæ, & Muhamediſticæ, ſeu Semi-Turcicæ Socinianæ; quia ſc. omnia iſta legunt, conferunt, refutant, aliqua etiam ex iis ad ſuum uſum transferunt: uti nullus eſt liber tam malus, quin habeat aliquid boni. 5. *Quia* non habet auctoritatem aut rationem publicè & receptæ doctrinæ; nec Legis, in Eccleſiis & Rebuſpublicis reformatis, nec conſequenter in ſcholis reformatis; unde promotiones & tituli iſti promanant. Ergo ſubeſt homonymia, ἀκυρολογία, aut catachreſis, aut ſaltem admodum inæqualiter & analogicè titulus ille Doctoris ad ſpecies ſuas deſcendit: quomodo de ente relato ad ſubſtantiam & accidens, loqui ſolent metaphyſici. 6. Concludimus argumento ad hominem: *Jus eſt ars boni & æqui*; ſecundum *Ulpianum in L. 1. de Juſtit. & Jure.* Atqui tale non eſt Jus Canonicum: Ergo reformati non debent eſſe ejus Doctores; imprimis cum probe nôrint illud quod ad formam in ſolidum, & quod ad materiam magnâ ex

parte

parte esse meram injuriam, tyrannidem, impietatem. Respondeamus nunc breviter ad objectiones. 1. *Object.* Legunt illud, student in eo, & cum Jure civili conferunt. *Resp.* Ergo dicantur Doctores Juris Britannici, Græci Orientalis, antiqui Gallici, item Historiarum, Philosophiæ, Theologiæ, Medecinæ, bonorum & malorum, Sapientiæ & sophistices, barbariei & linguæ latinæ, politicæ & tyrannidis, Medecinæ & empiricæ aut veneficii, Theologiæ & hæreseos, Christianismi & Judaismi aut Antichristianismi, Scripturæ & Alcorani, justitiæ & injuriæ, artium bonarum & malarum, virtutum denique & vitiorum; quorum studia circa cognitionem & tractationem istorum versantur. 2. *Obj.* Aliquando ex eo quędam citant? *Resp.* Multo frequentius illud citant Theologi in casibus, consiliis, & controversiis suis: & tamen nolint esse Doctores ejus. Adhæc citantur multa tum in Scholis tum in Praxi à Jureconsultis, quorum tamen Doctores & Antistites non audiunt: ex. gr. ex Aristotele, Platone, Ciceronę; Scripturâ, Antiquis aut Recentioribus Theologis, Historicis &c. 3. *Obj.* Habet multa bona? *Resp.* Vix ullus liber tam malus est, qui non habeat multa, aut saltem quędam bona; ne quidem Alcorano aut Thalmude exceptis: ne quid dicam de millenis libris Ethnicorum. Et sunt libri Philosophici, Theologici, Politici, Juridici infiniti, qui multo plura habent bona. Quæ hinc consequentia ad Doctoratum? Præterquam quod in Decreto sint plura bona, quam in Decretalibus: cum illud tamen nullam; hæ vero omnem fere authentiam ibi faciant. 4. *Obj.* Hactenus obtinuit Jus canonicum; & inde mos ille intitulandi Doctores. *Resp.* sed fuimus Troës: cessante itaque causâ potest cessare effectus. Ne dicam adversus tyrannidem consuetudinis ac moris recepti, & præjudicia inde orta, non parum excipi posse & solere à Theologis pariter & Jureconsultis.

Succedit nunc XII. & ultimum *Problema*, quod controversiam hic facit §. 2. capitalem. An Ecclesiæ & Respublicę Reformatorum teneantur etiamnum Jure Canonico, seu an ibi vim legis obtineat? *Resp.* Aut quæstio, de facto, aut de Jure instituitur. Quod ad Ecclesias *utrumque Neg. Posterius probatur*, ex centuris supra allatis. Prius ex quotidiana experientia, torrente Doctorum, & confessione adversariorum; inter quos *Schultingius in Anacrisi Hierarch. per totum. Quod ad Politias*, factum *Nego*: quidquid alii sentiant. Eo ipso enim quo Potestas Papæ abrogatur; etiam proscribitur Jus canonicum; cujus tota forma & essentia, cujus præcipuæ partes nihil aliud dictant ac prescribunt quam Potestatem Papæ. Utraque ergo illa stant, & cadunt. *Sed de Jure quæritur*, hoc est, an debeat aut possit observari. Ex Jureconsultis Ethicus Hunnius Canonistas & Iuristas Pontificios secutus, *Aff.*; in Collegio Disput. Juris Canonici anno 1628. Disput. 1. Ubi inter alia. *Quod in terris Imperii tam in foro sæculari quam ecclesiastico instar Legum & Sanctionum Imperialium observari*

debeat, tam certum est quam quod certissimum, & thesi 15. *In Scholis & Dicasteriis retineri atque observari posse: adeo ut Imperii subditos in conscientiâ obliget ad observantiam, & transgressores non solum pœnis civilibus & temporalibus, sed æternis etiam subjiciat.* Laudat autem authores hujus sententiæ suæ ex JCC. Protestantibus *Reusnerum*, *Mollerum*, *Sichardum*, *Zangerum*, *Eberhardum à Weihe.* Sed *Hunnius* si anno 1628. nondum apertè apostataverit (quod in præsenti ignoro), saltem ad apostasiam se dispositisse, quam postea procidit, credendus est. Nos sequentes rationes opponimus huic opinioni. 1. *arg.* A naturâ religionis & Ecclesiæ Protestanticæ, cui cum Jure illo non magis convenit quam luci cum tenebris, est enim quasi tessera & elatum Antichristianæ apostasiæ & tyrannidis vexillum: itaque subditi, Principes, territoria protestantica in Imperio in conscientiâ non tenentur aut teneri possunt (nisi religionem suam abnegare velint) ad autoritatem & observantiam ejus. Minoris probatio desumenda ex censuris supra allatis. 11. *arg.* A naturâ Juris Canonici, quia nullam habet Juris essentiam seu formam: ergo non habet autoritatem instar Legum & Sanctionum Imperialium. Antecedens probatur: quia fundamentum Juris seu Legis abest, jurisdictio scil. Legislatoris: absque quâ Legis nullum esse effectum aut operationem, cum Doctoribus citat. asserit *Hunnius Thesi.* 6. & ex professo ac solidè probat *Zuarez Libr.* 3. *de Legibus.* Atqui Papam nullam habere jurisdictionem aut civilem aut ecclesiasticam in Ecclesias totius orbis, nominatim in Germaniam, saltem non in terras protestanticas, tam certum est apud omnes Protestantes, quam quod certissimum. 111. *arg.* A naturâ Imperii Romano-Teutonici: cujus majestati, libertati, juribus, ac privilegiis, uti & omnium Regum ac Principum [illegible] repugnat Jus Canonicum. Adeo ut de illis parodicè dici queat: *Mors capituli est vita Imperii, & vita capituli est mors Imperii*: quomodo ante paucos annos Dux Venetiarum respondebat Legato Gallico: *Vita Ignatii est mors S. Marci, & vita S. Marci est mors Ignatii.* 1v. *arg.* A libertate Augustanæ confessionis, & religionis Protestanticæ (juxta conventionem Passaviensem a. 1555.) quæ si in Dicasteriis civilibus & ecclesiasticis constringeretur Jure canonico: utique non subsisteret vel ad momentum. Quia libertas ejus *tam* in conscientia, *quam* in exercitio, per Jus canonicum plane tollitur, & ecclesiasticè & politicè. v. *Arg.* ab absurdis consequentibus. Quia sequeretur, Principes & subditos Imperii Protestantes pari Jure teneri ad Bullas, Constitutiones, Decisiones Canonicas tam ante quam post Concilium Tridentinum, & ad Bullam de Cœna Domini: quibus autoritativè explicatur Jus canonicum ab eodem, qui illud constituit, hoc est à Papa. Si excipiat: Atqui hic sistit Imperium, aut saltem Principes Protestantes acceptationem Juris Papalis? *Resp.* Ubi explicuerit, quando & quomodo stiterint: ostendam pari ratione & tunc & cum prima reformatione

formatione universum illud jugum canonicum, quod nec ipsi Patres eorum portare poterant, abjectum fuisse. VI. *Argum.* ad hominem, seu ex ipsis Pontificiorum hypothesibus. Non est Jus, nec tanquam Lex obligat, nisi rationabilis sit, Juri divino aut naturali rationi minimè adversa. Sic passim *Theologi Pontificii ad* 1. 2. *qu.* 96. & quicunque tractant *de Legibus positivis.* Atqui hęc conditio Juri canonico (nominatim Decretalibus, quæ vel solæ autoritatem omnem ibi faciunt) minimè competit, nec formaliter nec materialiter. Quod in confesso est apud omnes Protestantes: etiam apud vindices libertatis Ecclesiæ Gallicanæ. VII. *Arg.* ad hominem. Quia non obligant Leges canonicæ, sine consensu & acceptatione Populi, nedum Principum & Magistratuum. Ita disputat Jesuita *Azorius lib.* 5. *Theol. Moralis. c.* 7. *qu.* 1. Et *Becanus Tract. cit. c.* 6. *qu.* 8. ubi Germanis non acceptantibus Bullam de cœnâ domini, aut nova Jura Concilii, illud applicat. Addit *Hunnius Th.* 76. 77. cum *Canonistis & Juristis Pontificiis ibid. cit.* Decreta Pontificum vim Juris non obtinere nisi sint sancita, publicata & usu ab initio recepta ab iis, quibus præscripta sunt. Sed in Imperio nec ante reformationem; nec post stabilitam primam reformationem & sancitam libertatem Confessionis Augustanę, nec post Concilium Tridentinum fuerunt recepta. De oppositione Imperii, ut & Galliæ contra Potestatem Papę, ejusque tyrannica Jura, ante tempora reformationis, fidem facient, quæ *Goldastus, Illyricus, Plessaus in Mysterio* ex Archivis & Historiis annotarunt & ipse *Hunnius Thesi* 63. 65. De oppositione Protestantium post Reformationem, & post Concilium Tridentinum, docebunt *Historia Sleidani & Thuani*; & imprimis *Liber Protestantium tit. Gravamina contra Concil. Tridentin.* Ubi exserte rejiciunt Potestatem Papæ, cum toto Papatu; nominatim etiam Jura ipsius canonica perstringunt. Ita ut quidquid de antiqua obtrusione & usurpatione Papali, ejusque in Imperio sive admissione sive tolerantia prætendi possit; Protestantes manifeste totâ professione religionis suæ; & verbis, & factis, & pactis eam quod ad se & subditos suos abrogârint: accedente autoritate & confirmatione Imperatoris; qui jurat in pacem religionis & defensionem Augustanæ confeff. VIII. *Quia* tot scatet vitiis, & anomiis, ut bona ex eo collecta sint instar ramenti aut limaturæ auri in acervo scoriarum, aut instar auri ex stercoribus Ennii à Virgilio collectum: uti Compendio patebit *institutionibus Lanceloti* perlegenti. Ipsum Corpus, si quis passim lustrare volet, offerent se vitia contra Grammaticam, Logicam & Philosophiam, Theologiam, Jurispendentiam, Historiam. Nonnulla generalia vitia notavit *Hyperius Lib.* 4. *de Rat. studii theol. Sed specialia* grammatica, logica, theologica *Himmelius in tract. de Jure canonico cap.* 7. In assertionibus, probationibus, testimoniis, falsa, absurda, contradictoria, hæretica, blasphema, communi & naturali honestati repugnantia. Nec dissimulan-

Digitized by Google

tur ejus vitia ab ipsis Pontificiis; ne quidem à Papâ Gregorio XIII. canonistâ; qui propterea ejus emendationes molitus est. Memorabile est judicium Petri de Ferraria in practicâ pag. 44. *Servetur Jus canonicum inter clericos, qui portant conscientiam in caputio, quo abjecto eorum conscientia abjicitur.* Author antimachiavelli (qui est Innocentius Gentiletus JC.), part. 3. maximâ 26. in fine; planè exsibilans jus canonicum citat hoc proverbium vulgò jactatum:

Depuis que Decret à prins alles.
Et les gendarmes portent malles.
Et les Moines vont à cheual.
En tout le monde n' a que mal.

IX. Accedant testimonia theologorum, *Calvini Lib. 4. cap. 10. Wittaker de Concil. qu. 2. in. fine. Plessei in Myster. iniquit. ad ann. 1153. Himmelii in Tract. de Jure canonico cap. 7. Joh. Raynoldi in Colloqu. cum Harto cap. 7. Parkeri lib. 2. de Polit. Eccles. cap. 32. 33. Hyperii lib. 4. de Rat. Studii theolog. cap. 5. 6. Marnixii, qui in Alvearo Ecclesiæ Romanæ* passim illud ἀνεφίζει. Nec prætereundæ authoritates Regum, Principum, Politicór. JCC.torum qui à Papatu discesserunt: ut *Alberici Gentilis lib. 1. de Nuptiis c. 17. Goldasti in Præfationibus ad tomos Constitut.*, & *in Replicâ pro Imperio, passim, nominatim p. 130. 132. 140. Lutherus* qui anno 1520. Wittebergæ Corpus Canonicum combussit; edito postea *Libello*, quo facti sui rationem reddit. Vide *Historiam Sleidani & Surii*, & *Præfat. Wendelstini ad Codic. canon. Eccles. Rom.* Hujus judicium secuti *Principes & Theologi Protestantes in Gravaminibus* modo *cit.* ex quo Libro plurima excerpsit *Goulartius in Appendice ad Catalogum Illyrici*, ubi *pag.* 2045. tanquam jurata Papæ mancipia jungit Doctores theologiæ & Juris canonici. *Johannes Sleidanus de Quatuor Monarch. lib. 3.* ubi *de Gregorio IX.* Lege quæso eximiam hanc Diatribem. *Justus Springerus JC. de Pace Religionis cap. 6.* & quæcunque passim *per totum Libellum* disputat; quæ saltem probant, Status & subditos Augustanæ Confession. non esse subjectos jurisdictioni Pontificio ecclesiasticę, nec consequenter Juri Canonico, ęquè ac Sanctionibus Imperii. Nota hunc *Sprengerum* primò per anagrammatismum ita dictum, esse *Petrum Syringum Hildesh.*, qui postea alium *Tractatum de Pace religionis* edidit, quem *Hampelius* typographus Gussensis *Nucleo Discursuum seu Disputationum de Jure publico* inseruit a. 1621. in 4. Non desunt etiam inter Protestantes Jureconsultos, qui autoritatem aliquam Juris canonici sed magis minusvè limitatè in quibusdam negotiis, causis, casibus, accommodatè ad usum ejus in Imperio Germanico asserant. Variorum JCC.torum super hâc quæstione judicia exhibet. *Valentin. Gul. Forsterus Tract. peculiari*, & *Everhardus Speckan in Synopt. exeg. Juris p. 235.* Quibus suo loco relictis, sufficiat in genere probasse, nec in protestanticis terris Imperii, nec ullibi illud vim Legis obtinere, nisi

Digitized by Google

nisi quousque & quatenus autoritate publicâ in aliquibus casibus illud receptum & stabilitum est. Saltem in Belgio fœderato, nulla ejusdem, quà Juris canonici seu Pontificii in Dicasteriis aut etiam in Scholis est autoritas: uti hoc alibi in transitu monui infra scil. *Part.* 2. ubi *de Jure Patronatus.* Pluribus & ex professo hic illud probare supervacaneum duco: tum quod Jureconsultorum hic ager sit, tum quod *Filius meus* Juris in hâc Academiâ Antecessor *peculiari Tract. de Usu Juris civilis & canonici* a. 1657. hoc egerit: quo Lectores ablego. In Angliâ quantum ejus observationi post introductam reformationem, tributum sit, cognosci potest ex *Parkeri lib.* 2. *de Politiâ ecclesiasticâ cap.* 11. 12. saltem in quibus sit cognatio Juris ecclesiastici Anglicani cum Canonico, ex *Richardi Zouchei Jurisprudentiâ Anglicanâ.*

Indicamus nunc breviter Problemata circa quę languent & fluctuant Pon- §. 3.
tificii. I. Quis aut quid sit Palea. Vide *Covarruviam Lib.* 4. *variar. Resol. cap.* 11. & ibi *Notas Joh. Vitell.* II. Quæ & quanta sit auctoritas Decreti Gratiani? & an à Papâ aliquo, aut Papis exsertè sit approbatum? an tacitè sit approbatum à Gregorio IX. aliisque Papis, qui addiderunt Decretales. Vide *Autores* apud *Albericum Gentil. Disputat. cit.* Et *Hunnium Thesi* 33. 34. 47. 48. 49. 50. III. An Leges Imperatoriæ Iuri canonico insertæ habeant majorem autoritatem quam civilem, canonicam scil. Vide diversas opiniones apud *Hunnium Th.* 53. & *Zwarez* supra *cit.* & *Alberic. Gentil.* IV. An illæ in Jure civili abrogatę, etiam tunc in Canonico abrogatæ intelligantur. *Hunn. Th.* 53. 55. V. An omnes Decretalium Collectiones ante Gregorium IX. per & post Constitutionem Corporis canonici censeantur abrogatæ. *Hunn. Th.* 73. & an Decretales in Corpore canonico habeant autoritatem sine exceptione. VI. An Jus canonicum obliget sine acceptatione populi. *Hunn. Th.* 76. 77. *Zwarez* & *Becanus* supra *cit.* VII. An Judæi obligentur Jure canonico. *Hunn. Th.* 15. 16. 17. VIII. Quid faciendum, cum dubitatur an Lex aliqua canonica sit usu recepta. *Idem Th.* 78. 79. IX. Cum pugnant Jus canonicum, & civile; utrum sequendum sit. *Id. Th.* 17. & deinceps. X. An Lex canonica autoritatem habeat in actus hominum merè internos. *Zwarez Libr.* 4. *c.* 12. XI. An possit concomitanter præcipere & prohibere actus internos simul cum externis. *Ibid. c.* 13. XII. Quæ forma servanda in Legibus canonicis ferendis: & quæ promulgatio sufficiat. *Ibid. c.* 14. & 15. XIII. An & quando Concilium habeat Potestatem Leges canonicas ferendi. *Ibid. c.* 6. XIV. An Cardinales, Legati Pontificis, Episcopi habeant illam Potestatem; & an immediatè Jure divino aut humano. XV. An & quomodo ecclesiastica Potestas ac Lex habeant civilem sibi subjectam. *Ibid. c.* 9. XVI. An potestas ecclesiastica ferendi Leges, seu Jus canonicum, ut disponit de rebus merè exterioribus & naturalibus, sit præstantior civili. *Ibid. c.* 8. XVII. Jus feudorum, ad

Jus civile an ad canonicum referendum ſit. *Diſt. Maranta Part.* 3. ſpeculi *num.* 83. *& ſeqq.* XVIII. Quando Canon ſummi Pontificis dictis Sanctorum Patrum deroget? *Maranta ibid. numer.* 77. *& ſeqq.* De his, & ſimilibus Quęſtionibus conſulant iſtarum rerum curioſi *Autores* modo *cit.* Et ſi quis compendio uti velit, in Quæſtionibus, determinationibus & autoritatibus præſtantiorum Canoniſtarum cognoſcendis, is adeat recentiſſimi *Canoniſtæ Andreæ Vallenſis* canonum in Acad. Lovanienſi profeſſoris *Paratitla Juris canonici* anno 1651. denuo edita Coloniæ apud Bingios in 4.: quæ mihi annis aliquot poſt Diatribam Academicam de Jure canonico anno 1639. conſcriptam, innotuerunt. Ibi Quęſtiones generales de Jure canonico à nobis anno 1639. in *Autoribus* modo *citatis* lectas, & ex iis propoſitas, nunc hoc loco repoſitas, additis duabus poſtremis, *in Proœmio* inveniet. Alias, quas inſuper *ibid.* addit, de Conciliis, nos alibi (infra ſcil. *Part.* 3.) enumerabimus & expendemus.

PARTIS

Digitized by Google

PARTIS PRIMÆ
LIBER SECUNDUS
DE
Rebus, seu Agendis & Exercitiis Ecclesiasticis.

Librum hunc partimur in quatuor Tractatus: quorum 1. *de Agendorum Formulariis seu Liturgiis, & de Ritibus.* 2. *de Agendis ordinariis publicis.* 3. *de Agendis ordinariis privato-publicis.* 4. *de Agendis occasionatis, & extraordinariis.*

TRACTATUS I.
De Formulariis, seu Liturgiis, & Ritibus.

CAPUT I.
De Formulariis seu Liturgiis.

COnsideranda Formularii seu Liturgiæ. 1. Definitio. 2. Requisita. 3. Divisiones. 4. Ejusque opposita, hoc est, Pseudo-liturgiæ. §. 1. Describitur ergo Liturgia, quod sit *forma seu ratio ordinis, Rituum, verborum circa Agenda sacra, ecclesiasticè delineata atque usitata.* Ad hujus descriptionis intelligentiam considera definitum, genus, objectum, causam efficientem. 1. Quod ad definitum, dicitur Liturgia, à λεῖτον *publicum* & ἔργον *opus*. Sic Etymologicum magnum à Sylburgio editum λειτουργὸς exponit, ὁ πὸς δημοσίαις ἀφορμαῖς τῆ πόλει χρώμενος, τὸ δὲ πρόσταγμα, ἄγειν τὸ δημόσιον, λείτιον σκεπάσαι &c. Quæ vox synecdochicè translata ad Sacra, significat Cultum seu Officium divinum publicè peractum, *Luc.* 1. *vers.* 23. ut idem sit quod ἱερατεία *Luc.* 1. *vers.* 9., & ἱερουργία *Rom.* 15. *vers.* 16. Græcis interpres V. T. Hebr. עבודה id est cultum Dei λατρείαν variis in locis exponit per vocem λειτουργίας. Ut brevis sim, videant nostri φιλολογοῦντες de hâc voce φιλολογοῦντες. *Bezam in Notis ad Actor.* 13. *vers* 2. *Cassandrum in Liturgicis cap.* 2. Et post illos *Matth. Martinum in Onomastico.* Nos varias significationes

ones evolvamus. Sumitur hæc vox aliquando 1. Latiſſimè per ſynecdochen, pro quovis Miniſterio in genere: Sic *Heſychius* λειτουργῶν, μαχαίρων, δικαίων: Et λειτουργὶς ὑπηρέτης. 2. Latè pro Miniſterio publico, uti jam dictum. 3. Strictè pro totâ Ratione Agendorum ſacrorum. 4. Strictiſſimè & ſynecdochicè pro Precibus eccleſiaſticis (quomodo *Interpretes Arabs*, *Syrus*, & *Recentiores* nonnulli accipiendam putant *Actor.* 13. 2. & ſic ſynonymum, eſſet τῇ λειτανίᾳ: de quâ egimus *Diſp. de Roſariis &c.*) 5. Strictiſſimè pro Adminiſtratione Euchariſtiæ: quâ acceptione ſæpe occurrit apud *Scriptores eccleſiaſticos*: ſuntque ejus ſynonyma ἱερουργία, μυσταγωγία, ἀναφορά. Inter Recentiores Græcos *Gabriel Severus* metropoluta Philadelphenſis in *Syntagmatio* περὶ τῆς ἁγίας καὶ ἱερᾶς μυσταγωγίας excuſo Venetiis apud Antonium Pinellum anno 1600. ubi *cap.* 5. ſeptem Eccleſiæ myſteria numerantur, Baptiſmus ſcil., Sacrum unguentum, ἡ ἁγία λειτουργία &c. Tertium hoc, *cap.* proximè ſequenti (6. ſcil. *pag.* 10.) vocatur θεία κοινωνία. 6. Rurſum ſtrictiſſimè pro Prædicatione Euangelii. *Rom.* 15. *verſ.* 16., Quomodo & *Chryſoſtom. Actor.* 15. *verſ.* 2. λειτουργούντων exponit per κηρυττόντων. Quod etiam *Caſſander loc. cit.* notavit. Rurſum ſubinde notat ipſa Officia divina ſeu Agenda eccleſiaſtica: ſubinde certum ordinem & modum Agendorum Libro aliquo ſive privatim deſcriptum, ſive publico Eccleſiæ Decreto, & Conſuetudine eccleſiaſtica aut ſcriptum, aut ſaltem receptum atque uſitatum. Quà notione nos hic ſumimus. Synonyma ejus ſunt Hebr. מנהגים *minhagim*, id eſt, ductus, quaſi dicas, Mores, Conſuetudines, à rad. נהג *nahag*, id eſt, duxit. Judæi ſuas Pſeudo-liturgias ordinem ac modum Precum & Rituum exhibentes in titulo innuunt, eſſe במנהג, id eſt, ſecundum Ordinem, ſeu Conſuetudinem Hiſpaniæ aut Germanię &c. Græca ſynonyma ſunt ἱερεχία, ἱερατεία, ὑπουργία, ὑπηρεσία, ἀγωγία: ita enim nomina à verbis quæque ſuis derivanda eſſe monet *Varinus in Lexico.* Ubi addit, λειτουργικὴ. κυρίως μὲν ἡ ἱερατικὴ, καθιερωτικὴ ἢ δουλική. Quod Philologis vix perſuadebit: niſi uſum Scriptorum eccleſiaſticorum, aut ſequiorum ſæculorum reſpiciat. Aliqua ex modo notatis ſynonymis in N. T. comparent: & in V. T. gr. tranſlatione: ſed objectum Liturgiæ, ſeu ipſa Agenda ſignificant. Apud *Scriptores eccleſiaſticos* frequens uſus eſt ἱερουργίας & λειτουργίας. Vox μυσταγωγίας hic etiam adhiberi poſſet, notans Diſciplinam ſacrorum, Meditationem in ſacris: quam plerumque ſynechdochicè uſurpant, pro Euchariſtia, aut ejus Adminiſtratione. *Maximus Martyr* in ſua *Myſtagogia* gr. lat. ab *Heſchelio* edita, explicat ſignificationes Rituum Euchariſtiæ. Synonyma latina ſunt *Agendarium*, *Agenda*, *Ordo*, *Officium*, *Miniſterium*, *Paſtorale*, *Sacerdotale*, *Rituale*, *Ceremoniale*, *Formularium*, *Miſſa* (unde Canon Miſſę, & *Miſſale:*) quibus vocibus Liturgia partialis, de modo ſcil. celebrandæ Euchariſtiæ, poſterioribus potiſſimum ſæculis ſignificata fuit:

uti apparet ex *Pseudepigraphis Liturgiis seu Missis Jacobi, Matthei, Marci, Petri* editus à *Saincteſio, Pamelio & in Bibliotheca Patrum*. De quibus vide *Mornæum lib. 1. de Missâ cap. 2. Riveti Criticum lib. 1. cap. 3. Cocum in Censurâ; Perkinsum in Probl. cathol.* ubi meminit Missæ Andreæ. II. Genus est delineatio seu hypotypoſis formæ ac rationis Agendorum. III. Objectum & contentum Liturgiæ seu Ritualis est geminum; quorum *unum* est descriptio & delineatio *tum* ipsorum Agendorum sacrorum: *tum*, Ordinis, Rituum, & modi in Agendis illis servandi: *alterum* est descriptio & delineatio formularum quibus in Agendis illis uti solent Ecclesiæ; h. e. quibus verbis Ecclesia Deum, aut Minister Ecclesiam, aut Ecclesia ejusque Membra Ministrum alloquantur. Vide in *Liturgia Belgica tit. de Confirmatione Ministrorum, Seniorum &c.* item *tit. de Administratione Cœnæ.* In *Missali, Breviario, Pastorali, aliisque Libris Ritualibus Romanis*, rubricæ instructionem de ordine & modo Agendorum continent & rubro suo à formulâ Precum, dicendorum, legendorum distinguuntur. Utraque ergo hæc in singulis Liturgiæ partibus seu capitulis aut titulis occurrunt. Potest ergo Liturgia in tot partes seu titulos dividi, quot sunt Agenda sacra; quorum numerum, in *seqq. hoc Libro*, & *Lib. 3.* exhibemus. IV. Causâ efficiens est Ecclesia, & in ea Antecessores seu sacrorum Ministri: quæ etiam subjectum dici potest. Ecclesiæ enim Statutum, aut Consuetudo, aut Acceptatio & Approbatio, fundat Liturgiarum existentiam, autoritatem, ἐνεργείαν, legitimum usum.

Requisita & conditiones Liturgię sunt, duplices, vel quod ad materiam, §. 2. vel quod formam earum. I. Ut per omnia verbo Dei conveniant tum quod ad instructiones, tum quod ad formulas Precum, & dicendorum. Convenire omnia illa intelligimus, quę aut κατὰ τὸ ῥητὸν ex Scripturis desumpta sunt, ex. gr. Psalmi, Benedictionum, & Precationum Formulæ: aut κατὰ ἀναλογίαν & per legitimam consequentiam inde deducta sunt; aut quæ circa adiaphororum secundum statum & circumstantias, rerum, personarum, locorum, temporum prudentem determinationem, Scripturis & Juri divino non repugnant, sed illi potius subserviunt, & sic ad illud reducuntur. II. Requisita & conditiones quod ad formam & methodum constructionis. I. Ut quod ad totum systema, methodicè disponantur, h. e. secundum distinctas materias conveniente ordine per titulos & capita distinguantur. 2. Ut stylo simplici, perspicuo, accurato quod ad instructiones, insuper gravi & pathetico quod ad formulas Precum (pro ratione materię) conscribantur. In nonnullis etiam phrases acroamaticæ, didascalicæ, & technologicæ potius, quam exotericæ adhibeantur. Saltem absit polylogia, battologia, verborum copia, omnisque fucus typho sæculi, Aulicorum vanitatibus, Sophistarum declamationibus, Poëtarum luxuriantibus ingeniis ac lusibus magis conveniens, quam cœlestibus Mysteriis & Conventibus sacris.

§. 3. Liturgiæ variè dividi poſſunt. I. ratione extenſionis, materiæ ſeu objecti aliæ ſunt partiales, aliæ totales. *Illæ* ſunt, quæ unius Agendi, aut aliquot Agendorum rationem, modum ac formulam delineant: ut ex. gr. ordo Adminiſtrationis ſacramentorum, aut ſolius Euchariſtiæ; Libri Precum eccleſiaſticarum; Libri Pſalmorum, & Hymnorum eccleſiaſticorum. *Iſtæ* ſunt, quæ omnium Agendorum ordinem ac rationem exhibent: quales ſunt publicæ Eccleſiarum nationalium, aut provincialium, aut diſtrictualium, Liturgiæ mox indicandæ. Utræque rurſum diſtingui poſſunt, in plenas, & pleniores. *Plenæ* ſunt, quæ Agendorum ordinem, modum rationem formulas exhibent: ut ex. gr. Noſtra Belgica, Gallica, Anglica &c. *Pleniores* ſunt, quæ præterea ipſos Canones ac Conſtitutiones eccleſiaſticas univerſum Eccleſiæ regimen ſpectantes ſive exſertè ſive implicitè complectuntur, quales ex. gr. Tigurina, Londino-Belgica, Bohemica. Tigurina edita eſt à *Lud. Lavatero* an. 1599. tit. *de Ritibus & Inſtitutis Eccleſiæ Tigurinæ*; Londino-Belgica conſcripta & edita à *Joh. à Laſco* latinè tit. *Forma & ratio tota eccleſiaſtici Miniſterii in peregrinorum, potiſſimum vero Germanorum, Eccleſia &c.* Bohemica latinè edita anno 1643. tit. *Ratio diſciplinæ, ordiniſque eccleſiaſtici in Unitate Fratrum Bohemorum.* Eadem denuo edita a. 1660. *cum Notis Joh. Amoſi Comenii.* Et Tales Liturgiæ Corpore Diſciplinæ comprehenduntur: à quo diſtinguitur Corpus Doctrinæ, quod Catecheſes, Confeſſiones, eccleſiaſticas Explicationes ac Determinationes, Examina ordinandorum, Homilias, Apologias publicas complectitur. II. Dividuntur, ratione formæ & conſtructionis, in inſtructorias ſeu directorias, in formularias, in mixtas. *Primi* generis ſunt, quæ tantum monita & regulas ad inſtructionem & directionem exhibent, abſque Formulis Precum, aliorumque verborum in Eccleſia circa Agenda ſacra uſurpandorum. Talis ferè eſt *Liturgia Tigurina à Lavatero* edita & talis eſt recens in Angliâ anno 1644. in uſum trium Regnorum edita tit. *Directorii* &c. ubi, pauculis exceptis, Formulæ non deſcribuntur, ſed tantum materia earum per capita indicatur & quaſi circumſcribitur. *Secundi* generis ſunt, quæ fere nil niſi Formulas exhibent, abſque inſtructionibus & regulis de ordine & modo Agendorum. Talis in omnibus ferè eſt Belgica, rejectis pleriſque directoriis & regulis ad Librum Canonum ſeu Conſtitutionum eccleſiaſticarum. *Tertii* generis ſunt, quæ utraque illa complectuntur. Talis eſt *Anglica*, *& Eccleſiæ Londino-Belgicæ à Joh. à Laſco & Microne* edita. III. Dividuntur ratione cauſarum efficientium in publicas & privatas. *Illæ* ſunt quæ publicâ autoritate conſcriptę aut receptæ ſunt. *Iſtæ* ſunt Libri Liturgici, in uſum Eccleſiarum, præſertim Theologorum & antiquitatis Studioſorum conſcripti, aut editi. Ex Noſtris nunc mihi non occurrunt qui ex profeſſo hoc egerint; ſed ex Pontificiis non pauci; quales ante tempora reformationis *Amalarius*, *Rupertus* Tui-

tenſis,

ized by Google

tenſis, *Innocentius III.* qui tomum faciunt in *Bibliotheca Patrum:* adhæc *Belethus in Rationali divinor. Officior. Durantes in Rationali, Guido de monte Rocherii in Manipulo Curatorum, Nic. à Lyra in Præceptorio; Johannes de Burgo in Pupilla oculi; Guliermus Pariſienſis de Sacramentis; Odo Cameracenſis, Gabriel Biel, Jud.Chlichtoveus in Expoſitione canonis Miſſæ.* Poſt tempora reformationis *Claud. de Xaintes, Caſſander Pamelius*, Liturgica vulgò ſatis nota dederunt; & *Anonymus*, qui an. 1605. Duaci *Antiquitatum Liturgicarum Arcana ex variis Autoribus collecta* 3. *tomis* in 80. complexus eſt. Adde *J. Bap. de Rubeis* qui novum *Rationale divinorum Officiorum* edidit anno 1628. *juxta recognitam editionem Breviarii, Miſſalis, & Ceremonialis.* Et *Joh. Stephanum Durantum de Ritibus ſacris; Joſephum vicecomitem de Ritibus Baptiſmi.* Et ut finem faciam, inſtar omnium ſit *Bartholomeus Gavantus in Theſauro ſacrorum Rituum*, ſeu *in Commentariis ad rubricas Miſſalis & Breviarii Romani:* ubi omnes alii Liturgici & Rituales indicantur, cum variationibus circa Ritus quoſdam & cum determinationibus SS. Congregat.; quas poſteriores etiam habes in *Auguſtini Barboſæ Collectaneis.* IV. Dividitur ſecundum Eccleſias ſeu Nationes. *Eccleſiis antiquis* adſcribuntur à Pontificiis *Liturgiæ Jacobi, Petri, Mathei, Marci*; & deinde *Dionyſii Areopagitæ, Chryſoſtom., Baſilii.* Fuiſſe in antiquâ Eccleſiâ & deinceps ejuſmodi Libellos formulares ſeu Liturgicos facile crediderim; cum *Gennadius* qui floruit circa annum 490. in *Catalogo ſuo* meminerit Muſæi Maſſilienſis presbyteri, qui Librum conſcripſerat *tam neceßarium Lectoribus, in Eccleſiâ probatum* (uti loquitur) *& expetitum* &c. continentem *lectiones ex Scripturis totius anni feſtivis diebus aptas; reſponſoria etiam, pſalmorum capitula, temporibus & lectionibus congruentia.* Sed is Liber nunc non exſtat. Meminit etiam *Hieronymus in Catalogo* Libri hymnorum ab Hilario Pictavienſi compoſiti: qui intercidit. Nec prætereundus Canon 25. Concil. Tolet. 4. qui ſic ſonat: *Quando preſbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant, ne per ignorantiam etiam in ipſis divinis ſacramentis Chriſtum offendant: ita ut quando vel ad litanias vel ad concilium venerint, rationem Epiſcopo ſuo reddant qualiter ſuſceptum officium celebrent vel baptizent.* Qui canon inſertus eſt Juri canonico c. *quando* diſt. 31. Sed qualeſcunque tunc uſitatæ fuerint Liturgiæ, quæ hodie non exſtant, ſaltem *Chryſoſtomi* & *Baſilii* eſſe ſuppoſititias aut ſaltem ſequioribus ſæculis admodum interpolatas & corruptas invictis argumentis probatum eſt à *Martyre c. Gardinerum part. 1. object. 1. Mornæo Pleſſiaco lib. 1. de Miſſâ cap. 6. Hoſpiniano lib. 2. Hiſtor. ſacramentariæ cap. 4.*; Et poſt eos à *Riveto in Critico*, & *Coco in Cenſurâ.* Apud *eoſdem Autores* videbis quid de *Pſeudepigraphis Liturgiis ſeu miſſis Jacobi, Petri, Marci, Clementis, Dionyſ. Areopagitæ* judicandum. *Liturgia Andreæ* nuſquam comparet: ſed ejus mentionem faciunt *Pſeudo-Abdias Babyloniu*s, & *Scriptor paſſionis Andreæ;*

dreæ; qui uterque cum sit suppositus (uti hoc probatum à *Riveto*, *Coco*, & *Joh. Gerardo Libr.* 1. *Confess. cathol. part.* 2. *cap.* 8.) nullam fidem merentur. Exstat *Rituale Severi patriarchæ* Alexandrini Syriacè & Latinè editum ab *Andr. Masio*, & Latinè insertum *Bibliothecæ Patrum*. Sed quia ipsi Pontificii apud *Possevinum in Apparatu* & autorem tanquam Eutychianum, & in scripto multa tanquam apocrypha aut manifestè hæretica rejiciunt, non est quod de eo specialiter quid censeamus, sed unà cum aliis antiquis Liturgiis, si quæ essent, genuinæ exstarent, uti non exstant, hâc cum notâ Masii in Præfat. ad Liturgiam Basilii Syriacè editam dimittamus? *Fateor*, inquit, *equidem prolixiorem esse græcam (Liturgiam Basilii): quippe is fuit perpetuò hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus cæremonias quantumvis sanctissimas, sese continere pauci potuerint, unde pro temporis tractu, ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu, alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est, & quod est longè majus malum, non paucas etiam superstitiones esse enatas. Quâ in re mihi videntur fuisse Syri tanto Græcis Latinisque temperantiores, quanto minus in tranquillo, ne dicam luxurioso apud illos Christiana res statu est versata.* Tempore Augustini (ipso fatente Epistol. 119. ad Januarium, cap. 19.) complures erant mores & præsumtiones, quas *propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberius improbare non audebat.* Hinc paulo post subjicit: *ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subjiciuntur.* Hæc Ritibus, Liturgiis, Formulis, Ordini & Regimini ecclesiastico juxta mores & traditiones sæculi Augustiniani si conveniant, multo magis sequentium sæculorum Liturgicis & Ritualibus aptari poterunt; qualia sunt *latina Isidori Hispalensis*, *Albini Flacci*, *Amalarii*, *Rabani Mauri*, *Walafridi Strabonis*, *Bernonis Angiensis*, *Micrologi*, *Ivonis Carnutensis*, *Hildeberti Cneomanensis*, *Rodulphi de Rivo*, Coloniæ 1568. per Hittorpium uno volumine edita, cum præmisso *Ordine antiquo Romano.* His adde *Ruperti Tuitensis Libros* 12. *de divinis Officiis*, aliosque jam inde post decimum aut undecimum sęculum conscriptos. Hodierna Orientalium Liturgica infra suo loco indicabo. Quomodo Liturgia eucharistica quasi per alluvionem paulatim aucta sit, & tandem missatica rhapsodia per metamorphosin facta sit, describit *Hoffmanus Lib.* 2. *Histor. sacram. c.* 4. -- 8. *lib.* 3. *c.* 1. -- 7. & *lib.* 4. *c.* 1. *Ecclesias novas* voco, quæ perrumpente novitate Papatus, partim ante partim post Lutherum ab Ecclesia Romana secesserunt. Ante Lutherum fuerunt Waldenses & Albigenses, & Hussitæ seu Fratres unitatis Bohemicæ. *Illorum* Liturgica disces ex *Joh. Pauli Perrini Historiâ Waldensium* lectu dignissima: quam optandum esset ab aliquo, cui tantum

tum otii, è Gallico in Latinum sermonem transferri. *Istorum*, anno 1633. ex Bohemico idiomate in Latinum translata & edita in 8. & denuo a. 1660. *cum Prolegomenis & Scholiis Joh. Amosi Comenii.* Cum quâ conjungi debet *Joh. Lasicii Tract. de Doctrinâ & Disciplinâ Fratrum unitatis* nuperrimè recusus. Post prædicationem Lutheri, & secutam pertendentem reformationem, celebriores Liturgiæ sunt 1. *Germanica* Wittebergensis seu Lutheri, omnium prima post inchotam reformationem. Ad quam formatę sunt aliæ per Germaniam & vicina Regna, ubi Lutheri Reformatio & Augustana Confessio cum appendicibus obtinuit. Materiæ seu capita præcipua & controversa ad Liturgiam spectantia, dictâ Confessione, Apologiâ, Articulis Smalcaldicis, &c. describuntur. Vide *Indicem materiarum ad Librum Concordiæ, in titulis de Potestate ecclesiasticâ, de Confessione & Absolutione, de Missâ, de Adiaphoris Ritibus humanis &c.* Ad hanc efformata est *Danica à Bugenhagio*, Regis Christiani III. autoritate munita: & *Pomeranica* ab *eodem Bugenhagio* anno 1535. & postea anno 1563. ex eadem alia formata atque aucta fuit, & à Consistoriis Gryphiswaldensi, Stetinensi, Colbergensi recepta: uti refert *Micrælius in Syntagm. Histor. Eccles. pag.* 1057. In hâc Lutheranâ Liturgiâ nonnulla sunt, quæ occasionem dederunt controversiis tum inter ipsos Lutheranos (ex. gr. de Exorcismo, de quo vide *Part.* 3. *Select. Disp. tit. de Exorcismo*) tum apud Reformatos. Qui quid potissimum & cur desiderent in Agendis Lutheranis, discent Studiosi ex *Altingii Controversiis Exegesi Confessionis Augustanæ* subjectis. Quomodo autem Lutherani sua explicare & tueri conentur, vide in *Eckhardi Fasciculo controversiarum* edito anno 1614. *cap.* 16. 19. 20. imprimis 21. Post hunc idem egit *Himmelius* theologus Jenensis, *in Collegio Irenico* edito anno 1634. disp. 8. seu ultima. *Schlusselburgii Theologiam Calvinistarum*, aliaque scripta antehac edita, nunc prętereo. *Plenius Agendarium* in Ecclesiis diœcesios Magdeburgensis anno 1650. Germanicè editum est à *Philippo Haenen* ecclesiaste Magdeburgensi tit. **Neu verbessert und vollständich Kirchenbuch.** *David Cythræus in Epistolis pag.* 961. meminit Liturgiæ Ecclesiarum protestanticarum in Austriâ. *Interimistica Liturgia*, quam Protestantico & Doctrinæ & Disciplinæ Corpori substitutam volebant, qualis fuerit, & quid Protestantibus in eâ displicuerit, constat partim ex *Sleidani Historia*, partim ex *Melanthonis, Calvini, aliorumque Scriptis libro Interim*, oppositis. 2. *Helvetica*; quam edidit *Lavaterus.* 3. *Gallica*, satis nota; quam una cum *Calvini Catechesi Genevensi* expresserunt translatio Hispanica & Italica. 4. *Anglica* sub Eduardo primum, & denuò post tempestatem Marianam sub Elizabetha constituta tit. *Liber communium Precum & Administrationis Sacramentorum*, in latinum translata ab *Alexandro Alesio*, & Basil. anno 1551. excusa. Ea semper contradictiones varias apud Anglos passa est. Vide de eo *Admonitionem ad Parlamentum*

anno 1572., quam *Joh. Withgiftus* theol. Doctor, poſtea factus Archiepiſcopus Cantuarienſis peculiari Libro Anglico oppugnavit tit. *Reſponſio ad Libellum quendam intitulatum admonitio &c.* Vide & *Petitionem mille Miniſtrorum*, anno 1603. exhibitam Jacobo magnæ Britannię Regi, quam Oxonienſes publice oppugnârunt: Imprimis *Declarationem Miniſtrorum Lincolnenſium*, quâ defendebant Librum quem Regi Jacobo 1. Decembris anno 1605. obtulerant. Liturgia hæc Anglicana tandem anno 1644. Parlamenti autoritate abrogata eſt, eique ſubſtituta. 5. *Anglica recens* tit. *Directorium publici Cultus divini per tria Regna, Angliæ, Scotiæ & Hybernię.* Prior enim illa ſeu antiqua tempore Eduardi VI. introducta ſic loquitur fol. 65. b. edit. Baſil. infra cit. *Sicut inutiles Cæremonias ſuſtulimus, ita eas, quæ reliquæ ſunt nolumus obligare hominum conſcientias, & docemus eas propter juſtas cauſas poſſe mutari.* 6. *Scotica* antiqua maximam partem ex Gallica expreſſa eſt: eaque obtinuit uſque ad annum 1637. *Novella* illa *Scotica*, ab Epiſcopis ibi obtrûdi cœpta anno 1637. ſed infelici & poſtea funeſto ſucceſſu, quæ qualiſque fuerit, cognoſces ex *Hiſtoriâ rerum in Regno Scotiæ geſtarum* edita anno 1641. *p.* 27. 33. imprimis *p.* 204. 222. *Tertia Scotica*, communis illi cum Angliâ, tit. *Directorii &c.* recepta eſt anno 1644. 7. *Palatino-Germanica*, una cum *Catecheſi Palatina* conſcripta, & edita latinè & germanicè. Cum quâ aliarum Eccleſiarum Liturgiæ in Germaniâ conveniunt; in Ducatibus ſcil. Clivenſi, Marcano, Montenſi, Juliacenſi, Bipontino; in Comitatibus Naſſavico, Hannovico; in urbe Bremenſi, & in Eccleſiis extra urbes, Hamburgum, Argentoratum, Noribergam; nec non in Hungariâ, & Tranſylvaniâ. Sola Eccleſia *Embdana* ex antiquiſſimis reformatis in Germaniâ, ſuam habuit peculiarem *Catecheſin*, etiam (ni fallor) Liturgiam. In Haſſiâ ante paucos annos Agendarium, ſed quodammodo interpolatum denuò linguâ vernaculâ editum eſt in 4. 8. *Belgica* eſt vel prior, vel poſterior. *Illa* per *Joh. à Laſco* anno 1550. conſcripta pro Eccleſiis peregrinorum in Angliâ, & autoritate Regis Eduardi VI. munita: eademque tunc temporis in *Compendium* redacta à *Martino Micron* Miniſtro Lond.-Belg., in Belgicum idioma tranſlata *à Johan. Wttenhoven* Nobili Gandavenſi uno ex primis quatuor Eccleſiæ Londino-Belgicæ ſub Rege Eduardo VI. erectæ Senioribus: ſed demum publice typis edita poſt Eccleſiæ illius ſub Maria Reginâ diſparſionem, anno 1554. ut apud exteros imprimis Germanos, Danos &c. aliquam etiam Apologiam faceret contra calumnias, quibus Cultus & Diſciplina exulum Belgarum paſſim aſpergebatur. Eandem *Joh. à Laſco* in aliquibus mutatam & auctam denuo latine edidit Francofurti anno 1555. cum *egregia Præfatione ad Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem.* Poſterior quæ etiamnum hodie obtinet, potiſſimum conformata eſt ad Gallicam, Londino-Belgicam, imprimis Palatinam. In ea, ut & in Galli-

ca, Belgica, aliarumque istius conditionis Ecclesiarum (quas hodie Presbyteriales appellant) nonnulla desiderant vulgo dicti Brownistæ, & iis affines Independentes. Quæ suis quæque locis ita explicare conabimur, ut minime contentiosis satisfacturos nos speremus. Quandoquidem Psalmi & Hymni ecclesiastici, Liturgię partem aut Appendicem faciunt, notamus hic *Psalmodias* celebriores publicę usitatas: quarum 1. post inchoatam reformationem est *Germanica* Lutheri. 2. *Gallica* notissima; cujus metra & modulos imitati sunt & expresserunt, *Belgica Datheni*, *Germanica Lobwasseri*, *Hungarica Alberti Molnar*, *Hispanica*, *Latina Andr. Spethe*. *Græcam* etiam quis promiserat: sed nihil, quod sciam hactenus prodiit. 3. *Anglica*, satis nota: qua etiam Scoticæ Ecclesiæ hactenus usæ sunt. Ante paucos annos, cum Theologi Angli & Scoti, in commune consulerent de Corpore Doctrinæ deque Canonibus ecclesiasticis & de Liturgiis, una quid constitutum de nova & ad Hebraicum textum propius accedente *Psalmodia*. Aliquid in hoc negotio actum à Scotis, sed Anglorum conatus per intervenientem syrtaxin anno 1647. & 1648. impediti fuerunt. 4. *Italica*, continens Psalmos sexaginta peculiaribus metris & modulis aptatos: editio nulla alia mihi nota est, præter anni 1566. An plures, aut alii Psalmi illa lingua aut exstent aut in cœtibus Italicis usitati sint, certo dicere nequeo, nec vacat nunc inquirere. Ante tempora reformationis, celebres fuerunt *Libri Canticorum & Hymnorum* in Ecclesiis Bohemicis, Moravicis, &c. De quorum Autoribus & editionibus consuli potest *Historia Ecclesiarum Slavonicarum* nuper Ultrajecti edita, & *Comenii Annot. ad cap. 5. Ordinis & disciplinæ* &c.

§. 4. Notemus nunc Liturgias extra Ecclesias protestanticas & reformatas, sunt 1. Sectarum. 2. Papatus. 3. Infidelium. 1. Hodiernarum Sectarum sunt Socinianorum scil., Anabaptistarum, Remonstrantium. *Illorum*, non meminimus aliquam nos vidisse, nec putamus exstare. *Istorum*, multò minùs: quippe qui consuetudine sua contenti in diem vivunt, & facili negotio quique res suas habent, aut ex tempore constituunt. *Horum*, particula aliqua exstat, cum *Catechesi* demum typis edita: & nihil aliud continet, quam formulas Baptismi & Cœnę; cui in secundâ editione, Formulam seu potius directiunculam aliquam addiderunt, de modo visitandi ac consolandi ægrotos. Quid in iis ab orthodoxâ religione abhorreat, notavimus in *Catechizatione Catechismi Remonstrantici*. De Appendice Liturgiæ, Hymnos sc. quos olim hic Ultrajecti, dum res Remonstrantium starent, introducere conati sunt, alibi aliquid monuimus: & infra *Tract. 2. sect. 1. 11. Papatus* sunt vel publicæ & ibi authenticæ: vel quasi publicę, & ibi irrefragabiles: vel privatæ, sed publicâ autoritate Episcopali, aut Theologica seu Academica, aut censorum munitæ. *Primi generis* sunt, *Breviarium*, *Diurnale* seu *Officium divinum* (quod

Breviarii

Digitized by Google

Breviarii Compendium eſt) *Officium Mariæ*, *Hortulus animæ* (quod etiam titulo Officii Mariæ in edit. Plantinianâ a. 1570. inſignitur; ſed à præcedente Officio Mariæ variat tum ordine tum contentis) *Miſſale*, *Graduale*, *Antiphonarium*, *Rituale ſeu paſtorale*, *Ceremoniale Epiſcoporum*, *Pontificale*, *Ceremoniale*. *Secundi generis* ſunt *Octavarium* Romanum à ſacrâ Rituum Congregatione ad uſum totius orbis approbatum, Antwerpiæ ex offic. Plantin. 1628. *Proceſſionale* pro Eccleſiis Ruralibus autoritate Nicolai Soeſii Epiſcopi Sylvę-ducenſis editum anno 1622. *Pſalterium Bonaventuræ* Leodii, Pariſiis, Inſulis Flandrorum, atque alibi ſæpius recuſum; Ejuſdem *Virginis Pſalterium in tria roſaria* diſtributum, Tegenſerrimæ in Bavar. anno 1574. *Liber Hymnorum* in quem *Commentaria* ſcripſere *Jodoc. Clichtoveus*, & *Caſſander*. Eſt etiam Coloniæ anno 1572. edita *Pſalmodia* & *Cantica*, quæ in Templis ſolent decantari; Et Lugd. anno 1585. *Pſalterium Romanum cum Hymnario*; denique Coloniæ apud Arnoldum Quentelium anno 1614. *Pſalterium*, *Hymni*, collectę, Euangelia, Epiſtolæ, introitus, gradualia, & ſequentia &c. *Officium hebdomadæ ſanctæ*, ſecundum Conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ, ad uſum Catholicorum per Germaniam, cum rubricis, Monachii anno 1571. *Officium integrum* de nomine Jeſu, juxta uſum ab Eccleſia receptum, cum Calendario duplici, litaniâ &c. Veſontione anno 1590. *Agenda eccleſiaſtica* continens formam Sacramenta ab Eccleſia diſpenſandi ſecundum uſum Colonienſem, Coloniæ an. 1568. *Breviaria*, *Diurnalia*, *Miſſalia*, *Kalendaria*, *Officia Mariana*, *peculiaria Ordinum* e.g. Benedictinorum, Ciſtercienſium, Carmelitarum, Dominicanorum, &c. Item *Officia & Libelli aſcetici* ad quamvis Fraternitatem ac Sodalitatem, Marię, Joſephi Nominis Dei, Crucis &c. accommodati. Nec non *Directoria officii divini* recitandi, Miſſas celebrandi &c. quæ quotannis quamplurima publica autoritate edi ſolent, idq; accommodatè ad quemque Ordinem, Eccleſiam ſeu Epiſcopatum, nationem e.gr. pro Epiſcopatibus Germanię, pro Eccleſia Cathedrali Sylvæ-ducenſi, pro Ordine prędicatorum &c. Atque hęc quidem annuatim procuduntur, haud aliter ac libelli Almanachici ad ſuum quique meridianum appropriati. Extraordinarium fuit Directorium Coloniæ autoritate Archiepiſcopi editum anno 1620. tit. *Modus ſervandi Preces quadraginta horarum per Civitatem & Archidiœceſem Colonienſem.* Item *Litaniæ* &c. *Tertii generis* ſunt, Variæ editiones *Pſalmorum pœnitentialium cum Litaniis*, variæ editiones Litaniarum tum communium, tum alicujus Sancti, e.gr. Mariæ, Joſephi &c. Johannis, Jacobi, *Compendium Ceremoniarum*, &c. *Officia Angeli cuſtodis*, *Roſaria*, *Libri exorciſtici* titt. *Theſauri Exorciſmorum*, *Manualis*, *Fuſtis & flagelli damonum* &c. editi. De his & ſimilibus alibi quid notamus, in *Diſſp. de Angelis*, *Exorciſmo*, *Roſariis*, *Litaniis*, *Horis canonicis*, *Monachis*, *Ritibus ſeu Ceremoniis*, *Proceſſionibus*, *Jubilæo*, *Benedictionibus*, *Agnis Dei*, *Feſtis*, *Templis*.

NOR

Digitized by Google

Non prætereundus est *Libellus de Modo & ordine visitandi ægrotos*, ex Anselmo primum desumtus, per *Nicol. à Lyra*, aliosque, etiam post Concilium Tridentinum propagatus, nunc per Indices Expurgatorios profligatus: de quo vide *Part. 2. sel. Disp. tit. de Vi veritatis, &c.* Ad hanc classem refer *Gersonis Libellum de Præceptis, Modo confitendi & Arte bene moriendi*, per Gerardum de Marca episcopum Leodiensem anno 1512. diœcesi illi impositum. *Anno 1651. prodiit Antwerpiæ Arnaudi Thesaurus sacr. rituum in* 4. Sed manum de tabula. Quis enim omnia Liturgica Romana enumeret? Digitum ad fontes intendimus, *Gavantum* & *Possevinum*, quorum ille in *Thesauro rituum* Autores indicibus præmissis indicat; iste in *Biblioth. sel. lib. 5. cap. 33.-39.* & in *Apparatu sacro* breviter enarrat qui qualesve sint, quæ eorum editiones. Quod ad Liturgias & Ritualia, præsertim primi generis, monendi sunt Theologiæ Studiosi, ut ad ea imprimis attendant, & ex iis, (uti etiam ex *Corpore Doctrinæ, Canonibus* scil. & *Catechismo Concilii Tridentini*, nec non *Corpore Disciplinæ seu Politiæ*, *Jure* scil. *Canonico* & *Bullario*) publicum atque authenticum sensum ac Cultum Ecclesiæ Romanæ indubitatè cognoscant. Hæc enim tria Corpora nisi quis conferat, & ex iis corruptelas Papatus demonstret, apud ipsos sive clericos sive laicos nihil efficiet, quoscunque autores Pontificios producat: negabunt enim se iis astringi. Alterum est, de quo monendi Theologi, qui controversias Pontificias tractant, quod duplices ad minimum editiones istorum Librorum, sive in propriis, sive in publicis aut aliis instructioribus Bibliothecis occasione & necessitate ita ferente consulendæ & conferendæ sint, Una ante Concilium Tridentinum excusa, altera post Concilium Tridentinum ex Decreto ejus per Pium V. aut Clementem VIII. aut alium quem Pontificem emendata; quæ posterior titulum præfert e. gr. Missalis Reformati, Breviarii Reformati &c. Editiones post-Tridentinæ, etiam subinde varietatem quam præ se ferunt, ut posteriores subinde dicantur jussu posterioris alicujus Pontificis de novo aut accuratius emendatæ. Quot & quales sint editiones post-Tridentinæ, ex parte indicat *Possevinus in Apparatu sacro*. III. *Infidelium* Pseudo-liturgiæ sunt Judæorum, Samaritarum, Muhammedistarum, Gentilium. *Judæorum* Liturgias habes in *Libris Machsor, Minhagim, Tephillot, Selichot*. Vide *Seldenum ad Eutychium p.* 50. 52. & 53. Et *Genebrardum in Chronico, ubi de ritualibus Judæorum*. Primus *Machsor*, id est cyclus seu reditus in circulum; quo maximè utuntur in Festis majoribus: suntque preces ibi ferè omnes rhytmicæ, quæ à paucis intelliguntur. Hinc est quod inter varias ejus editiones, una sit cum *Commentario*. Secundus *Minhagim*, i. ductus, q.d. Breviarium; ubi describuntur ritus quibus hodie in Synagogis tempore Precum & Festorum utuntur; suntque varii à variis conscripti, ut *R. Isaac Tirna* Hebr. Cracoviæ, anno 1597. & Hebræo-Germanicè editus Venetiis cum figuris in 4. anno 1601.

Celebris est *Macharil minhage* scil. *R. Jacob. Levitæ.* Tertius *S tephillot miccol haschana.* 1. ordo seu liber Precum totius anni editi, secundum variantem ordinem seu morem Judæorum in maniâ, Hispaniâ, Romę, &c. Quartus *Selichot*, continet Prec misericordiâ & remissione peccatorum tantum institutas, & palibus usitatas. Omnibus formis excudi solet; etiam cum Particulam unam atque alteram ex Liturgicis Judæorum edi cum translatione latina: quę continet Preces pro Defunctis iam eas, ubi fit commemoratio Divorum: ex quibus *Autor* ill contra Reformatos contendit pro similibus superstitionibus P vit Liturgiæ Judaicæ, *Computus seu Kalendarium* eorum: de q vacat, *Munsteri Kalendarium* Hebr. lat., *Scaligerum de Emei rum*, & nuper editam *Dissertationem Seldeni de Anno civili & K orum.* Porro ad enarrationem & explicationem omnium Ritu corum Judaicorum Studiosos nostros manuducet lectio *Sym Samaritanorum* Liturgias hactenus typis editas non meminimu eorum, qui Liturgię subservit, exhibet *Scaliger Lib. 7. de Emenda p. 657. Muhammedistarum* Liturgiæ hactenus quod sciam, Agenda ipsorum absolvi lectione particulæ aut sectionis ex *Al* tatione Precationum. Habent proculdubio ordinem & ration scriptum ac præscriptum: Quinquies enim precantur de di Precum certum est tum ex *Historicis*, tum ex *Kirstenio* & *M. S* ad singulos dies hebdomadis formatarum, quem penes se esse t tijugæ eruditionis *Joh. Seldenus in Commentario ad Eutychii Alexandrinæ* Arab. lat. anno 1642. editas pag. 58. Ubi etiam tionem quę Muhammedistæ Jesu Christo tribuunt; & insigne *vicennæ Metaphys. tit.* 10. *cap.* 3. de Formulis Precum. Quod Ritus Muhammedicos, plurima nobis suggerunt *Historici* ante tati in *Disp. de Muhammedismo.* Sed plura & certiora propedie speramus ab eruditiss. & diligentiss. *Hottingero, in Commentari rabum*, quæ aliquoties promittit in suâ *Historiâ Orientali.* Hæ anno 1651. Post illud tempus anno 1658. prodiit *Hottinger* sive *Bibliotheca Orientalis*, ubi *Lib.* 3. *Part.* 2. *pag.* 174. *M. S. Abdalla Abu Muhammed ben Abi Zeid Kair vanaei*; in cujus secun de iis quare ad praxin religionis, liturgiam, Sunæ explicatione *bidem usque ad pag.* 180. argumenta capitum 43. ordine rece antiquorum Libri rituales & Formularii hodie non exstant: ciderunt *Attejus Capito de Jure Sacrificiorum*, *Trebatii Libri nov Neratii Liber de Supplicationibus*, *Varronis Libri quatuor Rerum L*

Digitized by Google

quę tamen formulæ in Sacris obeundæ ſuperſunt apud *Macrobium*, & *Catonem de Re ruſticâ c.* 141. Adeat, qui hæc ſcire avet, *Briſſonium de Formulis lib.* 1. *Gutherium de veteri Jure Pontificio lib.* 4. *cap.* 14. *Stuckium de Sacrificiis, aliosque Antiquarios Rituum Gentilium interpretes* apud *Demſterum ad Roſini Antiquitates*, *Voſſium de Idololatriâ*, & *Lib.* 2. *Bibliothecæ noſtræ cap.* 10. *append.* 1. & in *Diſp. de Gentiliſmo* indicatos. Gentilium hodiernorum præſertim Japoniorum, Benjanorum ſeu Brachmanicorum, Sinenſium (qui formatas religiones habent), religionem & ritus quamvis editi ſint à *Scriptoribus* in *Diſp. de Gentiliſmo cit.*, hactenus tamen autenticos ipſorum libros Liturgicos aut Formularios ignoramus.

Veris & falſis Liturgiis recenſitis addimus indicium antiquorum, & ho- §. 5.
diernorum Orientalium. Quod ad antiquas, ſunt illæ vel primæ & autenticæ vel ſecundæ: eæque antiquiſſimæ, antiquę, mediæ ętatis. *Primæ* quod ad formam, & conſtructionem nullę exſtant; ſed bene quod ad materiam, in Scriptis ſc. Apoſtolorum, præſertim Actis & Epiſtolis apoſtolicis; inter quas excellunt *Epiſtolæ ad Corinthios*, *ad Timotheum*, & *Titum*. *Conſect. Miſſas* ſeu *Liturgias Jacobi*, *Petri*, *Marci*, *Matthæi* (quæ & Æthiopum dicitur) eſſe ſuppoſititias. Vide *Sect. præced.* Autores indicatos: adeo ut fruſtra obluctetur, *Xaincteſius in Prolegom. ad Liturgias c.* 8. & *Poſſevinus in Apparatu*, aliique autores ab illo laudati, Editores & Defenſores iſtorum. *Antiquiſſimæ* poſt Apoſtolorum tempora per tria ſæcula uſque ad Concil. Nicenum, nullæ formaliter editę, aut ſaltem exſtant. Materialiter quidem agenda ſacra hiſtoricè à Patribus quibuſdam relata & in *Apologeticis* ipſorum *Scriptis* & *Canonibus Conciliorum* indicata videmus, inter alios à *Juſtino in Apolog. ad Antonin. Conſect.* Quid judicandum ſit de *Dion.* dicti *Areopag. Hierarchia Eccleſ.*, de *Clementis Conſtitutionibus*, (ubi *lib.* 7. & 8. liturgica tractantur) & *Ejuſdem ut* & *Antiquorum Epiſcop. Romanorum Epiſtolis*, diſce ex *Coco* & *Riveto*, modo cit. & *Blondelli Pſeudo-Iſidoro*, ubi ex profeſſo omnes illas Epiſtolas Pontificum examinat. Poſt omnes illos pleniſſimè Pſeudo-Clementem confecit *Daillæus* in *Pſeudepigraphis apoſtolicis*. *Antiquæ* jam inde à Concilio Niceno uſque ad Auguſtinum incluſive nullæ exſtant, formaliter & autoritate eccleſiaſtica conſtitutæ. *Conſect.* 1. *Chryſoſtomi Miſſa*, & *Baſilii duæ Liturgiæ*, quarum poſterior dicitur *Anaphora* etiam in Syriacum tranſlata, & inde in Latinum ab Andrea Maſio traducta; exploſæ ſunt à *Pleßeo Lib. cit.* & *Riveto Lib.* 3. *Critici cap.* 20. & *Lib.* 4. *cap.* 3. *Conſect.* 2. *Severi* Patriarchæ Alexandrini Eutychianiſmo addicti, *Rituale* Syriacè & Latinè editum, ut ſuperſtitionibus paſſim ſplendet, ita & obſcuræ aut nullius apud Pontificios autoritatis eſt. Inſtar omnium videatur judicium *Poſſevini in Appar.* Mediæ & declinantis ætatis Liturgici ſunt *Iſidorus*, *Albinus Flaccus*, *Rabanus Maurus*, *Walafridus Strabo*,

bo, *Berno*, *Micrologus*, *Ivo*, *Hildebertus*, *Radulphus de Rivo*, qui omnes cum *Officio Romano* à Melchiore Hittorpio editi: Quorum tamen aliqui ad novitatem ecclesiasticam potius referri debent, & cum *Ruperto Tuitensi*, *Innocentio III.* & *Guidone de monte Rocherii* (supra cit.) numerari. In eundem ordinem compingatur, *Missale Gothicum*, *tom. 6. Biblioth. Patrum* edit. Paris. 1589. & *tom.* 15. edit. Colon. 1622. & ex Græcis *Nicolaus Cabasilas*; quem Xainteſius, cum *Maximo* & *Germano* (qui duo ad mediam ætatem referendi) aliisque Liturgicis edidit. Si quis istius commatis Autores nosse cupiat, is adeat *Liturgica Cassandri*, ubi satis prolixus catalogus texitur: & *Gavanti Thesaurum supra cit.* nec non *Bibliotheca Patrum tom.* 6. ubi ipsa scripta exhibentur. De *Liturgia Gregorii primi*, antiquo ordine Romano, *Officio Ambrosiano*, *Officio Musarabico*, infra quid disquiremus.

§. 6. Hodiernæ Liturgiæ orientales. 1. Græcorum habentur in *Rituali*, *Menologio*, *Officio*, &c. *Rituale* in fol. editum esse Parisiis 1647. *Menologium Henr. Canisius* cum *Tomis Antiquarum Lectionum* edidit. *Officium de mysteriis* ante consecratis, & sacram mysteriorum ante consecratorum Liturgiam transtulit & edidit *Genebrardus*. *Liturgiam Ecclesiæ Constantinop.* latinè dedit *Leo Tuscus*. Reliqui Liturgici libri gr. excusi Venetiis apud Antonium Pinellum, quos hoc ordine recenset *Possevinus in Appar.* in voce *Graci* pag. 650. τὸ πεντηκοστάριον in fol. τὸ τριῴδιον, fol. τὸ κατανυκτικὸν, τὸ ἀναλογεῖον, ὁ ἀκτώηχος, ὁ μηναῖος, τὸ εἰρμολόγιον τὸ πασχάλιον, Εἰλιτουργία τὸ συναξαριστὴς, τὸ ἀντιλόγιον, συναγωγὴ τῶν περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων. Adde Novum Anthologium Romæ editum græc. 1598. Et *Euchologium*. Describamus nunc in gratiam juniorum omnes Rituales libros isto ordine. 1. *Euchologiam* seu *Rituale Græcorum*, *complectens ritus & ordines divinæ Liturgiæ*, *Officiorum*, *sacramentorum*, *consecrationum*, *benedictionum*, *funerum*, *orationum &c.* gr. lat. editum Parisiis a. 1647. à *Jacobo Goar* ordinis prædicatorum, cum Observationibus seu Commentariis, quibus rituales Græcorum exponantur, ex antiquis & recentioribus ibi cit. imprimis ex *Symeonis* episcopo Thessalonicensis Sacramentario. Hic liber vicem multorum Scriptorum Ritualium & Liturgicorum præstare posset, & ad Historicam cognitionem præsentis Græcorum cultus in publicis Ecclesiis manuducere. Deprehendet hoc cui editoris præfationem & Commentaria legere vacabit. 2. *Archiraticon Haberti*, seu liber Pontificalis Ecclesiæ Græcæ, Parisiis 1643. Tantum vidi hunc librum citatum: hactenus tamen exemplar ejus non vidi; ita ut dicere nequeam, quid propriè contineat, & cujus autoritatis aut pretii sit. 3. *Typicon* seu *Typicus Sabæ*, aliis Ἀκολουθία & Διατάξεις. Liber est tacticus, & dicitur τυπικὸν quia eo præscribitur, quid per totum annum ad divina officia recitandum, psallendum, legendum; quibus diebus jejunandum &c. Dicitur Sabæ à præcipuo autore Saba. Partem ejus græc. latin. habet *Gretserus tom.* 2. *de*

Cruce,

Digitized by Google

Cruce. 4. *Liturgia* in quo trium missarum celebrandarum series habetur, *Chrysostomi*, *Basilii*, & quam vocant *Præsanctificatorum.* 5. Εὐαγγέλιον, codex est, in quo descripta euangelia quæ primum locum inter missarum lectiones occupant. 6. Ἀπόστολος, seu περὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων κηρυγμάτων: continet textus ex Actis, Epistolis Pauli & Canonicis, Apocalypsi, diebus singulis & festis accommodatos. 7. *Menologium*, liber est, in quo ab initio Septembris nomina Sanctorum singulis diebus recensentur. De latina ejus editione supra diximus. 8. Ἀναγνῶσις seu ἀναγνώσματα *lectiones.* Liber adhuc ineditus, continet partes seu segmenta ex Libris veteris Testamenti, recitanda ad officia divina pro variis festorum solennitatibus. 9. *Psalterium*, continet omnes Psalmos Davidis eo ordine, quo in Bibliis habentur, in viginti classes seu sectiones, (quas καθίσματα *sessiones* vocant) distinctos; singulis catechismatis in tres partes (quas στάσεις vocant) subdivisis; recitandos in Missis matutinis, præcibus, aliisque officiis divinis. 10. Παρακλητικὴ seu βιβλίον παρακλητικὸν. & absolute παρακλητικὸν apud liturgicos Græcos παράκλησις idem notat quod λιτή, i.e. precatio, supplicatio. *Goar in Notis ad Euchologium p. 770. observat* apud Græcos vindicare sibi significationem *processionis*, seu orationis in processione faciendæ; ex quo singulis diebus aliquid recitant in Missa, aut vesperis, aut matutino, aut aliis Officiis. Græcè editum in fol. Venetiis à *Theophane Hieromonacho* cyprio, typis Antonii Pinelli. 11. Τριῴδιον *Triodium*, liber ita dictus à Cantionum seu Canonum quibus abundat, ratione & modo: tribus enim odis seu strophis cantiones ejus constant, cum cæteræ Cantiones in Officiis divinis usitatæ novem strophis constent. Continet Officium in Ecclesiis recitari solitum à Septuagesima usque ad Sabbathum sanctum. 12. Πεντηκοστάριον liber hic continet Officium ab ipso die Paschatis usque ad octavam Pentecostes. 13. Μηναῖον vel μηνιαῖον latinis dicitur *Menea:* constat duodecim voluminibus; quorum singula singulos menses absolvunt, & singulis diebus unius vel plurium Sanctorum Officium peragendum describunt. 14. *Menologium*, nihil aliud est, quam latinorum Martyrologium & Kalendarium: quod continet Vitas Sanctorum quolibet die summatim expositas; aut saltem commemorationem eorum, quorum vitæ non habentur. Distinctè à Menologio supra *Numero septimo cit.* hoc præsens numeratur & describitur à *Leone Allatio.* Qui idem refert, quam varia sint Menologia. Inter ea *Maximi Margyni* Cytherorum Episcopi opera collectum & idiomate vulgari Græcorum excusum Venetiis apud Anton. Pinellum a. 1529. (lege 1592.) in 4. 15. *Anthologium*, continet Officia per annum in Festis Christi, B. Virginis & reliquorum celebrium Sanctorum decantari solita. 16. *Horologium:* continet Horas diurnas & Officia; quale Diurnum aut Diurnale latinorum. 17. *Synaxarion:* continet Vitas Sanctorum & Martyrum in compendium redactas, cum succincta ex-

positione solennitatis, de qua agitur. 18. *Panegyricum*: continet variorum Autorum orationes, in varias Christi & Sanctorum solennitates. 20. Διακονικὸν *Diaconicum*: quo omnia ad Diaconi munus obeundum requisita, in singulis officiis, continentur. 21. Ειρμολόγιον *Hirmologium* (ab ειρμὸς quod ipsis est Hymnus): continet Hymnos solennitatum Christi, Deiparæ, & totius anni. 22. *Syntagma* sunt collectio necessariorum quorundam quotidianorum Officiorum ad Sacerdotes pertinentium. 23. *Liber Musicalis*, continens varios Psalmos & troparia (sic Hymnos vocant) cum notis musicis, quę in matutinis & aliis Officiis cantari solent. 24. ἀκολουθόπτυλον. 1. *Parvum Horologium*: quod extractum est ex majori Horologio *supra cit.* 25. Νέον ἐντελόγιον quod est *Breviarium* ex omnibus Ritualibus jam recensitis contractum ab *Arcudio*, jussu Cardinalis Sanctorii nationis Græcorum Protectoris. Quod tamen nullo applausu acceptum conqueritur *Leo Allatius in Dissert. de Libris Eccles. Græc. p.* 105. Et culpam transfert in Anton. Arcudium, eumque gravi censura ibid. notat. Vide hunc de omnibus illis libris Liturgicis, eorumque materia, partibus, origine, antiquitate, mutatione, expositione fuse differentem. Cum quo conjunge *Glossarium græcobarbarum Joh. Meursii*; & ejusdem *Allatii tract. de Melodiis Græcorum*; & alterum cui tit. *Observationes variæ de Rebus ecclesiasticis Græcorum.* 26. *Syntagmation de* sacrosanctis *Mysteriis*, *Gabrielis* metropolitæ Philadelphiensis. Venetiis apud Anton. Pinellum a. 1600. Plures recentium Græcorum Tractatus Liturgicos exstare indubium est, quamvis omnes excusi non sint, nec publicam autoritatem in Ecclesiâ istic obtineant. *Claudius de Sainctes in suis Liturgicis*, latinè dedit Germani archiepiscopi Constantinop. rerum ecclesiasticarum theoriam, & expositionem liturgię *Cabasilæ* & *Maximi*. Aliqui, qui antehac aut nuper editi sunt, indicantur passim in *Notis Jacobi Goar ad Euchologium*, & in *Meursii Lexico*. Conferendi cum *Scriptoribus Ritualibus*, tractatus contenti in *Jure Orientali Græcorum Leunclavii*: & *Georgii Codini* dicti Curopalatæ *Liber de Officiis & Officialibus aulæ & ecclesiæ Constantinopolitanæ*, ubi aliqua occurrunt, quæ liturgica & ritualia tangunt. Is primum ex *Bibliothecâ Julii Pacii* editus, translatus, & *Notis* illustratus est à *Nadabo Agmonio* a. 1588. Postea à *Fr. Junio, cum notis*. Denique à *Gretsero cum notis* a. 1625. De comparatione editionum Fr. Junii soceri sui vide indicium *Ger. Joh. Vossii in Præfat. ad Lib. de Historicis latinis*. Cum Græcis conveniunt Liturgiæ Moscoviticæ Ecclesię antehac Patriarchatui Constantinopolitano subjectæ; ut & Ecclesiar. Ruthenicarum ac Lithuanicarum græcæ religionis, quę etiamnum illi Patriarchæ adhærent. *Possevinus Menologium Ruthenicum* latine exhibet, *in Appar. in voce Ruthenus*. De Moldavicis, Walachicis, Bulgaricis, aliisque diversi à Græcis idiomatis, Patriarchæ tamen illi subjectis, idem censendum est. Liturgia nostra Belgi-

ca,

Digitized by Google

ca, una cum Confessione & Catechismo &c. in hodiernum idioma Græcorum nuper conversa sunt: exemplaria quam plurima, ut & Novi Testamenti in idem idioma traducti, sumptibus Illustr. ac prępot. Belgii fœderati Ordinum parata fuerunt, ut in Græciam mitterentur, inter viros ecclesiasticos illic distribuenda; atque ita multis in Ecclesia illa occasionem daretur de melioribus cogitandi: sicuti aliqui exemplo Cyrilli Lucari patriarchæ Constantinop. Ὀρθοδοξίτερα, ad puriorem in dogmatis sensum, & propriorem cum Ecclesiis nostris consensum per Dei gratiam accesserunt. De quo vide *Rivetum in Scriptis contra Grotium*, & *Mysteria patrum Jesuitarum* 2. edit. Et dicti *Cyrilli Confessionem* gr. lat. seorsim, & lat. cum *Harmoniâ confess.* editam Genevæ anno 1654. II. *Coptitarum*, seu Christianorum in Ægypto; quorum Liturgias antiqua lingua Coptica, in Bibliothecis quibusdam Romanis exstare, testis est *Kircherus in Copto prodromo.* III. *Armenorum Liturgia ab Andreâ Lubelczyk* in latinum traducta. Vide eam apud *Cassandrum.* Sed aliis & pluribus libris opus est ad sacra eorum penitius cognoscenda. IV. *Syrorum* Maronitarum Liturgicus Libellus Romæ lingua Arabica, sed charactere Syro, excusus apud Dominicum Basam a. 1584. Eorundem *Missa Basilii*, *Nazianzeni*, *Cyrilli Alexandrini* ex Arabica conversa à *Victorino Sialac.* Basilii anaphora, ex Syriaco ab And. Masio in latinum conversa. *Preces Syrorum* à Widmanstadio editæ. His adde *Missam Angamallensem Christianorum S. Thomæ*, quam ex Syriaco in latinum conversam exhibet *Itinerarium Alexii Menesii.* Ecclesiar. in Syria & vicinarum, quæ ad Patriarchatus Antiochenum, Hierosolymitanum & Alexandrinum pertinent, quæ Arabico idiomate utuntur, Liturgias nondum typis editas novimus. Liturgia nostra Belgica cum Catechesi & Confessione &c. in Belgio nostro in Arabicum jam conversa est, sed nondum typis edita. Cum Deo sperandum est, Christianos illos conatibus nostrorum excitatos ad lucem propius accessuros. V. *Æthiopum*, seu *Abassinorum*, latinè exhibet *Cassander. p.* 32. 35. Plura *Biblioth. Patrum tom. 6.* edit. 2. Sed hęc jejuna sunt, nec adeo certa. Uberior adhuc Historia requiritur. *Quodig.* Jesuita, eos ab Ecclesiâ Romanâ tam alienos describit, ut communicatione aliqua inter illos & homines reformatæ religionis intercedente, meliora illic exspectanda sint. Computum, qui Liturgiæ Æthiopicæ inservit, leges apud *Scaligerum de Emendatione temporum. Lib. 7. pag.* 671. Vidi libellum M. S. precum, sed hactenus ἀνέκδοτον. VI. *Georgianorum* & Iberorum ecclesiastica hactenus per Libros editos nondum Europeis innotuerunt. Exstat Lexicon istius linguę antè aliquot annos evulgatum in fol. Alioquin latissime diffusi Iberi, omnes Christianismum profitentur.

Caput

Caput II.

Quæstiones aliquot de Liturgiis & Liturgicis determinantur.

§. 1. Accedamus nunc ad problemata, quæ vel Historico fi
ctica, vel historico-ecclesiastica. Primi generis sint
An Liturgia notet sacrificium propriè dictum, &
pitiatorium seu rationem & ordinem peragendi t
Resp. Quæritur de usu scripturario, aut ecclesiastico, eoque aut
novo. 1. *Concl.* De novo facile concedimus; præsertim in Eccl
talibus, quarum respectus erat ad Ecclesiam Romanam, jam
1214. quo dogma transsubstantiationis ecclesiasticâ novitate d
in *Concil. Lateranensi sub Innocentio III.* & Ecclesiis communiter
Concl. Seculis quibusdam superioribus apud quosdam, immo
adde & plerosque usum illum seu abusum etiam obtinuisse fatem
mus aliquo in Concilio Oecumenico, aut saltem communi Ec
Conciliorum Nationalium, aliorumque particularium conse
Ecclesiasticum fuisse canonizatum. 3. *Concl.* Apud Græcos p
culorum talem significationem obtinuisse, ex *Nicolai Cabasilæ*
1300.) expositione liturgiæ colligitur. Quamvis enim in part
busdam hypothesibus & annexis à Romanâ Ecclesiâ dissentian
apud *Cabasilam cap.* 29. 30. & Pontificii inter se super hoc disce
ti à *Possevino in Apparatu:* tamen quod ad summam rerum in
substantiatione, & de sacrificio in remissionem peccatorum
unt. Vide *Cabasilam, cap.* 1. & *Gabrielem Metropolitam* Philadel
modo cit. ubi *pag.* 33. exsertè dicit panem & vinum μεταβεβλη
substantiata) in corpus & sanguinem Christi. Eadem vocis
ptio invenitur apud Moscovitas qui græcę religionis comm
lunt; uti constat ex *Refutatione Confessionis, Joh. Robitæ* coram
rum Duce editæ, & nomine ejusdem Ducis conscriptę *cap.* 11.
futationem suam adjecit, & tit. *de Russorum, Muscovitarum*
1582. vulgavit. 4. *Concl.* Usu antiquæ Ecclesię negamus han
tasse sacrificium propitiatorium propriè dictum: siquidem v
tropicè de eucharistiâ usurpabant. Uti hoc abunde ostensum
lineo, & similibus Missæ Antagonistis. Fundamentum vero
cii, transsubstantiationem scil. non fuisse ab antiquitate cre
tract. Gallico eruditè demonstravit David Blondellus. 5. C
pturario, cum agitur de cultu novi Testamenti, nusquam n
propriè dictum. Ut frustra sint Pontificii, qui huc trahunt *Ad*

gantur modo & expendantur omnia loca, ubi hæc vox occurrit. Præiverunt præter Scriptores elencticos, *Math. Martinius in Onomastico*, *Beza ad Actor.* 13., *Aretius Probl. part.* 2. quin & *Cassander in Liturgicis c.* 6. ubi adducit expositionem *Chrysostomi*. Ne quid dicam de vulgatâ versione; & Arabicâ. Conferat, cui vacat, frustra contendentem *Xantesium in Præfat. ad Liturgica cap.* 4. De voce *Missæ*, consulendus *Cassander* vir in antiquitatibus Ecclesiasticis admodum versatus *cap.* 16. 17. 18. cum *Plesseo aliisque Missæ Antagonistis. II. Probl.* An Ecclesia V. T. à Mose ad Ezram conceptas & statas habuerit Liturgias. *Resp.* Si intelligas libellos scorsim ὡς ἐν τύπῳ delineantes ordinem & formulas agendorum: utique non est improbabile tales fuisse, sive ad directionem sive ad subsidium memoriæ: quamvis in Canonem relati non fuerint? Quidquid sit de eo, habuit ordinem, modum, & ritus festorum, sacrificiorum, sacramentorum, aliorumque agendorum delineatos in *Libris Mosis*, & 1. *Paralip.* 23. -- 28. Habuit etiam formulas benedictionum *Numer.* 6. *vers.* 23. Lustrationum *Deuter.* 21. 7. 8. Dedicationum *Deuter.* 26. 3. 5. &c. Precationum; Hymnorum, Canticorum, *Deuteron.* 32. coll. cum. 31. 19. & in toto *Psalterio*, ubi imprimis considerandi tituli *Psal.* 92. *vers.* 1. 77. 1. & 80. 84. 85. 102. 120. &c. Hęc solida sunt ad Christianorum institutionem, & Rabbinorum convictionem; qui negant ante tempora Ezræ fuisse formulas precum in *Commentar. ad Exod.* 23. 25. *Deuter.* 11. 3. *Mikotzi* præc. affirmativo 19. Maymonides tr. *Tephilla Webarchet Cohenim.* 1. Quæ de Hymno Paschali à *Beza in Matth.* 26. *vers.* 30. aliisque interpretibus notari solent, valeant quantum possunt. Si textus sacer necessario exponendus esset de cantu, & de cantionis certâ ac statâ formulâ, utique non vulgare argumentum inde educi posset. Sed non video quomodo ex solâ voce ὑμνήσαντες assertio illa exsculpatur: cum etiam absolutè significet *laudare*, *celebrare*, & quidem oratione solutâ (absque metro & modulis) uti observat *Eustathius ad Dionysium Periegetem. Hesychius in Lexico*: ὑμνῶ, εὐλογῶ, ἀδω. Quod ad alia, quę ex *Thalmudicis Antiquitatibus* adferri solent, ea parcius ac cautius & hic & alibi à Christianis ad Scripturarum controversas interpretationes, & quæstiones Theologicas determinandas adhiberi velim. Fabulis ipsorum narrationes & antiquitates non minus scatent ac Historiæ & Theologia mythologica antiquorum Ethnicorum, *Alcoranus Muhammedi*, & *Liber* ille *authenticus hodiernorum Brachmanicorum*, qui ipsis est, quod Christianis Biblia. Τὸ ἄξιον Ainsworthi Viri alioquin eruditi in citandis ad Scripturæ interpretationem Thalmudicis, non vanè reprehendit popularis ipsius *Joh. Pagetus* Theol. eximius, & in literaturâ Hebraicâ ac Rabbino-Thalmudicâ non vulgariter versatus. Quem videat, cui vacat, in tract. anglico tit. *Telum adversus separationem.* Scio quid pro usu Thalmudis à *Reuchlino*, aliisque post illum adferri soleat. Studium

eruditionis Thalmudicæ nequaquam improbo: sed prudenter ac moderatè usum ejus adhibendum censeo; non tam ad populum fidelem erudiendum, quam ad Judæorum inanias atque insanias detegendas ac refutandas, ubi scil. necessitas ita tulerit; quin & subinde ad hominem ex quisquiliis eorum contra ipsos argumentandum, contradictiones & absurda eorum detegenda, ac veritatem fidei ab imputatis absurdis vindicandam: quomodo factum à Patribus contra Gentiles. Confer, si placet, *Dissp. nostras, de Adventu Messiæ, & de Judaismo.* Quod ad hanc quæstionem nostram de Liturgiis Ecclesiæ V. T. quæcunque de Formularum necessitate aut usu à nonnullis ex Thalmudicis adferuntur, nullum argumentum Theologicum constituunt: nisi quis fortè inter Browniastas seu Separatistas (uti vocant) unicum Ainsworthum aliàs ex Thalmudicis nimis theologizantem, hâc in quæstione quasi ad hominem convincere velit. *Seldenus* vir vastæ lectionis & eruditionis *in Commentariis ad Eutychium*, multis ex Thalmude notatis, quæ ad controversiam de Liturgiis in Anglicâ tunc ferventem, aliquid conferre possent, insuper *Authoribus Judaicis* indicatis *pag.* 38. & 62. exceptioni adversus fidem & authoritatem Thalmudis & Thalmudistarum pag. 53. opponit: *Verum est, fateor, etiam Thalmudicum corpus utrumque diu post Christum, etiam diu post excidium urbis congestum, ab eis, qui morum maiorum & tenacissimi fuere, & scientissimi, etiam & intra tam pauca à Christi natalibus sæcula congestum, ut qui dubitet an eis, quæ de moribus ejusmodi ibi tradantur, fides fuerit habenda historica, ne egre puto credet in observationibus, verbi gratiâ, Astronomicis, Aristyllo, Hipparcho, Timocharis, Menelao, aliis à Ptolomæo in magnâ constructione tributis &c. Eodem pariter iure quidem aut negabit, aut dubitabit is de testimoniis è Varrone, Ennio, &c. à Livio, Plutarcho inferioris ævi allatis. Etiam de nascentis Ecclesiæ rebus ab Eusebio, tot à Christo annis, sed veterum interea Autorum libris, qui jam nullibi exstant, instructo conscriptis.* Citat ibidem ἐμόψηφον *Scaligerum* (*de Emendat. temporum pag.* 537.) & tandem concludit *pag.* 61. certum esse, habuisse illos Ecclesiæ Israeliticæ *ab ipso numine institutæ, scita hâc de re & formulas.* Opinionem hanc ex professo non examinabo: sed considerandum offero Lectori, Theologiam Ethnicam ex Israeliticâ tanquam termino à quo deformatam, & per variantes ac contradicentes additiones, opinionum, ritruum, mythologiarum, ac mendaciorum ab Ægyptiis, Syris, tandemque à Græciâ mendace nihil non in Historiâ audente perfectissimè corruptam. Addo religionem Pontificiam ex Apostolicâ tanquam termino à quo (non vero tanquam materia constituente) deductam: & hodiernam Judaicam. An non omnes antiquitatem & veracitatem ejus prætexunt? Cur magis corpori Thalmudico ex sœdis antiquis ante tempora Christi exstantibus, conflato oracula sua absque Scripturâ fundenti, fides adhibenda, quam Syracidæ, Flavio Josepho, Philoni Judæo, quibusdam

dam targumim, libro Zohar, Jetzira Abraham, quæ ante Christum conscripta dicuntur; aut quam Juri Canonico, Bullario, Ritualibus Pontificiis, religionem primitivæ Ecclesiæ Apostolicæ aut historicè referentibus, aut didacticè inculcantibus, aut practicè imitantibus (uti præ se ferunt) atque experimentibus? Dato enim immo & concesso (huc enim planè inclino), Thalmudem multa continere, quæ ante Christum in Ecclesiis & Scholis Judaicis dogmatizata & determinata sunt, circa Historiam & successionem Ecclesiæ Israëliticæ usque ad Ezram, & circa interpretationem Scripturæ, V. T.: quis dicet omnia bene tunc determinata & dogmatizata esse, & Ecclesiam post excessum Ezræ & posteriorum Prophetarum diutius mansisse virginem, quam Ecclesiam N. T. post excessum Apostolorum? Immo, quidni contrarium hic statuamus ex lectione *Matth.* 5. & 15. & 16. & 23. ubi antiquę traditiones Majorum perstringuntur? Ut non dicam degenerantem & corruptam religionem satis deprehendi ex *Flavio Josepho*, *Syracide*, *Libris Machabeorum &c.* Legatur modo *Joh. Raynoldi Censura in libros Apocryphos.* Et quid si daretur, rectè & verè ab Ecclesiis & Scholis ante tempora Christi omnia aut saltem plurima fuisse dogmatizata; quis dicet ea à posteris usque ad Christum invariatè & purè fuisse retenta, quin & post Christum usque ad annum 150. fuisse transmissa, & à Rabbi Juda Hakkadosch in librum *Mischnaiot* transcripta? Dato etiam tale quid factum (quod tamen nemo sanus credit), quis suspicari audebit Gemaricos Doctores, perfidiæ mystas, juratos fidei hostes, fabularum architectos, saniorum Scripturę interpretationum professos tortores, antiquiores traditiones & Doctorum opiniones usque ad an. 500. bonâ fide referre aut imitari? Sed dicet quis (vide *Seldenum pag.* 62.) aliquos Rabbinos antiquos esse & proximos fuisse Christi temporibus &c. Respondemus, ideo non majorem fidem ipsis tribuendam, quam Scribis & Pharisæis Majorum traditiones jactantibus (*Matth.* 15. & 23.): aut Pseudo-Christianis Scriptoribus, quorum apocrypha certatim post excessum Apostolorum imo & viventibus Apostolis (*2. Thess.* 2.) jactata sunt. Vid. *Baron. an.* 44. 5. 42.-51. Quod si ex Thalmudistis tanquam veræ religionis corruptoribus vestigia veritatis, à qua defecerunt, ipsis Judęis ad hominem commonstrare velis, haut aliter ac Daneus primi mundi antiquitates ex Ethnicis, & alius ex mythologia Ethnica veram Theologiam, & Patres ex oppositâ deformatione Gentilismi vestigia veræ Theologiæ; utique libenter assensum præbebo. *III. Problem.* An Liturgiæ ab Ezra & Viris magnæ Synagogæ (quod Consistorium seu Synedrium ejus hebr. בית דין appellant) constitutæ, populo Dei præscriptæ; & publicè usitatę fuerint, usque ad Christum? *Resp.* Hæc quidem dictant *Thalmudistæ in Thalmud Babylonico tract. berachot. cap.* 5. *in Gemara & Thalm. Hierosolymit. tract. berachot. cap.* 2. & 4. *in Gemara*, & *Maymonides in*

tract. Tephilla Hbarechet cohenim. cap. 2. ubi dicunt, fuisse octodecim benedictiones seu precationes, quas שמונה עשרה subinde appellant, & תפילות על הסדר id est, *preces ordinatas.* Ex octodecim illis ajunt tres priores, & tres posteriores spectare gloriam, intermedias duodecim hominibus, tum toti Ecclesiæ communiter tum seorsim singulis necessarias. Addunt, stata precandi tempora, & statas quasi horas canonicas, ab Ezra & Consistorio ipsius fuisse constitutas. Vide de precationum Judaicarum tunc temporis ordine & modo, juxta Historiam Thalmudicam *Drusium in Prætiritis ad Actor.* 3. & 10. *Autorescque ibidem cit.* & *Schindlerum in Lexico in voce* manach & plenissimè explicantem *Seldenum loc. cit.* Quantum hic fidei Thalmudistarum per omnia tribuendum sit, ex supra dictis colligi velim. Certe centum benedictiones quotidie recitandas (quas à Davide dicunt præscriptas apud *Buxdorf. Synag. cap.* 5. *in fine*) pari credulitate recipere quis posset. Nos ergo sic statuimus. 1. *Concl.* non esse negandum, fuisse ordinem & formulas Liturgicas: & potuisse ea constitui ac servari in Templo & Synagogis; modo scil. verbo Dei non repugnarent. De ordine aliquid saltem colligimus ex *Actor.* 3. & 10. 2. *Concl.* Non tamen probari posse, aut credendum, ordinem aut formulas eas ab Ezra scriptore θεοπνεύστῳ fuisse dictatas & præscriptas; & immediatè divinas atque authenticas. 3. *Concl.* De Viris Synagogæ magnæ, quod ajunt Thalmudistæ, æque certum est, ac alia ἄπερ γεγραφῆς ab ipsis ἐπιφθέγματα, seu mavis μυθολογήματα. Dato autem, eas à Viris Synagogæ magnæ fuisse conscriptas, unde constabit Viros illos fuisse θεοπνεύστους, & consequenter Liturgias illas fuisse authenticas? De Malachia, Zacharia, Zorobabel, Mordechai, aliisque illius Synagogæ membris; quę fabulati sint Rabbini, vide ex ipsis collecta apud *Buxdorf. in Tiberiade cap.* 10. Rursum quis dicet formulas quidem bonas (quamvis non θεοπνεύστους) ab illis aut aliis præstantibus Viris conceptas illibatè, per corrupta illa sæcula ad posteros fuisse transmissas, & in Templo ac Synagogis semper usitatas? Certè multa successive in Liturgiis mutata, multa addita innuit laudatus modo *Seldenus loc. cit. p.* 49. Nec dubitare potest, qui modo legerit *Mathei cap.* 15. & 16. & 23. Tale quid accidisse Liturgiis Christianorum supra *Cap. Præced.* cum *Masio* observamus. *IV. Probl.* An in Ecclesiâ Apostolicâ ab Apostolis Formularia aut Liturgiæ sint constitutæ, & Ecclesiæ illi, ut & omnibus succedentibus Ecclesiis præscriptæ. *Resp.* 1. *Concl.* Non est credendum unam Liturgiam, easdemque rituum & adiaphororum determinationes communi Apostolorum decreto in formâ constitutas, & Ecclesiis istius temporis, multò minus omnibus Ecclesiis usque ad finem mundi fuisse præscriptas. Pontificii ex traditione ἀγράφῳ & merâ conjecturâ tale quid sibi fingunt. Vide Annalistam eorum *Baronium ad ann.* 44. 20. & 43. 19. Confer, si placet, *Disp. nostram de Symbolo Apostolico*: eodem enim tibicine

Digitized by Google

tibicine fulcitur credulitas Romana, de Symbolo seu Catechesi, de Canonibus, de Liturgiis. 2. *Concl.* Non tamen negandum, materiam & instructionem, ad efformationem & observationem Liturgię, saltem directoriæ, si non formulariæ, accommodatè ad tempora, loca, statum cujusque particularis Ecclesiæ, magis minusve frequentis aut infrequentis, liberę aut clandestinę, ex Judęis aut Gentilibus conflatæ, Pseud-Apostolis & turbonibus infestę aut non infestæ &c. Per Apostolum quem immediatè aut per Euangelistam & Delegatum Apostolicum Ecclesiis & Ministris ordinariis fuisse communicatam & suggestam. Vide an huc referri possit 1. *Cor.* 14. *vers.* 34. 3. *Concl.* An alicubi pro re natâ huic aut illi particulari Ecclesiæ in formâ quid traditum & scripto consignatum sit, aut à Ministro ex orali instructione Apostolicâ in privatum usum suum, & istius Ecclesiæ, exceptum & chartæ commissum sit: disquiri posset. Non videtur improbabile, saltem nihil repugnat, alterutrum aut utrumque factum esse, aut saltem fieri potuisse. *V. Probl.* An universalis Liturgia conscribenda, & omnibus Ecclesiis per totum Orbem imponenda? *Resp. Neg.* Si quidem per Liturgiam intelligis πύξεις, ἀγραφίξεις, formulas. Quod ad ordinem seriemque agendorum & rituum ecclesiasticorum, conventuum scil. ordinariò aut extraordinariò agendorum, lectionum Scripturæ, explicationum & concionum, precum, hymnorum, administrationis Sacramentorum, electionis & confirmationis Ministrorum, supplicationum seu jejuniorum, censurarum &c. ad unum tempus, unicam seriem, & ordinatam istorum distributionem ac consecutionem, omnes Ecclesiæ, cujuscunque temporis, loci, status adstringi non possunt. Multò minus ad ἀγραφίξεις, h. e. statuta, edicta, sanctiones, secundum quas talis ordo in omnes Ecclesias introduceretur, & in iisdem servaretur. De quo supra *Lib. precedente tit. de Canonibus Ecclesiasticis.* Quod ad certas formulas precum, & officiorum (quas in Græcis Ecclesiis ἀκολουθίας, id est, sequentias vocant, quia partes eorum bene disposito & ordinato nexu inter se cohærent), eas Pontificii œcumenicas esse volunt; quarum formalibus verbis, nemini vel addere vel demere liceat; ita ut formalibus sic, & non aliter, pronuntiatis aut demurmuratis, juxta cum ritibus seu gestibus vim aliquam effectivam sive sacramenti sive sacramentalis tribuere videantur. Quem errorem attingimus in 3. *Part. select. Disp. tit. de Benedictionibus, & de Rosariis, Litaniis. &c.* Nos & istas rationes opponimus. 1. *Rat.* Quia Apostoli & apostolicæ Ecclesię, talem œcumenicam Liturgiam, hoc est, πύξεις, ἀγραφίξεις, formularia, nunquam præscripserunt, nunquam præscribendam ecclesiis totius universi injunxerunt: sed contenti fuerunt generali illâ constitutione, ut omnia fierent εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1 *Cor.* 14. *vers.* 40. specialibus & peristaticis determinationibus Ecclesiarum libertati & prudentię relictis. 2. *Rat.* Quia nunquam post excessum Apostolorum fuerunt Ministri

niſtri aut Doctores συνοδικοὶ iiſdem autoritate univerſali & infallibilitate pares, qui Eccleſiæ univerſę hâc in parte quid potuiſſent præſcribere. Nec etiam probari poteſt unquam fuiſſe repræſentamen aliquod Eccleſiarum totius Orbis in legitimâ Synodo congregatarum, per quod œcumenicâ autoritate eccleſiaſtico-humanâ tale quid in omnibus Eccleſiis, quæ ſuos literis mandati & fidei inſtructos ad Synodum illam delegaſſent, introduci potuiſſet: nedum ut omnes ſuccedentes Eccleſias uſque ad finem mundi quaſi adamantinis catenis aſtringere potuiſſet. Concilia dicta œcumenica ſeu univerſalia, non fuerunt οἰκουμενικοὶ, id eſt, Orbis univerſi, ſed οἰκουμενικοὶ ſic dictæ, id eſt, Orbis Romani, juxta ſtylum tunc vulgatum, etiam Spiritui S. uſitatum. *Luc. 2. verſ. 1.* De quo alibi & aliquoties monuimus. 3. *Rat.* Quia probari non poteſt antiquiſſimas poſt apoſtolicam, Eccleſias, tales ſtatas liturgicas τάξεις & formulas habuiſſe & uſurpaſſe; multo minus ſunt, & omnes omnium locorum ac temporum ſequentes ſacrorum Miniſtros ad minima punctula periſtatica, ad minimos vocum apices, & quaſcunque formalitates, & quidem ſub pœnâ deprivationis, aut excommunicationis adſtrinxiſſe. Nunquam Pontificii, ut ut antiquitatem crepantes ullam volam aut veſtigium ejuſmodi ſtatarum, ſtatutarum, & perpetuò atque univerſaliter obligantium formularum, in antiquiſſimis Scriptoribus commonſtrârunt. Quæcunque adferri ſolent, aut notha (ut Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi &c. de quibus ſupra) aut poſteriora fuerunt, non priora. Hæreticorum Arrianorum, & ſequentium malitia & multorum Miniſtrorum imperitia antiquis occaſionem dederunt attendendi ad formulas precum eccleſiaſticarum: illi enim precibus & hymnis ſuis venenum hoc admixtum in populum ſpargere tentabant. Hinc primum a. 364. Concil. particularis Laodiceni enatum decretum, quod huc trahi poſſet, can. 18. περὶ δὲ, τοῦ μὴ τὴν λειτουργίαν τῶν ἐυχῶν πάντοτε ἐν τῇ συνάξει ἢ ἐν τοῖς ἐννάτοις ἢ ἐν τοῖς ἑσπερίνοις ὀφείλειν γίνεσθαι, id eſt, *De eo, quod eadem Liturgia precum ſemper & in nonis in veſperis fieri debet.* Secutum fuit a. 397. Concil. particulare Carthagin. 3. ex quo de Laodiceni mente uberius conſtabit. Sic enim can. 23. (juxta *Epitomen Caranzæ*) *Ut nemo in precibus, vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet &c. Et quaſcunque ſibi preces aliquis deſcribit, non eis utatur, niſi prius eas cum inſtructioribus fratribus contulerit.* Et a. 416. Concil. partic. Milevit. can. 12. *Placuit etiam & illud, ut preces vel orationes ſeu miſſæ, quæ probatæ fuerint in concilio, ſive præfationes ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in eccleſiâ, niſi quæ à prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in Synodis fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.* Unde videmus, tum inſidiantes hæreſes tum imprimis ſtupendum complurium iſtius temporis Miniſtrorum ſtuporem, occaſionem talibus decretis dediſſe: adeo ut ne quidem propriam

by Google

propriam orationis alicujus in Ecclesiâ pronuntiandæ aut recitandæ compositionem (proh pudor!) illis committere ausi fuerint. Quod idem de compositione concionum judicandum est. Sacra illa ignorantia in tantum profecerunt, ut loco concionum habendarum, homilias quasdam seu sermones & tractatus (uti appellabant) ex libro in Ecclesiâ prælegerent: uti constat ex *Caroli Magni Diplomate* homiliis patrum jussu ipsius collectis, & Ecclesiis ad legendum traditis præmisso, edit. Colonienſis a. 1534. apud Eucharium Cervicornum. Meminit etiam hujus collectionis Carolinæ per Paulum Diaconum *Sigebertus in Chronico ad ann.* 807. Sed dictum diploma manifestè indicat ante tempora Caroli morem illum sermones ex libro legendi in Ecclesiâ obtinuisse. Nolumus quidem hanc cautelam particulari occasione & tali in necessitate modo memoratâ adhibitam culpare: sed hinc minimè inferenda universalis & perpetua ad eadem formalia verba sive concionum sive precationum tantum ex receptis Libris agendariis legenda astrictio, & quidem sub pœnâ deprivationis. Quo longius ab apostolico sæculo abfuit Ecclesia, eo longius à primævâ sacrarum literarum scientiâ, doctrinæ puritate, rituum & politiæ simplicitate, morum & disciplinæ integritate recessit. Audi de Liturgiâ antiquâ ἱστορικὸν *Justinum Martyrem*, qui floruit a. 150. *in Oratione apologet. ad Antoninum*, sub finem: Καὶ ὁ προεστὼς ἐνταῦθα ὁμοίως τῇ ἐνταυθοῦ δυνάμεως τὰς ἀναπέμψεις, id est, *Et præpositus itidem, quantum pro virili suâ potest, preces & gratiarum actiones fundit*: Ex versione Joh. Langi; pro quo versio Gelenii, *offert*. Cum hoc testimonio junge *Tertulliani Apologet. cap.* 30. „ Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erube„ scimus, denique sine monitore, *quia de pectore*, oramus. *VI. Probl.* An una provincialis, aut nationalis Liturgia constituenda *& in omnes* istius correspondentiæ Ecclesias introducenda sit? *Resp.* 1. *Concl.* De directoriâ, nemo quod sciam hactenus controversiam movit, nisi forte Libertini & Euthusiastæ. 2. *Concl.* De λειτουργικῇ, quæ perpetuum agendorum ordinem, stata tempora, aliaque particularia & circumstantialia universaliter sic circumscribat, & canonibus præscribat ut nefas esset pro prudentiâ cujusque Ministri aut Synedrii, & pro Ecclesiæ cujusque particulari statu, quidquam omitti aut addi, aut contrahi aut dilatari: absolutè *Neg.* præsertim, si talis ad majorem ædificationem, & Ecclesiæ pacem adhibita accommodatio in regiminis & agendorum executione pœnâ suspensionis, aut excommunicationis, deprivationis, aut etiam Donatistico scismate atque anathemate vindicanda putetur. Reclamat ejusmodi κοινοζηλίᾳ perpetua Ecclesiarum nostrarum praxis, & quæ contra Papales traditiones, ac Liturgias, ceremonias, pro libertate ac potestate Ecclesiarum, insuper de adiaphoris, de libertate prophetandi, de moderatione & tolerantiâ, de syncretismo, hactenus disputata sunt. Confer supra

pra *Lib. 1. Tract. 2. cap. 9.* nobis dicta *de Canonibus*, & infra *Part. 3. de Syncretismo. 3. Concl.* Quod ad Formulas Precum & præfationum aut introductionum, aut instructionum, quæ Precibus, Concionibus, lectioni verbi, psalmis, baptismo, cœnæ, proclamationi & confirmationi Ministrorum & conjugum præmitti possunt ac solent; sentio non minus utiliter eas conscribi à Synodis, & Ecclesiis in illâ natione aut provipciâ tradi, quam Catecheses, Confessiones, Canones seu Statuta ecclesiastica: tum ut iis formulis in exercitio ministerii rudiores & ignorantes Ministri qui ipsi proprias conciones & preces non didicerunt componere (quales tamen admittendi non essent, quamdiu aptiores haberi possunt): tum ut illi, qui sine cortice satis natare queunt, exempla habeant, ad quorum imitationem suas preces, præfationes, instructiones, introductiones efforment: tum denique, ut ipsis illis formulis sive paululum mutatis & accommodatis ad præsentem rerum & Ecclesiarum statum sive verbotenus utantur; quotiescunque rudiorum aut adultiorum quorundam melior ædificatio, aut alia aliqua necessitas illud postulare videbitur. Neque enim vetitum est infantes in Christo, aut à sacris nostris hactenus alienos tali lacte alere & allicere, si quo modo paulatim solidiori cibo assuefieri & ad virilem perfectionem provehi possint. Hâc ratione contra quosdam dissentientes usum orthodoxæ nostræ & verbo divino convenientis Liturgiæ defendendum arbitror. Interim longè absum ab illis, qui omnibus ejus vocubis, syllabis, apicibus ex libro absque ullâ vel minimâ mutatione legendis quoscunque filios Prophetarum spiritu precum & prophetiç, pro ętate satis præditos, quin etiam exercitatos & in scripturis potentes Ministros, in perpetuum astrictos velint; secus proditæ religionis aut fanatici enthusiasmi accusandos, & consequenter novo Donatismi œstro ab Ecclesiâ & ministerio omni arcendos. Quasi scil. cum Papatu in usu & opere operato legendi Canonem missæ aliasque formulas missali contentas, item Breviarium, Rituale &c. teneantur *συμβολιζειν*: aut quasi formulæ liturgicę essent textus Scripturæ, qui à Lectore aut Concionatore sine ullâ mutatione prælegi solet. Quod si tales in sua sive *ἀτελείᾳ* sive *ἰδιοσυγκρασίᾳ* viderentur sibi perfectiores (uti revera non sunt), deberent tamen audire? Paulum Philipp. 3. vers. 15. *Quotquot sumus perfecti hoc sentiamus* &c. *4. Concl.* Tanta debet esse ecclesiastica Liturgiæ cum Scripturâ convenientis (qualis e gr. nostra Belgica) authoritas, ut nulli Ministro aut particulari Synedrio privatâ autoritate eam abrogare, aut eandem interpolatam edere, aut in exercitio ministerii quidquam substituere aut mutare liceat, ne quidem in phrasi, quod sacris literis minus conforme sit, aut publicis & communiter receptis formulis liturgicis repugnet. *VII. Probl.* An Liturgiæ linguâ nationis cujusque vulgari conscribi, & in Ecclesiis usurpari debeant! *Resp. Aff.* contra Pontificios, nominatim *Bellarmi.*

Digitized by Google

Bellarminum Lib. 2. de Verbo Dei. c. 15. 16. Sed quia quæstio de sacris vernaculè peragendis, & Scripturæ translatione in controversiis de Scripturâ abunde pertractata est à *Chemnitio in Exam. concil. Trid.*, & *Juello contra Hardingum*, & post eos à *Lubberto*, *Wittakero*, *Chamiero*, *Riveto*, eademque argumenta pro vernaculis Liturgiis militent; non est quod eadem hoc loco reponam; imprimis cum videam à *Theologis Salmurienſibus part. 2. Disp.* contra peregrini idiomatis Liturgias ex professo & planè disputatum esse. Subjiciam solum modo argumentum ad hominem, cum Pontifex Maronitis sedi Romanæ subjectis, & Ruthenis ante annos aliquot (vide *Histor. Ecclesiar. Slavonicarum*) eidem unitis, sacra & Liturgiam vernaculo sermone concesserit, cumque conciones ubique vernaculè haberi permittat, cur suis in usu Liturgiæ hoc tantillum non indulserit? cum in officio divino majoris momenti (secundum ipsos) sit Liturgia, quam concio. *VIII. Probl.* An ab Ecclesiis jam ordinatis Liturgia in primâ earum collectione aut reformatione introducta, mutari possit? *Resp.* 1. *Concl.* Si illa sive passim, sive aliquâ in parte heterodoxa sit, aut saltem phrasibus ambiguis, periculosis, & scandalosis concepta, causa nulla dici potest cur mutari non debeat. Quæ pro necessitate reformandæ doctrinę à nostris in Germaniâ, Angliâ, Galliâ &c. hactenus scripta sunt, huc applicanda. Vide inter alia Scripta Auream *Juelli Apologiam pro Ecclesiâ Anglicanâ.* Quod ad Liturgiam nostram Belgicam, non memini controversiam illi à quoquam motam. Anglicanam ultra sæculum eridos pomum istic fuisse, nec Orbi reformato nec adversariis Pontificiis ignotum est. Quis enumeret libellos, maximam partem linguâ vernaculâ, utrinque editos? Anno 1603. mense Aprili petierunt mille Ministri per Chartartonum Cantabrigiensem, & celeberrimum Raynoldum Oxoniensem theologos reformationem quorundam tum in Disciplinâ tum in Liturgiâ, & ne in posterum admittendi ad Ministerium subscriptione Liturgiæ & Disciplinę Anglicanæ gravarentur. Sed Oxonienses consentientibus Cantabrigiensibus satis asperâ censurâ typis editâ Petitionem illam exceperunt. Quid Petitores obtinuerint, docet nos *Commentariolus historicus de colloquio coram sereniss. Rege in aulâ Northamptonienſis.* Quæ in Liturgiâ mutari petebant, erant hæc sequentia: crux in baptismo; interrogationes factæ infanti; confirmatio; baptismus mulierum; superindumentum candidum dictum *surplus*; ut examen præcedat admissionem ad communionem; & non administretur communio absque concione; ut corrigantur termini *sacerdotis*, *absolutionis* &c. & usus annuli in confirmatione matrimonii, similesque ritus omittantur; ut contrahantur prolixa liturgica; ut Conciones ecclesiasticæ, & musica ad majorem ædificationem aptentur; ne Dies Dominicus prophanetur; ne quies dierum Festorum tam strictè urgeatur; nullis Ministris imponatur, ut doceant populum suum genuflectere ad nomen

Jesu; ut sola Scriptura canonica in Ecclesiis legatur. Anno 1641. editus est *Libellus* sub nomine anagrammatizato (ut opinor) *Smectymnus*, ubi discutiuntur Liturgia & episcopatus. In illâ carpit indefinitè ceremonias quasdam, & definitè malam translationem psalmorum aliorumque Scripturæ textuum; multas phrases in formulis precationum, contra quas excipi posset; responsoria seu antiphonas populi ad preces Ministri: Inter quas quædam non respondent iis, quæ à Ministro præeunte in precibus pronunciantur; quædam videntur sapere tautologiam; quędam tam sunt essentiales precationi, ut quod Minister dicit, non sit precatio sine illis. Addit *ibidem* accidentia aliqua Liturgiæ, ex quibus hoc unum est, quod habeatur pro solo cultu Dei, & quod facta sit sustentaculum Ministrorum non Concionantium; quodque aliqui non veriti fuerint dicere, per scientiam hominum & angelorum non posse eam emendari, atque adeo Concionatores satisfacere muneri suo, si modo legant Liturgiam. Oxonienses in *Libello citato* ad ea, quę mille Petitores reformari desiderabant, responderunt, partim distinguendo & explicando, partim absolutè defendendo. Anno 1603. in Synodo Episcoporum Londinensi *can.* 4. sancita fuit excommunicatio de facto omnium eorum, qui dicturi aut docturi essent, aliquid in Liturgiâ contineri, quod repugnet Scripturæ. Scriptor Pontificius *Henricus Fitz-Simon* in libro cui tit. *Britannomachia Ministrorum*, quamplurima ex vernaculis Libellis excerpsit (an semper fide bonâ, hic non disquiram), ut ostendat intestinas Nostrorum in Angliâ concertationes. *Lib.* 1. *cap.* 3. exhibet schema contradictionum inter variantes Liturgias sub Regno Eduardi, Elizabethæ, Jacobi editas. *Lib.* 2. *cap.* 3. ex *Alano Copo* numerat 36. crassos errores, quos officium Anglicanum expressè, aut ejusdem *Apologeticus* à *Juello* conscriptus continere dicitur. *Ibid.* mutationes & innovationes in libro illo factas cum & sub novo quoque principe, repetit. Quamvis pii merito super illâ quæcunque dissensione dolere debeant, Pontificiis tamen non tantum de Formulis liturgicis, aut de Modo Regiminis & Disciplinę, sed & dė omnibus dogmatis suis inter se digladiantibus, facile os obstrui potest, digitum intendendo ad *Mortoni Apologias Catholicas*, ad *Illyricum de Sectis Papistarum*, ad *Crastovii Bellum Jesuiticum*, & vel ad solas *Bellarmini Controversias*; quin, ut huic lineæ insistamus, ad reformationem Missalis Breviarii, Officii Mariæ, Ritualis &c. ex *Decreto Concilii Trident.*, & ad concertationem per arma realia super Officio Mosarabico. De quo seq. quæst. *IX. Probl.* Quid sit Officium Gregorianum (à Gregorio VII. denominatum) seu Romanum, & quid Mosarabicum seu Gothicum, & quo loco fuerint aut sint in Ecclesiâ Romanâ? *Resp.* Præmissâ & sepositâ explicatione distinctionis inter Liturgiam missalem seu *Missale*, & inter *ordinem* seu *Libros rituales* seu Directoria, quales Libros separatim à missalibus habitos fuisse observat

Gavantus

Digitized by Google

Gavantus (Tom. 1. Sacr. Rituum, in principio), inhærebimus appellationi *Officii*: quam adhibet *Isidorus Hispal.* cujus duo Libri circumferuntur tit. *de ecclesiasticis Officiis*; & *Albinus Flaccus Alcuinus*, cujus *Liber de divinis Officiis*, seu *Ordinis Romani*; & *Amalarius*, cujus 4. *Libri Officiales*, seu *de divinis Officiis*; & *Ivo Carnotensis*, cujus *Sermones* 21. *de ecclesiasticis Sacramentis & Officiis* &c. *Officium Mozarabicum* seu *Mozarabe* per corruptionem vocis *Mixtarabum*, (uti cum aliis conjicit *Baronius ad ann.* 633. §. 71.) ita dictum fuit, quod Christiani post occupatam à Mauris Hispaniam illis permixti & sub eorum jugo viventes, ab aliis Hispanis extra Provincias à Mauris occupatas sacra sua colentibus, illo uterentur. Dictum etiam fuit *Officium Gothicum*, quod Gothi Hispaniam incolentes, & à Mauris inundati (qui iidem cum Mixtarabibus) eo uterentur. Erat autem *Officium* illud ab *Isidoro Hispalensi* jussu Synodi Hispanicę (uti vult *Baronius ad ann.* 633. §. 70.) compositum. Idem Officium in recuperatis per Christianos sive Provinciis sive Regnis servatum fuisse constat ex *Baronio ad ann.* 1074. §. 56. Et quamvis Gregorius VII. Officii Romani receptionem & usum urgeret, & inter Reges Sanctius Gregorio in hoc gratificari vellet, parum tamen effectum haut obscurè cogitur fateri: idque uberius declarat *ad ann.* 1080. §. 63. & *seqq.* ubi refert Regem Alphonsum illud repudiasse: unde minantia, Gregorii fulmina §. 65. quibus permotum satisfeciisse *Gregorio* ex ejus *Epistolâ* conjicit *Annalista*, §. 66. & *seqq.* non obstante, quod *ibidem* fateatur à compluribus rerum *Hispanicarum Scriptoribus* negari receptionem Officii Romani & dimissionem Gothici seu Mosarabici. *Ibid.* §. 72. ex hâc *Gregorii Epistolâ* corrigenda sancit, quæ plures *Rerum Hispanicarum Scriptores* de non abrogato, sed per miraculum comprobato Officio Gothico affirmant: Egregiam sanè Artem historico-criticam! Nobis si & quidem majori jure circa Historias ex quibus Annales suos (verè Historiam successionis, quin & panegyricum, atque apologeticum Paparum) consarcinavit, eâdem uti liberet, utique paleis ventilatis, grani parum culinæ Romanæ istic residuum esset. *Rerum Hispanicarum Scriptores* referunt ex iis *Joh. Mariana in Histor. Hispania, Lib. 9. cap. 18.* & ex hoc *Mart. Delrio Lib. 4. Disquis. Magicar. cap. 4. quæst. 4. sect. 3.* actum aliquoties de Missâ Isidori, seu Mozarabum, seu de Gothicâ precum ratione antiquandâ, sed absque successu: tandem ignis judicio controversiam permissam esse. Liber uterque *Romanus* & *Gothicus* cum in ignem injectus esset, illum continuò ex igni prosiliisse, istum verò sub flammis & igni diu permanentem, illæsum inventum esse: Hinc Rege arbitro, nihilominus populo persuasum fuisse, *utramque precandi rationem superis placere, quando uterque liber ex incendio evasisset incolumis.* Alibi legi ex *Hispanicarum rerum Scriptoribus* referri, controversiæ illius terminationem istic aliquando monomachiæ seu duello, altero scil. pugnante pro Officio

Romano, altero pro Mozarabum, commiſſam eſſe. *Duret. in Theſauro linguar. Gall. cap.* 55. Quamvis autem urgentibus Pontificibus tandem Hiſpaniam occupârit Romanum, nihilominus in Eccleſiâ Toletanâ aliquis uſus Officii Gothici ſeu Mozarabum etiamnum continuatur. Sed quidquid ſit de iſtâ varietate Officii, & Miſſalis ac Breviarii novi ſeu reformati, ab antiquo: tanta tamen eſt variatio in Officiis propriis ſecundum Eccleſias, Capitula, Monaſteria, & Ordines Religioſorum, ut 80. Deciſiones SS. Congreg. Rituum ſuper iis factæ ſunt ante ann. 1637. quas collegit *Auguſt. Barboſa in Collectaneis Bullarii &c.* Ut nihil nunc dicam de mutatione in Breviariis, quę non obſtante inſtitutione ac formâ illud recitandi per Pium V. 1568. conſtit. 64. quæ incipit, *Quod de nobis*, etiamnum ita variat, ut SS. Congreg. Rituum non auſa fuerit ulterius quid facere ad executionem Statuti Papalis 10. Junii a. 1602. quam mandare, ut ſuadendo *ſuaviter introduceretur Breviarium Romanum in Eccleſiis, quæ alio Breviario utuntur.* Sic *Barboſa in voce BREVIARIUM. Ibidem* ſubjungit & alias deciſiones 15. Martii a. 1608. & ſeqq. (quas videat, cui vacat) quæ nihil ſonant niſi diverſa Breviaria per Orbem Romanum. Eandem diverſitatem conſpectus titulorum Calendarii, Breviarii, Diurnalis, in Officinis librariis neminem non docere poteſt. Vide in *Barboſa voces CEREMONIALE, LITANIA, OFFICIUM, MISSALE, ANTIPHONA, &c.* Et dic Romę, ut ſecum habitet, nec Anglis mutationem aliquam Liturgiæ in poſterum objiciat. *XI. Probl.* An ad tantò melius populum Liturgiis & Ritibus Romanis aſſuetum à Papatu ad reformationem traducendi, conduxiſſet, à reformatis initio retentum & repurgatum fuiſſe Miſſale, cum Breviario, aliiſque libris liturgiis & ritualibus? *Reſp.* Minimè. Quia Miſſale quod ad totum ſubjectum ſuum, hoc eſt, celebrationem Sacrificii miſſatici, cum cultu Sanctorum Scripturæ repugnat: adeo ut per nullam, aut ſtyli, aut ordinis, aut partium aliquarum emendationem ſtructura ejus ita transformari poſſit, ut Eccleſiæ ædificationi inſerviat. Rectè ergò factum ab Eccleſiis Germanicis, Danicis, Gallicis, Scoticis, Belgicis, &c. quod alias & proprias ſuas Liturgias Miſſali, aliiſque Ritualibus Romanis ſubſtituerint. Quod ſi omnes Eccleſiæ Chriſtianæ extra Romanam propriis ſuis & quidem, linguâ cuique vernaculâ liturgiis utantur, quidni & noſtræ ſuis? Quibus linguis ſacra ſua peragant ſingulæ gentes, extra Romanam communionem ex *Hiſtoricis & Topographis* enotavit *Eduard. Brerewodus in Scrutinio religionum cap.* 17. *ſeu ult.* imprimis *Duret. in theſ. ling.* Ipſi Pontifices non aſtringunt Græcos, qui hodie Venetiis Eccleſiam aliquam conſtituunt, nec Ruthenos, quos unitos vocant, nec Maronitas ſedi Romanæ ſubjectos, nec Abaſſinos antehac cum eâdem unitatem colentes, ad ordinem Romanum, & formas liturgicas ac rituales: quin etiamnum hodie linguâ latinâ celebratur Officium Mozarabicum Toleti in ſacello magni Templi & alibi

Digitized by Google

& alibi ibid. teste *Dureto in Thesauro linguarum cap. 55.* Nec tantum permittunt cuiq; suas, sed ipsi editiones aut translationes earum procurant, aut à suis procurari sinunt. Videantur *Liturgica Cassandri & Xainteſii, Euchologium à Stephano Goar* Parisiis editum cum translatione & notis, *Pamelii Tomi duo liturgicor. latinor.*, quibus inserta est *Missa Mozarabum, in Hispaniis usitata*, uti habet titulus libri, & eum sic refert *Possevinus in Appar.* Liturgica Græcorum, *mysteriorum scil. ante consecratorum, defunctorum, Officium de angelis & sanctis, Menologium sive Calendarium sanctorum totius anni, tituli 122. capitum euchologii*, quæ omnia è græco in latinum conversa à *Genebrardo.* Quin idem Genebrardus ex Rituali Judæorum synagogæ Romanæ dicto *Machsor* hebr. lat. edidit anno 1569. Officium defunctorum seu lugentium: non obstante generali non tantum prohibitione legendorum & vulgandorum librorum Thalmudicor. & Rabbinicor., sed & speciali sanctione de non tolerandis Libris Judæorum dictis *Machsor*, nisi in linguâ Hebraïca. Ita habet *Index Librorum Prohibitorum Clementis VIII. renovatus à S. congreg. Cardinal. jußu Urbane VIII.* anno 1627. in præmissis observat. circa regulas *pag.* 13. edit. Colonienſ. apud hæredes Ant. Boeytseri. Prohibitionis Clementinę meminit *Possevinus in Appar. in voce GILB. GENEBRARDUS*, ubi hanc monitionem addit: *Ac tamen videat cordatus & pius Lector, quousque sibi liceat hosce libros legere, cum Index libr. prohibitor. à Clemente VIII. &c.* Denique in Papatu variantes ordines Monachorum variantibus utuntur Missalibus, Breviariis, Diurnalibus, Horis seu Officiis Mariæ, Antiphonalibus, Gradualibus, Psalteriis, Processionalibus, Calendariis. Anno 1566. Antwerpiæ apud Plantinum excusum fuit *Didaci Ximenes Calendarium perpetuum secundum instituta Fratrum Prædicatorum.* Illi præmittitur *Calendarium commune secundum Instituta Ordinis Prædicatorum correctum & emendatum apud Patres capituli generalis Salmanticæ celebrati anno 1551.* Quibus verbis continuò subjiciuntur sequentia: *Hoc Calendarium commune est illudmet quod in principio nostrorum* (nota) *Breviariorum describitur.* Eidem Calendario Antwerpię excuso hanc præmonitionem adscribit Godefridus à Mierle ord. prædicator. Provincialis in Belgio: quod *resecuerit Provinciæ Hispaniæ propria festa*, ut scil. Liber iste *omnibus Ordinis* Prędicatorum *Provinciis æque esset usui.* Unde colligimus ejusdem Ordinis religiosorum propria Calendaria, Breviaria, Missalia &c. insuper variare secundum Nationes seu Provincias; ita ut religio & stata ac perpetua exercitia religionis e. gr. Prædicatorum in Hispaniâ aut Germaniâ, &c. varient à religionibus seu exercitiis in Galliâ, aut Poloniâ, &c. Similiter a. 1604. Parisiis apud viduam Gul. de la Nöue, & Carolum Chastellain Diurnale secundum Ordinem Præmonstratenſium: ubi in præmisso privilegio Franciſci à longo-Prato, qui se *totius Ordinis Caput*, & *capituli generalis plenariâ potestate fungentem*

dicit facultatem dat Typographo Missalia, Breviaria, &c. *Libros suo Ordini utiles & necessarios*, juxta exemplaria ex *Monasterio suo exhibita & prius recognita* imprimendi. Sed quid ultra facem in meridie accendo. Ne autem rerum istarum imperiti excipiant, in minutiis aut voculis solum variare liturgica ista, notari velim in maximi momenti actibus & partibus divini cultus varietatem illam, immo & oppositionem deprehendi: Inspice modo *Decisiones Cardinalium in vocibus*, *CANONIZATIO*, *OFFICIUM*, *&c.* Unum hic solummodo commemorabo, quod mihi in primis ministerii annis Sylvæ-ducis à Dominicano responsum, cum differens de controversiâ super immaculatâ conceptione B. Mariæ, in quâ dicebam Dominicanorum opinionem satis condemnatam esse per anniversarii Festi observationem: negabat ille à suo Ordine observari Festum *immaculatæ conceptionis*, nec tale quid comparere in Calendario proprio Prædicatorum, sed loco ejus scriptum esse, *dies sanctificationis B. Virginis*: quod in educto ex sinu libello mihi ostendebat.

CAPUT III.

De Ritibus seu Ceremoniis ecclesiasticis.

§. 1. SUscepimus hic explicare Ceremonias ecclesiasticas in genere: speciali earum tractatione ad suos cujusque locos & titulos, per totam Politiam ecclesiasticam rejectâ. Erunt autem hujus nostræ explicationis Partes duæ: quarum prior *Præcognita de Ceremoniæ naturâ & proprietatibus*; posterior *Controversias & Problemata* complectetur. In Præcognitis nostris considerandа. 1. Nomen. 2. Ipsa rei Natura & Definitio. 3. Divisio. 4. Oppositа. Quod ad *primum*, Ceremoniæ vox Latinis usurpata ad denotandum Ritum sacrum, quibusdam derivari videtur à Cære oppido; cujus meminit *Livius Lib. 5.* aliis à Cerere; aliis à caritate; aliis ab adjectivo Cerus, quod apud Antiquos synonymum erat τῷ *sanctus*; sicuti à sanctus sanctimonia, sic à cerus ceremonia. (Vide *Nonium Festum* & ibi *Scaligerum*): aliis à carendo, uti *Massurius Scabinus* apud *Gellium Lib. 4. c. 9.* Quod si à cerus derivemus, uti cum *Scaligero* hoc maxime probabile judicamus, non inepte quis conjiciat Hetruscam disciplinam à Chaldæorum קרא *Kera* 1. legit, oravit, invocavit hoc desumsisse: audire enim Deum in verbo loquentem, & Deo loqui per preces, proprii sunt actus Viri sancti & religiosi. Græcorum synonyma sunt ὅσια, ἅγια (vide *Servium Æneid. 4.*) δημήτρεια (*in Glossario*;) quod respicit notationem vocis à Cerere; quæ Græcis dicta Δημήτηρ & Δήμητρος. In sacris occurrit חק mos, ritus. *Actor.* 22. Hebr, משפט. Vox חק *chock* gr. δόγμα, *Col.* 2. propriè non ipsum ritum, sed legem Rituum

Digitized by Google

tuum seu Ceremoniarum designat. Alia synonyma synechdochica sunt *religio, cultus, ritus, observantia, signum, adiaphorum, sacrum, consecratio, sacramentale.* De tribus postremis vide *Disp. nostram de Benedictionibus & Sacramentalibus in* 3. *Part. selectar. Dispp.* De voce & definitione *Adiaphori* alibi agendum *in Loco* scil. seu in *Tract. de Bonis Operibus in genere.* Post inchoatam reformationem & secessionem ab Ecclesiâ Romanâ, omnia quæ circa particularia & peristatica Ordinis & Rituum ab Ecclesiis constitui possunt ac solent, dicta fuerunt *Adiaphora:* uti videre est *in Scriptis elenchticis*, imprimis *in Consiliis & Disquisitionibus de Syncretismo inter Protestantes & Papistas, & inter Protestantes & Reformatos*; infra *Part.* 3. *tit. de Syncretismo* indicatis. Ratio hujus appellationis est, quod à Deo talia præscripta non essent, sed arbitrio Ecclesiæ relicta; à quâ liberè & prudenter statuuntur, quæ nunc ad ordinem & decorum, pro ratione circumstantiarum, maximè facere judicaverit. Voces synechdochicę *signi* & *ordinis*, Ceremoniis tributæ alibi explicantur. Nos de illa in 2. *Part. selectar. Dispp. tit. de Signis.* De istâ Logici & Metaphysici. Omnis ordo in divinis & ecclesiasticis non est Ceremonia, nec vice versâ. Ita ut à Ceremoniarum sacrarum ab hominibus institutarum defensoribus (inter quos *Filesacus* theol. Paris. *Lib.* 2. *selectar. tit. de Ceremoniis*) malè ex voce εὐσχήμως 1 *Corinth.* 14. *vers.* 40. & ex necessitate ordinis in agendis sacris servandi, confusionemque omnem evitandi, consequentia ducatur ad traditiones & Ceremonias Ecclesiæ Romanæ.

§. 2. *Quod ad secundum.* Ut naturam & definitionem Ceremoniæ ecclesiasticæ tanto melius percipiciamus, præmittimus nonnulla de cultu Dei. *Cultus* juxta *Scholasticos* (*ad* 22. *qu.* 81. *art.* 1.) plus dicit quam *honor*; est enim honor cum submissione. Quemcunque ergo colimus, etiam honoramus: sed non contra. e. gr. Deus honorat angelos & sanctos amicos suos, sed non colit. Cultus Dei juxta *Bonaventuram in* 3. *Dist.* 9. *Art.* 2. *Qu.* 3. accipitur pro actu directo in Deum sub ratione aut finis tantum, aut etiam objecti: aut insuper honorabilis. Et hic cultus in sacris dicitur δουλεία, λατρεία, etiam θρησκεία; cum quibus convenit προσκύνησις. Cultus Dei proprie ita dictus (quem etiam immediatum vocant, quod immediate & directe in Deum tendat) est vel naturalis vel institutus: *Prior* est internus, constans actibus fidei, spei, caritatis, &c. *Posterior* est partim internus partim externus; ut oratio, benedictio, confessio, votum, juramentum, auditio verbi, sacramentorum perceptio, cum suis requisitis & adjunctis. Idem hic cultus distinguitur in solitarium, & socium, eumque aut privatum aut publicum. Publicus Cultus est, qui peragitur ab Ecclesia: cujus actus vulgò dici solent officia divina, agenda ecclesiastica, exercitia sacra, exercitia religionis. Actuum eorum externus modus, & formalitas, constat Ceremoniis seu Ritibus ab Ecclesiâ observari solitis: de quibus in præ-

sentiarum

sentiarum nobis agendum est. Ne autem ambiguo laboremus, prœmittimus distinctionem Ceremoniæ in *divinam* & *humanam*. *Prior* est, quam Deus immediatè instituit, quęque ideo observatu necessaria est: quæ vel politicæ est vel ecclesiastica. *Politica* est vel *generalis* & perpetua, quales sunt omnes observationes decori naturalis, e. gr. *Deut.* 25. 5. 1. *Cor.* 11. 13. 14. de Viro per formam vestium, & per comam à Fœminâ externè distinguendo. Vel *particularis* quales hę Ceremoniæ legis forensis Mosaicæ, *Exod.* 21. 6. *Deut.* 25. 9. *Ecclesiastica* etiam *sacra*, *mystica*, *& religiosa* dicitur. Estque vel V. T. tum ante tum post Mosem: vel N. T. De quâ ad secundum Decalogi Præceptum & partim in Loco Communi de Signis ac Typis, partim in Loco Communi de Lege Dei ex professo tractari debet. *Posterior*, *Ceremonia* scil. *humana* est, quæ hominum usu observatur, & libera dicitur. Estque vel civilis, vel ecclesiastica; 1. *Civilis*, est formalitas quædam externa, seu modus agendi inter homines aut lege aut consuetudine usitatus. Hæc rursum duplex est: *aut* rationi & necessitati naturali sive ad esse sive ad bene esse innixa atque inde deducta; tanquam decorum naturale, quales multæ in doctrinâ de civilitate morum: aut mero arbitrio & instituto hominis recepta. Et tales liberæ Ceremoniæ, sive probandæ, sive tolerandæ, sive exsibilandæ tanquam vanæ, ineptæ, ridiculę comparent in foro, curiâ, aulâ, scholâ, castris, collegiis, compitis, conviviis, nuptiis, ludis, funeribus, &c. Dividi possunt in *communissimas*, *communes*, *proprias*. *Communissimæ* sunt, quæ quasi jure Gentium si non apud omnes saltem apud pleraśque excultiores gentes obtinent ut e. gr. sceptrum, aut diadema, aut thronus, seu solium, aut simile Potestatis insigne. *Communes* sunt, quæ in Regno, aut Natione, aut Nationibus aliquot vicinis sedes fixere: e. gr. apertio capitis in salutatione, aut aspectu, aut alloquio, apud plerośque Europeos. *Propriæ* rursum distinguuntur vel secundum status hominum, vel secundum loca habitationis. *Secundum status hominum*, distinguuntur, in aulicos, forenses, militares, navales, scholasticos, &c. *Secundum loca* distinguuntur omnes à se invicem, quæ limitibus alicujus Regionis, aut Provinciæ, aut Civitatis, aut Vici, aut cujuscunque Collegii aut communitatis circumscribuntur; & tales sunt innumeræ. Si quis istarum rerum curiosus sit, adeat *Vulgaria Itineraria*, *& singularum Nationum*, *Regionum*, *districtuum Scriptores Historico-topographos*, quos maximam partem indicatos videbis in *Archontologiâ cosmicâ*, edit. poster. Non pauca collegerunt *Alexander Sardus*, & *Johannes Boemus Aubanus in Tract. suis de Moribus & Ritibus Gentium*; quibus addi potest *Polydorus Virgilius de Inventoribus*, & *Scriptores de Civilitate morum Guazzus*, *Castiglionis*, *Joh. Casa*, *Joh. Althusius*, *&c.* nec non *Scriptores de Aula & Aulicis* alibi indicati. Nec prętereundi *Collectores Antiquitatum de Judiciis*, *Triumphis*, *Funeribus*, *Nuptiis*, *Conviviis*, *Ludis*, *Theatris*, *Spectaculis*, *Vestibus*, *Annulis*, *Puerpueriis*,

pueriis, &c. Imprimis Ceremoniarum magistros præstant *Scriptores de Insignibus & Arte Armoriâ, deque Equitibus seu ordine equestri* tum in genere tum in specie; denique *de Præcedentiis, & Gradibus ac Catalogis Gloriæ Mundi. Conradus Brunus* J. C. *Tractatum* edidit *de Ceremoniis politicis:* sed cujus exemplar non contigit hactenus videre. 11. *Ecclesiastica* est, quæ in Ecclesia, & circa exercitia Religionis ecclesiastica observatur: & alio nomine *Adiaphorum*, Decorum, Ritus dicitur; aliquando etiam *Sacra & religiosa* Ceremonia: sed impropriè & per extrinsecam denominationem, quia in Sacris, & circa Cultum divinum adhibetur. Ut autem ecclesiastica Ceremonia ritè definiri possit, præmonemus ab Autoribus aliquando latè accipi pro omni Cultu instituto, seu pro totâ Religione, quæ omnia Officia divina eorumque modum, ordinem, & formalitatem complectitur. Aliquando strictè pro Observationibus quibusdam circa illa Officia atque unà pro omnibus adjunctis & requisitis Officiorum divinorum proximis: qualia sunt personæ, utensilia seu instrumenta, loca, tempora, ordo agendi, &c. Aliquando strictissimè; idque tripliciter: *vel* pro actione peristaticâ circa actiones illas, quæ Cultus divini instituti partes integrales sunt, & specialiter Officia divina, & Agenda sacra dicuntur: *vel* pro Ordine in exsecutione divinorum Officiorum, & in Adhibitione atque usu adjunctarum actionum peristaticarum: vel pro Observatione circumstantiarum loci & temporis, vel pro omnibus illis. Nos in strictissima significatione potissimum hic usurpabimus. Et sic describitur Ceremonia ecclesiastica, quod sit *observatio circa ordinaria Agenda sacra, ad ornatum; quæ non sit formaliter Cultus divinus, aut pars Cultus divini.* Et hæc synonymice per synecdochen vocatur *Adiaphorum*; quod vocabulum in concertatione super Ritibus in Ecclesiis Germanicis antehac exortâ, adhibitum fuit. Diversa ab hâc, acceptio Adiaphori; à quo dicti *Adiaphoristæ* inter Protestantes, qui *Interim Germanicum* recipiebant. De quibus consule *Historias Sleidani, Pezelii, Micrælii.* Non potest autem omnis Ceremonia ecclesiastica in generali, communiori, & inter Theologos frequentatâ significatione accepta, dici Adiaphora. Est enim alia divina seu Juris divini, e. gr. fractio panis in Cœnâ: alia decori naturalis & communis, e. gr. 1. *Cor.* 11. *vers.* 13. 14. alia proprii, arbitrarii, & particularis, sive instituti, sive usus: & tales Ceremoniæ propriè dicuntur Adiaphora. Nos secundi & tertii generis Ceremonias descripsimus, quę à Divinis distinctæ sunt.

In descriptione nostra considera 1. quod sit *observatio.* Vox actionis (quam plerique adhibent) nimis angusta est: quamvis enim potissimum §. 3. ratio Ceremoniæ in externa actione spectetur & pleræque si non sint actiones, saltem ad eas reducantur; omnes tamen non sunt formaliter actiones: uti *infra in Problematis* ostendimus. Non addimus hic ad genus proximum constitu-

endum τὸ *sacra*; nec etiam dicimus esse *signum sacrum:* ut distinguamus humanas Ceremonias circa Sacra, à Divinis & formaliter Sacris, atque adeo observatu necessariis, necessitate scil. præcepti. 2. Quod *versetur circa Sacra* seu ordinaria & Agenda officia divina in Ecclesiâ: ut distinguatur à Ceremoniis extra ordinariis tam in N. quam V. T. adhibitis, aut in Prophetiis aut in Miraculis. De *illis* vide in V. T. *Jer.* 27. 2. *Ezech.* 3. 3. in N. T. *Actor.* 21. *v.* 11. De *ipsis* vide in V. T. *Exod.* 7. & 8. 1. *Reg.* 17. 21. 2. *Reg.* 4. 34. 35. in N. T. *Marci* 6. 13. cum *Jacob.* 5. 14. Similes illis fuerunt arbitrarii ritus Christo usurpati. *Marc.* 7. *Joh.* 9. Extraordinariæ ille rursum subdividi possunt in eas, quas ipse Deus immediate adhibuit aut proposuit, in Prophetiis aut Miraculis, ut *Actor.* 2. 3. 4. & quas viri Dei adhibuerunt & formaliter effecerunt, ut 1. *Reg.* 17. *Marci.* 6. 13. 3. *Finis* (quæ etiam forma, & τὸ formale dici posset) indicatur vocibus ἐυταξίας & ἐυχημοσύνης: quibus conveniens ac commodus ordo in Agendis servandis, & τὸ ἐυσχῆμον, seu conveniens decorum tum naturale, tum civile h. e. moris ac consuetudinis alicubi receptę, significatur. IV. Additur melioris explicationis causa, *Quod tamen non sit formaliter Cultus divinus seu Sacer*, nec pars ejus: Ut eam distinguamus à Ceremoniâ proprie & formaliter Sacra, quam ipse Deus instituit & consecravit; quæ & *mystica* dicitur: quęque propterea non Adiaphora, aut arbitraria, sed observatu necessaria; & consequenter efficax in significando & obsignando, atque hoc modo moraliter efficiendo tanquam instrumentum morale.

§. 4. Requisita Ceremoniarum ecclesiasticarum sunt 1. *Ut sint* paucæ: alioqui non faciunt ad decorum & ἐυσχῆμον, sed potius ad oppressionem, deformationem, & exinanitionem Cultus divini. 2. *Ut sint* simplices, & observatu faciles. Operosæ enim & affectatę nimium, sæpe longè quæsitę, hominem exteriorem nimis occupant, & interiorem abducunt aut distrahunt; & consequenter spiritùalem attentionem ac devotionem turbant, & Cultui atque Officio divino plus obsunt quam prosunt. 3. *Ut sint* liberæ & Adiaphoræ: & consequenter, ne necessitas iis affingatur, ac conscientia circa omissionem aut praxin earum scrupulosa reddatur, & sic tandem ad superstitionem dilabamur. 4. *Ne* Ecclesia universalis universaliter omnibus Ecclesiis, & fidelibus per totum orbem, & præsentibus, & usque ad finem mundi successuris, easdem Ceremonias, in se alioquin Adiaphoras, præscribat observandas. Quod idem dico de Ecclesiis particularibus, in Natione, Regione, Provincia, Urbe. Et multo magis de Magistratu. 5. *Ut sint* & habeantur mutabiles, quotiescunque usurpantur, aut recipiuntur: sic tamen, ne quilibet privatus ad libitum eas muret. 6. *Ne* Ecclesia collateralis alteri collaterali hic quidquam præjudicet; aut sorores suas ad modulum suum Ceremonias non effermantes contemnat, multo minus condemnet: sed suam cuique libertatem relinquat, & suam sibi servet.

Cere-

Ceremoniæ humanę eccleſiaſticæ variè dividi poſſunt, ſecundum funda- §. 5.
menta; ſecundum cauſas efficientes; ſecundum formam ſeu modum; ſecundum ſubjecta ſeu tempus & ſtatum Eccleſiæ; denique ſecundum objecta ſpecialia. 1. *Secundum fundamenta*, aliæ ſunt quæ fundantur in aliqua ratione & neceſſitate naturali ſive ad eſſe ſive ad bene eſſe, atque adeo ad commune τὸ πρέπον naturale pertinent in omnibus publicis actionibus humanis, tam civilibus quam eccleſiaſticis: aliæ quæ fundantur in arbitrio, & conſuetudine humanâ; ita ut Eccleſia communem morem quippe Adiaphorum, inter homines in Politia, & in Eccleſiâ decedente aut præcedente; (ſive vera, ſive apoſtatica, ſive errante, ſive ſciſmaticâ) receptum adoptet, & rebus atque Agendis ſuis eccleſiaſticis accommodet. *Prioris* generis ſunt e. gr. ut ſuggeſtum conſcendat Concionator atque inde concionem habeat: ut Fœminæ ſeorſim à Viris in Templo conſideant: ut Homines honeſtè tecti & veſtiti, non vero nudi ſive in totum ſive ex parte in Eccleſia compareant: ut ubi frequens multitudo, ab unâ parte ad Menſam Domini accedant, ab alterâ diſcedant. *Poſterioris* generis ſunt e. gr. ut Miniſter operto aut aperto capite concionetur, & ſacramenta adminiſtret: ut fideles in cœtu convenientes, apertione capitis, aut genuflexione, aut porrecta dextra, aut amplexu, aut oſculoſe mutuo ſalutent: ut precantes, erecti ſtent, aut in genua procumbant, aut humi ſe proſternant, aut caput aperiant; ut Miniſtri per impoſitionem manuum publice confirmentur: ut Miniſter inſtructurus homines ad cœnam acceſſuros ſtans ad menſam, aut in ſuggeſto, formulam inſtructionis pronuntiet aut recitet: ut adminiſtratio Baptiſmi fiat ante Concionem, aut poſt Concionem. &c. 2. *Secundum cauſas efficientes* aliæ ſunt apoſtolicæ, aliæ eccleſiaſticæ; utræque tamen Adiaphorę. *Apoſtolicæ* ſunt, quas Apoſtoli aut Eccleſia apoſtolica introduxit aut uſurpavit: qualis e. gr. impoſitio manuum, & oſculum pacis. *Eccleſiaſticæ* ſunt, quæ poſt Apoſtolorum deceſſum introductę, aut uſurpatæ, ſive liberè, ſive cum aliquâ ſynodali determinatione. Ex iſtarum numero ſunt Ceremoniæ eutacticę circa gradus & ſtatus pœnitentium, ubi κλαίοντες, προσκλαίοντες &c. De quibus vide *Determinationes factas ab eccleſiis imperii Romani* (quas perperam univerſam & œcumenicam vocabant) in *Codice Canonum Concil. Ancyrani can.* 5. & 6. & ad eos *Notas Juſtelli*, qui ex Thaumaturgo, Tertulliano, Baſilio &c. Ritus illos explicat. 3. *Secundum formam* dividitur in primariam & ſecundariam. *Primaria* conſiſtit in actione aliqua externa, ſeu in obſervatione actionis externę aut geſtus alicujus circa Officia divina ſeu Agenda ſacra e. gr. ut: ſtans Miniſter diſtribuat Cœnam: ut ſingulis porrigat panem, aut ut ſinguli ex patinis ſumant. Ad actiones externas refer etiam formalia verba ſeu certas verborum formulas in executione & adminiſtratione Sacrorum obſervari ſolitas. *Secundaria* conſiſtit in modo ſeu

modificatione tum actionis illius externæ, quam Ceremoniam primariam vocamus, tum ipsius Officii divini seu Sacri. Modificatio illa fit, in observatione & usu loci; temporis; utensilium; vestium: ordinis secundum prius & posterius; quantitatis; personarum quæ ministrant Ministris ecclesiasticis dum sacram functionem obeunt; denique omissionis, aut abstinentiæ, aut privationis alicujus. Quod *ad locum*, libere & prudenter statuitur e. gr. in quo Oratorio seu Templo & in qua ejus parte Cœna hic & nunc administranda. Quod *ad tempus*, e. gr. quo mense & die, quâ parte diei & hora Concio habenda aut Cœna administranda: & in quasi Agendis, negotiis, scil. conjugalibus, ut confirmationes & benedictiones conjugii peragantur hoc aut illo die, hâc aut illâ horâ ante aut post Concionem. Quod ad *utensilia*, quę quantitas, forma, figura mensæ; quales patinæ, calices, canthari adhibendi, quale vas baptismale. Quod ad *vestes* Ministrorum, ut pro decoro & more civili illius Gentis toga, aut tunicâ, aut pallio tecti publica Sacra coram Ecclesia peragant. Quod ad *commodum aut concinnum ordinem* Agendorum, e. gr. ut Baptismi administratio fiat ante Concionem aut post; sic tamen ut ambitu Officiorum sacrorum & retenti conventus contineatur: ut nomina desponsatorum aliaque Ecclesiæ indicanda ante inchoata, aut post peracta Sacra promulgentur; ut Scripturę lectiones, explicationes, applicationes hoc aut ullo ordine & delectu, accommodatè ad tempora & personas habeantur. Quod ad *quantitatem discretam*. e. gr. ut aut aliqua aut omnia Sacra & Officia divina simul (Psalmodia, Benedictio, Sacramentorum administratio, lectio & explicatio Scripturæ, Catechizatio) in istis aut istis Conventibus ecclesiasticis sive dominicis, sive hebdomadalibus, sive matutinis, ante lucanis aut post lucanis, sive pomeridianis sive vespertinis, ordinario peragantur. Adhęc ut semel aut bis aut ter &c. oretur aut canatur; ut ter aut semel aqua Baptismi spargatur. Quod ad quantitatem continuam, e. gr. ut Cœtus tam diu detineantur; item Conciones aut Scripturæ lectiones, aut Psalmodiæ huc usque & non ulterius protrahantur. Quod ad *personas* subservientes Ministris verbi, aut eosdem adjuvantes in administratione Sacramentorum, in Precibus publicis, sunt Seniores, Diaconi, Æditui, aut Janitores, Lectores, Præcentores, publici Ludimagistri, aliique siquisint Catechistæ, Ægrotorum Consolatores. Sic e. gr. alicubi Seniores, alibi Diaconi in Cœnæ administratione calices implent & Concionatori suppeditant, aut in mensam reponunt. Æditui aut Janitores, aut Prælectores, aut alii ad illud assumti implent cantharos, panem in partes scindunt, & suppeditant. Iidem aut publici Ludimagistri, aut Ægrotorum Consolatores, aut Diaconi, petitiones orationis publicæ pro particularibus necessitatibus Ministro ad Precationem se accingenti, vivâ voce aut scedulâ memoriali indicant. Catechistæ sive ex Ludimagistris

Digitized by Google

ſtris ſive ex Ægrotorum Conſolatoribus aſſumti, Pueros formulam catecheticam pronuntiantes audiunt, & ad catechizationem mox à Miniſtro peragendam præparant. Quod ad omiſſionem aut abſtinentiam, aut quamcunque privationem, e. gr. ut nudo capite Miniſtri Cœnam & Baptiſmum adminiſtrent. 4. *Secundum ſubjecta* dividitur dupliciter: aut ut ſubjecta illa diſtributim conſiderantur in unâ eccleſiâ ſeu uno in Cœtu: aut ut collectim conſiderantur ſecundum communitates eccleſiaſticas. *Priori* reſpectu dividitur Ceremonia. *Primò* in eam quæ à Miniſtro Sacrorum obſervatur, e. gr. ut Miniſter ſtans, aut aperto capite Cœnam, & Baptiſmum adminiſtret, Benedictionem promulget, & confirmans Miniſtrum ei manum imponat. *Secundò* in eam quæ à Senioribus & Diaconis obſervanda eſt; e. gr. ut confirmandi in munere ſuo ſurgant, & coram facie Eccleſiæ debitè declarent & promittant, juxta formulam in Liturgiâ propoſitam. Ut Seniores aut Diaconi adjuvent in adminiſtratione Cœnæ. *Tertiò* in eam quæ à Populo peragitur, e. gr. ut communicantes ad menſam ſedeant; ut Adulti baptizandi ſtent; ut Parentes Baptiſmum Liberorum ſuorum petentes aperte fidei confeſſionem edant, & educationem Liberorum in fide Chriſti promittant; ut in Cœnâ primus ex manu Miniſtri poculum accipiat, reliqui alter alteri illud tradant. *Poſteriori* reſpectu dividitur Ceremonia in veteris & novi Teſtamenti. *Illa*, eſt arbitraria (non Sacra aut Divina) obſervatio actionum quarundam, item ordinis, & circumſtantiarum, circa executionem Cultus ſacri ſive ante-Moſaici, ſive poſt-Moſaici; ſive moralis ſive ceremonialis; ſive templaris, ſive ſynagogici. *Iſta* rurſum eſt vel Eccleſiæ apoſtolicæ, vel poſt-apoſtolicæ: Et hæc *ratione temporis*, vel antiquæ, vel mediæ, vel novæ (Waldenſium ſcil., Huſſitarum; Proteſtantium, & Reformatorum): *Ratione loci*, vel Eccleſiarum in imperio Romano, vel extra illud (quas Canones Conciliorum Eccleſias in Barbarico appellant) vel in Oriente vel in Occidente, vel in Auſtro ſeu Meridie. Hodiernarum Eccleſiarum Reformatarum Ceremoniæ dividi poſſunt in communes omnium aut plerarumque & in proprias Nationales ſcil. &c. Quarum omnium ſpecialis enumeratio & enarratio ex Antiquitatibus & Novitatibus eccleſiaſticis petenda. 5. *Secundum objecta* dividuntur Ceremoniæ, pro numero Officiorum divinorum ſeu Agendorum ſacrorum. Quotuplicia autem ſint Agenda ſacra ſeu Officia divina*, & quæ eorum adminicula & requiſita alibi explicatur. Sic e. gr. ſunt Ceremoniæ, quæ obſervantur, circa Verbi lectionem & explicationem; aliæ circa Preces, Pſalmodias, Benedictiones; aliæ circa Agenda extraordinaria, ut Jejunia, ſeu Supplicationes, & Euchariſtias; aliæ circa Confirmationem Miniſtrorum &c. aliæ circa publicas Cenſuras; aliæ circa Adminiſtrationem Sacramentorum; quas ideo Pontificii ſacramentales, aut ſacramentalia appellant. Adde Ceremonias circa quaſi A-

Digitized by Google

genda ſacra, Conjugia ſcil., Funera &c. Singulæ in Politia eccleſiaſtica ſuis quæque locis explicandæ veniunt.

§. 6. Opponuntur Ceremoniis & Ritibus eccleſiaſticis ſive ex decoro naturali, ſive ex civili, pro conſuetudine & ſtatu Perſonarum, ac libertate Eccleſiarum prudenter adhibitis. 1. *Fortiſſime*, in defectu Enthuſiaſmus, & Libertiniſmus, qui omnem Cultum externum repudiat, (de quo alibi): in exceſſu vero pſeudo-ceremonię, quę ad directam idololatriam aut ſuperſtitionem pertinent, & quibus neceſſitas affingitur. 2. *Minus*, quæ indirectam ſuperſtitionem involvunt; & quæ quaſi neceſſarię urgentur. 3. *Minime*, quę ſpeciem mali præ ſe ferunt, & occaſionem mali ac ſcandalum præbent. Hos gradus quibuſcunque controverſis Ceremoniis, ſecundum facti cognitionem prudenti Lectori rite applicandos committimus: facto hic celebriorum Ceremoniarum, quas non probamus, & Autorum de ſingulis, indicio. Sunt ergo duum generum, vel extraneorum à fide, ut Gentilium, Judæorum, Muhammediſtarum; vel ſub nomine Chriſtiano Ceremonias idololatricas, aut ſuperſtitioſas, aut iis affines periculoſas, ſcil. aut vacuas & *otioſas* uſurpantium. Accipe omnium diviſiones: ſunt ergo. 1. *Magicæ* (de quibus *Agrippa* & *Petrus de Abano*): & *Ethnicæ* tum antiquæ, tum novæ, tum Orientalium, tum Occidentalium, tum Septentrionalium, & ſic per omnes mundi plagas. Confer *Bibliothecam noſtram & Diſp. de Gentiliſmo*; ubi Autores indicamus, unde illæ cognoſci debent. 2. *Judaicæ*; quas pleraſque compendio diſces ex *Synagogâ Boxdorfii*. Alios inſuper Autores indicamus in *Bibliothecæ*, & in *Diſp. de Adventu Meſſiæ*, & *de Judaiſmo*. 3. *Muhammedicæ*; quas require apud Autores in *Diſp. de Muhammediſmo* notatos. IV. *Pontificiæ*, quas infinitum eſſet enumerare. *Becanus tom. 6. Theol. Scholaſticæ cap. 7. qu.* 1. Ceremonias novę legis (uti vocat) facit quadruplices Sacramenta ſcil.; Sacrificium Miſſæ; Sacra, ut Calices, Caſulas, Altare; Obſervantias, ut Jejunia, Feſta, Genuflexiones, Uſus ſigni crucis, Aſperſionem aquæ benedictæ &c. Ad quartam claſſem refert Sacramentalia, quæ in Adminiſtratione Sacramentorum & Celebratione Miſſarum adhibentur. *Hoſius in Confeſſ. Polonicâ cap.* 87. dividit eas in ſumtas vel à perſonis, vel à rebus, vel à loco, vel à tempore. *Primi* generis dicit & probat more ſuo eſſe χειροθεσίας ordinandorum, jejunia eorundem, cœlibatum Sacerdotum. *cap.* 88. *Secundi* generis, ſacrificium miſſæ, ſacra vaſa, veſtes, cereos, aliaque quæ illic non enumerat, ſed lectores ad *Durantem*, *Rupertum Tuitenſem*, *Amalarium*, *Iſidorum* ablegat. *cap.* 89. *Tertii* generis templa, cum cœmeteriis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum. *cap.* 90. *Quarti* generis feſta cum vigiliis, jejunia, & ſtata tempora baptiſmi, ordinationum, miſſarum, communionis ſeu euchariſtiæ &c. Hęc ille: qui idem *cap.* 87. omnes Ceremonias rurſum dividit in tres claſſes: ut quædam

recta

Digitized by Google

recta ad ipſum Deum referantur cui Cultus exhibetur, ut ritus ſacrificii: aliæ ad homines Deum colentes, ut jejunia, eleemoſynæ, orationes, & ejuſdem generis exercitationes: aliæ ſint inſtrumenta Cultus, ut vaſa, veſtes, chriſma, cereus, luminaria &c. Plenam autem explicationem earum, quæ in Miſſa celebrantur, invenies apud *Barthol. Gavantum in Theſauro ſacrorum Rituum*: qui etiam pleniſſimum indicem omnium Scriptorum Ritualium præmiſit: quem ante ipſum moliri cęperat *Poſſevinus Biblioth. Selecta lib. 5.* Edidit & *Auguſtinus Patritius* Epiſcopus Pientinus *Tract. de Ritibus Romanæ Eccleſiæ.* Et nuper *Johannes Jacobs Compendium ſacrarum Ceremoniarum.* Rationes Ceremoniarum explicuit *Durantes in ſuo Rationali, & J. Bapt. de Rubeis in Rationali novo.* Linguâ Belgica idem præſtit ex ordine Jeſuitarum *Joh. David tit.* **Blomhof der Kerckelijcker ceremonien.** Et ne quid huic choragio deeſſet, conſtituta eſt Romæ inter complures alias Sacra congregatio Rituum, quæ dubia & quęſtiones hic occurrentes determinat. Non videntur prætereundæ Ceremoniæ peculiares Proceſſionum, Jubileorum, Octavarum, Papæ, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum &c. Quę indicantur in *Ceremoniali Romano, Pontificali, Ceremoniali Epiſcoporum, Octavario, Proceſſionali.* In *Ludovici Jacob. à S. Carolo Bibliothecâ Pontificum* indicatur exſtare in Bibliothecâ Vaticanâ & Piſauri in Bibliotheca Ducis, *Tract. de Ceremoniis Pontificiis* M. S. autore *Paride de Craſſis* Pontificiarum Ceremoniarum magiſtro. Habent & Capitula Canonicorum Magiſtrum Ceremoniarum. Vide *Molanum de Canonicis Lib. 1. c. 16.* Ad hanc claſſem referri debent quæſtiones de præcedentiis inter Clericos motis, de quibus vide *Scriptores* indicatos apud *Caramuel Lobkowits in Libro pro Præcedentia Ciſtercienſium.* Non paucas determinationes S. Congregationis Rituum collegit *Barboſa in Collectaneis ad Bullarium*, &c. 5. *Orientales* hodiernæ, quæ apud Chriſtianos in Græciâ, Armeniâ, Syriâ, Ægypto, Æthiopiâ, Moſcoviâ &c. obtinent. Libros, unde illæ cognoſcendæ, require *ſupra Cap. 1.* ubi *de Liturgiis.* 6. *Antiquæ* & iis ſuccedentes, quæ paſſim in Eccleſias imperii Romani paulatim introductæ, uſque ad ἀκμὴν Antichriſti & papatum in formâ conſtitutum. De quibus conſulendi *Hiſtorici eccleſiaſtici, aliique auctores*, quorum farraginem exhibet *Noſtra Bibliotheca.* Conferat, qui volet, *Diſp. Noſtram de Patribus.* 7. *Anglicanæ* & *Scoticæ*; de quibus illic ante hac controverti ſolet. Celebriora aliquot ſcripta de iis edita, indigitamus in *Bibliotheca.* Quia autem pleraque idiomate vernaculo tantum leguntur, commendo linguæ ignaris *Didoclavii Altare Damaſcenum.* Nos duas acceſſorias ad tres agitatas Ceremonias (crucis in Baptiſmo, ſuperindumenti albi, genuflexionis in perceptione cœnæ) genuflexionem ſcil. ad nomen Jeſu, & ad menſam communionis, datâ occaſione examinavimus in 3. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. de Superſtitione.* Unam ex tribus capitalibus ſeu primariis, crucem

ſcil.

abunde ſubrui putamus, quas promunt *Waldenſis Tom. 1. Sacramentalium tit. 5. Hoſius in Confeſſione ejuſdemque Defenſione cap. 87. uſque 92. Franc. Turrianus in tract. de Dogmatibus charactericiis, Bellarminus de Sacramentis, & de Bonis Operibus in particulari, Fileſacus lib. 2. ſelector.* Rationes *Belethi, Durantis in Rationali Joh. Baptiſtæ de Rubeis in Rationali novo,* a. 1628. Venetiis edito, *Gabrielis Biel in Expoſitione Canonis Miſſæ, Joh. Stephani Duranti, Gavanti* tam ridiculę ſunt, ut non mereantur aliter refutari, quam methodo & modo *Marnixii in Alveario Eccleſiæ Romanæ,* & *Vireti in variis Tract.* partim gallicis partim latinis.

I. *Conſid.* Scriptura earum nuſquam meminit. Atqui meminiſſe deberet, §. 2. ſiquidem non Adiaphoræ ſed ſacrę & myſticæ eſſent ſive in operando ſive in ſignificando (uti eas eſſe contendunt), & conſequenter Cultus divini partem facerent. Sed hic excipiunt. 1. *Except.* Quamvis Scriptura earum non meminerit, habentur tamen ex Traditione: ſunt enim ab Apoſtolis uſque ad nos per manus traditæ: & hoc ſufficit. *Reſp.* 1. Quid ſit de chimæricâ eorum Traditione, oſtendimus in *Problematis noſtris de Scripturâ:* nec eſt, quod hic repetamus. 2. Longam illam probationem, de Traditione & Obſervatione earum jam inde ab Apoſtolis uſque ad Concilium Tridentinum nondum vidimus. Quin ipſi hanc audacem aſſertionem refutant, cum paſſim probant aut probare ſatagunt *in ſuis Eccleſiaſticis Annalibus, Theſauris Antiquitatum, Tomis Conciliorum, Vitis Pontificum, Epiſtolis Pontificum, Rerum Inventoribus* &c. à quibus Epiſcopis aut Conciliis, aut Eccleſiis tales aut tales Ceremoniæ primum inſtitutæ ſint. Confer & *Joh. Stephanum Durantum, Joſephum Vicecomitem, ſimileſque Liturgicos & rituales Scriptores* ſupra in *citatos.* Fileſacus Lib. 2. ſelector. tit. de Ceremoniis §. 2. candidè originem ceremoniarum Papalium enarrat, dicens: *Nos generatim de totâ re diſſerere inſtituimus, atque illas omnes ceremonias non ab ipſis apoſtolorum temporibus in Eccleſiâ inſtitutas & uſitatas, ſed ſenſim, pro vario in Dei cultum animorum motu (N. B.) ad pietatem ardentiorem & vehementiorem excitandam, diverſis ſaculis excogitatas, univerſim affirmamus.* Et §. ſub finem: *Tria, ni fallor, tempora licet animadvertere, quibus Eccleſia Chriſti, vel novos inſtituit, vel prioribus alios adjunxit ritus: ab Apoſtolis ad Conſtantinum magnum, de quibus B. Dionyſius, S. Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, B. Cyprianus, S. Zeno Veronenſis, alii. A Conſtantino magno ad B. Gregorium magnum; à B. Gregorio ad noſtrum ſeculum.* Eodem paragrapho rationem adfert, cur memini hoc dubium videri debeat, quod domus, quo nomine vocatur Eccleſia *uno ac brevi momento ædificari, nec Civitas ſuis omnibus partibus, ordinibus, ſtatutis, legibus ilico perfici ſoleat. Ibidem* hunc in finem adduxit exemplum artium, quæ progreſſu temporis perfectionem conſecutæ ſunt; & dicta *Ariſtote-*

Digitized by Google

lis 2. Elench. Senecæ lib. 6. qu. natur. c. 5. & Epiphanii hæres. 75. Dissertationem, quâ comparat Ecclesiam cum Republ. Judaicâ. Ex dictis colligat lector religionis & Ecclesię Christianę exigua initia & quasi sciographiam tempore Christi & Apostolorum datam esse. Ex hâc ingenuâ confessione de Rituum Papalium origine constat, quid judicandum sit de verbis illis Hosii cap. 88. *Quæ* (loquitur de Ceremoniis circa sacramentum ordinis) *si minus eodem omnia modo facti tata sunt ab Apostolis, magna tamen ex parte per manus ab illis tradita retinemus. Quod si successu temporis adjectum est aliquid ad ea, quæ temporibus Apostolorum in usu fuerunt, factum est id quo religiosiores & augustiores ecclesiasticæ functiones redderentur*, &c. 3. Aperte ad Verbum Dei scriptum, & consequenter nullo modo ad Traditiones, referunt Ceremonias, sibique contradicunt cum passim Theologi, Canonistæ, & Rituales eorum ex Scripturis Rituum suorum probationes moliuntur: inter quos excellunt *Johannes Beleth, Durantes*, & *Joh. Baptista de Rubeis in suis Rationalibus* supra cit. 2. *Except.* Etiamsi Deus in Scriptura eas non imperârit, imperat tamen per Ecclesiam, cui autoritatem concessit eas instituendi. *Resp.* 1. Distingue Ceremonias, in Adiaphoras & in formaliter Sacras ac mysticas. Illas permisit Potestati Ecclesiæ instituendas & usurpandas, ad *ἐυχρηστίαν* & *ἐυπρέπειαν*: istas minime. Atqui tales prętenduntur Ceremoniæ Papales. 2. Distingue veram Ecclesiam visibilem & institutam, ab Ecclesiâ malignantium & factione Antichristianâ. Illi Christus potestatem concessit Officiis divinis, decoros & ordinatos Ritus applicandi: isti minime. 3. Hinc sequeretur Ceremonias fore & posse esse infinitas; siquidem potestati & arbitrio hominum, earum institutio relicta esset.

§. 3. II. *Consider.* Sunt superstitiosæ, vanæ seu otiosæ, sacrilegæ. *Superstitiosæ*, quia plus illis tribuitur, quam tribui debebat. Quędam enim dicuntur habere vim significandi ut ex. gr. in Baptismo, Osculum pacis, Cereus accensus, Vestis candida: quædam vim operandi, ut Exorcismus: quædam ornandi, ut multæ aliæ. Sic *Becanus in Theolog. scholastica Tom. 6. cap. 7. qu. 1.* Sed nos in *Disp. de Exorcismo, Benedictionibus, Templis &c.* ostendimus, nullam efficaciam Ceremoniis illis tribuendam. *Vanæ* seu *otiosæ*, quia nec efficiunt quid spirituale, nec mystice significant aut instruunt, nec adjuvant aut promovent fidem, pietatem, devotionem; sed potius impediunt, obruunt, perturbant, pervertunt, evacuant, haut aliter ac Pharisaicæ, & gentiles. *Sacrilegæ*, quia illis tribuitur quod est Christi, Spiritus S., fidei, orationis, verbi, sacramentorum; vis scil. impetrandi, applicandi, significandi per institutionem aut per obsignationem. Neque enim sunt causa meritoria gratię; sed solus Christus: nec applicans interna & principalis; sed Spiritus S.: nec instrumentum internum; sed sola fides, & oratio fidei: nec instrumentum externum;

Digitized by Google

num; ſed ſolum verbum cum ſacramentis. 1. *Except.* Per eas religioſiores & auguſtiores eccleſiaſticę functiones redduntur, & ordini publico additur majeſtas quædam divini ſpiritus. Sic *Hoſius loc. cit.* in terminis. *Reſp.* Hoc dicitur, non probatur. Apoſtolus Ceremonias à Deo immediate inſtitutas, cum amplius ad earum obſervationem fideles non tenerentur, vocat carnales, & egena elementa *Galat.* 4. Quomodo ergo de Ceremoniis ex mero hominum inſtituto introductis dici poterit, quod ordini divinitus inſtituto addant majeſtatem ſpiritus? 2. *Except.* Sunt neceſſariæ propter noſtram infirmitatem, ut per eas integritas religionis in nobis conſervetur. Sic *Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 16.* ubi agit de Canonico magiſtro Ceremoniarum. *Reſp.* 1. Probandum erat Deum Eccleſiæ ſuæ de ejuſmodi neceſſariis Ceremoniis in Scriptura non proſpexiſſe: quod nos affirmamus. 2. Probandum hodiernas Romanas eſſe illas neceſſarias, ad conſervandam religionis integritatem requiſitas. Quod hactenus præſtitum non eſt. Quamdiu hoc non fit, cur magis Romanas, quam Græcorum, Armeniorum, Iberorum, Abaſſinorum &c. aut etiam Ethnicas, Judaicas, Muhammedicas ceremonias recipiemus? 3. Nos contra dicimus, & ſigillatim de Ceremoniis Romanis probavimus, per eas religionem corrumpi. Vide *Diſpp.* ſupra. §. 1. indicatas. 3. *Except.* Rudiores inſtruunt, iiſque myſteria fidei ſignificant. De una formatione crucis tale eſt epiphonema Hoſii in confeſſ. fidei cap. 10. *Ecce quanta fidei noſtræ myſteria unicâ ſignandi nos cruce forma nos Mater Eccleſia docuit, ut ſi nihil præterea ſciret rudis homo, qui ſatis aſſequi cætera non poſſet vel hoc propemodum ad ſalutem (N. B.) illi ſufficere queat. Hic incarnatio, hic paſſio Chriſti, hic cauſa paſſionis, hic ſimul extremum illud judicium unica ſignificatione crucis exprimitur. Reſp.* Hæc noſſe eſt refutare. Quid enim abſurdius dici potuit? Conferatur *Diſp. noſtra de Cruce*, & *Scriptores elenctici in Diſp. de Imaginibus* indicati. 4. *Except.* Tanquam ſymbola & ſigna ſacra myſticè ſignificant res ſacras ac ſpirituales. *Reſp.* Ergo ne ex inſtitutione divina? Sed ubi illa comparet. Confer & huc applica reſponſionem *Thomæ* P. 3. *qu.* 60. *artic.* 5. Ubi quæritur, Utrum requirantur determinatæ res ad ſacramenta: & opponens „ negantem probat 1. Res ſenſibiles aſſumuntur in ſacramentis ad ſignifican„ dum *ſpiritualia & intelligibilia. Sed nihil prohibet diverſis rebus ſenſibilibus i„ dem ſignificari &c. Ergo videtur quod diverſæ res poſſint congruere eidem ſacra„ mento.* 2. In medicinis corporalibus &c. poteſt una res pro aliâ poni in e„ jus defectu. Ergo multo magis in ſacramentis quæ ſunt medecinæ ſpirituales &c. Harum objectionum ſolutioni præmittit hoc fundamentum: quod „ in uſu ſacramentorum duo poſſunt conſiderari, ſcil. cultus divinus & ſan„ ctificatio hominis. Quorum primum pertinet ad hominem per compara„ tionem ad Deum; ſecundum autem pertinet ad Deum in comparatione ad

d by Google

„ hominem. Non pertinet autem ad aliquem determinare quod in poteſtate „ alterius, ſed ſolum id quod eſt in ſuâ poteſtate. Quia ergo ſanctificatio ho- „ minis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet, ad hominem ſuo ju- „ dicio aſſumere res, quibus ſanctificetur; ſed hoc debet ex divinâ inſtitutio- „ ne determinari. Ad 1. *Object. Reſp.* Etſi idem poteſt per diverſa ſigna „ ſignificari: determinare tamen quo ſigno ſit utendum ad ſignificandum (al. „ ad ſanctificandum) pertinet ad ſignificantem. Deus autem eſt, qui nobis „ ſignificat ſpiritualia per res ſenſibiles in ſacramentis, & per verba ſimilitudi- „ naria in Scripturis. Ad 2. *Obj. Reſp.* Res ſenſibiles habent naturaliter in- „ ditas virtutes conferentes ad corporalem ſalutem: & ideo non refert, ſi duæ „ earum eandem virtutem habeant, quâ quis utatur. Sed ad ſanctificationem „ non ordinantur ex aliquâ virtute ſibi naturaliter inditâ, ſed ſolum ex inſtitu- „ tione divinâ: & ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus ſenſibi- „ libus ſit in ſacramentis utendum. *Cajetanus in Commentariis ad artic. cit.* e- gregiam cautelam ſuggerit, quâ *Durantes*, *Rubeis*, *Gavantes*, *Biel*, *Johannes David*, ſimileſque Ceremoniarum rationarii explicantur. Adverte, inquit, *quàm præſumptuoſa, injurioſa ac ſacrilega ſit eorum ſolertia: qui propriis aut Poëtarum ſimilitudines tanquam ſpiritualium ſimulachra interpretantur, ſcribunt aut prædicant: uſurpant enim officium Spiritus ſancti, cujus judicio res aliquæ inſtitutæ ſunt in figuram aliorum, dicente Apoſtolo, Omnia in figuram contingebant illis. Vilificantque ſacram Scripturam, dum ex tali fictione occaſionem dant credendi, quòd ſimiliter humano Spiritu ſunt in figuram ea quæ ſunt in Sacris literis: quemadmodum hæc quæ audiant humani dexteritate ingenii coaprata. Et ſic multum autoritatis detrahitur ſacræ Scripturæ figuris.* 5. *Except.* Majorem reverentiam & admirationem ſacramentis divinis conciliant, & quandam animorum devotionem excitant, & vim hęreditarii noſtri & ingeniti mali efficacius exprimunt, & magis exaggerant. Sic de Ceremoniis Baptiſmi *Corn. Schultingius in Hierarchicâ Anacriſi lib.* 2. *p.* 48. 49. ubi ex Noſtris Theologis *Zepperum*, ad partes vocat, ſed fruſtra. *Reſp.* Magna & mira promuntur, ſi vera eſſent. Niſi probet ex verbo Dei, aut ſolidâ aliquâ ratione Ceremonias Romanas, quas nos improbamus, hanc efficaciam habere, magis quam Græcas, Abaſſinas &c. aut magis quam Ethnicas, Judaicas, aliaſque ſimili prætextu ab hominibus inſtitutas, & porro inſtituendas, utique fruſtra ejuſmodi λόγοις & λήροις nos obtundit. 6. *Except.* Operantur bona temporalia & ſpiritualia, tum ut removentes impedimentum, tum per modum impetrationis & efficientiæ inſtrumentalis: idque ex vi inſtituti divini, & benedictionis ſeu conſecrationis. Per conſecrationem enim confertur ſacramentalibus Ceremoniis ſpiritualis quædam virtus & ſanctitas relativa; atque adeo per eas remittuntur peccata venialia, diaboli inſidiæ & inſultus avertuntur, homines confirmantur in virtute,

Digitized by Google

tute, morbi ſanantur. Hæc colliges ex *Thomâ cum Commentator. p.* 3. *qu.* 83. *art.* 3. & *Cajetano in* 22. *qu.* 88. *artic.* 11. *Sylveſtro*, *Navarro*, *Bonacina*, *aliiſque Caſuiſtis in voce*, *Benedictio*; *ex Bellarmino de Imaginibus cap.* 19. imprimis ex *Zwarezio Lib.* 4. *de virtute & ſtatu religionis cap.* 14. *eodemque in* 3. *qu.* 65. *diſp.* 15. & *diſp.* 81. *ſect.* 8. *Reſp.* Hæc omnia dicuntur tantum, non probantur aut ex Scripturâ, aut ex ratione; & ſic ex propriâ Papatus affirmatione ſolummodo defenduntur. 7. *Except.* Faciunt ad ornatum & ad decorum: ergo non ſunt vacuę aut otioſæ. Sic *Schultingius Lib. cit. p.* 51. *Reſp.* 1. Definiendum primum quid ſit ornatus ſpiritualis & eccleſiaſticus; & tum probandum talem ornatum recte tribui Ceremoniis Romanis. 2. Nos contra dicimus, eas eſſe ineptas, abſurdas, ridiculas, & conſequenter ad deformationem & dedecus Cultus divini. *Probl.* 1. An Pontificii ſtatuant Ceremonias ex opere operato mereri aut impetrare, aut inſtrumentaliter producere aut conferre gratiam. *Reſp.* De Ceremoniis late acceptis veriſſimum eſt: ſed de iiſdem ſtricte acceptis ut à ſacrificiis & ſacramentis diſtinguuntur, & diſtincte ſacramentalia appellantur, mihi in pręſentiarum non conſtat. Certe recentiores (inter quos *Zwarez loc. cit.*) hanc ſpecificam quaſi diſtinctionem ponunt inter ſacramentum & ſacramentale, quod illud conferat gratiam ex opere operato, iſtud non conferat; ſed tantum ad ſacramenta & ad gratiam diſponat ea ratione, quam modo ex ipſis propoſuimus. *Probl.* 2. An iidem ſtatuant opus operatum, ſpeciatim quod ad efficaciam ſacramentorum? *Reſp. Aff.* & probatur ex *Bellarmino lib.* 2. *de Sacram. c.* 1. & 11. Ita ut mirari ſubeat quo candore Cardinalis *Hoſius cap.* 89. *pag.* 113. edit in fol. noſtros impiæ calumniæ inſimulet, eo quod opus hoc operatum Scholaſticis attribuunt. Nam quod ex *Scoti Quod lib. qu.* 20. huic rei incruſtandæ adferre conatur, præterquam quod non purget dedecus operis operati, ad aliorum Scholaſticorum haut paulo aliter hic philoſophantium mentem explicandam non facit.

III. *Conſider.* Sunt idololatricæ: quia partim ipſæ religioſè coluntur & adorantur tanquam objectum terminans, ut cruces, imagines & oleum ſeu chriſma, quod confectum & conſecratum reverenter ſalutant tum Epiſcopus tum Sacerdotes, dicentes & canentes: *Ave ſanctum chriſma*: & *ave ſanctum oleum*: in Pontificali fol. 179. b. & 180. a. edit. Venetæ apud Juntas a. 1561. *partim* ad invocationem idololatricam angelorum, ſanctorum, crucis, imaginum aſſumuntur; ut altaria, ſuffitus, corollæ, pallę, ornatus imaginum, & Mariæ roſaria, litaniæ, horæ canonicæ: *partim* ad adorationem & cultum Dei tanquam media & requiſita adhibentur, ut imagines, cruces, cerei, aqua benedicta, globuli ſeu grana benedicta &c. in quibus, per quæ, coram quibus Deus & Chriſtus invocantur. 1. *Except.* Primi gradus idololatria excuſatur, quod imagines & cruces ipſæ quidem adorentur, ſed ad honorem Dei: adeo ut omnis hæc §. 4.

adoratio ad Deum tanquam ultimum finem tandem referatur. *Resp.* Intentio agentis & finis bonus ad quem actio formaliter mala refertur, non potest eandem honestare. Videantur *Scholastici ad* 1. 2. *qu.* 38. 19. 20. ubi de bonitate & malitiâ actuum humanorum. Non potest ergo actus adorationis, quâ adoratur quod non est Deus, formaliter malus, excusari eo quod fiat ad gloriam Dei. Quasi quis cultum & honorem regium tributum alicui, qui majestate regiâ distituitur; eo defendat, quod ad majorem regis gloriam fiat. Et quidni Ethnici cultum deastrorum suorum ut & Calecuthani ac hodierni Gentiles in Regno Siam & Imperio Mogulico invocationem diaboli, hujus ultimæ intentionis & terminationis obtentu pari jure defendant? Sed hanc exceptionem ex professo refutatam vide in 3. *Part. sel. Disp. tit. de Imaginibus, & de Cruce.* 2. *Except.* Secundi gradus idololatria excusatur distinctionibus inter latriam & duliam, & inter invocationem seu religionem absolutam & relativam &c. *Resp.* 1. Primum effugium nullum est. Siquidem promiscue τὸ λατρεύειν & δουλεύειν in Textu originali N. T. tanquam synonyma usurpantur. Et in Gr. interpretatione V. T. per easdem voces promiscue Hebræum עבד exponitur. Nec à Patribus Græcis discrimen hoc observatum ostendent. *Nonnus Panopolites* λατρεύειν *Joh.* 16. *v.* 3. *in Paraphrasi sua* exponit per δουλεύειν. Apud Classicos Scriptores Græcos passim tanquam synonyma usurpantur: Observo illustre ejus exemplum apud *Xenophontem lib.* 3. *Cyripædiæ*, ubi de Tigranis uxore promiscuè, usurpantur voces δουλεύειν & λατρεύειν. Sed Philologis hanc distinctionem operosius castigandam relinquamus. Si quæ differentia hic notanda, plus dicere videtur dulia, quam latria, ideoque illa potius Deo quam ista tribuenda esset: uti hoc notavit *Calvinus in Institut.* 2. *Secundum* effugium (in cujus commento se oblectat Cardinalis *Pareonus in Resp. ad Regem Magnæ Britanniæ*) vanissimum & absurdissimum est. *Quia* facit duplicem religionem, absolutam & relativam: Quod absurdum; est enim tantum una. *Quia* absurde facit religionem seu adorationem absolutam: cum omnis sit respectiva, & in ordine ad Deum, in quem tendit. *Quia* religio relativa (e. gr. Mariæ, angeli, sancti cujusque) respectu absolutæ ita dicta, rursum erit dicenda absoluta respectu alterius relativæ (e. gr. imaginis Mariæ): & hæc rursum absoluta, respectu rosarii, altaris, cerei accensi, ornatus vestium, quibus religio relativa respectu imaginis Marianæ tribuitur. *Quia* sequeretur omnibus creaturis, quæ respectum habent ad Deum ut primum efficiens & ultimum finem, e. gr. luto, lapidi, scarabæo, soli, lunæ, mari, terræ, &c. quin & damnatis in inferno ac dæmonibus religionem & adorationem relativam tribuendam. Quod si hic distinguant inter rationales & irrationales creaturas; & rursum inter sanctas & non sanctas; Deo per gloriam aut gratiam unitas, & non unitas; distinctio hæc ex Scripturis, & ratione probanda, non præsupponenda

ſupponenda aut poſtulanda. Alioquin, quidquid hic dicunt, ad petitionem ejus quod eſt in quæſtione, relegabitur. 3. *Except.* Tertii gradus idololatria excuſatur, quod res ſacræ, non propter ſe aut in ſe adorentur, ſed religione colantur tanquam media & inſtrumenta aut qualiacunque adjuncta religionis. *Reſp.* Sic cauſa traditur. Si enim ſunt media religionis ſeu tendentiæ religioſæ in Deum, jam non ſunt objecta religionis & adorationis, in quæ tendant actus religioſi & quæ eos terminent. Et ſic Scriptura ac ſacramenta, ut etiam omnes creaturæ in libro naturæ ſuo modo ſunt media, adminicula, occaſiones, per quæ actus religionis in nobis excitantur, juvantur, promoventur, diriguntur: quæ tamen non ſunt terminus & objectum, in quod tendit religio. Eſt ergo pſeudo-graphema hoc ductum per conſequentiam à medio, adminiculo, inſtrumento ad objectum & terminum religionis: quod omnis idololatriæ antiquæ ethnicæ, & hodiernæ in dicto Chriſtianiſmo ſcaturigo eſt.

IV. *Conſider.* Sunt hæreticæ, & blaſphemę. Utrumque probatur ex definitionibus hęreſios & blaſphemiæ alibi in 3. *Part. ſel. Diſpp.* ex profeſſo expoſitis. §. 5. Applica nunc ſacramentalibus Papiſticis, quibus Spiritum S. tribuunt, & vim diſponendi ad gratiam, remittendi peccata, profligandi dęmones, confirmandi in virtute, Imprimis blaſphemia elucet in ſacro oleo & in agnis Dei. De illo habet *Rituale Romanum*, quod *Spiritus ſanctus in id infundatur*; de iſtis (quos *peculiari Diſp.* 3. *Part. ſel. Diſpp.* depinximus) canit verſiculus Nicolai V. *Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.* Vide & confer *Diſp. noſtram de Benedict. & Sacramental.* Exceptionem *Delrio* imprudenter an imprudenter negantis factum de agnis Dei, vide *ibidem* confutam.

V. *Conſider.* Dato eſſe eas aut Adiaphoras, & abſque opinione neceſſitatis, aut operis operati, aut meriti, illic obſervari: nimiâ tamen multitudine peccarent, & intolerandæ eſſent. §. 6. In mediâ religione & devotione (quæ fruſtra jactatur) quis religionem aut ſpiritualem devotionem illic inveniat? Ad ſenſualia & carnalia homines abducuntur, mentes eorum in infinitas formas, figuras, numeros, circuitiones, itiones, reditiones, aliaſque vacuas obſervationes diſtrahuntur, memoriæ in immenſum onerantur, ſenſus externi implentur. Et hoc ſcil. eſt in ſpiritu & veritate Deum adorare. Quis atomos illas Democriti, quis arenulas maris, quis chaos illud Rituum enumerare & pertranſire valeat, nedum rationem ſingulorum percipere, eoſque ipſa praxi rite exequi atque obſervare valeat. Percurre *Scriptores de Ritibus & Liturgiis* ſupra *cap.* 1. & 3. indicatos, & deprehendes neminem Doctorum hactenus vaſtum illud inane potuiſſe exhaurire. De nimia rituum frequentiâ, in medio Papatu non pauci teſtes veritatis conqueſti ſunt: quorum dicta vide in *Pleſſei Myſterio iniquitatis* & *Illyrici Catalogo teſtium veritatis.* Nobis ſuffecerit ſpecimen unum atque alterum hic exhibere. *Ordinatio Eccleſiæ ſeu miniſterii eccleſiaſtici.*

Digitized by Google

ſiaſtici in Regno Angliæ &c. ſub Rege Eduardo conſcripta, & in latinum ſermonem ab *Alexandro Aleſio* Scoto theologo Lipſienſi a. 1551. converſa *tit. de Ceremoniis abolitis* fol. 65. a. edit. Lipſ. in 4. hæc habet: *Pars enim uſitatorum rituum eſt abolita, propterea quod in multiplicandis illis, nullus neque modus, neque finis fuit, de qua re queſtus eſt Beatus Auguſtinus, dicens: Graviorem factam eſſe ex multitudine cæremoniarum conditionem Chriſtianarum, quam fuerat olim Judæorum ſub cærimoniis Moſaicis. Idem conſulit ut hoc jugum, quantum fieri poteſt cum tempore & quiete Eccleſiæ aboleatur. Queſti ſunt etiam poſt illum, Johannes Gerſon, Thomas, & alii. Quid, inquiunt, Sancte Pater Auguſtine diceres, ſi nunc viveres? Cum paucæ admodum fuerint cærimoniæ tuo tempore in Eccleſia, ſi cum his, quæ poſtea acceſſerunt, conferantur. Hæc infinita multitudo cærimoniarum præterquam quod intolerabilis fuit, & ordinem magis turbavit, quam ornavit, etiam hoc mali habuit, quod pleraque ex illis gloriam Dei, & beneficia Chriſti multipliciter extenuarent & obſcurarent. Deinde, Euangelium non eſt lex aliqua cærimonialis, aut umbratilis, ut fuit illa Moſis conſtitutio, & ſacerdotium Leviticum, ſed eſt vera religio, verus cultus Dei, & λογικὴ λατρεία, in qua eſt libertas Spiritus, quæ non ſubditur ſervituti humanarum traditionum, eſt etiam contenta illis cærimoniis, quæ ſunt inſtitutæ per Chriſtum & Apoſtolos, & quæ habent manifeſtam rationem, quod pertineant ad ἐυταξίαν & ἐυχημοσύνην, & diſciplinam Domini, & quæ commoneſaciunt rudes ſui officii, revocant hominibus ad memoriam, quam obedientiam Deo debeant, per aliquam manifeſtam & ſpecialem ſignificationem, qua Eccleſia ædificetur. Sed præcipua cauſa abolitionis quarundam cærimoniarum fuit intolerabilis earum abuſus, partim per ſuperſtitionem & cæcitatem ignorantium & indoctorum, partim per inexplebilem avaritiam eorum, qui anteferebant ſuum lucrum gloriæ Dei, ut ſuperſtitio non poſſet tolli, permanentibus ipſis cærimoniis.* Verba Gerſonis exſtant in 3. part. Tract. de Vitâ ſpirituali coroll. 14. *Tanta eſt hujuſmodi conſtitutionum multitudo, ut ſi tenerentur in ſuo rigore, maxima pars Eccleſiæ damnaretur.* Quid Eraſmus de multitudine rituum cenſuerit, indicat *Caſſander in Conſult. cap. 7.* cum quo confer *Rivetum in Animadverſ. ad Grotii annotata. Except.* Quæ ab Eccleſiâ & uſu receptæ & probatę fuerunt, facile numerari poſſunt. Alię peculiares alicujus populi aut Diœceſios univerſam Eccleſiam non obſtringunt; nec alium Populum aut Diœceſin. *Auguſtin. Epiſt.* 118. Quæ autem à rudioribus & ſimplioribus adhibentur, abſque conſenſu Eccleſiæ in Concil. Generalibus, aut Provincialibus, quæque Legibus eccleſiaſticis & politicis evelli vix poſſunt, de iis ſtatuendum quod *Auguſtinus de Moribus Eccleſiæ catholicæ cap.* 34. & *Iſidorus Peluſiota lib.* 2. *Epiſtol.* 241. Sic χρηπλογεῖ *Fileſacus Lib.* 2. *Selector. tit. de Ceremoniis* 3. 6. Cui præiverat *Caßander in Conſult. artic.* 7. & 15. *Reſp.* 1. Quod ad *primæ claſſis*, Ceremonias, quâ fronte dicit eas facile numerari poſſe? Provoco ad *ἀνατύπωσιν Miſſalis*,

Digitized by Google

Miſſalis,*Ritualis* ſeu *Paſtoralis*, *Breviarii*, *Ceremonialis Epiſcoporum*, *Pontificalis*, *Octavarii*,*Proceſſionalis*.Hęc enim univerſamEccleſiamRomanam obſtringunt. Addo, non paucas eſſe,quas *Belethus*,*Durantes*, *Joh. Jacobs*, *Joh.Baptiſta de Rubeis*, *Joh. Stephanus Durantus*, *Barth.Gavantus* explicare conantur. 2. Quod ad *ſecundæ claſſis* Ceremonias, non audet dicere, eſſe paucas: ſed ſolum excipit, propriis Nationalibus & Diœceſianis Ceremoniis non obſtringi alios. Relinquitur ergo obſtringi illum populum & ſuis propriis, & communibus Miſſali, Paſtorali, Breviario &c. preſcriptis; conſequenter duplici multitudine obrui. 3. *Tertiæ claſſis* Ceremonias verbulo perſtringit: ſed omnem culpam in vulgi ſtoliditatem rejicit.*Reſp.*Sed quomodo à culpa immunis eſt Papa cum ſua Eccleſia repræſentativa. Aut enim nolunt, aut non poſſunt ea emendare.Non poſſe nemo facile credet, qui nôrit Papæ & Epiſcoporum poteſtatem coactivam. Non velle certum eſt, tum quod ſigillatim decretis & legibus ſacris eas non prohibeant, tum quod populi ſtolidam devotionem in talibus fovendam ſuadeant. Vide *Molanum in libro de Picturis ſacris*, & Jeſuitam *Breſſerum in Tract. de Conſcientia*. Simile quid indicamus in *3. Part. ſel. Diſpp. tit. de Sanctis chiliæricis*, *& in 2. Part. ſel. Diſpp. tit.de Perſoßo latere Chriſti.*

VI. *Conſider.* Sunt novæ & poſterius ac ſucceſſive introductæ. Operoſe non eſt quod de ſingulis hoc probemus: cum ipſorum *Hiſtorici*, *Antiquarii*,*& Scriptores rituales* non tantum de ſingulis aut ſaltem pleriſque hoc notârint,ſed & promachi earum ingenue hoc fateantur: inter quos *Fileſacus lib. cit.* §. 3. ubi nemini dubium eſſe ait, quin Eccleſia inſtar domus aut civitatis paulatim ſit perfecta. Et tria tempora obſervat, quibus Eccleſia vel novos inſtituit ritus, vel prioribus alios adjecit: ab Apoſtolis ſcil. uſque ad Conſtantinum Magnum: inde uſque ad Gregorium Magnum: inde uſque ad noſtrum Sæculum. Ecce nunc jactatam Papatus antiquitatem, catholiciſmum, & perpetuam jam inde ab Apoſtolis ſucceſſionem. In ipſo Concil. Tridentino (vide *Hiſtoriam Lib.* 6.*p.*498.499.) Antonius Valtelina Dominicanus de Ritibus „miſſaticis dicebat: ex hiſtoriis clarum eſſe, ſingulas Eccleſias antiquitus ha„buiſſe peculiarem ſuum de Miſſa ritualem, conſuetudine magis de die in di„em, quàm judicio, aut conſtitutione introductum: minores autem Eccle„ſias ſeſe ad Metropolitanas, aut vicinas Majores conformaſſe. Eccleſiæ „Romanę ritum in multis Provinciis, ut Romano Pontifici gratificarentur, „receptum: permultas tamen ſupereſſe Eccleſias, quarum ritus ab Romano „longiſſimè diſcedant. In *Mozarabo* intervenire equos & digladiationes Nu„midarum in morem, quibus grandes & myſterio pleni ſunt ſignificatus. „Tantam vero eſſe hujus à *Romano* diſcrepantiam,ut ſi conſpiceretur in *Italia* „quidvis potius quàm Miſſa crederetur. Etiam adhuc permanere in *Italia* ri„tum *Mediolanenſem* præcipuis ſeu partibus ab *Romano* diſcrepantem. Atque §. 7.

„ hunc ipſum Romanum inſignes paſſim mutationes cuivis obvias, anti-
„ quum librum legenti, qui inſcribitur, Ordo Romanus. Neque priſcis modo
„ temporibus, ſed paucis retro ſęculis, certè ante annos trecentos, verum ti-
„ tum Romanum non eundem fuiſſe cum eo, quem in civitate Romana Sa-
„ cerdotes nunc ſervant, ſed quem ordo Dominicanorum fratrum retinet. Cę-
„ terùm veſtes, vaſa, aliaque tam miniſtrorum, quam altarium ornamenta,
„ quibus nunc utuntur, ſic innovata ac transformata (quod cum ex librorum
„ lectione, tum ex ſculpturarum & picturarum inſpectione facile eſt obſervatu)
„ ut ſi vetera in orbem reportarentur, ea nemo agniturus eſſet. Concludit igi-
„ tur, Patres, ſi his anguſtiis, ſe conſtringant, ut Eccleſiæ Romanæ ritus tan-
„ tum velint approbare, reprehenſione vix carituros, quaſi damnata præju-
„ dicio antiquitate, & aliarum Eccleſiarum ritibus; ac magis ſiniſtris homi-
„ num interpretationibus ſeſe expoſituros. Satius multo eſſe, ad ea quæ Miſ-
„ ſæ eſſentiam reſpiciunt, animum intendere, horum mentione omiſſa. In
„ commemoranda autem notabili inter ritum, qui *Romæ* tunc obtinebat, &
„ qui deſcribitur in libro, cui nomen Ordo Romanus, differentia, inter alia
„ id urgebat, quod hic Laicis Communio ſub utraque ſpecie permitteretur, id
„ ipſum hac tempeſtate ut concederent hortatus. Cumque hæc oratio aſtantes
„ offendiſſet, Epiſcopus *Quinque eccleſienſis* ſuſcepto illius patrocinio affir-
„ mat fratrem neque falſi quicquam protuliſſe, neque offenſionis aut ſcandali
„ cauſam dediſſe, qui non ad populum, aut apud idiotas verba fecerit, ſed in
„ corona eruditorum, apud quos veritas odium conciliare non poteſt. Qua-
„ re, qui fratrem uti ſcandaloſum ac temerarium damnatum eat, huic ſemet
„ ipſum tanquam veritatis minus capacem prius damnandum. Quam longe
ergo à vero & à ſuis ſociis diſceſſerit Cardinalis *Hoſius*, ſupra notavimus.

§. 8. VII. *Conſider.* Symbolizant cum Ceremoniis Magicis, Ethnicis, Judaicis, Muhammedicis: uti patet collationem earum inſtituenti. Vide *Anonymi Turco-Papiſmum.* De Ethnicis Antiquis & Judaicis, quod ad convenientiam externam, immo ad imitationem earum à Chriſtianis factam, ipſi fatentur & defendunt. Sic *Schulting. loco ſupra cit. Baronius in Annalibus*, imprimis *Joh. Fileſacus* Theologus Sorbonicus *Lib. 2. ſelectorum tit. Ceremoniæ* ex profeſſo hoc agit. De Ethnicis hodiernis e. gr. Japonicis fatentur, *in editis Epiſtolis*, & Exceptiones eorum huc redeunt. 1. *Except.* Alia ſunt objecta, & alius uſus, atque alia intentio Ceremoniarum Romanarum: ad Deum enim & veros ſanctos, veramque religionem eas applicarunt. *Reſp.* 1. Sed unde probant Deum ſic coli, & veram religionem ſic promoveri, ſtabiliri, & ornari velle. 2. Nos ſupra oſtendimus, eſſe eas ſuperſtitioſas, idololatricas, hæreticas, &c. 2. *Except.* Ab Ethnicis quaſdam mutuati ſunt, & ad Chriſtianam religionem traduxerunt; uti hâc ratione Ethnicos pie circumvenirent, &

tanto

by Google

tanto facilius ad veram religionem traducerent. Sic *Baronius. Resp.* Sed ubi Deus, hanc carnalem φιλανθρωπον sapientiam docuit? Longe aliter de illa συγκαταβασει, colluſione, & imitatione cenſet Apoſtolus 1 *Cor.* 10. & *Auguſtinus, Tertullianus &c.* quos citamus in *Diatribe de Idololatria indirecta*: ubi vide. 3. *Except.* Ethnici magnam partem à Judæis (quibus Deus per Moſem præſcripſerat), ſuas per imitationem mutuati ſunt: quod probat *Fileſacus ſect.* 7. & *ſeq.* ubi multa eruditè ex bonis Autoribus congerit. *Reſp.* 1.° *Judaica* dicuntur vel quę à Deo in Lege ceremoniali preſcriptę ſunt; vel quæ præter immo & contra Legem à Rabbinis ſive ante Chriſtum (quales illæ quæ taxantur *Matth.* 15. & 23.) ſive poſt Chriſtum (quales Thalmudicæ, à *Buxdorfio in Synagogâ* enotatæ) inſtitutæ & obſervatæ ſunt. Poſteriores ſi imitati ſunt Ethnici, utique in hac imitatione nullam excuſationis umbram invenient. Sunt enim Ceremoniæ à Judaiſmo apoſtatico, & perfidis Judæis, contra lucem Chriſtianæ religionis confictæ. Romanas autem, ejuſmodi apoſtatico-Judaicis, partem aliquam conformes eſſe ad oculum patet; nec ipſi negaverint. Vide *Præſat. Genebrardi ad Judæorum officium defunctorum Hebr. Lat.* editum in 8. De prioribus mox reſpondebimus. 2. *Dato*, aliquas Ceremonias Ethnicas à Judaicis Lege Moſaicâ divinitus præſcriptis per κατοχην mutuatas eſſe, abſque ullâ formę externę mutatione & transformatione, inde tamen non ſequitur eas poſſe recipi aut retineri ab Eccleſiâ Chriſtianâ: cum ne quidem integre & immediate ab ipſâ Lege obſervatio earum recipi debeat, & imitatio omnis, etiam primitivæ aut puriſſimę Eccleſię Iſraeliticę (qualis tempore Moſis, Joſuæ, Davidis, Salomonis) hic in vitio ſit: qui enim poſt abrogatas per mortem Chriſti Ceremonias Moſaicas, eaſdemque per Apoſtolos & apoſtolicos viros honeſte ſepultas, denuo ſuſcitare velit nę is ſepulcrum violare cum *Auguſtino* dicendus eſt. Vide *Gal.* 4. & 5. *Col.* 2. *Hebr.* 9. & *Scriptorum Anti-Judaicorum* (quos *in Diſp. de Adventu Meſſiæ* indicamus) *Diſputationes de Abrogatione Legis ceremonialis.* 3. *Negamus* Ceremonias Romanas partim ab Ethnicis mutuatas, partim iis conformatas ideo excuſari poſſe, quod Ethnicæ illæ Judaicis ſimiles aut ad imitationem earum factæ ſunt. De Judaico-rabbinicis illud manifeſtum eſt, ut & de totâ perfidiâ Judaicâ; uti oſtendimus 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. Judaiſmo.* De Judaico-Moſaicis, negamus Ethnicas earum expreſſa, integra, & genuina fuiſſe exempla. Ut de formali earum taceam, quod plane apoſtaticum & veræ religioni Judaicæ oppoſitum erat, de quo vide 1. *Cor.* 10. *Epheſ.* 2. 1. *Theſſal.* 4. & *Diſp. noſtram de Gentiliſmo*, & *Fileſacum Lib. & tit. cit.* §. 6. *eundemque in Tract. de Idololatria magica*): ipſum materiale, hoc eſt, externa earum forma, figura, ordo &c. ita transformata & corrupta erant, ut Ceremonias illas inter ſe comparanti, nihil minus quam mutuatio, aut genuina imitatio, aut expreſſa imago,

nedum identitas deprehendi poſſit. Iſraeliticæ Ceremoniæ divinitus præſcriptæ fuerunt diabolicæ illius corruptionis terminus à quo, unde diſceſſum; Ethnicę vero à diabolo introductæ, fuerunt terminus ad quem. Jam vide quanta inter terminos illos, hoc eſt, inter habitum & privationem ſit diſtantia. Certe non minor quam inter hominem & cadaver hominis multis modis mutilatum fractum, ſciſſum, deformatum. Legat modo, cui vacat, *Fileſacum loc. cit.* §. 7. uſque 13. ubi Ceremonias aliquot Ethnicas cum Judaicis comparat. Alios Autores de religione Gentilium alibi indicamus, in *Bibliothecâ* ſcil. & in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Gentiliſmo.* 4. *Except. Veritas*, ubicunque invenitur agnoſcenda & confitenda eſt, quod ex *Auguſtino de Doctr. Chriſtianâ lib.* 2. *cap.* 18. adducit *Fileſacus* §. 5. Unde concludi velit Ceremonias Ethnicas aut adoptandas aut retinendas. *Reſp.* Sed nos negamus Ceremonias Papales eſſe veritates de Deo & Rebus divinis in Ethnicorum religione inventas, atque adeo à Chriſtianis recipiendas. Nec hoc loc. cit. ait Auguſtinus; ſed potius contrarium: *Immo vero*, inquit, *quisquis bonus verusque Chriſtianus eſt, domini ſui eſſe intelligat, ubicunque invenerit veritatem, quam confitens & cognoſcens etiam in literis ſacris, ſuperſtitioſa figmenta repudiet.* Oſtendant ergo eaſdem Ceremonias Ethnicas in Sacris Literis. 5. *Except.* Patres huic querelæ aperſiſſime fecerunt ſatis, nec propterea repudiandas cenſuerunt, quamvis aliquid Judaicis vel Ethnicis per ſimile repræſentarent. Sic *Fileſacus* §. 4. 5. & adducit *Ibidem* teſtimonia *Auguſtini Epiſt.* 49. *Hieronymi c. Vigilantium*, *Nazianzeni Orat.* 20. *Auguſtini Lib.* 20. *c. Fauſtum c. ult.* & *Tertulliani de Coronâ militis*, *Auguſtini Lib.* 2. *de Doctr. Chriſt. c.* 18. & 20. *Origenis c. Celſum lib.* 6. *Lactantii Lib.* 6. *c.* 8. *Auguſtini Epiſt.* 28. & 52. *ejuſdemque in Præfat. Lib.* 1. *de Doctr. Chriſtian. Primaſii in Commentar. in Apocalypſin. Paulini Epiſt.* 4. *ad Severum.* Ex quibus ſic concludit. *Quidquid* igitur obſequii, venerationis, reverentiæ erga divinum numen, in Gentilium vel Scriptis, vel Ritibus expreſſum, non tanquam imitatione pravâ mihi vendicabo; ſed velut ab injuſtis poſſeſſoribus merito repetam: denique ſummâ impietate & ſcelere obſcuratum, conſpurcatum, ſuo germano ac nativo ſplendori, atque nitori reſtituam. *Reſp.* Eſt hoc conſilium carnis, nuſquam à Spiritu ſancto dictatum, nunquam à Chriſto, Prophetis, Apoſtolis traditum aut executioni mandatum. Nam 1. Ex Verbo Dei obſequium & veneratio erga divinum numen petenda eſt *Jeſa.* 8. *Ezech.* 20. 2 *Tim.* 3. *verſ.* 15. 16. 17. non vero à Gentilium Ritibus repetenda. 2. *Negamus* obſequium & venerationem veri Dei Ritibus Gentilium expreſſam eſſe. Totâ eſſentiâ differt Cultus Gentilium à Religione Chriſtianâ ſive V. ſive N. Teſtamenti. 3. *Quod* ad libros Gentilium longe alia eorum ratio eſt, ac Rituum. In illis enim expreſſæ habentur veritates aliquot Theologię naturalis (e. gr. eſſe Unum Deum, eſſe providentiam

tiam Dei, Deum colendum &c.) quæ materialiter eædem sunt cum veritatibus in Scriptura expressis. Si quæ ibidem occurrunt ad mysteriorum Christianæ religionis, quatenus ea à naturali Theologia distinguitur, defensionem adhibita à Patribus: aut sunt argumenta anasceuastica directe Gentilium errores & falsos cultus refutantia; aut catasceuastica ad hominem tantum mysterium aliquod seu articulum fidei Christianę probantia. 4. *Dato* non concesso per Ritus Gentilium aliquam numinis venerationem exprimi e. gr. per lustrationes & mundationes, seu expiationes, per aquam, aut sanguinem, aut salem, aut suffitus; item per festa anniversaria, sacrifica, epulas sacras &c. quomodo eosdem Ritus conspurcatos & cui nativo splendori ac nitori restituemus, nisi Israelitico, & Mosaico, quem scil. in prima sui origine habuerunt in & ex Lege ceremoniali, per Mosem divinitus traditâ. Atqui illa tota, quamvis divinâ autoritate nitens & fulgens, absque humanis corruptelis, non potest repeti & vindicari à Christianis, ac in Religionem nostram traduci; quod ad observationem scil. *Gal.* 4. *Col.* 2. *Hebr.* 9. *Actor.* 15. *Gal.* 2. Fortè quis dicat, nitorem & splendorem nativum quęrendum esse in primordiis Ecclesię apostolicæ seu N. T. & ad eum revocandos esse hos ritus. Cui respondemus, probari non posse tum temporis Ritus illos fuisse institutos, & disertè hoc negari à Pontificiis, nominatim etiam à *Filesaco*, *Antonio Valtelinâ*, approbante *Dudithio in Concil. Trid.* uti supra indicavi. *Deinde*, si ritus illi tunc instituti fuissent, quomodo multis sæculis ante ab antiquis Gentilibus in Ægypto, Syria, Græciâ, Italiâ &c. per κατοζηλίαν adoptati & ad Gentilismum inflexi ac conspurcati fuissent. *Denique* hoc absurdi sequeretur, eosdem ritus à Christianis prius institutos & usurpatos per imitationem à Gentilibus adoptatos. Quod falsum esse, ipse *Filesacus* confitetur. De quo sequenti exceptione. Quod ad loca Patrum ea nihil juvant causam Pontificam, quin & quædam eandem subruunt. Agunt enim aut de veritatibus quibusdam quæ Scripturis traduntur: aut de rebus communibus ad hanc vitam necessariis aut utilibus, id eo non fugiendis, quod etiam Ethnici iis utantur. 6. *Excepi.* Sunt nonnulli Ritus, quos Ethnici à Christianis mutuati sunt; quique ideo vitari non debent. Sic *Filesacus* §. 13. 14. ubi exemplum unum atque alterum adducit. *Resp.* Dato in uno atque altero Ritu hoc verum esse, quid hoc faciet ad Apologiam omnium aliorum, quos Ethnici à Christianis non sunt mutuati. 7. *Excepi.* Instituti sunt Ritus Ethnicis Ritibus similes, ut per eos homines à Ritibus Ethnicis abducerentur, & illi istis substituerentur, ita ut mutatio non ita animadverteretur. Sic *Baronius*, *aliique in Disp. de Idololatriâ indirectâ* citati. Est etiam *Tractatus peculiaris ab Angelo Roccâ* editus (quem hactenus videre non contigit) tit. *De sacris aliquot Ritibus ad superstitiones Ethnicorum exstirpandas magnâ pietate institutis. Resp.* quam salubri

consilio, & quam felici successu hoc factum fuerit, experientia docere potuit. Sic non factitabant Christus & Apostoli, ut homines à superstitiosis Judæorum & Gentilium Ritibus abducerent. Conferantur in 2. *Part. select. Disp. tituli de aliquot Ceremoniis Papalibus in particulari* e. gr. de *Processionibus*, *de Canonizatione Sanctorum*, *de Rosariis*, *Litaniis*, *Horis canonicis*, *de Cruce*, *de Exorcismo*, *de Benedictionibus &c.* Et *sequenti Tract.* & infra *libr.* 3. & 4. *de Ceremoniis* quibusdam in particulari dicendum erit.

§. 9. *Probl.* An omnes Ceremoniæ Papatus, secundum ipsos sint propriè sacræ, & mysticæ, mysticè res sacras ac spirituales significantes, aut operantes? *Resp. Affirm.* Quamvis enim nonnulli Henotici & Syncretistæ subinde ordinem in rebus Agendis, & in præparationibus ad Agendas, referant inter Ceremonias sacras; immo ad tantò melius excusandas & aliâ sub specie apud incautos defendendas, ordinem cum iis confundant: tamen si ἀναγωγικὰ *Durantis* aliorumque Mystagogon ex mystico Scripturæ sensu significationes & efficacias earum probare satagentium consideremus, omnes dici debent mysteria. Et, ne dubitemus, ipsi exsertè appellant mysteria. Sic Christophorus Marcellus archiepisc. Corcyrensis in Dedicator. ceremonialis ad Leonem X. sacras sedis apostolicæ Romanique Pontificis Ceremonias, Ritus, & Observationes, vocat *sacratissimos Ritus*, *arcana præfigurata mysteria*. Gavantus Thesauri sacrorum Rituum titulum inter alia præscribit, quod in illo Libro *origo cujusque Ritus*, *causæ historicæ vel mysticæ explicantur*. Similiter in Præfat. ad Lectorem innuit, quosdam scripsisse de Ritibus Missæ & Horarum canonicarum, ut *mysteria depromerent de Ritibus, quos supponunt*; Seque indicasse *Rituum originem tum allatâ causâ sive historicâ sive mysticâ solidiori*. Paulò post: *Mystica sunt ea quæ sensum reddunt vel allegoricum*, *vel tropologicum*, *vel anagogicum*. Perlustrent, quibus otium est, *reliquos Rituales & Liturgicos* à nobis jam indicatos. Audi quid Sylvester Prieras in Summâ suâ canat de Ceremoniâ benedictionis Aquæ lustralis:

> *Aqua ex benedictione acquisita est quædam spiritualis, intentionalis, supernaturalis vis. Et habet virtutem*
> *Sanctificativam, quia excitat devotionem.*
> *Purificativam, quia per eam venialia peccata remittuntur.*
> *Ablativam, sterilitatis rerum mundanarum ut sal Helizæi, &c.*
> *Multiplicativam, bonorum.*
> *Aversivam, insidiarum diaboli.*
> *Defensivam à malis phantasmatibus.*

Quid mysterium usu Scripturæ significet alibi explicuimus in 2. *Part. select. Disp. tit. de Signis.* Sed nulla significatio Ceremoniis & Ceremonialibus Pontificum, Episcoporum, Parochorum, Sacerdotum Missificantium, Canonicorum

Digitized by Google

nicorum, aliorumque Clericorum, Horas Canonicas perſolventium quadrare poteſt, niſi Apocal. 17. verſ. 5. *Et fronti ipſius nomen inſcriptum, myſterium* cum 2 Theſſal. 2. verſ. 7. *nam myſterium iniquitatis*, &c.

Caput V.

De Ceremoniis in magnâ parte Eccleſiarum Germanicarum etiamnum reſiduis.

RItus de quibus inter Nos & Lutheranos controvertitur, ſunt po- §. 1.
tiſſimum iſti, quos *Himmelius in Collegio Eiremico diſp. 8. & ult.* hoc ordine enumerat. Ceremoniæ ſunt vel de Templo vel in Templo. De Templo accidentaliter ſunt *Imagines* & *Altaria*. In Templo conſiderantur ratione vel Perſonarum, vel Rerum. Perſonarum tum omnium, tum ſingularium. Omnium reſpectu occurrit tum *Feſtorum celebratio*, nominatim *Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum*: tum *capitis nudatio & genuflexio ad nomen Jeſu.* Ceremoniæ ſingularium h. e. eccleſiſticarum Perſonarum reſpectu occupantur circa *ſacerdotalem veſtitum*, Germanicè die caſal oder chorröcke. Rerum reſpectu Ceremoniæ eccleſiaſticæ in Templo occupantur circa Sacramentum tum Baptiſmatis tum Cœnæ. Circa Baptiſmum occupatur *Exorciſmus* cum *ſigno crucis* conjunctus. Cœna conſideratur ratione præparationis & adminiſtrationis. Ratione præparationis eſt privata confeſſio & abſolutio. Ratione adminiſtrationis eſt *panis azymus & nummularius*: cum quâ cohæret *panis non fractio.* Hiſce Ritibus controverſis ab *Himmelio* defenſis adjungi debent ex Eckhardi Faſciculo cap. 19. 20. 21. hæc quinque: *Baptiſmus Fœminarum aut aliorum Privatorum; Cœna privata Ægrotis adminiſtranda; Symbola euchariſtica ore, & non prius manu accipienda; Cantiones latinæ, Concentus harmonici, & organa; Cerei ad euchariſtiæ adminiſtrationem accenſi.* Adde ex Menzero in Exegeſi Auguſtanę confeſſ. cap. 15. pag. 770. *genuflexionem in perceptione Euchariſtiæ:* quam dicit Photinianis improbari: ut ſcil. innuat ſyncretiſmum eorum hâc in parte cum Noſtris. Defendunt has ſuas Ceremonias ſub nomine Adiaphororum, ſeu rerum neutrarum: alii paulo mitius; alii inclementius ac magnâ cum exacerbatione, ac non ſine indignis inſectationibus & calumniis. *Mentzerus loc. cit.* haut obſcurè eundem ſpiritum Noſtris tribuit, quem Photinianis. Polycarpus Lyſerus in præfat. ad Catechiſmum traducit noſtros, tanquam *Ceremoniarum & omnis ἐνστάξιος juratos hoſtes.* Nihilominus defendunt earum uſum eſſe Adiaphorum, & libertati Eccleſię relinquendum: imprimis ad evitandum infirmorum ſcandalum. Non debebant ergo eaſdem aliis Eccleſiis tanquam ad ἐνστάξιον neceſſarias imponere: & in caſu non-receptionis eaſdem cum *Lyſero* tam indignè perſtringere. *Mentzerus pag. 674. 675.* diſtinguit

Digitized by Google

guit eas à dogmatibus & à Ritibus dogmata ſpectantibus, quales ſunt actiones ſacramentales, in quibus libertas locum non habet, ſed quas ſemper adhiberi oportet propter Chriſti inſtitutionem. Ibidem definit Ceremonias N. T. eſſe *Ritus, geſtus, atque actiones externas, quæ pro temporum, & locorum ratione in Eccleſiâ liberè uſurpantur, ut decenter & ordine atque ad ædificationem omnia fiant.* *Ibidem* ſic diſtribuit: referuntur aliæ ad doctrinam, aliæ ad diſciplinam. *Illas* dicit eſſe pſalmos ſeu cantiones, lectiones, adhortationes, interrogationes, partes, confeſſiones & gratiarum actiones. *Iſtas*, commodum ordinem in diſpenſatione ſacramentorum, ſolemnia jejunia, ſupplicationes, &c. Meritò diſquiri poſſet an hæc ſufficiens ſit diſtributio & enumeratio; & cur celebres illas & controverſiis agitatas, ac tantâ cum contentione à ſuis defenſas (quas *Theſi præced.* indicamus) tacitus præterierit. Subdit *ibidem*, finem earum eſſe triplicem. 1. Decorum. 2. Ordinem. 3. Ædificationem.

§. 2. Accedamus nunc ad examen controverſiæ. Illi contendunt Ceremonias eſſe Adiaphoras, inſuper ad εὐταξίαν facientes. In poſteriori omnibus circa omnes Ceremonias non convenit. *Hunnius* enim exorciſmum baptizandorum ab aliis pleriſque defenſum oppugnavit. In Belgio noſtro eundem exorciſmum, aliaſque præcipuas Ceremonias e. gr. cereos accenſos, altaria, imagines, feſta ſanctorum, album ſuperindumentum, etiam privatam confeſſionem & abſolutionem (ni fallor) ipſâ praxi ſuâ abrogârunt. Aliquid etiam hâc in parte mutatum fuit ab Eccleſiis per Sueviam & totum Rheni tractum, teſte *Pareo in Eirenico cap. 24. pag. 148.* Nos earum defenſioni iſtas conſiderationes opponimus. 1. *Conſider.* Sunt inutiles & otioſæ, quippe quæ nec ad decorum, nec ad ordinem, nec ad ædificationem faciant: ut e. gr. veſtitus ſacerdotalis, cerei accenſi, cantiones lingua latina, & quidem Harmonicè tum vivâ voce tum organis cantatæ. Confer *Tract.* proximè *ſequentem Sect.* 1. ubi agimus *de Organis.* Oſtendant hos Ritus ordinem eſſe & decorum circa Agenda ſacra ſeu Officia divina obſervandum: imo oſtendant, quod & quomodo, in ſpiritualibus ad fidem, pietatem, devotionem ædificare valeant: ſic ut non relabantur in ſuperſtitioſè aut falſò myſticas ſivè operationes, ſive ſignificationes Papales, & in dicta ſacramentalia; quæ 3. *Part. ſelectar. Diſpp. peculiari Diſp.* refutavimus. 11. *Conſider.* Repugnant *Verbo Dei*, & conſequenter non ædificant, e. gr. altaria, privata confeſſio & abſolutio ante communionem, non fractio panis per uſum placentularum, cantiones latinæ in Eccleſiâ, baptiſmus Fœminarum, acceptio euchariſtiæ non manu ſed tantum ore. Oſtendatur in iſtis ædificatio. Confer infra *Libr. 4. tit. de Templis.* 111. *Conſider.* Sapiunt ſuperſtitionem, ſaltem ſpeciem colluſionis ſeu ſymbolizationis cùm ſuperſtitionibus Papatus oſtentare, & proclivem occaſionem ad eas prolabendi rudioribus & infirmioribus præbere videntur: ex. gr. imagines

Digitized by Google

gines in templis, cerei de die accensi, exorcismus, formatio crucis, panis azymus, festivitates Sanctorum, vestitus sacerdotalis, genuflexio ad nomen Jesu, & in perceptione Cœnæ. Confer *Dispp. nostras de Superstitione, de Imaginibus, de Cruce, & Exorcismo.* Velim in singulis illis ostendi *Mentzeri* requisita, decorum scil., ordinem, & ædificationem. IV. *Considet.* Involvunt superstitionem interpretativam seu indirectam aut participatam, h. e. speciem mali, seu symbolizationem cum Ritibus Papatus. Confer rationes supra *cap.* 4. allatas contra eosdem Ritus; & vide an ab iis, & consequenter ab impositâ superstitione participatâ se felicius expedire possint, ac *Baronius, Sultingius, Filesacus*, ab impositâ suorum Rituum cum Ethnicis & Judaicis collusione se expediverunt. Quid autem sit idololatria & superstitio indirecta & participata, & quot modis committatur, *peculiari Diatribe* ex Scripturâ, accedente consensu Patrum, docuimus in 3. *Part. selectar. Dispp.* V. *Considet.* Scandalizant tum extraneos & hostes, præsertim Pontificios, tum rudiores & infirmiores in Ecclesiâ. Occasionem enim præbent, istis relictis vestigiis Papatus insistendi, & ad similes vomitus (quorum similis planè, aut ferè, est ratio) facilius redeundi. Cogitentur modo idolothyta, 1. *Cor.* 8. & 10. & excelsa sublata aut non sublata. 1. *Reg.* 18. 2. *Paral.* 15. coll. cum *Deut.* 7. & 12. VI. *Considet.* Periculum est ne mala illa bene posita, progressu temporis, per hominum infirmitatem & Satanæ atque adversariorum insidias tandem abeant ex dictis nunc Adiaphoris in necessaria; atque adeo prora & puppis invariatæ orthodoxiæ & antiquæ pietatis in iis constituatur; & sic περίεργα, & quidem inutilia, fiant ἔργα. Eò tandem deveniri solet per possessionem & præjudicium inveteratæ irrefragabilis tolerantiæ: Illa enim sensim sine sensu in approbationem mutatur: imprimis si tolerantia illa tanto zelo urgeatur. Docuit hoc tristis experientia in antiquæ Ecclesiæ Ritibus, & vacuis Observationibus partim ex Ethnicismo relictis & per transformationem quasi Christianizatis, partim per consuetudinem & plebis perversum zelum, aut per ignorantiam, imprudentiam, oscitantiam, etiam ἰδιογνωμοσύνῃ & contentionem Doctorum quorundam introductis. Horum occasione paulatim succreverunt errores & superstitiones, ex quorum complemento & collectione, accedente imprimis tyrannicâ necessitatis impositione, tandem constitutum fuit systema Antichristianismi seu Papatus. Vide quid de illorum sæculorum ritibus notent *Centuriatores Magdeburgenses*, eorumque *Epitomator Lucas Osiander*. Et conferantur *Casp. Schioppii Scorpiacum*: à cujus consequentiis ubi *Centuriatores* ritè liberaverint, parum nobis restabit pro carentiâ seu omissione istorum Rituum in Ecclesiis Reformatis disputandum. In Ecclesiis Anglicanis & Scoticis docuit experientia, Ceremonias primum perpetuis querimoniis, postea tristissimis Ecclesiæ ac Politiæ concussionibus, quæ tristissi-

Digitized by Google

ma bella poſt ſe traxerunt, occaſionem dediſſe. Et tanti iſtic conſtiterunt dicta ſcil. Adiaphora, & innocentes (ita dictæ) Ceremoniæ. Sed de his infra. Videant ergo, qui Ceremonias ſuas urgent, ne dicta Adiaphora, eorumque ſive uſus ſive tolerantia non neceſſaria tam acriter defendantur, ut alias Eccleſias, quæ eas non recipiunt, aut omittunt, dictis, ſcriptis, conſiliis, factis eo nomine infectentur aut perſequantur. Quid factum ſit reformationi Marpurgenſi anno 1600. docent *Hiſtoriæ*, & *Scripta* ultro citroque ſuper eâ edita. Idem conſiderent æqui arbitri in exiguâ illâ mutatione per remotionem imaginum, quam ſereniſſ. Bohemiæ Rex Fridericus anno 1620. in privato & domeſtico oratorio arcis Pragenſis curaverat. Super quâ diſceptatum fuit inter *Theod. Thummium* Theologum Tubingenſem, & *Abrah. Scultetum*, *Scriptis* partim Latinè partim Germanicè editis. Atque hæ rationes generales pro omiſſione Rituum iſtorum in noſtris Eccleſiis. Particulares ſingulis oppoſitas vide in *Altingii Syllabo controverſiar. Lutheran.* Nos etiam quaſdam *Cap. præced.* attigimus.

§. 3. Rationes & exceptiones pro defenſione iſtarum Ceremoniarum ſunt vel generales vel particulares. Particulares, quas puto eſſe Eckhardi, breviter & nervoſe refutantur ab *Altingio Lib. cit.* Non eſt ergo quod hic actum agam. Generales ſunt. 1. *Except.* Quia abſque opinione Cultus aut meriti uſurpantur; ergo nihil ab illis periculi. *Reſp.* 1. Cum tamen tam ſollicitè & religioſè obſervantur, & tam acriter pro iis contenditur, quis credat non ſtatui in iis partem aliquam Cultus? Proteſtatio eſt contraria facto. 2. Hâc cum excuſatione ſexcentę vacuæ obſervationes retineri, aut urgeri & in Eccleſias introduci poſſent. 3. Cum majus eſt periculum & damnum emergens aut metuendum, quam præſentanea aut ſperanda ædificatio, præſtat omitti omne illud, quod non eſt neceſſarium, aut per ſe utile. 11. *Except.* Quia liberè, & tanquam mera Adiaphora obſervantur? *Reſp.* Proteſtatio eſt contraria facto. Cur enim tam fervidè urgentur? cur Eccleſię iis non utentes tanquam defectibus, aut deformatione aliquâ laborare judicantur? Cur iis circa omiſſionem libertas eadem non relinquitur, quam ſibi ſumunt circa eorundem uſum. 111. *Except.* Quia orthodoxa & pia antiquitas ante conſtitutum Papatum quibuſdam iſtorum Rituum uſa eſt? *Reſp.* Orthodoxam & piam antiquitatem in fidei dogmatis fundamentalibus non rejicimus. Sed inde non ſequitur Ritus, & modum regiminis eccleſiaſtici ab illâ tanquam normâ aut perfectiſſimo exemplari, in Eccleſias noſtras traducendos eſſe. Hoc certe non dictant *Centuriatores Magdeburgenſes.* Nec puto Lutheranas Eccleſias primorum quinque ſæculorum, nedum ſexti aut ſeptimi Ritibus & regimine per omnia velle teneri. Certè antiquorum ſtata jejunia, cœlibatum clericorum, aſcetico-monachatum, patriarchatuum conſtitutiones &c. in Eccleſiis ſuis non retinuerunt,

Digitized by Google

erunt, quamvis jam à multis sæculis obtinuissent. IV. *Except.* Propter scandalum retinendi sunt? *Resp.* Siquidem hoc sufficit, cur Lutherani sustulerunt monasteria, cœlibatum clericorum, linguam latinam in Sacris, potestatem Papę etiam moderatam (qualem Melanthon in Articulis Smalcaldicis concedebat,) pileos sacerdotales, cucullos monachorum, & pleraſque cercmonias Baptismi e. gr. catechismum, salem, oleum, sputum &c. Rectè distinguit Mentzerus loco cit. p. 675. scandalum in datum & acceptum; & monet nihil *quidquam veritatis hostibus concedendum, ubi casus viget confessionis: eoque tempore nihil esse perniciosius atque Christianâ indignius simulatione & dissimulatione*, Galat. 2. Ex Nostris *Beza in Colloquio Mompelgardensi* exceptioni illi, de imaginibus ex cordibus hominum per verbi prædicationem prius tollendis, quam ex Templis, reponebat sexaginta annis satis superque jam prædicatum esse, ut saltem tunc tempus eas tollendi adesse videretur. Multò magis post bis sexaginta annorum & ultra prædicationem nunc tolli deberent: ne diuturna & pertinax illa tolerantia tandem Populi, & postea Doctorum quorundam approbationem post te trahat. Interim istis aliisque carnalibus tolerantiis & moderationibus scandalum, scismata, turbas prætexentibus, ideoque nondum advenisse tempus ædificandi domum domini (*Hagg.* 1.) ubi accuratè responderint, videbunt suas exceptiones unà submotas esse. V. *Except.* Probantur controversi Ritus propriâ Nostrorum confessione. *Himmelius* Theologus Jenensis, cum *in primâ Disput.* dicti *Collegii Eirenici* præmisisset determinationem de Scripturâ unico fidei principio, & in seqq. omnibus singula controversa per theses & antitheses distinxisset, subjectis probationibus ex Scripturâ & Patribus; hic methodo planè mutatâ, absque probationibus scripturariis, absque Patrum consensu, ex avulsis & detortis aliquot dictis Nostrorum, totum hoc negotium conficit. *Plurimi*, inquit, *Calvinianorum inveniuntur, qui vi veritatis adacti Ceremonias in nostris Ecclesiis approbant.* Citat autem pro Ceremoniis Lutheranis in genere. 1. *Testimonia Buceri in Scriptis Anglicanis pag.* 456. & *Alex Alezii in Proëmi. ordinat. Eccles. Anglic. Resp.* 1. Illi loquuntur de Ritibus Anglicanis non Lutheranis: nihil itaque dicta eorum ad imagines, altaria, cereos accensos, privatas confessiones & absolutiones, quandoquidem in primâ illa & provisionali Rituum ac Liturgię (uti Latinè ea edita ab *Alezio*, & Lipsię excusa anno 1551. in 4.) reformatione sub Rege Eduardo sexto non comparent. 2. *Alezii Præfatio* eo tendit, ut suadeat in Ritibus non planè impiis aut apertè idololatricis mutandis aut reformandis cautione, prudentiâ, & circumspectione utendum: nec per ἀπαξίας turbandas Ecclesias: nec illico condemnandos, qui hâc in parte minus confidentes & fortes sunt. Jam vero aliud esse approbationem, aliud moderationem & tolerantiam, infra *Part.* 3. docemus *tit. de Tolerantiâ, & Moderatione.* 3. *Quod*

ad Bucerum, (quem quo jure Calviniſtam faciat, non video,)notum eſt ipſius nimiam forte moderationem, ut & Melanthonis & ſimilium, eo tendere, ut requiſita iſta Mentzeri, ordinem ſcil., decorum, ædificationem ex proprio ſuo ſenſu & voto attribuant omnibus ſive Ritibus ſive etiam dogmatis circa primordia reformationis toleratis, aut ipſorum judicio tolerandis potius, quam ut tota religionis cauſa perderetur, aut præſenti periculo exponeretur. Confer *Syllabum Judiciorum & Scriptorum henoticorum* peculiari libro editum, *Joh. Durei* itidem *Libellum*, aliaque nonnulla hic ſpectantia, quæ infra indicamus *Part.* 3. *tit. de Syncretiſmo.* Hic reponi poſſet multa à Melanthone, Bucero, &c. in primâ illâ & periculoſiſſimâ concertatione ſuper negotio reformationis per tolerantiam, aut conniventiam, aut *συγκαταβάσεις* conceſſa fuiſſe, quæ ipſi maluiſſent ſublata, ſiquidem proprio motu & arbitrio licuiſſet ipſis libertate & poteſtate illâ frui, quâ poſt conventionem Paſſavienſem anno 1555. Eccleſiæ Germanicæ fruebantur. Saltem pro earum introductione aut obſervatione tantum non contendiſſent, ac hodie nonnulli feliciori tempore viventes. Certè Melanthonem non puduit in affectâ ætate profiteri pœnitentiam de nimiâ ſuâ in Ritibus, aliiſque conceſſione & *συγκαταβάσει*, ad principalem reformationem in Eccleſiis obtinendam. Vide duas *Epiſtolas Melanthonis ad Illyricum, Scripto Scholaſticorum Witebergenſium pro Melanthone* inſertas *quatern. I. pag.* 3. & *quatern. N. pag.* 3. & 5. Ejuſdem *Melanthonis Reſp. ad articulos Bavaricos, & confeſſionem Wirtenbergenſem*, & *Principes proteſtantes in Libro oppoſito Concilio Trident.* a. 1564. Non videntur illi tantum voluiſſe contendere pro humanis traditionibus titulo Rituum venditatis. Verba *Melan-*
„*thonis* ſunt *in reſp. ad art. Bavar. qu.* 2. non neceſſariam eſſe ſimilitudinem
„rituum humanorum in verâ Eccleſiâ, manifeſtum eſſe ex illis dictis, Re-
„gnum Dei non eſt eſca vel potus &c. Item, nemo vos arguat in cibo & po-
„tu, &c. Et *Tom.* 2. *in Tract. de Eccleſiâ pag.* 139. De ceremoniis, *inquit*, ſi
„quis ætatem Auguſtini nobis opponit, ſciat, ne ipſi quidem Auguſtino pla-
„cuiſſe omnes ritus & perſuaſiones ſui temporis. Queritur multas ſuperſtitio-
„ſas opiniones hærere in Eccleſia, anteferri humanas traditiones præceptis
„Dei, & ſic cumulatas fuiſſe ceremonias ut Judæorum ſervitus tolerabilior
„fuerit, quam Eccleſiæ. Verba ejus ſunt ad Januar. Epiſt. 119. Ipſam tamen
„Religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationem Sacramen-
„tis, miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut to-
„lerabilior fuerit conditio Judæorum, qui tamen divinis legibus non huma-
„nis ſubditi erant. Et *Confeſſionis Wirtenbergenſis tit. de Ceremoniis:* Nec licet
„vel veteres ritus legis reſtaurare, vel novos comminiſci ad adumbrandam
„veritatem Euangelio jam patefactam & illuſtratam: quales ſunt interdiu
„accendere cereos ad ſignificandam lucem Euangelii, aut uti vexillis & cru-
„cibus

Digitized by Google

„ cibus, ad ſignificandam victoriam Chriſti per crucem. Quod genus eſt u-
„ niverſa panoplia veſtium miſſalium, quam ajunt adumbrare totam paſſio-
„ nem Chriſti, & multa id genus alia. Multo minus licet inſtituere cæremo-
„ nias aut ſacra, quorum meritis expientur peccata, & accipiatur regnum
„ cœleſte. Nam de priori illo genere cæremoniarum & ſacrorum, Chriſtus
„ ex Eſaiâ concionatur, Fruſtra, inquiens, colunt me, docentes doctrinas, præ-
„ cepta hominum. Et Paulus, Ne quis vos judicet, in cibo aut potu, aut in
„ parte diei feſti, aut novilunii, &c. His accedunt teſtimonia Auguſtini & a-
„ liorum, de libera talium cæremoniarum obſervatione. Et *Principum prote-
ſtantium* pag. 253. edit. German. in 4. quę latinè reddita, & denuò cum appen-
dice catalogi Teſtium Illyrici curante *Goulartio*, a. 1608. recuſa, *edit. in fol. pag.*
„ 2066. Ex quo genere ſunt, quæ exempli & poſteritatis cauſa, ut ex infinitis
„ pauca quædam commemorabimus, Imagines crucis indulgentiarum. Sta-
„ tuæ & imagines cæterę. Altaria, in quibus celebrentur miſſæ, ſacrificia fi-
„ ant. Miſſæ privatæ quæ in ſingulis templorum angulis fiunt, pro vivis
„ & mortuis. Miſſa de corona ſpinea, de tribus clavis, de præputio Chri-
„ ſti, pro navigantibus, pro equeſtri aut pedeſtri itinere peregrinantibus, pro
„ gravidis, pro parturientibus, pro ſterilibus, pro febri quartana aut tertiana
„ laborantibus. Vigiliæ pro defunctis. Dies ſeptima & trigeſima anniverſa-
„ ria. Purgatorium. Statuæ & imagines Sanctorum, & in primis beatæ Vir-
„ ginis Mariæ, redemtricis & ſalutatricis. Adorationes imaginum & ſtatua-
„ rum. Peregrinationes ad loca religioſa & divorum ſtatuas: Invocationes
„ Sanctorum mortuorum. Oſſa & reliquiæ Sanctorum. Fraternitates. Tem-
„ plorum dedicationes. Dedicationes Altarium. Conſecrationes Imaginum
„ & ſepulchrorum. Campanarum baptiſationes adhibitis patrimis & ſuſce-
„ ptoribus. Ciborum diſcrimina & delectus. Veſtes religioſæ & conſecratæ,
„ quę indutæ ſanctimoniam ſingularem afferrent. Horę Canonicæ. Proceſſi-
„ ones religioſę ſeu dies Crucis. Conſecratio & unctio Sacerdotum & ſacrifi-
„ culorum. Unctio infirmorum. Chriſma ſeu vinctio infantium in Baptiſmo,
„ & adultorum in confirmatione. Tonſoriſtæ. Acoluthi. Subdiaconi. Le-
„ ctores Euangelii & Epiſtolarum in Miſſa. Miſſifici Sacerdotes. Tonſiones
„ & raſurę verticis. Caſulæ. Albæ & cęterę veſtes lineæ chorales. Cande-
„ labra. Cerei conſecrati & lucernæ. Lampades, ampullæ, & faces. Tabulæ
„ pictæ. Vexilla. Thuribula. Thymiamata & odorata. Monſtrantiæ. Ci-
„ borium ſeu repoſitorium, vel theca, in qua aſſervatur panis Idolatricus, Cam-
„ panellę, Cymbala, nolę, & crepitacula. Aquæ benedictæ ſeu conſecratæ.
„ Sal conſecratus. Herbæ conſecratæ, quibus fugantur cacodæmones. Cine-
„ res conſecrati, & eorum ſuſceptio. Pannus quadrageſimalis. Imagunculæ
„ Sanctorum, pannis involutæ, per quadrageſimam ſeu crepundia. Jejunium

Digitized by Google

„ quadrageſimale. Letania qua invocantur ſancti. Salve Regina, hymnus.
„ Confeſſio auricularis, quæ ſacerdoti fit in aurem. Satisfactiones ſeu emen-
„ dæ pro peccatis. Roſariorum battologię. Rami palmarum conſecrati. A-
„ ſinus palmis coronatus. Cœna Domini ſub unâ ſpecie. Oſculum Crucis &
„ adoratio. Crux reponenda in ſepulchrum Domini. Preces matutinę, quæ
„ fiunt cum ſolenni tumultu ad ſepulchrum Domini. Strepitus qui fiunt in-
„ ſtrumentis ligneis in templis die paraſceues Domini. Conſecrationes ignis.
„ Placentarum benedictiones. Conſecratio cerei Paſchalis. Proceſſiones &
„ peregrinationes religionis ergò, quæ fiunt in die S. Marci, & in hebdomade
„ Rogationum. Elevatio ſtatuæ ligneæ, & dejectiones ignis & aquæ, in die
„ Aſcenſionis Domini. Spectaculum, quo columba lignea in die Pentecoſtes
„ ex alto demittitur. Feſtum corporis Domini, quo circumgeſtatur panis ido-
„ latricus pompa theatrica. Infiniti dies feſti mandati ſub pœna excommuni-
„ cationis & debita obedientia. Indulgentiarum nundinationes, quæ fiunt
„ jam dictis & aliis feſtis. Ablutio pedum in die Cœnæ Domini, pridiè para-
„ ſceues. Ablutio Altarium. Item Imago crucis, quę ex cera conficitur, ad-
„ hibitis certis preculis, & vulgò Agnus Dei dicitur, cui tribuunt eandem
„ vim divinam, quæ ipſi filio Dei, qui verè eſt Agnus Dei, tribuitur. *Et paulo*
„ *poſt:* Oſculum pacis, & Arrhabo. Roſa aurea, & facies Veronicæ. Item,
„ Initium Euangelii S. Johannis, incluſum certis ſchedulis, ac de collo ſuſpen-
„ ſum, & quę ſunt ſimiles nugæ infinitę. Ubi omnium iſtarum traditionum
à ſe abrogatarum ſufficientes cauſas expoſuerint, utique videbunt nullam cau-
ſam dici poſſe, cur pro exorciſmo, altaribus, candelis, albo indumento, ima-
ginibus &c. retinendis magis pugnandum ſit; quam pro illis modo enumera-
tis. II. *Teſtimon. Nicol. Hemmingii in Paſtore pag.* III. & *in Johann.* I. *Reſp.*
Ex teſtimonii poſterioris verbis ab *Himmelio* allatis conſtat, eum nihil aliud
velle, quam Ceremoniarum (quarum manifeſta impietas cum fundamento
pugnans monſtrari non poteſt) *ſubitam mutationem non eſſe admittendam* &c.
ſiquidem omnes mutationes ſubitæ aliquid damni adferunt. Cæterum ſuo judi-
cio indulget, cum *Hemmingium* Calviniſtis accenſet. III. *Teſtimon. Judoci*
Nahumi ſuper dominic. Trinitatis 14. *Reſp.* Loquitur de iis, qui propter Ritus
introductos & *non malos non neceſſarias lites & contentiones movent.* Sed quo-
modo hoc ex ſenſu *Nahumi* applicabit reformationi tum Lutheranorum tum
noſtrorum in Palatinatu, Haſſiâ, Comitatibus Naſſovicis, Hanovienſi, Solmen-
ſi, in Ducatibus Juliacenſi, Clivienſi, Montenſi. Comitatibus Marcano, Lippi-
enſi, Steinfurtenſi, aliiſque Eccleſiis Germanicis, adhæc in Gallicis, Belgicis,
Hungaricis, Polonicis, Scoticis, &c. IV. *Teſtimon. Theologorum Heidelbergenſium*
in tract. Germanico Trewhertzigen vermanung: *p.* 3. & 7. & 21. *Reſp.* Nullo mo-
do approbant controverſas Ceremonias, ſed negant eas eſſe de fundamento
ſaluris,

ſalutis, ideoque moderationem & tolerantiam ſuam circa eaſdem declarant, quodque diverſitas earum non debeat impedire optatum aut poſtulatum Noſtrarum Eccleſiârum cum Lutheranis ſyncretiſmum. Sed qui hoc ſtatuunt eo ipſo minimè approbant Ceremoniarum iſtarum decorum & ædificationem. v. *Teſtimon. Hoſpiniani in Præfat. de Templis. Reſp.* Nihil aliud dicit, quam in verâ primitivâ Eccleſiâ nulla aut exigua Papatus veſtigia fuiſſe. An ideo aſſerit dictas Ceremonias (e. gr. imaginum) in illâ Eccleſiâ fuiſſe? An dato fuiſſe, ideo eas aut in Antiquis aut in Lutheranis probat, cum negat fuiſſe Papatum? VI. *Teſtimon.* Eſt *Bernardi Textoris in Pandectis Concionum p.* 10. *Reſp.* Dicit nævos primitivæ Eccleſiæ tanti non fuiſſe, ut ideo titulus apoſtolicę ipſi derogandus ſit, omneſque ipſius utiles conſtitutiones & conſuetudines repudiandę. Inde non ſequitur eum approbare aut antiquorum nævos, aut Lutheranorum Ceremonias. Aliud eſt tolerantia, aliud eſt approbatio. Rurſum aliud eſt Ceremonias excuſare in totum & aliud in tantum. Atque hæc quidem cum *Himmelio* adducta pro Ceremoniis in genere. Reliqua quæ pro Ceremoniis in particulari accumulat, aut Ceremonias ut e. g. cereos accenſos, exorciſmos, &c. non nominant; aut ſi aliquas nominant ut e. gr. imagines ſeu picturas, non agunt de imaginibus in Templis; aut non approbandas docent, ſed tolerandas in alienis Eccleſiis; aut concedunt Ceremonias, quamvis eas minimè probarent, non tanti momenti eſſe, ut Eccleſias iis utentes propterea condemnarent, atque ab omni fraternitate aut Syncretiſmo excluderent.

Caput VI.

De Concertatione ſuper Ceremoniis quibuſdam Anglicanis.

ACcedimus nunc ad Ceremonias Anglicanas. Status, & oppugnatio ac defenſio earum admodum variavit. Antagoniſtæ erant triplices. §. 1. 1. *Qui* eas ſolummodo improbarent, & earum reformationem deſiderarent, atque expeterent: interim & ſolenni ſubſcriptione, & praxi ſe iis conformarent, in caſu ſcil. exauctorationis à miniſterio. Et tales dicebantur Conformiſtæ & conformabiles. 2. *Qui* praxin & ſubſcriptionem detrectabant ob rationes, quibus conſcientiam ſuam moveri dicebant: & tales Miniſtri, ſi favore Magnatum aut alio quo moratorio impoſitę ſubſcriptioni tacitè non ſubducerentur, aut ſi ſub Epiſcopo moderatiori non viverent; ſuſpenſionibus aliiſque cenſuris & vexationibus ſubjiciebantur. 3. *Qui* inſuper pertæſi ἀπημόνων tum in Ceremoniis tum in Regimine Eccleſiæ quibus vexationes accedebant, ab omni communione Eccleſiæ Anglicanæ, abſtinebant & abſtinendum docebant: qui vulgò iſthic dicti ſunt *Separatiſtæ*, & ab opinionis iſtius promachis *Browniſtæ*, & *Barrowiſtæ*.

Qui

Digitized by Google

Qui non tantum ab Anglicanâ, ſed etiàm à dictis Puritanis, atque adeo omnibus Eccleſiis reformatis paulatim alieniores, facti fuerant. In doctrinâ quid ſenſerint, docet *eorum Confeſſio* latinè, anglicè, & belgicè edita. Quid in Politia & Ceremoniis Anglicanis deſiderent, & quanti diſſidium hoc faciant, oſtendunt in *ſuâ Apologiâ* Belgicè & Anglicè editâ. Cum quibus conferendi doctiſſ. *Antagoniſtæ eorum Pagetus & Ameſius*, qui vernaculo ſermone ſcripſerunt. Fuerunt inter eos alii moderatiores, ut Robinſonus, cujus Apologia latinè edita eſt: alii rigidiores, ut Ainſwortus, Johannes Canne &c. Succeſſerunt ante paucos annos in eaſdem ferè opiniones circa modum regiminis dicti *Independentes* (qui ſuas Eccleſias *congregationales* indigitant, & quorum confeſſio a. 1659. anglicè edita eſt): quorum aliqui editis ſcriptis nominatim presbyteriale regimen oppugnant. Ab illis diſtinguo, qui forte ſub nomine illo latere voluerunt, multos heterodoxos, & fanaticos; qui non tantum in Ceremoniis & Politia eccleſiaſtica mutationem deſiderant, ſed & in ipſis fidei dogmatis; quin & Eccleſiis reformatis intemperanter maledicunt atque inſultant. Primi & ſecundi generis communiter dicebantur *Puritani* & ſubinde à nonnullis Antagoniſtis *Cathari*: quę appellatio tam odioſa & iniqua erat, quam illi ab antiqua Catharorum hæreſi alieni. Deſiderabant illi non tantum Doctrinam, ſed & Ritus cum Politia eccleſiaſtica ad primam antiquitatem, ſimplicitatem, & puritatem Eccleſiæ Apoſtolicæ revocari, & Eccleſias ſuas hac in parte reliquis reformatis in Gallia, Belgio, Scotia, &c. quantum fieri poſſet, conformari. Vide *Libellum Anonymi cum Præfatione Gul. Ameſii in* 8. editum tit. *Puritaniſmus Anglicanus.* Et *Davidis Calderwood* Scoti *Altare Damaſcenum*, ſub nomine *Didoclavii* editum: ubi plenè & Ceremoniæ & Hierarchia Anglicana explicantur & expenduntur. Quæ antehac purioris ſeu accuratioris reformationis fautores iſthic ſcripſerint, egerint, & paſſi ſint, loquentur aliquando *Hiſtoriæ*: & pleraque ex quamplurimis libellis vernaculo ſermone editis colligi poſſunt. Dicti *Puritani* diſtincti fuerunt in *conformiſtas* & *non-conformiſtas*. *Illi* dicebantur, qui reformationem Ceremoniarum tantum, aut etiam hierarchici regiminis animitus probabant & deſiderabant; interim ut Eccleſiis ſuis conſulerent aut etiam aliis de cauſis, ſubſcriptionis mandato ſe ſubmittebant. *Iſti* dicebantur omnes illi Theologi & Miniſtri, qui in conſcientia gravabantur ſubſcribere formulæ in Synodo Epiſcoporum Londinenſi anno 1603. canone 36. præſcriptę, quâ declaratur Librum Liturgicum & ordinationum nihil continere, quod repugnet verbo Dei. A quâ ſubſcriptione liberari petebant Miniſtri Provinciæ Lincolnienſis, rationibus petitionis exhibitis anno 1605. quæ poſtea nomine Apologiæ editæ ſunt, & anno 1638. recuſæ. Ante illos reformationem Ceremoniarum & abuſuum quorundam circa regimen & diſciplinam (ipſâ tamen formâ regiminis hierarchici intactâ) a Rege

anno

Digitized by Google

anno 1603. menſe Aprili petierant mille Miniſtri: quorum Libello ſupplici Oxonienſes refutationem à Cantabrigienſibus approbatam oppoſuerunt eodem anno. Quid celeberrimo & longè eruditiſſimo Anglorum Theologo Johanni Raynoldo, cum Regi in aulâ Northamptonienſi petitionem offeret, evenerit, loquuntur *Acta Colloquii Northamptonienſis*, Anglicè tunc edita. Meminit etiam ejuſdem Raynoldi *Parkerus in Præfat. ad Librum de Deſcenſu ad inferos.* Poſt illud tempus Ceremoniæ magis ac magis obtruſæ ac defenſæ ſunt ab immoderatioribus quibuſdam Epiſcopis (inter quos emicuere Lancelotus Andrews, & Richardus Montacutius), aliiſque dictis Hierarchicis & Formaliſtis. Donec tandem ad faſtigium cauſa illa enixa fuit ſub regimine Wilhelmi Laudi poſtremi Archiepiſcopi Cantuarienſis: quando ipſa dogmata fidei, Ceremoniarum prętextu non leviter paſſim conquaſſata, & Papiſmo & ſyncretiſmo Papiſtico via aperta, & Eccleſia Anglicana communioni reformatarum & quod ad rem & quod ad nomen paulatim ſubduci videbatur. In manibus ſunt Libri publicè partim ab Academicis partim ab Epiſcopis & Miniſtris Ladenſi parti addictis editi. Qui guſtu aliquo aut compendio contentus eſt, is legat egregium *Tractatum tit. Ladenſium αὐτοκατάκρισις* &c. vernaculè editum anno 1640. Conjungantur *Hiſtoriæ rerum ab anno 1639. in Scotiâ & Angliâ geſtarum: & Scedam continentem Notatas innovationes in Doctrinâ, Diſciplinâ & Ritibus*, ut & *Animadverſiones in Librum Liturgicum anno* 1641. quas juſſu domus ſuperioris Parlamenti ſuſceperant *Uſherus* Archiepiſcopus Armachanus, D. *Williams* Epiſcopus Lincolnienſis, D. *Prideaux*, D. *Ward*, D. *Browuring*, D. *Featly*, D. *Hacket*. Sed ut ad Ceremonias revertamur, quibus ab initio reformationis ſub Eduardo VI. Eccleſiæ & conſcientiæ gravari putabantur, ſunt ſequentes: crux & catechiſmus in Baptiſmo; confirmatio; gunæco baptiſmus; album ſuperindumentum; receptio ad communionem Eccleſiæ & Cœnæ abſque præeunte examine; annulus in confirmatione matrimonii; ferię Sanctorum; genuflexio aut capitis inclinatio ad nomen Jeſu; lectio Librorum Apocryphorum; Muſica harmonica tum vocalis tum inſtrumentalis, ædificationi minus accommodata; Liturgiæ & Officii divini prolixa recitatio; technologemata *Sacerdotis, abſolutionis*, aliaque in Libro Liturgico occurrentia. Atque hæc notant mille Miniſtri. Lincolnienſes Miniſtri addunt, genuflexionem in Cœnâ. Notant præterea, ordinem lectionum Scripturę, per quem integri libri Scripturæ excluduntur à publicâ & eccleſiaſticâ lectione; & lectionem tranſlationis, quę non uno modo laborabat; & malam explicationem atque applicationem quorundam textuum Scripturæ in Libro liturgico. Ex Ceremoniis ſtrictè ſic dictis tres erant principales; tum quod maxime contentionibus celebratæ eſſent; tum quod omnes parochiales Eccleſias, omneſque Miniſtros, & ordinaria eorum miniſteria propius

Digitized by Google

tangerent; genuflexio ſcil. in Cœnâ, crux in Baptiſmo, album ſuperindumentum in Officiis divinis. Has ut præ aliis urgebant rigidiores hâc in parte Epiſcopi, aut eorum Officiales, ſic deprecabantur Miniſtri aliter ſentientes, & rationibus ſuis premebant *Linconienſes in Apologiâ*, & ab alterâ parte ſubtilium diſtinctionum apparatu contra Linconienſes defendebat *Thomas Mortonus* Epiſcopus Cheſtrenſis libro vernaculo, cui tit. *Defenſio innocentiæ trium Ceremoniarum Eccleſiæ Anglicanæ* anno 1618. Quem excepit *Ameſius* duobus *Libellis in* 4. quorum prior priori parti Mortoni, poſterior poſteriori opponebatur. Ameſio anno 1632. occurrit Doctor *Burgeſſe* ſocer ipſius, multa ob Ceremonias & non conformitatem antea paſtus; ſed tunc, uti videbatur, multum mutatus ab illo. Huic *Ameſius Scriptum* repoſuit anno 1633. *tit. Triplicationis adverſus replicam D. Burgeſſe:* quo abſoluto Ameſius vivere deſiit. Ameſii poſtremum Scriptum, neſcio an quis ex profeſſo oppugnaverit. Poſt Ameſii hoc ſcriptum, & Altare Damaſcenum, ex profeſſo Ceremonias Anglicas preſſè & accuratè examinavit *Anonymus* quis, in Scotia anno 1637. omneſque & Scotorum & Anglorum defenſiones ceremoniales excuſſit. *tit. Diſputatio adverſus Anglo-Papiſticas Ceremonias Eccleſiis Scoticis obtruſas.*

§. 2. Rationum, quæ Ceremoniis his opponi ſolent nuda ſceleta ſeu archetypos, pleroſque ex *Libro Anonymi* Scoti modo citati, hic indicare ſufficerit: cum deductio earum ex *Diſpp. Noſtris de Idololatria indirecta*, aliisque Papatui oppoſitis & ſupra cit. facile peti poſſint. 1. *Rat.* Quia ſunt ſuperſtitio & ἰδωλοθυτόν ſi non directa ſaltem interpretativa contra *Matth.* 15. *Col.* 2. Urgentur enim aut defenduntur tanquam pars cultus, aut tanquam medium, aut requiſitum, aut adjunctum, aut ſignum myſticum, pro hominum arbitrio inſtitutum. Vide *Tract. cit. Part.* 3. *cap.* 1. & 5. ubi ſuperſtitio earum probatur. 11. *Rat.* Quia vanæ, otioſæ, inutiles ſunt, nec promovent cultum Dei, aut devotionem. Hoc enim facerent, aut tanquam ſigna; aut tanquam inſtrumenta Phyſica directè & phyſicè operantia; aut tanquam cauſæ procatarcticę moraliter operantes per modum meriti aut impetrationis; aut tanquam adjuncta ſeu concomitantia, ſive naturaliter juxta decorum commune & naturale (de quo 1 *Cor.* 11. *verſ.* 14.), ſive civiliter juxta decorum, morem, conſuetudinem civilem & particularem. Sed nihil iſtorum dici poteſt. 111. *Rat.* Quia urgentur ut neceſſariæ, aut quaſi neceſſariæ, idque tum praxi Epiſcopali (teſte Experientiâ), tum acri & contentioſâ eorum defenſione: & conſequenter non parum præjudicatur libertati Chriſtianę, Fidelium & Miniſtrorum. Probatur antecedens: *Quia* 1. praxis ligatur. 2. *Quia* & ipſa conſcientia Miniſtrorum diſſentientium ligatur mandato ſuperiorum in Eccleſia, accedente irrefragabili & cogente autoritate politicâ. 3. *Quia* præſtantiſſimi cujuſque Miniſtri conſcientia à Ceremoniis abhorrens percutitur & triſtitia afficitur;

by Google

afficitur; ejúſdemque opera Eccleſiis non ſine communi gemitu & dolore eripitur. Vide *Tract. cit. p.* 2.-- 19. Lubet huc referre dictum *Zachariæ Boyd* Miniſtri Scoti, quod in *Præfat. ad Epiſcopos Scotiæ* præfixa *Tract.* vernaculo *de luctâ Animæ in morte*, ipſis ſubjicit: *Peccata*, inquit, *ſubſtantialia puniuntur* (eccleſiaſticè ſcil.) *Ceremonialiter; & peccata ceremonialia puniuntur ſubſtantialiter.* Camarinam factorum nolo hic movere. IV. *Rat.* Quia impediunt & corrumpunt zelum & devotionem in cultu Dei, & Eccleſię ædificationem. *Part.* 2. *cap.* 3. & 4. V. *Rat.* Quia ſpeciem mali habent; colluſiones ſcil. cum ſuperſtitione, idololatriæ & Ceremoniis ac traditionibus Papatus: ſunt enim monumenta idololatriæ Papiſticæ, ſunt idololothyta, immo & ſuo modo idola. *Part.* 3. *cap.* 2. 3. 4. VI. *Rat.* Quia occaſionem præbent relapſus & prolapſus in ſuperſtitiones humanas & Papales: conſequenter ſunt admodum periculoſæ, ideoque tollendæ. *Part.* 2. *cap.* 3. Neque enim hic valet regula: *tollatur abuſus, & maneat rerum ſubſtantia.* Hæc enim obtinet in rebus per ſe neceſſariis, aut admodum utilibus. Quomodo autem reliquiæ Ceremoniarum pontem ſternere ſoleant reducendæ ſuperſtitioni, docuerunt excelſa inter Judæos à Regibus quibuſdam relicta, & quę poſtremis annis in Angliâ & Scotiâ prætextu Ceremoniarum evenêre: de quibus conſulendæ *Hiſtoriæ.* VII. *Rat.* Quia ſcandalizant multos qui intra, & qui extra, & qui in bivio conſtituti ſunt, Væ autem mundo à ſcandalis *Matth.* 18. coll. cum 1 *Cor.* 8. & 10. Extraneos, nominatim Papiſtas ſcandalizari, dum in ſuperſtitione & traditionibus ſuis confirmatur, probatur *Part.* 2. *cap.* 6. & multa ex Scriptoribus eorum exhiberi poſſent, quæ huc faciunt. Noſtros & firmos, vel infirmos ſcandalizari, probatur *Part.* 2. *c.* 12. VIII. *Rat.* Quia turbas, diſſidia, contentiones, perſecutiones in viſceribus Eccleſiæ reformatę, immo & in Politiis excitant, fovent, augent. *Part.* 2. *cap.* 5. & 7. addo & occaſione perſecutionum, tandem bella inteſtina oriri. Non quæritur hic quo jure an injuria, per ſe an per accidens: ſed hiſtoricè tantum refertur, quid evenire ſoleat; quo piè ac prudenter deliberetur, an ſpecioſa illa Adiaphora tanti facienda ſint, ut propterea tantis periculis Eccleſias exponere malimus, quam opportunæ & ἐυκαίρῳ expurgationi aut ſepulturæ earum ſtudere. IX. *Rat.* Quia eas omitti deſiderant plerique reformatæ religionis, & pietatis zelotæ. Idem ſuadent & judicant præſtantiſſimi Theologi, tum in Anglia (*Humfredus, Cartwrigtus, Raynoldus, Perkinſus &c.*) tum extranei *Calvinus, Beza, Johannes à Laſco &c.* ab *Apologiâ Linconienſium, Ameſio contra Mortonum & D. Burgeſſe, Autore Altaris Damaſceni*, eruditiſſ. Scriptore Scoto contra Ceremonias Anglo-Papiſticas &c. paſſim indicati. Nec defuerunt inter Epiſcopos, qui ſanioribus judiciis acceſſerunt: non obſtante aliorum Collegarum πολιλικοτέρῳ ſeu κοσμικοτέρῳ ἢ φιλοχικοτέρῳ, quæ ſemper ſtabat, ſententiâ; cujus ratio & conſequentia huic

Digitized by Google

regulæ vulgò jactatæ innitebatur: *Non Ceremoniæ, non Episcopi.* x. *Rat.* Quia ipsi Ceremoniarum patroni nusquam hærent, nusquam requiescunt; sed trepidantes ac fluctuantes causam hanc agunt, nec secum, nec cùm aliis consentientes. *Alii* enim ut necessarias defendunt: *Part.* 1. *cap.* 1. Confer *Lancel. Andrews in Opusculis in* 4. ubi contra Perronum, & *in Concionibus* in fol. *in Appendice p.* 25. Ut nunc præteream Richardum Montacutium (quem tangimus in *Diss. de Tempore nativitatis Christi*), & Wilhelmum Ladum, aliosque istiusmodi religioni & Ecclesiæ reformatæ non admodum faventes (quos noto in *Diss. de Superstitione*); & Matth. Wren episcopum Nortwicensem multorum orthodoxorum & piorum Ministrorum Orbilium. *Alii* defendunt, ut utiles, expedientes, & conducentes. *Part.* 2. *cap.* 1. *Alii* ut licitas, seu legitimas. *Part.* 3. *c.* 1. Inter quos numerandus videtur cætera ἐφολιξώτατος, & eruditiss. Theologus *Davenantius, in Quæstionibus determinatis*; ubi ex professo; & in *Col.* 2. *vers.* 8. *Alii* ut Adiaphoras. *Part.* 4. *cap.* 1. Quales arbitror non liberè aut ex proprio sensu in illam sententiam inclinasse, sed ex hypothesi duræ necessitatis Ministris aliter hic sentientibus impositæ aut admittendi jugum Ceremoniarum, aut oves deserendi easque successoribus indoctis, aut mercenariis, aut ignavis, aut non residentibus (tales enim erant non pauci) relinquendi. Ita ut non tam approbationem, quam tolerantiam earum determinasse videantur; & quidem aliquando ἐκοντὶ κἀκοντὶ ϝύμῳ. Et tales tum inter hierarchicos orthodoxiæ ac pietatis Studiosos, tum inter dictos Puritanos reperti sunt; qui posteriores propterea dicti sunt *Conformistæ*, aut *conformabiles:* inter quos celebris factus Joh. Sprint, quod edito libro suadere conaretur, conformitatem seu subscriptionem licitam esse in casu deprivationis. Atque hæ rationes, quas contra dictas Ceremonias in genere adferri posse video. Rationes particulares contra crucem, aut genuflexionem &c. in *Autoribus citatis* & *in Disspp. nostris de Cruce, Superstitione &c.* quærendæ. Quod ad ceremonialium objectiones ex Lege Dei, ex Lege naturæ seu ratione, & ex Lege ac consuetudine humanâ, nec non eorundem exceptiones tam generales, quam particulares; earum refutatio ex *Libris citatis*, vel ex uno *Scriptore Altaris Damasceni* petenda. Quamvis statu controversiæ distinctè & accuratè posito, cum terminorum præcognitione, omnia sponte corruant.

§. 3. Hactenus de Ceremoniis Anglicanis antiquis seu è Papatu relictis, nec unquam communi consensu & publicâ autoritate expurgatis. Recentiores & novè illic introductæ, & cum iis syrma errorum ac superstitionum sive Papalium sive παπουδῶν, id est, Papæ-formium novum examen non merentur: sed solum earum indicium reformatis hominibus sufficit. Inter eos, altaria, aut mensæ βωμοειδῆς, genuflexio ad mensam aut ad altare, septa altare cingentia, consecrationes templorum, partim alibi data occasione à nobis examinata

Digitized by Google

minata sunt. 3. *Part. sel. Dispp. tit. de Superstitione.* partim infra *Lib.* 4. *tit. de Templis.* Innovationes, quę spectant dogmata, & syncretismum seu mavis symbolizationem cum Pontificiis hujus loci non sunt, Detexit ea supra laudatus *Autor Ladensium αὐτοκατακρίτων*, & celebris Jureconsultus Anglicanus *Gul. Prynne variis Tractatibus*, & *Historiæ Rerum illic ab a.* 1640. *gestarum. Scotice Ceremoniæ* Ecclesiis illic obtrudi cœptæ sunt duplices vel priores vel posteriores. *Priores* sunt quinque in Synodo Perthanâ ann. 1618. & per eam Ecclesiis Scoticis à Rege impositæ. De quibus in utramque partem Libri aliquot vernaculo sermone editi: aliqui etiam latino, quibus occasionem dedit *Danielis Tilemi* tunc ab Ecclesiis reformatis ad factionem Remonstranticam apostatantis virulentus libellus, cui *tit. Paræneſis ad Scotos disciplinæ Genevensis zelotas.* Sed post omnes, controversiæ hujus & dictæ Synodi Perthanæ Historiam, cum momentis rationum exposuit, *Didoclavius in Altari Damasceno.* Post quem postremas exceptiones Lindsey, Burgesse, Paybodie, aliorumque in Angliâ, & Scotiâ propius examinârunt sed idiomate vernaculo, duo *Anonymi*; quorum prior scripsit anno 1636. tit. *Re-examinatio quinque articulorum Perthanorum.* Alter anno 1637. tit. *Anglo-Papistica Ceremonia &c.* cujus jam aliquoties memini. Sunt autem quinque illæ Perthanæ. 1. Genuflexio in cœnâ. 2. Festa quædam anniversaria. 3. Confirmatio episcopalis. 4. Baptismi administratio privata. 5. Et Cœnæ. *Posteriores* quæ & quales fuerint, & quid illis una cum quinque prioribus autoritate Synodi, approbante Rege & Parlamento evenerit, exponunt *Historiæ Rerum nuper in Scotia gestarum.* Hæc ita scribebam in primâ hujus diatribæ de ceremoniis editione a. 1652.

§. 4. Addo nunc hæc paucula testimonia, quæ immodicum contentionis zelum pro dictis adiaphoris Ceremoniis in tantum temperare possent, ne novas antiquis adderent; nedum ut Ecclesiis bene constitutis, & pacatis invitò, & scandalosè obtruderentur, vel usque ad gravem earum perturbationem, si non dissipationem. Ordinatio ministerii ecclesiastici sub Eduardo VI. ab Alesio in latinum conversa in Præfat. sic loquitur: *Sancti Patres ita rem instituerunt, ut tota Biblia aut major pars semel in anno prælegeretur.* Et post relationem negle&æ & corruptæ hujus Constitutionis sub Papatu, subjiciunt: *Horum & similium incommodorum consideratione revocavimus Officium ecclesiasticum ad primam institutionem (N. B.) juxta consilium sanctorum Patrum.* Talis mutatio si probanda est, cur minus illa quæ in Ritibus omnia, quantum fieri potest, revocat primam institutionem juxta consilium Apostolorum. *Siquidem id verum quod prius, id primum quod ab apostolis*; ut alicubi loquitur *Tertullianus.* In *eodem Libro* ordinationis *tit. de Ceremoniis quibusdam abolitis & retentis in Ecclesiâ fol.* 65. Cum autem hoc nostro tempore diversæ sunt hominum vo-

 luntates

„luntates & ſententiæ de Cerimoniis. Quidam enim magnum peccatum „putant, ſi vel tantillum ex uſitatis Cerimoniis omittatur. Alii autem ad- „miratores novitatis cupiunt omnium Cerimoniarum innovationem. *Et „paulo poſt*: tamen ne quiſquam offenderetur, cui juſtæ rationes poſſunt ſa- „tisfacere, adſcripſimus hic quaſdam rationes, propter quas quidam uſitati „Ritus ſunt aboliti, & alii adhuc obſerventur. Pars enim uſitatorum Ritu- „um fuit abolita, propterea quod in multiplicandis illis, nullus neque mo- „dus neque finis fuit. *Ibid. fol.* 65. b. Sed præcipua cauſa abolitionis quarun- „dam Ceremoniarum fuit intolerabilis earum abuſus partim per ſuperſtitio- „nem & cœcitatem ignorantium & indoctorum, partim per inexplebilem a- „varitiam eorum, qui anteferebant ſuum lucrum gloriæ Dei, ut ſuperſtitio non „poſſet tolli, permanentibus ipſis Ceremoniis. *Et paulo poſt*: Deinde ſicut „innutiles Ceremonias ſuſtulimus, ita eas quæ reliquæ ſunt, nolumus obli- „gare hominum conſcientias, & docemus eas propter juſtas cauſas poſſe mu- „tari. *fol. præced.* 64. b. Has etſi ſervare & omittere etiam extra caſum ſcan- „dali licet. *Tit. ult. regulæ quædam de Ceremoniis fol.* 66. In omnibus aliis lo- „cis liberum erit Miniſtris uti, & non uti lineâ veſte. *Et paulo poſt*: Quan- „tum ad genuflexionem (in adminiſtrandis ſacramentis) & conſignatio- „nem ſigno crucis, elevationem manuum, tunſionem pectoris, & ſimiles ge- „ſtus, liberam erit cuique ſequi ſuam ſententiam. Atque hæc moderatio cir- „ca ſuos; de aliis Eccleſiis. *Fol.* 65. b. ſic loquuntur: Neque damnamus ordi- „nationes Eccleſiarum in aliis Regnis, neque ipſis Leges præſcribimus, ſed „tantum Noſtris hic in Angliâ Eccleſiis. Judicamus enim liberum fore cui- „libet Regno, & Provinciæ, ut hujuſmodi conſtituat Cerimonias, quæ piis „& doctis illic videntur conducere ad gloriam Dei & adducendum populum „ad amorem veræ Doctrinæ, & ad bona opera, & ut tollant ſuperſtitionem & „abuſus, quæ tempore irrepere ſolent in Cerimoniis. *Johannes à Laſco in Or- dinatione Eccleſiarum peregrinarum in Angliâ*, Belgicarum ſcil. & Gallicarum latinè editâ a. 1555. in *Epiſtol. dedicator. ad Sigiſmundum Poloniæ Regem*: *Du- bium ſanè eſſe non poteſt, tam eſſe ſemper neceſſariò ſpectandam in recipiendis ob- ſervandisque myſticis omnibus divini cultus in Eccleſia ritibus, fidei Analogiam: quàm illam in omni doctrina Eccleſiaſticæ genere obſervari omnino oportere videmus. Ea verò cùm non aliunde etiam colligi petique poſſit, quàm unde fidem ipſam oriri, hau- ririque oportere docemur: nempe ex verbi divini auditu, quemadmodum Paulus do- cet: Certè ſi in reſtituendis recipiendisque ac obſervandis cultus divini ritibus, fidei nobis Analogiam ante omnia (perinde atque in doctrina omni) obſervandam ſpe- ctandamque eſſe ſatemur: eadem ſanè operâ fateamur neceſſe eſt, illam non aliun- de petendam colligendamque eſſe, quàm unde fidem ipſam peti, haberique poſſe (di- vino beneficio) ab eodem ipſo Paulo Apoſtolo audimus nempe non ex hominum pla-*

citis

citis traditionibusve ullis : multò minus ex vetuſtatis ullius præſcriptionibus, locorùmve prærogativis : ſed ex verbi potiſſimum divini auditu atque obſervatione. Et proinde in reſtituendis quoque recipiendisve aut obſervandis ritibus, fidei nobis fontes potiſſimùm intuendos eſſe, hoc eſt, ipſum verbum Dei, ut ad illud noſtra demum omnia probemus : non autem ritus veterii Eccleſiæ ullos, extra verbum Dei receptos atque uſurpatos : etiamſi unanimi & Patrum ſimul, & conciliorum omnium conſenſu inſtituti eſſent. Quæ verò in priſcis Eccleſiæ ritibus verbo Dei conſentanea habentur : in iis ſanè amplectendis, non tam ipſam Eccleſiæ conſuetudinem (quantumvis receptam ac ſpecioſam) quàm potius verbum Dei ſequimur, cui ritus illos inniti videmus. Et aliquot paginis pòſt : *Hujus ergo hortatu, cum ego quoque per Regem illum vocatus eſſem : & leges quædam patriæ obſtarent, quominus publici potiſſimum cultus divini ritus ſub Papiſmo uſurpati (pro eo ac Rex ipſe cupiebat) repurgari protinus poſſent. Ego verò pro Peregrinorum Eccleſiis ſedulo inſtarem ita demum placuit, ut ritus publici in Anglicis Eccleſiis, per gradus quoſdam (quantum per leges patrias omnino liceret) repurgaremur : Peregrinis verò hominibus (qui patriis hac alioqui in parte legibus non uſque adeo tenerentur) Eccleſiæ concederentur, in quibus omnia liberè, & nulla rituum Patriorum habita ratione (juxta doctrinam duntaxat atque obſervationem Apoſtolicam) inſtituerentur, ita enim forè, ut Anglicæ quoque Eccleſiæ ad puritatem Apoſtolicam amplectendam unanimi omnium regni ordinum conſenſu excitarentur. Ejus verò conſilii Rex ipſemet (pro ſua pietate) præcipuus non autor tantum, ſed etiam propugnator fuit. Etſi enim id in Senatu Regio omnibus propemodum placeret, ipſeque Cantuarienſis Archiepiſcopus rem modis omnibus promoveret : non deerant tamen qui id moleſtè ferrent, adeoque & reluctaturi fuerint huic inſtituto Regio, niſi Rex ipſe, non tantum autoritate ſua reſtitiſſet : ſed productis etiam inſtituti hujus rationibus conatus eorum repreſſiſſet. Conceſſis itaque Peregrinorum Eccleſiis, & quidem ea lege ſeu libertate potius, ut in illis omnia juxta doctrinam atque obſervationem Apoſtolicam inſtituerentur; cura illarum mihi (Regia & Senatus autoritate) committebatur. Jubebarque mihi collegas aſciſcere quos ei miniſterio aptiſſimos eſſe indicarem : ut illorum nomina Regio Diplomati inſererentur.* Ad finem ejuſdem libri in appendice pag. 649. *Nempe nos neque contemptu ullo aliarum Eccleſiarum (per quas nos alioqui in divinorum cognitione profeciſſe ingenuè & libenter agnoſcimus (neque item ullo novandi quidquam ſtudio egiſſe, quidquid hujus egimus : ſed potius id conatos eſſe, ut ſublatis omnibus Antichriſtianis novationibus (quoad ejus fieri poſſet) ad priſcam illam primæva Eccleſiæ Apoſtolicæ puritatem quàm proximè accederemus, permiſſa interim aliis Eccleſiis, ſua (hac in parte) libertate, & ſine præjudiciis ullis. Ad hæc fidem ipſam concrediti nobis miniſterii id poſtulaſſe : cum hac potiſſimùm ratione cura nobis noſtræ Eccleſiæ committeretur, ut in illius miniſterio, non tam equidem aliarum Eccleſiarum ritus ullos, quàm verbi divini regulam potius*

Digitized by Google

tius atque Apoſtolicam obſervationem ſequeremur. Denique cum & à Rege ipſo, & à præcipuis ipſius Proceribus ſubinde moneremur, ut permiſſa nobis tanta libertate in noſtro miniſterio, rectè, & fideliter, non in hominum gratiam ullam, ſed ad Dei ſolius gloriam (per cultus ipſius repurgationem) uteremur: Et caveremus, ne quid in nobis à noſtris adverſariis (quos equidem multos haberemus) accuſari meritò poſſet. Adde his teſtimoniis à Laſco verba Diplomatis Regis Eduardi; quod in fine exhibetur: *Mandamus & firmiter injungendum præcipimus tam Majori vicecomitibus & Aldermannis Civitatis noſtræ Londonenſis. Epiſcopo Londonenſi, & ſucceſſoribus ſuis cum omnibus aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Juſticiariis, Officiariis & miniſtris noſtris quibuscunque, quod permittant præfatis Superintendenti & miniſtris & ſua ſuos liberè & quietè frui, gaudere, uti, & exercere ritus & ceremonias ſuas proprias & diſciplinam Eccleſiaſticam propriam & peculiarem, non obſtante quòd non conveniant cum ritibus & ceremoniis in Regno noſtro uſitatis absque impetitione, perturbatione, aut inquietatione eorum, vel eorum alicujus, aliquo ſtatuto, actu, proclamatione, injunctione, reſtrictione ſeu uſu in contrarium inde ante hac habitis, factis, editis ſeu promulgatis in contrarium non obſtantibus.* Ex quibus conſtat intentionem non fuiſſe Cerimonias tunc temporis in Anglicanâ Eccleſiâ relictas quaſi lege Perſarum & Medorum (*Dan. 6. verſ. 9.*) in perpetuum imponendi; multo minus eaſdem, ac plures alias, & quidem majorem mali ſpeciem referentes, Eccleſiis invitis & ab obſervatione earum plane liberatis obtrudendi, atque Eccleſias quæ tales mordicus non retinuerunt, aut de novo admittere detrectârunt, catharismi, novitatis, profanitatis condemnandi. Vide quæ in 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Tempore nativit. Chriſti*, & in 3. *Part. tit. de Superſtitione, de Feſtis &c.* indicavimus. Confer infra *Cap. 7. §. 2. probl. 6.*

CAPUT. VII.

Quæſtiones naturam, cauſas & proprietates Ceremoniarum uberius explicantes.

§. 1. DUblicis controverſis explicatis reſpondebimus ad varia Problemata & quæſita de Ceremoniis, quò natura & proprietates earum tanto melius pateſcant. Partimur ea in Problemata de Ceremoniis in genere, & de Ceremoniis in particulari. Prioris claſſis pertinent vel ad quidditatem ſeu definitionem; vel ad cauſas; vel ad proprietates. Sit ergo 1. *Probl.* An præcepta de Ceremoniis ſacris ſeu divinis à Deo immediatè lege poſitiva inſtitutis, alio nomine in Scriptura appellentur, quam Lex & Præcepta moralia. *Reſp. Neg.* Quamvis enim ſæpius appellentur nomine חקים *chukkim*; nomina tamen תורה *thora* lex & משפטים *miſchphatim* 1. Judicia, Mores Ritus, ipſis cum præceptis moralibus & forenſibus

Digitized by Google

sibus communia sunt. Omnia enim illa æqualiter sunt Juris divini ; si formaliter & in se spectentur: quamvis materia seu objecta circa quæ Leges illæ versantur, admodum inæqualia sint. Apud ecclesiasticos Scriptores certa technologemata & termini usurpantur quibus Ritus à dogmatis fidei distinctè notentur: qualis e. gr. πλατὺ, à Gentilibus Platone, Demosthene, Plutarcho antea adhibitus. Græci sequiorum sæculorum in suis Ritualibus vocant ἀκολουθίαν, q. d. *sequentiam* : quę vox idem notat, quod latinis *Officium*, *Ratio*, *Modus*, *Ritus*, *Ceremonia*. Synonyma illis sunt τάξις, ὀφφίκιον, πάξις ἀκολουθίας. Inspiciatur modo πίναξ, id est, Index euchologio Græcorum præmissus & tituli per totum librum. Aliquando strictè vox ἀκολουθίαν significat formulas precum & officiorum, uti supra *Cap.* 3. observatum est. Aliud synonymum ex ritualibus ex *Codino Curopalate, & typico Saba* haberi posset, ἁγιασμὸς & ἁγίασμα, quod ipsis significat 1. materiam benedictionis seu rem consecratam, ut oleum, aquam lustralem, panem consecratum &c. 2. ipsum actum seu ritum consecrandi. 3. receptionem illius. 4. Officium divinum quod huic ritui præmittitur aut conjungitur. Videat cui vacat, hæc notata à *Gretsero tom. 2. de Cruce, pag.* 606. edit in 4. & à *Goar in Notis ad Euchologium pag.* 186. & 890. Romanæ Ecclesiæ τύπον technologema est τὸ *sacramentale* : de quo diximus 3. *Part. sel. Dispp. tit. de Benedictionibus &c.* 11. *Probl.* An omnes Ritus & externæ circa cultum divinum observationes in Ecclesia V. T., fuerint formaliter sacrę seu divinæ, & quidem typicæ seu præfigurantes. *Resp. Neg.* Fuerunt enim quædam Adiaphoræ, non minus quam in N. T. à præfectis ecclesiasticis, circa cultum tum templarem tum synagogicum, ad decorum & ordinem̄ communem sive ex naturali ratione necessitatis aut commoditatis, sive ex recepto More & Consuetudine civili institutum. Tales autem Ritus proprie & formaliter sacri non dicuntur, quippe à Deo immediate non consecrati aut instituti ; sed tantum per extrinsecam denominationem. Iidem nulla ratione possunt dici typici: nisi de singulis ex Scriptura hoc ostendatur. Multæ fuerunt liberę & ambulatoriæ observationes circa ecclesiastica & sacra, ad quas Ecclesia N. T. aut ipsa Ecclesia V. T. in omni tempore, loco, statu non tenebatur: quia Lege ceremoniali à Deo præscriptę non erant, sed consuetudine aut autoritate humana ecclesiasticâ usurpatæ. Adhęc observationes omnes non-morales aut non-forenses à Deo præscriptæ, non debent dici umbra & typus rerum futurarum in Christo (*Coloss.* 2. *Hebr.* 10.) ; nisi hoc ex Scriptura solide probetur. Posito enim omnia fuisse à Deo præscripta (e. gr. ordinem Sacerdotum & Levitarum 1. *Par.* 24. &c.) : dato etiam fuisse signa mysticè significantia, inde tamen non conficitur fuisse typos proprie sic dictos. 111. *Probl.* An ergo Ordinis, Decori, Ritus, aut cujuscunque observationis Adiaphoræ ecclesiasticæ in V. T. nullus usus est in N. T. *Resp. Neg.* Facit enim ad cognitionem

 histori-

hiſtoricam, & didacticam: etiam inſervit praxi & imitationi noſtræ, quatenus exemplum nobis præbet, haut aliter ac adiaphori & ambulatorii Ritus eccleſiaſtici in N. T.; ut libere inde deſumamus & uſibus noſtris adaptemus, quęcumque cum ędificatione & ſtatu eccleſiarum particularium maxime convenire putamus. IV. *Probl.* An conſecratio divina, hoc eſt, inſtitutio & prę-ſcriptio formæ externæ & promiſſio ac deſignatio moralis efficientiæ à Deo facta in cultu divino & rebus ſpiritualibus, ſit fundamentum Ceremoniæ religioſæ ſeu ſacra propriè dictæ. *Reſp. Aff.* Sicuti enim in ſacramentis accedit verbum tum mandati tum promiſſionis ad elementum, & fit ſacramentum: ſic etiam in Ceremoniis myſticè ſignificantibus aut moraliter operantibus. V. *Probl.* An immediata Ceremoniæ alicujus ſignificantis in verbo Dei inſtitutio & præſcriptio in quâcunque re, eam faciat divinam, myſticam, ſacram, religioſam? *Reſp. Neg.* de tribus poſterioribus: ſed de primo conceditur. Omnes enim Ritus in rebus negotiis, cauſis ſæcularibus & civilibus, qui in Lege Dei forenſi præſcribuntur, ratione originis ſuæ verè ſunt & dici poſſunt divini, quia divinâ Lege uſus eorum inſtitutus & præſcriptus eſt: ſicut ergo Lex præſcribens eos divina eſt, non humana; ſic & ipſi Ritus. Sed objecto, fine, uſu, non ſunt Ritus myſtici, ſacri, religioſi: neque enim verſantur circa rem ſacram, nec inſtituti, dedicati, & ſeparati ſunt ad rem ſacram, religioſam, ſpiritualem myſticè ſignificandam, eandemque per modum ſigni atque inſtrumenti moralis producendam, conſervandam, augendam. Tales Ceremoniæ ſunt e. gr. Perforatio auris *Exod.* 21. 6. *Deut.* 15. 17. Deſputatio in faciem *Deuter.* 25. 9. Raſura cęſariei & circumſio unguium *Deut.* 21. Quod ad morem exuendi calceum *Ruth.* 4. *verſ.* 7. puto fuiſſe Ritum merè humanum & arbitrarium ſola Conſuetudine aut Lege ſeu ſtatuto municipali introductum: Siquidem Lex forenſis Molaica ejus non meminit. Sed Extractio calcei *Deut.* 25. 9. ab hoc diverſa, origine divinus eſt: Sed objecto & fine politicus, non ſacer aut religioſus. In eandem ſententiam concedit *Lavaterus Homil.* 23. in *Ruth.* Lotio manuum ſuper vitulam in caſu purgationis *Deut.* 21. 6. eſt Ritus purè ſæcularis ſeu politicus, quod ad objectum & finem; ſed etiam ſacer ac religioſus, quod ad concomitans ſeu adjunctum ſacrificii illius neceſſarium. VI. *Probl.* An Ceremonia Adiaphora ſeu eccleſiaſtica ab & in Eccleſiis poſt apoſtolicas & apoſtolos ſive obſervata, ſive inſtituta fundetur in Jure divino. *Reſp.* poſitivo *Neg.* permiſſivo *Aff.* Quia Deus Eccleſiæ libertatem reliquit τὸ εὐσχήμονι & decorum ordinandi ac obſervandi juxta circumſtantias perſonarum, locorum, temporum. VII. *Probl.* An τὸ materiale Ceremoniæ ſive ſacræ propriè dictæ, ſive humanæ & eccleſiaſticæ, ſit tantum actio: an vero etiam quantitas, qualitas, relatio & ſic per omnia prædicamenta, ut vult *Zwarez? Reſp. Aff.* Siquidem de ſubſtantia cum granoſalis accipias: illa enim non in ſe ac per ſe, ſeu in eſſe abſoluto,

ſoluto, ſed in eſſe relato Ceremonia dici poteſt; quatenus ſcil. eſt in prædicamento relationis, non vero ut eſt in prædicamento ſubſtantiæ. VIII. *Probl.* An etiam Ceremonia aliqua poſſit conſtitui in privatione, omiſſione, abſtinentia? *Reſp. Aff.* Ut ex. gr. abſtinentia à pane fermentato, abſtinentia à cibis & rebus immundis. IX. *Probl.* An uſus ſit de eſſentia Ceremonię ſivè verè ſive apparenter aut putativè ſacræ? *Reſp. Neg.* Sufficit enim forma externa, & impreſſio ſeu ordinatio illi impoſita ad talem aut talem moralem finem: quorum utrumque cum ſit ex inſtituto divino, habes τὸ materiale & τὸ formale Ceremoniæ ſacræ; ut e. gr. in ſerpente æneo, arca fœderis, altari, templo. X. *Probl.* An in V. T. ante Moſem fuerint Ceremoniæ ſacræ proprie dictæ, & Ceremoniæ eccleſiaſticæ Adiaphorę decori & εὐταξίας gratia obſervatæ? *Reſp. Aff.* Quamvis priores non fuerint ἀσύμφωνοι, nec per omnes ſpeciales obſervationes ita deductæ, uti tempore Moſis: Quod ad ſubſtantiam tamen & præcipua capita eaſdem fuiſſe indubium eſt ex *Gen.* 4. & 9. & 15. & 17. ubi comparent ſacrificia, & ſacramentum circumciſionis: ad quorum præparationem & conſummationem requirebantur actiones, perſonæ, inſtrumenta, tempora, loca œconomico cultui convenientia. XI. *Probl.* An tempore novi teſtamenti inſtitutæ aut obſervatæ fuerint ab Apoſtolis Ceremoniæ proprie dictæ ſacræ & myſticæ ſive in ſignificando, ſive in operando: quæ tamen non fuiſſent pars Cultus divini, nec Jure divino inſtitutæ, nec conſequenter neceſſarię neceſſitate pręcepti? *Reſp. Neg.* Nullum enim talis Ceremoniæ exemplum hactenus oſtenſum fuit. De impoſitione manuum, & oſculo ſancto *infra* dicemus. XII. *Probl.* Cur Autores tum Pontificii tum Noſtri in definitione Ceremonię ita videantur variare; in aſſignatione ſcil. generis, aut objecti, aut fundamenti ſeu cauſæ efficientis, aut finis. Vide *Thomam.* 1. 2. *Qu.* 99. *artic.* 3. *Hemmingium in Operibus in fol. p.* 471. 800. 1389. *Zegedinum in Loc. Comm. pag.* 53. edit in fol. *Franciſcum Junium de Politia Moſis cap.* 7. *Polanum in Syntagm. pag.* 635. edit in fol.; *Daneum Iſagogæ libr.* 3. *part.* 4. *cap.* 22. adhæc *Melanthonem*, *Pezelium*, *Aretium* infra citandos. *Reſp.* Varia acceptio vocis in cauſa eſt. Qui ergo Autores aut inter ſe conciliare, aut ex eorum præformatis conceptibus proprios ſuos formare intendit, is ante omnia ſignificationes accurate evolvat. Nos *ſupra Cap.* 3. pro modulo aliquid hic conati ſu-
„mus. *Daneus Lib.* 1. *Iſagogæ part.* 4. *c.* 22. interalios diſtincte Ceremonias
„definit, Ritus externos, qui ad externum Eccleſiæ in cœtu ipſo eccleſiaſtico
„decorum inſtituendum vel conſervandum pertinent, & ab Eccleſia ponun-
„tur. Unde conſtat, & ex iis quę mox ſubjicit, eum certò pręſuppoſuiſſe Ceremonias eccleſiaſticas non eſſe divinas & ſacras. An autem omnia exempla, quæ *Cap. ſequ.* adducit huic definitioni ſatis quadrent, diſquiri poſſet.

Problemata circa cauſas Ceremoniarum ſint iſta. I. *Probl.* An Apoſtoli §. 2.

exemplo seu praxi Ceremonias aliquas fundârint perpetuo in Ecclesiis N. T. observandas? *Resp.* Distingue ea quæ Jure divino, aut Jure naturali seu ratione aut necessitatis aut decori naturalis in praxi sua observârunt, ab iis quæ libere & pro arbitrio suo, respectu habito ad circumstantias particulares tunc temporis egerunt. De illis *Aff.* de istis *Neg.* *Illas* distinctionis causâ vocare liceat Ceremonias divinas & sacras e. gr. Fractionem panis in cœna 1. *Cor.* 10. & Fœminarum silentium in Ecclesia 1. *Cor.* 14. & 1. *Tim.* 2. *Istas* Ceremonias apostolicas & ecclesiasticas: quales e. gr. impositio manus in confirmatione Ministrorum, salutatio per osculum sanctum, modus & ordo prophetantium &c. Quomodo autem exempla apostolica in regimine Ecclesiæ nobis regulam faciant, alibi dicendum est. 11. *Probl.* An ordo & decorum in sumtione cœnæ 1. *Cor.* 11. 21. 22. & in exercitio prophetiæ 1. *Cor.* 14. 29. 34. sint Ceremoniæ ab Ecclesiâ institutæ? *Resp.* Eas definitione suâ complectitur *Daneus cap.* 22. De ordine in prophetię exercitiis servando, & in sumtione cœnæ facile assentior. Sed Fœminarum silentium, in Ecclesiâ, puto esse institutionis, & Juris divini, & consequenter ad Ecclesiarum aut Apostolorum liberam praxin aut institutionem tanquam alicujus Adiaphori, minime referendum. 111. *Probl.* An Ecclesiis post-apostolicis sive œcumenicè congregatis, sive seorsim quibulvis nationalibus, provincialibus &c. potestas competat, Ceremonias adiaphoras assumendi, & in Cultu divino adhibendi. *Resp.* 1. *Concl.* Ecclesiæ in genere eam competere nemo hactenus negavit, qui ei tribuit potestatem clavium, & cum eâ potestatem regiminis *πολιτικὴν* sive *οἰκονομικὴν*, &c. 2. *Concl.* De Ecclesiâ universa totius orbis, seu de Ecclesiis in Synodo œcumenico congregatis, qui quærit, næ is quæstionem de non ente aut de ideali Ecclesiâ instituit. Quando, ubi, unquam convenit, aut conveniet talis Ecclesia, per universalem repręsentationem? certum est apostolicam convenire potuisse, & convenisse per repræsentationem Apostolorum, qui tunc erant universalis Ecclesię universales Episcopi. Quæ ecclesiastici Scriptores de Ecclesia universa, de Orbe universo, de universalibus seu œcumenicis Conciliis phrasi ex aula imperii Romani mùtuata passim prædicare solent, ea de Orbe Romano, & Ecclesiis illius circuitu contentis intelligenda sunt; quibus subinde Ecclesię aliquot in Barbarico (ut loquuntur *Canones Conciliorum*) accesserunt. 3. *Concl.* Dato Ecclesias totius Orbis in Concilium convenire, illis tamen minime conveniret potestas, easdem Ceremonias, quod ad commodissimum ordinem circa personas, res, agenda ecclesiastica servandum & quod ad Ritus in decoro civili fundatos, omnibus & singulis Ecclesiis prescribendi. Quia omnia omnibus Ecclesiis non magis conveniunt, quam diæta aut medicatio una, omnibus singulorum hominum complexionibus aut morbis; aut una Lex positiva, aut una forma Regiminis politici,

tici, quibuſvis Nationibus, Provinciis, Civitatibus, quocunque in tempore & quocunque in ſtatu conſtitutis. 4. *Concl.* Provinciales diœceſianæ Synodi pauca circa adiaphoros Ritus & ordinem in omnibus Eccleſiis ſuis pariter ſervandum, pauciora nationales, pauciſſima, aut potius nulla dictæ Occidentales aut Europæ, Orientales, Africanæ, determinare debent. 5. *Concl.* Quidquid tamen utiliter determinandum judicabunt, non ſine conſenſu & præeunte judicio Synedriorum in Claſſibus, Claſſium in Synodis Provincialibus, Provincialium in Nationalibus peremtorie concludatur. Illis enim circumſtantiæ omnes, & iis adaptatum decorum propius & melius perſpecta ſunt, quam alienis & remotioribus. 6. *Concl.* Ex dictis facile colligitur, quo judicio conditi & à nobis legendi ſint pſeudo-canones dicti Apoſtolorum, & Antiquorum, ac ſuccedentium Conciliorum tum univerſalium, tum particularium; item *Capitula Caroli Magni*, *Ludovici*, *Caroli Calvi*. IV. *Probl.* An Eccleſiæ præcedentes ſive dictę univerſales, ſive nationales, ſive provinciales, ſive particulares, ſequentes ſeu ſuccedentes ſui ordinis obligare poſſint, abſque ullo Eccleſiæ cujuſque ſuccedentis explicito aut implicito intercedente examine, delectu, judicio, & libero conſenſu. *Reſp. Neg.* Quælibet enim Eccleſia & Synodus ſive nationalis ſive provincialis cum actu Conſtitutiones eccleſiaſticas definit, proteſtatur ſe libertatem ſibi ſervare mutandi, addendi &c. *de* quo *ſupra Lib. 1. tit. de Canonibus* &c. Quam autem ſibi ipſi libertatem vindicat, aliis ſuccedentibus Eccleſiis imprimis circa ritus, prę̨ripere non poteſt. Tempora enim ut mutantur, ſic nos mutamur in illis, atque una decorum civile, & hypothetica neceſſitas; & conſequenter ambulatorii & adiaphori illi Ritus non ſunt immutabiles. V. *Probl.* An Ceremonię mutandæ, abſque gravi urgente neceſſitate? *Reſp.* Diſtinguendæ Ceremonię, quarum decorum in pura particulari conſuetudine civili fundatur, ab iis, quę obſervatę fuerunt ex naturali aliqua neceſſitate, hypothetica, tanquam medii ad finem, ſive adeſſe ſive ad bene eſſe. Diſtinguendę itidem Ceremoniæ Legibus eccleſiaſticis, & perpetuæ conſuetudinis præſcriptione firmatæ, ab illis quæ mera & arbitrariâ praxi ac conſuetudine in hac aut illa particulari Eccleſia obtinent. Denique diſtinguenda ſimplex & tacita earum omiſſio, opportune & abſque magno ſtrepitu in hac aut illâ particulari Eccleſiâ tentata; à ſolemni & poſitiva abolitione & prohibitione facta per Canonem eccleſiaſticum, aut per decretum particulare Synedrii, aut commune ſive Claſſis ſive Synodi provincialis, nationalis. 1. *Concl.* temere & animi cauſa non mutandę (poſitivâ ſcil. & prohibente mutatione) Ceremoniæ longo uſu receptæ, quæ ex particulari More & Conſuetudine civili, Temporis, Urbis, Diſtrictus, Provinciæ, Nationis deſumtæ, & actionibus ſacris accommodatę ſunt: quamdiu ſcil. in illa Provincia, aut Gente, aut Urbe communis & receptus ille Mos civilis

 perſiſtit,

persistit. Non tamen contendendum cum aliis Ecclesiis, nec cum aliis Ministris in vicina aut etiam in eadem Ecclesia, qui talem Ceremoniam omittunt; non magis, quam cum illis, qui eandem adhibent. Sit exemplum talis Ceremoniæ pure Adiaphoræ quod Seniores & Diaconi confirmandi, non tantum nutu aut voce, sed & dextra Ministro confirmatori porrectâ fidelitatem in munere obeundo promittunt. 2. *Concl.* Multo minus absque gravi causa mutandæ sunt Ceremoniæ præscriptione possessionis, etiam Legis ecclesiasticæ aut saltem Decreti ecclesiastici autoritate firmatæ, quæ ad bene aut melius esse hypotheticâ necessitate mediiad finem necessariæ videntur: quamdiu scil. hypothesis illa, & ratio expedientiæ in illo loco aut tempore non mutatur. Mutationem cum dicimus, non tam eam intelligimus, quæ fit per particularem omissionem, quam eam quæ per legem publicam prohibentem, aut Decretum commune sive politicum sive ecclesiasticum tentatur. Exemplum erit, quod Ecclesiæ Belgicæ exsertis verbis Imperatoris & Regis Hispaniæ mentionem facerent in publicâ suâ liturgiâ, & quidem hujus tanquam Domini & Principis Belgarum, quamvis tunc acerrimi persecutoris, illius vero tanquam ex eâdem familiâ cum Domino Belgii Philippo 2. & cujus gratiam atque intercessionem in afflictione suâ post Deum unice respicerent. Hoc nemini temere tunc omittendum: multo minus decreto ecclesiastico hoc abrogandum. Sed rebus ab a. 1581. mutatis & Philippo exauctorato, non tantum ut Adiaphorum de Philippo II. & quidem qualitate illa promiscue aut omitti aut usurpari potuit (uti manebat hoc Adiaphorum in causâ Imperatoris, aut aliorum Regum ac potestatum extra Belgium, qui ejus hostes non erant), sed insuper constanti praxi & decretis communibus hoc necessario abrogandum: quippe cujus ratio & necessitas expedientiæ, in contrarium plane mutata esset; ita ut prioribus precibus preces contra potestatem ac regimen Philippi 2. in Belgio, tanquam hostis & persecutoris publice in omnibus Ecclesiis perpetua praxi substituerentur. Nam quod prior precandi formula in Liturgiis longo tempore post recusis, mutata non fuerit, id imperitiæ Typographorum, qui passim pro arbitrio, & sine ullo judicio, sine Theologorum inspectione & censura quidvis excudere tunc solent, imputandum erat. 3. *Concl.* Facilior & expeditior est mutatio per particularem Ceremoniæ adiaphoræ omissionem, quæ nec cum scandalo, nec invitâ ecclesiâ, nec contra communia Decreta aut contra Canones Ecclesiasticos tentatur e. gr. si quis duplicem aut triplicem cantum concioni præmittendum, aut cantum Decalogi, aut Articulorum fidei, aut alterius alicujus formulæ ante hac aut etiam nunc in quibusdam Ecclesiis perpetuo usurpatæ, aut administrationem Cœnæ diebus nativitatis Christi, aut circumcisionis (ita dictis); aut concionem præparatoriam ad Cœnam Domini die passionis Christi haberi solitam habeat die Saturni

ni proximè præcedente, aut die dominico proximè præced. aut alio quovis istius hebdomadis die. 4. *Concl.* Multo facilior & expeditior est mutatio per omissionem, aut etiam per contrarium Decretum Synedrii, cum Ritus aliquis in particulari solummodo Ecclesia usitatus est, & sola consuetudine seu praxi illic obtinet. 5. *Concl.* Cum usitati alicujus Adiaphori conscientia homines passim se teneri putant, aut cum aliquam (per infidelium, aut idololatrarum, aut hæreticorum, eodem in loco aut in viciniâ grassantium conatus) idoli aut mali speciem ac similitudinem induere incipit, & consequenter plus periculi ac destructionis, quam decori & ædificationis ab eo exspectandum sit: mature & ἐυπρεπῶς illud abrogandum, si non per strepitum publici Canonis aut Decreti communis, saltem per cujusque Ministri omissionem, sive tacitam, sive apertam, præeunte scil. instructione & præmonitione sive in publicâ concione, sive in promulgatione nomine Synedrii, factâ sive (quod aliquando tutissimum erit) in privatâ membrorum visitatione. 6. *Concl.* Adiaphora, si quæ Canonibus & Liturgiis antiquę Ecclesiæ exhibentur, nostras Ecclesias minime obstringunt; nec de eorum omissione multum laborandum est; non magis, quam de omissione complurium ad regimen & disciplinam pertinentium, quę *in Canonibus Ecclesiæ* universæ (uti vocantur), aut *Africanæ*, aut *in Capitulis & Decretis antiquæ Ecclesiæ Gallicanæ &c.* occurrunt. Attemperata enim erant illa moribus hominum, & statui particulari Ecclesiarum illic & tunc viventium: quæ non sine magnâ imprudentiâ nostris hominibus, temporibus, &c. adaptarentur. Quæ vero absurda, aut superstitiosa, aut vana, aut insolita in Canonibus Ecclesię nobis nunc videri possent, ex parte notavimus in *Diss. de Tempore nativitatis Christi*, cum quâ conferri possunt, quæ supra *Cap. 1. & 2. de Liturgiis*, & *Libr. 1. capp. postremis de Canonibus* indicata. Ipsi Pontificii, aliiqûe ipsorum exemplo τὸ ἀρχαῖον perpetuò prætendentes, non veriti sunt multa aut mutare aut plane omittere, ex. gr. vigilias, osculum sanctum, prophetias, agapas, missiones eulogiarum &c. Quod ad nimis zelantes pro Ceremoniis quibusdam alicubi in primâ Ecclesiæ reformatione relictis, ab iis ad Antiquitatem provocantibus, obnixè petendum puto ut seriò perlustrent omnia antiqua, quæ de Ritibus modo memoratis, deque ascetis, de Monachis, de Baptismi & Cœnæ Ritibus, de variis Benedictionibus, de Sepulturis, Sepulcris, & Memoriis martyrum, de Diptychis &c. occurrunt; & candidè pronuntient, an censeant totum illud choragium in nostras Ecclesias reducendum. Si affirment, aut negent, rationes poscerem. Certe Autores ordinis ecclesiastici sub Eduardo VI. supra citati, multa reformârunt aut planè sustulerunt, quæ in Ecclesiis quinque priorum sæculorum passim observata videmus. *Lancelotus Androsius* episcopus Elienſis ad *cap.* 18. *Perroni* (anglicè, sed inserto. Opusculis ipsius posthumis,

Digitized by Google

mis, a. 1629. à Wilhelmo Laudo tunc episcopo Londinensi, postea archiepisc. Cantuariensi, & Johanne Eliensi editus) §. 17. *pag.* 13. respondet, in Ecclesię potestate esse retentionem aut mutationem Ceremoniarum circa Baptismum, ut chrismatis, salis, candelarum, exorcismorum, epphata. §. 25. *p.* 16. tonsurę, chrismatis ordinandorum, lotionis manuum ante celebrationem eucharistiæ, Pacis, submissæ vocis in precibus & officiis ecclesiasticis, lychnorum seu intortitiorum in funere, pictarum imaginum, signi crucis quo quilibet fidelis seipsum signet, etiam ad itionis suæ passum quemlibet, incensi, §. 7. *pag.* 5. reservationis eucharistiæ. §. 6. *pag.* 6. altarium. §. 9. *p.* 9. precum pro defunctis. §. 12. *p.* 10. conjugii sacerdotum. §. 14. *p.* 11. mixtionis vini eacharistici cum aquâ. §. 15. *p.* 11. exorcismorum & exsufflationum. §. 19. *p.* 12. aquæ benedictæ. Hæc omnia non negat ab Ecclesiâ Anglicanâ abrogata aut mutata esse, quæ tamen Perronus objicit in Ecclesiâ antiquâ fuisse; de plerisque exsertè id concedente Androsio: & pag. 16. sic pro abrogatione ratiocinante: *Unctio ordinandorum, tanquam Ceremonia usurpari potuit: sed non erat necessarium, ut hoc ita fieret, cum ad essentiam ordinis non pertineat. In Scripturis nulla est Ceremonia, nisi impositio manuum. Hæc assumta est per potestatem Ecclesiæ, & per eandem iterum deponi potest.* Unde videmus antiquitatis Legibus & Moribus, teneri nolle illos, qui antiquitatis & autoritatis ecclesiasticæ obtentu alio constringere satagunt. Non immerito *Juellus in Apolog. Eccles. Anglican.* Pontificiis exprobrat, quod nec suis nec alienis Legibus teneri vellent. VI. *Probl.* A quibus mutatio fieri possit, à Ministro quolibet, aut à quolibet Synedrio, aut à Classe, aut à Synodo sive provinciali, sive nationali? *Resp.* Ab omnibus suo modo, prout mutatio est vel particularis, vel communis: & utraque vel simplicis omissionis, vel contrariæ prohibitionis. Quæ determinanda sunt secundum jus, possessionem, & usum potestatis ecclesiasticæ: de quo supra *Lib.* 1. *de Potestate & Politia Ecclesiarum* & infra *Part. tit. de Classibus & Synodis.* VII. *Probl.* An conducat Adiaphora omnia Legibus seu Canonibus ecclesiasticis, aut saltem Decretis præscribere, & prohibere. *Resp.* 1. *Concl.* De Adiaphoris ob necessitatem aliquam exsertè & in totum prohibendis, aut ex parte inhibendis, ac limitandis. *Aff.* De aliis ipsa praxi & tacite ac sensim omittendis. *Neg.* Præstat enim ipsa praxi aliquid fieri & usurpari hanc libertatem, quam apud potestates ecclesiasticas, in quæstionem aut deliberationem vocare. 2. *Concl.* In Adiaphoris positive præscribendis, atque imponendis, velim parce & caute admodum agi: ne dictis Legibus ecclesiasticę libertati mutandi aut omittendi tales Ceremonias, quotiescunque usu venerit, quidquam præjudicetur. VIII. *Probl.* An Episcopi, aut, Magistratus possint Ecclesiis invitis Ceremonias usu receptas auferre, aut no-

vas

vas & inusitatas (quamvis in se Adiaphoras) imponere, seu obtrudere. *Resp.* 1. *Concl.* De Episcopis *Neg.* Quia penes ipsos non est potestas ecclesiastica directiva adæquata: quamvis partem ejus quique habeant, & unum suffragium, qua Pastores seu verbi Ministri, non autem qua Episcopi, hoc est, qua Pastores Pastorum. Confer infra *Part.2.tit.de Episcopatu.* 2.*Concl.* Multo magis *Neg.* De Magistratibus: quia nec sunt Ecclesia, nec penes ipsos qua tales est potestas ecclesiastica ἐμφυτικὴ seu directiva, aut ulla ejus particula. Vide supra *Lib.1. de Potestate ecclesiastica.* IX. *Probl.* An Ministri urgeri possint aut debeant ut antique retentis Ceremoniis (quas Adiaphoras esse prætexunt) subscribant; & quidem sub pœna non receptionis, aut exauctorationis, aut etiam excommunicationis. *Resp.* 1. *Concl.* Sic ut invita seu reluctante conscientia eas approbare aut exercere cogantur. *Neg.* 2. *Concl.* Ut saltem promittant, se tantisper toleraturos, donec ἐνστάντως tollantur; nec propterea contentiones & scismata excitaturos in iis Ecclesiis, ubi contentiones jam vigent aut omnia ad scismata vergunt; aut saltem istorum metus est. *Aff.* 3. *Concl.* Ut promittant nudum silentium, & quod nec publice nec privatim contrariam sententiam suam (quæ vera est) declaraturi aut defensuri sint. *Neg.* X. *Probl.* Ubi ab Episcopis, aut Magistratu novæ quædam & inusitatæ Ceremoniæ, sed dictę Adiaphoræ, obtruduntur; an Ecclesia, aut Ministri eas recipere debeant, vitandi scil. majoris mali causa, puta persecutionis, aut mutationis majoris in doctrina, aut scismatis &c. *Resp.* 1. *Concl.* Si receptio notet approbationem. *Neg.* Nemo enim debet vim inferre conscientiæ, aut potestatem Ecclesiæ, & causam veritatis hâc ratione tradere. 2. *Concl.* Sin vero receptio notet ecclesiasticam conniventiam, aut permissionem, aut tolerantiam: de vulgaribus membris distingui posset; de Ministris verbi. *Neg.* Quia illis commissa est potestas ecclesiastica directiva, quam silentio, aut conniventia, aut tolerantia sua nec exercent nec tuentur. Sunt enim vigiles constituti *Ezech.* 2. & 3. Quod autem prætexuntur evitanda & præveniendæ scismata, aut Magistratus persecutio, aut major & intolerabilior in religione mutatio, illud causam hanc minime juvat. Neque enim à Ministris minora mala cum ea in Ecclesiam illegitimè & ἀτάκτως intrudi vident, semper toleranda, ut majora evitent. Nisi enim principiis illis se opponant, eodem vehiculo & eodem aut simili prętextu quælibet mutatio primum in regimine, deinde in ipsis dogmatis introduci posset: uti docuit experientia.

§. 3. Sequuntur Problemata de Ceremoniarum affectionibus, seu proprietatibus. *I. Probl.* An Ceremoniæ ecclesiasticæ à dogmatis fidei & morum distingui debeant, quod ad momentum seu pondus, aut necessitatem veritatis ac praxios. *Resp.* Distinguenda dogmata de fide & moribus in fundamentalia seu absolutè necessaria, & non-fundamentalia. Et hęc rursum in commu-

Digitized by Google

nia ſeu eccleſiaſtica, & in theologica ſeu ſcholaſtica. *Priora* ſunt, quæ communiter ſive in Eccleſiis reformatis (e. gr. de ſolâ manducatione Chriſti ſpirituali & ſacramentali, non vero, corporali in Cœnâ: aut de regeneratione præcedente Baptiſmum): ſive in Eccleſiis reformatis nationis unius aut nationum (e. gr. de imputatione juſtitiæ activæ Chriſti, aut de deſcenſu ad inferos, & de paſſionibus Chriſti immediatis in anima, in Eccleſiis Gallicis, Belgicis, &c.) tenentur & docentur. *Poſteriora* ſunt, quæ ſpectant aut hypotheſes quaſdam, non vero capitales theſes; aut determinationes ἀνεξαίτους ſcholaſticæ & eruditionis theologicæ: in quibus omnium & ſingulorum theologorum conſenſus per omnia haberi vix poteſt: quæ propterea dicuntur ſpeciali phraſi *problematica*, à dogmatis ſeu dogmaticis ſtrictè acceptis diſtincta. Pontificii vocant opiniones, ſententias, determinationes ſcholaſticas, quæ ſint de ſcholâ aut de theologiâ; contradiſtinctè ad ſententias, & concluſiones eccleſiaſticas, quæ ſunt de fide, aut quaſi de fide. Quamvis hanc ſuam diſtinctionem in genere & idealiter ita jactatam certo & conſtanter hactenus explicare & applicare nequiverint. Sed de his, aliiſque affinibus diſtinctionibus agimus in 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Articulis fundamentalibus*, & infra *Part.* 3. *tit. de Moderatione & Tolerantiâ*, *de Libertate poophetandi*, *de Syncretiſmo*. Diſtinguendę rurſum Ceremoniæ eccleſiaſticæ latè acceptę, quæ etiam totum ordinem politiæ & diſciplinæ eccleſiaſticæ ex uſu quorundam Scriptorum ambitu ſuo comprehendunt: à Ceremoniis ſtrictè acceptis, quæ tantum continent Ritus externos circa officia divina ſeu publica pietatis exercitia obſervandos, à regimine & diſciplina diſtinctos. Quomodo Theologi paſſim in rebus Religionis & Eccleſiæ, & in controverſiis circa ea exortis, tria hæc diſtinguere ſolent, *dogmata*, *ritus*, *regimen* ſeu *diſciplinam*. Et *Auguſtana Confeſſio* aliæque diſtinctis titulis agunt de ordine ſeu regimine eccleſiaſtico, ſeu de miniſteriis & de ritibus. Determinemus nunc aliquot concluſionibus. 1. *Concl.* Veritates, quæ haberi poſſint aut habentur de Ritibus, à veritatibus dogmatum nullo modo in ſe ſeu quà veritates divinæ aut revelatæ diſtingui debent: unum enim eſt omnium principium, & conſequenter una forma ſeu unum formale. Jam vero forma eſt in indiviſibili poſita, nec ullam latitudinem, aut ullos gradus admittit. 2. *Concl.* Conſequenter nulla earum contemni debet. Honoranda enim ubique eſt veritas, quamvis tenuis aut non tanta ſit materia, in quâ ſeu de quâ habetur. 3. *Concl.* Neceſſitas veritatum in ordine ad finem ſupernaturalem merito expendi, & comparative diſtingui debet. Conſideratur autem medium ad finem ſupernaturalem, vel ut requiſitum ſimpliciter ad eſſe tum fidei tum æternæ ſalutis: vel ut requiſitum ad bene eſſe fidei, hoc eſt, ad communionem explicitam & particularem cum hâc aut illâ verâ & purâ Eccleſiâ viſibili colendam. 4. *Concl.* Neceſſitas veritatis practicę de Ceremoniis

remoniis ecclesiasticis retinendis aut introducendis non tanta est ad fidem salvificam & æternam beatitudinem, ac veritatis dogmatum sive fundamentalium sive non fundamentalium. 5. *Concl.* Necessitas veritatis de Ceremoniis profitendę, aut retinendæ aut introducendę; ad communionem explicitam cum institutâ hâc aut illâ Ecclesiâ orthodoxa colendam & conservandam, aliquando saltem respectu Ministrorum, major esse potest, quam quorundam dogmatum problematicorum, de quibus Theologi in scholis disquirunt & in quibus libertas prophetandi conceditur. 6. *Concl.* Quod si Ceremonias late accipias, ut etiam totam politiam & disciplinam Ecclesiarum complectantur, indubie multo major earum est necessitas, inprimis respectu Ministrorum, ad conservationem explicitę communionis ecclesiasticæ in & cum eadem Ecclesia particulari, quam variorum dogmatum theologicorum non-fundamentalium. Veritates cum hic dicimus, intelligimus eas quæ sunt de universalibus & substantialibus regiminis ecclesiastici, quas in Verbo Dei nobis traditas credimus; non vero quæ sunt de peristaticis, ambulatoriis, & particularibus. 7. *Concl.* Ad fraternitatem inter Ecclesias diversæ unionis & correspondentiæ sive maximæ, sive majoris, sive minoris retinendam (e. gr. inter Ecclesiam antehac Anglicanam, & alias reformatas) aut ad eandem in Ecclesiis iciis postliminio per pium & prudentem syncretismum restituendam, non requiri necessario consensum in Ceremoniis aut in modo seu forma regiminis. Et hęc communis sententia omnium Reformatorum: qui non obstante defectu reformationis Rituum & regiminis in Ecclesia Anglicana sub Eduardo, Elizabethâ, Jacobo, fraternitatem cum illâ constanter coluerunt: quique perpetuo Lutheranas Ecclesias ad fraternitatem invitârunt. Confer infra *Part.* 3. §. *tit. de Syncretismo.* 8. *Concl.* Hinc tamen non sequitur aut illos defectus recte retineri ab iis qui retinent, aut reformationem eorum susque deque habendam, aut perpetuo negligendam; atque adeo controversias & quæstiones, quæ ad eruendam & illustrandam earum veritatem moventur ac determinantur, omnes ineptas, aut futiles, aut nugaces, aut otiosas, aut curiosas esse. Secundum distinctiones modo allatas, & conclusiones distincte propositas putamus recte intelligi, explicari, etiam ubi dissidere videntur, conciliari posse, dicta & judicia Theologorum nostrorum; quorum magnam partem enotavit *Himmelius Libro cit.*; & Anglicarum ceremoniarum patroni supra *Part.* 3. indicati. Adde *Melanthonem in Consiliis part.* 1. *pag.* 95. & *Part.* 2. *p.* 90. edit. in 8. Eundem & *Pezelium in Object. & Respons. tom.* 2. *Daneum lib.* 1. *Isagoge part* 4. *cap.* 20. *Sohnium in Disspp. p.* 88. edit in 8. *Bezam in Passionem p.* 495. *Pareum in Eirenico* supra cit. *II. Probl.* An omnes Ceremonię N. T. divinæ & euangelicę sint dicendæ? *Resp.* Ita quidem statuisse videtur *Zegedinus in Locis com. tit. de Legibus p.* 53. ubi distribuit eas in Institutas,

vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis, vel à Preſbyteris Eccleſiæ. *A Chriſto* inſtitutas dicit baptiſmum & cœnam, *Ab apoſtolis* inſtitutas dividit in ſcriptas, & non ſcriptas. *Scriptæ* illi ſunt, de collecta facienda primo die 1. Cor. 16. 2. capite nudo viris, velato mulieribus orandum. 1. Cor. 11. 7. in cœna domini alios etiam exſpectandos 1. Cor. 11. 33. Mulieri tacendum in eccleſia 1. Tim. 2. 12. Non eſſe in Eccleſiâ loquendum lingua ignotâ &c. *Non ſcriptæ* illi ſunt traditiones aliquæ Apoſtolorum, ad ordinem pertinentes, non autem ad doctrinam, nec de rebus ad ſalutem neceſſariis: *ſcimus enim*, inquit, *unicuique eccleſiæ liberum eſſe politiæ formam inſtituere ſibi aptam & utilem.* Addit ibidem: *Non poſſumus autem certo ſtatuere, quinam ritus eccleſiæ apoſtolicæ autoritate ſint, ſine ſcripto.* 3. A *Preſbyteris* Eccleſiæ inſtituta dicit, dies precationum; judicia eccleſiaſtica; certos conventus eccleſiaſticos; ordinem videlicet baptiſmum & cœnam adminiſtrandi, nuptiis benedicendi, mortuos ſepeliendi, catechizandi. Sed hæc eximii Theologi appellatio & diſtributio non ſine diſtinctione accipienda. Quomodo enim pura & particularia Adiaphora ordinis cauſa libere ab his aut illis Eccleſiæ Preſbyteris obſervata aut inſtituta, dicentur Ceremoniæ divinæ ab ipſo Deo immediate aut mediate inſtitutæ, ab humanis diſtinctę, & genere convenientes cum typicis Ceremoniis V. T., & cum baptiſmo ac cœna, quæ formaliter ſunt cultus divinus? Quomodo eadem Adiaphora, ad externum ordinem pertinentia dicentur Ceremoniæ divinæ euangelicæ, niſi admodum ἀκυρολόγως? Denique quomodo ejuſdem Claſſis erunt ἀφορισμοὶ quædam particulares in Eccleſia apoſtolica libere tunc adhibitæ, quæ alias Eccleſias aliis in circumſtantiis poſitas non obligant, ac propterea ſcriptæ non ſunt; cum iis quæ perpetui Juris divini ſunt, & ex Lege naturæ ac morali deducuntur, ut 1. Cor. 11. 7. 33. 1. Tim. 2. 12. 1. Cor. 14. ubi iterum de Mulierum ſilentio in Eccleſia, & de uſu Linguæ ignotæ. Ad hunc igitur Autorem, alioſque per totam Diſputationem citatos recte explicandos, atque inter ſe conciliandos, neceſſe erit formare præcognita quid nominis, & quid rei (qualia nos *prima hujus Diſp. Parte* moliti ſumus), iiſque conſtanter inhærere, cum quæſtiones & dubia determinanda ſunt: ne fiat diſputatio de non ente; ſiquidem homonyma ante factam diſtinctionem nihil ſignificant. *III. Probl.* An Ceremonia ſeu Ritus, & typus ſeu umbra in V. T. reciproca ſint? *Reſp. Neg.* idque probatur ex generali definitione typi, *quod ſit figura à Deo data ad res futuras præſignificandas.* Ceremoniæ politicæ arbitrio mere humano adhibitę e. gr. extractio calcei *Ruth.* 4. *verſ.* 7. non ſunt typi. Nec Ceremonię politicæ divinitus Lege forenſi inſtitutæ e. gr. perforatio auris *Exod.* 21. *v.* 6. deſputatio in faciem *Deut.* 25. *v.* 9. Detonſio cæſariei *Deut.* 21. *verſ.* 12. Nec Ceremonię eccleſiaſticæ decori & honeſtati tum naturalis, tum civilis juxta mores populorum, aut ſaltem populi Iſraelitici communiter

muniter in uſu & tractatione rerum in quâcunque ſymbioſi & congregatione hominum receptos. De illis enim pari ratione judicandum eſt, ac de Ceremoniis decori & εὐταξίας in quâcunque ſymbioſi civili, militari, navali, collegiali, ſcholaſticâ, eccleſiaſticâ ſub N. T. uſurpatis. Nec omnes Ceremoniæ arbitrariæ & extraordinariæ in patratione miraculorum adhibitæ: ut ex. gr. virgæ Moſis elevatio *Exod.* 7. 17. 20. extenſio manus Aaronis *Exod.* 8. ſparſio cinerum *Exod.* 9. expanſio Elizei ſupra mortuum ſuſcitandum 2 *Reg.* 4. ablutio Naamanis in Jordane 2 *Reg.* 5. Ne quidem omnes Ceremoniæ ſignificantes in templari & ſynagogico cultu juxta præſcriptum Legis ceremonialis adhibendæ, typi propriè dicti dicendi ſunt e. gr. totaphot *Deut.* 6. 8. *Exod.* 13. 16. Impoſito manuum ſuper Levitas *Numer.* 8. 10. Qui ergo in *Commentariis ad libros V. T. & in Rationalibus divinorum Officiorum*, quæcunque facta in Eccleſiâ, in Politiâ, in Oeconomiâ hiſtoricè illic relata ſic allegorizando explicârunt, ut ubique umbras, figuras, myſteria, typos Chriſti regnum ſpirituale ſignificantes captârint, illi ſimplici veritatis orationi tenebras offuderunt, hominum mentes confuſionibus, difficultatibus, errorum periculis obruerunt. Et ſiquidem ſolo Scripturæ V. T. titulo omnibus conſiliis, dictis, factis, myſticas ſignificationes, adumbrationes, præfigurationes, typos, abſque probationibus Scripturariis affingere liceat; idemque in hiſtoricis narrationibus Scriptorum N. T. tentare liceat, uti factum: quidni in omnibus hiſtoriis rerum tum intra tum extra Eccleſiam geſtarum myſtica ſymbola, & figuras ad exemplum Cabaliſticorum & Rabbinicorum deraſchim pariter venari liceret? Videat, cui vacat, faſtidioſus & operoſas nugas in *Ruperti Tuitenſis.* 12. *Libris de divinis Officiis & Scriptoribus ritualibus ab Hittorpio editis Amalario, Alcuino, Micrologo* &c. nec non *Beletho, Durante, Rubeis, & Fragmento de veteribus Eccleſiæ Ritibus ſub nomine Caroli Magni edito à Wolphg. Lazio* a. 1560. non ſine magnâ commendatione: cui adjunxit Fragmentum incerti Autoris de Ceremoniis Eccleſiæ Romanæ in antiquo Codice repertum; ex cujus principio ſpecimen hoc habeat lector: *Per idem*, inquit, *tempus fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totum fluxit diem, nimirum Chriſti gratiam ſignificans ex eadem taberna, hoc eſt, larga Eccleſia, novos populos ex gentibus proceſſuros. In multis etenim ſignis Auguſti Cæſaris, adventus Chriſti deſignabatur. Unde bene Cæſar poſſeſſio principalis, Auguſtus ſolemniter ſtans interpretatur. Quinimo Chriſtum exprimens, qui omnia ſolemniter poſſidet, omnesque principatus potentialiter obtinet. Cyrinus præſes qui hæres interpretatur, ſignificat Petrum cui hæreditas Eccleſiæ à Domino largita eſt.* Lemma marginale ibidem notat: *Auguſtum Cæſarem ſuiſſe figuram Chriſti.* Conjunge cum hoc ſpecimine myſteria calceamentorum, quæ baptizati induunt ex Ruperti lib. 7. cap. 10. pag. 433. *Calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt. Et hæc manifeſtè dominicæ mor-*

tis insignia sunt, quæ ideo suscipit, ut ejus exemplo qui propter nos crucifixus est, deinceps crucifigat carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, & mortificans membra sua quæ sunt super terram, dicit: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. IV. Probl. An omnis Ritus seu Ordo in Ecclesiâ V. T. observatus & institutus extrà aut præter divinitus præscripta decorum in se fuerit adiaphorus, sed per potestatem ecclesiasticam Sacerdotum determinatus, & ex illâ hypothesi observatu tunc necessarius? *Resp. Affirmant*, aut affirmare debent, qui inde colligunt, Ritus quosdam novè introductos, aut in primâ reformatione ex Papatu retentos justissimè urgeri, & invitis Ecclesiis ac Ministris imponi posse ac debere. Sandersonus Theologus Oxoniensis in erudito Tract. de Obligatione Conscientiæ a. 1660. prælect. 6. §. 32. hanc causam acturus, probat *Judæis licuisse propriâ authoritate & observare & instituere, quæ nullibi constat vel ab ipso Deo vel à Mose Dei Ministro præcepta*, idque per sequentes sex instantias. 1. Paschatis solennitatem in alterum septimum continuatum 2. *Paralip.* 30. *vers.* 2. Festum Purim *Esth.* 9. *vers.* 3. Jejunia anniversaria quarti, quinti, & decimi mensis. *Zachar.* 8. *vers.* 19. 4. Festum dedicationis altaris, quod Christus præsentiâ suâ cohonestasse putatur, *Joh.* 10. *vers.* 22. 5. Saccos & cineres in solennibus jejuniis & luctu pœnitentiali: *quod nullo*, inquit, *Dei mandato præceptum legimus.* Christus tamen *eo loquendi genere tanquam ex recepto more gentis, sine aliquo affixo nigro theta aliquoties usus fuit. Matth.* 11. *vers.* 21. 6. Morem, quo pater familias ante Cœnam Paschalem incurvatus convivarum pedes lavaret, uti constat *ex scriptis Rabbinicorum: quod etsi nullâ Dei Lege imperatum, à Christo tamen observatum liquet ex historiâ euangelicâ. Joh.* XIII. Ad cumulum addit: Quod attinet Synagogas ad com„moditatem sacrorum Conventuum per Oppida & Vicos ubique exstructas, „aliaque compluria, quorum ingentem farraginem suppeditant Judæorum „Commentarii enumerare? ex quibus omnibus illud saltem efficitur, si Ju„dæis sub illo severioris disciplinæ jugo tam multa licuerint ad *Dei cultum* per„tinentia, quæ nullo *speciali Dei mandato* niterentur: non posse ab illius po„puli exemplo ad evertendas *Leges humanas ecclesiasticas*, idoneum peti argu„mentum. Ex hâc disceptationis conclusione, collatâ cum ejusdem prælectionis §. 29. mecum observet lector, eruditiss. Theologum edolasse defensionem talis potestatis ecclesiasticæ quâ determinentur cultus seu *actionis externa, præsertim solennis*, locorum, temporum, gestuum, &c. circumstantiæ, sine quibus Cultus externus in sacris Conventibus præstari nequit; quæ cum accidentales sint cultui, & pro locorum, temporum, occasionum ratione mutabiles, nec Deus in Euangelio suo certas particulares circumstantias in sacris Conventibus perpetuò observandas tradiderit, sed generatim duntaxat præceperit, ut ordini, honestati, & ædificationi serviatur: *necessario sequitur ejusmodi*

Digitized by Google

modi circumſtantiarum determinationem &c. ad eos, qui ſub Chriſto regendarum Eccleſiarum Jus & Poteſtatem habent, pertinere. Reſp. 1. In genere circa totam hanc diſſertationem conſiderari velim, Poteſtatem determinandi circumſtantias in genere ſeu in theſi à nullo cœtu eccleſiaſtico nec ab ullo Chriſtiano in dubium vocari, qui inſtitutum Cultum externum, & externæ ſeu viſibilis Eccleſiæ inſtitutæ Cœtus ac *ἐκκλησιαρχὰς* ex Tabulis Juris divini admittit ac profitetur. Tota difficultas eſt in quæſtione hypothetica. An circumſtantialia e. gr. de Panibus ſeu hoſtiis orbicularibus in Cœnâ, de Exorciſmo Infantum in Baptiſmo, de Cruce poſt Baptiſmum, de albo ſuperindumento, de Genuflexione in perceptione Euchariſtiæ, de Incurvatione ad conſpectum aut pręteritionem menſæ, de altaribus, de cereis de die accenſis, de imaginibus in templis, determinata aut determinanda ſint tanquàm maximè facientia ad ordinem, honeſtatem, ædificationem Eccleſiarum, etiam illarum, quæ per earundem continuatam obſervationem, & magis per earundem de novo introductionem triſtitiâ afficiuntur, ſcandalizantur, turbantur. Et an hoc ſit ſecundum caritatem & prudentiam incedere? Et cum Deus in Euangelio ſuo, certas particulares circumſtantias perpetuò obſervandas non tradiderit (uti ipſi fatentur) an conveniat Eccleſię repræſentativę ſive dictę œcumenicæ, ſive occidentali reformatæ, ſive nationali centenis aut millenis & præſentibus, & per ſæculum aut ſæcula aut uſque ad finem mundi ſucceſſuris Eccleſiis particularibus certas Ceremonias per ſe nec utiles nec in primitivâ poſt Apoſtolos Eccleſiâ uſitatas, ſed ex Papatu in primâ reformatione relictas, quod tunc ob graves rationes tolli non poterant, perpetuo quaſi edicto pręſcribere; ita ut nullis Eccleſiis, quæ ſine ſcandalo, ſine metu ſciſmatis, immo majori cum ædificatione & pace ab iis abſtinere poſſent, nihil hic omittere aut occaſione ita ferente intermittere liceret, quamdiu œcumenica, aut Europea, aut nationalis, aut omnes provinciales, aut diſtrictuales Synodi communi conſenſu hoc non ſtatuiſſent: idque ſub pœnâ cenſuræ, ſuſpenſionis, deportationis. Hic nodus eſt: hic candide abſque circuitione, involutione, *ἀπαγωγῇ* neganti affirmantem ſuam quis opponat, & ad probationem ſe accingat. *Reſp.* 11. Propriâ autoritate, idque per Jus divinum permiſſivum licuit Judæis æque ac Chriſtianis in communitate quâvis tum œconomicâ tum eccleſiaſticâ parochiali ſeu particulari, & non tantum ſynodali, agendorum ſuorum & executionum religionis ordinem (quid ſcil. prius quid poſterius) tempora, loca, determinare & mutare. Sed quid hoc ad controverſas Ceremonias, ſine quibus exercitia pietatis domeſtica & eccleſiaſtica conſiſtere poſſunt, quęque ſine ſubjecti interitu (fatentibus Adverſariis) à Cultu divino, à Cœtibus eccleſiaſticis abeſſe poſſunt. Quid? an non poſſunt exercitia domeſtica & eccleſiaſtica decorè, ordinatè, piè, devotè obſervari ac peragi, abſque cereis de

die

die accensis, absque imaginibus, absque altaribus, absque genuflexione seu incurvatione ad altare aut ad mensam, absque incurvatione aut denudatione capitis ad auditum nomen Jesu, absque albo superindumento, absque exorcismo, &c.? An hæc circumstantialia antehac in Papatu cum infinitis aliis determinata, paris necessitatis sunt, cum determinatione ordinis, temporis, loci, gestuum sive naturaliter in Agendis sacris sine quibus nulla esse possent, sive secundum commune, ac civilæ decórum requisitorum? e. gr. ut Concionator stans altiori loco, concionetur; qui alioquin à frequenti auditorio audiri non posset; ut stans distribuat fractum panem inter communicantes; qui sedens à se remotioribus eum porrigere non posset; ut aperto capite viri orent; qui sine scandalo aut suspicione indevotionis (ita loquar) capite operto in Ecclesiâ orare non possent: ut communicantes ordine & successivè ad mensam Domini accedant; quia omnes simul eidem mensæ assidere nequeunt: ut Concionatores nostrates aperto capite transeant per medium populum sive ad mensam sive ad suggestum ituri; qui sine violatione decori civilis tecto capite transire non possent; ut Phonascus aut Præcentor in cantu præeat; qui sine aliquâ confusione sequi non posset: ut in vespertinis concionibus candelę accendantur & quidem tot numero; sine quibus Concionator & Auditores textum Scripturæ & Psalterium suum legere, & tutò ac commodè templum intrare, & ex eodem exire nequirent: ut Concionatores decorè vestiti, nominatim palliati, aut si alicubi mos antiquus Romanorum obtineat, togati in conventu ecclesiæ, in suggesto, ad mensam, compareant; qui nudi sine decori naturalis, aut pallio destituti sine decori civilis violatione comparere non possent: ut in hâc illâve Ecclesiâ diebus Martis aut Jovis &c. habeatur Conventus Ecclesiæ horis matutinis, in aliâ Ecclesiâ horis vespertinis; quod plures Auditores illic aut hic tunc vacare & convenire possint. Hæc & similia peristatica aut necessaria sunt sive ad esse sive ad bene esse; aut ex communi ac civili decoro requisita. Comparentur cum illis, si quę strictè urgenda, aut Ecclesiis invitis ac dolentibus obtrudenda putantur, altaria scil., imagines, cruces, genuflexio ad mensam, cerei de die accensi; album superindumentum, exorcismus, festa Apostolorum, aliorumve sanctorum, elevatio panis, & similia, quæ uti nec naturalem nec ullam secundum commune ac civile decorum habent necessitatem, ita non sine occasione & specie mali, ad instar excelsorum inter Judæos, relinquuntur: quin &, ubi sublata aut omissa fuerunt, cupide restituuntur, & contentiosè defenduntur. *Resp.* 111. Ad speciales instantias ex factis Judęorum sub V. T. allatas: ad 1. *Instant.* ex 2. *Paralip.* 30. *vers.* 23. *Resp.* Factum hoc extraordinarium ex necessitate aliquâ in speciali illo casu, consequentiam nullam facit ad festum anniversariùm septem aliis diebus, præter legem Mosis, annuatim observandis: non magis quam factum

ctum particulare celebrati ob particularem occasionem & necessitatem, festi Paschatis secundo die mensis prȩter Legem Mosis *Exod.*12.*v.*3.aut factum particulare in recipiendis ceremonialiter immundis *v.*19.ad celebrationem paschę in extraordinario illo necessitatis casu,legem ecclesiasticam,fixit & populo vel invito imposuit, Ritumq; de celebrando annuatim Paschate secundo die mensis,deque comedendo quotannis agno paschali absque ceremoniali mundatione *Num.*19.*v.*20.præscriptâ. Fuisse autem factum illud additi septenarii dierum, unicum atque extraordinarium, non vero perpetuum Ritum inde jam à tempore Hiskiæ populo usque ad tempus correctionis per autoritatem Sacerdotalem aut regiam impositum,evidenter colligitur ex allatis modo ex 2.*Paral.*30. duabus instantiis: siquidem facta illa pari passu eunt, cum illo,quod à *Sandersono* objicitur. Si quæras,quæ fuerit peculiaris occasio & quę necessitas addendi septenarii dierum? Respondere possem ex collatione *v.*18.25.26. cum notis Anglicis a. 1645. à Collegio Theologorum quorundam editis, ad *v.*23. *quia animadvertebant,populum magis ac magis aggregari*: adde, non tantum ex Juda, sed etiam ex decem Tribubus *v.*11.18.25. Et optimè annotat Andr. Osiander in notis ad Biblia latina à se edita: *Non ut ordinationem divinam de Festo paschatis mutarent: sed quia tot annis Pascha non fuit celebratum, & hâc occasione Israelitæ qui non habitabant in Regno Juda in verâ religione commodè informari, & solidè confirmari possent.* Notę anglicę 3.edit.*hoc erat prater primam legem: sed quia casus erat* (*N.B.*)*extraordinarius, Deus acceptavit sanctum zelum eorum.* Richardsonus episc. Ardagensii in Hybernià, qui partem fecerat illius Collegii, in selectis suis observationibus & explanationibus a. 1655. ad *v.*cit. sic notat: *videri in hoc Potestatem Ecclesiæ, & quidem à Deo approbatam.* Si intelligit Potestatem, uti à nobis jam explicata est,ea nulli Ecclesiæ denegari potest, si similis casus incideret. Sed si hinc quis educeret fuisse Potestatem penes Principes Sacerdotum tempore Hiskiæ pascha celebrantes 14. dies loco 7. quotannis, etiam extra similem aliumve necessitatis casum,observandos invitę Ecclesiæ tum prȩsenti tum successuræ imponendi,& quidem non sine divinâ approbatione,peterem illius probationem.Ne dicam,si Deus probavit designatum illud 7.dierum augmentum, idque est ἴσχυρον (neque enim ex merâ conjecturâ hoc adferri arbitror), ostendendum esse pariter ἴσχυρον Rituum controversorum (crucis scil. genuflexionis ad præsentiam mensę, albi superindumenti,festorum apostolicorum, & Michaelis &c.) divinam approbationem. Insuper ostendendam esse populi e. gr. in Anglicis, Scoticis, Germanicis Ecclesiis voluntariam deliberationem, & approbationem: siquidem non tantum Pontifex & Principes Sacerdotum, sed כל הקהל, id est,omnis Cœtus hoc decrevisse dicitur.*v.*23. *Resp.ad 2.instant.*ex *Esth.*9.aut dies *purim* fuisse politicos,aut,si sacri fuerint à θεσπίσῳ Mardocheo autoritatem accersendam: quod posterius respondetur à *Junio* & *Amesio*.

meſio c. Bellarmin. Inde ergo nulla conſequentia ad Ritus controverſos ſupra indicatos à Theologis aut Principibus quibuſdam, aut ab Epiſcopis in invitas Eccleſias introducendos. Poſſet denique excipi, ab hierarchiâ, aut Eccleſiâ V.T., quæ erat quaſi œcumenico - nationalis, quod ad externum Ordinem & Ritus, pro ratione illius temporis inſtitutos, conſequentiam ad Regimen, Ordinem, & Ritus Eccleſiarum N.T. per omnia non procedere: neque enim par utriuſque ratio eſt. Illic enim Cultus externi cum Ritibus & ἐνδύμασις ſuis, erant partim templares, quippe illi aut tabernaculo affixi; partim ſynagogici: illic ſacerdotia uni familiæ & reliqua miniſteria eccleſiaſtica uni tribui erant affixa; illic erat ſummus Pontifex, cum 24. Ordinibus & ἐφημερίαις Sacerdotum, & ſingulorum Principibus: ſed hæc omnia abſunt ab externo Cultu, Regimine, Ordine & Ritibus N.T. *Reſp.* Ad 3. *inſtant.* ex *Zachar.* 8. *verſ.* 19. *Primo Reges & Magiſtratus illius populi autoritate ſuâ* inſtituiſſe quatuor illa annua ſolennia jejunia, dicitur, ſed non probatur. Quid, ſi Pontifex cum Collegio Sacerdotum aut ſaltem cum Principibus eorum inſtituiſſet. Quid ſi כל- הקהל, id eſt, *totus Cœtus*, ſeu *tota Congregatio*, *Eccleſia*: uti 2 *Paral.* 30. *verſ.* 23. *Secundò*, Factum non facit Jus, nec infert legitimam Poteſtatem tale quid faciendi. Habuiſſe Magiſtratus, aut Sacerdotes, aut Populum divinitus conceſſum Poteſtatem inſtituendi quatuor, an etiam longe plura annua jejunia præter unum illud Lege Moſaicâ *Levit.* 23. *verſ.* 27. præſcriptum, & Eccleſiam non tantum illius temporis, ſed & ſuccedentem ſive volentem ſive nolentem ad eorundem obſervationem obligandi, tacitè preſupponi videtur, ſed exſertè non dicitur; quod tamen dici & probari deberet, ſi vel ſpecies aliqua inſtantiæ pro controverſis Ceremoniis ex loco hoc exſculpi putaretur. Alia eſt Poteſtas in caſu extraordinariò & neceſſitatis quid præter Legem obſervandi aut non obſervandi: & alia Poteſtas ordinariò præter Legem Dei circa Cultum publicum quid obſervandi, & totam Eccleſiam ſive volentem ſive nolentem ad perpetuum obſervationem obligandi. Illam Eccleſiæ, immo & ſingulis fidelibus pro ſuâ parte, ſub V. T. conceſſam cognoſco, ex exemplis 2. *Paral.* 30. *verſ.* 2. 18. 23. & Davidis *Matth.* 12. *v.* 3. 4.: iſtam nego; quia ne minimâ argumenti umbrâ hactenus probatam vidi. *Tertiò*, referuntur hæc jejunia obſervata tempore captivitatis & luctus, (ubi nota peculiarem occaſionem) ſed à Deo per prophetam *Zachar.* 7. *verſ.* 5. & *cap.* 8. *verſ.* 19. non probantur; quin immo potius improbari videntur, ſiquidem antecedentia & conſequentia textuum cit. propius inſpicias. Et ut exſertè non improbarentur, inde tamen non ſequeretur ea probari: cum Scriptura multa mala hiſtoricè referat, ſine adjectâ epicriſi, ut e. gr. Lothi inceſtum *Geneſ.* 19. Abrahami, Davidis, Chuſai Arachitæ &c. mendacia. Noachi ebrietatem. Abrahami concubitum cum Agar, Jacobi inceſtum & polygamiam, Lamechi bigami-

bigamiam *Geneſ.* 4. *Quartò*, ſiquidem ex facto quatuor jejuniorum, Regum aut Magiſtratum illius temporis ordinaria Poteſtas divinitus collata ſolidè probaretur, & hinc Eccleſiæ ſeu mavis Regum ac Principum, aut paucorum Epiſcoporum, aut Superiorum, aut Synodorum Poteſtas evinceretur annua jejunia, feſta, Ceremonias tales, quales in Germaniâ, Angliâ, Scotiâ controverſæ ſunt, præcipiendi; utique pari conſequentiâ aſſeri poterit reliqua jejunia annua *in Calendario Judæorum* apud *Munſterum pag.* 148. & *in Computo Judæorum*, ex editione *Genebrardi*, enumerata, à Magiſtratibus Judæorum legitimè inſtituta, & obſervata fuiſſe, atque inde rectè concludi, jejunia quatuor temporum, ἐκφωνήσεις in vigiliis, feſta aliquot anniverſaria cum multis Ceremoniis Papiſticis in Angliâ ſub Eduardo VI. abrogata, ab Eccleſiâ tamen Romanâ ſeu mavis ab Epiſcopis, Regibus, Conciliis, uſque ad illud tempus Jure obſervata, inſtituta, & Populo impoſita fuiſſe. Quæ omnia perquam abſurda eſſe, nemo, niſi Papiſta, negabit. *Quintò:* dato non conceſſo legitimè indicta & obſervata fuiſſe hæc jejunia, occaſione luctus & calamitatis Populi in captivitate Babylonicâ *Pſal.* 137. certo annorum ſpatio (70. ſcil.) circumſcriptæ *Dan.* 9. inde quidem ſequeretur, extraordinarias ejuſmodi humiliationes tali in caſu eſſe licitas, immo utiles, & rectè ab Eccleſiâ obſervari ac præſcribi & tempora eorum determinari uti & in aliis omnibus extraordinariis publicis jejuniis fieri ſolet ac debet, juxta *Eſdr.* 8. *verſ.* 21. *Nehem.* 9. *verſ.* 1. 2. *Joel.* 2. *verſ.* 15. 16. 2. *Paral.* 20. *verſ.* 3. Sed minimè ſequitur extra caſus & occaſiones extraordinarias, licitum fuiſſe Regibus aut Sacerdotibus, in V. T. ordinaria & ſtata jejunia ſingulis annis, aut trimeſtribus, aut menſibus, aut hebdomadibus recurrentia vel ad certum tempus, vel indefinitè & in perpetuum Populo volenti nolenti, etiam ad extraordinariæ & publicæ euchariſtiæ ſeu diei boni celebrationem per ſerenas occaſiones & ἔτη divinitus dati (uti *Nehem.* 8. *verſ.* 10. 11.) imponere. Multò minus indè inferri poteſt, alba ſuperindumenta, exorciſmos infantum baptizandorum, ſigni crucis in baptiſmo, genuflexionem in perceptione cœnæ, genuflexionem aut inclinationem ad altare ſeu menſam & ad pronuntiatum nomen Jeſu, confeſſionem auricularem, &c. in tenebris Papatus antehac uſurpata, ad majorem Eccleſiarum reformatarum ἐυχρηστότερον, εὐταξίαν, ædificationem (hæc enim tria requiſita ſeu has conditiones Sanderſonus, aliique dictarum Ceremoniarum Defenſores præſcribunt) retineri, & à Magiſtratu, aut Epiſcopis, aut Synodis *juſtiſſimè urgeri*, & omnibus particularibus Eccleſiis ſive in perpetuum ſive ad indefinitum tempus imponi poſſe: & quidem ſub pœnâ ſuſpenſionis, & depoſitionis omnium Miniſtrorum cætera omni ordini humano tum in Politiâ tum in Eccleſiâ ſubjectorum; qui proteſtantur, ſe Ceremoniis illis per conſcientiam ſuam non poſſe uti. *Reſp. ad* 4. *Inſtant.* Annuum feſtum

dedicationis altaris, seu encæniorum ab Asmoneis *Lib. 1. Machab. cap. 4. vers.* 59. institutum, à Christo comprobatum fuisse dicitur quidem, sed non probatur. Nihil tale habetur *Joh.* 10. Neque etiam, quod præsentiâ suâ festum illud cohonestaverit. Quamvis enim præsens tunc erat Hierosolymæ, cum festum illud celebraretur, inde non sequitur, eum presentiâ suâ festum cohonestasse, atque institutionem ejus comprobasse. Præsens fuit Christus multis personis, factis, temporibus, quæ tamen non approbavit; non Samaritismum aut Samaritanos *Joh.* 4. non aulam Cajaphę, non consilium Sacerdotum, non conventum Doctorum *Luc.* 2., non morem mendicantium passim cœcorum, claudorum &c. in compitis, & ad ostium templi, *Joh.* 9. *vers.* 8. *Marc.* 10. *vers.* 46. *Actor.* 3. *vers.* 2. Non multa alia in cultu templari, in celebratione festorum, in synagogis, in ordine sacerdotali tunc observari solita. Nec Templum, nec Hierosolymam, nec synagogas, nec festorum à Deo per Mosem institutorum celebrationem ideo eum fugisse legimus. Sic Paulus presens erat Areopago, delubris sacris, & altari Athenienstium *Actor.* 17. *vers.* 23. Dices forte, non improbari saltem, & Christum illo tempore ab Urbe & Templo potius abstenturum fuisse, siquidem hoc festum male institutum fuisset. Ad prius. *Resp.* pessimam consequentiam duci à non improbatione disertâ, ad approbationem: uti instantiis modo allatis, de Lothi incestu &c. probatum fuit. Sed quocunque loco habitum fuerit illud festum; Christi cohonestatio, & ex eâ ejusdem approbato demonstranda est: quod cum non fiat, tam facile hanc instantiam rejicimus, ac adfertur. Quod ad opinionem plurimorum & melioris notæ interpretum provocatur: illud minimè satisfacit, illis, qui solam scripturam agnoscunt unicum theologiæ principium. Aliquos interpretes cum inspicio, invenio plerosque eorum historicè hunc ritum referre: neminem vero asserere, à Christo approbatum ordinarium festum quotannis per octiduum, in memoriam dedicati templi celebrandum: cum nullum Festum annuum in memoriam celeberrimæ & primæ dedicationis primi templi 1. *Reg.* 8. à Salomone, ut nec in memoriam secundæ dedicationis Templi secundi de novo exstructi *Ezr.* 6. *vers.* 16. dedicatum legamus. Quod ergo Salomon & Ezra viri θεσπέσιοι ob dedicationem Templi novè ædificati non fecerunt, quomodo ob memoriam dedicationis Templi repurgati, non tamen primum aut post excisionem de novo exstructi, id à Judâ Machabeo & Populo minimè θεσπίσιος constitutum tantopere probari potuit? Quasi scil. Magistratus & Sacerdotes illo tempore ad religionem ac Cultum publicum ordinandum sapientiores atque instructiores fuerint Prophetis θεσπίσιος: cum decernerent festum hoc celebrandum ad modum festi tabernaculorum 2 *Machab.* 10. *vers.* 6. illudque appellarent φῶτα, id est, lumen seu festum luminum, teste *Josepho Lib.* 12. *Antiquit. c.* 11. Quin etiam (si Thalmudicis credendum)

dum) quamplurimas lucernas seu candelas tunc accenderent; quod etiamnum hodie in festi hujus celebratione observatur à Judæis. De quo vide *Buxtorf. in Synag. Jud. cap.* 23. Tale festum, quamvis Christus tunc præsens esset Hierosolymæ, & in porticu atrii Templi ambularet, præsentiâ suâ eum cohonestasse, & approbasse, mihi non sit verisimile: non magis quam approbatum fuisse morem usitatum in festo scenopegiæ hauriendi aquam, ex fonte Siloah, ad spiritum prophetiæ impetrandum; quamvis illic præsens esset *Joh. 7. vers.* 37. 38. Vide de hoc ritu inter *Plessæi Meditationes part.* 1. *medit. in Joh. 7. vers.* 37. 38. Et quidni quævis alia annua jejunia, in memoriam cujusvis jejunii extraordinario semel indicti (e. gr. 1. *Sam.* 31. *vers.* 13. *Ezr.* 8. *Joel.* 2. 2 *Paral.* 20.) & quævis, annua festa, in memoriam extraordinarii festi (e. gr. 1 *Reg.* 8. *Ezræ.* 6.) semel celebrati, à Magistratibus aut Sacerdotibus jam inde à reditu ex captivitate pariter potuissent institui, & traditiones majorum accumulari? quas quomodo Christus & Apostoli approbârint, ex inspectis *Capp. Matthei* 15. & 23. & *Coloss.* 2. colliges. Concludimus ex Christi præsentiâ & ambulatione in atrio Templi, festi hujus approbationem certò non posse colligi: potuit enim illic præsens esse, ut occasionem captaret Populum, qui ad festum illud undique confluebat, docendi: quomodo Paulus *Actor.* 18. *v.* 21. & 20. *v.* 16. in festis Judaicis jure jam abrogatis, & ipso facto abrogandis, præsens esse voluit. Et quidquid à Christo sive toleratum sive approbatum fuisset (quod tamen minimè concedimus) pro prædagogico & œconomico cultus & populi sub V. T. statu, inde tamen inferri non deberet, quod Grotius in Notis ad Joh. 10. v. 22. *Discimus hinc posse piè à Populo Dei etiam sine speciali mandato divino in beneficii alicujus memoriam dies festos institui.* Quale consectarium Pontificius *Corn. à Lapide*, qui nihil prætermittere solet, quod pro traditionibus suis nobis obtendat, hinc educere erubuit. Quod si de die festo semel & extraordinariò tali in casu celebrando intelligi velit, utique admittimus: cum jure divino sub utroque testamento extraordinaria jejunia & eucharistica præcipiantur, & Ecclesiæ Potestas concedatur oblatâ occasione ad hunc vel illum determinatum diem eadem indicendi. *Resp. ad* 5. *Instant.* saccos, cilicia, pulveres, cineres, *Gen.* 37. 2. *Sam.* 3. *Joel.* 2. *Job.* 2. *vers.* 12. vestium rupturam, quin & capillorum ac barbæ evulsionem, sessionem in terrâ *Ezr.* 9. *vers.* 3. capitis obvolutionem, nudipedalia 2 *Sam.* 15. *vers.* 30., atras vestes *Psal.* 35. *vers.* 14. 1. *Reg.* 20. *vers.* 32. quin & propriæ carnis vulnerationem & sanguinis sui fusionem, *Levit.* 21. *vers.* 5. cum 1 *Reg.* 18. *vers.* 28. ne dicam charorum mactationem 2 *Reg.* 3. *vers.* 27. legimus quidem in vehementissimis tristitiæ, iræ, indignationis, pudoris commotionibus, aut in signum abjectionis atque externæ humiliationis pro more orientalium, adhibita; sicuti in commotione lętitiæ subsultationes aut tripudia

Exod. 15. cum 2 *Reg.* 6. *verſ.* 16.: Sed illos Ritus publicis pœnitentiis, ſupplicationibus, jejuniis ab Eccleſiâ appropriatos, aut Populo volenti nolenti ſive in perpetuum, ſive ad tempus indefinitum impoſitos, & quidem ſub pœnâ cenſuræ & exciſionis ex Eccleſiæ communione, hactenus non legimus: nedum ut exempli Judæorum imitatione, tales aut ſimiles Ritus Populo Dei ſub N. T. & quidem in Partibus ſeptentrionalibus habitanti obtruderentur. Quid dicam de Ritibus controverſis crucis & genuflexionis, ad menſam aut ad auditum nomen Jeſu, aut in perceptione cœnæ, exorciſmi infantis, confeſſionis auricularis, panis nummularii &c. quorum nec in N. nec in V. T. ulla mentio, nec ullus in Cultu publico uſus. Nec firmatur inſtantia phraſios à Conſuetudine illâ Judæorum (Orientalium potius dixiſſet; hoc enim ex ſacris & profanis Scriptoribus liquere arbitror, & indicant *Notæ Anglicæ ad Geneſ.* 37. 3. edit. Vide *loca* modo *cit.* & adde *Jonæ* 3. *verſ.* 6. *Actor.* 14. *verſ.* 14. *Jeſ.* 36. *verſ.* 22. *Jerem.* 41. *verſ.* 1. & 36. *verſ.* 24.) Legis quaſi vim obtinente deſumtæ uſurpatione, *& quidem ſine affixo nigro theta* (uti loquitur): quamvis enim hiſtoricè referatur illud Tyrios & Sidonios, pro more Orientalium idem fuiſſe facturos, quod fecerant Ninivitæ *Jonæ* 3. *verſ.* 5. 6. inde tamen non ſequitur ejuſdem obſervationem ab eccleſiaſtica Poteſtate in publicâ pœnitentiâ & humiliatione ſive ordinariâ atque annuâ ſive extraordinariâ Dei Populo volenti nolenti ſub pœnâ anathematis aut ejectionis fuiſſe injunctam, aut injunctionem illam à Chriſto fuiſſe approbatam. Supra diximus ſine appoſita nigro theta in Scripturis multa referri: nedum ut Conſuetudini etiam vanæ, & modis loquendi ac phraſibus inde deſumtis, nigrum theta ubique appoſitum poſtulari debeat; ſecus, inde argumentum pro dictis controverſis Ceremoniis, quibus pii alicubi onerantur & vexantur, educendum. Tria hic obſervari velim, quorum *unum* eſt, Chriſtum & Spiritum S. aliquando argumentari, reſpondere, loqui κατ' ἄνθρωπον, id eſt, ad hominem (uti in Scholis loquantur), ex hypotheſi ſcil. intentionis & ſenſus adverſariorum, ut *Matth.* 19. *verſ.* 17. 21. *Judic.* 11. *verſ.* 24. *Deut.* 32. *verſ.* 31. Et tale argumentum ad hominem putant viri aliquot eruditi formari 1 *Cor.* 15. *verſ* 29. ut ſcil. ſpectetur illic baptiſmi ſuſceptio pro aliis jam defunctis. *Alterum* eſt, vocis primam impoſitionem aliquando perperam fieri, ex ſuperſtitioſâ aut falſâ opinione, ut e. gr. vox θεὸς (ſiquidem à θέω, id eſt, curro derivetur): cujus tamen uſus abſque nigro theta in Scriptis N. T. frequentatur; Cum enim verba valeant uſu, non ſpectatur unde ſeu ex quâ falſâ opinione, ad tale quid ſignificandum primum fuerit impoſitum, ſed ad quid ſignificandum nunc ſecundum communem uſum adhibeatur. *Tertium* eſt, humiliationem, triſtitiam, pœnitentiam, pudorem, confuſionem, ut & alios affectus metus, lætitiæ &c. per metonymiam adjuncti ſeu ſigni ſive naturalis ſive arbitrarii non raro denotari. Sic e. gr. affectus gaudii

voce tripudii aut ſubſultationis *Eccleſ.* 3. *verſ.* 4. idemque voce cantus, jubilationis &c. Affectus triſtitię, luctus, humiliationis voce *pullatus Pſ.* 38. *verſ.* 7. & 41. *verſ.* 2. *Mal.* 3. *verſ.* 14. & voce *lachrymæ Jeſa.* 25. *verſ.* 8. cum *Apoc.* 21. *verſ.* 2. *& ſacci Pſ.* 30. *verſ.* 12. Cur ergo dici non poſſet Chriſtum *Matth.* 11. *verſ.* 21. metonymicè vehementem dolorem, luctum & humiliationem per *ſaccum & cineres* voluiſſe deſcribere: quomodo *Jeſa.* 22. *verſ.* 12. Deus dicitur vocare ad *calvitiem & ad cingulum ſacci.* Et Joel. 1. verſ. 13. Deus exſertè mandat: *accingite vos & plangite Sacerdotes, ululate Miniſtri altaris, ingredimini, manete in ſaccis &c.* Quod ſi propriè accipias, jam dici poſſet eſſe hoc divini inſtituti, & conſequenter Eccleſiis noſtris ſimili in caſu idem agendum: (niſi quis probet hoc eſſe typicum & umbraticum, & conſequenter abrogatum): ſin metonymicè & impropriè accipi mavis: jam vides ex neutra interpretatione ullum argumentum deduci poſſe pro Decreto & Poteſtate Eccleſiæ V. Teſt. ejuſmodi ſaccos & cineres in formâ & ſpecie Populo pœnitenti ac lugenti præſcribendi; idque præter Legem aut Mandatum Dei. Sicuti ex metonymicâ phraſi 2 *Par.* 30. *verſ.* 3. *dandi manum* deſumtâ ab arbitrariis contractuum humanorum ſignis (*Prov.* 6. *verſ.* 1.) Ceremonia à Deo impoſita, aut Eccleſiæ conſuetudine, arbitrio, mandato introducta ac præſcripta exſculpi non debet. Ut nec ex Jerem. 9. verſ. 17. *Sic dixit Dominus exercituum contemplamini & vocate lamentatrices, & veniant, & ad ſapientes Mulieres mittite & veniant. Et feſtinent, & aſſumant ſuper vos planctum &c.* Concludo verbis pereruditi Theologi *Ant. Thyſii Diſſ. de Eleemoſ. & Jejunio*, quæ *Synopſi Leidenſi* inſerta, §. 53. ubi de omnibus illis geſtibus & Ritibus „ contritionis & doloris indicibas ſic pronuntiat, quod aut communia fu„ erint Judæis cum Orientalibus, aut illi Genti propria; aut ad pædagogiam „ illius populi ſpectârint, à quibus Chriſtus ſuos pro re, loco, ac tempore liberos fecit. Ita ut ne minima quidem argumenti umbra pro ordinariis aut perpetuis in Eccleſiâ N. T. Ritibus (panis ſcil. orbicularis, genuflexionis ad conſpectum altaris aut menſæ, & ad auditum nomen Jeſu, albi ſuperindumenti &c.) in Cultu publico adhibendis, atque adeo ad meliorem ordinem ac ædificationem Populo novi Teſtamenti per Principes aut Epiſcopos, aut quoſcunque Eccleſiarum Inſpectores Lege pœnali imponendis, duci poſſit. Namſi ex ſacco ac cineribus analogicè dictę Ceremonię controverſę concludi poſſent; multo magis per primam conſequentiam obſervatio ipſorum Rituum in formâ, quorum exempla extant in Scripturis, & à quibus conſequentia ducitur, concludenda eſſet. Eant ergo Magiſtratus aut Præfecti Eccleſiarum & Populum ſuum in diebus publicæ pœnitentiæ, ſupplicationis, jejunii pro Poteſtate ſuâ, quam Ceremoniarum zelotæ ipſis tribuunt, compellant ad cinerum ſparſionem in capita, ad veſtium ſciſſionem, ad faciei ſordidationem, & lotionis

caren-

carentiam 2 *Sam.* 12. *verſ.* 16. *Matth.* 6. *verſ.* 16. ad ſaccum *Pſ.* 35. 13. ad aquæ effuſionem 1. *Sam.* 7. *verſ.* 6. ad capillorum & barbæ evulſionem *Ezr.* 9. *verſ.* 3. ad planctum & ululatum *Joel.* 2. *verſ.* 12. ad vocandos infantes & pecudes in jejunii ſocietatem *Jon.* 3. *v.* 7. *Joel.* 2. *v.* 16. ad calvitiem *Jeſa.* 22. *v.* 12. *Reſp. ad* 6. *inſtant.* ſiquidem ex *Scriptis Rabbinorum* conſtaret Patrem familias pedes ſuorum incurvatum ante paſchalem lavaſſe cœnam (qualibus majorum traditionibus non magis movemur quam ſimilibus, quas taxat Servator *Matth.* 15. & Apoſtolus *Col.* 2.): non tamen conſtat Chriſtum lotione ſuâ *Joh.* 13. hoc imitatum fuiſſe, atque adeo obſervatione ſuâ Ritum illum Rabbinicum, & poteſtatem talibus Ritibus perpetuis extra & præter Dei mandatum eccleſiam onerandi, comprobaſſe. Hoc dum non probatur, ficulneum hoc argumentum pro genuflexione ad altare, aut ad menſam, & in percèptione cœnæ, nec non ad auditum nomen Jeſu, pro cruce in baptiſmo, proque albo ſuperindumento Miniſtris verbi ſub N. T. quamvis deprecantibus ſub pœnâ ſuſpenſionis aut depoſitionis obtruſis, tam facile diffiari putamus, ac adfertur. Quid Servator intenderit iſtâ lotione non ordinario per ipſum, ſed tunc temporis extraordinario peractâ, indicat tunc Petri recuſatio, tum *verſ.* 13 -- 17. ut ſcil. ipſe facto ſuo eos doceret humilitatem & modeſtiam; uti hoc rectè obſervatum ab *Ammonio* & *Chryſoſtomo in Catenâ* gr. à Jeſuitâ *Corderio* gr. lat. editâ, & cum iis recentiores interpretes. Qui hinc Ritum ordinarium à Rabbinis aut Conſuetudine introductum & à Chriſto obſervatum ac probatum edolare ſatagunt, illi ſaltem propius quam nos ad opinionem tum antiquorum podoniptôn, tum recentiorum, qui ſacramentum aut ſaltem quaſi ſacramentum ſeu *ſacramentale* aliquod (ita dictum) ſeu ſacrum eccleſiaſticum, in Eccleſiis N. T. ad majorem ædificationem, ἐγκρατεύεσθαι, ἐυταξίαν, perpetuò obſervandum in eo conſtituerunt. Inter Antiquos *Ambroſius Lib.* 3. *de Sacramentis cap.* 1. & *Lib. de iis qui initiantur cap.* 6. defendit hanc corporalem pedum ablutionem omnibus fidelibus eſſe neceſſariam ante baptiſmum, & inter baptiſmi Ceremonias numeravit, ejuſque obſervationem in Eccleſiam Mediolanenſem introduxit: ubi primum Epiſcopus & deinde Sacerdotes ac Clerici pedes baptizandorum in fonte ante Eccleſiæ fores hunc in finem conſtituto abluebant, idemque Epiſcopus pedes à ſe ablutos oſculabatur, & pôſterior pars pedis imi ſuper Epiſcopi caput imponebatur. Videat, cui vacat faſtidioſam hujus myſticæ lotionis defenſionem apud *Ambroſium loc. citatis.* Hic Ritus à Mediolanenſi Eccleſiâ manaverat ad alias, uti colligitur ex *Auguſtino Epiſt.* 118. & 119. & ex *Palladio in Lauſiacâ cap.* 73. & *Concil. Eliberino in Hiſpaniâ cap.* 48. & quamvis vetita eſſet in dicto *Concilio c.* 48. nihilominus obſervabatur Mediolani, ubi progreſſu temporis, creſcente, uti plerumque ſolet, φιλοφρονίᾳ ad ablutionem totius corporis deventum fuit; ita ut die Jovis ſancto ante paſcha ibidem

& alibi

& alibi alii pedes, alii totum corpus, alii ante, alii poſt baptiſmum, alii & antè & poſt lavarent, atque ita mundo corpore ad baptiſmum vigiliâ paſchatis accederent. Vide *Auguſtini Epiſt.* 119. Et compendio, ut utaris, *Joſephum Vicecomitem in Lib.* 3. *cap.* 4. *de Ritibus Baptiſmi cap.* 17. — 21. Hoc inſtitutum ad Chriſtum & Petrum referebat *Ambroſius*; & ipſe Mediolani exemplo Chriſti multis è Clero pedes lavabat. *Concil. Toletanum a.* 694. ſancivit, *cap.* 3. ut Epiſcopi & Sacerdotes pedes fidelium ad exemplum Chriſti lavarent in cœnâ, juſſitque hunc uſum intermiſſum revocari. Cujus veſtigiis inſiſtens Bernardus in Serm. de Cœnâ ſic πολογεῖ: *Nam ut de remiſſione quotidianorum non dubitemus, habemus ejus ſacramentum pedum ablutionem.* Similia habet *Durantes Lib.* 6.*Rationalis tit.de lotione pedum.* Atque hęc quidem ex antiquitate eccleſiaſticâ. Ex novitate obſervo, Papę Romani κατζηλίαν, qui dicto die Jovis 13. pauperum pedes lavare & oſculari ſolet. Quam hiſtrioniam deſcribit *Chriſtoph. Marcellus* Corcyrenſis archiepiſc. *Lib.* 2.*Sacr. Cerem. cap.*49. Eandem fieri in quibuſdam Capitulis & Monaſteriis per Superiores, teſtatur *Corn. à Lapide in Johann.* 13. Quin & alibi poſt reformationem & diſceſſum ab Eccleſiâ Romanâ ab Epiſcopis peractam memini. Inter Anabaptiſtas peculiaris quædam ſecta ποδνίπλων (Belgicè **voetwaſſers**) exſtitit. De eâ vide *Confeſſionem Anabaptiſticam Autore Nicolao Nicolai a.* 1624. belgice editam, *artic.* 15 *ſect.* 5.: ubi cum *Theod.Philippo in Enchiridio* defenditur, hunc Ritum ex mandato divino in N.T. obſervandum. Inter Remonſtrantes in Belgio *Adolphus Venator in Theologiâ ſuâ verâ & merâ ſeu in Libro Fundamenti*, quo ſcil. Chriſtianiſmus 1400. annis caruerat (uti præfert *Libri* illius *Frontiſpicium*), haut obſcurè tanquam tertium ſacramentum baptiſmo & cœnæ adjungit. Nuper anno 1660. Londini editus eſt liber Anglicus autore *Thomâ Tillam* tit. *Templum vivorum lapidum*: ubi autor pag. 253. defendit hanc lotionem eſſe evidentiſſimum mandatum euangelicum, & officium concernens animarum ſalutem à Chriſto ordinatum &c. Antiqua hæc & nova myſteria, ubi prius probaverint aut improbaverint hodierni zelotæ Ceremoniarum, genuflexionis ſcil. ad menſam, & ad nomen Jeſu, & in perceptione cœnæ, albi ſuperindumenti, panis orbicularis, exorciſmi, crucis in baptiſmo &c. (& quidni inſufflationis *Joh.* 20. *verſ.* 22. aliorumque omnium Rituum quorum demonſtrationem ex Scripturis moliri voluit *Gul. Durantes in Rationali*) videbunt, quam dextrè lotionem pedum *Joh.* 13. huc advocârint. Ut non dicam tanquam certam hypotheſin huic argumento ſubſterni, quod Chriſtus cœnæ paſchali, quam continuò excipiebat cœna euchariſtica, hanc lotionem juxta conſuetudinem Rabbinorum præmiſerit. Quam hypotheſin multis argumentis oppugnat *Joh.Lightfoot in Horis Hebraicis ad Matthęum cap.* 26.; ubi ſolidiſſimè, meo judicio, ex phraſi & collatione Scripturæ probat fuiſſe illam cœnam, non agni paſchalis, ſed aliam ſcil. ἀπὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πα-

χα, hoc eſt, quæ totum feſtum ſeptem dierum præcedebat. Hoc ſtante, evaneſcit ἐυρημα de rabbinicâ lotione pedum manducationi agni præmiſſâ, & Chriſti imitatione atque exemplo approbatâ. *Reſp.* ad 7. *inſtant.* ad Synagogas ad commoditatem ſacrorum conventuum *per Oppida & Vicos exſtructas, aliaque compluria, quorum ingentem ſarraginem ſuppeditant Judæorum Commentarii*, reſpondemus: Judæorum δόγματα atque unà Papiſtarum infinitas traditiones, ſiquidem enumerare quis tentaret citius principium quam exitum inveniret. Prudenter ergo operæ ſuæ pepercit dicendo, *quid attinet enumerare.* „ Et quid attinebat vel digito talia indicare? *Si*, inquit, *Judæis* ſub illo ſeve„ rioris diſciplinæ jugo tam multa licuerint ad *Dei cultum* pertinentia, quæ nul„ lo *ſpeciali Dei mandato* niterentur: non poſſe ab illius Populi exemplo ad e„ vertendas *leges humanas eccleſiaſticas* idoneum peti argumentum. Mira conſequentia, mira concluſio. Quæſtio non eſt, an leges humanæ eccleſiaſticæ ſint evertendæ, ſed, an piæ prudentiæ & caritatis ſit, ſi ab Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum Inſpectoribus, aut Magiſtratibus, lege pœnali Eccleſiæ & Miniſtri inviti ac ſuppliciter deprecantes, ad obſervationem Ceremoniarum ex Papatu relictarum, quas jam ſæpe retulimus & ipſi Autores atque exactores *Adiaphoras* vocant, compellantur? Et an hoc faciat ad Eccleſiæ pacem, majoremque ejuſdem in fide & pietate ædificationem. Hic pes figendus, & ex Judæorum Ritibus ac traditionibus definitè enumeratis, tanquam licitis & Chriſto ac Apoſtolorum choro probatis & Eccleſiæ N. T. ad imitandum propoſitis, vexata & maximè controverſa quæſtio probanda. Ubi duo occurrunt, conſequentia ſcil. argumenti, à Populo ſub pædagogiâ & cultu ejus œconomico, ad Eccleſiam & Cultum N.T.: & antecedens. *Conſequentia* firmanda eſt, contra communem Theologorum ſi non negationem ſaltem exceptionem & limitationem. *Antecedens argumenti*, quod poſtulatum aut hypotheſin facere videtur, prius demonſtrandum, non vero per ἐπιφώνημα (*quid attinet enumerare*) tranſmittendum. Ubi ex *Thalmudicis*, aliiſque *antiquioribus Scriptoribus*, aut ſi quis compendio uti velit, ex *Buxdorfii Synagoga* enumeratio facta fuerit, conferendæ erunt illæ traditiones cum *Matth.* 15. & 23. *Actor.* 15. *Coloſſ.* 2. *Galat.* 4. atque adeo cum toto corpore Scripturæ, ut de neceſſitate aut utilitate ad majorem ædificationem, & conſequenter de divinâ earundem approbatione judicium fieri poſſit. Unum illud de ædificatis per Oppida Synagogis definitè indicatum ad tantum hiatum non facit. Hoc enim in Lege & neceſſitate naturali fundatum, ad Legis divinæ præſcripta reducitur. Qui enim in verbo ſuo præſcribit finem, is per neceſſariam conſequentiam media ad illum finem neceſſaria (neceſſitate ad eſſe aut ad bene eſſe) præſcribere dicendus eſt. Sed Conventus ſacros ad publica ac communia pietatis exercitia Deus præſcribit, *Hebr.* 10. *verſ.* 25. 1. *Cor.* 11. *verſ.* 18. *Pſal.* 52. & 84. & 122.

Joel.

Digitized by Google

Joel. 2. *verſ.* 16. Ergo certa loca & ædificia ad commoditatem illorum conventuum habenda eſſe, ab ipſâ neceſſitate & ratione naturali docemur, idque ſequitur ad talem Legem divinam: qui enim dat finem & formam, dat media & conſequentia. Natura enim docet non poſſe multitudinem ſemper ſub dio convenire & ibi horis aliquot, quâvis tempeſtate, exercitiis vacare: vide *Ezr.* 10. *verſ.* 13. Accedit quod Synagogæ ita dictę dici poſſint approbatæ à Chriſto & Apoſtolis, qui eas non tantum præſentiâ ſuâ cohoneſtârunt, ſed & in iis ordinario, quamdiu poterant, docuerunt *Luc.* 4. *Actor.* 13. & 17. *verſ.* 2. Quidquid ergo de locis, & de diebus ac horis conventuum, deque ordine agendorum in conventibus, deque ritibus & geſtibus ad eſſe aut ad bene eſſe ſive lege naturę ſive ex communi & conſueto hic aut ibi decoro dicitur, illud Eccleſia & obſervare & ſuis ſive facto ſive lege aliquâ præſcribere poteſt; nec de eo eſt controverſia: ſed, uti perſpicax Theologus Joh. Davenantius in Determinationibus pag. 99. quæſt. *Eccleſia Anglicana juſtiſſimè obligat ad ceremonias*, ingenuè fatetur: *De poteſtate igitur ritus inſtituendi non dubitatur, ſed de natura & qualitate ipſarum ceremoniarum ambigitur.* Qui ibid. pag. 101. concludit: *Concludam verbo; ſuis legibus Eccleſia obligat conſcientiam, non præciſe & in omnem eventum ad ipſas res, quæ ſunt adiaphoræ; ſed ad non contemnendam voluntatem legiſlatoris, & ad ſcandalum non prabendum.* Paulo ante dixerat: *poſtulat autem Eccleſia ne aliquid in contemtum Prælatorum, aut ſcandalum aliorum, vel committatur hiſce in rebus, vel omittatur.* Scandalum ergo cum ex omiſſione Ceremoniarum controverſarum metuendum non eſſet in Eccleſiis mille Miniſtrorum, multo minus in Scoticis, nec etiam contemtus Prelatorum (uti patet ex *humili Petitione dictorum mille Miniſtrorum*) poſſet ex Davenantii ſententiâ, tali tempore tali loco, in talibus Eccleſiis omiſſio earundem concedi, & obligatio laxari. Sed ulterius non provehor. Quantum valeant diſtinctiones Davenantii in genere ſolummodo propoſitæ, non applicatæ, & quam longè alii Ceremoniarum patroni ab hâc moderatâ non tam defenſione quam excuſatione earum receſſerint, ex *Ameſio c. Burges*, *Didoclavio in Altari Damaſceno*, & *Anonymi Libro* vernaculo *tit. de Ceremoniis Eccleſiæ Scoticæ obtruſis*, abunde cognoſcet, quem hæc tangunt. Nos antehac 3. *Part. ſel. Diſſp. tit. de Superſtitione*, *de Cruce*, *de Feſtis* aliquam abſurdorum & periculoſorum ejuſmodi ἐπιμόριον partem examinavimus. *V. Probl.* An idem ſit Ceremonia & ſignum? *Reſp.* 1. Ceremonia ſi notat ritum, geſtum, ſitum corporis, quem natura docet, aut qui externè ex interiori commotione affectus triſtitiæ, indignationis, deteſtationis, lætitiæ, amoris, zeli &c. in corpore ſe oſtendere ſolet, quales ſunt e. gr. lachrymæ, gemitus, inclinatio capitis, percuſſio manus, tactus pectoris, extenſio digiti, elatio vocis, ſurrectio & elevatio corporis, exporrecta cervix aut frons &c. dicemus eſſe ſigna naturalia ſeu in

naturâ fundata: de qualibus alibi laudatus nobis (2. *Part. ſelè Diſpp. tit. de Signis part.* 1. §. 4.) *Joh. Bonifacius Tract.* peculiari *tit. L' arte di cenni.* Hæc ſigna ſi in cultu publico & exercitiis appareant, & dicantur Ritus aut Ceremoniæ, quia communia ſunt aliis agendis humanis in familiâ, ſcholâ, foro &c. non præſcribuntur Legibus eccleſiaſticis, nec circumſcribuntur: niſi forte ſpeciali monito aut mandato moderatio ſuadenda ſit alicui aut aliquibus, qui τῷ ἄγαν aut alio quo modo præter decorum hic geſtibus indulgerent. *Reſp.* 2. Si ſignum notet actionem, aut geſtum, aut corporis ſitum, aut habitum, qui publici cultus, æque ac omnium aliorum officiorum & agendorum in ſocietate humanâ ſit neceſſarium medium aut adjunctum; utique patimur Ceremonias dici ſigna. Sic e. gr. cum Concionator antea in ſcamno, aut in ſuggeſto ſedens ſurgit, ſignum eſt eum inchoaturum preces, aut concionem: cum tempore cœnæ concione habitâ de ſuggeſto deſcendit, ſignum eſt eum ad menſam adminiſtraturum cœnam: cùm confert ſe ad pelvim aut ſcutellam, ſignum eſt eum baptizaturum infantes oblatos: cum populus in conventu publico in genua procumbit, aut in pedes ſe erigit, ſignum eſt præparationis ad preces; cum quiſque Libros Pſalmorum aperiunt, ſignum eſt inchoandi cantus. Sed tales geſtus ſeu ritus (ſiquidem ita appellare velis), canonibus Eccleſiæ non præſcribuntur, nec præſcribi neceſſe eſt: nemo enim eſt tam vecors, quem natura non doceat illos adhibere tanquam requiſita & media neceſſaria ad dictos fines. *Reſp.* 3. Si vero ſignum notet geſtus & ritus, qui ex communi uſu hominum in illâ parte orbis, ubi Eccleſia aliqua verſatur, ad decorum caritatem honorem ac reverentiam in civilitate morum, adhiberi ſolent: utique Ceremonia eſt ſignum hoc aliquid ſignificans. Sic e. gr. in templa adventantes & per cœtum eccleſiaſticum tranſeuntes, aut illi ſe inferentes; more noſtro, caput detegunt; alibi, ubi tegmina capitis non tolluntur, caput inclinarent, aut manum capiti, aut ori admoverent. Huc pertinet oſculum pacis, fraternæ caritatis, civilitatis ſignum. Breviter nullus actus aut geſtus externus eſt, qui ſi otioſus non ſit, qui in convictu & converſatione hominum ſignum naturale aut thericum, interioris actus aut intentionis dici non poſſit. Et de talibus ſignis nulla eſt quæſtio: ſed de ſignis formaliter ſacris & religioſis, hoc eſt myſticam ſeu ſacram ex inſtituto ſive divino ſive humano ſignificationem, & conſequenter in fide ac pietate promotionem tanquam per inſtrumentum morale: utique talia ſigna ceremonialia nobis ſuſpecta eſſe debent. Quicunque enim talia per trepidantia ſolummodo effugia, idque ex præſentis neceſſitatis hypotheſi, excuſant magis quam defendunt; ii interiori conſcientiâ negare nequeunt, quod Populi ædificatio & pax Eccleſiæ abſque illis, ſi non longè melius, ſaltem æque promoveri poſſit. Qui vero eadem directè & uſque ad finem defendere conati ſunt, in tales diſtinctionum, hypotheſiôn, conſectariorum, abſurdo-

rum

rum labyrinthos prolapsi sunt, ut non potuerint non ex parte aliquâ πανουργίζειν, aut cum Papatu συμβολίζειν, συγκρητίζειν. Uti hoc ab *Autoribus* modo *citatis* circa Anglicas & ab *Altingio* circa Germanicas quasdam ceremonias, & à *Wendelino Exercit.* 90. circa exorcismum satis superque ostensum est. *VI. Probl.* An omnis Ordo, omnes τάξεις in Cultu publico, in Conventibus & Agendis ecclesiasticis pro arbitrio cujusque Ecclesiæ easdem constituentis, aut hoc tempore observantis, sit ejusdem generis cum Ceremoniis super quibus Reformati à Pontificiis, & iidem inter se dissentiunt? *Resp.* Minime. Si enim Ordo notet (uti propriè notare debet) τὸ prius & posterius agendum e. gr. ut præmittatur cantus concioni aut sequatur concionem, aut ut utrumque fiat; ut primi Psalmi cantum præcedat lectio capitis aut capitum Scripturæ, aut vice versa; ut præmissam lectionem Scripturæ immediatè sequatur cantus Psalmi, aut precatio; ut concio præparatoria ad cœnam pridie, aut octiduo ante (die scil. dominico), horâ matutinâ, aut pomeridianâ, aut vespertinâ habeatur; ut in hoc illove Templo, aut Templis prima aut secunda administratio cœnæ, &c. conciones antelucanæ, aut antemeridianæ aut pomeridianæ aut vespertinæ habeantur; ut Diaconi in mediâ concione, aut ante concionem, aut post finita omnia agenda ecclesiastica eleemosynas colligant; ut iidem aut singuli, aut bini, aut terni, aut quaterni, aut plures, pro multitudine Auditorum, vicissatim & ordine recurrente hoc agant; ut Ministri in consistoriis ordine per mensem, aut trimestre, aut semestre, aut annum munere præsidentiæ aut actuarii fungantur; ut Seniores per vices, incipiendo à primis tempore, visitationi Ecclesiæ, aliisque necessariis agendis incumbant; ut per hyemem aut per æstatem, istis aut illis in Templis plures aut pauciores habeantur conciones, eæque istis aut illis horis inchoentur; ut signo unici, aut duplicis, aut triplicis impulsus campanæ, cum interstitio horæ, aut semi horæ, aut quadrantis Populus ad conciones evocetur; ut Fœminæ istam partem Templi sedentes occupent, Viri vero partim sedentes partim stantes aliam; ut Viris seorsim, absque permixtione Fœminarum prius administretur cœna; ut in majoribus Civitatibus tesseræ distribuantur inter accessuros ad cœnam, quibus in accessu exhibitis à non admittendis dignoscantur; & similes τάξεις infinitæ: quæ cum Ritibus & Ceremoniis in Germaniâ & Angliâ controversis, confundi non possunt, sine insigni æquivocationis fallacia. Omnes quidem pertinent ad specialem ἐπιτήδειον & ἐυχρηστόν, pro ratione particularium circumstantiarum: sicuti omnes aliæ τάξεις, in quibusvis rebus humanis in & à communitate agendis. Sed Ceremonias alibi controversas & jam sæpe designatas, tales esse, ut pari passu cum Ordine ad esse aut bene esse sacrorum & Ecclesiæ necessario, quem nemo sanus negare potest, ire censendæ sint, quin etiam ad majorem ædificationem Ecclesiæ sint imponendæ, ita ut pii ac fideles qui-

Digitized by Google

que Miniſtri vel inviti ad earundem obſervationem præſcriptione Legis pœnalis obligentur, mihi non fit veriſimile. Diſtinguantur modo voces *ordinis*, *ritus*, *ceremoniæ*, quæ ſubinde latius, ſubinde ſtrictius accipiuntur; atque ita inſtituatur diſputatio; & illico patebit quam miſeris πρώτοις & effugiis hæc cauſa agatur. In V. T. ordo ſervatus in profectione exercitus Iſraelitici *Num.* 2., in occupatione & diſtributione terræ Canaan, *Joſuæ* 2. & *ſeqq.* & 13. &c. in diſpartitis functionibus Sacerdotum, & Levitarum 1 *Par.* 24. & 25. in ædificatione muri Hieroſolymitani *Nehem.* 3. diſtinctus fuit à Ceremoniis tum ſacris ſeu divinis, tum humanis in Eccleſiâ obſervandis partim adiaphoris & liberi inſtituti ad commune decorum ſecundum morem gentis, partim neceſſariis & jure naturali ad εὐταξίαν requiſitis. *VII. Probl.* An idem ſit Ceremonia & Symbolum? *Reſp.* Vox Symboli variè accipitur. In genere ſignificat rei alicujus ſignum, notam, indicem. In ſpecie, notam arcanę & latentis rei ſignificativam; quales ferè notæ hieroglyphicæ Ægyptiorum. Hinc etiam dicta Symbola Pythagoræ. Conſtat ergo Symbolum duabus partibus, externâ, & internâ. Illa eminet, & dicitur τὸ φανὸν: iſta latet, & dicitur arcanum, ἀπόῤῥητον. Fit autem συμβολὴ ſeu ſymbolizatio dupliciter vel per figurationem rerum ſenſibilium factam aut coram ſenſibus externis, aut in phantaſiâ, aut immediatè in intellectu, uti in divinis ecſtaſibus: vel per vocis tranſlationem à nativâ ſignificatione ad aliam. Si ſymbolum dicat ſacram divini myſterii per externos geſtus, aut per certa tempora ac loca ſignificationem aut etiam obſignationem, aut ſpeciale ſignum μνημόσυνον, nos nullam Ceremoniam eccleſiaſticam ita dictam illo nomine dignamur, niſi tabulis Juris divini contentam. Sin dicat tropicam aut metaphoricam quam vocis uſitatæ ad divina myſteria explicanda tranſlationem; utique talem non improbamus, modo ſit verecunda, aut uſus Scripturæ nobis præeat. Jam applica ad exorciſmum, aut ad genuflexionem ad menſam, ad nomen Jeſu, in perceptione euchariſtiæ, aut ad confeſſionem auricularem, aut ad album ſuperindumentum, aut ad altaria, candelas, cruces, imagines, feſta ſanctorum &c. & explica Rituum iſtorum Theologiam ſymbolicam. *VIII. Probl.* An idem ſint Myſteria & Ceremoniæ dictæ eccleſiaſticæ ab hominibus inſtitutæ & circa Cultum divinum adhibitæ, aut ſaltem, quorundam judicio, ad majorem devotionem & ædificationem adhibendæ? *Reſp.* Præmiſſâ vocis acceptione & Myſteriorum diſtinctione (de quo *Part.* 2. *ſelect. Diſpp. tit. de Signis part.* 1.) *Negamus* arcani, myſtici, & ſpiritualis quid adiaphoris geſtibus, aut actionibus, aut numeris, aut figuris, aut locis, aut temporibus, aut vaſis, tanquam ſpecialibus & ſacris ſignis, aut inſtrumentis, aut cauſis impetrantibus, ſive phyſica ſive morali efficacia, ineſſe, aut tribui debere. *Durantis Rationale* & iſtius farinæ myſticas Explicationes, non ſine inſigni Scripturæ ſacrę abuſu & profti-

proſtitutione, Cabaliſticis & Thalmudicis Myſteriis Magicis, myſteriis numerorum à *Bongo* enucleatis, *Gaffarelli Curioſitatibus Inauditis*, & ſimilibus operoſis ac ſuperſtitioſis nugis annumeramus. Confer infra *Lib. 4. tit de Templis*; imprimis 3. *Part. ſel. diſpp. tit. de Superſtitione, de Magiâ, de Roſariis, &c.* Nec eſt quod myſteria in Ritibus & geſtibus circa cultum N. T. ad imitationem Ceremoniarum & typorum V. T. fabricari poſſe opinentur: illa enim non erant adiaphora, ſed ſacra ac myſtica à Deo immediatè inſtituta ulque ad tempus correctionis obſervanda, & cum morte Chriſti abolenda. *Hebr.* 9. *Coloſ.* 2. *Galat.* 4. In Eccleſiâ N. T. facta & ſigna ſacra ſeu myſtica propriè dicta, & perpetuò in Eccleſiâ obſervanda nulla agnoſcimus, niſi duo ſacramenta: quibus alia, ſive ſacramenta *ſive ſacramentalia* ita dicta, addi nefas ducimus. Catachreſticè ergo aut voce laxè acceptâ, dicuntur myſtica omnia illa quę in theologiâ non tantum, ſed & in omnibus aliis diſciplinis occulti, abditi, arcani, ſecreti, quid habent: hoc eſt quæ à ſenſibus remota ſunt & quorum ſive affectio, ſive modus operandi, ſive cauſa aut τοῖς πόλλοις aut pluribus ſapientibus omnibus ignota ſunt, aut occultanda putantur. Hinc tituli tractatuum *Corn. Agrippæ de Occultâ Philoſophiâ, Fracoſterii de Occultis qualitatibus, Lemnii de Occultis Naturæ Miraculis; Guſtavi Seleni de Cryptographiâ, Alberti Magni de Secretis herbarum lapidum animalium, & de mirabilibus mundi; Ejuſdem de Secretis mulierum; Alexii Pademontani & Caroli Batti Libri Secretorum; Joh. Bapt. Portæ de Occultis notis literarum; Fernelii de Abditis rerum cauſis; Jamblichi de Myſteriis Ægyptiorum, Chaldæorum &c.* à Ficino editi; *Dion. Areopagitæ* (ita dicti), *Dionyſii Carthuſiani, Joh. à Jeſu Mariâ*, & *Maximil. Sandei de Theologiâ myſticâ*; *Mornei Pleſſiaci Myſterium iniquitatis*; *Bongi de Myſteriis numerorum*; *Clapmarii de Arcanis Rerumpublicar.*; *Gaffarelli de Abditis cabalæ myſteriis*; *Joſſ. Fileſaci tract. de Myſteriis Lib. 2. ſelectorum* inſertus; in quo multa collegit *de Myſteriis ſeu occultandis ſacris* Antiquorum Gentilium, Judæorum, Chriſtianorum, à quorum auditione, aut conſpectu, aut participatione τοὺς τυχόντας arcebant; Gentiles ſcil., catechumenos, energumenos, pœnitentes. De quo *Antiquæ liturgiæ & canones.* Inter myſteria Chriſtianis idiotis occultanda numerat Fileſacus dogmata, quæ à prædicationibus diſtinguit. Rationes quas ab obſcuritate ſcripturæ, aliiſque incommodis pro occultatione myſteriorum ibidem afferre, & teſtimoniis antiquorum munire conatur, ſophiſtico aliquo elencho laborant: conſequenter nullæ. Sed hujus loci non eſt eas juſto examine perſequi. Interim viri illius eruditio, & multa lectio elogio ſuo privanda non eſt. Nec prætereundus liber Rabbinicus tit. *gale raſaia* id eſt revelans arcana: ad cujus tituli imitationem *Julius Conradus Otto* ex Judęo Chriſtianus hebr. linguę in Acad. Althorfinâ profeſſor *Tract.* ſuum latino-germanicum *pro Fide Chriſtianâ c. Judæos* a. 1605. vocat *gali razia*, id eſt, occultorum detectionem. De myſti-

co

co ſale agit *Bernardinus Gomeſius lib. 4. Diaſcepſeon de Sale.* De occulto & myſtico ſacræ ſcripturæ ſenſu Rabbinorum, *Conſt. L' Empereur in Prolegom. ad Helichot Olam.* & de Rabbinorum allegoricis commentariis dictis דרש'ם, & מדרש'ם eorumque variis generibus, *Buxdorf. in Lexico Rabbin.*, & paſſim in *Bibliothecâ Rabbinicâ:* ubi farraginem illorum ſcriptorum indicat. Et *in Synag. Jud.* ubi ſpecimina myſticarum expoſitionum adducit. Huc refer myſteria cabaliſtica, pro quibus fanaticè curioſus *Gaffarellus* anno 1625. Tractatum ſcribebat tit. *de Abditis divinæ cabalæ myſteriis:* ubi tum cabalam contra *Raguſejum*, tum *Franciſcum Georgium in Problematis ſuis cabalizantem contra Marinum Marſennum* defendere intendit. De *Cabala* nos *Part.* 3. *Select. Diſpp. tit. de Superſtitione*, in fine, ubi complures autores citantur. De Pontificiorum ſenſu myſtico ſeu allegorico vide *Raynoldum in Libr. Apocryphos Part.* 2. *lect.* 96. & *Wittakerum, Rivetum, alioſque in Controverſiis de Scripturâ.* De literarum myſticâ & arcanâ vi, an ſcil. iis aliqua inſit, diſquiritur apud *Hermannum Hugonem, de primâ ſcribendi origine cap.* 29.: ſed qui ibid. perperam concedit, modum *Johannis Davidis* Jeſuitæ per numeros in circumvolutione totulæ apparentes indicium deprehendendi ſententiam, quam quis ſibi dictam & inſpiratam exiſtimet. Conferat, cui vacat, 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Superſtitione & de Magiâ.* De etymo, ſynonymo, & ſignificatione vocis *myſterii*, inprimis in Scripturâ, antehac egimus 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Signis.* Plura qui deſiderat, conferre poterit *Ludov. Balleſter in Onomatographiâ, Matth. Martinum in Onomaſtico, Fileſacum loco cit.*

§. 4. *IX. Probl.* An Ritus in ſe & propriè Adiaphori, ſemper tales maneant, etiam mutato tempore & ſtatu Eccleſiarum; an vero Adiaphoriam amittere aut exuere poſſint, & quomodo? *Reſp.* 1. *Concl.* Per præcepta Eccleſiæ, purè & propriè dicti Ritus Adiaphori nec facti ſunt, nec debent fieri neceſſarii. Non Eccleſiæ univerſalis: quia eam alicubi legitime & conciliariter convenisſe poſt tempora Apoſtolorum, hactenus nemo probavit; aut eam aliquando conventuram, nemo affirmare poteſt. Nec etiam Eccleſiæ ſive Orientalis, ſive Occidentalis. Nec Eccleſiæ proteſtanticæ, ſeu reformatæ, jam inde à reformatione Lutheri. Ubi enim & quando illa legitime in Synodo congregata fuit? & ſi congregata fuiſſet, quo præcepto ſuo omnibus Eccleſiis ſive ante Lutherum (in Galliâ, Pedemontio, Bohemiâ, Moraviâ, Poloniâ) ſive poſt Lutherum (in Germaniâ, Helvetiâ, Rhætiâ, Hungariâ, Tranſſylvaniâ, Daniâ, Succiâ, Belgio, Angliâ, Scotiâ) collectis, Adiaphora illa feciſſet neceſſariâ? immo quomodo facere potuiſſet, magis quam Eccleſiæ ante Lutherum reformatæ, Waldenſium ſcil., & Huſſitarum; aut quam Eccleſia Pontificia in Saxoniâ aliiſve Germaniæ partibus ante annum 1517. ſua quæque Adiaphora ſuccedenti Eccleſiæ Lutheranæ aut Proteſtanticæ neceſſaria facere potuit. Hinc colliget lector,

lector, benignè exponenda illa, quæ habet Henricus Eckhardus in Opuſculo de Ordine eccleſiaſtico & Politico part. 2. p. 165. *Etiamſi Ritus adiaphori in ſe conſiderati liberæ ſunt obſervationis, tamen quatenus ab Eccleſiâ autoritate publica ſunt recepti, & ad ſervandum commendati, fiunt neceßariæ obſervationis, nec privato arbitratu à quoquam mutari aut ſperni poſſunt.* Applicetur hoc ad Ritus Lutheranorum, de quibus ſupra *cap.* 5. Et dicatur quando & à quibus publica autoritate eccleſiaſtica inſtructis, legitime aut mandati aut ad ſervandum commendati fuerint, ſic ut obſtringant in conſcientiâ Eccleſias omnes in Germaniâ, Bohemiâ, Poloniâ, Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Daniâ, Sueciâ, Helvetiâ, Rhętiâ, &c. & ſi quæ alibi in Europâ aut extra eam aut tempore Papatus latuerunt, aut poſt annum 1517. emerſerunt, aut in poſterum colligi poſſent. An autoritatem Eccleſię contemtam putat, cum dictos ritus aut pleroſque, Eccleſiæ quædam Germanicę, etiam ex Lutheranis (tum in Germaniâ tum in Belgio) & pleræque Eccleſię reformatæ extra Germaniam, omiſerunt, aut ſuſtulerunt? Sed inquiet, *privato arbitratu à quoquam mutari aut ſperni non poßunt.* Quid hoc ad alias Eccleſias tum intra tum extra Germaniam ſive provinciales ſive territoriales ſive nationales? An omnis publica autoritas eccleſiaſtica aut ante aut poſt Lutherum ſic contracta eſt ad Eccleſias quaſdam aut Doctores in ſcholis, aut Superintendentes & Concionatores aulicos, aut potius ad Principes quoſdam in Germaniâ, ut reliquæ omnes ad Ritus earum Adiaphoros magis alligentur, quam ipſę ad Ritus aliarum Eccleſiarum: & omnis omiſſio aut ſublatio iſtorum Rituum privato arbitratu & cum contemtu autoritatis publicæ facta dicatur. Velim Theologi illi explicent quis ſit totius Eccleſiæ conſenſus (quem *Eckhardus p.* 269. requirit), & una examinent objectiones & criminationes Pontificias, nominatim Cornelii Janſenii contra mutationem à Luthero, & Miniſtris atque Eccleſiis ὁμοψήφοις factam primum Witebergæ, deinde in viciniâ, & ſic per alias Germaniæ partes, non tantum in Ritibus, & in Regimine, ſed etiam imprimis in doctrinâ. Quod ſi ea reſponderint, quæ nos in *Deſperatâ cauſa Papatus Lib. 2. Sect.* 1. & 2. aut ſi quid rectius iſtis noverunt, utique propter omiſſionem dictorum Rituum omnes alias Eccleſias Germanię aliarumque Nationum, cum Photinianis non component, uti facit *Mentzerus in Exegeſi Auguſtin. Confeſſ. loc. cit.* Præſertim cum factum in Socinianis longe aliter ſe habeat. Illi enim apud Smalcium c. Theſes Francii diſp. 5. pag. 386. ſic ſtatuunt: *In tractatu hoc de Adiaphoris, quia cum Lutheranis facimus in pleriſque, non eſt quod apponamus vel annotemus. Nos enim ii ſumus, qui multa ad tempus ferre didicimus per gratiam Dei, & ceremonias honeſte ſepeliendas eße novimus.* 2. *Concl.* Tutius & certius per decreta aut pręcepta Synodi quaſi generalis (nam univerſæ & proprie dictę generalis hoc eſt Eccleſiarum totius orbis vix haberi poſſunt) aut nationalis, aut

provincialis prohibentur Ritus in ſe & per ſe Adiaphori ſed propter circumſtantias Adiaphoriam nunc exuentes. Quando autem Adiaphoræ eſſe deſinant nos *Part. 2. ſel. Diſpp. tit. de Idololatria indirecta*, & ex Theologis noſtris. *Aretius part. 2. Probl. tit. de Adiaphoris*, aliique paſſim indicarunt. Sed malo illud nunc definire ex Eckhardo tract. modo cit. p. 165. *ἀδιαφορίαι reſpectum aliquando exuunt, & res mediæ eſſe deſinunt. 1. Quando publica eccleſiæ autoritate propter certas cauſas & circumſtantias vel prohibentur &c. 2. Quando ad ædificationem non amplius proſunt, ſed illi potius obſunt & illorum uſu pario vel infirmis ſcandalum, vel manifeſtam peccandi occaſionem præbet. Exemplo eſt uſus ænei ſerpentis* 4. Reg. 18. 5. *& manducatio idolothytorum.* Rom. 14. 16. *&* 1. Cor. 8. 22. 3. Quando *vel ab hoſtibus noſtræ fidei &c. tanquam res neceſſariæ urgentur, &c.* Daniel. 6. 10. Gal. 2. 34. Adde ex Libro Concordiæ, Epit. artic. c. 10. de Ceremoniis, &c. *Sed hæc non ſunt vera Adiaphora, quæ neque ad obſervandum bonum ordinem, neque ad piam diſciplinam conſervandam, neque ad ἐυταξίαν in Eccleſia conſtituendam quiquam conferunt: ſed præter inutiles nugas & puerilia ſpectacula nihil habent.* Nunc applica ad Ritus, propter quorum omiſſionem aut ſublationem controverſia nobis movetut à Lutheranis, & ſyncretiſmus cum Photinianis impingitur: quos ita enumerat Eckhardus p. 148. uti ſupra ex Himmelio retulimus. *Obſervantiæ*, inquit, *ceremoniales, quas Eccleſiæ Auguſtanam confeſſionem amplectentes inter res medias cenſent, fere ſunt hæ &c.* ubi ſupra ab Himmelio recenſitis adduntur *in Baptiſmi adminiſtratione* prima immerſio patrinorum ſparſio, nominis impoſitio, fidei profeſſio. *In Miniſtrorum ordinatione*, manuum impoſitio. *In Sabbathi obſervatione*, diei dominicæ & aliorum feſtorum obſervatio, &c. Sed plerique additi à noſtris ſublati non ſunt. Quid de ſingulis cenſendum, alibi dicemus. Nos converſos & à noſtris ſublatos adiaphoriam jam exuiſſe putamus eo modo, quo in genere ab Eckhardo determinatum eſt. Si illi in hac quæſtione & applicatione ad dictos Ritus aliter ſentiant, & eorum uſum adhuc adiaphorum eſſe putent (quod nos tamen nondum videmus, nec illi demonſtrant); cur nobis abſtinentibus jugum hoc contra conſcientiæ noſtræ ſenſum imponere ſatagunt? aut cur libere & jure noſtro abſtinentes tam rigide condemnant, verbis *Eckhardi loc. cit.* & *Mentzeri in Exegeſi*, & *Polycarpi Lyſeri* ſupra *cit.* Nec dicere poterunt de Reformatis, abſque publica autoritate Eccleſiæ aut Eccleſiarum tum territorialium in Germaniâ (e. gr. Palatinæ, Haſſicæ, Bremenſis, correſpondentiæ Wetteravicæ, Clivenſis, Juliacenſis, Bergenſis, Marcanæ, &c.) tum integrarum nationalium extra Germaniam (Anglicæ, Scoticæ, Polonicæ, Bohemicæ, Helveticę, Belgicæ, Ungaricæ, Tranſylvanicæ), privato cujuſvis *arbitrio* vel *libitu* ſecundum *fanaticorum Opinionem* (ut loquitur *pag.* 163.) hoc factum eſſe. Aliter teſtantur Eccleſiarum Confeſſiones,

Cano-

Canones Eccleſiaſtici, & Liturgiæ à Synodis aut ab illis, penes quos tunc poteſtas & potentia erat, ordinatâ. Sed excipiat quis, omnia hæc privato auſu, & ἀπάτως tentata eſſe ab Eccleſiis & Nationibus modo nominatis, quia non niſi volente & jubente Eccleſiâ Auguſtanæ Confeſſionis tale quid fieri debuit. *Reſp.* 1. Unde probant cujuſcunque temporis, loci, ſtatus, Eccleſias ad eadem omnino Adiaphora teneri. Quomodo tunc erunt & dicentur Adiaphora? & cur libertatem ſuam hic vindicant in *Apologia Auguſt. Confeſſ. cap.* 15. & *in Confeſſ. Wittenbergicâ artic. ult.* 2. Unde probant, ſibi libertatem competere Ritus adiaphoros tum inſtituendi & obſervandi, tum à Papatu inſtitutos retinendi aut mutandi: aliis vero non? 3. Unde probant, ſe ſolos partem habere in Auguſtana Confeſſione; reliquos omnes ab ejus communione excluſos? 4. Unde probant ſolos illos, qui in externâ & explicitâ communione Eccleſiarum Auguſtanę Confeſſionis, ſeu potius Concordiſtarum vivunt, eſſe veram Dei Eccleſiam, penes quam ſolam ſit autoritas mutandi aut retinendi ritus Papales & de ἀδιαφορίς peremtorie ſtatuendi; & per conſequens Eccleſias jam diu ante Lutherum (Waldenſes ſcil. Bohemicas, Moravicas, Polonicas, Pedemontanas), & ſimul cum Germanicis (ut Helveticas) & ſic deinceps in Angliâ, Scotiâ, Belgio, Friſiâ Orientali reformatas omni libertate & autoritate deſtitutas. 5. Nec video Concordiſtas nomine Eccleſiæ inſignitos publicâ aliquâ in Synodo, ne quidem in Auguſtanâ Confeſſione aut in Apologiâ, aut in Articulis Smalcaldicis, aut in Epitome Articulorum, aut in aliquâ aliâ communis conſenſus formulâ, controverſa Adiaphora in ſpecie determinaſſe. Fruſtra ergo nomen & publicam autoritatem Eccleſiarum prætendunt: niſi in Doctores & Scriptores quoſdam omnem veræ Eccleſiæ rationem atque autoritatem contractam eſſe velint. Prius inter ſe conſentiant in accenſis cereis, exorciſmo &c. antequam publicam Eccleſiæ autoritatem nobis obtendant. 6. Denique ne communi quidem praxi controverſi illi Ritus, in ipſorum Eccleſiis, Germanicis, Danicis, Suecicis, Belgicis, recepti ſunt. IV. *Probl.* Quid judicandum de *Eckhardo Lib. cit. p.* 148. 149. ubi Reformatis ampingit, quod elementa utriuſque ſacramenti ſubſtantialia inter Adiaphora, contra panis fractionem & ſymbolorum in manus acceptionem inter ſubſtantialia cenſeri volunt (*Bezæ epiſt.* 2. & 25. Bucanus in Inſtit. loco 48. qu. 26. 27. 32.) unde concludit *eos tyrannidis in Eccleſia non tolerandæ, & faſtus ac ſuperbiæ prorſus Antichriſtianæ notam atque reatum incurrere.* *Reſp.* Eum affectibus indulgere: uti patebit citatos Autores inſpicienti. Inique etiam particularis opinio circa particularem neceſſitatis caſum, in communem Eccleſiarum noſtrarum ſententiam transformatur. Paulo ante profeſſus erat: in *illis ceu liberis obſervationibus Eccleſiam ſuam neminem judicare, & viciſſim ab aliis judicari nolle.* Confer *Canones* ipſius *de Uſu Adiaphororum p.* 166. 167. 168. v.

Digitized by Google

Probl. An quando falsi Fratres aut alii qui à Confessione & Religione nostra dissentiunt, nos urgent ut Ritum aliquem vel jam pridem antiquatum post-luminio in Ecclesiam reducamus, vel à multis inde annis receptum abrogemus, pacis redimendę ergo hic credi possit, vel debeat? *Resp.* quæstionem hanc in forma sic proponit *Eckhardus pag.* 169. & dicit Ecclesiam (Lutheranam seu Protestanticam) semper tenuisse partem negantem: & citat *Responsionem à Nicol. Gallo, Illyrico, & Ambsdorfio ad Concionatores Misnenses* tempore certaminis Interimistici perscriptam. Sententiam hanc probat exemplis *Dan.* 6. *v.* 11. *Galat.* 2. *v.* 11. 14. & variis rationibus. Quas fateor contra adiaphoristas Interimisticos, & contra Rituum legitime abrogatorum restitutionem, aut novorum obtrusionem, rectè concludere. Sed longe alia ratio est, si petatur omissio Ritus ex Papatu retenti, ut accensi cerei, placentulæ orbicularis, imaginum, exorcismi. Sic *Paulus Galat.* 2. 11. asserendæ veritatis, & libertatis Christianæ ergo, evitandæ etiam apparentis symbolizationis cum errore aut superstitione, præveniendi denique omnis scandali & periculi, omisit circumsionem ex Judaismo reliquam, sed tanquam Adiaphorum quid pro tempore & aliquo in casu antea adhibitam. Et omnino distinguendum est inter omissionem, & commissionem. Illa sæpe proximi lucri faciendi causa, & pacis redimendæ in rebus pure Adiaphoris obtinere debet, ubi ista non debet. Verba Eckhardi de *falsis fratribus, deque à religione & confessione dissidentibus*, quæ Marpurgensi mutationi, quod ad fractionem panis, an. 1600. *ibidem* applicat, hic non examinabo: quod non tantum dogmatum sed & multorum factorum excussionem posi se trahant, & nimis longè à proposito nos abduceret. Videat, quem hoc tangit, *Joh. Crocii* theol. Marpurgensis, *tract. tit. de Augustanæ Confessionis Societate.* VI. *Probl.* An necessaria sit conformitas Rituum in omnibus Ecclesiis, ita ut absque ea unitas fidei & Ecclesiæ consistere nequeat? *Resp.* Hanc quæstionem movet *Eckhardus p.* 186. & recte in partem negantem determinat, adductis quatuor argumentis & testimoniis *Augustini Epist.* 86. *ad Casulanum* & *Gregor. M. Lib.* 1. *Epist.* 41. Unde puto consectarium hoc deduci posse: Non esse introductiones, aut usurpationes, aut omissiones Rituum & ordinum peristaticorum (qui scil. directè aut per necessariam consequentiam ex Jure divino aut naturali non deducantur) secundum particulares circumstantias, ab Ecclesiâ universa synodaliter aut aliâ quavis ratione determinandas. Si enim causæ eorum vicissitudinem, mutationem, & diversitatem pro diversitate locorum, temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum patiuntur (uti pro sua sententia hoc urget *Eckhardus*) quomodo ab Ecclesiâ universa aut Synodo universali, recte hic determinabitur, cui particulares circumstantiæ particularium Ecclesiarum ignotæ sunt? Et quomodo libere pro ratione circumstantiarum hic statuent atque

agent

agent particulares ſive nationales, ſive territoriales, ſive provinciales, ſive urbicæ &c. Eccleſiæ, ſi Ritus Decreto univerſali ipſis communiter ac pariter imponantur. Velim explicentur termini *Eccleſiæ* & *autoritatis publicæ*, per quam ſolam Ritus conſtitui, retineri, mutari vult *Eckhardus p.* 163. 164. Si enim per Eccleſiæ publicam autoritatem nec antiquam Eccleſiam, nec Eccleſiam intermediæ ętatis, nec corruptam Eccleſiam Papalem in Occidente, nec Eccleſiam in Oriente, ſed ſolam Lutheranam eamque vel priorem ante Librum Concordiæ, vel poſteriorem (Concordiſticam ſcil.) intelligi vult, quęro, quando, ubi, quomodo illa ſola (ſecundum ipſos) catholica & vera Eccleſia convenerit, & autoritate ſuâ ritus controverſos ab omnibus Eccleſiis & Miniſtris retinendos ſtatuerit? Et dato hoc factum, quomodo tunc libertas ſarta tecta manſit? Nec ſolvitur nodus, ſi dicatur, ſaltem non debere eſſe *in cujuſvis poteſtate & arbitrio poſitum Ritus ab Eccleſiâ publice receptos & approbatos pro libitu vel uſurpare vel omittere, ut fanatici opinantur. Ejuſmodi enim arbitraria & promiſcua Rituum neglectio repugnat caritati* &c. Explicetur, an per *quoſvis*, intelligantur ſinguli Fideles, aut ſinguli Miniſtri, iique aut ſolitarii in ſua particulari Eccleſia, aut ſocii: an vero intelligantur omnes aliæ Eccleſiæ in Oriente & Occidente, extra Lutheranam communionem viventes: an denique Lutheranæ Eccleſiæ particulares, ſive nationales, ſive provinciales, ſive diſtrictuales &c. Adhæc explicetur quinam illi fanatici ſint, qui cuivis homini Ritus publice recepti & approbati promiſcuam uſurpationem & omiſſionem concedant. Denique explicetur, qui & quales ſint Ritus, quos dicti illi fanatici affirment promiſcue à quovis uſurpari aut omitti poſſe. Video hic pro libitu & promiſcue circa ſtatum controverſiæ omnia involvi, occultari, perverti. Ubi præmiſſis terminorum præcognitionibus, theſes & antitheſes candide ptopoſuerint, videbunt quam dextre & feliciter in Noſtros hactenus incurrerint. Audiatur Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 10. per totum: cujus verba §. 27. ſolummodo hic exhibemus: *At quum in hominum moribus tanta inſit diverſitas, tanta in animis varietas, tanta in judiciis ingeniisque pugna: neque politia ulla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta: nec ſine ſtata quadam forma ſervari ritus quiſpiam poteſt. Huc ergo quæ conducunt leges tantum abeſt ut damnemus, ut his ablatis, diſſolvi ſuis nervis Eccleſias, totaſque deformari ac diſſipari contendamus. Neque enim haberi poteſt quod Paulus exigit, ut decenter omnia & ordine fiant niſi additis obſervationibus, tanquam vinculis quibuſdam ordo ipſe & decorum conſiſtat. Id tantum ſemper in iſtis obſervationibus excipiendum eſt, ne aut ad ſalutem credantur neceſſariæ, atque ita conſcientias religione obſtringant, aut ad Dei cultum conferantur, atque ita in illis reponatur pietas.* Notum eſt à principibus proteſtantibus in Diætâ Francofurtenſi a. 1531. quæſtione motâ de Ceremoniarum conformitate inſtituendâ, *omiſſum fuiſſe illud conſilium, ne parti adverſæ viderentur*

derentur novum moliri Papatum, & inde Leges cadere, quod multum damni & offendiculi esset daturum. Placuit, itaque *ut singuli Status eam in occasione rationem ineant, quæ verbo Dei congruat, nihil deroget, & ad proximi ædificationem faciat.* Anno 1532. Schuinfurti, & a. 1539. Francofurti in eadem sententiâ firmiter persistebant. Hæc ex actis, fide laudati modo *Crocii quæst. 4. cap.* 68.

CAPUT. VIII.

Quæstiones de Ritibus aliquot in particulari, de Manuum Impositione, de Osculo, de Abstinentiâ à suffocato & sanguine, de Ritu matrimoniali, de Chrismate, de Velamine Mulierum in Ecclesiâ, de Excussione pulveris pedum, de Agapis, de Ritu confœderationis, de Lotione pedum.

§. 1. SEquuntur Problemata de Ritibus non quidem omnibus, sed aliquot selectis solummodo in particulari, quorum Scriptura meminit. De reliquis fere innumeris, qui in Libris V. & N. T. aut in Scriptoribus ecclesiasticis antiquis, mediis, novis, novissimis occurrunt, *Tractt. & Libris sequentibus, & part. 2. ac* 3. ad singulas res, personas, actiones ecclesiasticas, quibus adhærent, ubi ita visum fuerit, aliquid dicetur, saltem per ἀνάδειξιν & Autorum indicium. Inter Ritus in scripturâ memoratos est χειροθεσία: quę cum quadruplex in Scripturâ. N. T. compareat; de singulis singula formabo Problemata. 1. *Probl.* Quid de Ritu Impositionis manuum in miraculis. *Marci* 16. *v.* 18. & 6. 13. *Resp.* 1. *Concl.* Eum fuisse pure arbitrarium, & libere aut adhibitum aut omissum; non vero necessarium necessitate sive medii (tanquam causæ physicæ aut moralis,) sive Præcepti divini. Quomodo de unctione, de luto, de sputo, de digiti immissione in aures, *Marc. 7. Joh. 9.* & similibus judicandum. 2. *Concl.* Fuisse extraordinarium, ideoque à Fidelibus aut Ministris simili in casu & simili cum intentione non adhibendum, nisi extraordinario dono miraculorum instructi fuerint. Confer *Part. 2. sel. Disp. tit. de Miraculis.* 11. *Probl.* Qualis Ritus Impositionis Manuum in benedictione. *Hebr. 6. v. 2. Resp.* Fuisse Ritum ordinarium, sed Adiaphorum atque arbitrarium Dei & Ecclesię Ministris tum ordinariis tum extraordinariis usitatum in vovenda, etiam nomine Dei denuntianda aut promittenda illis benedictione, quibus manum imponebant, aut quos manu tangebant. Conferatur exemplum veteris Testamenti *Gen.* 48. *v.* 14. 17. 19. & typus *Lev.* 5. & 16. Paulo alius fuit Ritus à Sacerdotibus V. T. *Num.* 6. *v.* 27. & à Christo benedicente adhibitus. *Luc.* 24. Videantur *Commentatores ad loca citata.* Extensio manus versus benedicendum, aut impositio manus super illos, notabat, & designabat singulariter eum aut eos, quibus benedicebatur. Extensio manus ad cœlum, gestus erat precantium & de cœlo

Digitized by Google

cœlo benedictiones quasi accersentium & in benedicendos derivantium. In antiquâ Ecclesiâ à Pastoribus aut Presbyteris manus baptizatis adultis imponebatur, quibus nomine Dei benedicebant, eosque precibus suis Deo commendabant. De quo consule *Commentatores ad Hebr.* 6. 2. Quod autem veteres quidam hunc Ritum appellant sacramentum, voce hac late accepta (quomodo & lotionem pedum *Joh.* 13. de quo supra, aliaque complura *signa* per denominationem externam dicta *sacra*) id factum quod proxime sacramento baptismi peracto subjungeretur. III. *Probl.* Quid statuendum de Impositione Manuum *Actor.* 8. & 19. 6. coll. cum *Hebr.* 6. *vers.* 2. *Resp.* 1. *Concl.* fuisse signum, aut arbitrarium & adiaphorum libere & extraordinario ab Apostolis in collatione charismatum adhibitum, haut aliter ac in patratione miraculorum: aut divinum & necessarium necessitate præcepti divini, tanquam sacramentum extraordinarium divinitus præceptum, ut extraordinariam rem signatam significaret atque obsignaret. Confer *Part.* 2. *sel. Disp. de Charismatis.* 2. *Concl.* A nemine tamen tali in casu & eo fine adhibendum, nisi potestate apostolicâ, aut extraordinario Dei dono & mandato instructus sit. 3. *Concl.* Unde sequitur, male illud transformari in ordinarium Ecclesiæ sacramentum. Adi sis *Chemnitii Examen Concil. Trid.* & *Chamierum*, *Amesium*, *aliosque Papatus Antagonistas*, ubi disputant de *Sacramento Confirmationis*; & *Didoclavii Altare Damascenum pag.* 347. & *seqq.*; *Riveti Catholi. orthod. tract.* 3. *qu.* 9. *Eiusdem scripta c. Grotium ad artic.* 13. IV. *Probl.* Quid statuendum de Impositione Manuum in ordinatione seu constitutione Ministrorum, de qua 1. *Tim.* 4. & 5. *Resp.* Pontificii ordinem faciunt sacramentum, ejusque materiale hanc manus impositionem apud *Corn. à Lapide in Comment. ad loca cit.* Opinionem hanc refutatam vide ab *Antagonistis eorum.* Lutherani quamvis inter Ritus adiaphoros numerent (apud *Eckhardum loco cit.*); mystici tamen aliquid & necessarii in eo sibi reperisse videntur, quoties nostros ἀδιαφορίαν hujus Ritus agnoscentes perstringunt. Nostri, quamvis variis in locis & forte in plerisque Ecclesiis hunc Ritum adhibent, tamen eum mere Adiaphorum esse judicant. Vide *Piscatorem*, *Daneum aliosque Commentatores in priorem Epist. ad Tim.* & *in Act.* 6. & 13. & *Altingium in Exeg. Aug. confess. p.* 90. Ritus hic in Synagogis, Scholis, & Politiâ Judęorum communiter usitatus, ab Apostolis inde desumtus videtur: quæ est sententia *Calvini in Comment. ad Act.* 6. & 13. *& Lib.* 4. *Instit. cap.* 3. §. 16. Dicat forte quis, peculiare & extraordinarium charismatis in primâ illâ plantatione euangelii ut Presbyteris imprimis necessarii, sic à Deo extraordinario promissi & passim collati *Marc.* 16. *v.* 17. *Actor.* 6. 8. & 9. & 19. & 2. *Tim.* 1. *v.* 6. esse signum; quo modo & fine non esse nobis tanquam Ritum adiaphorum imitandum: ubi enim res signata non promittitur, signum frustra & temere adhibetur. Ab hac sententia nonnulli

Reformati,

Reformati, præsertim qui Ritum illum non adhibent, alieni non essent, nisi obstare viderentur loca *Act.* 13. 1 *Tim.* 4. ubi ordinariis Presbyteris actus hic tribuitur: atqui Impositio Manus in casu conferendorum charismatum solis Apostolis competebat, uti videre est *Actor.* 8. *v.* 14. 17. & nos ante hac notavimus *in Disp. de Charismatis.* Forte etiam dici posset tantum phrasi hac metonymico-metaphoricâ, à typis, benedictionibus, & praxi synagogicâ V. T. tractâ significari ipsam designationem, electionem, constitutionem, vocationem ecclesiasticam Ministrorum. Et hoc quidem textibus 1 *Tim.* 4. & 5. aptari posset, cum *Calvino in Commentar. ad* 1. *Tim.* 5. Sed textibus *Actor.* 6. & 13. nullo modo convenit: ibi enim in constitutione Ministrorum, manus impositæ sunt. Certum ergo est Ritum hunc in apostolica Ecclesia fuisse. Sed *I. Quæritur*, Unde & quomodo Apostoli Ritum hunc mutuati sint: an à victimis, quibus manus imponebat sacerdos *Levit* 1. & 8. & hoc præfert *Daneus in Comment. ad* 1. *Tim.* 5. An à typicis personarum benedictionibus tum ordinariis *Gen.* 48. 14. *Levit.* 9. 22. Quod *Calvino Lib.* 4. *Instit. c.* 3. maxime arridet. *Tossanus in Comment. ad Act.* 6. ad utrumque V.T. Ritum in sacrificiis scil. & in publicis benedictionibus adhibitum, respici putat. An vero à more Judęorum sive scholastico, sive Ecclesiastico; qui in promotione alicujus ad Rabbinatum, manum ei imponebant, seu manum suam in ipso seu super ipso fulciebant: quod illis סמך *samach*, unde סמיכת ידים *semichat jadaim*; 1. fulcimentum manuum. (De quo vide *Buxdorfium in Lexico Rabbinnico*): quod nonnullis non displicet. *II. Quæritur*, An passive χρεωδικῶς & quidem œconomicam ac ceremonialem, ad tempus tunc retinuerint; ne Judæi in ipso limine prædicationis euangelii offenderentur: haut aliter ac Abstinentiam à suffocato & sanguine *Act.* 15. & Ritus voventium vota *Act.* 21. *vers.* 24. 26. & circumcisionem *Actor.* 16. ad tempus admisere. An vero analogicè tantum imitati sint impositionem manuum in V. T. usitatam. Utramque sententiam refert *Daneus in* 1. *Timoth.* 5. sed posteriorem præfert. Idem sentit *Calvinus loc. cit. III. Quæritur*, Quid significaverit hic Ritus. *Resp. Calvinus loc. cit.* & *Daneus*, & *Tossanus in Actor.* 6. duo, notant, ut sciret ordinatus se totum Deo asseri & destinari & ut per publicam orationem Presbyterii & Ecclesiæ pro ordinato (quæ Ritum illum adjunctum habet) dona necessaria illi à Deo conferantur. Plura alia significata habet *Zegedinus in Locis commun. p.* 209. Sed præstat in talibus parcissimos nos esse: cum ex Scripturis fines tales hujus Ritus solidè probari nequeant. *IV. Quæritur*, an tanquam mysticum seu sacrum signum significaverit, idque ex mandato & Jure divino. *Resp.* Hoc ex Scripturâ probari nequit: nec communi Ecclesiarum sententiâ hoc statutum est. Quin immo contrarium potius determinatum videtur cum in confirmatione Seniorum, & Diaconorum (de quibus *Act.* 6.)

semper

ſemper in noſtris Eccleſiis omittitur: alicubi in confirmatione Miniſtrorum: Quidquid ſit nihil ultrà Ritum adiaphorum & communem hinc elici poteſt: non verò myſticum aliquod aut ſacrum, ſive ſacramentale, ſive ſacramentum aut ejus materiale, ut Pontificii volunt, apud *Corn. à Lapide in Commentar. ad Actor. 6.* & 13. 1. *Tim.* 4. & *Bellarmin. in Controverſ.* ubi varias ſuorum opiniones recenſet. Confer ipſius *Antagoniſtas*, & *Chemnitii Examen. V. Quæritur*, an ſemper hic Ritus adhibendus; & an exemplum apoſtolicum faciat nobis regulam? *Reſp.* Calvinus Lib. 4. Inſtitut. cap. 3. §. 16. inclinat in Aff. cum dicit, *quia tamen in perpetuo fuiſſe uſu Apoſtolis videmus, illa tam accurata obſervatio præcepti vice nobis eſſe debet.* Et paulo poſt: *Nam ſi nihil fruſtra Spiritus Dei in Eccleſiâ inſtituit, hanc cæremoniam, cum ab eo profecta ſit, ſentimus non eſſe inutilem, modo in ſuperſtitioſum abuſum non vertatur.* Quod ſi hæc in rigore accipiantur, erit Ceremonia Juris divini ac perpetui, & conſequenter formaliter ſacra ac myſtica; ſaltem in ſignificando. Peccarent ergo illæ Eccleſiæ reformatæ, quæ eam omitterent: quales arbitror fuiſſe & eſſe etiamnum nonnullas. Immo peccarent omnes Eccleſiæ reformatæ, quæ exemplo Apoſtolorum (*Act. 6.*) eam non uſurpant in confirmatione Diaconorum. Sed revocanda hæc *Calvini* verba ad moderatiorem ſententiam *Melanthonis*, *Martyris*, & ipſius *Calvini* alibi differentis, & cum iis Toſſani in 1. Timoth. 5. quæ ſtatuit, *noſtras Eccleſias illum ritum non aſpernari, & conducere ut ordinati excitentur ad reverentiam miniſterii.* Quibus adde illos, qui exſertis verbis dicunt eſſe Ritum adiaphorum. *VI. Quæritur*, Si & cum adhibetur hic Ritus, ab Epiſcopo, an à tribus aut pluribus Epiſcopis, an ab uno Preſbytero, an à pluribus, aut omnibus illic præſentibus adhibendus ſit. *Reſp.* De Epiſcopis eorumque poteſtate alibi diximus. Quod ad Preſbyteros, unus an plures manus imponant, putamus eſſe Adiaphorum. Videantur *Commentatores ad loca cit. VII. Quæritur*, Quæ & qualis Manuum impoſitio, quâ antiqui utebantur in receptione hæreticorum? *Reſp.* Si quidem Clerici erant, credendum eſt voluiſſe eos hoc ſigno manſionem & continuationem eorum in Clero coram totâ Eccleſiâ indicare, ſicuti eodem ſigno eoſdem in Clericos & Eccleſiæ Miniſtros primum ordinarant. De Clericis Catharis ad Eccleſiam redeuntibus Concil. Nicen. can. 8. Ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὅτι χειροτονούμενοι οὕτως μένωσιν ἐν τῷ κλήρῳ, id eſt, *viſum eſt ſanctæ & magnæ ſynodo, ut acceptâ manuum impoſitione ſic in Clero maneant.* Sed Epiſcopis & Presbyteris lapſis ſive in alias quaſcunque hæreſes, ſive in gravia delicta, hanc permanentiam in munere & ſtatu eccleſiaſtico priori, & quidem adhibitâ ſolâ manuum impoſitione non concedebant. *Can.* 1. *Concil. Ancyrani* ſtatuit ut Presbyteri qui immolaverunt, deinde contra reluctati ſunt, &c. ad pœnitentiam admiſſi, ſedis quidem honorem retinerent, minime tamen liceret ipſis προσφέρειν ἢ ἐκλαῖν ὅλως λειτουργεῖν

τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, id est, *offerre aut sermonem conferre, aut omnino sacro aliquo ministerio fungi. Cyprianus Epist.* 64. edit. Pamelii suadet Assuritanis, ne Fortunianum, qui idolis sacrificaverat, ad episcopatum admitterent. *Epist.* 2. indicat Trophimum pœnitentem admissum esse ut Laicus communicaret, non ut locum Sacerdotis usurparet. Quod ad Laicos (quos vocant) à lapsu aut hæresi per pœnitentiam ad communionem Ecclesiæ redeuntes, iis idem Ritus Impositionis Manuum impartitus fuit, uti constat ex Cypriani Epist. 10. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant. Idem Epist.* 71. morem hunc in Africâ servari scribit, ut iis qui in Ecclesiâ catholicâ baptizati essent, & ad hæreticos transiissent, postmodum *ad veritatem & matricem* redeuntibus, satis esset in pœnitentiam manum imponere. Sed longè aliter ipse cum Africanis statuebat, de iis qui apud hæreticos baptizati, postmodum errore cognito ad Ecclesiam catholicam transirent: illos enim baptizandos *ibid.* & alibi passim vehementer contendit. In *Concil. Niceno can.* 19. definitur, in recipiendis Paulianistis seu Samosaticis à Paulo Samosateno sic dictis (qui à Paulicianis alterius Pauli Samosateni Manichei sectatoribus distinguendi, uti discimus ex *Synopsi Math. Blastaris, & Nicephori Lib.* 24.) baptismum adhibendum esse, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος, id est, *eos omnino rebaptizari. Cyprianus Epistol. modo cit.* negat esse anabaptismum, quem observari volebat in recipiendis qui ab hæreticis baptizati: sed ait esse baptismum non baptizatorum; *quia nihil* apud hæreticos *acceperunt.* Ratio autem distinctionis inter Paulianistarum, & aliorum hęreticorum baptismum, ipsis fuisse videtur, quod illi trinitatem apertè negarent, & in nomine trinitatis non baptizarent; uti colligi puto ex *Augustino de Hæresib. hæres.* 44.; ideoque δίτριοι Ἰουδαῖοι, id est, secundi Judæi dicerentur, *Epiphan. Hæresi* 65. *coll. cum Nicetæ thesauro lib.* 4. *hæres.* 30. Circa resipiscentes à quâcunque hæresi, sive Clericos sive Laicos, videtur Ritus Impositionis Manuum, uti circa omnes alios pœnitentes ad communionem denuo admittendos, tunc observatus, ex *Codice Canonum Eccles. Africana can.* 57. *& Eusebio lib.* 7. *c.* 2. Quatuor fuisse χλιθησίας genera in cursu pœnitentiæ juxta gradus pœnitentium usitata constat ex *Antiquis Canonibus*: quarum *prima* erat, quâ peragendæ pœnitentię facultas ipsis dabatur. *Secunda*, in secundo pœnitentiæ gradu, quæ ὑποπίπτειν dicitur. *Tertia*, conferebatur à tertio gradu ad quartum discedentibus. *Quarta* & ultima, absolutam & perfectam reconciliationem comitabatur, per quam digni constituebantur, quibus eucharistia impartiretur. Has quatuor χλιθησίας pœnitentiales ex antiquitate exactè explicuit *Gabriel. Albaspinus Lib.* 2. *Observat. de veteribus Ecclesiæ Ritibus observat.* 31. tandem progressu temporis enatum sacramentum pœnitentiæ

cujus

Digitized by Google

cujus forma dicitur absolutio sacerdotalis cum impositione manuum, quæ etiam obtinet in Papatu & alicubi extra Papatum inter dictas ipsis Ceremonias adiaphoras absolutio moribundi cum Ritu χειροθεσίας. Papale sacramentum examinatum vide à *Chemnitio*, & *Antagonistis Bellarmini.* Quod ad nudam manus impositionem in baptismo & reconciliatione lapsorum à veteribus usurpatam, eam ad gestum benedictionis, & precationis referimus. Si quis sacrum absolutionis symbolum inde fabricet, non video, quomodo pari ratione chrisma confirmandorum, & ordinandorum in Ecclesiis Occidentalibus & Orientalibus ante tempora reformationis receptum, non potuerit aut debuerit retinere. *VIII. Quæritur*, An in Ecclesiis non tantum Reformatis, sed & Lutheranis Ritus χειροθεσίας sit ac habeatur Adiaphorus. *Resp.* De Reformatis certum est ex communi doctrinâ. Videatur *Piscator in* 1 *Tim.* 4. Et Daneus in 1. Tim. 5. v. 22. p. 361. edit. in 8. *Ergo & retineri & omitti potest pro more regionis, in quâ electus ordinatur: Aretius part.* 2. *Probl. p.* 365. edit. in 8. ubi vocat *liberam ceremoniam.* Et sic *Bucan. in Instit. loco* 24. *Alting. in Exeg. Aug. confess. p.* 91. *Zepper. Lib.* 2. *Polit. eccl. cap.* 5. & *Polan. lib.* 9. *Syntagm. cap.* 33. ubi posterior rationibus aliquot hoc probat, & uterq; gestum facit benedictionis seu precationis super Ministro, quâ Minister Deo ab ordinatore & tota Ecclesia commendatur. Et sic hunc Ritum explicant omnes hactenus citati, & mox citandi. Ita ut precatio necessariò adesse debeat, ritus vero illius solennis & consecratoriæ precationis abesse possit, manente precatione. Vide imprimis *Didoclavium in Altari Damasceno p.* 160. 215. 225. 348. 530. & 926. Idem constat ex variante praxi. De Lutheranis itidem affirmandum ex *Volumine Epistolarum Conradi Schlusselbergii*, *Epistol.* 3. *pag.* 6. & 7. edit in 8. ubi in terminis dicitur *Adiaphorus.* Et ex *Eckhardo supra cit.* ubi numerat inter Adiaphora. Et ex Eodem in tract. de Ordine ecclesiastico & politico cap. 3. pag. 46. 47. ubi vocat *rem adiaphoram*, & negat *certum ordinationis ritum universa Ecclesia præscribi.* Ex Joh. Gerardo in 1. Tim. 4. vers. 14. *Impositio manuum non est ordinationi substantialis.* Ex *Andr. Kestero in Theol. casuum* germanicè *pag.* 7. ubi agnoscit apud suos post introductam reformationem etiamnum usurpari in confirmatione Ministrorum, in baptismo, in absolutione, & alicubi in confirmatione matrimonii; sed tanquam Ritum adiaphorum secundum libertatem Christianam, non tanquam necessarium aut signum sacramentale. Imprimis ex *Balduino lib.* 4. *c.* 6. *cas.* 2. Denique ex *Confess. Wirtebergensi artic. ult.* supra à nobis cit. Pontificiorum impositiones manuum in exorcismo, eorundemque absolutiones, junctiones, extensiones, elevationes, osculationes, depositiones &c. in celebratione missæ, in baptismo, catechismo, ordinatione studio nunc prætęrimus. Si quis illa penitius nosse desiderat, is adeat *Gavantum*, *Vicecomitem* &c. Plura ad Ritus hujus apud Judæos, Gentiles, Christianos usum pertinentia dici possent. Sed cum huc proprie non

faciant, volens prætereo. Interim consulant, quibus vacat, *Grotii*, *Pricæi*, *aliorumque φιλολογώτων* [*Notas*] *ad Matth.* 9. *Actor.* 9. & 3. 1. *Timoth.* 4. & 5. Et *Commentar. Willeti*, ac *Cornelii à Lapide in Gen.* 48. & *Lev.* 1. ubi & alii Autores indicantur. *Aretium loc. cit.* imprimis & *Notas Goar ad Euchолog. Graecorum pag.* 257. & *seqq.*

§. 2. Accedimus nunc ad Ritum osculi, *Rom.* 16. *v.* 16. 1. *Cor.* 16. *v.* 20. 2. *Cor.* 13. 12. 1. *Thess.* 5. 26. 1. *Petr.* 5. 14. de quo *quæritur*, An sit Ritus mysticus, aut sacer, & Jure divino impositus? *Resp.* Fuit Ritus communis, in specie & formâ ex consuetudine aut more tunc & ibi recepto, adhiberi solitus, in signum amoris, amicitiæ, familiaritatis, etiam subjectionis &c. De Ritu hoc *Philologi* & *Antiquarii* à *Pineda in Job* 31. *v.* 27. indicati. Ex Theologis præter *Pinedam Aretius part.* 3. *Lorinus & Rivetus in Psal.* 2. Et *Lorino ibid.* citatus *Josephus Stephanus in Tractat. de Osculo pedum Pontificis.* In cultu publico osculi religiosum & superstitiosum usum explicat *Joh. Stephanus Durantus Lib.* 2. *de Ritib. ecclesiast. cap.* 3. & *Josephus Vicecomes* passim in *Libro de antiquis baptismi Ritibus*: ubi Ritum susceptrices osculandi signum facit contractæ cognationis spiritualis; quem tamen ob hominum corruptionem postea abrogatum dicit *Lib.* 1. *cap.* 36. Ut & oscula atque amplexus baptizatorum, etiam adultorum. De quo Ritu *Lib.* 5. *cap.* 1. Specialiter de osculis in celebratione Missarum vide *Missale Romanum in Rubricis*, & ad eas *Commentar. Barthol. Gavanti Tom.* 1. *Sacrorum Rituum:* ubi duum generum oscula recensentur, scil. *rerum* ut cochlearis, libri euangeliorum, textus euangelici, & altaris quæ novies panguntur; & *personarum* seu manus: quæ tamen utraque omittuntur coram sacramento & in Missis defunctorum *pag.* 182. 186. Imprimis perstringenda histrionica antiqui osculi pacis imitatio quam in dandâ pace sacerdos missificans peragit; osculando altare in medio, & instrumentum pacis tabellam scil. (quam *pacem* belgicè *de pace* aut *de pais* appellant), & dicendo, *pax tecum*: cui Minister respondet, *Et cum spiritu tuo*: uti hoc habet *Rubrica Missalis.* Usum hujus tabellæ osculandæ introductum dicit *Baronius ad Ann.* 45. *num.* 26. tanquam cautelam contra fraudes. Sed Gavantus Tom. 1. Part. 2. tit. 11. pag. 162. ex Innocentio 3. Lib. 6. cap. 5. aliud mysterium pandit: *cum*, inquit, *cessasset communio populi quotidiana in Missâ, vice communionis sacramentalis, osculum pacis institutum est, sumto exemplo à Christo, qui in cœnâ ultimâ meminit pacis*, Pacem meam do vobis, *Joh.* 14. *quod notavit Waldensis Tom.* 3. *tit.* 4. *cap.* 41. Egregia sane substitutio, osculi quod Sacerdos figit tabellæ in locum communionis sacramentalis. An non hæc plus quam Tantali cœna, quam *Espenceus in* 3. *Collatione* gallicè in 8. Reformatorum cœnæ objiciebat. Nec prætereunda hic oscula quibus Papistæ, ad imitationem Gentilium, imagines, cruces, reliquias, res consecratas communiter honorare solent, quin & dæmonas exorciza-

exorcizatos cogere ut ejecti terram ſepties oſculentur, & quaſi ſatisfactionis pœnitentialis loco, aliquoties *ave Maria* & *Pater noſter* pronuntient. *Cicero Act. 5. in Verrem meminit* ſimulacri Herculis, cujus mentum adorantium oſculis attritum fuerit. Sed videamus nunc Ritum oſculandi ἐγγράφου ab Apoſtolo mandatum, *Rom.* 16. *v.* 16. 1 *Cor.* 16. *v.* 21. 2 *Cor.* 13. *v.* 12. ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ: de quo quæritur, an ſit Ritus divinus, cujus perpetua obſervatio divinitus Eccleſiæ N. T. præſcripta ſit; & an formaliter aut propriè ſacer. Nos utrumque *negamus*. Qualecunque enim & cujuſcunque formæ oſculum fuerit, nihil ultra commune ſignum amoris, benevolentiæ, cognationis, amicitiæ, familiaritatis, humanitatis, reverentiæ, honoris in quibuſvis hominum congreſſibus, alloquiis, ſalutationibus, præſertim inter Orientales, receptum hic agnoſci debet. Vide *Geneſ.* 29. *v.* 11. & 31. *v.* 28. & 45. *v.* 15 1 *Sam.* 10. *v.* 1. 2 *Sam.* 20. *v.* 9. *Matth.* 26. *v.* 48. *Luc.* 7. *v.* 45. Unde verbum oſculandi ad arctam & ſpiritualem unionem fidelium cum Chriſto ſignificandam transfertur. *Cantic.* 1. *v.* 2. Non magis ergo Ritum illum oſculandi tum baptizatorum, tum quorumvis Fidelium Eccleſiaſticos cœtus frequentantium ab Eccleſiis quaſi Jure divino ſervandum, aut autoritate eccleſiaſticâ imponendum putamus; quam lotionem pedum peregre pedeſtri itinere in domos privatas aut Eccleſias advenientium, præſertim hyemali tempeſtate in Norwegiâ, Iſlandiâ, Ruſſiâ, Samogothia, Finnoniâ, Lappiniâ &c. aut deſcenſus & immerſio Baptizandorum infantum in flumina, eâdem tempeſtate & iiſdem in Regionibus. Lotionem iſtam vide *Geneſ.* 18. *v.* 4. & 19. *v.* 2. *Judic.* 19. 21. *Luc.* 7. *v.* 44. 1. *Tim.* 5. *v.* 10. 1. *Sam.* 25. *v.* 41. Iſtumque inmergendi morem circa baptiſmum in climatibus calidioribus. *Matth.* 3. *Joh.* 1. *Actor.* 8. Sed tria videntur objici poſſe: *Primum* eſt, quod *Apoſtolus locis citatis* addat epithetum *ſancto*: *Secundum*, ſub formâ mandati proponit. *Tertium*, quod non ſatis decorum & modeſtiæ ac gravitati fidelium conveniens videatur, ſi Viri quilibet in cœtu eccleſiaſtico, aut omnes aut promiſcuè, quaſvis Fœminas pro arbitrio oſcularentur. *Ad primum* reſpondemus, hoc epitheto diſtingui ab oſculo carnali aut libidinoſo, quale *Prov.* 7. *v.* 13. & ab oſculo hypocritico, quale *Matth.* 26. *v.* 48. 49. Sanctum ergo dicitur, quia eſt oſculum ſanctæ & ſinceræ *caritatis* (uti 1. *Petr.* 5. *v.* 14. appellatur), & quia ſanctificatur per radicem veræ fidei, ſicut omnis alius externorum uſus 1 *Tim.* 4. *v.* 3. 4. Omnia enim illa externa, quamvis in ſe ſpectata cum infidelibus eſſent ipſis communia, tamen peculiarem ſanctitatis formam induebant, quod ex caritate non fictâ, & in nomine domini Jeſu (*Col.* 3. *v.* 17.) illa facerent. *Ad ſecundum reſp.* Sub formâ mandati non quidem generalis, ſed ſpecialis ſecundum particulares & præſentes perſonarum, locorum, temporum circumſtantias proponitur: quod ſecundum communem conſuetudinem illis in quibuſcunque

cunque aliis hominum congressibus & occursibus talis salutandi mos observaretur, & sine violatione civilitatis ac decori omitti non posset ab illis, qui caritatem, concordiam, pacem, fraternam amicitiam peculiariter secundum religionem suam profitebantur: Si enim fideles omnia omnibus fieri debebant 1 *Cor.* 9. *v.* 22. quidni & in recepto hoc civilitatis Ritu. *Ad tertium resp.* præsupponitur in hoc dubio, in apostolicâ Ecclesiâ omnes aut quasvis Fœminas promiscuè ab omnibus aut à quibusvis viris pro arbitrio sigillatim debuisse salutari, & quidem non sine osculo propriè dicto, quo scil. labia unius genis, & labiis alterius corporeo contactu junguntur. Sed hoc textus citati non habent. De Fratribus omnibus osculo salutandis legitur 1 *Thess.* 5. *v.* 26.; nusquam de omnibus Sororibus per Virorum oscula salutandis. Et huc facere videtur, quod Mulieribus in Ecclesiæ cœtu silentium indicitur 1 *Cor.* 14. *v.* 34. adeo ut minimè probabile sit externos illos osculorum gestus & strepitus, quibus illę Viros salutarent aut ab illis salutarentur, in Ecclesias mandato apostolico introductos aut in iis observatos fuisse. Nec etiam constat apud Romanos, Corinthios, Thessalonicenses, Judæorum ἀγοραῖς, morem illum obtinuisse, ut Viri in ἀγοραῖς, in compitis, in occursu quocumque quasvis alienas sibique necessitudine propiori minime junctas Fœminas tum maritatas tum cœlibes adhibito osculorum Ritu salutarent. Ab aspectu, à publico, multò magis à familiari consortio, nedum ut ab osculis Virorum Mulieres, pro more gentium & temporum istorum, removebantur. Et si Mulieres æque ac Viri in publicum prodiissent, non tamen juxta morem Romanorum viros obvios quosque osculantium (de quo *Suetonius in Tiberio cap.* 34. & *Martialis Lib.* 7. *epigr. ad Linum lib.* 11. *epigr. ad Bassum*) osculis à quovis obvio salutatæ fuissent. Si Augustino Lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. fides habenda: *alienæ Fœminæ osculum infixum rationis est verbere vindicare &c.* Certè σφόδρα in Christianis requisita (*Philip.* 4. *v.* 8.) & abstinentia ab omni specie mali (1 *Thess.* 5. *v.* 22.) adhęc luxus ac luxuria Romanorum & Corinthiorum, cui ne minimâ quidem progymnasmatum specie fideles conformari debebant, aliud quid suadere videretur. Quin & ratio sessionis in Conventibus ecclesiasticis quâ Mulieres à Viris separabantur, talem osculorum virilium & muliebrium mixtionem minime admittebat: uti rectè hoc observatum à *Baronio ad ann.* 45. §. 26. Potius ergo dicendum Viros ab introeuntibus aut assidentibus Viris, Mulieres à Mulieribus signo osculi fuisse salutatas. Quem morem salutandi alicubi in Ecclesiâ aliquâ reformatâ observari audeo: ut scil. Mulieres in Ecclesiam intrantes proximis aliquot assidentibus manum porrigant. Quod ad viros sessionibus aut stationibus à cœtu Fœminarum separatos, non est necesse oscula caritatis eorum accipere, de osculis quæ mutuo contactu labiorum & genarum fiunt. Possunt enim fieri manus propriæ ad os aut labia admotione

uti

uti *Job.* 31. *verſ.*27. qui Ritus civilitatis etiam hodie paſſim obtinet. Et quidni deoſculatione manuum ſalutati ſalutationis officium peragatur? Certè apud varias Gentes Europeas hodie obtinet, ut inferiores ſalutent ſuperiores, oſculando manus eorum: quin & æquales etiam abſentes cum officia ſua deferunt, & ſalutem adſcribunt, dicunt ſe manus eorum oſculari; ne quid dicam de oſculis pedum Pontificis illi delatis & miſſis à Regibus, Principibus, Epiſcopis, quibuſcunque Clericis, quoties per Nuntios, aut Epiſtolas eum alloquuntur; Potuiſſent etiam Viri ad omnem ſpeciem mali evitandam, præſertim Romæ (ubi infanda illa flagitia *Rom.* 1. *verſ.* 27.) ſalutationis officio defungi, per mutuos amplexuum contactus & pectorum ac capitum propriores conjunctiones; abſque oſculis ſtrictè ſic dictis, quæ per genarum & labiorum conjunctionem fieri ſolent. Sanè iſtæ ſimileſve ſalutandi rationes hodie ut plurimum, ſi non ubique, in Europâ obtinent. Apud Belgas ſaltem tam inſolens eſſet à Viris advenientes viros oſculo excipi, quam Fœminas non excipi. Poſterius tamen apud Germanos non obtinet. Fateor tamen intermiſſionem oſculi pacis à Viris mutuò pangendi poſtea introductam, idque ob fraudes (uti loquuntur *Baronius ad Ann.* 45. §. 26. & *A Lapide in Rom.* 16.), & abſtinentiàm ab oſculis pacis tempore jejuniorum (de quâ *Tertullianus Lib. de Oratione*, ibique *Pamelius in Notis*, imprimis *Albaſpinus Lib.* 1. *Obſervat. cap.* 17.), videri plus quid innuere, quam amplexum brachiorum, aut manus propriæ deoſculationem. Qualem ſalutandi rationem *Arabs* & *Æthiopicus Interpretes* intellexerint, ſaltem non per oſculum ſtrictè ſic dictum, ex eo conſtat, quod iſte locis citatis τὸ φίλημα exponat per *ſalutationem*: ille vero ſynonyma faciat τὸ *ſalutare* & τὸ *oſculari Rom.* 16. per totum: imprimis id evincitur ex *verſ.* 16. & 1. Cor. 16. verſ. 19. *oſculantur vos omnes Eccleſiæ* &c. &, *oſculantur vos Eccleſiæ Aſiæ.* Ubi oſculum propriè dictum intelligi nequit; cum mutuus contactus genarum aut labiorum in illâ locorum diſtantiâ locum habere nequeat. Quocunque autem modo oſculum caritatis uſurpatum accipiamus, extra dubium eſt in Eccleſiâ antiquâ, etiam apoſtolicæ proximâ obſervatum fuiſſe, præſertim ante cœnæ dominicæ perceptionem, in ſignum fraternitatis, pacis, reconciliationis. Meminerunt ejus *Epiſtolæ*, *ad Tarſenſes*, & *Antiochenos Ignatio* adſcriptæ, ubi verba Apoſtoli: ἐν ἁγίῳ φιλήματι ἀλλήλους. Sed quia exigua horum Epiſtolarum apud me autoritas, audiatur Juſtinus (qui floruit a. 150.) in Apolog. ad Antonium: *Precibus finitis*, *mutuis nos invicem oſculis ſalutamus.* Athenagoras (qui fl. a. 155.) in Oratione pro Chriſtianis: *Tam accuratè ergo temperare oſculum, ſeu potius adorationem* (ſalutationis) *oportet*, *ut ſiquomodo pauxillum mens polluta fuerit*, *ab æternâ nos vitâ proſcribat verbum.* Tertullianus (a. 203.) de Oratione cap. 14. vocat *ſignaculum orationis.* Origenes (a. 226.) in Commentar. ad

Rom.

Rom. 16. vers. 16. *Ex hoc sermone & aliis nonnullis similibus mos Ecclesiis traditus est, ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres.* Cyrillus Hierosolymit. Catechesi 5. *Osculum hoc, quo in sacris utimur, signum est reconciliationis animorum, universæque injuriarum memoriæ deletæ.* Et paulo post: *reconciliatio est, & idcirco sanctum.* Chrysostom. Homil. 30. in 2. Cor. 13. *eâ præsertim de causâ* (peroeptionis scil. cœnæ dominicæ) *tum mutuò oscula jungimus.* Ibidem refert multos tunc temporis *templi vestibulis osculum* fixisse, *partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes.* Ubi adverte omnis osculi formam non consistere in orali rei aut personæ, quam quis osculatur, contactu. Augustinus Serm. 83. de diversis: *Post orationem dominicam, quam accepistis & reddidistis, dicitur Pax vobiscum, & osculantur se invicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua ad labia fratris accedunt, sic cor tuum à corde illius non recedat.* Ubi duo nota, oscula Virorum, & conjunctionem labiorum. Possem hunc osculandi Ritum *ex antiquis Græcorum & Latinorum Liturgiis* à *Pamelio, Cassandro, Sanctesio* editis, ex abundanti confirmare. Sed quia tanti mihi non sunt, quippe nothæ (uti *supra Cap. 2.* indicavi) volens prætereo. Osculorum illorum abusus & ob hominum malitiam pericula, olim mutanda suaserunt, de quo *Baronius ad Ann. 45. §. 26. Jos. Vicecomes de Ritibus Baptismi loc. cit. A Lapide in Rom.* 16. Sed utinam abusus non mutassent in alios. Ad quid enim histrionia & vacua illa observatio tabellæ pacis? Non procul abludit à superstitione, quod diebus jejuniorum tum in Ecclesiâ tum domi ab osculo pacis abstinerent. De quo *Tertullianus Lib. de oratione cap.* 14. & pluribus abstinentiam illam, ejusque rationem persequitur *Albaspinus Lib. 1. Observat. c.* 17. Nec minus vacuæ observationi se implicat Tertullianus cum abstinentiam illam loc. cit. oppugnat hoc argumento: *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est, à quo sine pace receditur?* Quasi scil. nec orationes in Ecclesiâ, nec eucharistia celebrari posset sine osculo pacis: Quid dicam de translatione osculi Sancti ad imagines, ad vestibula & aditus Templorum, apud Antiquos, ad altaria, ad libros &c. denique ad pedes Pontificis. De vestibulo *Chrysostomus modo cit.* De imaginibus defendebat olim *Sophronius* apud Imperat. Theophilum, referente *Eutychio in Annal.* Arab.-lat. à *Pococko* editis *tom. 2. p.* 452. De pedibus Pontificis defendit *A Lapide in Comment. ad Zachar.* & *Joseph. Stephanus Tract. pecul.* Ex nostris *Rivetus c. Sylvestrum de Petrâ sanctâ* eundem Ritum perstringit *pag.* 536. De osculandis manibus episcopi; ceremon. episcop. c. 18. & altaribus c. 19. de iisdem, & libris, aliisq; utensilibus paulo ante monuimus, & antehac *in 3. Part. sci. Disp. tit. de Superstit. p.* 126. Permansit usus osculi in Ecclesiis Græcis usque in hodiernum diem: uti videre est in eorum *Euchologio* Paris. gr. lat.

Digitized by Google

lat. edito à *Jacobo Goar pag.* 134.292.542. Sed in Ecclesiis Occidentalibus hic Ritus abrogatus est,ob rationes à *Baronio*,*Vicecomite*,& *A Lapide locis cit.* indicatas.Ubi τὸ πρέπον contra Pontificios,alioſque nimis ἀκριβολογοῦντας,qui hâc in parte, quamvis non passibus æquis, eosdem sequuntur, notari velim non semper intonandum esse τὸ ἦθος ἀρχαῖον κεκτήσθω; nec omnem Rituum & Adiaphororum mutationem, omissionem,abrogationem in particulari aut particularibus Ecclesiis, ad majorem οἰκοδομὴν & ædificationem earundem, secundum particulares circumstantias factam ,esse condemnandam : quod scil. communis & catholica mutatio,& peremtorium Synodi œcumenicæ , aut nationalis super mutatione decretum non fuerit exspectatum. Certè mutatio circa hunc Ritum osculandi, quamvis ab Apostolis mandatum , & ab apostolis & proximè sequentium sæculorum Ecclesiis observatum , catholico consensu simul & semel in orbe Christiano, ne quidem in Occidente mutatus non fuit; nec præcedaneum de hâc mutatione instituendâ Synodi ullius œcumenicæ Occidentalis , aut nationalis decretum hactenus ostensum vidimus. Nullus tamen Pontificius, nullus Ceremoniarum Zelotes, nullus antiquitatis Admirator mutationem illam improbat. De mutatis vigiliis aliisque antiquis observationibus quamplurimis idem dici posset. Confer, quæ 3. *Part. select. Dispp. de dictis Festis Christianorum* differimus. De osculorum usu apud Gentiles tam in civilibus , quam in sacris conferri possunt præter *Autores* tum *Philologos* tum *Theologos Lorinum*, *Rivetum*, &c. *supra cit.* Ex JCCtis. *Hotomannus de Ritu Nuptiarum pag.* 306.edit. Leid.in 16. & *Aretius Part.* 3. *Probl.*

Probl.III. Quid censendum de abstinentiâ à suffocato & sanguine *Actor.* 15. *Resp.* Fuisse partem obedientiæ legibus ceremonialibus divinitus usque ad mortem Christi , & tempus correctionis *(Coloss.* 2. *Hebr.* 9.) præstandam. Sed morte Christi una cum aliis Ceremoniis defunctam esse , quod ad observationem in conscientiâ ; nondum tamen honeste sepultam,sed ob rationem scandali infirmiorum ex circumcisione, illis in partibus aliquamdiu observandam , donec Judæi de cessatione legis ceremonialis plenius & planius essent convicti. Hoc & nihil aliud velle Decretum apostolicum , alibi ostensum est. Quod ad opiniones & dubitationes veterum quorundam alibi indicatas nolo eas alieno loco excutere. Interim conferat lector collegæ quondam nostri D. *Hoornbeeck Diatribam de Sanguine & Suffocato.* Et *Libavium part.* 2.*singularium.* p. 170. *IV. Probl.* An junctio manuum in signum contracti & initi matrimonii sit Ceremonia divina, sacra, religiosa. *Resp.* Nihil istorum. Nam *primò* est Ceremonia communis, quę in omnibus ferè contractibus, promissionibus, & fidejussionibus adhibetur. Quò pertinet illud Prov.6.v. 1. *defixisti alieno manum tuam. Deinde* origine non est divina: quia à Deo immediatè instituta non est: sicuti detractio calcei ; desputatio in faciem, perforatio auris lege Mosaicâ *Exod.* §. 3.

21. *Deut.* 21. & 25. præſcriptæ. *Tertiò*, objecto & fine non eſt ſacra, religioſa, myſtica. Quia matrimonium, cujus ſignum non eſt ſacramentum ut Pontificii volunt; nec proprium eſt fidei & Eccleſiæ Chriſtianæ aut Fidelium quà talium, ſed commune generis humani ſeu hominum Marium ſcil. & Fœminarum. Neque enim matrimonium fundatur in fide & gratiâ, non magis, quam Dominium temporale, aut alii quilibet legitimi ſæculares & humani contractus: nec unum eſt de eſſentiâ & ratione alterius. Non obſtat, quod coram Eccleſiâ matrimonium ſolenniter tum orali promiſſione tum adjuncto promiſſioni ſymbolo junctarum manuum celebratur: quia nihil aliud quam extrinſeca denominatio ſacri aut religioſi ab adjuncto hinc inferri poteſt, non autem propriè & formaliter ſacrum. Sicuti mundis omnia munda. *Tit.* 1. *v.* 15. & cibus quicunque ſanctificatur fidelibus 1 *Tim.* 4. *v.* 5. per accidens ſcil. precum & fidei hoc eſt ſubjectivè; non tamen objectivè, ſpecificè, propriè & formaliter ex objecto & fine eſt aut dici debet ſacer, religioſus, myſticus, uti cibus & potus euchariſtiæ: ſic ſe habet conjugium fidelium, qui in Domino (1 *Cor.* 7. *v.* 39.) nubunt aut ducunt. Sed de matrimonii in Eccleſiâ per Miniſtros confirmatione agetur *infra Lib.* 3. Ut revertamur ad Ritum junctionis manuum, *Lavaterus Homil.* 23. *in Ruth* eum comparat Ritibus & ſymbolis veterum, ut ferrei annuli in ſponſalibus, aquæ & ignis in nuptiis, clavium in domum ductione, clavium civitatis occupatæ offerendarum victori, alapæ incuſſæ & pilei in manumiſſione ſervorum, coronationis ſceptri gladii &c. in creatione Imperatorum, aliorumque ſymbolorum & Rituum, qui in negotiis ſæcularibus obſervari ſolent, quoſque ab *Hotomanno* JC. ex feudiſticis collectos & obſervatos dicit. Nos addimus *Briſſonii Librum* ſingularem *de Ritu Nuptiarum*; *Antonii Hotmanni Lib. de veteri Ritu Nuptiarum*; *Franciſci Hotmanni Libr. de Sponſalibus*; *de Ritu Nuptiarum, &c.* 5. *Probl.* Quid de Chriſmatis ſeu Unctionibus, oleo, & unguentis ſtatuendum? *Reſp.* In V. T. fuiſſe uſum eorum juris divini, ceremonialis ſcil., in ſacrificiis, thymiamatis, luminaribus, unctionibus Sacerdotum *Exod.* 29. *v.* 7. Regum & Prophetarum 1 *Reg.* 19. *v.* 16. in utenſilium ſacrorum conſecrationibus *Geneſ.* 28. *v.* 18. *&* 35. *v.* 14. *Exod.* 40. *v.* 9. 10. 11. De quibus commentantur Interpretes, ut & Hiſtoriæ ſacræ atque Antiquitatum hebraicarum Scriptores. Et hic uſus in cultu divino; qui cum reliquis umbris ceſſare debuit poſt mortem Chriſti *Col.* 2. *v.* 16. Longè alius eſt & indifferens uſus olei in vitâ communi, in medicamentis ſcil. *Jeſa.* 1. *v.* 6. *Luc.* 10. *v.* 34. in alimentis *Hoſ.* 2. in aliis corporis refectionibus *Pſ.* 23. *v.* 5. & 104. *v.* 15. & 149. *Luc.* 7. *v.* 46. De quo inter Medicos *Valeſius Philoſ. ſacræ c.* 87. *Lemnius de Herbis biblicis cap.* 5. De Balſamo ſpecialiter *Salmuthus ad Pancirollæ Res deperditas tit.* 12. Ex Theologis præ aliis *Lorinus ad Eccleſiaſt.* 9. *v.* 8. de uſu olei in conviviis: ubi omnis generis Autores abunde indicantur.

In

In cultu religioſo ſub N. T. nullus eorum uſus. Nam quod tanquam ſignum arbitrarium & extraordinarium adhibitum fuerit in patratione miraculorum *Jac. 5. v. 14.* cum *Marc. 6. v. 13.* id nobis non eſt imitandum. Non caruit ergo veterum unctio poſt baptiſmum ſuâ ἀναζωπυρήσει, ſive typicam unctionem ſub V. T. ſive chariſmaticam ſub N. T. reſpexerint. Complures inter antiquos hujus vacuæ obſervationis meminerunt: quos citatos vide apud *Vicecomitem Lib. 2. de Ritibus baptiſmi cap. 35. 36.* ubi dictat ab Apoſtolis hoc inſtitutum; ſed minimè probat. Superſtitioſum plane eſt oleum triplex in Papatu, catechumenorum, ordinandorum, infirmorum. De diſtinctâ confectione & conſecratione diſtinctorum oleorum, & quidem per Epiſcopum, agit *Pontificale Romanum*: de uſu olei confirmandorum ſeu catechumenorum, ut & chriſmatis (quod ab oleo illo exſertè diſtinguitur) in baptiſmo, *Rituale Romanum tit. de Sacramento baptiſmi pag. 15.* & 18. De uſu olei catechumenorum, & chriſmatis in dedicatione altarium & templorum, *Pontificale Part. 2. fol. 105.* edit. Venetæ apud Juntas a. 1561. De uſu olei catechumenorum exorrizati, quo dextrum brachium & ſcapulę Imperatoris Romę coronandi inunguntur, *Pontificale Part. 1. fol. 80.* & 84. *b.* De uſu olei infirmorum & chriſmatis in conſecratione campanæ, *ibid. fol. 165.* De confectione & benedictione chriſmatis & olei triplicis, *Ib. Part. 3. fol. 174.* Unde miſſo toto ſuperſtitionum choragio, hæc ſolummodo nunc notanda duxi: Quod *in Rubricâ ibidem* dicitur, Chriſtum cum cœnaret cum diſcipulis, pedeſque eorum lavaret, *docuiſſe chriſma conficere*, & obſervationem hanc ex Apoſtolorum inſtituto deſcendere. Et in blaſphemis preculis conſecratoriis fol. 175. *ut in oleo iſto poſſit Spiritus ſanctus habitare.* Et in proximè ſequenti precatione. *Emitte quæſumus Domine Spiritum S. paracletum de cœlis in hanc pinguedinem oliva &c. Ibidem fol. 179. b.* balſamum cum modico oleo chriſmati mixtum, & ſancto chriſmati commixtum Epiſcopus inclinato capite, & poſt eum duodecim Sacerdotes ſucceſſivè genuflectendo coram ampullâ, ſalutant, his verbis: *Ave ſanctum chriſma*: ubi Rubrica docet *quâlibet vice ſemper altius in tono pradicto*, hoc dicendum. Similiter ſalutatur oleum catechumenorum *ibid. fol. 180.* Sed unctiones & chriſmata hæc ad faſtigium ſuperſtitionis in Papatu perducta, ſimul & ſemel ex Proteſtantium Eccleſiis ejecta ſunt: non obſtante quod rudia eorum lineamenta aliqua in antiquis Eccleſiis ducta fuiſſent. Quod ſi ubique pari ratione & Zelo alii Ritus ex Papatu ſuperſtites propter reverentiam ſcil. antiquitatis, aut forte propter metuendum imperitæ plebis ſcandalum acceptum, aut propter potentiorum arbitrium, aut per errorem, aut per negligentiam quorundam relicti, revocatâ ſimplicitate apoſtolicâ una expurgati fuiſſent: utique res Eccleſiæ, fidei, pietatis nihilo pejus ſe haberent. Si enim in hâc parte reformationis ad modulum apoſtolicæ non vero antiquæ Eccleſiæ, piè &

prudentet reſpexerunt Reformatores, quidni idem in aliis Ritibus fieri potuiſſet, aut etiamnum decore & ordinatè 1. *Cor.* 14. *verſ.* 40. (quod Ceremoniarum Zelotę perpetuò occinere ſolent) fieri poſſet? Nam quibus rationibus & exceptionibus uſum crucis in baptiſmo, excuſare aut tueri ſolent, iiſdem uſus lotionis pedum, chriſmatis, &c. aliorumque complurium antiquorum Rituum ex Eccleſiis proteſtanticis expurgatorum, retineri aut revocari poſſent; immo & Eccleſiis talibus juſtiſſimè (uti diſputatur) ad Ceremonias ſuas obligantibus objici quod Grotius in Pietate Ordinum reformationi Eccleſiarum Belgicarum: *Exceſſit medecina modum.* Si *Thomas Tillam* Concionator Colcheſtrenſis (uti ſe vocat) cenſeret, uti cenſet *in Libro vernaculo* ſupra cit. lotionem pedum ante perceptionem cœnæ *p.* 253. χλοσμοὶ baptizatorum in admiſſione ad Eccleſiam *pag.* 94. Unctionem olei; quo ungantur fideles in tantum ægrotantes ut Medicorum operâ utantur *pag.* 391. retineri debere, aut ſaltem poſſe, quid reponerent vindices Rituum quorundam, qui pomum eridos & crux ſunt piorum ſimplicitatem apoſtolicam amantium? An nudum Prælatorum arbitrium? Atqui duo replicari poſſent, reverentiam antiquitatis, quam Rituales perpetuò prætexere ſolent debere potiorem nobis eſſe, arbitratu hodiernorum Prælatorum. Inſuper Prælatis eccleſiaſticis non bene convenire illud, *Sic volo ſic jubeo ſit pro ratione voluntas:* ſed potius illud Apoſtoli 1. Cor. 9. verſ. 22. *Omnia omnibus factus ſum' &c.* Addo non tantum paribus ſed & longe pluribus ac in ſpecie gravioribus rationibus tum utilitatem tum primo primam antiquitatem chriſmatum ſupra Ceremonias hodie controverſas (e. gr. genuflexionem ad auditum nomen Jeſu, aut ad conſpectum menſæ, adhæc album ſuperindumentum, altaria, candelas, imagines &c.) exaggerari poſſe: ſi attendamus ad ea quæ ab *Eſpenceo in* 2. *Timoth.* 2. *verſ.* 6. *pag.* 20. & *ibid. in Digreſſ. pag.* 261. *in Appendice ad Chriſmatis uſum* &c. copioſe, & poſt eum à *Pamelio in notis ad Cypriani Epiſtol.* 70. §. 16. 17. 18. ac poſt illos à *Joſepho Vicecomite Lib. & loco* paulo ante *cit.* & à *Grotio in Epiſtolis ad Gallos Epiſt.* 158. & 162. collecta ſunt. Hæc urgenda apud Rituum quorundam Zelotas, qui cum chriſmata tot tantiſque antiquorum teſtimoniis munita abrogârint, nihilominus ad alias antiquorum ἀκεφαλίας & nævos tantopere obſtupeſcunt, ut recentiorum Theologiam ex limpidis Scripturarum fontibus hauſtam, & ratione ſolidâ contra ſophiſtas defenſam, prę illis ferociter contemnant. Tantò autem magis chriſmatis illis κατ' ἄνθρωπον urgendi ſunt, quanto majorem illis neceſſitatem ab antiquis tributam videmus. Sic enim Concil. Laodic. Can. 48. *Oportet illuminatos* (h. e. baptizatos) *ungi chriſmate cæleſti.* Cyprianus Epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* *Ibidem* concludit unctionem ſpiritualem apud hæreticos eſſe non poſſe, quod penes ipſos

Digitized by Google

ipsos non fit unctio seu chrisma externum : & hoc probat, quia *oleum, quo baptizati ungantur, sanctificatur in altari* : atqui apud hæreticos, inquit, nec altare est nec Ecclesia. Quis quæso chrismata, altaria, lac & mel à baptizatis gustandum, & complures alias vacuas observationes ex antiquitate revocari vellet, nisi cui cultus sub novo Testamento, & Verbi divini simplicitas sordeat ? Sed de oleis, chrismatis, & unctionibus Papatus vide *Chemnitium, aliosque Papatus Antagonistas, in Controvers. de septem Sacramentis.* Non est hic prætereundum, quod in Scripturâ V. T. quævis unguenta nomine שמן denotentur. *Psal.* 133. *vers.* 2. non substantia simplicis & puri olei, sed pretiosi & per artem mixti ac parati unguenti intelligenda est: uti constat ex *Exod.* 30.*v.*23. Idem judicandum de loco *Cantic.* 1. *vers.* 3. ubi odor שמניך, id est, unguentorum tuorum : siquidem puro oleo tàm fragrans & gratus odor attribui nequit. Eâdem significatione ἔλαιον subinde apud Græcos accipitur, uti observant *Interpretes ad* illud *Homeri* ἰνῶδες ἔλαιον. Alioquin μύρον ex contemperatione variorum simplicium confectum propriè nomine dicitur μύρον *Math.* 26. *Joh.* 12. Suntque ejus variæ species: quarum notitia à Medicis ut *Weckero in Antidotario*, nec non Chirurgis, Seplasiariis, Pharmacopœis, petenda. *Helladius Bisantinous in suâ Chrestomachiâ* apud *Photium in Biblioth. Libro* 279. species aliquot numerat, bacardicum, narcitanum, stactem, plangonion, plangon, metaleum. Sed hæc minima portiuncula. Theologi propius considerant pretiosum illud unguentum *Matth.* 26. & *Joh.* 12. & quo Christus jam mortuus unctus fuit *Luc.* 23. *vers.* 56. cum *Johan.* 19. *vers.* 39. ubi videndi *Commentatores.* Et quo Aaron consecratus, de cujus compositione *Exod.* & de cujus ingredientibus quærit *Menochius.* An autem ejusdem mixturæ & formæ fuerit unguentum quo Reges ungebantur, si quis quærat, responderi potest fuisse: quia legimus 1. *Reg.* 1. *vers.* 34. fuisse oleum illud desumtum ex tabernaculo. Sed de hoc, aliisque oleis, & unctionibus tam sacris quam profanis non pauca notata vide apud *Pinedam Lib.* 2. *de Rebus Salomonis cap.* 6. & *Lib.* 5. *cap.* 4. Unctio Regum in Israele non minus umbraticum & typicum quid habuisse videtur, ac unctio Sacerdotum & Prophetarum. Hodie Ritus unctionis in Regibus inthronizandis, ne quidem coronationis (teste *Lud. Servino in suis Vindiciis* secundum libertates ecclesiæ Gallicanæ) ubique non servatur, & alicubi ubi servatur, videntur mystici immo & miraculosi quid præ se ferre. Lectorem amandamus ad 3. *Part. select. Disp. tit. de Miraculis. VI. Probl.* Quid de velamine Mulierum in Ecclesiâ 1. *Cor.* 11. *Resp.* Non esse Ritum Adiaphorum, nec sacrum ecclesiasticum : sed communem, qui ex decoro naturali ubique & ordinariò obtinere debet ; ubi & quoties Mulieres in Cœtu aliquo comparent, aut in publicum prodeunt. Erat autem velamen seu tegmen capitis tum naturale, coma scil., tum adscititium. De illo exsertè vers. 6.

Digitized by Google

Nonne natura docet,&c, Et hinc præceptum ab Apoſtolo Viris & Fœminis *ibidem* traditum ad honeſtatem moralem & naturalem refertur à *Polano Lib.* 10. *Syntagm.c.* 26. Velatarum Mulierum orationem *Zegedinus in Locis Comm.p.* 53. vocat Ceremoniam divinam ab Apoſtolis inſtitutam. Iſtud quod ad ſpecialem materiam, formam & figuram, quantitatem Adiaphorum eſt, & variat ſecundum mores ac conſuetudinem gentis,ætatis, ſtatus & conditionis: modo decoro & Juri naturali non repugnet. Sed de utroque hoc tegmine D. *Carolo de Maets* Collega noſter, cum viveret, conjunctiſſimus, & Theologus accuratiſſimus, tam eruditè & plenè diſſeruit in *Diſpp. textualibus* ad 1. *Cor.* 11. & in ſubmiſſâ *Sylvâ quæſtionum inſignium* &c. ut non videam quid ultra addi, aut contra firmamenta interpretationis excipi poſſit. Poſtea a. 1655. *Anſelmus Solerius* Lugduni in Galliâ edidit tract. *de Pileis cæteriq; capitis Tegminibus tam ſacris quam eccleſiaſticis*: ubi attingit interpretationem textus 1. *Cor.* 11. *VII. Probl.* Quid de Excuſſione pulveris pedum *Matth.* 10. *verſ.* 14. *Marc.* 6. *verſ.* 11. *Luc.* 9. *verſ.* 5. & 10. *verſ.* 11. *Actor.* 13. *verſ.* 51. *Reſp.* Saltem conſtat ex locis citatis, mandatum fuiſſe hunc Ritum à Chriſto, & ab Apoſtolis re ita poſtulante adhibitum: De modo excuſſionis pulveris eorum calceis adhærentis non eſt quod anxiè quæramus. Sive enim calceorum exutorum colliſione pulvis ſit excuſſus,ſive calceorum applosione ad terram, ſive eoſdem affricando ad lapidem aut lignum, ſive ſemel tantum, ſive bis intra Civitatem & extra eam: res eodem redit; ſaltem ex Scripturâ nihil certi ſtatui poteſt. De apertè denuntiando & præſtando excuſſionem pulveris coram hominibus illius Civitatis, certò conſtat ex *Luc.* 10. *verſ.* 10. alterum ut & excuſſio extra Civitatem, quam Abulenſis ſtatuit, ex Luc. 9. verſ. 5. *exeuntes ex illâ civitate*, cum Math. 10. verſ. 14. *exeuntes foras de domo vel civitate*, ſolidè concludi nequit. Certum eſt, fuiſſe ſignum & geſtum indignationis, & ſeveræ conteſtationis, proteſtationis, comminationis: quod indicant verba Luc. 9. verſ. 5. *in teſtimonium ſupra* aut *contra illos* & *Actor.* 13. *verſ.* 51. εἰς αὐτούς, id eſt, in eos, contra eos. Duo hæc in quæſtionem veniunt, quorùm *prius*, An fuerit ſignum rejectionis à pace omni eccleſiaſticâ, à Nuntio euangelii pacis, aut ſignum devotionis, anathematizationis, execrationis, quæ analogicè conveniret cum τῷ ἀνάθημα μαραναθᾶ. 1. *Cor.* 16. *v.* 22. *Reſp.* Verba *Matth.* 10. *v.* 15. ἀνεκτότερον ἔσται *terræ Sodomorum &c. in die judicii, quam illi Civitati.* Alium Ritum ſed idem ſignificantem excuſſionem ſcil. ſinus Nehemias in ſignum abjectionis, & rejectionis, adhibebat: quod ſcil. Dominus ita eos excuſſurus & deſtructurus eſſet, ſicuti ille adjurando ipſos, ſinum ſuum excutiebat. *Nehem.* 5. *v.* 12. 13. Et ſic Paulus *Actor.* 18. *v.* 6. Nec abnuere videtur illud de pacis retractatione & reditu ad Miniſtros pacem adferentes atque offerentes, Matth. 10. verſ. 13. *Sed ſi non fuerit digna* (domus ſcil. illa) pax veſtra πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω.

Et

Digitized by Google

Et apalogum illud de excommunicatione Matth. 18. verſ. 6. *Sit tibi tanquam Ethnicus*, &c. Quo forſan facere poſſet (ſi vera narrant Doctores *Thalmudici*) Judæorum recepta opinio de immunditiâ pulveris terræ Ethnicæ, æque ac ſepulchreti; quem propterea ex contactu inquinare ſtatuebant. Vide *Codicem Sanhedrim fol. 12. a. & c. Schabbat fol. 15. b.* & *Toſapht. ad c. Kelim. cap. 1.* Ita ut ex hypotheſi illius receptæ opinionis quamvis Scripturâ deſtitutæ, videretur Chriſtus præcipere, ut illam Civitatem Iſraeliticam tanquam Ethnicam, profanam, & impuram deteſtarentur, idque ſigno illo excuſſionis demonſtrarent. Sed ad has incertas conjecturas non eſt quod confugiamus. Hoc Ritu excuſſionis ſignificari, eos eſſe anathema ſeu cherem iiſque perniciem denunciari ſentiunt *Hieronymus*, *Hilarius*, *Theophylactus ad Matth.* 10. *Ambroſius in Luc.* 9. *Auguſtin. in Queſt. euangel. ex Matth. qu.* 7. & ex Recentioribus, *Maldonatus*, *A Lapide*, *Mariana*, *Daneus*, *Deodatus*, *notæ Anglicæ*; Altera eſt ſententia *Bonaventuræ*, *Immanuelis Sæ*, *Oſiandri*, *Grotii*, *Hofmeiſteri*, *Cythræi*, *Toßani*, qui volunt ſolummodo ſigno illo ſignificatum fuiſſe, deſerere & fugere ſe infelices illas terras, eaſque ſibi relinquere, nec quidquam commercii euangelici in poſterum cum ipſis interceſſurum. Addunt *Auguſtinus loc. citat.*, *Hofmeiſterus*, *Grotius*, *Cythræus in Matthæum*, *Toſſanus in Act.* 13. Excuſſione illâ ſignificaſſe, ſe nihil ipſorum captare, nihil temporalis inde velle auferre, ne quidem pulverem pedum; ſicuti illæ nihil ejus accipere voluerunt quod adferebatur ab Apoſtolis, ſic viciſſim nihil Apoſtolos inde relaturos, quod alioquin retuliſſent, ſiquidem euangelium admiſſum fuiſſet, juxta illud Luc. 10. v. 7. *dignus enim operarius mercede ſuâ.* cum *Gal.* 6. *v.* 6. *Rom.* 15. *v.* 27. Et huic interpretationi favere videntur verba *Luc.* 10. *v.* 11. Utraque hæc ſententia conjungi poteſt. *Poſterius quæſitum eſt*, An mandatum hoc Chriſti ejuſque executio in ſimili caſu ſit univerſale, atque adeo omnibus euangelii Præconibus imitanda. *Reſp.* cum diſtinctione: Mandatum Matth. 28. v. 19. *Ite & docete omnes gentes* &c. *baptizantes* &c. Et Matth. 16. v. *tibi dabo claves* &c. univerſale eſt, quod ad generalem, & communem rationem agendi & effectum converſionis intendendi ac producendi: nihilominus, quod ad principium & modum agendi, involvit quid extraordinarium & particulare reſpectu Apoſtolorum, quod omnes ordinarii Miniſtri imitari & ſibi attribuere non debent: ut ſunt, immediata vocatio, infallibilitas, & miniſterium extraordinarium atque univerſale, circa quaſvis totius orbis Eccleſias, prout occaſio id ferebat. Eodem modo ſe habet in præſenti negotio. Ex mandato Chriſti, & executione Apoſtolorum extrahimus τὸ generale, omnibus Miniſtris imitandum, hypotheticam ſcil. denuntiationem vindictæ divinæ ſerius aut citius ſuperventuræ, niſi reſipiſcant, atque unà quodcunque receptum ac commune indignationis, proteſtationis, & denuntiationis

nuntiationis ſignum adhibendum, ſive ſcripto, ſive verbis, ſive factis & geſtibus id fiat, ſecundum morem in aliis negotiis, actionibus, & affectibus humanis receptum. Et hoc pertinet ad uſum clavium Regni Cœlorum; qui fit primariò arcendo quem, aut ſi receptus ſit ſeparando à communione Eccleſiæ ac benedictionum in eâ: ſecundario ſeu ſuccedaneè & analogicè, nos ipſos ſeparando & retrahendo à talium communione, Deique judicio ac vindictæ: eos relinquendo, repudium pacis iiſdem mittendo 1 *Cor.* 5. *verſ.* 11. *Rom.* 16. *verſ.* 17. 18. 2 *Cor.* 6. *verſ.* 17. *Apoc.* 18. *verſ.* 4. Sed quæres, quę ſit peculiaris ratio tum denuntiationis apoſtolicę tum geſtus ac ſigni externè adhibendi. Reſpondeo, id patere ex exemplis Petri *Actor.* 5. *verſ.* 5. & Pauli *Actor.* 13. *verſ.* 11. qui abſolutè judicia Dei & de præſenti denuntiabant, & tanquam inſtrumenta moralia exequebantur ac devovebant. Cum quibus conferri poſſunt exempla Moſis, Eliæ 2 *Reg.* 1. & Elizæi 2 *Reg.* 2. & Nathanis prænuntiantis mortem infantis 2. *Sam.* 12. *verſ.* 14. Qui peculiares modi agendi, cum ſignis & geſtibus non ſine peculiari motu, inſpiratione, & mandato divino adhibitis, omnibus communiter imitandi non ſunt, juxta *Luc.* 9. *verſ.* 55. Conferri huc poſſunt diſtinctiones allatæ in quęſtione de provocatione ad judicium Dei 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. De Sortiu aliiſque divini nominis abuſibus. VIII. Probl.* Quid de Agapis? *Reſp.* Fuiſſe frugalia convivia à Chriſtianis in ſignum amicitiæ & fraternæ caritatis (unde & nomen ſortita) celebrari ſolita: djtioribus ſymbolas ſuas eò conferentibus, quibus pauperes pariter cum ipſis recrearentur. Meminit eorum *Epiſtola Judæ verſ.* 12. & 1. *Cor.* 11. *verſ.* 21. Prima eorundem origo videtur innui *Actor.* 2. *verſ.* 42. 46. Vulgatus Interpres 2 *Petr.* 2. *verſ.* 13. habet in *conviviis ſuis*: unde *Cornel. à Lapide* & *Lorinus ad illum locum*, conjiciunt fuiſſe in Græco exemplari, quo uſus erat Interpres, ἀγάπαις; & conſequenter lectionem illam reſtituendam. Cum iis facit *Grotius in Notis ſuis*; qui conſequenter expungi vult ἀνῶν; & addit Arabem hic non legere. Quam interpretationem Arabicam hic reſpexerit, non indicat. *Biblia Londinenſia Polyglotta* habent, & *Tranſlatio Arabica* ab *Erpenio* edita a. 1616. Sed nos hanc criticam non facile admittendam putamus, quæ in emaculandis aut maculandis Plauto, Lucano, Manilio &c. à Philologis nullis adhiberi ſolet, hac formulâ, Libros M. SS. nullus habui: ex ingenio ſic conjicio, ſic emendo, ſic legi aut ſic ſcribi jubeo. Omnia enim exemplaria Græca habent ἀπάτας ἀνῶν, & ſic verſiones Montani, & Vatabli *in deceptionibus ſuis*; & Arabs *bidergjanibim*, id eſt, in fallaciâ ſuâ. Syrus longè recedit à textu originali, Æthiopicus multo longius. *Beza in Notis ſuis* eandem Græci textus lectionem egregriè vindicat. Uſum eorum adhuc ſuperfuiſſe tempore *Tertulliani*, conſtat ex illius *Apologetico cap.* 39. An Cœna Domini ante illud convivium, an poſt adminiſtrata fuerit, non convenit inter Autores. Conferat, cui vacat,

Digitized by Google

vacat, *Lorinum*, & *A Lapide in 2 Petr. 2. & Judæ verſ. 12.* ac *Autores ibidem citatos.* An autem ad imitationem conviviorum apud Judæos in ſacrificiis euchariſticis, aut Gentilium, aut Eſſæorum (de quibus pluribus *Bolduc in Commentar. ad Epiſtolam Judæ*) hæc convivia à Chriſtianis inſtituta ſint, non eſt quod anxiè diſquiramus. Suffecerit nobis ſcire, Non malè pro ratione temporum iſtorum convivia celebrata, tum quod coitiones, & familiares converſationes facerent ad mutuam caritatem, benignitatem, hoſpitalitatem, amicitiam, colendam, fovendam inter Chriſtianos toti mundo, Gentilium & Judæorum tantopere exoſos: tum quod pauperes & tenuiores hâc ratione reficerentur: tum denique quod Chriſtiani Gentilium & Judęorum convivia tutò frequentare non poterant, ob rationes quas *in 2. Part. ſel. Diſpp. tit. de Gentiliſmo* indicavimus. Nihilominus creſcente numero fidelium, & creſcentibus abuſibus, in ipſa apoſtolicâ Eccleſiâ incipientibus, *1. Cor. 11. v. 21. Judæ v. 12.* rectè & prudenter fuiſſe omiſſa aut abrogata. Huc pertinet *Can. 38. Concil. Laodic.* qui refertur in *Jure canonico Diſt. 42. & 44. c. comeßatio* quo eliminantur ex Eccleſiis & *Auguſtini Epiſt. 64. Hieronymi Epiſt. 22.* Solent autem dividi in agapas ante Cœnam Domini, in funere, in communitatibus, in memoriis & natalibus Martyrum. Vide *Paulini Epiſt. ad Aletium.* Non obſtante autem abrogatione ſucceſſerunt in Papatum comeſſationes confraternitatum, encænia, convivia baptiſmalia, bacchanalia, trium regum, Martinalia & ſimiles pingues dies. Plura qui deſiderat, is adeat præter *Autores* modo *cit. Juſtellum ad Canones Eccleſiæ univerſæ, Aretium Part. 1. Probl. tit. de Conviviis, Pamelium,* & *Heraldum, ad Tertull. Apolog. c. 39.* & ad *Cypriani Epiſt. 37. JCtos ad L. 1. D. tit. 22. Baronium ad Ann. 57. Joh. Frid. Mathenęſium in tract. de More Bibendi in ſanitatem*; Imprimis *Boſium in Româ ſubterraneâ lib. 4. cap. 34.* & *Elmenhorſtium ad Minutii Octavium ſub finem*; apud quos omnes, aut plerique veteres citantur. *Albaſpineus Epiſc. Aurelianenſ. Lib. 1. de vet. Eccl. Ritibus. Obſ. 18.* non tantum contra Noſtros, & ſuos *Lorinum, A Lapide, Zwareſium &c.* contendit, non fuiſſe cœnam cum agapis, ſive ante ſive poſt celebratam; quod illa matutino tempori & jejunis iſtę veſpertino abligatę eſſent. Sed quamvis de conditione jejunii, poſt abuſuum multitudinem, denuo conſtitutum fuerit negari tamen non poteſt, quin tempore Apoſtolorum conjunctæ fuerint agapæ cum cœnâ. *1. Cor. 11. IX. Probl.* Quid de Ritu fœderum, ſeu confœderationum, tranſitu ſcil. per mactati animalis ſeparatas partes; cujus mentio *Geneſ. 15. verſ. 17.* & *Jerem. 34. verſ. 18. Reſp.* Dicimus Ritum & ſigna fuiſſe execrationis, quo confirmabant fœdus: imprecando ſibi ſimilem diſſectionem (hoc eſt mortem & exitium) ſi fœdus violarent. An autem Ritus à Deo inſtitutus, & formaliter myſticus ac ſacer fuerit, an vero communis & arbitrarius, dubitari poſſet. Quod ad Ritum hunc in confœderatione hominum cum Deo ineundâ aut renovandâ, *prius Aff.* ex

Gen. 15. cum *Jerem.* 34. & collatione cum *Exod.* 34. *verſ.* 6. ubi diviſio in duas partes dimidiatas ſanguinis vitulorum & hircorum in ſacrificium oblatorum. Et talem Ritum abrogatum dicimus unà cum omnibus ſacrificiis, eorumque Ritibus & adjunctis, tanquam partem cultus œconomici, typici, ceremonialis. An autem ordinariò & perpetuò tali occaſione adhibendus, non ità liquet. Quia etiam alios Ritus ac ſolennitates adhibitas legimus, ut effuſionis aquæ 1 *Sam.* 7. *verſ.* 6. juramenti cum ſonitu tubarum 2 *Paral.* 15. *verſ.* 14. juramenti cum ſubſignatione *Nehem.* 9. *verſ.* 38. Probabile tamen eſt in ſacrificiis propiriatoriis tali in caſu oblatis uſitatum fuiſſe. In confœderatione hominum cum hominibus, dicimus fuiſſe ſignum arbitrarium. Quale illud obteſtationis & adjurationis. 1. *Sam.* 11. *verſ.* 7. & forte *Judic.* 19. *verſ.* 29. Poteſt enim omne juramentum à confirmatione fœderis, ut & ab omnibus aliis pactis ſæcularibus abeſſe; & homines ſibi mutuò non diffidentes contenti eſſe ☞ ita, & non; aut ☞ amen amen. Ubi autem abeſt juramentum aut execratio, ibi etiam ſignum talis execrationis, tranſitus ſcil. per partes diſſectas, neceſſariò abeſſe debet. Poteſt etiam alio aliquo confirmationis ſigno fœdus ſanciri, ut acervo lapidum, & erectâ columnâ. *Geneſ.* 31. *verſ.* 45--50. Addimus, etiam interpoſito ſacrificio cum invocatione nominis divini, & ſolenni juramento atque execratione, Ritum illum tranſitus per hoſtię partes diſſectas, potuiſſe abeſſe: haut aliter ac Ritus elevationis manuum aut manus *Geneſ.* 14. *verſ.* 22. & ſuppoſitionis manus ſub fœmore ejus, cui juramus. *Gen.* 24. *verſ.* 2. Sub novo teſtamento, quicunque Ritus communes in pactis ſolennibus, nominatim in fœderibus pro arbitrio contrahentium aut ex receptâ conſuetudine in teſtimonium obſervari poſſunt; modo ne Juri divino repugnent. Sed à tranſitu per partes hoſtiæ diſſectas, omnino abſtinendum eſt: ne quid cultus typici & umbratici refodere, & ſepulchrum ſepultę legis ceremonialis violare videamur. Quod autem Deus *Geneſ.* 15. fœdus cum Abrahamo ſanciverit, more & modo in fœderibus humanis recepto, tranſitu ſcil. lampadis, (quæ Deum ſignificabat; uti Deus *Exod.* 3. & 13. & alibi, per ignem peculiarem præſentiam ſuam indicare voluit) per medias partes; id arguit ejus paternam indulgentiam ac συγκατάβασιν: haut aliter ac in juramento præſtito *Geneſ.* 22. cum *Hebr.* 6. *verſ.* 17. Jurat enim prima veritas, non propter ſe, ſed propter nos. Sed de hoc alibi agendum. Porro tranſitum illum per partes ſacrificii, videntur Gentiles in ſuis fœderibus voluiſſe imitari; ſed non ſine corruptione: uti diabolus Dei ſimius divina inſtituta in materiâ quodammodo, in formâ vero & fine planè immutare & contra Deum obvertere ſolet. Porcum enim aut porcam feriebant, in ſignum & teſtimonium ſic à Jove aut Diis feriendum, qui fœdus violaſſet. Vide *Livium Lib.* 1. ubi de fœdere inter Romanos & Albanos. Et Virgil. Æneid. 8. *& cæſâ iungebant fœdera*

dera porcâ; *Livius Lib.* 39. refert copias armatas inter divisam hostiam (canem scil.) traductas. *Plutarchus in Quæstionib. Romanis* testatur apud Boetos per canes in duas partes dissecti transitum τραγήμιον peractum fuisse. Ecce hic percussum porcum & dissectum canem, quos Deus ab omni sacrificio, immo & à quovis communi alimenti usu abesse volebat. Erat & aliud arbitrarium solennis juramenti & execrationis signum, quo Gentiles pacta sua confirmabant, transitus scil. jurantium & manu suâ ferrum tenentium per ignem: uti ex *Sophocle* refert *Cyrillus Alexandrinus Lib.* 10. *c. Julianum sub finem.* Sed de pluribus ex antiquitate huc adducendis consulat lector *Philologos*, & instar omnium *Grotium in Matth.* 26. *vers.* 26. qui cornucopiâ suâ satisfaciet; aut, si quis istarum rerum curiosior, ad similia colligenda manuducet. Venit in mentem in sanciendâ conjuratione Catilinariâ poculum humani sanguinis circumlatum fuisse, uti quorundam sermone tunc ferebatur, teste *Salustio.* X. *Probl.* Quid de Lotione pedum *Joh.* 13. *Resp.* De hoc egimus supra *Cap.* Non est itaque, quod hic repetam.

LIBER SECUNDUS.

TRACTATUS II.

DE

Agendis ordinariis publicis.

SECTIO PRIMA.

De Precibus, Benedictionibus, Doxologiis ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Precibus ecclesiasticis.

ORdinaria agenda in Cœtu Ecclesiæ sunt 1. Preces, Benedictiones, Salutationes, Doxologiæ. 2. Tractatio Verbi. 3. Administratio baptismi. 4. Administratio cœnæ. Quod ad primum, præsupponimus ex prescripto Dei, & usu Ecclesiæ tam veteris quam novi Testamenti, ordinaria hæc fuisse Ecclesię exercitia. Sic enim legimus *Actor.* 6. *vers.* 4. *nos permanebimus in Precatione*, &c. Et 1. *Cor.* 14. *v.* 14. 16. *Ephes.* 5. *v.* 19. *Coloss.* 3. *v.* 16. unde non malè locus §. 1.

Digitized by Google

conventuum & exercitiorum ſacrorum antiquis dictus eſt *Oratorium*, Græcis *Proſeucha*. Quomodo hodie Arabicâ linguâ Muhammedanis dicitur מסגיד *Meſgid* aut *Meſgida* à rad. *ſagada* proſtravit ſe, adoravit. De Proſeuchis Judæorum videndus *Epiphan. hæreſ.* 80. & *Philo Judæus in Legat. ad Caium. Actor.* 16. *verſ.* 13. occurrit vox προσευχὴ: ſed ibi ipſam Precationem, non vero locum ſignificari conſtat ex coll. *verſ.* 16. De Chriſtianorum oratoriis infra *Libr.* 4. agendum; ubi *de Templis*. Eſt enim Precatio ſocia fidelium, hoc eſt, eccleſiaſtica unum ex duobus præcipuis operibus & finibus conventuum. *Actor.* 2. *verſ.* 42. & 4. 23. 24. 31. & 6. *verſ.* 4. 1. *Corinth.* 14. *verſ.* 14. De conventibus extraordinariis, idem probatur ex 1. *Reg.* 8. 2. *Paral.* 20. *Joelis.* 2. *verſ.* 17. Accedit antiquę & ſequentium ſęculorum Eccleſię conſenſus & praxis. Vide *Juſtini* 2. *Apolog. ad Anton.* & conferri poterit *Plinii Secundi Epiſt.* 97. *lib.* 10. ubi refert ſolere Chriſtianos in antelucanis conventibus *carmen Chriſto quaſi Deo dicere ſibi invicem. Maymonides in More Nevochim part.* 3. *cap.* 32. diſtinguit genera cultus, quod alię ſint ſecundum intentionem ſecundam, ut oblationes: aliæ vero *magis ſint propinquæ intentioni primæ, & neceſſariæ ad illam aſſequendam*, ut precatio. Quod ad cultum ſeu officium Precationis, nos præſuppoſitis quæ didactice & in genere de ejus eſſentiâ & proprietatibus in *Locis communibus* paſſim, & de ejus praxi ac methodo in *Exercitiis pietatis* à nobis propoſita ſunt, ſpecialiter hic agendum duximus 1. de iis, quibus in Eccleſiâ Precationis officium incumbit. 2. De modo ejuſdem. 3. Deque ipſâ Precatione. *Quod ad primum*, dicimus Verbi Miniſtris incumbere, ut præeant; Fidelibus & Auditoribus ut mente devotâ attendant, ac præeuntem cogitatione ſequantur, interiori verbo mentis eadem Deo ſuo loquantur, aut ſi etiam exteriori, ſubmiſſe. *Prius membrum* probatur ex *Actor.* 6. *verſ.* 4. ubi Apoſtoli ſibi tribuunt προσκαρτερῆσι τῇ προσευχῇ & διακονίᾳ τ λόγ. Quod non intelligendum ſimpliciter de exercitio precandi, ad quod omnes Fideles in cœtu illo tenentur, & cujus gratiâ conveniunt: ſed de προσοίσι, ὑμνοῖς, ductu, anteceſſione. *Alterum membrum* probatur ex 1. *Cor.* 14. *v.* 14. Non quod omnes cum Miniſtro ſimul clarâ voce clamare debeant; id enim pareret confuſionem & intelligentiæ, attentioni ac devotioni in Precatione adhibendæ non ita conveniret: ſed quod purâ oratione mentali, aut vocali ſubmiſſiori, quæ à cœtu aut Miniſtro exaudiri nequeat (uti 1. *Sam.* 1. *v.* 13.) ſubinde cum ipſo orare debeant. Hic quæſtio movetur, an in cœtu Eccleſiæ ita orandum, ut Miniſter partem periodi, aut commatis ex *Pſalmo* aliquo *Davidis*, aut aliâ quâpiam Precationis formulâ pronuntiet, & Populus aut alius Miniſter clarâ voce reſiduam partem pronuntiet. *Reſp.* Pontificii in cantu ſuo chorali utuntur antiphona, quam interpretantur vocem oppoſitam ſeu contra-ſonantem; quia inchoatur ab uno unius chori, & ad ejus ſymphoniam

am cantatur Pſalmus per duos choros, ipſâque antiphonâ conjunguntur ſimul duo chori. Hinc ſententia quæ cantum aut Pſalmum præcedit dicitur Antiphona. De origine Antiphonarum ab Ignatio Antiocheno, & in Occidente ab Ambroſio circa annum 383. deque ejuſdem variatione, modis, ritibus, videat, cui vacat, commentantem *Gavantum in Theſauro Rituum tom. 2. ſect. 5. cap. 7. & cap. 22.* & alibi paſſim: ubi *Amalarius*, *Alcuinus*, *Durantes*, *Hugo*, *Francolinus*, *Ceremoniale Clericorum regularium S. Pauli* ad partes adducuntur. Ab Antiphonâ dicitur *Antiphonarium*, *Liber* publicus in Papatu, qui continet Antiphonas. Reſponſorium eſt, quo chorus, canens reſpondet hiſtoriis ſacrę Scripturæ in præcedenti lectione lectis; ita ut ſecundum ordinem Hiſtoriarum ordinatum, reſpondeant triſtia triſtibus, læta lætis. Myſteria hæc poſt omnes alios à tranſcendente Ceremoniarum magiſtro explicata habes *Lib. & ſect. cap.* 12. Sed miſſo hoc modo orandi, canendi, legendi (de quo in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Roſariis, Litaniis, Horis canonicis*). *Neg.* Precibus eccleſiaſticis illam divulſionem & diſtributionem conceptuum, quâ huic pars conceptus & pronunciationis periodi aut ſententię aſſignatur, alteri altera pars, convenire. Quomodo enim interruptis, pendentibus, & hiulcis conceptibus, non-conceptibus conveniet illud 1. Cor. 14. verſ. 15. *Orabo ſpiritu meo, & orabo intellectu meo.* verſ. 26. *Omnia ad ædificationem fiant.*

Videamus nunc quomodo orandum: ubi occurrunt iſtæ Quęſtiones, de qualitate, an clarâ voce, an linguâ notâ, an certâ formulâ: de quantitate, §. 2.
quoties, & quantum, ac quandiu. 1. *Quæſt.* An Precatio eccleſiaſtica fieri debeat, clarâ voce Miniſtri præeuntis? *Reſp.* Praxis Anabaptiſtarum in cœtibus ſuis, ejuſque ſuſcepta defenſio, *Negat.* Noſtra praxis & doctrina *Affirmat.* Probatio petitur ex 1. *Corinth.* 14. ubi Preces linguâ peregrinâ in cœtu Eccleſiæ pronunciatas abrogari vult, iis rationibus, quarum nulla Miniſtris mente ſolum aut tacitæ vocis murmure orantibus aptari nequit. Lege *verſ.* 9.-- 29. eſſe autem rationes Apoſtoli applicandas non tantum Scripturę interpretationibus & concionibus (quas clarâ voce habendas Anabaptiſtæ non negant), ſed & eccleſiaſticis Precationibus & gratiarum actionibus, conſtat ex verſ. 14. *Si enim orem linguâ* &c. verſ. 15. *orabo ſpiritu, ſed orabo etiam intelligentiâ &c.* verſ. 26. *quoties convenitis, quiſque veſtrum canticum habet.* 2. *Argum.* Ab exemplis Prophetarum, Apoſtolorum, ipſius Chriſti, piorum Regum. 1. *Reg.* 8. 2. *Paralip.* 20. *verſ.* 5. *Ezr.* 9. *verſ.* 5. & 10. *verſ.* 1. 3. *Argum.* Ex Matth. 18. verſ. 19. *Si duo ex vobis conſenſerint in terrâ, de omni re quam petierunt, fiet eis à Patre meo &c.* Atqui nemo Auditorum cum orante Concionatore ſuo convenire atque idem unà cum illo precari poteſt, nemo ad petitionem ejus τὸ amen dicere poteſt (1. *Cor.* 14. *verſ.* 16.) quia non intellexit quid, pro quibus, contra quos, à quo, per quem, quâ ratione, quâ rhe-

Digitized by Google

toricâ divinâ oraverit. 4. *Argum.* Quia vox orantis excitat, auget, continuat, ſuſtentat, ſtimulat auditorum devotionem, & in mentem revocat illud quaſi Pręconis voce pronuntiatum, *Hoc age.* Confer *Scriptores de Oratione mentali non tantum, ſed & vocali.* 5. *Argum.* Sequeretur in verbi tractatione poſſe Anteceſſores æque tacitè loqui aut ſubmurmurare coram & in Eccleſiâ aut ignotâ linguâ loqui, ac orare. Sed hoc abſurdum non admittent Anabaptiſtæ. Jam vero conſequentiam eſſe ſolidam, conſtat ex *Actor.* 6. *verſ.* 4. cum 1. *Cor.* 14. ubi prophetiam & orationem pari paſſu ire videmus, reſpectu intelligentiæ & ædificationis Populi. 6. *Argum.* Ex hoc abſurdo conſequenti : quod cum Concionatore Auditores tacitè orantes, debitâ cum attentione & devotione orare nequeunt. Perpetuo enim attendere debent, an Concionator finiat & ab oratione ſurgat, ut & ipſi cum ipſo ſurgant. Hoc enim non exiguam pareret confuſionem, ſi Concionator oratione ſuâ finitâ, & auditorii, immo paucorum Auditorum, quin vel unius atque alterius oratione nondum finitâ inchoet concionem. Neque enim poſſibile eſt, ut Concionatoris ſpiritus, impetus, zelus precatorius ejuſdem menſuræ, & efficaciæ ſit cum ſpiritu omnium & ſingulorum Auditorum. Sunt enim infantes in Chriſto, ſunt tepidi, ſunt ſteriles, ſunt viri, ſunt ferventes ſpiritu, ſunt ſuperabundantes gratiâ. Quiſque donum ſuum habet, quiſque ſua intervalla ſiccitatis ſpiritualis, inſenſibilis devotionis, duritiei cordis. *II. Quæſt.* Quâ linguâ ? *Reſp.* Eccleſiæ notâ. De hâc quæſtione contra abuſus Papatus ex profeſſo agitur *in Controverſiis de Scripturâ*, ſub tit. *de Tranſlatione Scripturæ*, & *de Sacris ſermone vernaculo peragendis.* Inde ergo argumenta huc transferri, & Precibus ac Hymnis aptari poſſunt. Supra *Tract.* 1. *tit. de Liturgiis* eandem hanc quæſtionem attigimus. *III. Quæſt.* An conceptis & præſcriptis formulis Miniſtri aſtringi debeant quibus orantes præeant Eccleſię ? *Reſp.* 1. *Concl.* Formularum à Viris ſpiritualibus conſcriptarum uſus in privatis Precibus Fidelium, præſertim eorum qui in cognitione rerum ſpiritualium adhuc infantes ſunt, aut qui in arte precandi parum exercitati, aut quando in ſatis exercitatis ſpiritus precum languet, aut alioquin diſtractiones, tentationes, diabolicæ injectiones, aliique colaphi Satanæ precandi officium turbant ; minimè improbandus, quin contra commendandus eſt. Idem dico de Precibus domeſticis : ſiquidem ſimilia ἐπιτήδευα præeuntium aut ſequentium, aut utrorumque hoc ſuadeant. 2. *Concl.* Quod ad Preces eccleſiaſticas, ἄγνοια, aut ἀπαιδία, aut ἀπροθυμία Concionatorum uſum formularum neceſſarium facere non deberent : quia nemo cognitione Scripturæ, aut dono Prophetiæ ac Precum, ſeu δυνάμει ἐμπνεύσεως hâc in parte deſtitutus adſacrum miniſterium admitti, aut admiſſus in eo tolerari deberet. Qui quavis occaſione aut neceſſitate oblatâ ex Scripturis vetera & nova depromere non novit, & conſcientiis per conſolationes, hortationes, correptiones

nes applicare, ſimiliter & Preces publicè, privatimque apud quoſcunque afflictos, moribundos, energumenos, extremo ſupplicio devotos, quocunque in periculo verſantes, fundere; is nomine ἡγεμὼν, id eſt, Anteceſſoris in Verbo & Precibus (*Actor. 6. verſ.* 4.) indignus. Sed ſi tales inepti Concionatores alicubi dentur, & neceſſariò, ſaltem pro illo tempore, tolerari debeant: omnino illis ſuadendum, immo imponendum, ut Precum formulis ſive memorię impreſſis (quod in tali paupertate præſtat) ſive ex Libro lectis inhæreant; ne propriis conceptibus malè formatis, malè cohærentibus, malè propoſitis atque expreſſis, in orthodoxiam impingant, & Eccleſiæ Preces ac devotionem magis perturbent, quam promoveant. 3. *Concl.* Ubi infantia & infirmitas Auditorum in primâ plantatione inter Infideles, aut in primâ reformatione Eccleſiæ in Papatu, ubi ſolis formulis aſſueverunt, aut plerorumque Auditorum in Eccleſiâ jam conſtitutâ aut reformatâ, ſubſidium formularum poſtulare videbitur: ibi puto conſultum, immo pænè neceſſarium fore earundem uſum. Illo enim utendum eſt, quo maximè animas in praxi Precationis & totius pietatis ædificamus. Omnia enim omnibus fieri debemus, & ædificatio populi primaria nobis intentio, & ſuprema lex eſſe debet. Sic tamen formulis tali in caſu utendum, ne Populus in opinionem hanc deveniat, quaſi Miniſtri ſemper, immo etiam ad ſemper (uti loquuntur in Scholis) hanc συγκατάβασιν pręſtare, & ab omni Precatione extra Libros aut formulas præciſè tenerentur abſtinere, nec Auditores ſuos ad majorem perfectionem provehere. Vide in contrarium monentem *Apoſtolum*, *Hebr. 5. verſ.* 11.--14. & 6. *v.* 1.--4. cum 1. *Corinth.* 3. *verſ.* 1. 2. *Philipp.* 3. *v.* 13.--16. Prudentię ergo erit, Precationem ex pectore fuſam interdum interponere, & ſemper aut ferè ſemper Precationi poſt concionem partem addere aut inſerere, quæ ſpeciales neceſſitates, querelas, petitiones, doxologias, peccatorum confeſſiones, &c. contineat. Hæc mutatio imperitos minus turbabit. 4. *Concl.* Nec probari poteſt opinio & conſuetudo quorundam (inter quos mihi indicatus vir cætera pius & literatus) qui ipſi preces non formant, ſed recitatione orationis Dominicæ omnia incluſa volunt. Ut ut enim illa immediatè divina ſit, non tamen illius ſolius uſui nos aſtringere debemus: multo minus eam tacitè venerari tanquam alterum quem Mediatorem, aut partiale quid propitiatorium, propter quod Deus exauditurus ſit. Sed de hoc alibi. 5. *Concl.* Imperitia eſt, aut invidia, aut præſtantiorum donorum in aliis, ſuppreſſio, aut ſpiritus exſtinctio, aut moris Judęo-Rabbinici, Muhammedici, Papalis κατοχὴ, ſi quis univerſam Eccleſiam, ejuſque Miniſtros etiam maximè exercitatos, ad unas eaſdemque formulas perpetuo & recurrente opere operato, quaſi trabalibus clavis affigat; immo tantam ſanctitatem ac perfectionem in formularum recitatione & lectione collocet, ac ſi immediatè à Spiritu S. dictatæ,

Google

dictatæ, & cum canonicis Scripturis, quæ in Ecclesiâ legi debent, pari pietatis affectu & reverentiâ suscipiendæ essent. Addo, aut crassum stuporem, aut insignem maledicentiam & atrocem calumniam esse, si quis auditam Precationem absque libro, enthusiasmi, aut periculosæ novitatis gnorisma faciat; & vel hoc solo nomine nescio cujus fanatismi etiam optima ingenia habeat suspecta. Quorum sive ignaviæ & ignorantiæ, sive præstantiorum donorum in aliis ex livore contemtui, istas rationes opponimus. 1. *Rat.* Quia Viri Dei, Prophetæ, Apostoli, aliique in Scripturâ memorati, ad certarum formularum, aut libellorum catholicè præscriptorum recitationem aut prælectionem se non adstrinxerunt. Vide *Exod.* 15. *Judic.* 5. & 10. 1. *Sam.* 1. & 2. 1. *Reg.* 8. 1. *Paral.* 17. *Jesa.* 38. *Daniel.* 9. *Jon.* 2. *Habac.* 3. *Luc.* 1. & 2. ubi Hymni Mariæ, Zachariæ, Simeonis, *Joh.* 17. *Matth.* 26. & ubi Precationes Christi. *Actor.* 4. & 7. & 12. Non debet hic excipi, fuisse προφήτους & infallibiles, nos non esse: nam idem pro præscriptis homiliis & certis ac perpetuis adhortationum, consolationum, reprehensionum formulis de verbo ad verbum publicè privatimve recitandis aut prælegendis, contra allata exempla scripturaria nobis ad imitationem proposita, excipi posset. Quin & contra omnem Christi actionem, quæ nostra est institutio, & hortationem Pauli, 1. *Cor.* 11. *vers.* 1. *Hebr.* 12. *vers.* 1. 2. pariter quis exciperet, Illum fuisse παράδειγμα, & in humanâ naturâ illis gratiæ donis instructum, ut esset impeccabilis & perfectus: ejus itaque exemplum nos ad imitationem non obligare. Sed de exemplo & imitatione alibi. 2. *Rat.* Sæpe, immo & plerumque major & magis renovatus sensus devotionis excitatur, ex majori & profundiori miseriæ nostræ sensu, & inde excitato majori gratiæ desiderio ac suspiratione, cum per conceptus magis evidentes ac particulares pro præsentis necessitatis statu particulari, & spiritualium affectuum (humilitatis, doloris, fiduciæ &c.) commotione, petitiones nostras coram Deo repræsentamus, & corda nostra coram ipso effundimus. Qui aliquâ ex parte artem precandi (non opere operato, sed operante) præsertim in magnis animi aut corporis afflictionibus tum suis tum alienis exemplo Davidis, *Psal.* 6. & 22. & 38. & 42. & 77. & 92. & 102. & 130. exercuit, & rhetoricam divinam (ita artem hanc merito appellabat *Gul. Parisiensis*) mediocriter didicit, is de eo judicabit quod dico. 3. *Rat.* Quia Concionatores & ministerii Candidati in prophetiis, concionibus, adhortationibus, consolationibus, correptionibus, refutationibus, tum publicis tum privatis certis & præscriptis formulis in circulum recurrentibus, perpetuò recitandis, aut ex libro chartâve de verbo ad verbum prælegendis, nec se adstringunt, nec adstringi solent. Si inter eos tales fuci deprehenderentur, probati quique Ministri & Seniores, qui Consistoria, aut Synodos constituunt, ignava illa pecora à præsepibus arcerent. Refert

Kec-

Keckermannus in Rhetoricâ eccleſiaſticâ, Poſtillophagum quem pro concione intonuiſſe præſertim plagam graſſantis peſtis, quod ita legiſſet in poſtillâ ſuâ: cum tamen nulla eſſet. Relatum mihi à fide dignis, quendam à Precatione eccleſiaſticâ (quam ex formulario aut libello Precum didicerat) inter alia petiiſſe, ut Deus potaret ſulcos terræ: cum tamen nimia & diuturna pluvia ſulcos & agros quaſi inundaret. Memini me etiam legiſſe, à Lectore aliquo in Angliâ cum pro ægroto oratio peteretur, ex Liturgiâ recitaſſe formulam gratiarum actionis pro muliere ex puerperio reſtitutâ, & ad cœtum eccleſiaſticum reduce. Confer quæ infra dicemus de Ratione concionandi. Jam vero prophetiam ſeu verbi tractationem, & Precationem pari paſſu ire ſupra monuimus ex *Actor.* 6. & 1. *Corinth.* 14. Ut enim ibi per Miniſtrum Eccleſia audit Deum ad ſe loquentem, ita hic per eundem & cum eo alloquitur. Deum. 4. *Rat.* Quia hoc docet praxis Eccleſiæ antiquæ apoſtolico ſæculo proximæ: uti ſupra oſtenſum eſt. Nam declinante paulatim cognitione & zelo in Eccleſiis, præſertim Miniſtrorum, propter inſtantem neceſſitatem poſtmodum commendata aut præſcripta fuit certarum formularum recitatio aut prælectio, loco Precationum & Concionum. Adde quod diſcuſſâ ignorantiâ, barbarie, heterodoxiâ, ſuperſtitione, recitatione Officii divini, lectione Breviarii, Miſſalis, &c. per reformatarum Eccleſiarum praxin & doctrinam genuina concionandi, orandi, conſolandi, adhortandi ratio quà publicè quà privatim reſtituta fuit. Vide *Calvini Prælectiones in Danielem & Prophetas Minores*, ubi ſingulis Lectionibus ſingulę orationes aptantur. In Eccleſiis Anglicis, quamvis Liturgiæ lectio obtineret, Miniſtri tamen ex libro Preces publicas non recitabant. In Belgio noſtro, quoſcunque unquam Anglicè audivi concionantes, (audivi autem complures), neminem inter eos deprehendi ſtatis formulis uſum, nedum ex libro eas legentem. Et ne quis putet de Concionatoribus hierarchię Anglicanę minus faventibus, quos perperam *Puritanos* iſtic appellare ſolent, hoc intelligendum, addo maximè hierarchicos pariter ita precatos fuiſſe; inter eos Epiſcopum Landafenſem, & Theologos Anglos, qui tempore Synodi Dordracenæ anno 1618. 1619. ſingulis Dominicis per vices illic concionabantur. De Scotis idem affirmo, & pluribus, ſi non pleriſque Belgis noſtris. 5. *Rat.* Quæ eſt ex autoritate, & ad hominem: Quia omnes Concionatores noſtri (niſi fuci, aſini, & plus quam idiotę audire velint) diebus jejunii, & ſingulis dominicis, ſaltem in Precibus poſt concionem duo præſtant, quæ certis & præformatis formulis perpetuo recitandis aut ex libro legendis præſtari nequeunt. *Primum* eſt, quod ad particulares quaſque neceſſitates iſtius temporis & loci, & ad ſingulares quaſdam neceſſitates in Eccleſiâ oblatas, ipſiſque vivâ voce aut ſcedulis ſuggeſtas, deſcendunt, eaſque Deo repræſentant per ſupplicationes, & gratiarum actiones. Quod ſi

hoc non ſit ἐνθουζιάζειν aut λιβερνίζειν, aut tremere & bacchari in modum Sibyllæ Virgilianæ, cur ſi quem Miniſtrum invida ignorantia aut ignavia audiat Preces ſuas, ut poteſt, Scripturæ conformes, abſque libro ex pectore fundentem, improbis ſuſpicionibus & calumniis eum gravet? Quid dicam de Precibus communiter fundendis apud ægrotos, moribundos, extremo ſupplicio ſubjectos, alioſque afflictos? An libellos formularios circumferent, aut adferent, ut ex iis quid legant: uti hoc in more poſitum eſt imperitis ſacrificulis in Papatu? *Alterum* eſt, quod in Precibus poſt concionem materiam concionis aut præcipuam quam doctrinam & applicationem breviter repetant, aut ſaltem attingant, idque ſub formâ petitionis, aut deprecationis, aut confeſſionis, aut gratiarum actionis; atque ita officio precandi defungentes, una pro concione dictas conſolationes, excitationes, adhortationes, dehortationes, querelas, reprehenſiones, redargutiones, ſuo & Auditorum cordi infigant. Omnes qui ad cor Populi efficaciter & applicatè, non ſpeculativè, aut generaliter, aut theoreticè, concionantur, ſic precari ſolent, ut pro ratione tractationis & applicati textus, peccata reprehenſa confiteantur, credendorum fidem, faciendorum praxin, conſolationum ſenſum, adhortationum & reprehenſionum admiſſionem, judiciorum Dei timorem, fervidè petant; & pro beneficiis ſpiritualibus ac temporalibus, quæ textus prælectus aut concio ad textum attigit, Deo gratias agant. Omnia enim illa in Preces convertuntur, & in iiſdem deſinunt: juxta celebre illud Auguſtini in confeſſionibus, *Da quod jubes, & jube quod vis, & non fruſtra jubebis.* Jam vero ut textus & doctrinæ atque applicationes variant, ſic & conciones; & ſi conciones, conſequenter & Preces concionibus aptatæ: ita ut nec illæ nec iſtæ unâ atque alterâ formulâ, nec etiam quinquagenis poſtillis ac formulis in ordinem recurrentibus, ſive ex libro recitandis ſive pronuntiandis, ritè abſolvi poſſint.

6. *Concl.* Non tamen retentus uſus formularum ob ſpiritualem Miniſtri ignorantiam (quę tamen non diu, nedum ut perpetuo, ferenda eſt), aut ob auditorum ſive omnium ſive plerorumque ruditatem, aut ob votum eorum, qui in certis & ſibi notis formulis remedium aliquod diſtractionum invenire ſe profitentur, ſimpliciter rejiciendus, nedum tam rigidè, uti à nonnullis fit, condemnandus. Quaſi omnis eſſentia Precationis, omnis efficacia, omnis devotio, omnis ſpiritus Precum abſit, ubi adeſt formula. Abſit, abſit, ut de multorum piorum, non tantum idiotarum, ſed & eruditorum verâ converſione, fide, devotione, tam temere judicemus: quaſi ſcil. eſſet merum opus operatum, opus labiorum, attentio ad verba, quam Pontificii in legendo Breviario, & demurmurandis ſuperſtitioſè Preculis ſufficere arbitrantur. Qui hic & nunc ſine cortice natare novit, non debet condemnare auxilium corticis, ad quod confugiunt, qui natandi minus periti, aut periti quidem, ſed hoc tempore

Digitized by Google

pore ſpaſmis obnoxii, aut eos metuentes aquis ſe committunt. Sic omnium orantium conatus ad perfectionis ſuæ æqualitatem non exigent perfecti hâc in parte: memores regulæ apoſtolicæ Phil. 3. verſ. 15. *Quotquot ſumus perfecti &c.* Uſum formularum non eſſe per ſe aut intrinſecè malum, ſed poſitis ponendis utilem, quin & ſubinde neceſſarium, probatur. 1. *Rat.* Ex Dei inſtitutione, qui *Num.* 6. formulam benedictionis uſurpandam, *Deuter.* 26. *verſ.* 5.-- 10. confeſſionis, *Deut.* 31. *verſ.* 21. 22. formulam commemorationis, *Jeſa.* 12. *verſ.* 1. *Jerem.* 33. *verſ.* 11. *Ezr.* 3. *verſ.* 11. formulam doxologiæ, 1. *Reg.* 8. *verſ.* 47. *Dan.* 9. *verſ.* 5. *Hoſ.* 14. *verſ.* 3. *Joel.* 2. *verſ.* 13. formulam ſupplicationis preſcripſit. 2. *Rat.* Quia Chriſtus *Luc.* 11. *verſ.* 2. Diſcipulis poſtulantibus Formulam Precationis tradidit, de eâ uſurpans τὸ *dicite*: quo τὸ ῥητὸν in forma ſeu formalia (ita loquar) verba adhibenda indicantur: Ne quis excipiat tantummodo materiam & contenta Precum tradita eſſe Diſcipulis; hoc enim minimè poſtulabant Diſcipuli, quippe de eo cum elementis religionis edocti. 3. *Rat.* Quia Davidis Pſalmi ſunt certæ formulæ continentes ᾠδὰς, ὕμνους, ψαλμοὺς, ὠδὰς πνευματικὰς, ἐξομολογήσεις, μακαρισμούς: qui Eccleſiis tunc temporis & ſequentium temporum dati ſunt, ut iis Deum laudarent, ſupplicarent, &c. Quod conſtat partim ex præfixis titulis, למנצח, id eſt, victori aut præfecto, *Pſal.* 75. 76. 77. &c. & *filiis Korah*, *Pſal.* 84. 85. 87. 88. imprimis ex titulo *Pſal.* 92. *verſ.* 1. *canticum in Sabbatho*; partim ex 2. *Paralip.* 29. *verſ.* 30. ubi Levitæ dicuntur Deum laudaſſe verbis Davidis & Aſaphi, quæ reperimus *Pſal.* 136. Iiſdem Pſalmi citati verbis Joſaphatus dominum laudari voluit. 2. *Paral.* 20. *verſ.* 21. His adde; quod Moſes ex Dei mandato in elevatione & poſitione acræ certâ formulâ uſus eſt. *Numer.* 10. *verſ.* 35. 36. eâdemque David *Pſal.* 68. *verſ.* 1. 4. *Rat.* *Quia*, ſequeretur Pſalmos Davidis, aliaſque Hymnorum & Canticorum formulas non eſſe publicè canendas: cujus contrarium evincit univerſalis antiquæ, intermediæ, hodiernæ Eccleſiæ praxis. 5. *Rat.* *Quia* ſequeretur, nullum Miniſtrum poſſe Auditoribus ſuis præformare formulam Precationis, quâ etiam illi tacitè mente ſuâ precentur, & ad quam finitam dicant, amen. 1. *Corinth.* 14. Atqui hoc abſurdum neminem ex ὁμολογίᾳ admiſſurum arbitror. Quod ſi quis excipiat eos conceptus à Miniſtro præformatos & pronuntiatos attentè audiendo & intelligenter concipiendo facere ſuos, regero idem de conceptibus formulâ aliquâ propoſitis pariter dici poſſe. 6. *Rat.* Denique auctarii loco notandum, Wittakerum ante & poſt lectiones ſuas, Chaddertonum & Perkinſum ante & poſt conciones ſuas iiſdem formulis ordinariè uſos: Quod refero fide *Roberti Hilli* Theologi Angli *in Semitâ Precationis & Pietatis*, editâ anno 1613. quem Auditorem eorum fuiſſe arbitror. An autem alienis & Liturgiâ aliquâ propoſitis formulis uſi ſint, an vero proprias ſibi compoſuerint, eaſque ex

que ex libro aut chartâ prælegerint, an vero abſque libro pronuntiârint, non dicitur. Ego de compoſitione & pronuntiatione opinari malim. *7. Rat.* Quod ſi certum eſſet Chriſtum ὑμνῆσαι *Matth. 26. verſ. 30.* cum Diſcipulis ſuis ceciniſſe halleluia magnum ita dictum, id eſt, Hymnum paſchalem conſtantem *Pſal. 112.* uſque *119.* utique non vulgare inde argumentum pro formulis educi poſſet. Sed quia Magiſtri Judæorum, ex quibus hæc conſuetudo refertur, non ſunt nobis adamantini Antiquitatum eccleſiaſticarum ante Chriſtum teſtes, nec hodierni Judæi fidi antiquorum rituum abſque mutatione obſervatores, utique tanti eſſe non debet quod hodie Judæi hâc eâdem nocte poſt comeſtum agnum hymnum illum canunt, teſte *Burgenſi ad Matth. 26.* & quod de הַלֵּל הַגָּדוֹל in libro præceptorum refertur *fol. 118. IV. Quæſt.* De quantitate diſcretâ, id eſt, quoties & quando in Eccleſiâ orandum? *Reſp.* Indefinitè & in genere dici poteſt, quotieſcunque convenit, ſive diebus dominicis, ſive aliis: ſive clam ſive palam: ſive ſine concionibus aut lectionibus ſacris, ſive cum illis, Quot Precationes definitè per annum, per menſem, per hebdomadam quotidie, & quibus horis ſive ordinariò ſive extraordinariò in qualibet particulari Eccleſiâ inſtitui debeant aut poſſint, arbitrio cujuſque Eccleſiæ ſecundum particulares circumſtantias prudenter ordinaturæ, mutaturæ, temperaturæ, relinquendum eſt. Ut enim omnes totius Orbis, aut Nationis, aut Diſtrictus, aut hujus illiuſve loci Eccleſiæ, cujuſcunque ſtatus & conditionis ad eundem ordinem, numerum, modum, eademque tempora, Precum & lectionum eccleſiaſticarum ſtrictè obligentur, in tantâ circumſtantiarum variatione nimis quam abſurdum eſt. Et qui iſtius ordinatæ ἀνυφίας ſatageret, videretur mihi ſimile quid Reipublicæ Platonis ſomniare. Confer quæ *ſupra* diximus *de Affectatione aut Molitione univerſalis Liturgiæ.* Fuerunt Eccleſiæ & adhuc ſunt, ni fallor, ubi Populus quotidie & manè & veſperi ad Preces convenit; ſed tantum ad Preces. In Caſtris Magni Guſtavi Suecorum Regis in Germaniâ ſuperioribus annis arma circumferentis id obſervatum. Servatur idem in Navibus bellicis, & mercatoriis pleriſque. In Caſtris fœderati Belgii ad Sylvam ducis anno 1629. (ubi aliquandiu ex delegatione Synodi Zuydhollandicę & Claſſis Gorinchemenſis inter alios miniſterio fungebar) quotidie ad caput cujuſcunque Legionis ſub veſperam in procinctu ſtantis ad νυχθημέρια iſtius extremas excubias, & annexa ipſis quævis oppugnationum ac defenſionum pericula ſubeunda, cujuſque Nationis idiomate Preces rei præſenti convenientes fundebantur, præmiſſâ ad fidem, fiduciam, reſipiſcentiam, timorem Dei ex Scripturis hortatiunculâ. Ex quotidianis in Eccleſiâ celebratis Precibus, ſuſpicor remanſiſſe apud noſtrates nomina concionum extra dies dominicos manè aut veſperi habendarum **Het Noondt gebedt**/ **Het Mozgen gebedt.** Ubi in majoribus Eccleſiis frequen-

tiores

tiores inter duas dominicas habentur conciones, ut ternæ aut quaternæ, aut quinæ, aut etiam senæ, ibi unà ad preces publicas frequentius convenitur; quandoquidem nullæ conciones sine Precibus. Optandum esset, ut ubique homines ad matutinas & vespertinas Preces & prælectiones unius Scripturæ capitis convenire possent; præsertim ubi per regnantem barbariem plurimi, aut plerique legere non didicerunt; aut ubi ordo & devotio exercitiorum pietatis in familiis non vigent. Sed vix sperari potest, homines barbaros aut semibarbaros (quod ad fidei cognitionem & pietatis praxin) ex domibus suis bis de die ad Templa trahendos; imprimis si ab iis remotius habitent. Fideles quique Ministri, qui animas suas tradiderunt ad animas Christo adducendas, prudenter despicient, quantum in exercitiis lectionum, & Precum tum publicis tum privatis inter suos promovendis, quâcunque occasione præstari queat. Memini me a. 1625. per occasionem interfuisse concioni hebdomadali, quæ ex statuto presbyterii illius civitatis ad tres horæ quadrantes extendebatur, præmisso solum cantu duorum versuum ex Psalmis, & subjunctâ brevi Precatione, sine cantu. Alioquin in aliis Belgii Ecclesiis (quod sciam) ordinario inter duas Precationes interjicitur concio; quidquid fiat de cantu actionis abbreviandę causâ. Rursum in nonnullis Ecclesiis diebus dominicis gemina Precatio concioni præmittitur: quarum prior continet confessionem peccatorum, posterior petitionem auxilii divini. Alicubi diebus jejunii, non tantum ante & post concionem quamque orationes, sed insuper binæ aut ternæ aut quaternę intermedio tempore inter duas conciones, accommodatè ad capita ex Scripturis prælecta & ad Psalmos cantatos, dispartitis intervallis fieri solent. *V. Quæst.* De quantitate continuâ, an debeant esse prolixæ, an vero breves? *Resp.* Una mensura omnibus omnium Ministrorum Precibus, quocunque tempore, in quâcunque Ecclesiâ habendis præfigi non debet. Sunt qui opinari videntur, tamdiu protrahendas, quamdiu spiritus & ardor precandi conceptuum, & meditationum affluentiam suppeditant. Cum quibus sentire nequeo. Neque enim spiritus Precum in solo Antecessore respiciendus, sed etiam in Auditoribus; quorum plurimi, si non plerique extra numerum exercitatorum & perfectorum collocandi sunt. Et quid si Concionator quis cum Jacobo Apostolo, cum Gorgonia sorore Nazianzeni: cum aliis, quorum admirabilis in Precibus perseverantia ab Historicis refertur, paria facere posset; an ideo in Ecclesiâ pro gratione peculiaris suæ virtutis & doni Precum, orationem ad horas aliquot continuabit? ubi non tantum sibi precatur, sed & Ecclesiæ, tanquam os ejus, & manuductor: cui ita pręire debet, ut sequi possint, etiam imbelles; ut eos excitet, & conceptus præformando instruat, non ut distrahat, disturbet, confundat. Videntur qui talem opinionem præ se ferunt, Preces privatas seu solitarias à publicis, seu sociis non distinguere. In

illis ſententiam ipſorum haut difficulter accederem: ſic tamen ut ad vires & complexiones corporis ſui quilibet prudenter attendat: ne quid nimis. A Theologis practicis Pontificiis ſollicitè monentur gymnaſtæ ſpirituales, ne tam aſſidui ſint in ſoliloquiis, precibus, contemplationibus, ut cerebri functionibus nimium infirmatis uſus rationis turbetur, & ipſi ad quævis officia Deo & proximo præſtanda inepti fiant.

§. 3. In ipſâ Precatione eccleſiaſticâ diſtinctè conſideranda, uti in communi Oratoriâ ſeu Rhetoricâ, hæc quatuor. 1. Inventio ſeu materia. 2. Diſpoſitio. 3. Exornatio ſeu ſtylus. 4. Actio. 1. Quod ad primum, materia ſunt *tum* res, quas aut petimus aut deprecamur: *tum* perſonæ, pro quibus aut contra quas petimus. *Res petendæ* ſunt *primò* quarumcunque benedictionum ſpiritualium, earumque collatio, continuatio, augmentum, reſtitutio. Quænam illę ſint benedictiones ex *Rom. 8. verſ. 29. 30. Epheſ. 1. verſ. 3. & ſeqq.* diſci debet, & in *Perkinſi* aureâ ſalutis catenâ, aliiſque locis communibus & hypotypoſibus ſaniorum ſermonum ſatis ſuperque explicatum hic preſupponimus. *Deinde* quarumcunque benedictionum temporalium, circa gubernationem civilem in pace & in bello, circa œconomias, circa τὰ βιωτικὰ, & modos acquirendi, agriculturam ſcil., piſcaturam, opificia, mercaturam, nauticam & itinera terrâ marique ſuſcepta, &c. Atque hæc quidem petenda. Quæ ordinariis Precibus deprecatur Eccleſia, ſunt omnia mala ſpiritualia & temporalia; inter quæ prima ſunt debita noſtra ſive in fine Precationis, ſive in principio aut contractè & in genere aut diffuſè & explicatè magis memoranda. Quę ſint mala ſpiritualia, & quę temporalia, docent *Theologi in Loc. de Pœnis peccatorum, de Cruce & Afflictionibus Piorum, de Perſecutione Eccleſiæ, de Patientiâ, de Conſolatione, de Judiciis Dei.* Sunt autem mala illa vel publica vel privata. Publica ſunt vel tranſitoria, vel permanentia, ſive endemia ſive epidemia. Utraque tum publica tum privata ſunt vel communiter nota, vel clandeſtina. Iſta innotuerunt Concionatori, quod aliquid ipſi ſuboluerit, aut quod in aurem quis ei inſuſurrârit, aut quod aliquâ anonymi ſcedulâ inter neceſſitates Precibus inſerendas, Eccleſię commendata ſint. Hactenus de rebus: perſonæ, quarum in Precibus commemoratio fieri poteſt, ſunt vel pro quibus vel contra quas fit Precatio. *Perſonæ, pro quibus* orandum, ſunt indefinitè quilibet homines, fideles infideles, noti ignoti, amici inimici. *1. Timoth. 2. verſ. 1. Matth. 8. verſ. 44.* Conferantur *Commentarii Theologorum in Orat. Dominicæ petitiones 2. & 3.* Nulla hîc admittitur exceptio, niſi peccantium in Spiritum S. *1. Joh. 5. 11.* Conſiderantur autem illæ perſonæ, vel ſigillatim, vel collectim. Inter *illas* exſtant Miniſtri & Doctores, Principes & Magiſtratus, Benevoli & Benefactores; qui Eccleſiam illam communiter, aut Miniſtrum in oratione præeuntem, ſingulariter beneficiis affecerint & afficiant.

Iſtæ

Digitized by Google

Istæ sunt Ecclesia, Presbyterium, Concilium, Familia, Aula, Schola, Dicasterium, Patria, Regnum, Provincia, Civitas, Exercitus, Navis aut Classis navium, & quodlibet aliud Collegium, aut quælibet alia Communitas. *Personæ contra quas* orandum, rursum vel sigillatim vel collectim considerantur: suntque hæretici, persecutores, proditores; illique aut domestici, aut extranei. *II. Dispositio* spectat partes orationis, Exordium, propositionem aut propositiones, confirmationem, conclusionem. Partes has observare poteris, si analysin precationum Danielis *Dan.* 9. Salomonis 1 *Reg.* & Levitarum *Nehem.* 9. Christi *Joh.* 17. aliquot Psalmorum Davidis instituas. Quamvis omnes partes semper non adsint; & magna πρόλεψις sæpe intercurrat. 1. *Exordium* constat alloquio & descriptione Dei, quem oramus; nostri ipsorum, qui oramus; postulatione admissionis & exauditionis hujus supplicationis. Deum alloquimur, & describimus nominibus, epithetis, attributis, operibus sive communibus sive specialibus, quæ rebus tunc petendis maximè conveniant. 2. *Propositiones* tot sunt, quot orationes ἰσάκις: Aliquando tantum una, in brevi scil. Precatione; aliquando duæ, tres, quatuor, &c. Aliquando accedit pars illa, Oratoribus dicta *narratio*; quæ propositioni petitionis vel præmittitur, vel subjungitur. *III. Confirmatio*, habet λόγους & πίστεις, seu probationes & amplificationes. *Rationes* plerumque sumuntur, à necessitate beneficii, quod petimus: à nostrâ indigentiâ & miseriâ, malique magnitudine aut duratione, quod deprecamur: à Dei justitiâ & misericordiâ: à promissione & fœdere: ab effectu secuturæ gratitudinis, pietatis, emendationis nostræ: ab hostium insultatione: à divini nominis gloriâ: à præcedentibus Dei operibus, exauditionibus, liberationibus: à peccatorum nostrorum confessione & pœnitentiâ. *Amplificationes* plerumque ducuntur, à proprietatibus, ab effectis, ab oppositis, à causis efficientibus. Aliquando adduntur refutationes (ita loqui liceat) per modum prolepsin seu anticipationum. 4. *Conclusio* continet repetitionem petitionis, aut deprecationis, & διάπυξιν. Repetitio petitionis summaria, & simplex, est vel generalis, vel particularis, vel utraque. *Illa* est, quâ petitur exauditio petitionis, ut *Dan.* 9. *v.* 29. *Ista*, quâ ipsa rei petitio in particulari repetitur, ut *Psal.* 28. *vers.* 9. & 38. *vers.* 22. 23. & 44. *vers.* 27. & 80. *vers.* 20. *Hæc*, quâ petitio tum generalis tum particularis repetitur *Dan.* 9. *vers.* 29. *Deinotes* continet rationem, aut motum affectus, aut amplificationem, quâ precatio finitur: ut *Dan.* 9. *vers.* 30. 1. *Reg.* 8. *vers.* 53. Bonæ dispositioni repugnant potissimum, duo vitia, *confusio* scil. & *battologia*. *Illa* est, quando rationes & amplificationes huic petitioni convenientes, alteri aut tertiæ alicui petitioni adjunguntur; aut quando petitiones generales specialibus, aut gratiarum actiones petitionibus, aut petitiones deprecationibus permiscentur: & vice versâ. *Battologia* est, quando eædem petitiones, & deprecationes,

aut

aut eædem rationes, illarum sæpius repetuntur: uti in litaniis Papatus. Confer *Commentatores in Matth.6.v.7. IV. Exornatio* seu stylus debet esse simplex, perspicuus, facilis, humilis; nihilominus gravis, efficax, patheticus: breviter scripturarius. Ne tamen apud rudiores & minus exercitatos in omnibus sic affectetur scripturarius, ut sublimis character & verba decumana *libri Jobi, Jesaiæ, cantici Moſis Deuter.* 32., *Psalmorum* quorundam (e.gr. 18. aut 42. aut 68. aut 77.), aut tropi & allegoriæ *Psal.* 45. & *Cantici Canticorum* illic dominentur. Ab alterâ parte non debet esse nimis familiaris, similis stylo colloquiorum puerilium, aut domesticorum inter familiares, aut in circulis & compitis inter amiculos &τὰς πλάτας. Denique duo maximè sunt cavenda; *Unum* est luxuriantis & affectati styli ostentatio, per tinnientium & pictarum vocularum, instar purpurei latèque splendentis panni, emblemata. Quæ pios & devotos animos offendunt, & ipsis orantibus devotionem excutiunt, si non eos ab eâdem vacuos ostendunt. *Alterum* est, prolixitas periodorum. Scriptura breves & expeditas habet periodos, brevia cola & commata. Absque hâc brevitate omnia simplicibus auditoribus sunt obscura, difficilia, vix intelligibilia; & consequenter attentionem & devotionem turbantia, non excitantia. *IV. Actio* constat pronuntiatione, & gestibus. Vox non sit affectata; non histrionica; non oratoria; qualis in refutatione, accusatione, provocatione, gravi correptione adhiberi solet; nec triumphum, aut fastum, aut audaciam quam spirare videatur. Cogitet orans se loqui Deo suo, *qui est in cœlo &c.* Eccles. 5. vers. 1. humili ergò & supplice voce petat: distinctâ tamen & satis sonorâ, ut totum auditorium audire queat, & omnes corde suo præeuntem sequi, cogitando aut dicendo τὸ amen 1. *Cor.* 14. Fugiendum ergo quorundam cacoethes, qui partem Precationis aut orationem dominicam tam submissâ voce & tam præcipitanter pronuntiant, ut auditores intelligere eos & assequi nequeant. Quod ad gestus, non spectamus hic illos in genere (de quo *Locor. Commun. Scriptores*), sed in specie in Precibus ecclesiasticis. Quibus maximè convenire videtur, pro ratione cathedrarum nostrarum, ut Concionator stans manibus expansis, aut in altum extensis, sive junctis sive sejunctis (pro arbitrio aut recepto more) orationem pronuntiet. Ut enim flexis genibus, aut in terram prostratus hoc agat, situs ac forma cathedræ, & auditorii frequentia vix permittit. Auditoribus tamen (si loci situ, aut peculiari quâ necessitate suâ hâc in parte minimè impediuntur) genuflexio, aut corporis, saltem capitis inclinatio, aut statio omnino convenit: ut orationem à verbi auditione se distinguere profiteantur & mutuò se excitent, ad hoc agendum, nec extraneis ingredientibus scandalum objiciant.

§. 4. Subjicimus aliquot Problemata, quibus à nobis jam dicta magis illustrentur. Pertinent ea vel ad necessitatem modumque orationis in Ecclesiâ, vel ad ipsam

ipſam orationem. Prioris generis ſunt iſta. *I. Probl.* An Preces eccleſiaſticę neceſſariam cultus publici & ſocialis partem faciant? *Reſp. Aff.* ideo enim præcipuè coguntur Cœtus; & abſque Precibus non eſt Conventus ſacer ſeu eccleſiaſticus, nec publica religionis exercitia, nec *dominica ſolennia*: uti ea appellat *Tertullianus Lib. de Animâ cap.* 9. Idque conſtat ex *Actor.* 2. *verſ.* 40. & 6. *verſ.* 4. Et perpetuo antiquæ poſt apoſtolicam Eccleſiæ, & ſequentis uſu. Cyprianus de bono pudicitiæ, cum *verbis quæ de Scripturarum fontibus protulit Preces ad Deum & vita peccavit*, &c. Baſilius de Baptiſmo, initio concionis indicat Preces eccleſię eſſe neceſſarias, *ut optimi*, inquit, *Dei ac Chriſti ipſius gratiâ ſanctus ac bonus ſpiritus admoneat nos & doceat, quæcunque à domino audiverit*, &c. Simile proëmium habet *Auguſtinus Serm.* 15. *de verbis Apoſtoli.* Idem lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 15. vult *nullum clarum debere eſſe doctorem, antequam Orator ſit.* Cap. 30. *Oret ut Deus det ſermonem bonum in os eius. Chryſoſtomus Homil.* 10. *ad Coloſſ.* refert orationem, quam vir ſanctus ſe præſente recitaverat: quam concioni præmiſſam fuiſſe facile colliget, qui eam modo legerit. Idem ſerm. in eos, qui in feſtis tantum conveniunt, dicit fuiſſe in ſacris Cœtibus *ſacram doctrinam, preces, divinæ legis auditorium, ſive cum Deo colloquium, & cum hominibus ſermonem.* Heſychius Lib. 7. in Levitic. cap. 24. *Sancta eſt oratio, ſancta divinæ Scripturæ lectio, & interpretationis auditio; ſancta, ut breviter dicam, omnia, quæ in eccleſiis Dei ſecundum legem ejus dicuntur & aguntur.* Athanaſius in fine Sermonis de Semente: *Cæterum quia & ſermo noſter ſatis proceſſit, ſurgentes & nos ipſi extendamus manus ſanctas, ut invocato rerum omnium Deo, ipſius per Chriſtum dominum noſtrum auxilio perfruamur.* Juſtinus Apol. 2. *finitâ præpoſiti oratione omnes conſurgimus, & precationes profundimus.* Eſychius in Levit. Lib. 2. cap. 9. *Poſt expoſitionem ſacerdotes per ordinationem manus ad cælum levant.* Idem docet *Oratio Auguſtini*, quam tractatibus & ſermonibus ſuis ſubjungere ſolet, quæ ſic incipit: *Converſi ad dominum Deum patrem omnipotentem*, &c. Vide eam integram in Fine *Commentar. in Pſalmos.* Vides ergo orationes & ante & poſt lectionem atque expoſitionem Scripturæ fuſas. Arnob. Lib. 4. c. Gentes affirmat *Chriſtianos in ſuis conventiculis precibus ſuiſſe uſos.* Idem *Lib.* 1. loquitur de locis, quæ Chriſtianorum congreſſibus ad verbi interpretationem, Preces fundendas &c. aſſignata erant. Et alibi eodem in Libro *Collatis Precibus Chriſtianos Chriſtum adorare*, &c. *Cyrill. Alexandrinus Lib.* 8. *in Johann. c.* 3. Chriſtianorum eſſe diebus feſtis Templa frequentare, & inter alia *orationibus inſiſtere.* Breviter hoc tam pervulgatum fuiſſe Eccleſiis Chriſtianis, vel ex inſidioſâ Juliani apoſtatæ mimicâ colligi poſſet: quâ in Templis & ſacris Gentilibus *certarum horarum & dierum Preces ad morem Eccleſiæ inſtituit*, teſte Nicephoro Lib. 10. cap. 21. Nec prętereundum, quando perſecutio, Eccleſiæ diſparſio, temporis anguſtia, ali-

ave incommoda non permittunt Fidelibus dominica ſua ſolennia peragere, ſolam orationem tunc cultus ſocialis, & exercitæ communionis Sanctorum, ac Conventus ſacri rationem formamque conſtituere. Ita legimus *Actor. 16. verſ. 13.* Conventus extra Civitatem celebrari ſoliţos ad Preces. Et *cap. 12. verſ. 5. 12.* in domo matris Marci multos ad precandum conveniſſe. Denique generalis ratio à Precum uſu & efficaciâ deſumta huic negotio conficiendo ſufficeret. Si enim omnia ſanctificantur per Preces *1. Timoth. 4. verſ. 5.* & in foro, in ſenatu, in bello, in navigatione, in quocunque labore manuum, in conjugio, in partu & puerperio, in ſomno, in menſâ à Deo principium & finis, ideoque ejus oblivíſci non debemus ἀρχόμενοι & λουπουόμενοι (ut cum Poëta loquar): quanto magis id neceſſarium eſt, cum immediatè per ſolennem cultum ad Deum itur. Antiqui Chriſtiani corporis refectionem in agapis ſuis non niſi Precibus inchoabant & terminabant, teſte *Tertull. in Apolog. cap.* 39. Quanto magis animæ ſpiritualem refectionem antecedent & ſequentur Preces. Ex hâc Precum neceſſitate conſtitutâ, duo ſequentia conſectaria Problemata emergunt. *II. Probl.* An ad miniſterium idonei & admittendi ſint, qui publicè privatimque quâvis occaſione & pro quâvis neceſſitate, pro quibuſcunque perſonis, collegiis, communitatibus non nôrunt orare? *Reſp. Minimè*, non magis quam illi, qui non nôrunt catechizare & concionari. Si enim quis dicat, eos noviſſe ex libro legere precationes, aut orationem dominicam aliamve formulam memoriter pronuntiare: repono idem noſſe non paucos quinque aut ſex annorum puellos; idemque poſſe applicari omnibus, qui modo textum Scripturæ, catecheſin, editas poſtilliſticas conciones, aliaſve homilias legere didicerunt; quin inſuper quæſtiones aliquot catecheticas, aut partem aliquam poſtillæ & homiliæ, memoriæ mandârunt. Promoveantur ergo tales fuci, nomine Studioſi theologiæ & Filii Prophetarum, reipſa fratres ignorantiſſimi, qui unâ atque alterâ concione ab aliis formatâ & memoriæ mandatâ ætatem miſerę Eccleſiæ illudant, præmiſſâ prælectione aliorum textuum, quos tamen pauculis illis concionibus toties totieſque de verbo ad verbum repetitis nec explicant nec præſentis Eccleſiæ præſenti ſtatui applicant; & ſubinde, per magnam, ſi non per majorem anni partem, partim peregrè proficiſcendo, partim vices concionandi cum Vicino quo Concionatore imperitiæ & ignaviæ ipſorum favente, aut ſaltem ejus miſerto, commutando. Et hi ſcilicet Scribæ docti ad Regnum Cœlorum, qui ex theſauro ſuo depromturi erunt vetera & nova; uti hoc requirit Servator *Matth. 13. verſ.* 52. Quod æque ad colloquia cum Deo, ac alloquia ad populum extendendum eſt. Tales ſcil. idonei erunt ad adverſarios quà publicè quà privatim confutandos *Tit. 1. verſ. 9.* ad conſilia theologica ſuis quâcunque occaſione ſuggerenda, ad dubia & ſcrupulos eximendos, ad Quæſtiones practicas & caſus deter-

determinandos, ad omnis generis consolationes, adhortationes, correptiones submini-ſtrandas; ad eccleſiaſtica negotia & cauſas in Synedriis, Claſſibus, Synodis tractandas. Remedia huic malo adhibenda ſunt duo: quorum prius eſt, ut ante ἀκροάσεις explorentur dona & δυνάμεις candidatorum tum orandi tum concionandi. In quem finem abſurdum non eſſet ſi horis aliquot conceſſis & bibliis cum notis marginalibus, & concordantiis, ad quemcunque propoſitum textum concionem unam atque alteram extemporaneam coram Synedrio aut Claſſe habere tenerentur: atque unà Preces accommodatè ad habitam concionem; additis generalibus & ſpecialibus pro præſenti rerum, & Eccleſiæ ſtatu, tum doxologiis tum petitionibus. Memini me legiſſe *in Tract. Petri Molinei de Vocatione Paſtorum*, in Gallià Candidatis textum præfigi, quem poſtridie (24. ſcil. horis poſt injunctionem) concione explicaturi ſunt. *Alterum* eſt, ut in Academicis collegiis proponentium & repetentium conciones, Studioſi maturè exerceantur in Precibus accommodatè ad conciones, quas formant, aut repetunt, pronuntiandis, & ad quaſvis materias theologicas ſecundum ordinem catecheſios ſcribendis: quę unà cum formatis aut repetitis concionibus examini Præſidis & Collegii ſubjiciantur. His exercitiis jam ab anno 1634. uſque in hunc diem continuatis experti ſumus multos per Dei benedictionem in rhetoricâ divinâ ad inſignem Eccleſiarum ædificationem profeciſſe. *III. Probl.* An ſacros Cœtus ritè frequentant, & cultum divinum in Eccleſiâ exercent, qui partem concionis, aut integram concionem audiunt, neglectis Precibus. *Reſp. Neg.* Quia Preces ſunt præcipua pars cultus divini, ad quem Eccleſia convocatur. Immo aliquando, occaſione ita ferente ſolæ totum opus conventus conſtituunt: uti ſupra notavimus. In Papatu malus hic mos obtinet, ut concione finitâ ſine Precibus Conventus dimittatur, & ſine Precibus præeunte voce Concionatoris pronuntiantis, ſi non ubique ſaltem multis in locis concio inchoetur. Auditores etiam complures ſucceſſivè in medio curſu concionis eò accedant, & inde recedant. Apud Noſtros in majoribus Eccleſiis & Auditoriis nonnulli ſimilem quam ἀταξίαν committunt, cum extra extremę neceſſitatis caſum aliquando, immo & ſæpe, ne dicam ſemper concione finitâ, è cœtu ſe proripiunt; pedem inde non moturi, ſi concio ad quadrantem, & vel ad ſemi-horam adhuc extenderetur. Unde colligimus ſubeſſe contemptum Precum, Pſalmodiæ, ſolennis benedictionis, quæ tria apud nos concionem ſequi & terminis ejuſdem conventus eccleſiaſtici, unà cum præcedente oratione & Pſalmodiâ ordinariò tanquam partes cultus divini contineri ſolent. Aliquoties pro concione de hoc defectu moniti ſunt non ſine aliquorum emendatione: ſed obliteratâ cum tempore illâ admonitione, aliqui rurſum ad antiquum redeunt. Videntur ergo privatis admonitionibus, & ſi illæ non juvent, acrioribus correptionibus, & tandem

dem cenſuris à profanâ hâc ἀναξίᾳ revocandi, qui non per præoccupationem quam, ſed quaſi ex animi ſui certo ſtatuto in ſcandalo hoc perſeverant. Interim præmonendi ſunt Concionatores, ut Conciones, Preces, & Pſalmodias, præſertim hebdomadales (dominicalium enim alia eſt ratio) ita contrahant, ne ejuſmodi intempeſtivis ſacri conventus deſertoribus occaſionem aliquam præbuiſſe videantur. *IV. Probl.* An omnes Preces eccleſiaſticæ neceſſariò concludendæ Oratione dominicâ? *Reſp. Neg.* Opinionem affirmantem, ſaltem praxin perpetuam reformatis adſcribebant aliqui ex Serapatiſtis, quorum Antagoniſtas memini antehac reſpondiſſe, in Eccleſiis Belgicis, orationi, quæ baptiſmo præmittitur, communiter non ſubjungi Orationem dominicam. Addimus nos, ex communibus formulis doctrinæ, aut ex communi conſenſu Doctorum, aut ex Decretis Synodorum, nunquam probandum, hanc eſſe communem ſententiam aut eccleſiaſticam doctrinam reformatorum. Ex luce factorum conſtat, non eſſe hanc communem praxin: cum aliqui Miniſtrorum pro libertate ſuâ, & pro particularibus temporum, locorum, rerum, perſonarum circumſtantiis, aliquando ſolam Oratſonem dominicam ante aut poſt concionem pronuntient: aliquando orationem ante concionem, aliquando poſt concionem ſine Oratione dominica: aliquando orationem ante & poſt celebrationem cœnæ, ut & ante ac poſt celebrationem baptiſmi ſine eâdem: confeſſionem peccatorum, quæ in Eccleſiâ gallicâ diebus dominicis præmitti ſolet orationi ante concionem, ſine eâdem. Formulam illam à Chriſto nobis traditam non patimur quidem contemni, aut extra omnem uſum in publicis privatiſque Precibus relegari; uti hoc fit à Separatiſtis: non tamen eam ſolam loco omnium aliarum formularum, & omnium orationum à nobis de novo formandarum ac fundendarum, haberi volumus; nedum ut illius pronuntiationi, quaſi ex opere operato, aliquam impetrandi virtutem & efficaciam tribuamus: ita ut per eam omnes aliæ Precationes etiam optimè & conformiter Scripturis formatæ, & quam devotiſſimè fuſæ, ſanctificari & odorem fragrantiæ contrahere, Deoque gratæ & acceptæ eſſe putentur: breviter, ut illi aliquid tribui videatur, quod ſolius Chriſti merito competere credendum eſt.

§. 5. Problemata de ipſâ oratione eccleſiaſticâ ſunt. *I. Probl.* An omnium bonorum petitiones, omnium malorum deprecationes, omneſque pro beneficiis gratiarum actiones cum rationibus & amplificationibus, particulariter ſingulis Precationibus eccleſiaſticis ſint proponendæ? *Reſp. Neg.* De Precibus & Concionibus quotidianis ſeu hebdomadalibus: quæ ultra trium quadrantum, aut ad ſummum ultra integræ horæ ſpacium non deberent extendi. Generalia & ſumma petendorum, deprecandorum, beneficiorum capita, aut eorundem paratitla perſpicuo, ſimplici, pathetico ſtylo ordinariò tantum recenſenda,

censenda: exceptis malis, aut bonis, aut beneficiis sive publicis sive privatis (qualia scedulis indicari solent) hoc tempore recenter obortis, aut aliquamdiu urgentibus; de quibus explicatiores meditationes proponendæ. In Precibus dominicalibus, ubi principalis materia concionis applicanda est, etiam aliquod temperamentum adhibendum in petitionibus, deprecationibus, eucharistiis particulariter multiplicandis, & sigillatim diducendis. Neque enim omnes horę diei publicis exercitiis occupandæ: cum ex praxi & observatione diei dominicę alibi delineatâ constet, etiam privatis & privato-publicis exercitiis, ut & corporalibus suis suorumque necessitatibus & refectionibus aliquod tempus tribuendum. Nolumus hic determinare τὸ *maximum quod sic* (liceat Physicorum de quantitate corporis cujusque naturalis differentium phraseologia uti); sed de τῷ *maximo quod non* consilium hoc nostrum suggerimus, ne Precationes ante concionem ordinariò ad horæ quadrantem, nec post concionem ad dimidium horæ protrahantur. Semper cogitandum Concionatori, se privatis soliloquiis & meditationibus, pro excitatione & dilatatione spiritus precum in se, non vacare: præsertim brevitati studendum, cum sui oblitus, aut aliquâ peculiari occasione longius provectus Auditores dicendo alios satiavit alios delassavit. Diebus supplicationum & eucharistiæ extraordinariis, peccatorum confessiones, beneficiorum commemorationes, promissionum renovationes, malorum deprecationes, bonorum petitiones, benignitatis divinę laudes plenius & explicatius proponi solent. Interim & hic meminisse oportet τοῦ *Nequid nimis*. Auditoribus fortè melius consuli posset, si unâ atque alterâ Precatione omnia modo memorata, pro ratione solennitatis illius, explicitè & plenè proponenda, non complectamur: sed materias illas tribus aut quatuor aliis Precationibus, intermedio tempore inter duas concionis instituendis partitim proponamus: e. gr. dilatatam confessionem peccatorum, & petitionem remissionis unâ; commemorationem beneficiorum, celebrationem Dei, & eucharistiam ac promissionem debitę retributionis, aliâ; omnis generis benedictionum, imprimis earum, quarum occasione solennis supplicatio indicta, petitiones, aliâ. Hæc ratio celebrandi jejunia in Ecclesiâ patriâ, ubi septendecim annis ministravi, servari solet. Sic tamen distinctas illas Preces præmissis ejusdem aut similis materiæ capitibus ex Scripturâ lectis & Psalmis cantatis, instituebamus, ut nihilominus omnia Precibus post concionis pronuntiandis proponerentur, sed contractius; quin & Precatione e. gr. confessionali, ab elemento prædominante sic dictâ, etiam eucharistię, deprecationes, petitiones, strictim attingerentur, & vice versâ. Quisque ordinem servet, quem maximè ad ædificationem suorum facturum judicaverit. Nos illic loci & in vicinià talem non sine fructu servatum fuisse experti sumus.

II. Probl. An semper in omnibus, aut in particulari quâvis Ecclesiâ sive ab omnibus

mnibus Miniſtris, ſive à quovis ſingulari Miniſtro eædem Preces perpetuo pronuntiari debent? *Reſp. Neg.* abſolutè quod ad formam, hoc eſt, quod ad ordinem petitionum, celebrationum, confeſſionum, deprecationum, & quod ad ſtylum ſeu exornationem: hoc enim ſcientiæ & prudentię Miniſtri cujuſque committendum. Quod ad materiam ſeu inventionem, diſtinguitur. Alia enim eſt generalis, alia ſpecialis. *Illa* eſt generalis confeſſio peccatorum, beneficiorum ſpiritualium, & temporalium communium celebratio, malorum & judiciorum Dei ſpiritualium, ut & temporalium communium deprecatio &c. & de hâc *Aff. Iſta* eſt beneficiorum ſpecialium, petitio, & pro acceptis euchariſtia; nec non malorum hic & nunc, ut & peccatorum graſſantium deprecatio. De quâ *Neg.* *III. Probl.* An omnes benedictiones & liberationes temporales tum publicæ tum privatæ, tum Eccleſiæ tum Politiæ, ut & gratiarum actiones, in Cœtu Eccleſiæ orationibus eccleſiaſticis definitè & particulariter ſint proponendę? *Reſp. Neg.* In Cœtibus clandeſtinis quædam liberius proponi poſſunt, quam in publicis: uti conſtat ex *Actor.* 4. *v.* 27. 29. & 12. *verſ.* 5. non tamen omnia: uti analogicè colligimus ex 2. *Theſſal.* 2. *verſ.* 6. ubi Apoſtolus Imperii Romani, & imperatoriæ autoritatis tacito & indefinito, quaſi individui vagi, indicio magni Antichriſti in medio chriſtianiſmo exorituri impedimentum inſinuat. Sed in publicis Cœtibus, quibus exploratores ab hoſtibus Eccleſiæ emiſſi, aliique neutrales, vacillantes, falſi Fratres, Ecebolii intereſſe ſolent aut poſſent, omnino conſultum à plurimis ejuſmodi particularibus neceſſitatibus, votis, petitionibus, deprecationibus abſtinere, eaque privatis Precibus reſervare: niſi cauſam Dei & qualemcunque libertatem & tolerantiam exercitiorum Eccleſiæ præſenti periculo objicere, & invidorum ac perſecutorum molitiones, inſidias, vexationes, intempeſtivè contra nos provocare velimus. Nôrunt hâc prudentiâ uti Eccleſiæ, quæ in Imperio Turcico, in Regno Galliæ, in Pedemontio, & alibi ſub Regibus, Principibus, Magiſtratibus à religione noſtrâ alienis tolerantiæ aut conniventiæ beneficio fruuntur. Sunt arcana Imperiorum, ſunt meliora in ſeminibus ſuis etiamnum occultata, ſperanda, ſunt occulta pericula metuenda, ſunt conſilia ac ſtratagemata Pharaonis, Hamanis, Herodis jam erumpentia; ſunt alia in occulto gliſcentia, quorum particularis recenſio Precibus publicis non miſcenda. Tutiſſimum eſt in genere promotionem Regni Chriſti, curſum Euangelii, liberationem Iſraëlis ex omni anguſtiâ, converſionem infidelium & errantium, diſturbationem Regni Diaboli, Antichriſti, impietatis Deo commendari. *IV. Probl.* An contentionibus & factionibus in Republicâ aut in Eccleſiâ obortis, partis alterius cauſa, cujus juſtitiam novit Concionator, Deo commendanda, contra de partis adverſę injuſtitiâ apud Deum conquerendum? *Reſp. Neg.* In genere, pax, coalitio, reconciliatio, vulne-

Digitized by Google

vulneris inflicti ſanatio, petenda: inſuper, ſi res ita poſtulet, juſtitiæ partis ſanioris, vindicatio & detectio. Quod abſque definitâ & exſertâ determinatione, penes quam partem ſit aut non ſit juſtitia, fieri poterit & omninò expedit. Neque enim convenit in Precibus publicis tribunal erigi, & lites, quæ adhuc ſub judice ſunt, decidi; multo minus, ſi ipſe Concionator liti alicui implicatus ſit, particularem ipſius apologiam Precibus infarciri. Alteri illud loco, tempori, occaſioni, ut & privatis Precibus potius reſervandum: ne Preces eccleſiaſticæ vileſcant, & tanquam carnalium contentionum reciprocationes traducantur. *V. Probl.* An neceſſitates quælibet, ſcedulis deſignatæ, Precibus publicis inſerendæ ſint? *Reſp. Minimè.* Neque enim Concionatori cœcâ obedientiâ, aut fide implicitâ agendum eſt. Continere poſſent ſcedulæ aliqua contra jus & fas, aliqua contra decorum, aliqua contra prudentiam: quorum illa Eccleſiæ non prælegenda nec in Precibus attingenda; iſta & hæc mutanda, corrigenda. Priorum exemplum ſit poſtulatio Precum Eccleſiæ pro viro, qui in hoſtium ſuorum manibus eſt, quo notabatur captivitas cujuſdam ex vinculis cauſam coram Tribunali illius Civitatis tunc dicentis. Mutanda & mitiganda ſunt ſcedularum contenta, quæ definitè & apertè aut incerta, aut ſi vera & certa, illic tamen diſſimulanda, aut quamvis neceſſariò Deo commendanda, indecorè nimis enuntiant. Sunt enim morbi ſecreti, ſunt quaſi infames & malè ſonantes, ſunt peccata quædam, & tentationes ad peccata, quæ tali in loco ſine violatione decori vix nominari poſſunt; e. gr. *ῥύσει αἵματος* Matth. 9. *verſ.* 20. ſiniſtra & ſuſpecta lues &c. tentationes ad impuritates, ad non nominanda flagitia, ad *ἀνοσφίλια*, ad furta, ad blaſphemias, &c. Gratias quis agi petit pro eruptione ex carcere, cui ſententiâ Judicum iſtius territorii mancipatus erat, aut pro qualicunque liberatione ab injuſtitiâ, violentiâ, tyrannide, gravi periculo, aut extremo ſupplicio intentato. Quid faciet Concionator? Si diſſentiat, totam illam petitionem euchariſtiæ pręteribit; ne quid contra conſcientiam agat: ſin juſtitiam cauſæ agnoſcat, aut ſaltem de injuſtitiâ dubitet, & tamen tutum non ſit in inteſtinis contentionibus & partium ſtudiis, ubi ſæpe meliores à pejoribus opprimuntur, publicum Palæmonem iſtic loci agere; generalibus terminis liberationis *à gravi periculo*, aut *magnâ difficultate* (Belgicè **een groote ſwarigheyt**), ut & terminis *gravis* ſeu *miſeri* ſeu *triſtis morbi*, *gravis tentationis* inhærebit. Quod idem prudenter ſervari poteſt, cum peſtis domum unam atque alteram in Emporiis, aut Civitatibus opificiorum & opificum multitudine florentibus cœpit inficere: ne ſcil. intempeſtivâ morbi illius promulgatione, lucrum omne per rigidas Nationum quarundam leges omnem mercium & opificiorum importationem inde prohibentes, civibus intervertatur. Traduntur aliquando ſcedulę petentes Preces pro negotio ſeu re, ſeu cauſâ Deo notâ (Belgicè

voor een ſaecke die Godt bekent is); quam petitionem Precationi eccleſiaſticæ inferendam arbitror, addità conditione, *ſi res illa Deo placens*, & *glorioſa*, ejus ſucceſſum largiatur, eamque benedictione ſuâ proſequatur. Notum eſt inter conſecraneos & intimę admiſſionis devotarios Clericorum Papalium, prȩcipuè Jeſuitarum, ſolere ſubinde commendari Precationes pro re ſeu cauſâ clandeſtinâ: quales plerumque mali alicujus Eccleſiis & Politiis reformatis intentati prognoſtica fuiſſe experientiâ edocti ſumus. Alias ſcedulas, ſi quę libellos famoſos ſapere videntur, Prælector aut Janitor Concionatori non tradat, aut traditas & inſpectas Concionator ſeponat.

§. 6. Quęramus nunc, pro quibus & contra quos in Eccleſiâ publicè orandum ſit. *I. Probl.* An pro omnium ordinum & ſtatuum Hominibus tum ſigillatim tum collectim ſit orandum? *Reſp.* In genere *Affirmatur* de quibuſvis ſtatibus Hominum ex 1. *Timoth.* 2. *verſ.* 1. 2. In ſpecie: De Regibus & in eminentiâ conſtitutis, *ibid.* De Eccleſiâ catholicâ, Matth. 6. verſ. 10. *veniat regnum tuum*, cum *Pſal.* 122. *verſ.* 6. De Eccleſiis particularibus, *Epheſ.* 6. *verſ.* 18. De *Miniſtris*, *Epheſ.* 6. *verſ.* 19. De Exercitibus & Militibus in expeditionibus aut caſtris, *Pſal.* 20. *verſ.* 2. 3. Et ſic de Exulibus, de terrâ marive Peregrinantibus, de Agricolis & agriculturâ, &c. Conſenſum & praxin antiquæ Eccleſiæ indicat Tertullianus Apologet. c. 30. *Nos enim pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum.* Et poſt: *Precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt.* *II. Probl.* An tutum ſit Benevolorum, Benefactorum, Patronorum, Cognatorum, Amicorum nomina, in Precibus eccleſiaſticis ordinariò referre? *Reſp.* Mos inoleverat in antiquâ Eccleſiâ, ut diptychis Eccleſiæ ſeu Epiſcopi, h. e. duplicatis tabulis in uſum ſcribentium comparatis (de quibus vide *Turneb. Libr.* 9. *Adverſar. cap.* 23.) nomina inſcriberentur, atque inde prælegerentur. Inter nomina, quorum in Precibus & Liturgiis meminerant, erant inter alia Imperatorum, & Epiſcoporum orthodoxorum, ſeu eorum cum quibus amicitiam & fraternitatem colebant. Hinc factum ut invaleſcentibus commemorationibus defunctorum, horum nomina uni, vivorum alteri tabellæ inſcriberent, & ex iiſdem eraderent ſi in veritatis profeſſione defeciſſent, & rurſum reſtituerent ſi in eâ conſtantes, quamvis ab aliis injuſtè condemnati, fuiſſent: uti hoc conſtat ex *Actis quintæ Synodi*, & *Edicto Juſtiniani ibid.* & ex *Epiſtolâ Procli in Concil. Chalcedon. art.* 14. Et *Epiſtolâ Innocentii ad Imperatorem Arcadium*, & in *Epiſtolâ Eudoxiæ*, quæ utraque exſtat in *Vitâ Chryſoſtomi per Georgium* Archiepiſcopum Alexandrinum. De recitatione nominum ex diptychis, cum vivere deſiiſſent, agunt Scriptores *Liturgici*, & *Commentatores ad Canonem Miſſæ*, ad illa

ad illa verba: *memento Domine famulorum famularumque tuarum, &c.* Vide inter alios *Joh. Stephanum Durantum Lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ cap. 43.* & *Jus canonicum Caus. 24. qu. 2. cap. 6.*, imprimis *Goar in Notis ad Euchologium Græcorum pag. 143.* In Ecclesiis Reformatis amici, necessarii, benefactores nominatim memorari non solent, sed tantum indefinitè & tanquam individua vaga, & quidem non ordinariò aut semper, sed cum peculiaris aliqua ratio sive afflictionis sive liberationis ὑπὲρ ecclesiasticas expetere suadet. Et tale auxilium Precum nulli denegatur, etiam non petenti: modo Concionatori status afflicti innotuerit. Sed non memini, præter Regum & Principum nomina in Reformatis suæ ditionis Ecclesiis, etiam aliorum quamvis fautorum & εὐεργετῶν ordinariò memorari solere: excepto quod in Angliâ circa annum 1634. & deinceps hoc non insolens fuisse mihi à fide dignis relatum, & ipse Concionatorem Anglicum benefactorem aliquem suum in Precibus ecclesiasticis nominasse aliquoties audiverim. Censeo tamen exemplo aliarum Ecclesiarum tutius ab illâ nominali designatione abstineri. Rationes sunt istæ. 1. *Quia*, cum tempore ad omnes alios cognatos, necessarios, amicos, collegas, vicinos, honoratos, ecclesiastica hæc nomenclatura, extendi posset? Et quis tum finis, quis modus Precum? quantum earum fastidium populo ingenerabitur? quantum devotionis excutietur? 2. *Quia* in frequenti illo concursu memorandorum, fieri vix poterit, ut lites de præcedentiis non exoriantur: ita ut & Concionatori & Populo orantibus loco ἄνω *sursum corda*, τὸ *deorsum corda* insonaret. 3. *Quia* maxima occasio assentandi & parasiticè blandiendi Concionatoribus objici videtur. Certè multis tentationibus & corruptelis obnoxios se reddent; nec immunes poterunt esse à specie mali, à sinistris suspicionibus. Dicent tenuiores sæpe tamen ditiores in fide, in exercitiis pietatis, quia xeniis & honorariis Concionatorem mercari non possum, nominatim pro me non orat, cum tamen tam sedulo hoc agat pro N. aut N. quorum religio & pietas dubia & suspecta est. 4. *Quia* fieri vix potest ut inter benefactores in dignitate & eminentiâ constitutos, non sint æmulationes & factiones: quibus concitandis, alendis, stabiliendis, saltem prodendis & publicandis ejusmodi Preces unâ in Civitate aut Aulâ hujus Concionatoris pro suo Mecænate, illius pro suo pronuntiatæ haut parum inservire viderentur: saltem partim ab imperitis, partim à factioni aut parti alicui addictis huc raperentur. Sicuti ab Ecclesiâ Christi abesse debent factiosæ adhæsiones & divisiones à Præfectis & Ministris ecclesiasticis derivatæ: ita multò magis à Potentioribus in hoc sæculo, qui particulares Ministrorum benefactores audiunt. 5. *Quia* si publici benefactores dicti Patroni Ecclesiæ, in Precibus ecclesiasticis Reformatorum sigillatim & ordinariò non recensentur: cur ob privatum quem benefactorem Concionatoris analogum quid merito

abrogatis diptychis denuò ſubſtitueretur? 6. *Quia* non exiguis difficultatibus ſe exponet Concionator, ſi benefactoris animum & manum mutari contingat, & clandeſtinis inſidiis ac maleficiis ab eo ſe peti ſentiat: juxta illud comici: Si quid rectè feceris levior plumâ eſt gratia: ſi quid peccâris, plumbeas iras gerunt. Hic lupum auribus tenebit. Neque enim contra veritatem & conſcientiam epithetis & encomiis conſuetis eum ornare poterit: & tamen vix coram Eccleſiâ lacunam illam in Precibus relinquere audebit; quod patroni illius mutatio nondum innotuerit. 7. *Quia*, quod Chriſtus de elemoſynâ *Matth.* 6. id etiam de ſpontaneâ donatione & beneficentiâ Miniſtro Eccleſiæ exhibitâ dici poterit. Ut ſiniſtra ſcil. ignoret quod facit dextra. Huic repugnat talis publicatio, & quidem perpetua. 8. *Quia*, ſi nomenclaturæ illi locus detur, impedietur brevitas orationis eccleſiaſticæ; pro quâ ſupra ſatis multa diximus. Catalogus ille non tantum Viros, ſed & Fœminas benefactrices complectetur. Et quis, quæ paulo generoſior ab eo excludi velit. Concludimus verbis Gabrielis Biel miſſæ ab illo malè, ſed orationi eccleſiaſticæ rectius applicatis. Sic ille lect 56. fol. 147. b. *Hic autem ſecundum Inno. Alex. & Alber. ſacerdos, quorum voluerit habere debet memoriam ſpecialem: ſcilicet defunctorum, parentum, conſanguineorum, ſpecialiter commiſſorum; & eorum quibus miſſam ſuam ſpecialiter applicare maluerit: quorum memoriam non vocaliter nominatim exprimit, ſed tantum mentaliter perſonas ipſas cogitabit, ne ſcil. aſtantium devotio turbetur: aut ne in vanam laudem miſſas dici procurantes extollantur. De hac memoria quorûm ſcilicet fieri debeat: & quo ordine: ac cæterùs hanc materiam reſpicientibus ſatis dictum eſt ſupra, cum ageretur de memoria vivorum lec. 26. & ſequenti: quod hic ſuperfluum foret repetere. Tactum eſt ibidem, quod memoria eſſe debet brevis, additi ſunt etiam modi breviandi.* Cui conſentit *Guil. Pariſ. in divinâ rhetoricâ: ubi de brevitate orationis loquitur, ita dicens: Qui miſſas adeo longas faciunt quod tædio prolixitatis ſuæ corda circumſtantium à gratiâ devotionis areſcunt: & ipſam refectionem ſpiritualem quam in miſſis percipere deberent in moleſtiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur poſſunt conqueri populus circumſtans & dicere: Dederunt in eſcam meam fel. Stultitia igitur hujuſmodi hominum eſt hæc: ut pro pugillo devotionis quod eis immiſſis tribuitur, totius populi devotionem Deo auferunt: & pro tribus aut quatuor (ut ita dicatur) lachrymis compunctionis aut devotionis: vaſa magna, id eſt, cordæ devotè & lachrymoſè orantium effundant: ibi ergo brevis eſſe debet oratio, ubi brevitas ejus aliorum devotioni orantium militat & deſeruit: nunquam tamen prolixitas & longitudo orationis Deo diſplicet: niſi ubi ipſa prolixitas aliis impedimentum perſtat orandi. Hæc Guil. De illis ergo ſacerdotibus quæ in publico coram populo celebrant loquitur Guil.* Atque hæ rationes, quibus ſaltem hoc ſuaderi poſſe arbitror, tutiorem eſſe nomenclaturæ & diptychorum omiſſionem, quam

Digitized by

quam eorundem quasi jure postliminii restitutionem. Fortè quis excipiat, si in se per se non sint illicita & absolutè mala, ergo adiaphora; & consequenter retinenda ubi sunt, aut restituenda, ubi desunt. Cui respondeo, dato licere, non tamen ideo conducunt, & ad majorem ædificationem faciunt. Omittenda sunt, quę per se non sunt necessaria aut utilia: cum damnum emergens majus metuendum, quam lucrum sperandum. Vidit hoc cœcutiens Ecclesia Romana,quę Precationem missaticam, in quâ commemoratio defunctorum, tali nomenclaturâ turbari noluit, sed ejus lectionem ex diptychis abrogavit: non obstante, quod ἦσαν ἀρχαῖοι obtinuisse ultra tempora Alcuini, usque ad Flori Magistri,qui sub Carolo Calvo floruit,fateantur,apud *Goar in Notis loc.cit.* III. *Probl.* An cum pro Regibus, Principibus,Magistratibus Preces concipiuntur, non tantum ipsos nominari, sed & omnibus à subdito quovis,à Ministro, ab Aulâ,ab extraneo Legato tribui solitis titulis ac epithetis ornari conveniat? *Resp. Neg.* Ratio ist 1. *Quia* tituli, epitheta, elogia, propriè usum suum habent apud homines, ad vindicandos eos à contemtu, & reverentiam atque autoritatem iisdem conciliandam. Sed hæc apud Deum importunè narrantur; ubi autoritatis, reverentiæ personarum nullus respectus. 2. *Quia* exempla & formulæ Precationum, quæ exstant in Scripturâ tali titulorum pompâ minimè splendent, cum pro aliis fiunt intercessiones. Vide inter alia *Psal.* 20. & 72. ubi David & Salomon simpliciter Reges, & uncti Domini appellantur. 3. *Quia* Concionator & quilibet fidelis pro se ipso orans cum pompâ titulorum & elogiorum se non offert, sed ex intimo miseriæ sensu tanquam pauper & indigens se humiliat: quomodo pro alio respectu Dei non minus misero, indigo, indigno in peccatis suis orans, offeret eum Deo tot plumis titulorum exaltatum? Quasi quis miserum quem & inopem misericordiæ divitis commendaturus ejusdem titulis & epithetis potestatis, potentię, dignitatis, excellentiæ luxuriaret. Titulo distinguente indigitari possunt, Imperatoris scil., Regis, Principis, Domini, Ordinum, seu Statuum, Judicum, Magistratuum, Præfectorum, &c. non minus ac quis orans pro Parentibus, Heris, Prięceptoribus, à superioritate & munere ipsorum eos denominat: Quomodo Liturgia Germanica Palatinatus, pro *Romano Imperatore, pro cæteris item Regibus & Principibus, speciatim pro clementissimo hujus Regionis nostræ Domino D.Frederico Palatino Electore.* Belgica antiqua ante mutatum Reipublicæ statum: *pro Romano Imperatore, pro omnibus aliis Regibus, Principibus, & Dominis, &c. etiam pro regiâ Majestate Hispaniarum, pro N. Gubernatore Belgii, item pro Consiliariis & Ordinibus harum Provinciarum, &c.* Anglica Litaniæ suæ nomen & munus Regis sui inserit hoc modo edit. in 4. anni 1607. Ut placeat tibi custodire & confirmare &c. *servum tuum Jacobum, clementissimum Regem & Gubernatorem nostrum.* Ibid. in Precatione pro Rege: rogamus te ut favore tuo respicias

Digitized by Google

ſpicias *clementiſſimum ſupremum (Souveraine) Dominum noſtrum Regem Jacobum.* Simplicitas abſque illâ oſtentationis ſpecie ſive in rebus, ſive in verbis, cum ſemper mihi placuerit, eamque toto miniſterii mei curſu ſervare ſtuduerim, volupe mihi fuit recentiorum in Germaniâ Theologorum conſenſum videre. Primus mihi conſpectus fuit *Andreas Keſlerus*, qui *in Theol. Caſuum Germanicâ cap.* 9. hanc quęſtionem proponit, & de abuſu illo in Eccleſiis euangelicis conqueritur, quod Precationes plenę ſint durchleuchtigkeit/ hochgeborn/ wohlgeborn/ edel geſtreng und veſte; & quod ſi uſus hic ſemel intermittatur, admodum gravatos ſe ſentiant Magiſtratus, & tanquam ſui contemtum accipiant. Hunc armis aliquot ſecutus eſt *Andr. Pruckner in Manuali* 1000. *quæſtionum* &c. anno 1661. edito, qui *quæſt.* 37. ſententiam Keſleri probat, eique adjungit ὁμόψηφον. *Dunt. in Deciſ. Caſ. conc. cap.* 9. *qu.* 36. quem Autorem hactenus non videram. Non pigebit verba Pruckneri adſcribere: *Tituli illi politici non ad Chriſti regnum, ſed ad ſorum ſoli pertinent. Ita citra injuriam Imperatoris in Litaniâ noſtrâ tituli omittuntur.* Addit Keſlerus *loc. cit.* Quod Lutherus aliique Theologi à titulis illis in oratione abſtinuerint; & quod ſine titulis orare pro Magiſtratibus ſit juxta formam cantici eccleſiaſtici, Verleihe uns frieden gnediglich: quod in ſimplici oratione devotio major & cordatior ſit quam ubi ampli illi tituli politici uſurpantur, qui ſpeciem hypocriticę adulationis habent: quod in quibuſdam conſtitutionibus eccleſiaſticis & liturgiis formulæ precum præſcribuntur, in quibus titulorum ſæcularium nulla, aut exigua mentio. Remittit ibidem lectores ad *Concionatorem R. Rebhan* fol. 60. & ſeqq. ubi pluribus de hoc agitur. *IV. Probl.* Quid faciendum Concionatori, cum Reges & Principes mutantur, eorumque Poteſtates aut dubiæ ſunt, aut planè abrogantur, aut in alios transferuntur? *Reſp.* Caſus tales incidere poſſunt, & aliquando inciderunt. Sic e. gr. Philippo II. Belgarum Principi anno 1581. ab Ordinibus fœderatis principatus ademtus eſt. *Idem* accidit Sigiſmundo Regi Sueciæ & Poloniæ: cui Carolus in Suecià ſubſtitutus eſt. Gabrieli Bathori Principi Tranſylvaniæ vita cum principatu ablata eſt, eique ſubſtitutus Gabriel Bethlem. Johanni Friderico Electori à Carolo V. electoratus ablatus & in Patruelem Mauritium tranſlatus eſt. Dubia Poteſtas eſt & dici poteſt dupliciter, *Una* cum armis quidem inter duas partes certatur & altera alterius Vicos, Civitates, Regiones, ſibi ſubjicit, non tamen ſupremam aut territorialem Poteſtatem ſibi vindicat. *Altera*, cum pars iſta cum illâ prius poſſidente contendens, ejus ſubditos ſive armis coactos, ſive ſponte partibus ſuis accedentes ſibi vindicat, & Poteſtate ſupremâ aut territoriali in eos Jure ſuo ſive vero ſive putatitio utitur. *Prioris* exempla dederunt Guſtavus Rex Suecorum in bello contra Ferdinandum II. qui quamvis longè lateque arma per Imperium circumtuliſſet, nunquam tamen Imperatoriam aut Romano-

Digitized by Google

Romano-Regiam Poteſtatem, immo ne quidem territorialem, Diœceſios Moguntinæ, Hallenſis, Oſnabrugenſis &c. prætendit. Quo in caſu, abſque periculo & ſuſpicione perduellionis aut perfidiæ, poterant Concionatores more ſolito juxta Agendaria & Liturgias ſuas orare pro Imperatore Romanorum & Principibus Imperii. Pariter in Galliâ in locis à Rege Navarreno, Principe Condæo, Architalaſſio Colignio occupatis, tutò poterant Concionatores continuare Orationes eccleſiaſticas pro Rege Galliarum. Neque enim contra Henricum II. Carolum IX. Henricum III. Galliæ corona ab Heroïbus illis prætendebatur, aut petebatur, ſed potius ejus liberatio, & libera adminiſtratio per legitimos Reges. *Poſterioris* exempla dederunt, Imperatores de Imperio certantes, ut Maximinus cum Gordiano & Maximo circa annum 236. Gallus cum Magnentio & Sylvano anno 353. 355. Maximus cum Gratiano & Valentiniano anno 383. 384. Rudolphus cum Henrico IV. anno 1077. Hermannus Lotharingus cum eodem anno 1081. Henricus V. Filius ipſius cum eodem anno 1106. Fridericus Auſtriacus cum Ludovico Bavaro anno 1314. Albertus Auſtriacus cum Adolpho Naſſavio anno 1292. Alia iſtius generis exempla quamplurima antiqua & nova undique congerere non eſſet quidem difficile, ſed tamen otioſum, forte & odioſum. Accedamus ad caſus deciſionem, ſeu mavis ad conſilii theologici delineationem, per ſequentes concluſiones. 1. *Concl.* Nulla difficultas eſt, in caſu priore (uti jam innuimus); & hoc applicamus Eccleſiis & Paſtoribus Belgicis, quæ in partibus & ſub Poteſtate Arauſonienſis & Ordinum Fœderatorum conſtitutæ, liberè pro Principe Belgarum Philippo II. uſque ad annum 1581. orare poterant: non tamen æque pro ſucceſſu armorum ejus contra arma Fœderatorum orare poterant, aut etiam volebant. 2. *Concl.* Abrogatâ per Regni aut Principatus alicujus pactionati Ordines aut Status Poteſtate prioris Regis aut Principis, & Republicâ in libertatem aſſertâ, quod factum in Belgio; aut Poteſtate in alterum tranſlatâ, quod factum in Suecià: jam intutum & inconſultum eſſet Concionatori quamvis in conſcientiâ judicanti talem ablationem aut tranſlationem Poteſtatis injuſtè per rebellionem, perfidiam, aut uſurpationem eſſe factam, pro priori Rege, aut Principe tanquam Rege & Principe ſuo publicè orare. Ratio eſt, quia in Republicâ & in tantis Reipublicæ negotiis privato Civi, qualis Concionator, cui ſolummodo privatum, ſubſequens, approbativum, diſcretivum judicium competit: quod in foro ſoli publico, anteceſſorio & peremtorie deciſivo judicio eorum, penes quos Poteſtas & Potentia eſt, opponi & anteponi non debet. Proprio ergo judicio in foro conſcientiæ ſalvo & ſibi ſervato (ſiquidem aliter ſentire nequit) publico illi & poteſtativo judicio locum dabit, illud tolerando, illique ſe ſubjiciendo; atque hâc ratione miniſterium & Eccleſiam ſuam præſentiſſimis periculis ſubducendo. Privatim enim

cujuſcunque Civis in foro ſoli judicium, communitatis & publicæ Poteſtatis ſupremo judicio, quod ad executionem, cedere debet: juxta illud, *oportet ſubjici*, Rom. 13. v. 5. & *qui reſiſtit poteſtati* &c. v. 2. Quomodo Civis cujuſque in privatâ lite judicium proprium in foro ſoli judicio dicaſterii inferioris aut ſuperioris cedere debet, ipſeque latę ab illo ſententiæ ſe ſubmittere: ſervato nihilominus privato ſuo in conſcientiâ judicio, ſiquidem certus ſit ſententiam vitioſè latam. *Hiſtoriæ Belli Belgici* autore *P. Bor* Ultraj. refert Concionatorem Auguſtanæ confeſſionis in Civitate Woerdenâ contra exauctorationem Philippi II. & Decretum fœderatorum Ordinum a. 1581. publicè pro concione conteſtatum fuiſſe: & propterea ab exercitio miniſterii ſui illic dimiſſum. Forte putabit quis ſe officium & fidelitatem antiquo Domino hâc in parte debitam, non poſſe per conſcientiam non tantum abnegare, ſed ne quidem ad tempus aut vel ſemel ſeponere & intermittere. Sed cum illud cum ſtatu rerum præſenti conſiſtere non poſſe judicetur ab illis, penes quos nunc omnis & ſuprema Poteſtas, ſaltem Potentia; neceſſario illi aut ſtatio & eccleſia deſerenda erit, aut prę ſentiſſimo periculo objicienda. Ad quod, an in conſcientiâ teneatur, accuratè ipſi prius inquirendum, & aliorum Theologorum, qui extra partes & pericula poſiti ſunt, conſilia audienda. Qui negantem partem hic tenent, pró ſe habent rem judicatam totius veteris Eccleſiæ in Imperio Romano; cujus Antiſtites in omnibus illis Imperii mutationibus ſub Imperatoribus tyrannicè uſurpantibus & paricidis (qualis e. gr. Phocas), ſub extraneis imperium invadentibus & Regna ſua illic conſtituentibus (quales Longobardi, Gothi &c.) ſub Duobus Imperatoribus de Imperio inter ſe certantibus (quales e. gr. Maximus, Gratianus, Valentinianus), nec partes fecerunt, nec ſecuti ſunt; ſed in ſtatione ſuâ perſiſtentes coram certantibus ſpectatores & auditores, & ſi audiri poterant, pacis prę cones ac ſuaſores; coram Deo oratores fuerunt: privatim quidem plenè juxta peculiare animi ſui judicium & deſiderium ſentiendo; publicè vero generalibus terminis inhærendo, aut eâ cum periphraſi, quę dominantis illic poteſtatis & potentiæ iram ac vindictam non provocaret. Poſt introductam Eccleſiæ reformationem, cum Electoratus Saxoniæ à Joh. Friderico in Mauritium a. 1548. per Carolum V. tranſlatus eſſet, non oppoſuerunt ſe Concionatores in Precibus eccleſiaſticis antiquum Dominum profitendo, & Mauritium prætereundo: quamvis non deeſſent, qui talem translationem iniquè factam in conſcientiâ ſentirent & juſtam belli Smalcaldici à Principibus Proteſtantibus ſuſcepti cauſam judicaſſent. Sed aliud quid adferam, quod fortius ſtringit: Cum extraneus quis hoſtis aut tyrannus uſurpans, & quidem à religione alienus (e. gr. Turca) Provinciam aut Civitatem quam per meram armorum vim, aut per deditionem certis conventionis conditionibus occupat, fideles Concionatores ob mutationem Domini

ſive ſupremi ſive territorialis, ſive utriuſque, per conſcientiam miniſterium & oves ſuas non tenentur deſerere. Cum enim Populus, & ſuperiores Poteſtates Populum illic repræſentantes, in mutationem illam ut ut volentes nolente animo conſentiunt; an privatus Civis in illâ Republicâ (qualis eſt Concionator, quamvis publicus Anteceſſor in Eccleſiâ) hic ſe opponet, & ſtabilitam mutationem Precatione Eccleſiaſticâ pro priori Domino, tanquam legitimo illius Regionis aut Civitatis Domino, haut obſcurè impugnabit? Aut ſi hoc non poteſt, abſque legitimâ Eccleſiæ dimiſſione, immo & contra ejus obteſtationem ac proteſtationem, ſtationem ſuam deſeret? Quaſi ſcil. Eccleſia eſſet ſæculum, aut ſæcularia quælibet ſubjecta, principia, effecta, negotia de ratione formali Religionis & Eccleſiæ; quaſi Regnum Chriſti, ejuſque adminiſtratio de hoc mundo eſſet, aut ex paxillo variantium Dominorum, & negotiorum ſæcularium ſuſpenderetur. 3. *Concl.* Quod ſi ipſum modum, & cauſam mutationis, aut primam ejus originem, ſubſcriptione, aut promiſſione, aut juramento, aut publicis Precibus & concionibus Concionatores tenerentur probare, ſive directè ſive indirectè, quam tamen certâ ſcientiâ & conſcientiâ judicant eſſe illegitimam: utique omnia potius ipſis ferenda, quam ut quidquam contra veritatem & conſcientiam committant. Pone caſum, ſi Phocas per paricidium factus Imperator, & quidem poſt factum in Imperatoriam ipſius Poteſtatem conſentientibus illis, penes quos Poteſtas & Potentia erat: an Eccleſiæ Antiſtites, Anteceſſorum & Dominorum ſuorum politicorum ac Populi tum apertis tum tacitis ſuffragiis ſe ſubjicere non poſſent, non reſiſtendo nec quidquam contra moliendo? quia ad ipſos aut quà Paſtores, aut quà privatos Cives, non pertinet diviſio hæreditatum inter Potentes, nedum translatio Regnorum & Dominiorum temporalium. Non debent tamen elogiis & epithetis ſive in Concione ſive in Precibus eccleſiaſticis, ſive extra eas illi tributis, viam illam, quâ pervenit ad Imperium, probare. Addo, nec debent eum à cæde Domini ſui adhuc calentem, quamvis Imperatorem à copiis militaribus conſtitutum ſolitis titulis & epithetis honorariis, ſive in Precibus, ſive extra eas ornare: ne indirectè & vel minimâ ſpecie videantur abominanda illius facta probare. Tutiſſimum eſt talibus in caſibus ſilentio in Eccleſiâ litare: aut ſi contra ordinem Eccleſiæ per Cæſareo-Papatus uſurpantem tyrannidem talis materia & forma Precationum aut concionum ipſis præſcribatur, à miniſterii exercitio tantiſper abſtinere. Atque hinc noſce, quid judicandum de Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui Phocam, Mauritio fugam capeſſente, interea coronabat? Quid de Gregorio Magno, qui in Literis gratulatoriis nefariò huic paricidæ ejuſque uxori inſcriptis (exſtant *Lib.2.Ep.* 36.43. 48.) *ad turpiſſimam adulationem nihil reliqui faciebat*, uti verè loquitur *Mornæus Pleſſiac. in Myſter. Iniq.* Sed ille ſequeſtratâ pro tempore epiſcopali correptione, ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ὑποθέσεως unicè velificabatur: uti ex petitione, quæ σκοπὸν illius Epiſtolæ οἶκον faciebat, legenti conſtare poterit. 4. *Concl.* Ubi duo aut plures de Principatu contendentes adhuc in acie aut in armis ſtant, modo his modo illis ſuperantibus; aut ubi penes partem unam quaſi univerſalis eſt victoria, penes alteram bonitas cauſæ, quam etiam in angulo aliquo Principatus ſui hærens tuetur pro viribus, aut ejectus alibi auxilia ſperat, exſpectat, petit, molitur, ad fideles ſubditos ſuos liberandos: ibi Concionator in Precibus publicis nomen legitimi Domini ſui pæne victi & profligati ad tempus patienter omittere poterit (ſiquidem illud profiteri non licet), aut ſimpliciter Regni N. aut Principatus N. Regem, Principem, *Dominum noſtrum* Deo in Precibus commendabit; reſervatâ ſibi cogitatione de applicatione ad perſonam N. Interim pro ſucceſſu armorum aut contra arma alterutrius partis iſtic precari non convenit: ſufficit ſi illo rerum ſtatu privatę Preces apud Deum hoc agant. Nunquam etiam ſe adduci patietur Concionator, ut in victoris aut pæne victoris imperium juret, & alterius quamvis cauſę bonitate ſuperioris imperium ejuret. Statio potius deſerenda, immo & ſolum vertendum, ſi ita ferat neceſſitas: quamdiu legitimi Status & Magiſtratus, tum inferiores tum ſuperiores peremtorio judicio non ſtatuunt, ſat patriæ, & priori Domino datum eſſe, & cum victore jam poſſidente bono Reipublicę & Eccleſiæ paciſcendum. An autem juſtè ejuſmodi juramentis onerentur Concionatores alibi diſquirendum eſt. 5. *Concl.* Dato Concionatorem quem in conſcientiâ judicare, boni Civis officium à ſe nudo ſilentio, ἀνοχῇ, tolerantia, neutralitate, non impleri; niſi tyranno uſurpanti, ſive extraneo ſive perfido & perduelli ſubdito pro viribus reſiſtat, & juſtam Reipublicæ ac legitimi Principis ſui cauſam promoveat: illi conſulendum eſt ut ſuo ipſius periculo hoc agat, nec Eccleſiam ſuam odio & perſecutioni Magnatum exponat. In quem finem neceſſe erit, ut Eccleſiâ ſuâ tempeſtivè deſertâ, ſedes eo transferat, quo Imperium & manus tyranni non pertingunt. Ita miniſterium, Eccleſia, regimen, religio, in odioſis, proditionis, ſeditionis, læſæ majeſtatis, perduellionis criminibus (uti impiis & profanis hoc perquam familiare eſt) non denigrabitur. Plerumque enim accidit ut Eccleſia & eccleſiaſtici etiàm maximè ἀνεγγύητοι inter contrarios ſæcularium contentionum & contendentium fluctus opprimantur. Habeant ergo Paſtores duo prophylactica ſibi commendatiſſima: quorum *prius* eſt, ut imitentur exemplum prudentiæ apoſtolicę & veteris Eccleſiæ, quam modo laudavimus. *Alterum* eſt, ut temperamentum tranquillo rerum ſtatu in nomenclaturis, titulis, epithetis, elogiis etiam optimorum Principum & Magiſtratuum adhibeant: ne turbato rerum ſtatu ad illas anguſtias redigantur, ut Principes & Magiſtratus haut ita boni, ne dicam titulo aut exercitio tyranni, aut pariter coram Deo & Populo honorare, aut, inoffenſâ conſcientiâ

Digitized by Google

entiâ hoc minime permittente,promtam perſecutionem ſibi & Eccleſiæ accerſere cogantur. Ita enim comparatum eſt in hoc mundo, ut maximè indigni plerumque maximè ſuſpicaces & zelotypi ſint, & vel minimam in nomenclaturis, titulis, epithetis, diminutionem ac parſimoniam pro maximo crimine ducant. Piè ergo & prudenter factum à Proteſtantibus in Germaniâ, quod ſine nomine individui ſignati (e. gr. Caroli, Ferdinandi, Maximiliani, &c.) ſine ampullis titulorum, τὸ pro *Romano Imperatore* Agendariis & Liturgiis ſuis inſeruerint. Quo uti poſſent, etiam duobus aut pluribus (quod Deus avertat) de Imperio contendentibus. Quod ſi in aliis Regnis & Principatibus bonâ cum Regum, Principum, & Magiſtratuum gratiâ, ad talem tutiſſimam ſimplicitatem formulæ Precum publicarum revocari poſſent, (ex. gr. pro noſtro *Rege Galliarum*, pro *Rege Poloniæ*, pro *Duce Sabaudiæ*, pro *Electore Saxoniæ* Domino noſtro &c.), mutato aut turbato aliquando rerum ſtatu, minus circa mutationem Precum laborarent Eccleſiæ. Sed hæc prudentiæ Eccleſiarum circumſtantias particulares ponderantium, poſt Deum, committenda ſunt. Comparari poſſunt cum Precibus nimium titularibus, quæ habet *Fileſacus in Opuſculis tit. de Idololatriâ politicâ*, & antiquorum Gentilium ſuperſtitio ac πολύωνυμα, qui Deos precaturi per eorum nomina ac poteſtates, unde multi-nomines quandoque erant, eos obteſtabantur. Quo igitur plures erant Deorum poteſtates, eo plures erant appellationes, quas demulcendis Diis recenſebant. Exempla dant *Hymni Græcorum*. Et talem morem innui arbitror *Matth. 6. verſ. 7.* ubi Gentilium βαττολογία & πολυλογία taxatur. Quia autem Deos ſalutaturi omnia illa numina & inde profecta nomina non ita habebant cognita, nomenclatoribus & monitoribus utebantur, qui ea ſibi ſubjicerent. Huc reſpicere puto Tertullianum Apoleg. cap. 29. *Denique (oramus) ſine monitore, quia de pectore. V. Probl.* An contra aliquos in Eccleſiâ orandum ſit? *Reſp. 1. Concl.* In genere contra apertos & clancularios hoſtes Eccleſiæ, *Aff.* idque probatur *ex* ſecundâ petitione, *veniat regnum tuum*, & omnibus textibus, qui docent nos orare pro Eccleſiâ. *Pſal. 14. verſ. 7. & 25. verſ. 22. & 51. verſ. 20. & 122. verſ. 6. 7.* quod fieri nequit niſi una oremus contra hoſtium conatus, & perſecutiones. 2. *Ex* illis textibus, ubi apertè & explicatè contra hoſtes orare aut pro eorum repreſſione gratias agere, docemur *Pſal. 12. 35. 68. 69. 83. 16. 98. 118. 129. 138.* 2. *Concl.* Contra apertos & profeſſos hoſtes, præfractos Eccleſiæ, perſecutores, vel nomine vel ſaltem phraſi aliquâ deſignatos tutius precari poſſunt Concionatores in Cœtibus clandeſtinis, ubi non niſi probati ordinariò comparent; quam in Cœtibus publicis. Non tamen ab omni parte & perpetuo hoc ita tutum eſt: propter Sinonas, Ecebolios, apoſtatas; àquibus Eccleſia nunquam immunis erit. Exemplum Precum in clandeſtino Cœtu contra hoſtes nominatim deſignatos,

Digitized by Google

& quidem ἐν ἄκρῳ constitutos, vide *Actor.* 3. *vers.* . 3. *Concl.* Contra apertos hostes & persecutores, si simul sint hostes illius Reipublicę, in quâ est Ecclesiâ, tutò precantur Concionatores. Ita celebratâ illâ cantione ἐνδόξῳ Lutheri contra Papam & Turcam, quæ incipit, Erhalt uns Herr bey deinem Wort / Und stewr der Bapst und Turcken mordt / &c. utuntur Ecclesiæ in Germaniâ. An etiam in Ecclesiis Saxo-Transylvanicis Turcico Imperatori tributariis, & in aliis Ecclesiis nostris Hungaricis Turcico imperio subjectis, studiosè inquisivi apud Studiosos Hungaros & Transylvanos hujus Academiæ nostrę Cives, qui me docuerunt celebre illud Lutheri canticum ita paululum mutatum in Scholis latinis sonare: *Serva Deus verbum tuum. Et frange vires hostium: Qui filium Jesum tuum, Turbare conantur throno.* Idem in idiomate vernaculo in Ecclesiis ita sonare: *Atya Isten tarts &c.* quod de verbo ad verbum ita transfertur

Deus pater serva nos
Et in verbo tuo sancto fidem nostram
Serva in concordiâ populum tuum
Contere hostes nostros,
Qui Christum turbare
Et sede sanctâ dejicere &c.

Quod si Turcæ alicubi Ecclesiarum nostrarum libertatem, & potestatem in dogmatis, regimine, disciplinâ, inviolatam relinquant & tueantur (uti certum est hoc fieri Budæ & in reliquis Hungariæ partibus Imperio Turcico subjectis) omnino illic de mutatione tempestive cogitandum est, antequam illi ad hoc attendant & ad animum revocent. *Muhammedus in Testamento suo* (non immerito dubitatur an genuinum sit quod ex Oriente ante annos aliquot allatum & jam bis typis descriptum est) promittit se *Christianorum Ecclesias, templa, oratoria, monasteria protecturum* &c. *religionem quoque & bona eorum defensurum &c. quemadmodum custodit seipsum, & sceptrum suum, & gentis suæ populos fideles & Moslemannos.* Sed his conditionibus, *Ne ullum militem Muslemannis adversum foveant, aut suis domibus contutentur* &c. *Ne contra Muslemannos castris inimicis vires subministrent &c. pignora accipiant, contractibus scriptisque obligentur &c.* Quid si Turcæ huc reducere velint verba Precationis Lutheri tanquam clarigationem contra Turcarum arma (*Latrocinia* appellat Lutherus) continentia: utique causam nullam video, quin in illâ Precatione *Turcæ* ab Ecclesiis pace & defensione illorum fruentibus prætereundi sint. Et quidni pro illorum Imperatore tanquam Domino suo, & pro pace Imperii eorum precari liceat. Certè longè majori ratione hoc fieret, quam olim pro Nerone, Caligula, Domitiano, &c. crudeliter persequentibus; & *pro omni statu Imperii, rebusque Romanis* &c. *Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus,*

Digitized by Google

bus, qui gentibus illos præfecit. Id in illis ſcimus eſſe, quod Deus voluit, & pro magno adjumento habemus: uti loquitur Tertullianus Apologet. c. 32. Longè alia ratio eſt religionis Muhammedicæ, & Imperii Otomannici: pro hoc Fidelibus ejuſdem defenſione fruentibus precari licet non tantum, ſed & neceſſe eſt. 1. *Timoth.* 2. *verſ.* 1. cum *Jerem.* 29. *verſ.* 7. Contra illam nunquam precari deſinent, qui intelligunt orationem dominicam, *Veniat regnum tuum.* Nec hoc prohibebunt Turcæ: quippe qui refutationem religionis ſuæ per Chriſtianos vivâ voce aut ſcripto factam, libertate ſuæ religionis ipſis in Imperio Turcico conceſſâ contineri fatentur. Uti hoc anno 1628. ipſorum *Muſti*, hoc eſt, ſupremus ſacrorum Antiſtes, judicium rogatus reſpondebat occaſione actionis Cyrillo Patriarchæ inſtinctu Jeſuitarum intentatę, quod *in Libello* quodam *contra Judæos* in Angliâ impreſſo, opiniones Muhammediſtarum carpſiſſet: uti hoc refertur *in Append. 2. ad Myſteria patrum Jeſuitarum*, edit. 2. anno 1633. Lampropoli in 16. pag. 323. 328. Quod ad Papam Romanum, ejus longè alia ratio quam Imperatoris Turcici. Papa nec pacem, nec inducias, nec neutralitatem colit cum Eccleſiis & Politiis proteſtanticis in Germaniâ: ſed perpetuò iis hoſtiliter inſidiatur; cujus antehac indicium fecimus *in 2. Part. ſelectar. Diſpp. tit. De Sede Romanâ compatibili cum Politiis Reformatis.* Sed tale quid de Turcarum Imperatore dici nequit. Præterea Papa non eſt Dominus ſuperior aut inferior Germanię; multo minus illarum partium, ubi Eccleſiæ proteſtanticæ & reformatę ſubſiſtunt: ſed Turca variorum locorum, ubi Eccleſiæ noſtræ hoſpitantur, ſupremus Dominus eſt. Non mirum ergo, ſi contra Turcam Dominum ſuum Precatiunculâ Lutheri modo memoratâ in Eccleſiâ non uterentur: nunquam tamen ceſſarent cum Eccleſiis Germanicis eâdem uti contra Papam, nec Dominum, nec amicum, nec neceſſarium ſuum, ſed juratum religionis hoſtem, & magnum Antichriſtum. Atque hactenus genuinam rationem & formam Precationum delineare conati ſumus: quam tamen Filii Prophetarum ex aſſiduâ auditione & imitatione piè eruditorum Concionatorum, collatâ etiam lectione præſtantiſſimorum aliquot libellorum meditationes, preces, ſoliloquia continentium plenè addiſcent. Quod ſi imago oppoſiti vitii inſpecta virtutis accuratiorem cognitionem in nobis promovet: non arbitror inſpectionem & collationem Precationum Judaicarum, Papalium, Orientalium, planè ſupervacaneam fore. Illarum Precationum materiam, formam, modum in Synagogis ſervandum deſcribunt partim varii libri Precum ſecundum ductum & morem Judæorum in hâc aut illâ gente habitantium editi; partim *Buxdorfius in ſuâ Synogogâ*; partim ritualia Judæorum, in quibus de officio defunctorum, aliiſque agendis. Sed indicem præſtet *Liber Buxdorfii.* Ubi ineptię occurrunt: de matutinâ gratiarum actione pro intellectu gallis gallinaceis dato. De com-

muni & æquali precandi formâ ab omnibus usurpandâ. &c. Quæ φιλοπονήσεις ipsi legant in Libris modo indicatis. Orientalium Preces quæ & quales sint, vide in *Liturgicis* eorum supra *Tract.* 1. recensitis: compendio si uti malis, unicum percurre *Euchologium cum Notis Goar.* Pontificiorum Precationes examinavimus *Part.* 3. *select. Disp. tit. de Rosariis &c.* & *tit. de Processionibus.* & *tit. de Benedictionibus.* Quæ analogicè applicanda solennibus orationibus in *Missali, Breviario, Pontificali, Rituali, Ceremoniali Episcoporum, Ceremoniali Romano, Officiis Mariæ,* occurrentibus. Imprimis suffragia & orationes pro defunctis in *Missali, Breviario, Rituali, &c.* perlustranda. Quæ cum ab Antagonistis Papatus satis superque refutata sint, nec hujus loci sit tales controversias tractare, hic finem impono: ubi εἰς πυρίδα solummodo notavero, etiam pro damnatis in inferno Preces publicas concipi. Sic enim Missale Romanum anno 1506. Paris. apud Thielmannum Kerverin 8. fol. 217. in rubrica: *Missa, pro cujus animâ dubitatur. Oratio.* Et in ipsâ Precationis formulâ: *Ut quia de qualitate vitæ ejus diffidimus, de abundantiâ pietatis tuæ consolemur: & si plenam veniam anima ipsius obtinere non potest, saltem vel inter ipsa tormenta, quæ forsitan patitur, refrigerium de abundantiâ miserationum tuarum sentiat.* Quærunt *Joh. Stephanus Durantus Lib.* 2. *Cap.* 43. & *Biel in Exposit. canonis missæ lect.* 56. An suffragia vivorum prosint damnatis in inferno. Ipsi quidem parti neganti accedunt, interim fatentur *opiniones esse apud Doctores,* ut loquitur *Biel,* & indicat *ibid.* celeberrimum *Augustin. de Ancona* (qui etiam Triumphus dicitur) & celebrem Canonistam vulgò dictum *Præpositum* (*Antissiodorensis* vocat Præpositinum) *Joh. Antonium è S Gregorio* statuentes, *quod suffragia facta pro damnatis mediocriter malis prosunt ad diminutionem pœnæ: tollunt enim aliquid de pœnâ, non ut liberentur, sed ut minus puniantur.* Hic adde ex *Altisiodorensi,* Præpositinum sensisse, quod suffragia damnatis prosint, & ante & post judicium. *Biel loco cit.* refert tanquam distinctam à præcedenti opinionem Cantoris Parisiensis & Stephani Cantuariensis, *qui dicunt, Quod suffragium damnatis impensum tollit aliquid de pœnâ inferni &c. & consequenter concedunt, quod possunt tantum multiplicari Ecclesiæ suffragia, quod pœna totaliter tollitur, vel verius tota suspenditur: quia consequenter dicunt, quod suspensâ totâ pœnâ damnatus iterum in eadem pœnæ relabatur.* Tertia opinio Gulielmi Altisiodorensis statuit, *pœnam eorum per suffragia Ecclesiæ nec minui nec suspendi. Prodesse tamen damnatis, ut tolerabilior sit eorum damnatio: quia per suffragia confortantur, ut levius ferre possint ignis incendium.* Quod ibid. declarat simili hominis magno pondere gravati & lassitudine debilitati, cui si quis *aquam frigidam in faciem fund. t, pondus quod portatur in nullo alleviat: & tamen pondus portantem ad levius sustinendum confortat & refrigerat. Et in hoc sensu dixit divitem guttam aquæ petere, ut refrigeretur.* Hæc ex Biel. Sed non est prætereundum, quod

Digitized by Google

quod ipſe Altiſſiodorenſis poſt longam diſputationem Lib. 4. Summę in libros Sententiarum tit. de Damnatione reproborum fol. 304. b. ſic concludit: *viſo qualiter poſſint ſuſtineri duæ primæ opiniones*, dicimus ſine *præjudicio melioris ſententiæ, quod illæ quæ dicit quod ſuffragia non proſunt damnatis probabilior eſt.* &c.

Caput II.

De Benedictionibus, Salutationibus, Doxologiis, & Cantu eccleſiaſtico.

Benedictio quid & quotuplex ſit cum oppoſitis maledictionibus, & pſeudo-benedictionibus (imprimis Papatus) ex profeſſo explicuimus in 3. *Part. ſel. Diſpp. Tit. de Benedictionibus, Conſecrationibus, & Sacramentalibus.* Nobis hoc loco agendum de eccleſiaſticâ, ſolenni, & autoritativâ Benedictione. Ea ex objecto duplex eſt, vel rerum, vel perſonarum. *Rerum*, propriè eſt & dicitur, aquæ in Baptiſmo, & panis ac vini in Euchariſtiâ, *Perſonarum*, vel eſt ſingularum, ut e. gr. Miniſtrorum in confirmatione (uti vocant), ſeu in publicâ & ſolenni introductione ad miniſterium: *vel* collectim Eccleſiæ. De quâ hic quæritur. *I. Queſt.* An talis Benedictio ritè fiat in noſtris eccleſiis? *Reſp.* Ritè fieri ad Eccleſiæ ædificationem, Dei honorem, fidei ac devotionis excitationem atque augmentum, probatur. *I. Argum.* ex Numer. 6. verſ. 23.-- 27. ubi ordinariis Miniſtris (ut ab extraordinariis Prophetarum Benedictionibus diſtinguatur) Sacerdotibus ſcil., tale benedictionis officium imponitur: *Loquere ad Aharon, & ad filios ejus, dicendo, ſic benedicetis filiis Iſrael dicendo eis: Benedicat dominus, & cuſtodiat te. Lucere faciat dominus faciem ſuam ſuper te, & miſeratur tui. Elevet dominus faciem ſuam ad te, & ponat tibi pacem.* Debebant ergo ſacrificia offerre, verbum prædicare *Malach.* 2. *verſ.* 7. ac precari *Pſ.* 134. *verſ.* 1. 2. Primum ipſis peculiariter uſque ad tempus correctionis impoſitum: duo reliqua communia ipſis erant cum Miniſtris N. T. *Actor.* 6. *verſ.* 4. Jam vero Benedictiones votivæ ad Precationes reducuntur. Et ne quis excipiat, in V. T. obtinuiſſe tales Miniſtrorum ſuper populo Dei Benedictiones, addimus ſequentia argumenta. *II. Argum. Ex* officio miniſtris N. T. euangelizantibus impoſito Luc. 10. verſ. 5. *pax huic domui*; cum *Matth.* 10. *verſ.* 13. 14. Quod obſervârunt Apoſtoli votivis illis ſalutationibus in Epiſtolarum ſuarum principio *Rom.* 1 *verſ.* 7. & in fine *Rom.* 16. *verſ.* 20. Vide reliquas *Epiſtolas.* Imprimis hic conſiderandum illud de Miniſtris N. T. prædictum *Jeſa.* 52. *verſ.* 7. iiſdem applicatum Roman. 10. verſ. 15. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. III. Argum.* Quia hæc ſolennis Benedictio reducitur ad Precationem pro Eccleſiâ, & petitionem benedictionum ſpiritua-

lium ac temporalium pro Ecclesia. Atqui Precationem pro quibusvis hominibus & necessitatibus à Ministro Ecclesiæ ritè fieri nemo negaverit, & cap. proximè præcedenti probatum est. Rectè ego Preces pro bono Ecclesiæ, in facie Ecclesiæ pronuntiantur, ad quas omnes fideles dicant Amen. *IV. Argum. quia*, siquidem non tantum votiva, sed & promissoria ac denuntiativa sit benedictio (de quo *Quæst. sequenti*), piè & ἰσμένως eam fieri, constat ex proprio munere, & potestate delegatâ Ministris concessâ, quâ prædicant euangelium pacis. *II. Quæst.* An ecclesiastica illa benedictio sit purè votiva seu ἰυχὴν apprecatoria, an etiam denuntiativa & promissoria? *Resp. affirm. posterius I. ex* Numer. 6. vers. ult. *& ponant nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Quod etiam applicatur ad Ministros N. T. Matth. 10. vers. 13. *Et siquidem fuerit domus digna, veniat pax vestra supra eam &c.* Roman. 16. vers. 20. *Porro Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris cito. Gratia domini nostri Jesu Christi sit vobiscum. Amen. II. Quia* Ministri sunt legati Dei, sunt œconomi, sunt os Dei ad populum, habent claves; & consequenter usi concionibus, dicendo *sic dicit dominus* ita & Precationibus pro populo, & votivis benedictionibus in facie Ecclesiæ τὸ *amen* obsignatis, promittunt, annuntiant, denuntiant pacem, hoc est, omnes spirituales & temporales benedictiones, *Jes. 52. vers. 7.* cum *Rom. 10. vers. 15.* & speciatim remissionem peccatorum *Joh. 20. vers. 20.* finalem victoriam *Rom. 16. vers. 21. Hebr. 10. vers. 3.* immo etiam dicuntur justificare *Daniel. 12. vers. 36.* servare *1. Timoth. 4. vers.* cum *Obadia vers. 21.* tanquam instrumenta scil. moralia, nomine & mandato Dei fidelibus peculiari quâdam potestate illa annuntiando ac promittendo. *Consectar.* Unde discamus, quam temere & infeliciter talem benedictionis pronuntiationem auditores subinde negligant, aut declinent, quin & contemnant. *III. Quæst.* An conceptis verbis, & quidem *Numer.* 6. v. 23. 24. &c. benedictio pronuntianda? *Resp.* Nostri in Belgio communiter verbis *Numer. 6. v. 24.* &c. benedicunt; quæ nonnulli subinde contrahunt: alii iis addunt ex Psal. 121. vers. 7. *Dominus custodiet* (custodiat) *exitum tuum & introitum tuum, ex hoc tempore & usque in sæculum.* In Ecclesiis peregrinorum in Angliâ sub Eduardo VI. talis erat formula: *Deus misereatur vestri & benedicat vobis. Illucescat divini vultus sui luce inter vos, ad nominis sancti sui gloriam: & custodiat vos in sanctâ ac salutari pace suâ. Amen.* Ita refert Joh. à Lasco in Formâ & Ratione Ecclesiast. Minister. in Peregrinorum &c. pag. 82. Alibi si aliter περιφερόμενον dictam formulam *Numer. 6.* eam contrahendo aut extendendo, aut voces quasdam æquivalentibus mutando: nemo nostrum alicui praxi suâ præjudicat, aut libertatem ademptam cupit: modo conveniant formulæ cum sacris literis; & ad intelligentiam ac devotionem Auditorum in quâque Ecclesiâ maximè faciat; imprimis superstitio omnis, & occasio aut

ſpecies ſuperſtitionis apud Ethnicos, Judęos, Pontificios dominantis evitetur. Illic enim aut in geſtibus, aut in certis verborum formulis, ſive efficacia, ſive forma ſacramentorum aut ſacramentalium & benedictionum conſtituitur: circa quæ infinita dubia & quęſtiones moventur. Norunt hoc qui *Diſpp. eorum de Sacramentis, de Ceremoniis, de Benedictionibus* inſpexerunt. Nos plurimorum indicium fecimus in 3.*Part.ſel.diſpp.* & ſupra *Tract.de Liturgiis.Liturgiæ Belgicæ in Adminiſtratione Cœnæ* ſollicitè excludit à communione *omnes qui jumentis aut hominibus, aut aliis creaturis benedicunt, quique eiuſmodi benedictionibus fidem adhibent. IV. Quæſt.* Quis geſtus in benedictione adhibendus? *Reſp.* idem qui à Miniſtro in Precationibus eccleſiaſticis adhibetur: de quo *Cap. præced.* Chriſtus manus imponebat iis quibus benedicebat, *Matth.* 19. *v.* 15. Idem in cœlum aſcenſurus Apoſtolus benedicebat manibus elatis. Poſteriorem hunc noſtri imitantur, manus ſive conjunctas ſive ſeparatas (hoc enim a-diaphorum) elevando. Prior enim geſtus commodè adhiberi nequit ob multitudinem Auditorum, & diſtantiam inter Populum & Miniſtrum; qui ſtans in ſuggeſtu ſicuti præcatur antè & poſt concionem ſic & benedicit. Æthiopicus interpres addit textui *Luc.* 24. *v.* 50. quod *levaverit manus*, eaſque *impoſuerit* Diſcipulis, & benedixerit. Quia tam pauci erant numero, hoc facile fieri potuiſſet. Sed quia textus non meminit χειροθεσιας, & inter benedicendum, vel dum benediceret elatis manibus, ab Apoſtolis ſeparatus fuit, ſine neceſſitate hoc verſioni illi infarctum fuit. Porro de geſtu levandi & tendendi manus in Precibus, & in juramento, vide 1 *Timoth.* 2. *verſ.* 1. *Geneſ.* 14. *verſ.* 22. 1. *Reg.* 8. *verſ.* 22. Otioſum & *damnoſum* eſt figmentum *Corn. à Lapide in Luca* 24. quod aſſerit, à Chriſto ſuper Apoſtolos formatum eſſe ſignum crucis. Demonſtrationem ejus nullam adfert, niſi iſtam; ſic cenſet *Dionyſius Carthuſianus*, *Franciſcus Lucas*, *Zwarezius*, imo & *Hieronymus in Jeſa.* 66. Ex hac dogmate tam fortiter demonſtrato educit hoc conſectarium morale: debere nos diſcedentes à noſtris, ſigno crucis iis benedicere. Qui porro de formulis verborum geſtibus, ritibus, innumeris in Papalium benedictionum farragine adhibendis ſecreta ſecretorum pernoſcere cupit, is adeat autentica ipſorum ſcripta *Liturgica & Agendariâ*, cum *Durante*, *Joh. Stephano*, *Gavanto*, &c. ſupra *Tract.* 1. *Sect.* 1. & 2. indicata. De Judæorum benedictionibus primus *Codex Thalmudicis berachot*, cujus placita explicata invenies à *Maymonide in Commentar. ad Miſnajot*, imprimis in *Jad chaſaka Part.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 7. Sed Studioſi ad alia feſtinantes, legant *cap.* . *Synagoga Buxdorfii.* Benedictiones, quæ in reformatis Academiis Angliæ coram ſtudioſis antiquo modo & more ſolenniter pronuntiari ſolent, video ab heterodoxiâ & ſuperſtitione repurgatas: uti quidem eas exhibet nobis eximius theologus *Johan. Prideaux inter textas* 22. eruditis *Prælectionibus*, quas in veſperis comitiorum Oxoniæ habuerat.

habuerat. Rationem hujus moris reddit, ſed tribus verbis, in *Præfat. ad Concciones ſex* coram artium baccalaures habitas. An autem eas tunc aut olim tempore Papatus numeraverint inter benedictiones eccleſiaſticas & publicas, an vero inter privatas & ſcholaſticas, me latet. Prius videretur magis verisimile vel ex eo, quod ſtudioſos ſeu Academicos auditores ſaltem Theologos & filios Prophetarum nomine *cleri* moribus antiquis iſtic appellare conſueverint: uti deprehendiſſe mihi videor, ex titulis concionum quarundam in Academiâ latinè habitarum: qualis eſt *Lanceloti Andrews* poſtea epiſcopi Elienſis *ad Proverb.* 20. *verſ.* 26.

§. 2. Salutatio eccleſiaſtica à votiva ἐυκτικῇ benedictione reipſâ non differt. Eam in antiquâ Eccleſiâ à Miniſtro ſacra facturo præmiſſam fuiſſe colligitur tum ex pacis denunciatione, tum ex formulâ *Dominus vobiſcum*: Quæ utraque in ſequiorum ſęculorum Liturgiis ac Ritualibus, & etiamnum locum habet in celebratione miſſę: ubi inter ea quæ clarâ voce dicenda ſunt auditur ℣ *Dominus vobiſcum*, cum reſponſione æditui, *& cum ſpiritu tuo.* Salutat autem Sacerdos Populum, (in compluribus miſſis ſolum æditum, qui ſolus tunc adeſt) ſeptem vicibus: *quatenus* ſcil. *excluſis ſeptem vitiis capitalibus, ſuſcipiat populus ſeptiformem gratiam*, uti ex *Innocentio* 3. *Lib.* 2. *cap.* 24. myſterium hoc explicat *Gavantus Tom.* 1. *ſacr. Rituum, in rubricis Miſſalis part.* 2. *tit.* 5. *Ibidem* myſticas rationes adfert, cur his verbis ſalutans populum, ad Populum tamen tribus vicibus, & quidem alternatim ſe non convertat: cum tamen paulo ante ejuſdem paginæ col. a. ad verba rubricæ Miſſalis, *verſus populum*, commentatus eſſet. *Quos ſalutamus, eis faciem præſentamus. Idem ibid.* notat hâc formulâ ſalutari Eccleſiam, *etiamſi unus tantum ſit præſens.* De hâc quæſtione plenius *Joh. Stephanus Durantus Lib.* 2. *de Ritib. eccleſ. cap.* 15. Ubi etiam antiquitatem hujus formulæ ex pſeudepigraphis *Dionyſii de Eccleſ. hierarch.* & Soteris apud *Gratianum* can. *hoc quoque, de conſecr. diſt.* 1., nec non reſponſionis (*& cum ſpiritu tuo*), & hujus ſenſum, ut & differentiam ſalutationis epiſcopalis (*pax vobis*), ab hâc ſalutatione Sacerdotis miſſificantis, & an Diaconus formulâ (Dominus vobiſcum) uti poſſit, more ſuo explicare conatur. Sed nos his miſſis, oſtendamus ſalutationem verbis Apoſtoli 2 *Corinth.* 13. *verſ.* 13. olim peragi ſolitam, etiamnum hodie à Miniſtris quibuſdam noſtratibus non male uſurpari; Subſtituentibus eam formulę (ex Pſal. 121. verſ. 2.) *adjutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram:* quam plerique Miniſtri ſimulac in ſuggeſtu actionem inchoaturi ſunt pronuntiare ſolent, & hortationi ad Preces præmittere. Qui autem Eccleſiam ſuam quæ jam convenit, verbis 2. *Cor.* 13. *v.* 3. aut aliis votivis æquipollentibus ex *Rom.* 1. 7. & reliquis Epiſtolis ſalutant, nihil alienum ſe facere, facile oſtenderent ex Luc. 10. verſ. 5. *pax huic domui*, & ex ſalutationibus apoſtolicis, quas

quas in principio Epiſtolarum Eccleſiis impartiebantur: Vide *Epiſt. ad Romanos*, *Corinthios*, *Galatas &c.* Quod enim rectè fit per Epiſtolam, quidni vivâ voce id fiat coram eccleſiâ præſente? Vide de ſalutationes apoſtolicę originę & uſu *Baronium ad ann.* 45. §. 27. 28. Quod ad formulam ſalutationis, *Dominus vobiſcum*, occurrit ea *Ruth.* 2. *verſ.* 4. & *Judic.* 6. *v.* 12. *Luc.* 1. *verſ.* 28. ſalutatione angelicâ: *dominus tecum.* Viluit tamen apud Populum, quod linguâ ignotâ, abſque converſione ad Populum Sacerdos ſalutaret, & quidem dicendo, *vobiſcum*, cum unus tantum adeſſet. Si ergo rectè ad mutuam ędificationem animo ad Deum elevato, dicatur *Gratia domini noſtri Jeſu Chriſti &c. pax vobis* aut *dominus vobiſcum*, aut ſimile quid; non improbamus: Neceſſitatem tamen exſertę ejuſmodi ſalutationis agendis eccleſiaſticis prędmittendæ omnibus ex æquo non imponimus. Sufficit verbulo indicaſſe, nihil peregrini aut abſurdi committi à Miniſtris, qui verba illa 2 Corinth. 13. verſ. 13. *gratia domini Jeſu* &c. ſubſtituunt communi formulæ pleriſque uſitatæ, *adjutorium noſtrum* &c. Cuique hic libertas relinquenda, ut pro ratione temporum, locorum Auditorum, eam vel vovendi & apprecandi ſibi auxilium divinum ex *Pſal.* 121. *v.* 2. vel vovendi & apprecandi Eccleſię gratiam & pacem ex *Luc.* 10. *verſ.* 5. & *Roman.* 1. *verſ.* 7. vel vovendi utrumque & ſibi & Auditoribus formulam, eaque verba adhibeat, quæ ad maximam excitationem & devotionem conformiter Scripturæ facere judicabit. Turpe eſſet tales conſtitui aut tolerari Miniſtros, qui tanquam infantes alphabetarii verba & formulas ſalutandi, benedicendi, vovendi, apprecandi, imprecandi, confitendi, gratias agendi, privatim publicève, pro re natâ invenire, efformare, pronuntiare nequirent. Nec valet exceptio, quam video ab aliquo Scriptore admodum urgeri, quod locuturus cum Deo extemporaneas Precationes fundere non debet. Cum neceſſitas ita fert, & Miniſtris occaſio Precationis publicè aut privatim per domos habendæ ſubito objicitur (uti hoc non ratò fieri videmus), non poſſunt ſe ſubducere, aut domum tantiſper ſecedere, donec ipſi conceperint formulam Precationis, quæ rei prędſenti conveniat, aut talem in libris ſuis invenerint, quam reduces apud ægrotum, deſperabundum, aut moribundum, aut tentatum, aut energumenum, prælegant. Hoc tamen poſſunt & debent agere, ut prędmeditatione, ad Preces, gratiarum actiones, benedictiones, ſalutationes publicas coram Eccleſiâ ſe prędparent non tantum communiter & quotidie: ſed ſpeciatim cum ipſis conciones habendæ, cœna administranda, jejunia aut euchariſtiæ celebranda. Si ullibi certè hic valere debet, *Abundans cautela non nocet.* Et illud Eccleſ. 5. verſ. 1. *Ne feſtines ore tuo, & cor tuum ne acceleret proferre verbum ante Deum* &c. Quid multa? in utrumque parati ſint Dei diſpenſatores, & habitum Deo loquendi, benedictiones, ſalutationes, conſolationes, adhortationes promulgandi aſſiduis ſoliloquiorum

quiorum & meditationum ſpiritualium exercitiis talem ſibi acquirat, ut cum opus eſt ex tempore, aut extra uſum neceſſitatis facile præmeditatione aliquâ antecedente, ex Theſauro ſuo depromere poſſit vetera & nova. Ne quis autem τὸ extemporaneum nimis ſugillet, digitum intendo ad morem Eccleſiarum, quæ ſolent omnis generis neceſſitates ſcedulis inſcribi & Miniſtro Preces inchoaturo legendę tradi: qui eas Precibus ſuis includere & debito modo proponere tenetur abſque operoſâ præparatione; abſque editis formulis: ad quas tunc haut permittitur recurrere. Cum malum aliquod θάνατος, aut mors, Concionatorem ipſum, aut aliquem in familiâ ſubito invadit, an non ex tempore (ſiquidem hâc phraſi pios pungere libeat) facies domini quęrenda, & ad Deum de profundis clamandum?

§. 3. Doxologiæ in genere continent laudes Dei & gratiarum actiones, pro acceptis beneficiis. Eccleſiaſticæ Doxologiæ priorem plerumque partem faciunt in Precibus aut ante concionem aut poſt concionem habendis. Sunt tamen qui Preces concionibus præmittendas inchoare malunt à confeſſione peccatorum. Uterque ordo ſervari poterit, & ab uno eodemque Miniſtro toties mutari, quoties excitationi & devotioni & ſuæ & Auditorum id expedire judicaverit. Aliter vero & alio ordine Doxologię celebrari poſſunt, ubi ſeorſim editur confeſſio peccatorum, uti hodie in nonnullis Eccleſiis in Belgio fieri conſuevit, & ordo peregrinarum Eccleſiar. in Angliâ apud *Joh. à Laſco* præſcribit. Sed in ſpecie Doxologiæ inſtituuntur, non quidem ſolæ, ſed tanquam elementum in ſolenni Precatione prædominans, cum Deus ſingulari & illuſtri aliquo beneficio Eccleſiam aut Rempublicam illam, in quâ eſt Eccleſia, afficit. Strictiſſimè dicuntur, doxologię, & תהלים *tehillim* laudes, Hymni qui Deo in Eccleſiâ canuntur. De quibus nunc nobis agendum. Ubi præſuppoſitâ vocum Hebraicarum, Græcarum, Latinarum explicatione, quæ apud ſacros & prophanos Scriptores occurrunt, & magnam partem à *Lorino in proleg. ad comment. in Pſalmos* explicantur, rem ipſam iſtis ſectionibus explicare conabimur 1. An cantus ſive vocalis, ſive inſtrumentalis rebus ſacris & agendis eccleſiaſticis conveniat. 2. De materiâ. 3. De elocutione & exornatione: ſeu an & qualis poëtica? 4. De modulatione & Muſicâ? 5. De Cantoribus. 6. De tempore, loco, & ordine. 1. *Sect.* habet has Quęſtiones. 1. *Quæſt.* An Cantus religioni & ſacris tum privatis ſive ſolitariis ſive ſociis, tum publicis conveniat? *Reſp Aff.* 1. *Argum.* Ex textibus N. T.: ne quis ad cultum œconomicum, releget. Col. 3. verſ. 16. *Docendo & admonendo vos mutuo, pſalmis* &c. *Epheſ. 5. verſ.* 19. loquentes &c. *pſalmos* &c. 1. Corinth. 14. verſ 26. *Quoties convenitis, quiſque veſtrûm canticum habet* &c. Quæ loca haut obſcurè cœtus eccleſiaſticos reſpiciunt. Adde Jacobi 5. verſ. 13. *Bono animo eſt aliquis? pſallat.* 2. *Argum.* ex præceptis, hortationibus, & praxi in libris V. T. Vide

Exod.

Digitized by Google

Exod. 15. *Judic.* 5. *Pſalmos Davidis* paſſim, ut 9. 33. 98. &c. Quibus adde exemplum Chriſti *Matth.* 26. *verſ.* 30. 3. *Argum.* Ex naturâ Cantus: qui nihil aliud eſt quam ſermo humanus modulatione aliquâ pronuntiatus ad animi noſtri [illegible] ſeu affectus ſignificandos, excitandos, flectendos, componendos, ducendos, & res propoſitas altius infigendas: uti docet communis experientia, & Autores qui de Muſicâ præſcripſerunt. Eſt enim ſermo modulatus intelligentiæ, memoriæ, affectibus excitandis & juvandis maximopere utilis. Atqui hic ſermo Deo, æque ac omnes aliæ vires animi & corporis, conſecrandus, ejus cultui & ad gloriam ejuſdem applicandus. Hinc eſt quod in Scripturâ, *lingua* Hymnos & laudes Dei modulans, nomine *gloriæ* indigitatur *Pſal.* 16. *verſ.* 9. & 108. *verſ.* 2. Et Deus habitare dicitur in laudibus תהלות *tehillot* Iſrael *Pſal.* 22. *verſ.* 4. Ex eccleſiaſticis, aliiſque Scriptoribus multa huc conferri poſſent. Sed unicum nunc tantum exhibeo ex *Ambroſio ſerm.* 7. in *Pſal.* 119. 54. quod quæ canimus, altius animo infigimus, & firmius memoriâ tenemus: *Quæ enim*, inquit, *bene tenemus, cantare conſuevimus, & quæ melius cantantur, melius adhærent ſenſibus. Non enim perfunctorie tranſeamus quæ legimus, ut tunc tantum cum legimus ea in memoriam eorum redire videamur, ſed etiam cum abeſt codex manibus, tanquam animantia quæ probantur, & munda habentur in lege, etiam cum non paſcuntur, ruminare conſueruntex ſemetipſis alimenta ſibi recondita proferentes, ita & nos de noſtræ memoriæ theſauro de interioribus noſtris ruminandum nobis pabulum ſpirituale promamus. Hymni nobis, canticum nobis, pſalmi nobis juſtificationes Domini ſint, Pſallamus ſpiritu, pſallamus & mente, ne cum obliti fuerimus, in tempore neceſſitatis dicatur unicuique noſtrum: Abjeciſti ſermones meos poſt te. Ideoque ut expelleretur & eliminaretur oblivio à domo ſancta ſua, cantatores ſibi fecit rex verus Salomon, qui toto ſpiritu inquirendo cognitionem divinitatis intenderent, ne pſallentes deeſſent eccleſiæ ſuæ, quorum cantu nequam ſpiritus fugaretur. Sicut David ſancti docemur exemplo, quo pſallente, malus ille ſpiritus expellebatur, qui S[illegible]regis corda vexebat. Prophetæ quoque ut prophetarent, pſallendi peritum jubebant [illegible]llere, quo ſuavi invitata dulcedine ſpiritualis infunderetur gratia. Et in Euangelio legimus, in domo patris illius filium recuperantis percrepuiſſe ſymphoniam, quæ epulantes delectabantur fideles, perfidus autem impatienter audiebat. Dulcis igitur cantilena quæ non corpus effœminat, ſed mentem animumque confirmat.* Et hoc invictè probatur ex Deuter. 31. verſ. 19. *Et nunc ſcribite vobis hoc canticum &c.* 4. *Argum.* Ex praxi antiquæ eccleſiæ poſt-apoſtolicæ: cujus meminit *Juſtinus Tertullianus, Clemens Alexandrinus*, aliique. Verba Juſtini (vel Scriptoris ſub nomine Juſtini) in Epiſt. ad Zenam & Serenum de vitâ Chriſtianâ: *Hymni quoque, pſalmi, carmina, & laudes dicendæ &c.* In Lib. Quæſtionum & Reſponſ. ad orthodoxos (qui non eſt genuinus Juſtini, ſed antiqui Scriptoris, qui

Digitized by Google

post Origenem, Irenæum & ortos Manichæos floruit circa annum 400, uti patet ex qu. 82. 86. 115. 126.), quæst. 107. *Si ab infidelibus, fallaciæ & seductionis gratia, reperta sunt carmina: eis verò qui in lege fuëre, inducta sunt, propter mentis insipientiam (ἀνοίαν:) nos qui gratiæ perfectas, ab eis autem qui dicti sunt modi alienas accepimus disciplinas: quare in Ecclesiis, cantilenis, eorum qui in lege fuêre insipientium more, utimur?* Resp. *Simpliciter canere, insipientibus non convenit: sed instrumentis inanimatis, & crotalis cum saltatione canere. Quocirca in Ecclesiis, non usus carminum per ejus generis instrumenta, & alia insipientibus congruentia, receptus est: sed simplex cantio in eis manet. Excitat hæc enim cum voluptate quadam animum, ad flagrans ejus quod carmine celebratur desiderium. Affectiones & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quot cernere non est, suggestione oborientes amolitur. Mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat. Pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus adversis efficit. Omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt, piis affert medicinam. Gladium Spiritus hoc Paulus appellat in armamentario: ubi contra invisibiles adversarios, milites veræ pietatis suis instruit armis. Verbum namque Dei est, & id quod animi cogitatione (ἐνθυμούμενον,) quod carminis præludio (ἀναπεμπόμενον,) quod carmine ipso (ἀδόμενον) celebratur: ac dæmones fugat atque depellit. (Et in rebus denique omnibus) quæ piis eveniunt, animus veræ pietatis virtutibus, per carmina Ecclesiastica perficitur.* Ubi nota in fine usum ἀνομοίου ἐκκλησιαστικοῦ, id est, *cantilenarum*, aut ecclesiasticorum *carminum:* uti vertunt *Gelenius* & *Langus*. Tertullianus in Apologet. cap. 2. exhibet testimonium *Plinii Secundi* (exstat in ejus *Epist. Lib.* 10. *Ep.* 97.) quo „ declarat, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam cœtus ante„ lucanos adcanendum Christo & Deo. Plinii formalia verba sunt: *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere sibi invicem.* Idem citatur ab *Eusebio Lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 27. Et ab *Hieronymo in Addit. ad Eusebii Chronicon. Nicephoro Histor. Eccles. Lib.* 3. *c.* 17. *Orosio Lib. Histor. cap* 12. Quod solum sufficeret ad demonstrandam constantem anti„ quæ Ecclesiæ praxin. Origenes Lib. 8. contra Celsum, sub finem: *Hymnos* „ *enim in solum Deum universorum canimus, & Deum verbum ejus unigenitum.* Theodoretus de Curationibus Græc. Affert. serm. 8. qui est de martyribus: *Sæpe diebus singulis eorum* (martyrum) *domino* (δεσπότῃ) *hymnos offerimus.* Ibid. in fine: *Proque illâ veteri pompâ* (Gentilium scil.) *&c. fiunt modestæ &c. festivitates, non illæ quidem habentes &c. sed divina cantica* (ὕμνους) *& sacrorum sermonum ἀκροάσεις, & precationem lacrymis laude dignis exornatam.* Concil. Laodicenum (celebratum anno 364.) Can. 23. 24. meminit cantorum & cantus ecclesiastici. Epiphanius in fine panarii, ubi fidem & ordinem ecclesiæ repetit, *matutini*, inquit, *etiam hymni in ipsâ sanctâ ecclesiâ perpetuò fiunt*, &

orationes

orationes matutinæ. Hinc satis superque constare arbitror de Cantu Ecclesiarum jam inde à temporibus Apostolorum. Orientales videntur in hoc genere officii fuisse ferventiores: & Occidentales tamen illud non posthabuerunt. Augustin.lib. 9.confess.cap.7. ait: *Non longè cæperat Ecclesia Mediolanensis genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus.* Occasionem hujus zeli refert *ibidem*, quod cum pia plebs excubaret in Ecclesiâ, (ne scil. templum, eorum ab Arrianis, & Ambrosius episcopus ipsis eriperetur), institutum tunc fuerit, ut *hymni & psalmi canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret: & exillo,* inquit, *in hodiernum diem, multis jam ac pene omnibus gregibus, & per cætera orbis imitantibus.* Quod ego non de omnibus Canticis sacris in Ecclesiis Occidentalibus (uti *Jac. Tribescus in Respp. ad* 1000. *quæsita Augustini qu.* 19.) sed de nocturnis (occasione tunc ita postulante), & de Arrianæ perfidiæ oppositis accipiendum arbitror. Tale quid innuere videntur verba cap. 6. *Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canticis tuis &c. voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum &c.* Conferenda, quæ habet *Lib.* 10. *Confess.cap.* 33. ex quibus mox aliqua exhibebimus. Ex *Nicephoro Lib.* 9.*c.* 24. & *Athanasio*, & *Photii Epitomâ Philostorgii Lib.* 3. §. 13. discimus Arium ejusque sectatores mutasse in Hymnis ecclesiasticis receptam doxologię formulam (*gloria patri & filio, & spiritui sancto*); insuper ἄσματα Cantica (ἀσματῶδα appellat *Athanasius in Tract. de Decreto Synodi Nicenæ*); etiam nautica, molaria, viatoria, aliaque composuisse ut ad suam impietatem homines furtim raperet. Sic loquitur *Photius in Epitomâ Historiæ Philostorgii lib.* 2. §. 2. Istâ ergo occasione *Ambrosius* in Occidente hymnos in ecclesiis decantandos composuit; quem & alii ex Latinis secuti sunt, ut *Paulinus, Hilarius, Prosper, Prudentius, Venantius Fortunatus, Sedulius, Paulus Diaconus, Beda, Theodulphus, Freculphus*, aliique incerti Autores; quorum *Hymnos* aliquot superstites *cum Commentariis* elucidatorio suo ecclesiastico inseruit *Clichtoveus* anno 1517. Basileæ apud Frobenium excuso in fol. Quod idem secundo & Hymnis aliquot auctius Parisiis excusum ann. 1520. *Cassander* anno 1556. Hymnos antiquos, cum novis quibusdam, quorum usus est in Ecclesiâ (Romanâ scil.) denuo collegit, & scholia addidit. Invenio *Joh. Paulum Psalterium* anno 1606. explanationem edidisse in Hymnos ecclesiasticos. Hymni iidem editi Coloniæ apud Quentel anno 1614. cum Psalterio, collectis, euangeliis, epistolis, introitibus, gradualibus, sequentiis, &c. quæ dominicis & festis diebus &c. in Ecclesiâ Romanâ legantur & canantur. Ibid. apud Brachel anno 1626. in 8. editi tit. Psalmodia & cantica ecclesiastica, quæ in templis solent, adhibitis pueris scholasticis decantari. Sed

post, omnes editiones curavit Urbanus VIII. Hymnarium Romanum anno 1629. emendari: de quâ emendatione sic loquitur *Gavantus in Commentar.* „ *ad rubricas Breviarii sect. 5. cap. 6. p. 71. correctis falsis syllabis ultra nongentas, &* „ *mutatis ideo principiis Hymnorum ultra triginta.* quod & *laudavit* sacra rituum „congregatio die 17. Martii ejusdem anni. Intactos reliquit tres de sanctis- „simo sacramento, ratione Hetrusci rhytmi, quo Auctor S. Thomas eos com- „posuit: Hymnum item *Ave maris stella*, qui est soluta potius oratio, aliqui- „bus incisis partita: & hymnum angelorum ad vesperas, qui sine labe fuit, „& paucos alios. Corruptelis multis in hymnos ecclesiasticos successivè in-gressis, de antiquorum integritate revocandâ, aut alicubi retinendâ cogitatum fuit. Hic primo nominandæ nobis Ecclesiæ in convallibus Pedemontanis, quas hâc in parte antiquam simplicitatem servasse, nec unquam corruptelas Papatus admisisse testis est *Historia Londini* hoc anno idiomate Anglico edita, Latinè propediem legenda, quæ specimina aliquot antiquorum Hymnorum antiquâ linguâ istic vernaculâ exhibet. Sunt complures alii, qui brevi, uti speramus, lucem aspicient. Orthodoxorum Hymnis in Bohemiâ testimonium exhibet *Ezromus Rudingerus* vir pius & eruditus gener Joachimi Camerarii *in Præfatione ad Psalmos Davidis:* & pluribus de iis *Johannes Amos Comenius in Notis ad Ordinem ecclesiasticum Ecclesiarum Bohemicarum.* Reformationis pertendentis in Europâ prima Cantica compoluit *Lutherus.* Post illum *Clemens Marotus* & *Beza* Paraphrasi metricâ Psalmos explicatos dederunt; quibus modulationes aptavit *Claudius Gaudimellus* Musicus Parisiensis; qui in lanienâ Parisiensi anno 1572. occubuit. Ejus meminit *Thuanus Histor. Lib.* 52. Poësin & modulationem illam in suis Psalteriis adoptârunt Belgæ, Bohemi, Ungari, Hispani, Itali, Germani. Idem in linguâ Latinâ præstitit *Andreas Spethe*; in Græcâ idem se præstiturum promiserat *Anton. Strombergius* Ecclesiastes Rottumensis in agro Groning-Omlandico, in *Præfatiunculâ ad Part.* 1. *Meditationum Græcarum metricarum* anno 1611. apud Johannem Radæum Groningæ in 8. Audivi ante complures annos idem tentatum in linguâ Hebræâ: sed neutrum hactenus prodiit, quod sciam. Specimina saltem aliquot in linguâ Hebrçâ communicavit *Alstedius in Præcogn. Theolog.* anno 1615. *Lib.* 2. *cap.* 9. quæ ibi videnda. Prætereundum non est Psalmos Maroti numero 50. excusos esse Antwerpiæ anno 1555. in parvo 16. & quidem cum gratiâ & privilegio apud Martinum Nuyts; cum 100. residuis Psalmis metricè compositis per Maistre *Jean Poictevin*, Chantre de Saincte Radegonde de Poictiers. Anglis Psalterium rhytmico-metricum dederunt *Sternhold, Hopkins &c.* 11. *Sect.* De materiâ & objecto Cantus, seu de Cantilenis sacris. Est autem *Materia prima* Cantus ecclesiastici, res sacra seu divina in Sacris literis proposita, aut ex iis educta,

cta, & cum iis conveniens: neque enim ſæcularia, ſive ad vitam animalem, ſive ad civilem, ſive ad artes quaſcunque humanas pertinentia, quas Scriptura non tractat aut non attingit, in Eccleſiis canenda ſunt; quamvis in ſuo genere vera & bona eſſent: nedum ut falſa & mala, aut etiam putatitia theologica ac religioſa, verè ἀθέλογα aut ἄσεβῆ. Qualia habent Hymni Gentilium, & aliqui Romano-Papales. Gentilium Hymnographi, quorum Hymni adhuc exſtant, ſunt *Orpheus*, *Homerus*, *Callimachus*. Varia hymnorum genera enarrat *Voſſius Lib. 3. Poëtica cap. 13. Joſ. Scaliger in Notis ad Orphei Hymnos* verſibus latinis à ſe expreſſos (quære eos in ejus *Opuſculis variis* anno 1612. Francofurti in 8. editis) diſtinguendum docet Hymnos latè ita dictos, in Hymnos ſtrictè dictos latinè *aſſamenta*, quibus Dei alicujus geſta & virtutes celebrantur: & in πλάτους latinè *indigitamenta*, in quibus varia Deorum cognomina eſſent. Hæc rurſum in *Hymnos* κλήτους, auxiliarium & faventium Deorum; & Hymnos ἀποτροπαίους numinum ſcil. lævorum & nocentium. Illos putat *Scaliger* ex vetere linguâ latinâ poſſe dici *carmina calatoria*: iſtos *carmina averruncalia*. *Materia ſecunda* eſt, materia ſacra, ſed veſtita forma doxologiæ, euchariſtiæ, precationis, confeſſionis, &c. *Materia proxima* eſt certa formula cantilenæ. In quâ ſpectatur inventio, compoſitio, ſtructura, diſpoſitio tum rerum, tum verborum, quam elocutionem atque exornationem dicimus: de quâ *Sect.* proximè ſequenti. Sit ergò 1. *Quæſt.* An Hiſtoriæ quævis mutationum ſpecialium in Republicâ, aut Eccleſiâ aliquâ, item prœliorum, victoriarum, perſecutionum, liberationum, proteſtationum, apologiarum, &c. ad numeros & modulos redactæ, convenienter in permanentem & perpetuam Cantus eccleſiaſtici materiam ordinari poſſint? *Reſp. Neg.* Tempora enim ut mutantur, ſic & regimen politicum, hoſtes externi ſive Eccleſiæ ſive Reipublicæ, civiles aut eccleſiaſticæ factiones, contentiones, partes, partium ſtudia. Quod ergo hodie aut hâc rerum tempeſtate conveniret, tanquam communiter hic & nunc probandum, aut ſaltem tolerandum; illud mutatio rerum ſtatu ibidem non conveniret. Sic e.gr. minime conſultum ducimus, ut perpetuæ Cantiones Eccleſiæ alicui præſcribantur, quæ continerent ad exemplum *Pſal. 137. v.7.8.9.* imprecationes in tyrannum quem uſurpantem & quidem nomine deſignatum: ipſe enim, aut ejus poſteri, poſſent illic rerum potiri; quo in caſu non deberent tales Cantiones ibidem continuari, niſi præſentiſſimo perſecutionis & excidii periculo Eccleſias exponere velimus. Nolumus tamen improbare *Cantionem Lutheri* in Eccleſiis Germanicis uſitatam, quâ contra Turcæ latrocinia Deus invocatur: de quâ *Præced. Capite*. Illa enim ſic à viro Dei tunc conſcripta eſt, & ab Eccleſiis Germanicis recepta, tanquam illis temporibus illic locorum conveniens, cum Turca publicum Germaniæ hoſtem ſe oſtenderet. Similiter judicandum

de

de verbis precationis poſt concionem in Liturgiâ Palatinâ: *miſerere illos &c. qui propter veritatem tuam à Turcis cæteriſque Antichriſtis perſecutionem patiuntur. Reprime pater hanc hoſtium tuorum rabiem &c.* Quę inde traduxiſſe videntur Autores Liturgiæ Belgicę: *pro omnibus Fratribus noſtris, qui ſub Pontifice & Turcâ perſecutionem patiuntur.* Gallica Liturgia præterit nomen *Turcæ*, ſolâ *tyrannide Antichriſti* nominatâ. Interim prudentiæ Chriſtianæ eſt, exemplo ſpiritus ſancti 2 *Theſſal.* 2. *verſ.* 6. & *Apoc.* 17. *verſ.* 1 -- 33. (ubi videndi *Commentatores*) ſpeciales nomenclaturas Regum, Principum, Familiarum, Populorum, Eccleſiæ aut Reipublicæ alicui adverſantium in publicis & communibus Cantionum, aliiſve Liturgicis formulis concelare; & privatis aut clancullariis ſive Precibus ſive Hymnis ejuſdem (ſiquidem res illud poſtulare videatur) reſervare. 2. *Quæſt.* An materia Cantionum ſacrarum ſit gratiarum actio & Dei celebratio; an etiam precatio, peccatorum confeſſio, didaſcalia articulorum fidei & pietatis, adhortatio, conſolatio, correptio, proteſtatio, hiſtorica commemoratio ſive beneficiorum ſive judiciorum Dei, ſive utrorumque, præſertim hiſtoriarum, quas ita ſoleo appellare, fundamentalium, de creatione, de lapſu, de Chriſti nativitate, de paſſione, de reſurrectione, de aſcenſione, &c. *Reſp.* Fateor primum Cantus objectum eſſe Dei laudes, & euchariſtias: quod colligitur ex Jac. 5. verſ. 13. *ſi quis patiatur, oret: ſi quis bono ſit animo, pſallat. Iſidorus in Origin.* deſcribit Hymnum, quod ſit canti cum continens laudem Dei. Hinc eſt quod Rabbini libro Pſalmorum titulum תהלים & contractè הלים id eſt *laudum* ſeu *Hymnorum* tribuunt. Non tamen à Cantu excluduntur precationes ſeu petitiones: uti docet *Liber Pſalmorum*, in quo petitiones & deprecationes, ſupplicationes, querelæ, lamentationes. Vide *Pſal.* 77. 79. 80. 102. Quin & primi 72. Pſalmi dicuntur תפלות id eſt, *precationes*, *orationes* Davidis Pſal. 72. verſ. 20. Ubi *Targum* exponit per צלותיא: denominatione factâ à bonâ parte eorum; aut voce precationis ſeu orationis latè acceptâ, ut & petitiones & gratiarum actiones ſeu doxologias ſignificet. Quod ad relationes hiſtoricas ſeu commemorationes rerum geſtarum, illæ ſub formâ gratiarum actionis ſeu laudationis & doxologię referuntur, ut videre eſt in *Pſal.* 78. 105. 106. 136. Nec extra materiam cantus conſtituendæ divinæ promiſſiones, hortationes, præmonitiones, increpationes, comminationes. Vide *Pſal.* 89. 132. imprimis *Deuter.* 32. cum 31. *verſ.* 19. ubi exſertè Deus mandavit, ut exprobrationes, comminationes, præmonitiones iſti populo factæ in formam cantici redigerentur, atque ita perpetuò in memoriâ & ore ipſorum eſſent. De dogmatis fidei & pietatis, quæ nonnullis haut ita Cantui aptari poſſe videntur, vide *Pſal.* 1. qui purè eſt didaſcalicus, & 110. 119. alioſque complures, qui ab Interpretibus diſtinctè dicuntur *Pſalmi didaſcalici.* Adeo ut nihil alienum ab uſu Scripturæ fecerint,

Digitized by Google

fecerint, qui Symbolum, quod vocant, apoſtolicum, & Decalogum ad numeros & modulos redegerunt. Sic tamen illa ad excitandam intelligentiam & juvandam memoriam canenda meminerimus, ne confeſſionem fidei coram hominibus, & ad homines, aut propoſitionem Decalogi, ubi Deus loquitur hominibus, cum formâ & actu precationis confundamus, quâ Deo loquimur. 3. *Quæſt.* An materia proxima, formata ſcil. Cantilena, debeat aut poſſit eſſe ex tempore in Eccleſiâ ab aliquo compoſita, aut ſi ante compoſita, primum & novè ibidem propoſita? *Reſp.* Ita quidem videntur velle Recentiores aliqui, textum 1. *Corinth.* 14. *verſ.* 26. huc trahentes: *Quoties convenitis, quiſque veſtrum canticum habet, doctrinam habet &c.* Sed ex lectione capitis citati diſcere debuiſſent Apoſtolum loqui de chariſmatis prophetiæ, linguarum &c. tunc aliquibus in Eccleſiâ extraordinariò conceſſis, quorum uſus & exercitia ad ædificationem Eccleſiæ dirigi debebant. Unde malè conſequentia ducitur ad quoſvis hodie Eccleſiam frequentantes, à quibus ſive extemporanea ſive domi præmeditata Pſalmi compoſitio, ejuſdemque modulatus præcentus, multo minus Eccleſiæ extemporanea propoſiti Pſalmi exploratio & dijudicatio (juxta illud 1. Theſſal. 5. verſ. 21. *omnia probate* &c. & 1. Joh. 4. verſ. 1. *probate ſpiritus* &c.), & extemporanea modulationis tunc primum auditæ imitatio, haut expectari poteſt. Et quidquid aliquando fieri poſſet, ſaltem tutum non eſt: ne rurſum eveniat, quod ipſis Paſtoribus in Papatu eveniſſe novimus. De quo malim Martyris in 1. Cor. 14. verſ. 26. quam mea verba audiri: *At modo cum Eccleſia iſtis afflatibus non agatur, prudentia carnis arbitrio ſubſtituunt ignavi Paſtores pro aureis ærea, & loco Pſalmi ſeu Cantici ſpiritualis, quibus Dei laudes celebrabantur, ſuppoſuerunt Hymnos, ſequentias, graduales, & tractus, ut loquuntur, quibus traduntur frequentiſſimè res abſurdæ, fabuloſæ, atque ridiculæ.* Quid Arius ſuis canticis molitus ſit, ſupra notavimus. 4. *Quæſt.* An compoſita & ſtata Cantica in Eccleſiis decantanda, nulla alia debeant eſſe quam divina; an etiam admittenda quæ ſunt compoſitionis humanæ. *Reſp.* Reformatio quidem abrogavit omnia Cantica, Scripturis in aliquo repugnantia: ſed nullibi conſtitutum eſt, ut ſola Cantica immediatè divina, quæ in Scripturis exſtant, in Eccleſiis canerentur. Omnes Eccleſiæ utuntur poëticis paraphraſibus Pſalmorum Davidis: uti ſupra indicavimus. *Germanica* præter *Pſalterium*, utuntur pſalmis & pluribus aliis *Hymnis* à *Lathero* compoſitis, aut ex Latinis metris in Germanica traductis; quibus *Lobwaſſerus* alios aliquot à *Sperato*, *Blaurero*, *Swickio*, *Capitone*, *Ebero*, &c. compoſitos *Pſalterio* ſuo ſubjecit. Eccleſiæ *Bohemicæ* & *Moravicæ*, anno 1577. Cantionale habebant 743. Cantiones euangelicas continens; quod brevi poſt Pſalmis Davidicis, aliiſque veteris Eccleſiæ Hymnis auctum fuit; & poſtremò, ni fallor, editum anno 1618. *Polonica* ſimiliter Librum Canticorum edide-

Digitized by Google

runt anno 1554. quod recusum anno 1569. Ecclesiæ *Anglicæ* Psalterio suo rhytmico addiderunt *Hymnos* quosdam *euangelicos, & Cantica spiritualia*: sic præscribit titulus Psalterii quatuor vocum quod anno 1633. à magistro Musico *Thomâ Ravenscroft* Londini editum in 8. Ecclesiæ *Belgicæ*, quamvis Gallicas maximè hâc in parte imitatæ, solis fere Psalmis & Canticis Scripturæ inhæserint, multis tamen annis alicubi Hymnum, *Christe qui lux es & dies*, in rhytmos Belgicos juxta Germanicum Lutheri transfusum in concionibus vespertinis cecinerunt: quo paulatim in cultu publico & in editionibus psalterii omisso, retentum fuit nihilominus canticum Johannis Wttenhoven concionibus prœmittendum; quod etiam hodie in multis Ecclesiis cantatur. Idem dicendum de paraphrastica explicatione Symboli (quod vocant) apostolici, ex metro Germanico Lutheri in Belgicum conversa. Fatendum tamen Ecclesias gallicas nihil numeris & modulis aptasse, nisi textus Scripturæ; earumque vestigiis quam proximè institisse nostras Belgicas; exclusis per Statuta ecclesiastica aliis quibuscunque canticis. Sic enim habet artic. 62. Ordinis ecclesiast. Hagœcomitis anno 1586. *In Ecclesiis cantabuntur Psalmi Davidici, omissis Canticis quæ in S. Scripturâ non reperiuntur.* Movit procul dubio Nostras & Gallicas Ecclesias, prolapsus ille ad cantum humanorum Hymnorum, Scripturis repugnantium, sub Papatu. Voluerunt ergo omnem occasionem mali evitare. Non defuerunt tamen, qui putarent, in Psalterio aliisque paucis canticis scripturariis, tot & tales formulas precationum, Hymnorum, deprecationum, confessionum, &c. non haberi, quæ statui cuicunque Ecclesiarum sub novo testamento, & tractationi quarumcunque materiarum pro concione, adhæc celebrationi cœnæ dominicæ, publici jejunii, Ministrorum confirmationi, excommunicationi, reconciliationi, &c. satis evidenter accommodari possint. In Conventu synodico Provinciæ Ultrajectinæ anno 1612. cum prævalerent dicti Remonstrantes, Decretum ut & aliis Canticis, extra Psalterium Belgicum hic uterentur: quales cum edidissent anno 1615. numero 58. & primum tentamen Cantus eorum in hâc Ecclesiâ fieret, plebe quamvis potiorem partem Remonstrantibus tunc sic satis assuetâ, non concinente præcentori, immo fastidiente atque ægre ferente hanc mutationem, coacti sunt desistere. Quod ad ipsam fabricam Hymnorum, luxurians, affectata, & subinde inepta, immo haut satis theologica ac tuta poësis, sacris ecclesiasticis & populi ædificationi vix conveniebat. Sunt qui in contrariam partem eunt, arbitrati à puris Scripturæ textibus per paraphrases metricas nimis longè recedi. Ut ergo in Ecclesiis omnia tutiora sint, & ne in præcedentia pericula recidamus, mallent ipsum textum Scripturæ integrum metro alicui & modulationi aptatum cantari. Primus, proximè hunc scopum assecutus est *Ainsworthus*, qui ex Hebræo textum in idioma anglicum,

Digitized by Google

eum, tranſlatum metris rhytmicis exhibuit, tantùm vocibus iis additis ſeu interjectis (ſed ſigno quodam diſtinctis) quas neceſſitas inveniendi numeri ſeu metri, & rhytmi exigebat. Illius exemplum imitatus fuit inter Belgas *Ant. de Huybert* J C.: cujus Pſalterium editum anno 1624. Sed colophonem huic conatui impoſuit *Johannes de Bruyne* JC. & Ill. DD. Ordd. Zelandiæ Syndicus ac Conſiliarius, cum anno 1650. ederet purum textum Belgicum ex originali à ſe de novo tranſlatum, & ad numeros ac modulos uſitati apud nos Pſalterii redactum: ſed abſque rhytmo; ne propter illud ad aſſumenta aut orationes paraphraſticas recurrere cogeretur. Hoc opere, in illo genere, conſummatius hactenus non eſt viſum. Quia tamen accurata & γνησία Belgica tranſlatio Viri illius in literis Hebraicis tum Biblicis tum Rabbinicis ac Thalmudicis apprime verſati, diſſentiret, in multis vocibus & phraſibus Belgicis, aut earum ordine & ſtructurâ, à receptâ apud nos tranſlatione Pſalmorum, quæ privatim publicèque in Bibliis legitur: conatus eſt quis noſtras *Muſicæ Magiſter*, abſque rhytmo & quantitatis ſyllabarum obſervatione textum ex Bibliis Belgicis, cui populus aſſuevit, de verbo ad verbum deſcriptum, redigere ad numerum linearum, ac ſyllabarum, & ſic ad modulationem Pſalmorum Gallicorum & Belgicorum *Datheni*, ut in Templis cum eorum Cantu ſimul inchoari ac finiri poſſet. Nullam autem mutationem, ad linearum & ſyllabarum numerum Pſalmis Gallicis aut Belgicis *Datheni* æqualem habendum adhibuit, quam repetitiones earundem vocum, phraſium, ſententiarum, quoties neceſſitas ita poſtulat. Quod omnibus hodiernis melopoëis, ſacris & profanis, madrigalicis (ita loquar) & motetticis perquam familiare eſſe nôrunt ii, qui muſicam à limine ſalutârunt. Fuit nonnemo Vir eruditus, qui privatim textum Hebraicum Pſalmorum modulatione Gallicâ aut Belgicâ adhibitâ, canere ſolebat. Sunt etiam, qui Pſalmos Hebraicos, ſolo repetitionum artificio intercedente, modulationi apud nos uſitatæ adaptatos & affectos habent: quos ſperandum eſt in gratiam eorum, qui linguam Hebraicam deguſtârunt, operam ſuam aliquando in publicum daturos; ut ita hoc ψυχὸς θεμεῖον, hoc βιβλίον bibliorum nocte dieque cantando res contentas & linguam originalem, præſertim Prophetæ & filii Prophetarum, ſibi familiariſſimum reddere queant. Ante complures annos diſplicuit nonnullis apud Belgas nimius ille à textu Scripturæ per laxiores paraphraſes metricas receſſus: præſertim Pſalmorum *Datheni*, qui ex Pſalmis Gallicis *Maroti* & *Bezæ* expreſſi erant. Verſavit hæc cura inter alios nobiliſſ. *Marnixium* montis *Sanct-Aldegondis* Dominum; qui propterea novam paraphraſin rhytmo-metricam compoſuit, ſtrophis, lineis, ſyllabis, cum *Datheni* Pſalmis, pari paſſu euntem, ut cum illis in templis cantari, aut facile iis ſubſtitui poſſet. Sed cum *Datheni* Pſalmi jam memoriâ à pleriſque tenerentur, non viderunt Eccleſiæ, quomodo

do commodè & abſque aliquâ commotione plebis eccleſiaſticæ in publicis ſacris hic quidquam loco moveri poſſet. Hâc ergo cogitatione depoſitâ aliam viam ingreſſi ſunt Viri melodiæ ſacræ amantiſſimi, hoc ſolum agentes, ut retentam poëſin *Datheni* à neglectâ pedum & ſyllabarum quantitate, ab ineptis & faſtidioſis vocum ſupplementis, à vocibus barbaris, impropriis, nec γνωσίοις Belgicis, denique à rudi iſtorum temporum poëſi rhytmica, liberarent. In hoc genere utiliſſimam operam pręſtitiſſe mihi viſus *Chriſtianus van Heule*, cujus pſalmi Datheniani interpolati prodierunt Lugd. Batav. anno 1649. Sed hæc de melodiis ſacris cum refero, putandum non eſt à me, nec ab Eccleſiis noſtris Belgicis, quarum ordini & mori aſſuevi, condemnari morem aliarum eccleſiarum. Abſit, abſit. Omnibus quidem, comparatione variorum ἐθῶν, ſive ἀρχαίων, ſive νεωτέρων inſtituta, ad tutiora aut præſtantiora contendere licet: ſic tamen ne alios in adiaphoris & externis quibuſdam aliter agentes condemnent. Optimè ſtatutum à Synodo Nationali Belgicâ Hagę-comitis anno 1586. Artic. 78. *In rebus adiaphoris reprobanda non ſunt Eccleſiæ extraneæ, quæ alium habent uſum, ac nos.* Unum neceſſariò cavendum ne libertas in licentiam tranſeat, & Cantica, quę aliquid heterodoxi, aut periculoſi, aut ſcandaloſi, aut gravitati ac devotioni eccleſiaſticæ minimè conveniens continere, deprehenduntur, de novo introducantur, aut introducta retineantur. Paulo ante notavimus, quomodo Arius cum ſectatoribus per Cantica ſua hominum ſeductionem moliti ſint. Similiter Pſalmi Valentinianorum à *Tertulliano* damnantur *Lib. 2. de carne Chriſti cap.* 17. & 20. Refert *Euſebius Lib. 7. cap.* 24. Pſalmos à Samoſateno compoſitos in Eccleſiam fuiſſe introductos, rejectis Pſalmis, qui de domino Chriſto loquebantur. 111. *Sect.* De poëſi & muſicâ Canticorum. Quod ad poëſin ſive rhytmicam Europeis, Arabibus, Perſis, Hebræis uſitatam, ſive aliam quamcunque apud Gręcos & Latinos receptam, ejus uſum eſſe in Cantu ſacro ad intelligentiam, memoriam, affectus magis excitandos, agnoſcunt omnes Eccleſiæ tum antiquæ tum hodiernę: quippe quæ talibus Canticis utuntur. De metri & poëſios uſu, præſtantiâ, arte in genere, commentantur Scriptores rei poëticæ, *Jul. Cæſar Scaliger*, *Robortellus in Commentario ad Ariſtotelis Poëticam*, *Voſſius*, *Jac. Pontanus*, *Profeſſores Gieſſeni*, *Alſtedus in Encyclopædiâ*; & ex antiquis *Beda in Libris de Re metricâ.* 1. *Queſt.* An omnes Pſalmi, Hymni, Cantica in Eccleſiâ ante Chriſtum & poſt Chriſtum fuerint metris, aut rhytmis, aut utriſque aſtricta, dubitari poteſt. Videntur quidem numeri & metra cantui maximè convenire: ita ſenſerunt Poëtæ antiqui tum Græci tum Latini, nec non rhytmici omnes Orientalium & vulgarium linguarum. Hinc eſt, quod τὸ canere & carmen pangere, συνῳδεῖν uſurpentur. Certè de antiquis Chriſtianis ex *Plinio*, *Tertullianus in Apolog. cap.* 2. conveniſſe eos *ad canendum Chriſto & Deo*: Idem ſic refert *Hieronymus in Chronico*

Digitized by Google

Chronico Euſebii ad ann. 233. Ipſe Plinius ſupra cit. ſic effert : *carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſibi invicem.* Quamvis autem vox carminis aliquando notet quidquid conceptis verbis diceretur, (quomodo intelligendum illud: Carmina dé cœlo poſſunt deducere lunam) propriè tamen ſignificat canticum: ſiquidem veteres *caſno* dicebant pro *cano*, *caſmenæ* pro *camœnæ*, *caſmen* pro *carmen*. Ex *Libris V. T.* Pſalmos Davidis alioſque Libros Hagiographos & Poëticos, metris aſtrictos eſſe contendit *Hieronymus in Prologo ad Chronicum Euſebii*, & in *Præfat. ad Librum Jobi*; cujus autoritatem plurimi ſecuti ſunt. A quo diſſentit *Steuchus Eugubinus*; eidemque *Scaliger in Notis & caſligationibus ad Euſebium pag.* 7. edit. poſter. validè reclamat, negans ullas metri leges uſpiam ſervatas eſſe, niſi in Cantico *Deuter.* 32. quod rhytmum habet & accedit ad jambicum tetrametrum. Concedit quidem orationem merè ſolutam poëtico charactere animatam *in Pſalmis & Threnis Jeremiæ* reperiri; inſuper *Proverbia Salomonis* & totum fere *Librum Jobi* aliquâ rhytmi modo longioris modo brevioris neceſſitate cohiberi, ſed ubique abſque omni metro. Sic ille ante annum 1607. qui ipſi fatalis fuit. Poſtea tamen venerandus olim in Acad. Lugduno-Batavâ præceptor noſter *Gomarus* anno 1637. in *Epiſt. dedicator.* ad ſuam *Lyram Davidis* antiquorum tum Græcorum tum Latinorum teſtimoniis metra ſacra agnoſcentibus, nec non *Merceri* ac *Vatabli* judicio accedit; inſuper collatis Pindari & Sophoclis metrorum generibus ingenioſo & arduo opere ſpecimina aliqua in Moſis, Davidis, Salomonis, Jobi, Jeremiæ Poëmatis exhibuit. Scio nonnneminem conatibus pereruditi Theologi & Philologi oblocutum (quam ſolidè non eſt hujus fori & præſentis inſtituti expendere): Non tamen diffitendum, omnes philologiæ ſacræ Studioſos pro inventis ipſi gratiam debere. Confer *Joh. Buxdorfii fil. Diſſert. 2. ad lib. Coſri*, ubi Rabbinos de poëſi ſacrâ judicantes adducit. Quod ad Hymnos antiquæ Eccleſiæ latinę, quorum aliqui adhuc ſuperſunt, in plurimis leges jambici dimetri & ſapphici, Anacreontici, trochaici Alcmanii & Euripidei, Aſclipiadei ſolius, aut cum Glyconico juncti, hexametri cum pentametro &c. in aliquibus accuratè ſervantur. In aliis videmus rhytmum & parem numerum ſyllabarum in lineis obſervatum. Qualem poëſin rhytmicam imitantur omnia Pſalteria & Hymnaria in Eccleſiis hodiernis à Papatu ſeparatis recepta. Non tamen negandum, quin orationi proſæ ab omni metricâ aut rhytmicâ poëſi ſolutæ, Cantus aptari poſſit. Ita præit Spiritus S. in *Canticis Iſaiæ*, *Hiſkiæ*, *Habacuc*, *&c.* & *Zachariæ*, *Mariæ*, *Simeonis*; & ſecuti ſunt *Ambroſius* & *Auguſtinus* in celebri illo *Cantico*, *Te Deum laudamus*: in quo nec quantitatis, nec numeri, in ſyllabis, vocibus, lineis, nec rhytmi ulla ratio. *Quod tamen ab univerſali Eccleſiâ receptum, cum tantâ autoritate &c.* ſi fides habenda *Clichtoveo Lib. 2. Elucidatorii in Principio.* Debuiſſet dicere, ab Eccleſiis in Occidente, ubi Latino

sermone hymni canuntur. De puro textu Psalmorum Davidis ex receptâ nunc versione Belgicâ à Musico nostrate, modulationi Claudii Gaudimelli (quæ apud nos publica) aptatis, supra diximus. Et quid hodie frequentius, quam quod prosæ aliquæ ex textu latino Scripturæ decerptæ. Musica figurali motettica canendæ à præstantissimis Musicę Magistris proponuntur. 2. *Quæst.* An Psalmi Davidis, aliaque Cantica scripturaria, & ecclesiastica in Ecclesiis nostris cántari solita, sint & dici possint Cantica sacra ac divina, quamvis paraphrasi poëticâ seu rhytmico-metricâ explicentur? *Resp.* Indubium est sacra dici debere; ab objecto scil. & materiâ sacrâ. Divina etiam dici possunt, non uti ipsa Scriptura θεόπνευστα per infallibiles amanuenses Prophetas & Apostolos scripta; sed ob rem & phrasin cum sacrâ scripturâ convenientem, aut ex eâ desumtam, saltem nusquam eidem repugnantem. Quod si phrasis alicubi nonnullis durior videtur (uti solet nonnunquam à Pontificiis taxari illud Psal. 8. **Dhy maeckt hem dat hy Godt schier zy gelyche**)/ certè illud longè meliuscommodè explicari potest, quam tam multa in Hymnis latino-ecclesiasticis, in quorum purgatione trepidè nimis laborare videmus *Cassandrum in Præfat. ad Hymnos.* Ne quid dicam de *Mejeri, Clichtovei*, imprimis *Urbani VIII.* interpolationibus supra tactis. Hymnos vexillum superstitionis & idololatriæ præferentes, volens prætereo. Quot sunt, qui erronea, incerta, inepta, periculosè dicta bene dictis admiscent? Vide principium illud *Sequentiæ* (uti vocant) in officio defunctorum cantari solitæ,

Dies iræ, dies illa
Solvet seclum in favillâ
Teste David cum Sibylla &c.

Reliqua vide in *Missali. Jac. Marchantius in Opusculis pastoralibus opusc.* 1. ubi hanc prosam prolixè explicat, titulum *planctus filiorum Adæ morientium*, eidem præscribit. Idem allati testimonii Davidis & Sibyllæ hanc rationem allegat, Quod *David sit Prophetarum Princeps & Choragus cæteros compendio continens*; & ut per eum *redarguantur* Judæi, *hæretici, pravi Christiani, qui etiam doctrinam traditam de universali judicio negant vel dictis vel factis*, &c. Et, *ut per Sibyllam Ethnicos confundat negantes judicii diem, &c.* Sed cur apud Christianos (quales se profitenturPontificii), præsertim apud mortuos, aut super mortuis Sibyllæ testimonium adducitur & Davidico jungitur? An, quia *apud Ethnicos spiritu prophetiæ floruerunt, sic remunerante Deo illarum virginitatem:* uti paulo ante *Ibid. pag.* 3. locutus erat? Ultra non provehor in Augiæ stabulo purgando. Ex nostris lapidem offensionis in *Ps. 8. Datheni* (quamvis otiosè quæsitum) satis superque sustulit supra laudatus nobis Christ. van der Heul: **Dhy doet hem flechts een weynigh minder wesen Als d' Engelen zyn.** Quod convenit paraphrasi Gallicæ Clementis Maroti; quam Dathenus sibi exprimendam

mendam proposuerat. Sic enim ille; *Tu l'as fait tel, que plus il ne luy reste Fors d'estre un ange.* Ex dictis collige, quo Jure Pontificii non tantum Idiotæ, sed & Clerici ac Theologi tantopere detestentur quin & igni devoverint Psalmos vulgaribus linguis cantari solitos, præsertim Gallicos Maroti & Bezæ: & quam dextrè Pamelius in Scholiis ad Tertull. de Carne Christi cap. 17. §. 134. eos comparet cum Nicolaitis, Gnosticis, Valentinianis, *qui non agnoscebant psalmos Davidis*; & cum Samosateno, qui *Psalmos qui in dominum Jesum dicebantur cessare fecit velut neotericos & nuper inventos; à se vero compositos, diebus Paschæ in medio Ecclesiæ canere jussit, ita ut horresceret; si quis audiret.* Qua *verba ideo in medium adducta, ut agnoscant quos auctores imitentur nostri moderni Maroticorum potius, quam Christi Psalmorum Cantores & Cantatrices.* Quid audio? an quia metris & rhytmis, pro hodierno & in Europâ recepto canentium usu, Psalmi Davidis paraphrastice compositi à Maroto, ut tanto melius modulis aptari & cani possint, Marotici potius Psalmi dicendi erunt, quam Christi? An non totum Psalterium est Christi, quod à spiritu Christi dictatum est? Præterea an *Psalmi* 2. 16. 22. 45. 68. 72. 110. 118. qui specialiter de Christo loquuntur, non sunt Psalmi Christi? Idem quæro de Hymno Zachariæ, Mariæ, Simeonis? An paraphrasis poëtica & rhytmica Scripturis conformis, aut ei non repugnans, negat ac tollit Psalmos Davidis & textum Scripturæ? an potius ponit, includit, exponit, illustrat, confirmat? Quid ergo dicendum erit de *Patrum, Scholasticorum, Recentiorum* pæne infinitis *in Scripturæ Libros*, nominatim in *Psalterium, Commentariis.* Quid de *Paraphrasibus Poëticis Apollinarii, Juvenci, Aratorii, Sedulii, Probæ Falconiæ, Flaminii, & Spinulæ, Petavii, Viviani, Ariæ Montani, Andreæ Hoji, Bochii*, &c. qui vel Psalterium, vel alios Scripturæ textus paraphrasi poëticâ illustrârunt? Adde ex Nostris *Buchananum, Bezam, Berſmannum* qui Latinâ; *Æmilium Portum* qui Græcâ poësi Psalterium, & *Jacobum Meilerium*, qui Proverbia Salomonis, & *Jacobum Duport*, qui Jobum, itidem Græcâ poësi explicârunt. Idem quæro de paraphrasibus soluto sermone ab *Erasmo, Pineda*, aliisque in quosdam Scripturæ libros conscriptis. Quid fiet denique omnibus Hymnis in veteri Ecclesiâ compositis per Scriptores non [illegible]? quid Hymnis ecclesiasticis in Papatu usitatis? quid 100. Psalmis à *Maroto* præteritis, sed à *Johanne Poictevin* Rhytmis gallicis compositis, Cardinali Lotharingo dedicatis, & Antwerpiæ anno 1655. excusis. 3. *Quæst.* Quo melodiæ aut Musicæ genere Psalmi & Hymni in Ecclesiâ cantandi? *Resp.* 1. *Concl.* Quod ad Musicam flexanimam, subjectæ materiæ & vocibus per omnia aptatam, ea in communi pietatis exercitio haberi nequit; ubi omnes canere aut ad concentum admitti ac provocari debent. Ex professo in Musicâ se exercentes difficulter ad tantum modulationis artificium perveniunt: nedum ut à promiscuâ multi-

multitudine hoc exſpectandum ſit. 2. *Concl.* Nec convenit rebus ſacris Muſica mollis & theatralis magis ad carnales affectus concitandos, quam ad ſpiritualem devotionem promovendam comparata. Vide de hâc Muſicâ theatrali, & veterum agonibus Muſicis *Jul. Cæſ. Bulengerum Lib. 2. de Theatro, cap. 2 -- 25.* Nos *Cap. ſeq. de Muſicâ organicâ* diſquiremus. 3. *Concl.* Cantus aſſus, hoc eſt vocalis, ſine inſtrumentis, convenit quidem ſacris; non tamen quęvis Muſica. Chromatica ſeu figuralis, quę hemitoniis, longè ductis ac circumductis diminutionibus, fugis, & ſaltibus ac longis diſtantiis figuratur, à minimâ parte populi diſci poteſt. Ne quidem ſimplex contrapunctus ſeu harmonia illa gravior, quæ vulgò *motettica* dicitur. 4. *Concl.* Optimè ergo convenire videtur modulatio ſimplicior, unius vocis; cujus notę ſecundum vulgarem ſcalam muſicam quinque lineis inſcribuntur: ſic tamen ut gravi aliquâ & variante tonorum ſuavitate afficiar aures animumque cantantium & auditorum; & quæ ab omnibus quamvis artis muſicæ imperitis ſic diſci poteſt, ut Phonaſco præcinente omnes non infeliciter concinant. Quales modulationes inter aſperum ſeu durum & molle aut nimis luxurians medię incedentes cum à *Claudio Gaudimello* Pſalmis Gallicis aptatę ſint: utique non malè à multis aliis Eccleſiis, & inter eas Belgicis, receptę ſunt. Quo tamen nihil detractum volumus modulationibus, quibus in Pſalmis & Hymnis Lutheri, Eccleſiæ Germanicæ, nec etiam illis, quibus in Pſalmis Anglicis canendis Eccleſiæ Anglicæ & Scoticæ utuntur. Fideles & Euangelii luce colluſtrati Belgæ privatim domi, & in clandeſtinis cœtibus primum *Pſalmos* Nobiliſſimi Domini *de Nievelt* canebant, quos ille anno 1540. ediderat, ut homines ab amatoriis, haut rarò obſcœnis, aliiſque vanis Canticis, quibus omnia in Urbibus & Vîcis perſonabant, avocaret. Sed quia modulationes vanarum cantionum (alias enim homines non tenebant) adhibuerat; viſum fuit Nobiliſſ. viro *Joh. Wtenhovio* in Londinenſi exulum Belgarum Eccleſiâ Seniori ſeu Preſbytero gubernanti, centum Pſalmos à ſe metris rhytmicis aſtrictos & novæ ac graviori modulationi aptatos (an ab ipſo, an ab alio quo Muſico hactenus ignoro) Eccleſiis proponere, eoſdemque plurimum emendatos atque interpolatos, denuò Londini anno 1561. Johanni Day typographo excudendos dare: factâ promiſſione de reſiduis 50. Pſalmis ſimili poëſi rhytmicâ veſtiendis. Sed cum *Datheus* annis non ita multis poſt *Paraphraſin Pſalmorum Maroti* ac *Bezæ* in linguam Belgicam transfudiſſet, eaque tranſlatio ob linguæ Gallicæ in Belgicis quibuſdam Provinciis, & utriuſque paſſim inter Belgas uſum, ut & plurium Belgarum per Galliam peregrinationes, nec non ob Eccleſiæ Belgicæ & Gallicę propiorem conjunctionem, accedente gravi & factis conveniente modulatione, factum eſt ut horum Pſalmorum Cantus paſſim receptus anno 1578. *in Synodo Nationali Dordracenâ artic.* 54. præſcriberetur. Quamvis autem

tem ob defectus quosdam in paraphrasi textus sacri, in linguæ puritate, in metri & rhytmi elegantiâ, alii post *Datheanum* Psalmos de novo ad eadem metrorum & rhytmorum genera, eásdemque modulationes redegerint, nunquam tamen obtineri potuit publica Psalmorum *Datheni* remotio, & aliorum substitutio: nullam aliam ob causam, quam quod populus eosdem, & modulationes eorum jam teneret. 2. *Quæst.* An ad paucas modulationes seu voces (uti loquuntur) Psalmi nostri revocandi sint. *Resp.* Non deest ratio, ob quam à nonnullis hoc voveri, immo in deliberationem deductum memini: ut scil. intelligentiæ & memorię rudiorum hâc ratione consuleretur, & magis ἐυπίπτως psalmi canerentur. Additur exemplum ecclesiæ Anglicanæ, quæ quamvis varietate melodiarum seu tonorum non destituatur, ut videre est in *Psalterio 4. vocum* Lond. a. 1633. emendatè edito per *Thomam Ravenscroft* Musicæ Baccalaureum, communiter tamen, imprimis in Belgio nostro, ad pauciores (sex aut septem uti arbitror) omnes revocat. Sed quia plerique, qui frequentius aut assiduò ecclesiæ suæ conventibus interesse, insuper privatim aut cum familiâ suâ quotidie canere consueverunt, jam satis familiares sibi tonos reddidere, aliique non ita periti per phonascum seu præcentorem juvari possunt, si modo eum sequantur, non præcurrant: non video quomodo sine multorum cantorum incommodo toni Psalmorum mutari possint. Vix ulla apud nos ecclesia aut ecclesiola est, quæ careat phonasco, aut verbi Ministro cantandi perito, qui vices phonasci tantisper suppleat; quique ordine Psalmos concioni præmittendos, à primo ad ultimum canendos non præscribat. Accedat quod in Scholis vernaculis bene constitutis Ludimagistri sint quasi Phonasci seu Phonascetæ, id est, *Artifices vocis*, seu *Edomatores vocis*, uti Phonascetæ dicuntur in veteri Glossario: & *Præcentores in choris*, *Sidonio Apollinari Lib. 1. Epistol. 2.* qui discipulos quotidie in Cantu psalmorum exercent. Adderent forte alii, varietatem metrorum & tonorum magis afficere posse Cantores, quam si eâdem chordâ h.e. sex aut septem tonis semper oberrent. Quod si ab initio paucis metrorum generibus, & tonis psalmorum paraphrasis aptata fuisset, nemo proculdubio autor esset, ut aliqua in iis mutatio fieret. Sed quandoquidem nunc adiaphorum hoc bene positum est, in nostris non tantum, sed & in compluribus aliis Ecclesiis, quę metrorum & tonorum genera *Marotti* ac *Bezæ*, & *Claudii Gaudimelli*, adoptârunt, tam facilis aut paucorum non esset futura de hâc Cantus mutatione deliberatio. Si demum de hâc re quid constituendum esset, ego omnibus consiliis præferrem illud de canendo textu sacro ex originalibus linguis fideliter translato & ad certos tonos seu modulos aptato. Quidquid sit de τῷ βιαίῳ, quod hic optari posset, indubium mihi elogium à *Thuano Libr. 52. Histor. tonis Gaudimelli* tributum ipsis omni jure competere: si modum canendi in Ecclesiis nostris, & materiam

 sacram

ſacram reſpicias. Neque enim aſperi, duri, rudes, inſuaves ſunt: nec ab alterâ parte nimis molles, leves, vanitati theatrorum, & chorearum magis, quam ſanctuario inſervientes. Quantum in affectibus gravi oblectatione concitandis & in altiori ſacræ materiæ impreſſione promovendâ facere valeant, optimè deprehendunt Muſicæ ſacræ periti, cum Pſalmis quatuor vocibus ab excellenti artifice *Claudio le Jeune* compoſitos vulgari menſurâ canendos, & quoſdam Pſalmos ab eodem *en vers meſurées* (uti appellat) 3. aut 4. aut 5. vocibus compoſitos aliâque menſurâ canendos, expendunt. Ut jam nihil dicam de ejuſdem *Le Jeune Dodecachordo*, aliorumque artificum Muſicis compoſitionibus. Ita ut neſciam, quid ſibi voluerit *Pamelius cum in Notis ad Tertullianum Lib. 2. de carne Chriſti cap. 17. de Cantu melodia gallica* pronuntiaret: *Ut agnoſcant quos Autores imitentur noſtri moderni Maroticorum potius, quam Chriſti pſalmorum Cantatores & Cantatrices, idque tali cum boatu, ut animus audientium perhorreſcat.* An quia multi ſimul canunt? atque idem factum, in antiquâ Eccleſiâ: uti mox oſtendemus. An vero, quia aſpera incondita & inſuavis modulatio? Sed ubi, quando talem audivit, aut inſpectis notis Muſicis Pſalterii gallici, talem deprehendit? An putat ſuaviorem eſſe modulationem Cantus Gregoriani quatuor linearum, in Choro, in Miſſâ, in Proceſſionibus, in Conſecrationibus, in Officio defunctorum, quem in *Miſſali*, *Rituali*, *ſeu Paſtorali*, *Epiſcopali*, *notis ſuis Gregorianis* præſcribunt. De cujus ſuavitate non immerito dicas, quod *Buxdorfius in ſuâ Synagogâ Judaicâ cap.* 21. de Cantu Judæorum in feſto expiationis: Deum *abeuntem ſuaviſſimo Cantu & cæleſti illâ Melodiâ, quam nôrunt qui illos rudentes audiverunt, proſequuntur.* Alibi, ſi bene memini, comparat cantum eorum cantui felium menſe Martio. Imprimis ſpecimen illius rudentis ſuavitatis capies ex Pontificali in conſecratione olei & chriſmatis, cum Archidiaconus ſtans apud Pontificem *dicit altâ voce in tono lectionis*

Oleum infirmorum.

Et cum Pontifex, & duodecim Sacerdotes *ſucceſſivè reverenter ſalutant oleum, dicentes tertio in tono lectionis*,



Ave ſanctum Oleum.

Et

Ave ſanctum Chriſma.

Sed

Digitized by Google

Sed audiamus de ſuavitate Cantus Romani *Caſſandrum in Præfat. ad Hymnos* „ *eccleſiaſt.* Alibi vero, *inquit*, contrario vitio laboratur: ſunt enim qui agre- „ ſti & amabili quâdam vocis contentione & ad feritatem quandam barbari- „ cam compoſito ſono *boant*, *latrant*, *mugiunt*, *frendunt*, *rudunt*, & quidvis po- „ tius quam canunt. Quod in quibuſdam Germaniæ locis accidit, ita ut au- „ ditores non minus cantus ſuavitate non alliciant, ſed potius clamoris ab- „ ſurditate *incuſſo quodam horrore percellant atque deturbent.* Id quod ſane mi- hi non ſemel uſu venit: Paulò poſt: Mirari ſe dicit, quod in civitatibus Ger- „ maniæ inferiori vicinioribus, *priſtinam barbariem & feritatem* (in Cantu ec- „ cleſiaſtico) retinuerint. Denique concludit: *Intolerabiles mihi videntur, qui* „ *cum Angelorum & cæleſtium ſpirituum in Pſalmis & Hymnis Deo decantandis* „ *in eccleſiâ Dei ſpeciem quandam repræſentant*, TARTARICOS QUOS- „ DAM ET PANICOS CLAMORES EXPRIMUNT. 3. *Quæſt.* An per antiphonas ſit canendum? *Reſp.* Ita quidem fieri ſolet in eccleſiâ Ro- manâ; & ejus moris antiquitatem aſtruere conantur, ex viſione *Ignatii Anti- ochæni.* Quin ipſe *Caſſander* aliàs non tam credulus antiphonarum uſum in- de derivatum refert: Sic enim in cit. Præfat. dedicator. ad Hymnos: *Ipſe quoque Ambroſius haut paucos hymnos venuſtiſſimè conſcripſit: quorum hæc ferè ratio eſt, ut quarto quoque verſu ſententiam abſolvant, ut antiphonatim, & alter- nis vicibus decantari poſſint. Qui canendi mos mirè eccleſiis placuit, ut quem ab I- gnatio, qui eum per viſum angelorum didicerit, Antiochenæ eccleſiæ traditum, & deinde ad reliquas eccleſias derivatum tradunt. Socrates Lib. 6. Hiſtor. cap. 8.* refert Arrianos Conſtantinopoli catervatim per plateas ἀνὰ φόρους ὥρας nocte & primo diluculo ceciniſſe: quibus cantibus ne quis ex ſimplicioribus ab eccle- ſiâ abduceretur, Chryſoſtomus quoſdam ex ſuo populo illis contra compara- bat, *qui nocturnis hymnis decantandis ſimiliter operam darent*, &c. Quales can- tatos hymnos ibidem vocat hymnos ὁμοίους, ad ſuos in fide ipſorum con- firmandos. Quâ occaſione ibidem ſubjungit, unde conſuetudo hymnorum qui in eccleſiâ alternis decantantur, initium cœperit; ab Ignatio ſcil:, qui formam illam canendi eccleſiæ Antiochenæ tradiderit expreſſam in viſione angelorum ſanctam trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudanti- um. *Unde*, inquit, *illa traditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt.* Autoritas ergo, & Antiquitas ac prima origo antiphonarum alium ante vetuſtiorem teſtem non habet *Socrate*, qui floruit circa annum 440. qui hæreſios & mendacio- rum à Bellarmino, Poſſevino, Baronio, Billio condemnatur. Vide, ut compen- dium facias, *Poſſevin in Appar.* Et tamen hic unus antiquiſſimus ἀδιάφορος & autenticus quaſi teſtis (aut ipſius loco *Caſſiodorus Lib.* 10. *Hiſt. tripart. cap.* 9. qui ex *Socrate* deſcripſit) pro antiquitate & origine antiphonarum per cæle- ſtem viſionem Ignatio oſtenſam à *Gavanto Lib.* 2. *theſauri rit. cap.* 17.

Digitized by Google

& *Joh. St. Duranto Libr.* 3. *c.* 17 adducitur. Creſpetius in ſummâ fidei Catholicæ, in voce *Cantus*, citat *Philonem in Lib. de Vitâ contemplativâ*, & *Nicephor. Calliſtum Lib.* 2. *cap.* 16. Et *Epiſtol. Plinii ſecundi*, ut probet ab initio naſcentis Eccleſię ſumſiſſe initium. Sed chorus Monachorum Ægyptiorum, de quibus *Nicephorus ex Philone*, nec eſt Eccleſia communiter canens, nec fuit ab initio naſcentis eccleſiæ Apoſtolicę. Et Plinii *carmen dicere ſibi invicem*, non ſignificat diſtinctè & propriè cantum antiphonicum alternatim, uti hodie in Papatu decantandum: ſed alternationem in diverſis pſalmis; quomodo *Durantus cap. cit. Tertullianum lib.* 2. ad uxorē explicat. De aliqua eorum uſu ante Socratem haut gravatè crediderim Baſilio (qui floruit a. 370.) epiſt. 63. ad cler. Neocæſar. ſcribenti: *poſtremum ſurgentes ab orationibus ad Pſalmodiam perveniunt. Et nunc biſariam diviſi, alternâ viciſſitudine inter ſe pſallunt.* Quam conſuetudinem tunc in omnibus Eccleſiis (Græcis ſcil.) obtinuiſſe, ibidem affirmat. Sed hoc longè abeſt ab antiquitate naſcentis Eccleſiæ. Et ſane Baſilius omnem illum morē nocturnorum Cantuum tunc illic obtinentem, quem Neo-Cæſarienſes condemnabant, ægrè purgare poteſt à novitate. Papatus antiphonæ quæ quales ſint, quomodo & quando adhibendæ, quotuplices, vide in *Antiphonaria*, & *Gavanto loc. cit.* Quidquid pro iis contra noſtros, à quibus eas rideri ait, contendat *Creſpetius lib. cit.* in voce *Cantus*, nondum videre poſſum, quomodo magis conveniant, quam conciones, Scripturæ lectiones, precationes antiphonæ ſeu alternatim à Concionatoribus, Lectoribus, populo in choros diviſo alternatim pronuntiandæ. Si enim defectus ſit ad minorem intelligentię, memoriæ affectuum excitationem in canentibus faciens: utique otioſe emendus non eſt. Sin nimius per varietatem iſtam externus ſenſuum hypocriſmus; velim ſenſualia illa blandimenta concilient cum praxi Athanaſii Auguſtino laudatâ; & cum dictis Clementis Alexandr. Caroli M., Carthuſiani, Caſſandri, mox *Sect.* 6. exhibendis. v. *Sect.* De Cantoribus. Hic quæritur. 1. *Queſt.* Quinam poſſint canere in Eccleſiâ. Nos dicimus, nemini hoc interdictum, neminem excludendum: quin contra omnes ad officium hoc divinum invitandos, aſſuefaciendos. Omnes enim clarâ voce ſimul poſſunt canere, non precari, non loqui; uti hoc docet vulgatum dicterium, & communis experientia in ſociis pietatis exercitiis, in familiis, in navibus, in excubiis militaribus, in quibuſvis aliis conventibus. Si qui autem ſint planè ἀγράμματοι, qui alphabetum non didicerint, illi per præcedaneam lineę cujuſque lectionem à phonaſco aut lectore publico factam juvari poſſunt & ſolent: uti hoc imprimis obtinet in Eccleſiis Anglicis; quem morem novellis aliquot eccleſiarum collectionibus in Indiâ Orientali adoptatum fuiſſe, memini in Synodo Zuydhollandicâ anno 1630. inde nuntiatum. Communem populi in Eccleſiâ cantum aſtruunt teſtimonia ex Scripturâ, & de Cantu veterum

ſupra

Digitized by Google

ſupra *Sect.* 1. adducta. Ubi imprimis notanda *Socratis* & *Auguſtini* de *Chryſoſtomi* & *Ambroſii zelo* in populis ſuis ad cantiones ſacras provocandis; & quidem illis difficilibus temporibus. Quod quomodo cum hodierno Papatu laudes divinas Canonicorum & Monachorum choris alligante conveniat, ipſi viderint. *Corn. à Lapide in Commentar. ad Syrac. 50. verſ. 12.* communem concentum qualis in Eccleſiis noſtris receptus, approbare cogitur, cum ex 1. *Corinth. 14. verſ. 10.* & *Hieronymo Lib. 2. in epiſt. ad Galatas*, & *Auſonio in Ephemeride* refert totum populum Chriſtianum olim ſuccinuiſſe Sacerdotibus: & uberioris explicationis cauſâ ſubjicit: *Quin & in multis Germania locis in feſto Paſchæ & Natalis Chriſti, totus populus in templo hymnos Chriſto naſcenti & reſurgenti canit, & reboando jubilat, ut animi latitiam & devotionem teſtetur.* Si hoc rectum, ſi ad devotionis promotionem; quid tam abſurdi committit eccleſia noſtra, canendo pſalmos Davidis, hymnos Zachariæ, Mariæ, Simeonis, &c.? Cur hoc tantopere *à Pamelio ſupra cit.* aliiſque traducitur? Baronius ann. 60. §. 28. fatetur *uſu priſtino unà cum clericis in Eccleſiâ cantaſſe & populum.* 2. *Quæſt.* An in Eccleſiâ latino aut peregrino idiomate pſalmi Davidis, aliave cantica ſacra decantanda? *Reſp.* Putamus hoc ſatis ſuperque contra Pontificios à noſtris determinatum in *Commentar. ad 1. Cor. 14.* & *in Controverſiis de Scripturæ tranſlatione & ſacris linguâ vernaculâ peragendis*: quæ hic repetere ſupervacaneum. Videantur *Witakerus Controverſ. 1. quæſt. 2. cap. 13.-- 18.* Et qui poſt eum ſcripſere, *Chamierus, Rivetus, aliique de Scripturâ. Eckhardus in Faſciculo Controverſ. cap. 21. quæſt. 5.* cantiones latinas in Eccleſiâ retinendas contendit contra *Bezam in Colloq. Mompelgard. part. 2.* hoc argumento: quia Deus iis cantionibus laudatur. Sed idem argumentum pariter adduci poſſet pro precationibus, concionibus, pſalmis, hymnis, linguâ Scripturæ originali Hebræâ, aut Græcâ in Germanicâ eccleſiâ pronuntiandis ab aliquo iſtarum linguarum perito. Quod idem de linguâ Arabicâ, Slavonicâ, Ungaricâ, Hybernicâ, Cambro-Britannicâ, Æthiopicâ, Perſicâ, Malacicâ, & quâvis aliâ affirmari poſſet. Cui bonæ rei, cui communi ædificationi hoc fieret? Altingius in Syllabo controverſiar. hanc refert objectionem: *Quod cantiones latinæ jam longo tempore receptæ fuerunt in Eccleſiâ; ipſaque diverſarum linguarum conjunctio ſuavem admodum concentum parit.* Quam ſane abſurdiſſimam ibidem refutat. Ubi vide. 3. *Quæſt.* An cantus ejuſmodi communis ſit pars cultus eccleſiaſtici neceſſaria? *Reſp.* Sic ut ad integritatem pertineat, non ad eſſentiam; ſeu ut non ſit pars integralis principalis, ſine quo totum eſſe nequit, uti preces, & verbi tractatio: breviter, ut ſit ad bene eſſe, non vero ad eſſe neceſſarius. Poſſunt enim talia incidere tempora, ut alicubi in cœtibus clandeſtinis cani non poſſit, ob inſidias perſecutorum. Quod ad antiquos Chriſtianos, de quorum Cantu *Tertullianus Apolog. cap. 2.* puto hoc intelligendum:

dum de dilucidis quibuſdam perſecutionum intervallis: aut de cryptis ſubterraneis in quibus Romę cœtus ſuos celebrabant; ubi fortè tuto cani poterat. De Româ illâ ſubterraneâ, vide *Peculiare & ſpiſſum volumen Antonii Boſii antiquarii Romani*, Italicè conſcriptum. Alibi tamen hymnos aut pſalmos in clandeſtinis cœtibus cantatos, ex. gr. in parte Aſię, proconſulatui *Plinii ſecundi* commiſſâ: ut conſtat ex ejus *Epiſtol. citat.* Quod repetens *Euſebius Lib. 3. Hiſtor. cap. 27. (in verſione Lat. ſed in Gr. cap. λγ.)* ſic effert τὸν Χριστὸν ὡς θεὸν ὑμνεῖν, id eſt, *Chriſtum ut Deum hymnis celebrare.* Sed forte ibi in cryptis aut locis ſolitariis extra urbes convenerunt. VI. *Sect.* De Cantus eccleſiaſtici ordine, modo, tempore, loco, frequentiâ. Sit 1. *Quæſt.* An ordine omnia Cantica, publicis pſalteriis contenta, ſint cantanda? *Reſp.* Primum omnium conſideranda eſt eccleſia, an ulli iſtic ſint canendi periti, aut ſaltem aliqui qui peritum præcentorem ſequi nôrint ac velint, ut ita quorumvis pſalmorum modulationes paulatim addiſcant. Quod ſi tales non ſint (uti memini in rudimentis collectionis eccleſiaſticæ vix ab alio, quam præcentore & miniſtro, cantatum fuiſſe) videtur conſultum ut paucis quibuſdam pſalmis facilioris toni ad tempus aliquod decantandis inſiſtant. Sed ubi paulò adultior & felicior eſt ſtatus Eccleſiæ, adhibendus eſt delectus, ut textibus pro concione explicatis, precibus publicis, & præſenti rerum atque eccleſiæ ſtatui cantus reſpondeat: ſic tamen, ut ordine omnes pſalmi ſive diebus dominicis, quibuſcunque concioni deſtinatis decantentur; atque ita populus perpetuò, quaſi in ſchola Muſicæ Chriſtianę, in addiſcendis & cantandis omnibus Pſalmorum modulationibus exerceatur. Quod utrumque in noſtratibus Eccleſiis adultioribus, ſaltem in omnibus benè conſtitutis utiliter ſervatur. An autem ante concionem, aut poſt eam integra ſectio ſeu pauſa Pſalmi canenda, an tantum verſus ſeu ſtrophæ duę, aut plures, aut una, pro ratione circumſtantiarum, cujuſque eccleſia arbitratui relinquendum eſt. Non poſſumus enim probare morem Papatus, quo omnibus & ſingulis in univerſo terrarum orbe tale ac tantum, tali tempore anni, tali parte diei aut noctis, tali horâ, tali τόπῳ, occaſione, tali in cultus atque officii divini parte, canendum prefigitur: haut aliter ac infantibus lectiones alphabetariæ, præfigi ſolent. Quaſi quis unicam & ſtatam diætam omnibus ægris, ſanis, neutris per totum orbem perpetuò ſervandam preſcriberet. 2. *Quæſt.* Quis modus in canendo ſervandus? *Reſp.* 1. *Ut* præcentorem forti voce præeuntem omnes ſequantur. 2. *Ut* notas integri tactus, à notis dimidii tactus (alias enim vix habet pſalterium noſtrum) ſemel atque iterum moniti diſtinguant. Magis enim facit ad ſimplicis & gravis modulationis Gaudimellianæ ſuavitatem, ſi ſingulæ ſyllabæ ſecundum diſtinctas notas in cantu magis minuſve protrahantur: quam ſi omnes, ut in cantu Gregoriano, æqualiter protrahantur. 3. *Ut* in canendo

Digitized by Google

canendo ſingulas ſyllabas, ſingulis notis aptent: exceptis paucis, ut *lin.* 4. *verſus in Pſal.* 2. *lin.* 1. *Pſal.* 6. *lin.* 4. *Pſal.* 13. *lin.* 2. *&* 4. *Pſal.* 91. 4. *Ne* in defectu muſſitando aut pipiendo, aut in exceſſu nimium clamando ſupra reliquos Cantores emineat. 5. *Ne* Muſica & periti contrapuncto ſive baſſi, ſive contratenoris harmonicè planis ſeu ſimplicibus & à præcentore & eccleſiâ cantatis tonis (quos Muſici vulgares *textum* aut *ſubjectum* appellant) reſpondente, reliquos Cantores planè amuſicos, immo & ipſum præcentorem Muſicæ contrapunctalis non admodum aut vix petitum perturbent atque impediant. Quod memini factum, cum Muſici illi nimis validâ voce canentes ſupra præcentorem audirentur. 6. *Ne* Muſici periti diminutionibus, ſeu cantui nimis fracto, tantum indulgeant, ut à gravitate & devotione cantus ſpiritualis, ad carnalem oblectationem, vanitatem, aut ventoſam artis ſuæ oſtentationem deflectere videantur; ſaltem ab ejus mali ſpecie non abſtinere. Nolo dicere nullam diminutionem, aliorumque artificiorum Muſicorum uſum eſſe licitum: ſed tantum conſulo gravitati & ſpirituali devotioni in cantu eccleſiaſtico ita ſtudeant Muſici, ut omnes idiotę & amuſici eo uti & communiter ædificari poſſint, juxta 1. *Corinth.* 14. *verſ.* 19. 26. 28. 31. Athanaſius (forte in alteram partem contendens) *tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, ut pronuntianti vicinior eſſet quam canenti*: teſte Auguſtino lib. 10. confeſſ. cap. 33. Qui ibidem fatetur *ſe in Cantu ſacro fluctuare inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis &c.* Vide reliqua. *Clemens Alexandrinus Lib.* 6. *ſtromat.* ubi diſcentiam & exercitia Muſicæ, ad mores ornandos & componendos, & Deum in conviviis pſallendo glorificandum concedit: reſpui vult Muſicam περὶ ἃ ψυχαγωγοῦσι τὰς ψυχὰς, καὶ εἰς παιδιὰν ἐμβάλλουσι, id eſt, *ſupervacaneam quæ frangit animos & variè afficit, ut quæ ſit aliquando quidem lugubris, aliquando verò impudica & incitans ad libidinem, aliquando etiam limphata & inſana.* Quid credimus illum judicaturum fuiſſe, de hodiernâ Muſicâ in templis Cathedralibus, & Regum Principum ſacellis, quæ cum quavis theatrali certare poſſet? Concil. Aquiſgranenſe ſub Carolo M. p. 137. *requirit ut Pſalmi in Eccleſiâ non curſim & excelſis atque inordinatis ſeu intemperatis vocibus, ſed planè ac diluciđè, & cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens illorum dulcedine paſcatur, & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur &c.* Dionyſ. Carthuſianus in lib. de vitâ Sacerdotum artic. 20. In cantu Canonicorum, reprehenſibilem dicit, nimiam vocis *exaltationem* & ejuſdem *imundationem*; *anticipationem* quoque & longam in fine *protractionem* &c. denique *criſpationem fractionemque* vocis, quam ventus vanitatis, laſciviæ, ſuperbiæ facere ſolet. Idem in Lib. de modo devotè pſallendi (quem tamen morte præventus non abſolvit) ſeptem articulis multa ſalubriter monet de attentione & devotione in Cantu pſalmorum Davidis. Et in lib.

Digitized by Google

in lib. de inordinatione cordis artic. 24. generalem modum psallendi istis versibus comprehensum dicit:

Cum Domino psallis, psallendo bis tria serves:
Dirige cor sursum, profer bene, respice sensum.
Sit mens sublimis, pes junctus, visus in imis.
Dicas attentè, dic totum supplice mente.
Sincopa vitetur, versus non anticipetur.
Donec finitus omnino sit bene primus.
Fragmina verborum Titivillus colligit horum.
Auscultando cane: concors sis, desine plano.
Nec post fac cursum, vel ante nimis, sive sursum.
Non sis dreinsator, descensor, sed resonator.
Incipe mansuetè tu Cantor, non nimis altè.
Nec nimium basse, clerus cantum sonet inde.

Sic ille de Cantu suo chorali. *Cassander in Præfat. dedicat. ad Hymnos:* Verum „ hic dupliciter peccari video: alibi enim multiplicium & dissonantium vo„cum confuso strepitu verba *discerpuntur, Lacerantur, & penitus enecantur & „obruuntur*, ut ad auditores præter inanem vocum tinnitum, qui aures vanâ „ quâdam titillatione demulceat, nihil pertingat: quod vitium nostris hominibus maximè est familiare. In Extravag. commun. tit. *de Vitâ & honestate „ Clericor.* commendatur simplex Cantus, qui *sub maturo tenore distinctâque „gradatione* cantatur: & censuris coërcentur, qui *melodias hoquetis intersecant, discantibus lubricant*, triplis & motetis vulgaribus nonnunquam incul„ cant, adeo ut interdum antiphonarii & gradualis fundamenta despiciant, „ &c. tonos nesciant, quos non discernunt; imo confundunt: quum ex ea„rum notarum multitudine ascensiones pudicæ, descensionesque tempera„tæ, plani cantus, quibus toni ipsi secernuntur ab invicem obfuscentur: cur„runt enim, & non quiescunt, aures inebriant, & non medentur: gestibus „simulant, quod depromunt, quibus devotio quærenda contemnitur, vitan„da lascivia propalatur. Atque hæc de Cantu ecclesiastico tempore Johannis XXII. Quid de hodierno in Cathedralibus, sacellis aulicis &c. dici non posset? Vide *cautelas Baronii ann.* 60. §. 29. 30. Fateor in Ecclesiis quibusdam, quæ à Papatu receserunt, aliquem antiphonarum solummodo usum remansisse. De Anglicanâ vide *judicium dicti Didoclavii in Altari Damasceno cap.* 8. In Austriâ simile quid, post introductam reformationem, observatum fuisse, testis est David Cythræus in Oratione de statu Ecclesiarum in Græciâ &c. pag. 391. *ut Pastor cum cœtu virorum, priorem versum: alterum Matrona & virgines nobiles alternis vicibus cantent.* De hodiernis Ecclesiis Græcis, vide *Goar in Notis ad Euchologium, pag.* 123. Sed de modo Cantus plus satis

3. *Quæst.*

Digitized by Google

3. *Quæſt.* Quo tempore pſalmi in Eccleſiâ canendi? *Reſp.* Circumſtantias illas ab Eccleſiâ quâlibet liberè determinandas, & pro re natâ mutandas putamus. Diebus dominicis, qui toti cultui divino conſecrantur, ſingulis concionibus cantus præmitti & ſubmitti poteſt. Aliis quibuſcunque diebus verſus unus atque alter cantandus concioni præmittitur aut ſubmittitur, aut etiam omittitur: prout circumſtantię ſuaſerint tempus conventuum magis minuſve contrahere. Quod ad morem hymnos nocte cantandi, certâ occaſione perſecutionum ab antiquâ Eccleſiâ & vigiliarum à *Chryſoſtomo* & *Ambroſio* introductum; non eſt quod eum omnes Eccleſiæ imitentur, extra talem vigiliarum aut nocturnorum conventuum neceſſitatem. Si enim κωμῳδία vigiliarum, etiam in ipſâ eccleſiâ Romana abrogata eſt; cur Hymni eccleſiaſtici intempeſtis noctibus affigentur? Ut *Halleluia* per ſolos quinquaginta dies à Paſcha ad pentecoſten ab Eccleſiâ cantaretur; fatetur Auguſtinus epiſtol. 119. ad Januarium, *non uſquequaque* tunc *obſervatum fuiſſe. Nam*, inquit, *& in aliis diebus variè cantatur alibi atque alibi, ipſis autem diebus ubique.* De hoc autem alioque quovis cantico aut cantici particula, certis & recurrentibus menſis, hebdomadis, diebus, & horis in perpetuũ in toto orbe, aut gente, aut regione affixâ aut affigendâ (uti in Eccleſiâ antiquâ inchoatum, & in Papatu conſummatum, magno poteſtatis & libertatis eccleſiaſticæ præjudicio) pronuntio quod Auguſtinus Epiſtol. cit. de quibuſdam Ritibus: *Quamvis enim hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint: ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, &c.* 4. *Quæſt.* Quo loco Pſalmi & Hymni eccleſiaſtici canendi? *Reſp.* Ubicunque convenit Eccleſia: in domo privatâ, in cryptâ ſubterraneâ, in ὑπερῴῳ (*Actor.* 1. *verſ.* 13.) in horreo, in navi, in ſylvis, in montibus, in agris, in baſilicâ, in curiâ, in templo, aut ejuſdem parte, quæ chorus dicitur. Quocunque migrat cœtus eccleſiæ, eo eundem concitatur cantus, cum cæteris exercitiis eccleſiaſticis. Faceſſat ergo chorus cum ſtallis & ambonibus ſuis ſolorum canonicorum, monachorum, choralium puerorum cantui deſtinatus. Confer quę infrà *Lib.* 4. *diſputamus de Templis.* 5. *Quæſt.* Quam frequens debeat eſſe Cantus eccleſiaſticus? *Reſp.* Id cujuſque Eccleſiæ arbitrio relinquendum. Saltem caveri debet, ne cantus omne tempus, aut potiorem temporis partem in ſacris conventibus occupet; atque adeo precationes, verbi divini lectiones, conciones ſubmoveat: uti antehac factum in Papatu; ubi theologi, quos canonicos appellant, initio in verbo, precibus, & curâ animarum laborantes, atque hoc reſpectu tantis reditibus dotati, paulatim in voces cantillantes, præterea nihil, degenerârunt. Ita ut quidquid reformationis *in Concil. Tridentino* præ ſe tulerint, etiam hodie

zed by Google

die duo quasi essentialia sint requisita canonici, ut stallum habeat in choro, & vocem in capitulo: juxta novissimam determinationem celeberrimi canonistæ *Augusti. Barbosa in tract. de Canonicis cap.* 12.

CAPUT III.

De Organis & Cantu organico in Sacris.

De Cantu organico explicaturi sumus. I. Controversiam generalem. II. Controversias magis particulares. III. Casus quosdam & problemata magis practica.

§. 1. IN controversiâ principali enucleandâ, occurrunt 1. Præcognita. 2. Hypotheses, postulata & διόρθωσις. 3. Status controversiæ. 4. Argumenta. 5. Solutiones objectionum. 1. *Præcognitio* terminorum est 1. eorum, qui ad subjectum quæstionis pertinent: sunt autem Cantus seu Musica, Organon, Musica organica, seu Cantus organicus. 2. *Cantus* est sonus modulatus: ut docent *Physici*. Distinguitur in simplicem, & in non simplicem, & hic rursum in Tractum, & in Harmonicum. Harmonicus rursum variè dividitur ex modo, ex materiâ, & medio: nos aliis divisionibus ad Musicos amandatis, delibamus solummodo, quia tangunt hanc nostram disceptationem, duas ex modo, & unam ex objecto seu materiâ, unam denique ex causâ seu medio. *Ex modo* mensurandi alius est simplex, quem choralem & Gregorianum appellant; alius chromaticus, seu figuralis, quem Ambrosianum dicunt. Rursum *ex modo* variandi contra punctum & harmonicam consonantiam, alius est Motetticus, alius Madrigalicus. *Ex materiâ* seu objecto, alius est sacer seu specialis, isque vel in usum privatum, vel in usum ecclesiasticum; alius communis seu profanus. *Ex Causâ* seu medio, alius est vocalis, alius instrumentalis, alius mixtus. 2. *Organon*, seu instrumentum (synecdochicè, Musicum, quod Hebræi appellant נגינות: 2. *Chronic.* 4. 22. *Amos.* 6. 5.); in genere est omne inanimatum ἄψυχον (1. *Cor.* 14. 7.) quod præter vocem humanam & animalem, adhibetur ad cantum aut sonum modulatum. Dividitur autem in ψαλφητὸν (Quod etiam κρουτὸν & ἔντατον appellant); & in πνευματικὸν seu ἔμπνουν: illud solo pulsu concentum edit: istud vel vento & simul tactu, vel solo vento. Porrò dichotomiam hanc omnium instrumentorum insinuat Scriptura. 1. *Cor.* 14. 7. & *Gen.* 4. 21. Ubi synecdochicè ex quoque genere, una species principalis, aut maximè nota indicatur. Locus *Daniel.* 3. *vers.* 5. 7. 10. per inductionem eandem divisionem exsertè exponit. Desumi etiam potest earundem inductio ex *Psal.* 150. *vers.* 3. 4. 5. & 1. *Paralip.* 25. 1. 5. & 2. *Paralip.* 5. 12. 13. Species κρουτὸν

dividi

Digitized by Google

dividi ſolent in ea quæ pulſantur *chordis* (ut pſalterium, panduta, clavichordium, cythara): quę *nervis* ſeu fidibus (ut, teſtudo, harpa, lyra, tympanum, chelys ſeu fidicula): quæ ære (ut tintinnabulum, cymbalum, ſiſtrum): rurſum, quæ vel digitis tanguntur, vel plectro, aut malleo. Species πνευματικῶν *Primo* ex efficiente venti ſeu flatus, in hydraulica, ubi aquæ; in flatulenta, ubi flatus humanus; in follica, ubi folles; & in ſolaria, ubi radii ſolis aut motus luminis ventum ſeu flatum ciet. *Secundo*; ex formâ, in fiſtulam, tibiam, buccinam, tubam, cornu, utriculum, &c. & quod omnia illa ac plura in ſe comprehendit, machinam illâ, quam ſtrictè & κατ' ἐξοχὴν nunc vocant Organum; de cujus Cantu propriè nobis agendum. Materiam, formam, partes, fabricam, uſum, &c. ſcriptoribus Architecturæ Muſicæ, ſeu Organicæ excutienda relinquo: contentus tribus verbis de origine & antiquitate ejus monuiſſe, non eſſe eam accerſendam ex Sacris literis idque ad amplificationem præſtantię ejus aut uſus in ſacris, *Gen.* 4. 21. *Jobi* 21. 12. & 30. 31, *Ezech.* 33. 32. *Pſal.* 150. 4. Nam עוגב gr. 70. exponunt per ψαλτήριον & ψαλμὸν; tantum *Pſal.* 150. 4. per ὄργανον. Targum habet ubique אוגבא 1. fiſtulam. *Judæorum Tranſlatio Arabica Geneſ.* 4. transfert tamburam & citharam. *Paraphraſis Arabica Pſalmorum* Romæ edita, ut *textum Græcum* ſæpius (ſi non *vulgatum Latinum*) exprimit, quam Hebræum, *Pſal.* 150. retinet vocem *Organi*. *Syrus Paraphraſtes* ab *Erpenio* editus, habet, *inſtrumenta fortia*. *Kimchi in Pſal.* 150. dicit eſſe inſtrumentum Muſicum apud nos ignotum. Et *Aben Ezra in Geneſ.* 4. de utroque inſtrumento ibi nominato nihil aliud dicit, quam eſſe ſpecies inſtrumentorum Muſicorum; & ſic *R. Sel Jarchi in Pſal.* 150. Porro quidquid dicant *Interpretes*, *Scholiaſtæ*, *Lexicographi*; certum eſt nec ex etymologiâ vocis, nec ex circumſtantiis Textuum poſſe exſculpi Organum ſtrictè & uſu hodierno ſic dictum. Non improbabile eſt ſaltem inſtrumentum aliquod πνευματικὸν locis cit. *Geneſ.* 4. & *Pſal.* 150. intelligi; quænam autem ſpecies ſit inſtrumenti pneumatici, cum non doceat Spiritus Sanctus, fruſtra nos inſulſis & evanidis conjecturis fatigamus. Quod autem ad originem aut vetuſtatem ejus ex profanâ antiquitate, uti eâ nihil ad rem noſtram facit, ſic incertis & levibus plerumque nititur conjecturis. Nam vocis Organi ambiguitate, hic multi ſe & alios ludificant. Ὄργανον quod nos hodie ſtrictè de operoſâ & præſtanti illâ machinâ accipimus, ut Hebręi, ſic & antiqui Græci de quovis inſtrumento Muſico tam κιθαρῳδικῷ quam αὐλῳδικῷ uſurpabant: ut videre eſt in *Pollucis Onomaſt. l.* 4. *c.* 9. & *c.* 10. Ubi cum titulus præferat περὶ ὀργάνων, textus nihil aliud recenſet quam ſpecies tibiarũ. Sic *Athenæus Lib.* 4. *hydraulicon*. Cteſibii vocat ὄργανον ὑδραυλικόν. Quin immo poſt introductas illas aut ſimiles machinas in Græciam, & inde in Occidentem traductas, non deſierunt recentiores Græci hâc voce aut quodvis inſtrumentum in genere, aut in ſpecie fiſtulam

lam denotare: hinc ὀργανάριος *organarius*, *fistularius*, in *Glossis Græco-latinis*, apud *Meursium in Glossario Græco-barbaro*. Et sic ferè distinguit *Barthol. Anglicus* (qui floruit anno 1460.) *Lib.* 20 *de Proprietatibus rerum cap.* 132. Breviter non à Græcis, neque à Latinis manavit hodierna hujus vocis acceptio, sed à recentioribus Gallis, qui certum hoc instrumentum appellant *Orgues*, notante *Henr. Stephano in Thesauro*. Vide ergo, quam dextrè ex Antiquitatibus Latinis, Græcis, Hebræis Organa nostra accersantur, quotiescunque vox *Organi* alicubi occurrit. Non nego tamen fistulas hydraules? dolia concentum edentia, πίθους ἠχοῦντας, Tritonas tubam inflantes, idque aquarum appulsu, à Ctesibio aliisque artificibus olim fabricata; sed hęc alia sunt ab Organis nostris, uti ex illorum descriptione colligitur apud *Vitruvium Lib.* 9. *c.* 9. *Athenæum Lib.* 4. & 11. & bene hoc animadvertit *Polydorus Virgilius de Invent. l.* 1. *c.* 14. & 3. *c.* 7. Et *Jul. Cæs. Bul. l.* 2. *de Theatro c.* 32. *Dalecampius ad Plinii l.* 7. *c.* 32. apud quem plura vide ex Antiquitate annotata. Delibar etiam nonnulla *Salmasius Exercit. ad Solin. c.* 27. *p.* 638. Atque hæc quidem præcognita ex parte subjecti, de Cantu & de Organo; unde sponte suâ sequitur descriptio & divisio Cantus seu Musicæ organicæ. *Ex parte prædicati* cum quæri possit, an Cautus Organi sit aut necessarius, aut utilis & conveniens, aut saltem tolerandus, & an formaliter sit cultus religiosus seu ejus actus & pars, aut saltem ejus adminiculum. Prącognoscimus & hic præsupponimus; non explicamus, definitionem religionis, religiosi &c. item cultus publici, aut ecclesiastici &c. Denique Cultus, & Ecclesiæ V. ac N. T.

§. 2. Præmittimus nunc partim hypotheses & postulata, partim δόγματα seu data quædam; ne dum nos oppugnant Pontificii, aut ἴδιά suа δόγματα & παραδόσεις contra nostram reformationem ruentur, ludicram sciomachiam exerceant. Sunt autem ista. I. Omnem cultum divinum, præsertim ecclesiasticum, seu exercitia pietatis publica ex Dei voluntate in verbo revelatâ esse instituendum; & consequenter omnem ἐθελοθρησκείαν esse illicitam. De quo vide *Commentatores ad Coloss.* 2. *Matth.* 15. & *Locor. commun. Scriptores*, & *Antagonistas Papatus*, *de Traditionibus*, *de Cultu Instituto*, *deque Superstitione*, *de Ceremoniis &c.* Confer quę supra *de Liturgiis & Ritibus* disceptamus; & 3. *Part. Select. Disp. tit. de Superstitione*, *de Rosariis*, *&c.* II. Externi & ecclesiastici cultus modum, ritus, formalitates, adminicula, ad exemplar Ecclesię apostolicæ, non vero alterius alicujus post tempora Apostolorum, exigenda; & tanto tutiora ac perfectiora esse, quanto propius ad primigeniæ illius simplicitatis exemplar accedunt. III. Non eandem esse rationem privatæ & solitariæ devotionis, & publicę seu ecclesiasticæ; quoad formalitates gestuum, vocis, gemituum, &c. etiam quod ad adminicula, & occasiones. IV. Cantum sacrum objectivè seu quod ad materiam, non esse sacrum seu religiosum

ſum formaliter; ſed fieri profanum & peccatum omni illi, qui animo & actu devoto ac religioſo eum non proſequitur. v. Poſſe Cantum tum vocalem tum inſtrumentalem etiam ἀδιάφορον, aut ubi materia non eſt ſacra, alicui occaſionem eſſe & motivum communi quâdam ratione cum omnibus aliis creaturis earumque viribus, & operationibus, per quod mens & affectus ejus aſcendat ad Deum: qui tamen ideo non eſt faciendus pars Cultus, aut proprium, perpetuum, ordinarium ac conſecratum adminiculum. vi. Non omnia quę licent conducere; nedum ut urgenda ſint, & de novo introducenda. vii. Ab omni tum occaſione; tum ſpecie mali abſtinendum; ubi res in ſe & per ſe non eſt neceſſaria aut utilis. viii. Nemini, vel minimo ſcandalum præbendum; imprimis in uſu rei, quæ prætenditur adiaphora. Videndi *Comment. ad* 1. *Cor.* 8. & 10. & *ad Matth.* 18. adhæc *Locor. commun. Scriptores de Scandalo*: imprimis eruditos *Tractatus* à Theologis Anglis & Scotis (*Parkero, Ameſio, aliiſque Anonymis*) editos *contra Reliquias quaſdam ceremoniales de Cruce, Genuflexione, Altari, &c.* ix. Ad omnia exercitia ſacra & ecclesiaſtica (nominatim ad Orationes & Hymnos) requiri devotionem non tantum virtualem; ſed actualem & formalem: non tantum volaticam & ejaculatoriam; ſed ſtatam, continuam, & ex profeſſo ſuſceptam. Vide *Aſceticam noſtram de Meditatione, & de Devotione.* Atque hæ quidem hypotheſes, & poſtulata, quæ præmittimus & reponimus imprimis illis, qui à Papatu ſeceſſerunt, & tamen parum conſonè ſuę doctrinæ organicâ Muſicam in cultu divino defendunt. Addimus nunc paucula hæc διάφορα, quę libenter concedimus, nec alicui de iis controverſiam movemus. i. Honeſtum & moderatum uſum Muſicæ ad honeſtam oblectationem eſſe licitum. ii. Etiàm maximè artificialis ac chromaticę, tam inſtrumentalis, quam vocalis. iii. Talem Muſicam etiam facere ad gloriam Dei; & ad hunc finem eſſe referendam, juxta cum omnibus aliis actionibus noſtris ad vitam animalem, aut civilem pertinentibus. 1. *Cor.* 10. *v.* 31. iv. Eſſe etiam aut poſſe fieri, aliquando & alicubi occaſionem ſive remotam ſive propinquam, mentem animumque ad Deum elevandi. v. Rectè modulos Muſicos voce & inſtrumento decantandos, aptari verbis & rebus ſacris. vi. Talem Cantum purè inſtrumentalem, aut mixtum ab eo qui capit, poſſe privatim uſurpari quotieſcunque & tempus fert, & cor cum Davide (*Pſal.* 57. 8.) paratum habet; idque ad teſtandos aut incitandos affectus ſpirituales. vii. Poſſe aliquem cum æramentorum, aut Organorum concentum aut aliam quamcunque inſtrumentorum modulationem audit, & occaſione modulationis harmonicę recordatur Pſalmi ſeu Hymni, cui modulationem illam aptatam intelligit; poſſe, inquam, illum occaſione iſtâ memoriali ſponte ſe ingerente uti ad ejaculatorias meditationes, aſpirationes, doxologias, &c. Sic tamen ne iis obſervationibus conſcientiam aſtringat, aut ſacramentale

mentale aliquod inde fabricet, aut ritum myſticum, aut ſimile quid. VIII. Organorum, comuum, lituorum, fiſtularum, æramentorum, aliorumque quorumvis inſtrumentorum concentum, poſſe magnificentiâ aut Magiſtratuum aut hominum privatorum (quorum rationes id ferunt) in locis publicis conſtitui & exhiberi, ad honeſtam & communem Civium & Advenarum oblectationem: qui eſt finis generalis proprius, & primarius: etiam ad oblectationes aut occaſiones ſacras ac religioſas; qui eſt uſus particularis & incidentalis, reſpectu quorundam hominum & quarundam cantionum, quando ſcil. Melodis tonum pſalmi aut alterius cujuſque cantionis ſacrę modulari viſum fuerit, & modulatio illa inciderit in hominem & toni & verborum (quibus vulgò tunc ille aptatur) æquè gnarum; inſuper adferentem nunc cor ab aliis ordinariis & honeſtis curis pauliſper ſequeſtratum, ac ſpirituali aliquo tactu atque afflatu illo tempore continuo, aut ſaltem per intervalla, ſtimulatum. IX. Liberum eſſe quibuſcunque locis, & temporibus ordinariis aut extraordinariis modulationes illas exhibere; modo quis libertatis ſuæ uſum lege caritatis & prudentię ita temperet ac moderetur, ut homines ſatis evidenter diſtinguere poſſint oblectamenta illa Muſica, à cultibus religioſis, & exercitiis eccleſiaſticis; modo etiam negotia publica ſacra aut profana, magis neceſſaria, per illa non incommodentur.

§. 3. Nunc formandus eſt ſtatus controverſiæ: quo dextrè conſtituto, facile controverſiæ determinari poterunt. Quæritur ergo, an Muſica inſtrumentalis ſeu Cantus organicus ſive ſeorſim, ſive Muſicæ vocali immixtus, ſit aut neceſſaria aut ſaltem utilis pars cultus publici in Eccleſiâ: ſeu an ſit aut pars, aut actus Religionis; ſaltem conditio, requiſitum, medium, adminiculum Religionis publicè aut communiter in Eccleſiâ N. T. exercendæ, idque ex Jure divino. Ac *Primo* Gentiles, ut comœdias, ludos ſuos, ſic & inſtrumentorum ſtrepitus Diis ſuis conſecrârunt, eoſque Templis & ſactis eorum intulerunt. Erant enim ludi omnes in Græciâ aut gymnici, aut muſici, aut ſcenici. Ludi ſeu agones muſici occupati erant in carminibus ad Deos, ſeu hymnis, âdhęc in threnis, peanibus, dithyrambis; ut eſt apud *Platonem Lib.* 3 *de Legibus ſub finem. Proclus in ſuâ Chreſtomachiâ* (quæ exſtat apud *Photium in Bibliothecâ Lib.* 239.) melici carminis tria genera recenſet, quorum alia ad Deos pertinent, alia ad homines, alia ad fortuitas calamitates. Ad primam claſſem refert, hymnum, proſodion, pæanem, dithyrambum, nomon, adonidia, jobacchum, hyporchemata. Quorum deſcriptiones illic videat, cui vacat. Breviter tota illa antiqua Muſica dicebatur divina, Diis amica, ejuſque omnis ſcientia vel ad Deorum honores, vel ad juventutis inſtitutionem referebatur; teſte *Plutarcho de Muſicâ*: à quâ religioſâ ſcil. Muſicâ, conqueritur *ibidem* nimis recedere effœminatam illam & theatralem. Atqui totum theatrum ſcenicum cum

Digitized by Google

cum omnibus aliis ludis & ſpectaculis Deorum honori & cultui dedicatus erat, ejuſque partem faciebat: ergo & Muſica theatralis. Vide *Exod.* 32. cum 1. *Corinth:* 14. *verſ.* 7. 8. & *Tertullian. de Spectaculis.* cap. 10. *Quæ vero voce, & modis, & organis, & lyris tranſiguntur*, &c. *Daniel.* 3. *verſ.* 5. mos idololatrarum innoteſcit, ubi dedicationem & adorationem imaginis omnes jubentur celebrare, atque ad auditum *ſonum cornuum, fiſtulæ, citharæ*, &c. Porro de Theatrali, atque adeo univerſâ Muſicâ, veterum, & inſtrumentis Muſicis, videri poſſunt, quæ ſtudioſè collegit *Jul. Caſ. Bulengerius lib.* 2. *de Theatro. Secundo*, Judæi hodierni, ut cenſent totum illum V. T. partim typicum, partim ambulatorium cultus divini externum modum retinendum; ſic etiam Muſicam ſacram, quæ 1 *Paralip.* 25. deſcribitur. Ne quid dicam, de antiquorum Judæorum ante Chriſtum περιζηλίᾳ Ethnicâ, cujus ſpecimen dabant in funeribus. *Matth.* 9. 23. ubi memorantur αὐλητοὶ tibicines. De Muſicâ funerali Gentilium vide *Gutherium Lib.* 1. *de Jure Manium cap.* 23. *Commentatores ad Perſii Satyr.* 3. & *Pricæi Notas ad Matth.* 9. *verſ.* 29. Morem illum Gentilium non tantum imitati ſunt Judæi, ſed & conſuetudinem poſtea quaſi legem habuerunt: ſiquidem credendum Miſchnę Thalmudicæ in Codice *Cetoubot* cap. 4. §. 4. *R. Jehuda dixit, etiam pauper qui eſt intra Iſraelitas non præbebit* (uxori ſcil. in captivitate mortuę) minus quam שני חלילים ומקוננת id eſt, *duas tibias, & lamentatricem.* Idem iiſdem verbis repetit Maimonides in אישות cap. 14, ubi addit: *ſi dives ſit, fiant omnia ſecundum dignitatem. Nebriſſenſis in ſuâ Quinquagenâ cap.* 46. *ad Matthæi locum cit.* obſervat tibias in funere puerorum & puellarum adhiberi ſolitas, juxta illud Statii in 6. Thebaid. *Tibia, cui teneros ſuetum deducere manes*, in funere virorum tubas, juxta illud Perſii Sat. 3. *Hinc tuba, candela* &c. Et *Lactantii* dictum. quod *ibid.* citat; & ex illo *Joh. Druſius in Prateritis.* Tertull. de ſpectac. cap. 10. tibias & tubas vocat *duos inquinatiſſimos arbitros funerum & ſacrorum. Grotius in Notis ad Matth.* 9. *v.* 23. vanam hanc pompam funebrem videtur excuſare velle, cum dicit in lege Dei non fuiſſe prohibitam. Hunc in finem ſtatuit morem illum non fuiſſe à Gentilibus ad Judæos traductum, ſed apud ipſos antiquiſſimum. Quod tamen de tibiis aliove cantu inſtrumentali minimè probatur. Illud *Jeremiæ* 9. *v.* 17. ab illo allegatum pręficarum, non tibiarum, aliquam antiquitatem (ſæculis aliquot ante Chriſtum) non vero antiquiſſimam in familiis Patriarcharum aut ante ingreſſum Iſraelitarum in Ægyptum oſtendit. Et ſane tempore Jeremię ac toto tempore Regum, immo & Judicum περιζηλίᾳ quâdam vacuas obſervationes & ſuperſtitiones, immo & craſſiſſimam idololatriam à Gentilibus ad Iſraelitas fuiſſe derivatam, *Scriptura* paſſim teſtatur; nec ignorare poteſt, qui antiquitates gentis illius leviter modo inſpexerit. Quod adfert de funerali pompâ, eam non eſſe novitium inventum, ſed exemplo Abrahami, Iſaaci, Jacobi,

cobi, Joſephi, ſubnixam : id tibias & præficas non magis inferre poteſt, quam carnis inciſionem *Levitic.* 19. prohibitam. *Tertio*, Pontificii quia ſequioribus & corruptiſſimis ſæculis ſenſim ſine ſenſu in ipſorum templa & ſacra irrepſerat hæc quaſi theatralis Muſica, coguntur nunc eam defendere, aut ſaltem excuſare, ne videatur Eccleſia eorum reformatione aliquâ indiguiſſe. Eſt autem uſus ejus 1. in horis canonicis, ſeu officio divino, quod in Eccleſiis publicè peragitur; nominatim in veſperis ſolennibus. 2. in celebratione feſtorum; ſive ea ſtata ſint & ordinaria; ſive extraordinarii dies euchariſtici, cum more ſolito reſonant: *Te Deum laudamus.* 3. in celebratione ſolennis miſſæ; quæ ideo à Cantu vocali & inſtrumentali vulgò & diſtinctè dicitur **ten ſingende Miſſe**/ q.d. *miſſa cantans.* Quanta autem profanitas cum Organis illis ſuccreverit (ut peculiaris maledictio divina comitari ſolet omnem humanam διλοδρησκίαν) nos non dicemus, ſed Lectorem ad ipſos Pontificios ablegamus; *Cajetanum in Summulâ in voce Organon p.* 519. & in 22. *qu.* 91. *art.* 1. & *ibid. Gregor. de Valentiâ diſputat.* 6. *qu.* 9. *Barthol. Fumum in Armillâ, Organum. Viguerum Inſtitut. fol.* 62. *Eraſmum in Notis ad* 1 *Cor.* 14. & in earum Apologiâ adverſus Albertum Pium tit. de Cantu p. 127. ubi ait *in ſacello Pontificis talem vocum garritum* (ſic appellat Muſicam πολύφωνον) *audiri, concionem fere nunquam : talem & audiri in aulâ Cæſaris, aliorumque Regum.* Adde *Navarrum in Manuali c.* 12. §. 87. & *Tract. de Oratione & horis c.* 17. Ipſum *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 22. ubi de evitandis in celebratione Miſſæ. *Thomam Zanchez in Præc. Decalogi lib.* 2. *c.* 37. imprimis *Lindanum in Panopliâ Lib.* 4. *c.* 78. Verba ejus, & reliquorum hic non deſcribimus, relinquentes cujuſque Lectoris induſtriæ Authorum bonâ fide à me allegatorum inſpectionem. Porro Organorum hunc uſum, defendit Jeſuita *Bayllius in Catecheſi part.* 2. *qu.* 36. eundem tenuiter potius excuſat, quam defendit *Cajetanus in Summulâ*, & poſt eum *Fumus loc. cit.* quod ſcil. liceat; & Zwarez tom. 2. de Religione tract. 4. lib. 4. c. 8. adhuc timidius defendit: *Cantum illum nec per ſe malum eſſe nec ſimpliciter jure eccleſiaſtico prohibitum.* Audacius Epiſcopale, ſeu Cerimoniale Epiſcoporum lib. 1 c. 28. *Decet*, inquit, *in Eccleſia Organum, & Muſicorum cantus adhiberi; in omnibus ſcil. dominicis, & feſtis* (exceptis nonnullis) &c. *& quotieſcunque Epiſcopus ſolenniter celebraturus Eccleſiam ingreditur, aut re divinâ peractâ diſcedit*, &c. *Item in ingreſſu Legati apoſtolici, Cardinalis, Archiepiſcopi, aut alterius Epiſcopi &c. Donec prædicti oraverint, & res divina ſit inchoanda. In matutinis, quæ ſolenniter celebrantur in feſtis majoribus &c.* Addit *ibidem* quoties, & quando, aut conſequentibus aut alternatim organum pulſandum &c. Quas nugas ibi vide. *Corn. à Lapide in* 1. *Cor.* 14. dicit *in Lemmate marginali* Muſicam commendari ob tres rationes; ſed in ipſo contextu nullam aliam antitheſim facit adverſus Cajetani ſententiam,

Digitized by Google

tiam, quam: *Sed usus jam Christianorum habet contrarium ut cum Davide Organis subinde & Musicâ in sacris utantur:* & p. 110. 5. *Probatur breviter ex usu Ecclesiæ: nam fere in universo orbe Christiano hæc consuetudo vel approbatur, vel toleratur, &c.* Quo haut obscurè innuit, se Cajetano non posse interiori conscientiâ obloqui. In *Commentar. ad Syracid.* 32. videtur apertius loqui, & *ad Exod.* 15. *Lorinus Comment, in Sapient. c.* 19. & ante eum *Joh. Stephanus Durantus Lib.* 1. *de Ritibus Eccles. c.* 13. *Demochoares de celebratione Missæ c.* 3. paulo confidentius videntur velle defendere. Cum quibus faciunt *Schultingius part.* 1. *Anácris. hierarchicæ lib.* 11. *pag.* 148. & *lib.* 1. *pag.* 51. qui ibidem Organa contra Calvinistas, speciatim c. Zepperum & synodos Dordracenam ac Middelburgensem defendisse se dicit *Tom.* 4. *Bibliothecæ sancto part.* 2. *in Confutatione Synodorum Belgicarum, & in suo Prochiro part.* 2. *Idem lib.* 11 *pag.* 148. commendat *Langecrucium in speculo de Canonicis & Divinis Officiis. Bellarminus* admodum trepidè mussitat pro Organorum cantu in Papatu nunc usitato *Lib.* 1. *de Bonis Operibus in partic. c.* 16. 17. In statu controversiæ non audet Organorum vel semel mentionem facere, sed calumniosè & subdolè disputat contra nos & multa probat de Cantu sacro in genere: tantum in cursu disputationis ἐν παρόδῳ & datâ occasione etiam meminit Organorum, quippe quæ ad *Deum colendum simpliciter referantur:* sic tamen vellicabat ipsum conscientia ut desinat in hanc tenuem conclusionem p. 2686. (edit. in 8.) *Propter infirmos in ecclesiâ retinenda.* Quomodo fluctuet *Raphael la Torre ad* 22. *quæst.* 91. *art.* 2. *Disput.* 1. ex sequentibus ipsius verbis cognosce: "Dico primo: In Eccle-
"siâ Christi (in divinis scil. officiis) non fuit frequens usus Musicorum in-
"strumentorum corporalium, ut lyræ, cytharæ & similium divinis laudibus
"decantandis, &c. ubi citat *ibid. Augustin. in Ps.* 32. & *Justinum Martyrem in quæst.* 107. &c. "Secunda ratio desumitur à *D. Thom. ex philosopho* 8. *Politic.*
"formanda in hunc modum: Hujusmodi musica instrumenta magis animum
"movent ad delectationem, quam per ea formetur bonus aliquis affectus con-
"ductus ad devotionem, vel formandos bonos mores, &c. *Secundo dico*, per
"accidens & indirectè præfata instrumenta musica possunt excitare ad pios
"affectus conducentes ad devotionem & mores componendos, &c. ex quo
"fit ut usus eorum non sit omnino ab Eccleſiâ relegatus, sed parcè acceptan-
"dus, nec extendendus: quia his quæ per se inutilia sunt ad aliquem finem,
"& per accidens utilia, utendum est raro & parcè. Unde cum moderatione
"in magnis celebritatibus usus est tibiarum, Hispanè, *ministriles.* Secus
"dicendum est de Organorum usu, qui propter gravitatem & modestiam in-
"strumenti & propter commoditates, quas in eorum pulsatione cantores Ec-
"clesiarum percipiunt jam ab Ecclesiâ acceptatus est, & solis sacris applicatus,
"quamvis, ut refert Cajetanus, hic coram summo Pontifice nunquam pul-

"sentur.

" sentur. Circa quæ *Cajetanus* notat duo. *Primum* tempore D. Thomæ non
" fuisse organorum usum. *Secundum*, cavendum ne in his pulsandis subre-
" pant abusus, quos in cantu diximus repetiri posse, &c. Primum autem non
" expressè habetur in B. *Thoma:* fortasse suo tempore erat rarus eorum usus,
" qui ob id nullus dicitur esse, aut quia à paucis agnitus. Nihilominus Orga-
" norum usum non esse recentem probat *Julianus* multo antiquior quam
" D. *Gregorius super cap.* 32. *Jobi*; & plures alii quos citat *Durantus de Ritibus*
" *Ecclesiæ lib.* 1. *c.* 13. Igitur ad argumentum quod est Petri Martyris impro-
" bantis organorum & cantus ecclesiastici usum respondetur, Christianos
" non teneri abjicere omnes ceremonias Judæorum: Nam decimationem,
" primitiarum largitionem, & alias multas retinent: sed eas tantum tenen-
" tur explodere, quæ figuræ erant alicujus mysterii erga Christum venturum,
" ut esum agni paschalis, circumcisionem, neomenias, & sabbatha: usus autem
" cantus & musicorum instrumentorum non erant hujusmodi, sed media
" quædam ad excitandam devotionem plebis. Quod si aliqua figuralia erant
" non quidem Christi venturi, vel alicujus ad id pertinentis; unde non con-
" tinuo, atque Christiani his utuntur, Judaïzare dicendi sunt. *Quartò*, ex ho-
diernis Lutheranis cantiones latinas, concentus Harmonicos, & Organa Mu-
sica in Templis ex professo argumentis defendere conatur *Eckhardus in Fascic. Controv. cap.* 21. Ante ipsum idem conati, *Jacob. Andreas in Colloqu. Mompelgardensi part.* 2. Brentius in Homil. de Pœnitentia Homil. 14. ubi in titulo & in ipsâ homilia statum controversiæ facit, de *cantu ecclesiastico, & Organo:* rationes tamen nihil præter cantum ecclesiasticum concludunt. *Quinto*, sunt nonnulli, qui ut reliquias ceremoniarum in Angliâ, sic & Musicam Organicam in regio sacello & cathedralibus Ecclesiis defendunt, aut excusant. Inter quos *Whitgiftus in Resp. ad Admonitionem p.* 206. Nihil tamen de illis *in Constitutionibus Ecclesiasticis Episcoporum anni* 1603. nec *in Liturgiâ Anglicanâ*: nullus etiam usus eorum est in Ecclesiis parochialibus sive extra sive inter exercitia Religionis; adeo ut perperam Ecclesiis Anglicanis seu Ecclesiæ Anglicanæ universim organicus hic cultus à nonnullis tribuatur. Oxonienses in Responso suo, humili petitioni Ministrorum anno 1603. quâ petunt *ut cantus ecclesiastici Musica ad meliorem ædificationem formaretur*; nihil opponunt, nec praxim tunc receptam defendunt; sed tacitè videntur concedere moderationem & reformationem hic adhiberi posse: saltem Organa ne semel quidem nominant. Quidquid sit de Musicâ & Organis alicubi in Angliâ electis, non memini tamen à Theologis eorum statui, esse adminiculum, immo & partem cultus divini itidem ut in V. T.; quod faciunt *Autores Pontificii*, & *Eckhardus* modo cit: ut ex argumentis eorum infra refutandis evidenter deprehendimus. Attingit hanc causam *Maxwellus* theologus Scotus *in tract.* vernaculo de

de *Præstantiâ Ecclesiæ Anglicanæ supra Genevensem.* Nos statuimus cum Reformatis Theologis infra citandis, Musicam organicam nec adminiculum conveniens, nec partem, nec appendicem esse cultus divini, seu ecclesiastici; quidquid sit de ejusdem usu aut tolerantia, variis in locis, quæ ad huc obtinent.

IV. Argumenta nostra sunt partim directa, partim indirecta. Directa sunt ista. 1. *Arg.* Quia Christus & Apostoli, aut apostolica Ecclesia tali Musicâ non sunt usi, nec docuerunt eâ uti, ad majorem devotionem aut perfectionem aliquam cultui ecclesiastico adferendam. Qui ergo eam adhibent, tacitè innuunt se sapientiâ, aut zelo, aut abundantiâ & felicitate quadam præstare Ecclesiis apostolicis 11. *Arg.* Quia non tantum non excitat, auget & confirmat spiritualem & rationalem animi devotionem ac cultum; sed contra ea impedit, frangit, dispargit, emollit, & infirmat; dum animi vires & intentionem per sensibilia illa ad sensibiles & inferiores delectationes abducit, & ab interiori gustu cœlestis ac divinæ ineffabilisque voluptatis & gaudii (1. *Petr.* 1. 8. cum c. 2. 3.) abstrahit. Hanc rationem egregie exprimit *Thomas* & cum eo Cajetanus 22. qu. 91. art. 2. *Sicut Philosophus dicit in* 8. *Politic. neque fistulas ad disciplinam est adducendum, neque aliquod aliud artificiale Organum, puta cytharam, & si quid talè alterum est: sed quæcunque faciunt auditores bonos. Hujusmodi enim musica instrumenta, magis animum movent ad delectationem, quam per ea formetur interius bona dispositio.* 121. *Arg.* Quidquid in cultu publico nec ædificat, nec aptum est ædificare Ecclesiam, illud non est adhibendum: quamvis in se esset præstantissimum: sed talis est Musica organica: Ergo. Probatur major ex 1. *Cor.* 14. 12. 16. 17. 19. 26. Probatur minor, quia dum Organum aut solum, aut per antiphonas canit, non intelligit Ecclesia aut modulationem ψαλμῳδίαν, aut verba sacra, quibus modulatio illa dicitur aptata, & consequenter non potest dicere *amen.* Vide quæso 1. *Cor.* 14. 7. 8. 9. 10. 11. 14. 16. Hanc rationem agnoscere coguntur adversarii; ita ut Ceremoniale Episcoporum lib. 1. c. 28. cantum vocalem organico oppositum exsertè vocet *intelligibilem: Sed cum dicitur symbolum in missâ, non est intermiscendum Organum, sed ea per chorum cantu intelligibili proferatur.* Et paulo ante: *Sed advertendum erit, ut quandorumque per Organum figuratur aliquid contrari, seu responderi alternatim versiculis hymnorum, aut canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ab organo respondendum esset. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce claræ idem cantaret.* Zwarez tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. c. 8. idem optat, & rationes addit, ut *integritas orationis vocalis perficiatur, nam per solum sonum instrumentorum non videtur sufficienter fieri oratio vocalis, qualis debet esse oratio in choro.* Ibid. ad σίφων φάσμα quæsitum à Ceremon. Episcop. modo cit. sic excipit. *Quando in solo Organo sine ulla cantu dicitur versus, solet chorus sine cantu recitare versum illum.*

Digitized by Google

quod sufficit quidem ad integritatem horæ, non tamen videtur ita conveniens ad satisfactionem populi, & publicæ orationis: immo quando id sit in symbolo Navarr. sup. n. 44. & 45. *& clarius* 49. *judicat esse peccatum.* IV. *Arg.* Quidquid fertilis occasio est multorum malorum, & obnoxium multis abusibus; illud in cultu publico non est adhibendum, siquidem sit adiaphorum, aut saltem per se non necessarium aut ita utile: Sed talis est Musica organica; præstat ergo eam in Templis non promovere, cum damnum spirituale inde emergens & periculum majus sit, quam utilitas. Minorem probat experientia, & ratio; utramque satis innuunt, *Autores Pontificii supra cit.* imprimis *Lindanus in Panopl.* & *Cajetanus ad* 22. *qu.* 91. *art.* 2. confer *Bellarm. loc. cit. p.* 2686. & *Episcopale p.* 39. a. *Bochell. lib.* 1. *Eccles. Gallic. tit.* 7. *cap.* 23. -- 31.

Argumenta indirecta sunt partim ab absurdis consequentibus, partim ad hominem. Illa sunt. 1. *Arg.* quia redolet Judaismum, seu cultum peculiarem infantilem & œconomicum V. T.; & pari jure possent in Ecclesias N. T. introduci tintinnabula Aaronis *Exod.* 28. 34. 35. tubæ argenteæ sacerdotum *Numer.* 10. 2. 4. cornua Jobel. *Levit.* 25. 9. cytharæ, nablia, cymbala, cum Levitis cantoribus 1. *Paral.* 25. 1. 6., atque adeo universus cultus œconomicus, seu egena elementa mundi, ut loquitur *Apostolus Galat.* 4. Quod idem de æramentis seu campanulis dicendum; quos Gerson apud *Bochellum Lib.* 4. *Decret. eccles. Gallic. tit.* 3. *cap.* 1. pari passu ire facit cum organis. Atqui hoc esse absurdum rectè observat Thomas loc. cit. *In veteri Testamento usus erat talium instrumentorum, tum quia populus erat magis durus & carnalis; unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicut & per promissiones terrenas: tum etiam quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* Exceptiones ad hoc argumentum infra diluemus. 11. *Arg.* quia est κακοζηλία Ethnica & cum eorum cultu convenit: quod absurdum. Gentiles enim ut ludos, spectacula, sic & Musicam immiscebant suis solemnitatibus & sacris. Ita Ctesibius suum ὑδρεῖον, quod appulsu aquarum & bellicum canebat & hilares festosque modos, in Templo Zephyri (al. Veneris Arsinoes) dedicabat. Vide de hydraulicorum inventoribus *Bulengerium Lib.* 2. *de Theatro cap.* 31. & eundem *de veterum Musicâ theatrali à cap.* 2. &c. Testis est Lactantius lib. 2. c. 7. *Ethnicos ad templa ventitare, non tam religionis gratiâ, quam ut videant quod oblectet.* 111. *Arg.* Sequeretur, & multa alia sensibilia ac carnalia, in gratiam aliquorum carnalium aut rudium qui illis afficerentur, in publicum cultum introducenda; tripudia scil. theatra, ludos, & quæcunque aurium atque oculorum oblectamenta: sed hoc absurdum. Sed *Excip.* nihil recipi volumus, nisi quod decorum, aut olim in V. T. usitatum. *Resp.* cur ergo non introducuntur tintinnabula, tubæ, cymbala, cytharæ, fistulæ & Davidis Musica ac saltatio? & choreæ Israelitarum *Exod.* 15. &c. Unde probabunt illa instrumenta & illos ritus magis

Digitized by Google

gis indecora, quam Organa ipsorum, & Organis addita sæpe cornuæænea? 2v. *Arg.* Sequeretur Ecclesiam & apostolicam, & antiquam per tot sæcula, fuisse minus devotam, aut saltem minus attentam ad excitandam Auditorum, præsertim rudiorum & infirmiorum, devotionem: quæ omnia absurda esse fatentur aut fateri coguntur ipsi Pontificii, aliique antiquitatis admiratores, qui aliàs nostra sacra omnia ad modulum antiquæ Ecclesiæ exigi & revocari volunt. v. *Arg.* Sequeretur exercitia pietàtis publica seu ecclesiastica (inter quæ est doxologia, seu laudatio Dei per Psalmos & Hymnos) posse fieri sine Ecclesiâ, & restringi ad certas quasdam personas ad id peculiariter quasi deputatas & consecratas, Organistas scil. & illis subinde adjunctos cornicines, & Musicos seu pueros chorales. Sed hæc absurda, & repugnantia *Ephes.* 5. 19. *Coloss.* 3. 15. 16. 17. & praxi primitivæ Ecclesiæ, apud *Tertull. in Apologet.* c. 2. ex *Epistolâ Plinii Secundi. Justinum apol.* 2. *Basilium Epist.* 63. *Chrysostom. in Iesa.* c. 8. *homil.* 1. Et fatetur *Baronius* atque ex antiquitate ostendit anno 60. §. 28. olim promiscuè una cum Clericis in Ecclesiâ cantasse & Populum; innovationem autem factam demum in *Concil. Laodiceno can.* 15. vi. *Arg.* Sequeretur universam Ecclesam propter carnales & rudiores quosdam esse privandam tanto temporis spatio nobilissimâ & præstantissimâ ratione adducendi homines ad Deum; quæ est per prædicationem, lectionem, orationem, intelligibilem & communem psalmodiam: Sed absurdum pretiosas conventuum publicorum horas iis dilapidari, & animas famelicas meris furfuribus seu follibus & vento inflatas potius quam pastas dimitti: quod obtinuisse in Papatu ex *Erasmo* supra audivimus. *Nobilior modus est provocandi homines ad devotionem, per doctrinam & prædicationem, quam per cantum*; ait Thomas loc. cit. Quid dixisset de sono Organorum, siquidem illum in Templis tunc audivisset?

Argumenta indirecta, καθ' ἄνθρωπον seu ad hominem sint ista 1. *Arg.* Figuratio ista & πολυφωνία cantus instrumentalis repugnat simplicitati, introversioni spirituali, abstractioni, & mentis nuditati, atque elevationi ab externis & corporeis; quam tantopere devotis commendant, *in Tract. de Contemplatione & Theologiâ mysticâ*: de quâ nos egimus *in Disp. De Meditatione*, & *de Devotione.* 11. *Arg.* Repugnat simplicitati, & cautæ moderationi antiquæ Ecclesiæ in usurpando cantu vocali & intelligibili: quæ tanta fuit, ut etiam tempore Augustini Episcopi Occidentales essent, qui nullum cantum reciperent, fatente *Alberto Pio loc.* supra *cit.* Et sane ab Occidentalibus Ecclesiis serò receptum esse, & primò certâ occasione introductum ab Ambrosio Mediolani constat ex *Augustini Lib.* 9. *Confess. c.* 7. 111. *Arg.* Repugnat simplicitati cantus; quem nec fractione, nec harmonicâ vocum multiplicatione figurari, atque ita homines ab attentione abduci voluerunt tam antiqui, quam ipsi Pontificii: nedum ut confragosa illa Organorum harmonia turbari & à mentis contra-

Digitized by Google

ctione atque intentione dimoveri debeant. Fuit cantus veterum distincta quædam & graviter modulata pronuntiatio, à quo aberant luxuriantes vocum flexus & consonantiæ. Athanasius, laudante *Augustino loc. cit.* jubebat lectorem tam modicè vocem flectere, ut magis recitantem quam cantantem referret. Idem lib. 10. c. 33. *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Idem facit *Bernardus in Meditat. c.* 11. Hieronymus in Ephes. 5. 19. ubi dicit, *tragœdiarum in morem guttur & fauces medicamine non lenienda, ut in ecclesiâ theatrales moduli audiantur & cantica.* Vide & confer *Concil.* VI. *Constantinop. in Trullo can.* 75. Et Dionys. Carthusian. tract. de *Vitâ sacerdotum* art. 20. ubi in officio divino prohibet vocem fractam, & discantum: *quamvis*, inquit, *discantus provocet specialiter quosdam ad devotionem & contemplationem cælestium, multum tamen revocare videtur ac impedire ab advertentiâ sensus etiam propriæ orationis ejus qui audit, & orat.* Anonymi summa virtutum & vitiorum (cit. ibidem à *Carthusiano*) ait: *sicut ventus facere solet crispationem in aquâ, sic ventus vanitatis hanc crispationem fractionemque vocis facere solet.* Johannes XXII. in Extravag. comm. lib. 3. tit. 1. perstringit cantores sacros, qui melodias *loquelis intersecant, discantibus lubricant, triplis & motetis vulgaribus nonnunquam inculcant, &c.* Quæ omnia severè prohibet, hâc solummodo clausulâ exceptionis cedens quasi torrenti usûs aut abusûs: *Per hoc tamen non intendimus prohibere, quin interdum diebus festis præcipuè &c. aliquæ consonantiæ, quæ melodiam sapiant, puta octavæ, quintæ, quartæ, & hujusmodi supra cantum ecclesiasticum simplicem proferantur: sic tamen ut ipsius cantus integritas illibata permaneat, &c. Albertus Pius loc.* supra *cit.* rejicit omnem cantum πολύφωνον, seu Musicalem. *Filesacus Lib. 2. Selector. tit. de cantu eccles.* §. 13. 13. notat flexuras, & voces vinnulas, secabiles, collisibiles, &c. 14. *Arg.* Quia alia instrumenta Musica, non sunt usurpandâ in Ecclesiâ; ut sancit *Cæremoniale Episcopor. lib.* 1. *c.* 23. & cavet *Bellarminus c.* 17. *cit. p.* 2686. & *Zwarez loc. cit.* (quamvis in discursu fluctuet, & sibi more solito contradicat): Ergo à pari nec Organa, nedum confragosa Musica organica. Immo si quid tolerandum, simpliciora instrumenta majori jure tolerari possent, ut ænea cornua, tubæ, testudines, cytharæ, &c. & argumenta Pontificiorum ab exemplo V.T. & ab excitatione devotionis, & laude divinâ deducta, æquè pro his stringunt, ac pro Organis. 15. *Arg.* Quia non inhærent praxi venerandæ Antiquitatis: quod unicè tamen affectare se ubique prætexunt; sed manifestè novitates Græcorum antiquæ & gravi devotioni hâc in parte præferunt. Nam Primo *Organi* inventionem novam esse diffiteri non possunt *Cæsar Bulengerius Lib. 2. de Theatro c.* 31. refert ad tempora Juliani Apostatæ. *Lorinus in Comment. ad librum. Sapientiæ c.* 19. *v.* 17. & *Polyd. Virgil. Lib.* 3. *c.* 7. negant de inventore con-

constare.Sunt qui Gereberto seu Sylvestro 11. tribuant: alii Georgio Veneto sacerdoti, alii antiquioribus (ut refert idem *Polydorus loc. cit.* & *Genebrard. in Chronol.*) sed meræ conjecturæ sunt. Quidquid sit,Græcis seu Orientalibus inventum hoc tribuendum,docet *tum* genius eorum,*tum Annales Francorum de gestis Pipini*,& *Aventin. Lib.* 3. *histor. Bojorum*; & *Marianus Scotus*; qui referunt à Constantino Copronymo per Legatos Organum dono missum, tanquam admirandum & rarum quid: & agnoscunt hanc Historiam *Baronius anno* 766. §. 21. & ante eum Genebrardus in Chronographiâ ad ann. 715. qui addit *hactenus* organa illa *Gallis & Germanis fuisse incognita*. Refert præterea *Aimoinus lib.*4. *Histor. Francorum c.* 113. presbyterum quendam Græcum nomine Georgium Organum more Græcorum Imperatori Ludovico composuisse. Lorinus loco cit.fatetur *organum* cap. 19 lib.sapientiæ v. 17. (gr. ψαλτήριον) ad orgne instrumenti musici genus accommodari; *deinde juxta vulgi præsertim sermonem ad certum, cui folles adhibentur, & cujus nominis rationem Isidorus refert ad vulgarem* (nota) *Græcorum consuetudinem*. Ibidem citat *Augustin. in Psal.* 56.& *Amalarium lib.* 3. *de Eccles. offic.cap.*8. Confer de novitate Organorum *Hospinian. Lib.* 2. *de templis cap.* 23. & *part.* 1. *Histor. sacram. lib.* 3.*c.* 3. Ex Lutheranis *Micrælius in Syntagm. Histor.eccles. p.*537. dubitationem suam de eorum antiquitate profitetur. *Secundo*, usum nullum in Templis passim receptum reperimus, nisi post tempora Thomæ Aquinatis qui floruit anno 1270; & suffragantur nobis *Cajetanus* & *Navarrus loc. cit.*; & *hic in Libr. de Horis & Oratione c.* 16.17. Ut & *Gregor. de Valentia ad* 22.*qu.*91.*art.*2. Pro antiquitate paulo antiquiori contra hos obnituntur *Joh. Stephanus Durantus de Ritib. Eccles. loc. cit.* & cum eo *Zwarez* ac *Molanus lib.* 2. *de Canonicis cap.* 40. *loc. cit.* allegantes *Durantem in Rationali lib.*4. *cap.* 34. qui coætaneus Thomæ. Sed Respondetur, tempore Thomæ Aquinatis, & forte ante, usum aliquem eorundem fuisse; sed in Regum aut Magnatum Sacellis, aut quibusdam Templis cathedralibus; quomodo & Comœdiæ alicubi in Templis exhibitæ, aliaque istius farinæ mundana excrementa: non tamen in Ecclesiis communem, nedum ecclesiasticè & communiter præscriptum aut receptum: Quod non obscure fatetur *Molanus c.*40.& satis colligitur ex *Extravag. Johann.* XXII. *modo cit.*; Insuper & argumento est, quod coram Romano Pontifice Ecclesia nunquam utatur (testibus *Cajetano*, *Navarro*, *Molano*) *in signum*, inquit Molanus, *quod eorum usus in Ecclesiâ sit novus, aut saltem non omnino antiquus.* In Ecclesiâ Cathedrali Leodiensi usque ad annum 1585. (quo *Molanus* edebat *Tract. de Canonicis*) alternatim sive ab utroque latere habent Musicam, absque usitato passim Organorum usu. Est & alterum quod ab antiquitatis Organorum Assertoribus obtendi solet: Tempore Vitaliani Papæ anno 606. usum eorum in Ecclesiâ cœpisse, & post annum 820. tempore Ludovici Pii,

Digitized | Google

Pii, *Resp.* esse meras conjecturas, uti discès ex Molano: *Opinor autem*, inquit, *Christianissimos Principes* (Ludovicum, & Reges Galliæ) *Organa antea apud eos inusitata, de quibus gratiarum actiones Deo reddiderunt, mox ad ecclesiastici officii usum, exemplo Sanctorum Patrum* (Davidis scil. & Salomonis, ut mox explicat cum & ex *Durante*) *transtulisse.* Videtis nunc insignem demonstrationem antiquitatis, & catholicismi. A Constantino Copronymo, & presbytero Græco (quam gratum Pontificiis nomen Copronymi, vide in *Annal. Baronii*) prima instrumentorum origo in Occidente, atque adeo occasio usus ecclesiastici; à Regibus verò Galliæ sero usus eorum (in Aulâ eorum credo, postea in aulico & privato Sacello & sic deinceps) promanavit. Hæc scil. autoritas & *summa* statutorum, & cultus ecclesiastici. De Vitaliano *Platina* hoc refert (ex quo habent *Baptista Mantuanus*, & *Baleus*:) sed quæ fides ejus narrationi habenda, puto constare ex modo dictis: nisi forte concedat quis, eum in privatum usum & oblectationem (quippe insignem Musicum) tale Organum sibi curasse. Hinc videmus, quo jure Bayllius Jesuita in Cateches. loco supra cit. exclamet: *Usum esse antiquissimum. Tertio* cantum vocalem figuratum seu Musicalem, demum cœpisse alicubi in Occidente circa annum 735. observat *Dancus Isagog. part. 4, lib. 4. c. 22.* Et certe privata atque *ἰδιωτικὴ* fuisse ausa, non communem *καθολικὴν* ecclesiasticam, constare arbitror ex *Extravag. Joh. 22.* & *Summa Virtutum*, & *Dionys. Carthus.* supra *cit.*: ad quæ nihil respondere potest Molanus de Canonicis lib. 2. c. 39. quam: *Sed si per discantum, & fractionem vocis, intelligatur cantus, & modulatio secundum artem Musices, hæc velle damnare est recedere à communi sensu, & sententiâ Ecclesiæ. Unde* Concilium Tridentinum, *&c.*

Atque hæc quidem argumenta nostra. *Subiungimus autoritates, & consensum* 1. Antiquorum. 2. Intermediæ ætatis tum melioris, tum corruptissimæ, usque ad tempora reformationis. 3. Ecclesiarum & Doctorum jam inde à tempore reformationis, eorumque tum Pontificiorum, tum nostrorum. 1. *Antiquæ Ecclesiæ consensum* tacitè docuit perpetua praxis, hoc est, cultus eorum absque Musicâ organicâ: & quod patres nusquam ad *Ps.* 33. aut 150, aut ad 1 *Cor.* 14. similesque textus, inculcent devotionem hanc organicam; ubi tamen occasio erat, si uspiam: quodque in moralibus & asceticis ipsorum, ubi orationes, hymnos, psalmodiam commendant, altum de hâc silentium: denique quod hæc ad peculiarem & pædagogicum V. T. cultum ablegent, ut *Autor Quæstionum* sub nomine *Justini qu.* 107. & *Chrysostomus in* 1 *Cor.* 14. & *Augustin. Lib.* 17. *de Civit. Dei c.* 14. Exceptiones Adversariorum non diluemus, quia sponte manus dant *Bellarminus*, *Molanus*, *Cajetanus*, *Navarrus*, *Valentia*, *loc. cit.* & novitatem agnoscunt. *Clementis* dictum *Lib. 2. pædag. c. 4.* à testimonio dicendo submovere nequit Bellarmini exceptiuncula. Quamvis enim de usu instrumen-

Digitized by

ſtrumentorum in conviviis apud Chriſtianos locutus ibi fuiſſet Clemens,non poterat tamen illum uſum prohibere aut limitare ; niſi ſacrum exciperet : ita Gentilibus pariter ac Chriſtianis ſatisfeciſſet.

Intermedia ætatis conſenſum,& praxin eccleſiaſticam ante tempora Thomæ Aquinatis ſatis colligimus ex confeſſione *Cajetani* , *Navarri*, *Bellarmini*, *Molani* ; qui rationibus omnibus ſubductis fatentur non admodum antiquum eſſe uſum Organorum.Et imprimis notandum, quod Molanus verba Concilii Senonenſis anno 1528. *Organorum uſum Eccleſia à Patribus ad cultum ſervitiumque divinum recepit* ; interpretatur de Salomone & Davide ; conſcius Patres & Eccleſiæ Doctores in N. T. minime tradidiſſe : nec arbitror ipſum Concilium alios Patres quam V. T. intellexiſſe ; non enim ſine aſtu & hic, & in Concil. Bituricenſi anno 1584. ad Patres (V. T. ſcil. , Moſen , Davidem &c.) referunt originem ſuæ Muſicæ. Nam ſi quid ante tempora Thomæ , de Organis alicubi forte legitur , illud de uſu privato aut de ψαλτηρίῳ quorundam Principum ad imitationem Imperatorum Græcorum accipiendum, non de communi ordine & uſu Eccleſiarum. Huc refer, quod per duos Cantores Româ à Karolo M. adductos Francorum Cantores in arte organandi eruditos ſcribit *Monachus Egoliſmenſis* , *in vitâ Karoli* , apud *Bochellum Decret. Eccleſ. Gallic. lib. 1. tit. 7. c. 21.* Siquidem fides narrationi huic habenda. *Amalarius Fortunatus* Epiſcopus Trevirenſis , qui floruit anno 840. lib. 3. *de Eccleſ. Offic. c. 3.* quamvis cognoverit organum illud, cui folles adhibentur ſuo tempore uſitatum fuiſſe (ſed non in Eccleſiâ) , & accerſat cantores in choro ab ordine Davidico , ſic tamen ait : *Noſtri Cantores non tenent cymbala , neque cytharam manibus, neque cætera genera Muſicorum , ſed corde. Quanto cor majus eſt corpore ,tanto Deo devotius exhibetur ,quod per cor fit, quam quod per corpus. Ipſi Cantores ſunt tuba, ipſi pſalterium, ipſi cythara ,ipſi chorus , ipſi chordæ, ipſi organum , ipſi cymbala. Haymo* Epiſc. Halberſtad. qui obiit anno 834. *in Commentar. in Pſal. 33. & 150.* omnia inſtrumenta interpretatur allegoricè ; Organum hodiernum cum cognitum ſibi fuiſſe oſtendat , nullius tamen uſus in ſacris meminit ; cum tamen res ipſa hoc maximè poſtulare videretur. Lyranus claruit anno 1320, in Poſtillâ ad Pſ. 150. v. 3. *Hic convenienter ponitur tertium, laudationis modus : & quia in V.T. non ſolum laudabant Deum vocibus humanis, ſed etiam Muſicis inſtrumentis, idem dicitur &c.* Quid *Thomas*,& *Dionyſ. Carthuſianus* de iis ſenſerint, ſupra indicavimus. Quis ſenſus & quæ praxis fuerit Waldenſium & Wicleſiſtarum patet ex *Hiſtoriâ eccleſiaſticâ* , eorundemque *Antagoniſtis*, & *Bellarmino cap. 14.* De Eccleſiis Bohemicis & Moravicis, iiſque unitis Polonicis , indicium faciet *Ordo ipſarum Eccleſiaſticus* anno 1633.& denuò anno 1661. editus *cum ſcholiis Joh. Amoſi Comenii.* Quod ad Eccleſia Græcas, fateor apud eas ,pro ingenio hominum , prius delicias illas

cantus vocalis & instrumentalis, in publica sacra irrepsisse. Hodie tamen & Patrum memoriâ (teste Crusio in Turco-Græciâ lib. 5. p. 197. *Cantus figuralis apud Græcos non est, nisi quod Cantores in Templis, variatâ interdum voce, eum imitari conantur more utricularioru nostrorum, alius vocem eodem tono tenet, alius* Dza Dza! *saltatorum in modum canit &c. Instrumentis Musicis non utuntur: nisi forte testudine & clavichordio ii, qui ex Chio, Cypro, Cretâ, Corcyrâ, aliisque Italicæ imitationis locis, veniunt. Scaliger lib. 7. de Emendat. tempor. p.* 684. refert Æthiopas Abassinos cymbalis, citharis & symphoniis liturgiâm celebrare: *idque ex ultimâ antiquitate petitum* Idem in *Elencho trihæresi c. Serrarium cap.* 29. *p.* 239. postquam narrasset ex *Philone Judæo* Essæos theoreticos in suis hymnis saltasse & digitis gesticulatos, & Christianos quosdam etiam hodie in sacris ἐνορχήσεις. & musicis instrumentis, tympanis, æneis, & aliis ejusmodi perstrepere, *ut Bacchantes putes:* subdit, *qui mos à veteri Ecclesiæ ritu alienus*, & citat verba ex *Lib. quæstion.* sub nomine Justini, supra exhibita. Contra quē Serrarius Lib. 5. Minervalis cap. 24. excipit hæc ex se esse adiaphora: se tamen scire *ejusmodi melodiæ usum neque semper neque ubique aut fuisse, aut etiam nunc esse, nonnulloque abusus posse intervenire, ob quos omitti eum aut minui præstaret.* Ut revertar ad Abassinos, Autor quis apud Jesuitam *Godignum Lib.* 1. *de rebus Abassinor. cap.* 22. cymbalorum usum, fletum, risum, saltationem in Ecclesiâ iisdem attribuit; & Organorum usum à tempore Gregorii XIII. ibi demum introductum, & artifices à Papâ eò missos, qui Organa ipsis fabricarent. Quam fabulam, ut & pleraq; alia istius Autoris, his verbis Godignus explodit: *quis credat? In actis quidem Gregorii nihil tale reperitur. Neque is Pontifex ignorabat, à Romanâ fide dissidere Abassinos, ut prædicatorum loco, ad eos mitteret fabricatores Organorum.*

Accedimus ad tempora reformationis: ubi occurrunt testimonia *Erasmi, Alberti Pii, Cajetani, Navarri, Lindani, Loc.* jam *cit.* & *Salmeronis in* 1 *Cor.* 14. *q.* 22. Verba eorum, quia continent egregia argumenta à consortibus ejusdem religionis Romanæ utiliter legentur: unde facile judicent quam feliciter *Joh. Stephanus Durantus lib.* 1. *de Ritib. cap.* 13. refutaverit *Navarrum*, & quo jure *Lorinus in Sapient.* 19. *v.* 17. dixerit, eum merito à *Joh. Steph. Durante* refutatum. Uterque autem citat *Julianum in Jobi,* 31. quem dicit Gregor. M. longo intervallo antecessisse. Sed si in hoc Autore stet antiquitas, quem video juxta cum aliis in catena Græcâ locum habere: utique de ipsius ætate primum inquirendum esset; cum plures istius nominis in *Possevini Apparatu* reperiantur, qui sæpe confunduntur. Deinde, quicunque demum sit iste Julianus, verba à *Duranto* & *Pineda in Job.* 30. *v.* 38. citata non evincunt machinarum istarum, quæ nunc Organa appellant, usum in Templis fuisse: *Lorinus* paulo ante dixerat vocę *Organi* quodvis instrumentum musicum notari. *Pineda in Comment. ad Job.* 30. *v.* 31. sic citat Julianum: *Illud vero observat hoc loco Ju-*

Digitized by Google

Julianus, fieri quidem poße, ut cum pietate inſtrumenta muſica haberet : quandoquidem & in templis eſt illorum uſus. Unde nihil pro antiquitate organorum (hodie ſic dictorum) concludi poteſt. Præſertim cum *Job.* 30. *v.* 31. Gr. interpes בעד vertat ψαλμός μου, & cum illo Syrus *ſemeri*, Arabs *ſemiri*, id eſt pſalmus aut pſalmodia mea : & Pineda ibid. in commentar. obſervet, originalem vocem fere indifferentem eſſe ad canticum & ad inſtrumentum muſicum. Quin & Lorinus in *Pſ.* 150. obſervet Hebr. בעד à Gr. interprete *Geneſ.* 4. *v.* 22. verti κτώμενος, 1 *Reg.* 10. *v.* 5. ἀνλὸς, *Job.* 30. *v.* 31. ψαλμός. Vide quæ modo contra antiquitatem attulimus. Adde his teſtibus tam trepidam & coactam quaſi, & ſecum pugnantem excuſationem, apud *Bellarm*, *Zwarezium* &c. *Reformatorum ſenſum docent* 1. *praxis*, in Eccleſiis Helveticis, Gallicis, Scoticis, Hungaricis, Tranſylvanicis, Polonicis, pleriſque Anglicis, Belgicis, & compluribus in Germaniâ; ubi ab exercitiis pietatis, & cultu publico abeſt Muſica Organica. 2. Teſtimonia præſtantiſſimorum jam inde à primâ reformatione Doctorum; inter quos agmen ducat Lutherus, qui *Organa Muſica, inter Baalis inſignia refert*, ſatente & referente *Eckhardo in Faſcic. c.* 21. *p.* 639. contra quod nihil aliud excipit, quam non ſimpliciter accipiendum illud judicium Lutheri, ſed ſi ſingularis illis cultus affingatur. Sed non mirum ita torqueri Lutherum ab illo, qui ibidem cereos accenſos, altaria, exorciſmos, veſtem albam Miniſtrorum, in claſſe rerum mediarum collocat. *Calvinus*, *Victorinus Strigelius*, *Mollerus*, *Piſcator*, *Coppenius*, *Fabritius in Pſ.* 53. & 150. *Eraſmus*, *Calvinus*, *Martyr*, *Muſculus*, *Pareus*, *Conr. Vorſtius in* 1 *Cor.* 14. *Daneus Iſagog. part.* 4. *c.* 26. & *Tract. de Precatione c.* 3. *Beza in Colloqu. Mompelgard. part.* 2. *Lavaterus in* 1. *Paralip.* 17. & 25. & 2 *Paral.* 29. & *in Ezram homil.* 10. Tantum ex Libello ipſius de Ritibus Eccleſiæ Tigurinæ, qui ab omnibus non ita haberi poteſt, cap. 6. hęc verba hic exhibeo: *Organa & alia inſtrumenta Muſica in Templis nulla ſunt, eo quod ex eorum ſtrepitu verborum Dei nihil intelligamus. Zepperus, de Pol. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 15. *Idem in Explanat. legum Moſaic. lib.* 4. *c.* 2. *Raynoldus in libr. Apocryphos prælect.* 187. *Bullingerus Decad.* 5. *ſerm.* 5. *Hemmingius in Epheſ.* 5. *Hoſpinian. de Templis cap.* 23. & *Part.* 1. *Hiſtor. ſacramentar. lib.* 3. *cap.* 3. *Andr. Craſtovius in Belli Jeſuit. append.*, *praxi de ceremon. & canone Miſſæ, theſi* 41. & 42. *Tilenus Syntagm. part.* 2. *diſp.* 49. *theſ.* 49. 50. *Rivetus Cathol. Orthod. tom.* 1. *part.* 2. *q.* 36. & *Prolegom. in Decada Pſalm.* 5. *in Exod. cap.* 15. Perkinſus in probl. de Rom. eccleſ. catholiciſmo tit. de Miſsâ. p. 365. *Theologi Anhaltini, in Scripto cit.* apud *Eckhardum. Didoclavius in Altari Damaſceno cap.* 8. *Altingius in Syllabo controverſ. cum Lutheranis part. alterâ controv.* 3. *Ameſius c. Burges anglicè part.* 2. *p.* 404. *Calvin. in Exod.* 15. *Martyr. in Iudic.* 5. *Wendelinus lib.* 2. *theol. c.* 6. *Eccleſiæ noſtræ Belgicæ in Synodo Nationali Middelburg. anno* 1581. *ad Quæſt. partic.* 34. & *in Synodo Holland. & Zeland. an-*

Digitized by Google

no 1574. *Dordrac. Can.* 50. decernunt procurandam esse apud Magistratus abolitionem Organorum, & cantus organici in Templis, etiam extra cultum, post aut ante conciones: tantum abest, ut usum eorum in ipso cultu reciperent, nedum ut defenderent aut commendarent. Hanc earum reformationem indignè fert & taxat juratus abusuum in Papatu patronus *Sculting erus Lib.* 11. *Anacris. Hierarch. p.* 51. & 158.

Respondeamus nunc ad argumenta Adversariorum. 1. *Obj.* à mandato divino, & exemplo fidelium id V. T. qui instrumentis Musicis Deum laudabant, etiam in cœtu & cultu publico. *Ps.* 33. & 150. 1 *Paral.* 25. & 2 *Paralip.* 29. Sic *Durantes Lib.* 4. *c.* 34. *Concil. Senonense*, *Zwarez*, *Bellarmin. Molanus*, *Eckhardus. loc. cit. Corn. à Lapide in* 1 *Corinth.* 14. *Resp.* 1. Quamvis ad *Psal.* 150. responderi posset cum *Augustino*, in *Ps.* 56. *Amalario Lib.* 3. *c.* 3. (qui accipit de instrumento chordas habente) aliisque *Commentatoribus Pontif.* & *Rabbinis*, intelligi istic non hoc Organum in specie, de quo controvertitur, sed quodvis aliud Musicum instrumentum sive in genere sive in specie; & consequenter æque aut potius ad fistulæ, cytharæ, cymbali, tubæ, testudinis, æramentorum, seu campanularum, &c. introductionem in cultum publicum concludi debere; quod tamen improbat *Ceremoniale Episc. operum*, *Thomæ*; *Bellarm.*, *Zwarez loc. cit. Resp.* 2. totum illud pertinuisse ad cultum pædagogicum & œconomicum & consequenter ad infantilem Ecclesiam V. T., non minus quam thuribula, lampades, mensam cum panibus præpositionum, ornatus Templorum &c. Quæ est communis sententia & responsio omnium Nostrorum, quos supra citavimus. Cum quibus faciunt *Author Quæstion.* sub nomine *Justini*, cit. à *Bellarmino*, & *Augustinus de Civit. Dei lib.* 17. *c.* 14. dicit Davidem harmoniam Musicam exercuisse, *mysticâ rei magnæ figuratione* Deo servientem. Verba ejus citat & pluribus applicat ad mysticam Musicæ illius præfigurationem *Amalarius Fortunatus loc. cit.* Ante omnes *Thomas* 22. *Qu.* 91. *art.* 2. cum *Cajetano ibid.* Quibus adde *Chrysostomum* in *Psal.* 150. ubi dicit instrumenta illa Judæis tunc permissa fuisse ob eorum imbecillitatem: & morafiter exponit, de Deo laudando per omnia membra, oculos, linguam, &c. sicut Judæi per omnia instrumenta eum laudabant. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 457. *Si Musicæ illius, de quâ scripturæ loquitur, explanationem quæris, ad hunc modum intellige. Laudate dominum in sono tubæ: hoc est in memoriâ resurrectionis* &c. Vide reliqua. Idem lib. 2. Epist. 176. *Cum divinum numen victimas & cruores tolerârit ob sacrorum puerilitatem (τὴν νηπιότητα) in quâ tum versabantur: quid miraris, quod eam quoque, quæ per cytharam & psalterium celebratur, musicam tolerârit &c.* Citat & agnoscit hoc posterius Pelusiotæ Lorinus in *Ps.* 31. 33. *v.* 2. Cassiodorus, Haymo, Turrecremata in *Ps.* 33. 108. 150. instrumenta illa mysticè exponunt. Turrecremata in *Ps.* 150. *v.* 3. exsertè:

Pro-

Propheta quomodo ſit Deus laudandus per ſimilitudines myſticas oſtendit. Lyranus in Pſ. 150. v. 3. *Et quia in V. T. non ſolum laudabant Deum vocibus humanis, ſed etiam muſicis inſtrumentis : ideo dicitur, laudate eum in ſono tubæ, &c. & nominantur hic plura inſtrumenta muſica, quibus utebantur ſacerdotes & levitæ.* Dicimus ergo in gratiam populi V. T. peculiariter quædam externa ſenſibilia cultui publico fuiſſe addita ſive ad myſticam ſignificationem, ſive ad pædagogicam manuductionem & excitationem, ſive ad ſplendorem, & ad faciliorem abductionem atque averſionem à ſenſibili & pompatico cultu Gentilium, ſive quemcunque alium in finem; de quo jam nolumus ἀκριβῶς? Atqui crepundia iſta aut ſimilia auribus & oculis fidelium in cœtu & cultu publico nunc velle objicere, eſſet refodere Judaiſmum, & violare ſepulcrum; e. gr. cornu Jobel, tintinnabula Aaronis, tubas argenteas ſacerdotum, tibias, nablia, cytharas, cymbala, &c. cum toto Muſicorum choragio 1 *Paralip.* 25. luminaria, Cherubinos qui in tabernaculo, & ſuper arcâ, inſcriptionem in cydari, & Urim ac Tummim in pectorali Sacerdotum &c. idque prætextu reverentiæ, aut devotionis aut ſpiritualis lætitiæ excitandæ, aut eximendi faſtidii & contemtus. Quidvis pari jure ex antiquo teſtamento accerſi poſſet, uti etiam Pontificii & nonnulli qui eos præceſſerunt ſua jejunia quatuor temporum, Templa & loca ſacra eorumque conſecrationes, ſuffitus, cereos, veſtes ſacerdotales, myſticas & theatrales ceremonias in celebratione miſſæ &c. perperam hinc deducere ſolent. Vide *Durantem in Rationali, Joh. Steph. Durantum, Gavantum*, & *Joſephum Vicecomitem de Ritibus Eccleſiaſticis* & *Jus Canonicum* paſſim coll. cum *Viviani Rationali Jurũ Canonici.* Ut *Rupertum Tuitenſem*, & *Innocentium* nunc præteream; præterea omnes illos, qui Coloniæ editi anno 1568., poſtea fecerunt tomum Bibliothecæ Patrum. Denique *Scriptores Liturgicos* à Claudio de Sainctes, & Caſſandro editos. Porro nititur hæc communis Noſtrorum exceptio, axiomatis in Theologiâ indubitatis, de libertate Chriſtianâ, de diſcrimine V. & N. T. de abolitione legis ceremonialis : quarum demonſtrationes & vindiciæ ſuo loco quærendæ. Contra hanc peremtoriam reſponſionem excipiunt adverſarii 1. *Except.* "Ceremoniæ Judaicæ aliæ ſunt propriæ "Teſtamenti veteris, quæ res futuras ſignificabant; aliæ communes utrique "teſtamento; quæ non ad ſignificandas res futuras, ſed ad Deum ſimpliciter "colendum referebatur, ut flectere genua ad orationem, tundere pectus, co- "lere feſtos dies, &c. Priores fatemur Chriſtianis minime convenire, poſte- "riores autem non minus ad nos quam ad Judæos pertinere contendimus. "Hujus generis eſſe Muſica inſtrumenta, intelligi poteſt ex eo, quod Hebræi "iis non utebantur ad myſterium aliquod futurum ſignificandum, ſed ad "excitandos animos infirmos ad laudes Dei, & tædium removendum quod

Digitized by Google

"ex prolixitate Pſalmorum atque hymnorum oriri ſolet, quæ ratio locum "habet etiam in eccleſiâ N.T. &c. Sic *Bellarm. c.* 16. excipit contra Marty- "rem in 1. Corinth. 14. Similis diſtinctionis cataplaſma applicat *Raph. la Torre*; cujus verba ſupra exhibuimus. *Corn. à Lapide in Exod.* 15. perſtringit Calvinum quod Organa, tympana, aliaque inſtrumenta inter legales V. T. ceremonias per Chriſtum abolitas nuncupaverit. *Reſp. Primo*, directè contradicit *Thomæ*, Dicto *Juſtino*, *Auguſtino*, *Amalario*, modo *cit.*; qui myſterii futuri ſignificationem Muſicæ V. T. exſertè adſcribunt. *Deinde*, detur non fuiſſe typum myſterii futuri, poterat tamen eſſe nihilominus mutabilis & œconomicus cultus, illi populo carnali peculiariter accommodatus; uti rectè docet *Thomas loc. cit.*, qui non debet dici pari jure pertinere ad populum ſpiritualem N. T. Habet Fr. Junius in Exod. 15. & Pſ. 37. 2. neceſſarias diſtinctiones, ſed vulgo non ſatis obſervatas: *Quæcunque*, inquit, *res futuras præſignificaverunt, ea poſt complementum in Chriſto uſurpare eſt impium. Quæ illius Eccleſiæ fuerunt propria & ſingularia, eadem nunc uſurpare eſt ridiculum.* Et, *Eorum quæ lege imperata ſunt, alia ad rei futuræ præſignificationem pertinuerunt, alia ſingularem illius Eccleſiæ habuerunt ſignificationem.* Vide ſimilem fere ceremoniarum ſeu obſervationum V. T. diſtinctionem apud *Polanum Syntagm. lib.* 6. *c.* 10. ſub finem. Adde iis, quæ *Fr. Junius* dicit ſingularem iſtius Eccleſiæ ſignificationem habuiſſe: Illa ſignificata fuiſſe præſentia: internam affectionem & ſtatum ſpiritualem iſtius populi; vel quod ad juſtificationem ſub cautione, vel quod ad ſanctificationem, vel quod adinchoaram glorificationem in hâc vitâ. *Except.* 2. "Nulla ratio reddi poteſt cur cantus quo utebantur "Hebræi, & quo nunc utuntur etiam Lutherani, non ſit ceremonia propriè "Judaica, & ſonus Organi alicujus ſit ceremonia Judæorum propria, atque "ideo interdicta Chriſtianis. *Reſp.* 1. Rationem debuit vidiſſe Eccleſia antiqua, & intermedia, uſque ad tempora Thomæ Aquinatis aut præter propter; quod cantum admiſerit, inſtrumenta non admiſerit; & putaverit ſine iſtis pietatis exercitia publica ſe ſatis impleviſſe, ſine illo verò non ita impleviſſe. De quo *Hoſpinian. Part.* 1. *Hiſtor. ſacram. lib.* 3. *cap.* 3. "Si igitur florentiſſima illa "tempora Chriſti, Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ, annos plus minus "700. caruerunt inſtrumentis Muſicis, quis igitur jure hodie damnaverit il- "las Eccleſias, quæ iiſdem inſtrumentis carent? præſertim cum ad Judaicas "cæremonias pertineant, neque Chriſtianis magis conveniant, quam circum- "ciſio & neomeniæ? Ad except. Bellarmini, quod adhibentur propter infirmos &c. reſpondet ibid. *Habuit etiam eccleſia primitiva ſuos infirmos* &c. & *ſi vera eſſet hæc ratio, certè Deus neglexiſſet infirmorum iſtorum temporum* &c. Nec ipſe Bellarminus diſparitatem diffiteri poteſt cap. 17. p. 2686. *Nos vero fatemur, uſum inſtrumentorum Muſicorum non ita convenire perfectis, & imperfectis,*

ſectiu, & ideo in eccleſiâ ſero admitti cœpiſſe &c. Atqui Eccleſia V.T. comparata cum Eccleſia N. T. erat imperfecta & carnalis. Vide *Galat.* 3. 23. 14. & 4. 3. *Hebr.7.* 19. & 9.10. Hæc ergo ſit *prima* ratio diſparitatis, ex conditione Eccleſiæ. *Secunda*, Ratio eſt, ex peculiari modo ac ratione cœtuum eccleſiaſticorum, & cultuum in illis cœtibus. In V. T. erat & cœtus ſeu conventus univerſalis totius populi; & certus locus univerſalis quem elegerat dominus, ubi ſcil. erat tabernaculum ſeu Templum; & tempus univerſale ac ſolenne tum ordinarium (feſta ſcil.) *tum* extraordinarium (encænia 1 *Reg.*8.); & omnibus illis proportionatus quidam cultus univerſalis *tum* typicus, *tum* communiter pædagogicus, obſervationes ſcil. & cerimoniæ peculiariter loco illi, & ſolennitatibus affixæ, ſive magna & univerſalis Eccleſia Iſraelitica, ſive pars aut repræſentamen eorum illic præſens eſſet. Hæc erant diſtincta, à cultu & exercitiis parochialibus (ita loqui liceat) in ſynagogis & cœtibus particularibus. Hunc cultum mutatis mutandis certum eſt utrobique obtinere, in cœtibus V. & N.T.; quatenus ſc. conſiſtebat in exercitiis lectionum, explicationum ſacrarum; à quibus abfuiſſe preces, & gratiarum actiones non eſt veriſimile. Cantus quia non æque eſt neceſſarius, potuit abeſſe, potuit & adeſſe; *tum* quia communiter totum cœtum ædificare poterat, *tum* quia in exercitiis & Eccleſiis (ita loquar) domeſticis, eum non poſthabuerunt: ut colligere eſt ex *Math.*26. 30. ubi vide *Comentatores.* Quod autem in N.T. commodè & decorè uſurpari poteſt ſimplex cantus (cujus etiam mentio aliqua fit *Epheſ.*5. *Coloſſ.*3. 1 *Cor.*14.) non verò itidem adhiberi in ſpecie pompa illa harmonica & inſtrumentalis; ratio multiplex nunc in promptu eſt, quia non habemus templum, locum ſcil. conventus univerſalem, cujus adjunctum erat Muſica illa, non verò ſynagogarum; nec habemus Levitas, qui ſoli debebant canere in Templo: nec carnalem populum, cui debebant canere; nec cultum ceremonialem & figuratum, cui Muſica talis conveniebat meliùs, quam ſimplici & ſpirituali cultui N. T.; nec ſolennitates, & ſolennes totius Eccleſiæ conventus, quibus maximè quadrabant illæ harmoniæ. Sublato ergo tali ſubjecto, tollentur peculiaria & appropriata ejuſdem adjuncta. *Tertia* ratio eſt, quia cantus humanus λογικὸς & intelligibilis, poteſt immediatè & formaliter in utroque teſtamento eſſe pars, ſeu actus religionis exterior in Pſalmodiâ ſacra, ut in precatione ſermo ſimplex: ſonus verò inſtrumenti ἄλογος & ἄψυχος non poteſt eſſe cultus immediatus ſeu pars ejus, aut in N. aut in V.T. Nam quidquid fuit aut potuit eſſe in V. T. nihil aliud erat quam diſpoſitio ſeu diſpoſitivum ad cultum immediatum; ad excitandam ſcil. devotionem rudis populi in Oratione, de xologiâ, aliiſque pietatis exercitiis, ut loquuntur *Bellarminus*, *Zwarez*, *Thomas* &c. Porro diſtinctionem hanc cultus V. T. in immediatum & mediatum, habent *Scholaſtici*; *Gabriel*

Biel'

Digitized by Goog

Biel in 4. d. 1. qu. 3. art. 1. quamvis ibi alirer applicet. *Quarta ratio* eſt, Quia ex Scripturâ & ſtatu Eccleſiæ apoſtolicæ N. T., veſtigia aut lineamenta inſtrumentalis Muſicæ in ſacris privatis & publicis non æque demonſtrari poſſunt, ac quidem cantus vocalis: de hoc enim 1 *Cor.* 14. 15. 26. *Epheſ.* 5. 19. *Coloſſ.* 3. 15. *Jacob.* 5. 13. & antiquiſſima Eccleſiæ poſt Apoſtolos, apud *Plin. Epiſt. lib.* 10. *Epiſt.* 103. 104. & *Tertullian. Apolog. c.* 2. *Euſeb. in Hiſtor. eccleſ. Lib* 3. *c.* 27. *Iſidor. Peluſiotam Lib.* 1. *Epiſt.* 98. ubi refert etiam Mulieribus permiſſum fuiſſe ut canerent in eccleſiis: ſed de inſtrumentis ne γρῦ. Et habemus hic confitentes adverſarios: nominatim Baronium ann. 60. §. 28. *de uſu priſtino, olim promiſcuè, una cum clericis in eccleſiâ cantaſſe & populum. Quinta ratio:* Quia cantum vocalem communem fuiſſe, aut ſaltem potuiſſe eſſe & Templo, & particularibus ſynagogis Judæorum (1 *Paralip.* 25.) nemo negabit: At Muſicam inſtrumentalem in V. T. potuiſſe ex Templo traduci ad ſynagogas, aut illis pariter cum Templo communicari nemo, ut opinor, probabit, magis, quam tubas argenteas, aut ſuffitus, aut lampades. Jam vero quidquid cultus publici commune fuit univerſali Templo, & ſynagogis particularibus; illud facile concedimus & nobis in N. T. quod ad rem ipſam (periſtatica enim aut adiaphora & in ſynagogis illorum, & in cœtibus noſtris variare nihil vetat) cum Judæis eſſe commune: ſed quidquid cultus ibi proprium fuit Templo, illud nobis, itidem commune eſſe negamus. *Sexta ratio;* Cantus ſacer vocalis qui per ſe eſt pars λογικῆς λατρείας, (*Rom.* 12. 1. coll. cum 1. *Pet.* 2. 1.) admiſſus ab Eccleſiâ Chriſtianâ, non trahit tantum ſyrma, inſtrumentorum & modulorum, aliarumque V. T. formalitatum viſibilium æque ac audibilium; nec ita obumbrat ſimplicem & nudum cultum ſpiritualem in N. T. (de quo *Johan.* 4. 21. coll. cum *Galat.* 4. 9. 10.). Contra inſtrumento uno, quod omnia quaſi in ſe complectitur, admiſſo conſequentia ſolida eſt, ad omnia illa quæ *Pſ.* 33. & 150. & 1 *Paralip.* 25. recenſentur; & quidni ad tubas argenteas, quibus clangebant ſacerdotes (*Numer.* 10. 1. 8. 9.), ad peculiarem & myſticam ſignficationem victoriæ de hoſtibus ſuis? Immo quidni ad tintinnabula Aaronis in celebratione Miſſę, cornu Jobel in Jubileo Romano, inſtrumenta omnia Davidica, etiam ad tympana, & choreas ſeu tripudia & ſacerdotum & virginum in proceſſionibus Pontificiis, aut in quorumque Chriſtianorum ſolemnitatibus, & diebus euchariſticis, ex *Pſ.* 68. 26. *Exod.* 15. 5. *Septima ratio*, quia tantum periculum non eſt à cantu ſacro intelligibili, & ſimplici; quantum à Muſicâ figuratâ & inſtrumentali: ergo utriuſque non eſt par ratio. Quantum animi ab intentione & contractione virium ſuarum in ſpirituali & intimâ devotione, per oblectamenta illa ſenſibilia ad externam carnalem & mundanam lætitiam abducantur, quantumque affectus humani eâ cieantur ac conturbentur; optimè indicant ii, qui Muſicæ in-

inſtrumentalis efficaciam decantare ſolent, imprimis & anxię illę Pontificiorum antehac cit. cautelæ & querelæ. *Fileſacus Lib. 2. Selector.tit.de Cantu eccleſiaſt.§. 12. 13.* & ab illo ibid.cit. *Hieronymus, Iſidorus, Joh.Sarisberienſis lib.1. de nugis Curialium cap.6.* à cantu vocali in Eccleſiâ abeſſe vult vinnulatas, hoc eſt, molles & flexibiles voces, *μινυρίσματα*, &c. quæ *mentes emolliunt moreſque ſubvertunt*, &c. ut loquitur Sarisberienſis, Gabriel Putherbeius in Theotimo, ſive de tollendis & expungendis libris malis Lib. 1. pag.44. conqueritur organa interdum *iſtis mimis* (ſymphoniacis ſcil. eccleſiaſticis) *actoribus & choraulis melos ſonare non Pegaſeium, ſed Venerium: non Davidicum aliquid, Evangelicum aut Paulinum, ſed Maroticum, utpote ſalaciſſimum, fœdiſſimum & corruptiſſimum*, &c. *Ludovicus Miranda in Manuali Prælatorum regularium tom.1. queſt.37. artic.6.* ex Extravag. *Joh.22.* & Hieronymo in *Epheſ. 5. reprehendit immoderatos geſtus & vocum mutationes, quæ in hujuſmodi cantu communiter à cantoribus emittuntur, & fiunt in tragedorum modum, guttura & fauces dulci medicamine collinendo.* His adde *Carthuſianum*, alioſque ſupra adductos. Quibus præivit *Auguſtinus lib. 11. Confeſſion. cap. 23.* ubi periculum quod à ſuavitate cantus vocalis tam *in ἐπιπλέον* eſt, ſolicite docet evitare. Quod ſi in cantu vocali tanta cautela adhibenda: quid dicemus de organico, de quo *Navarrus de Orat. & horis canon. cap. 16. num. 30.* referente & probante l. Miranda loc. cit., quod *communiter eſt in causâ, ut non audiantur, aut ſaltem minus bene intelligantur voces, quæ canuntur in Eccleſiâ, & ut plurimum attentionem adimit eorum, qui officio aſſiſtunt divino, præſertim apud eos, qui vix explicant atque pronuntiant verba* &c. *Unde fit, ut prædictus cantus omnino operetur contrarium ejus, ad quod fuit ad inventus, atque in divinis officiis permiſſus.* Ex quibus patet, cum plus damni emergentis exſpectandum ſit, quam ædificationis ſperandum; conſequenter, dato eſſe adiaphorum & per ſe non illicitum, potius & tutius omittendum, quam promovendum. Quid opus eſt ſine neceſſitate, in re per ſe adiaphorâ (ut quidem ipſi volunt, & *Serrarius* ſupra *cit.* de inſtrumentis Muſicis, etiam de choreis loquitur) limites primitivæ Eccleſiæ, & melioris antiquitatis hic præter gredi, ac tot tantiſque abuſuum periculis ſe exponere: cum nobis divinitus nihil tale impoſitum ſit, uti Eccleſię V. T. cui & ſpecies inſtrumentorum, & ordo cantorum, & materia ac forma cantus inſtrumentalis, cum loco & tempore per Prophetas præſcripta erant: ubi propter abuſus, ipſa res omitti non poterat. *Octava ratio*, eſt ratio rationi, ſeu mavis quæſtio quæſtioni oppoſita. Quæro ex Pontificiis, quæ ratio reddi poſſit, cur ſacerdotum tubæ (*Num.10.9*) earumque cantus, habuerint myſticam ſignificationem, & conſequenter pertinuerint ad ceremonias Judæorum proprias, à nobis pari ratione ac ab illis non exercendas; & cur cytharæ, tubæ, cymbala &c. Levitarum (*1 Par. 25.* Coll.

cum *Pſ.* 33. & 150.) non habuerint aliquam myſticam ſignificationem, nec uſum proprium & peculiarem in V. T.: ut quidem *loc. cit.* ſumit *Bellarminus*, non probat. Idem poſſem quærere de lampadibus, ſuffitibus, cornu Jobel, Cherubinis in tapetibus tabernaculi, totoque apparatu & ornatu Tabernaculi & Templi. Sed ad uſum modo mihi reſpondeant, & rationem differentiæ aſſignent. Ego jam ad ipſorum quæſtionem reſpondi, & diſparem rationem cantus humani, & inſtrumentorum in ſacris ſatis evidenter, ut opinor, aſſignavi. *Except* 3. Inſtrumentalem cantum in V. T. non fuiſſe partem peculiaris cultus pædagogici & ceremonialis, ſed potius cultus perpetui & moralis, atque adeo utrique Teſtamento communis, probari videtur ex *Pſ.* 69. *v.* 31. 32. ubi opponitur cultui ceremoniali. *Reſp. Primo*, textus ille ad Chriſtum, cujus typus erat David, aut ſolum, aut ſaltem præcipuè referendus eſt, uti contra Judeos docent *Commentatores Chriſtiani*: atqui illum loco ſacrificiorum & ejuſmodi cultuum, Deum celebraſſe cantantibus Organis (uti de virgine Cæciliâ patronâ Muſicorum canere ſolent in Papatu) aliiſque modulationibus ſymphoniacis, non arbitror quenquam dicturum. Vide ipſius doxologiam *Pſal.* 22. 23. 26. *Math.* 26. 30. quam de voce intelligibili accipiendam, non de inſtrumento evincunt verba contextus. *Secundo*, de Davide Muſicæ inſtrumentalis cultore ſi accipias; nihil tamen de inſtrumentis ipſius aut de ſpeciali modo Pſalmodiæ per inſtrumenta, habet hic textus. Nulla enim conſequentia: David nôrat, & ſolebat aliquando Deum laudare adhibitis inſtrumentis: ergo hic etiam ſubintelligi debent inſtrumenta. Conſequentia hæc nititur iſtâ hypotheſi ſeu poſtulato: Nulla fuit nec eſſe debuit doxologia Davidis publica aut privata, ſine inſtrumentis. Sed hoc neutiquam probabitur. *Tertio*, Dato, non conceſſo hic exſertè mentionem fuiſſe factam doxologiæ per inſtrumenta; & de Chriſto ac populo ejus in N.T. tale quid, prædici: hoc tamen tropicè accipiendum eſſet deſumptâ metaphorâ à cultu veri Dei in V. T. qui metonymicè & ſynecdochicè denominatur aliquando, ab actu aliquo religionis ceremoniali; Vide *Mal.* 1. 11. *Ieſa.* 66. 20. 21. 23. & 19. 18. 19. 21. & *ibidem Comentatores* interpretationem hanc vindicantes contra Judeos. Quomodo etiam metaphoricè inſtrumenta *Apoc.* 5. & 14. ſint explicanda, infra indicabimus. *Except.* 4. Poſſet ad imitationem Davidis, in hâc aut illâ Eccleſiâ N.T., de novo inſtituti Organi, aut alterius inſtrumenti uſus, idque ad excitandos infirmos, aut ſimilem aliquem in finem. *Reſp. Primo.* David, & Moſes, fuerunt θεόπνευστοι Prophetæ & infallibiles Doctores: at nulli tales ſunt in N.T., pòſt exceſſum Apoſtolorum. Videant ergo, qui hoc faciunt, cujus ſpiritus ſint. *Secundo*, nemo abſque ſtolidâ κακοζηλίᾳ poteſt exemplum Davidis nunc imitari, & nova illa ἐπινοήματα ad cultum Dei adferre: quia cum non ſit Templum, nec quidquam analogum Templo, non

Digitized by Go

non poteſt eſſe cultus ſoli Templo, & ſoli ordini Levitico affixus. Ipſo enim typo ſublato, Templo ſcil. (de quo vide infra,ubi *de Templis*) ſequitur & propria illius Templi adjuncta eſſe ſublata;cum non entis nulla ſit affectio. Haut aliter ac Judæos convincimus, ſacrificia eſſe ſublata, quia Templum & altare & ſacerdotium Leviticum eſt ſublatum, tum jure, tum facto, tanquam argumento irreſiſtibili. *Tertio*, ſi in ſpecie exempla & imitationem cultus publici in N. T. nobis proponimus, non exeundum eſt ſaltem extra illum cultum, qui aut particularibus cœtibus & ſynagogis erat proprius, aut iis cum Templo communis. Quomodo autem & quouſque talis cultus nobis imitandus, in ſpecie de ſingulis ejus actibus, partibus, modis, caſibus, ultra diſquirendum eſſet.

11. *Object.* Ex *Apoc. cap.* 5. 8. & 14. 2. Habet hanc *Corn. à Lapide Commentar. in* 1. *Cor.* 11. Si in cœlo inſtrumentis laudabunt Deum, quidni in Eccleſiâ hoc fiat. *Reſp. Primo*, intelligi illic ſtatum Eccleſiæ in cœlo; non ita certo conſtat. *Secundo*, multo magis incertum eſt, fore in cœlo externam illam Muſicam inſtrumentalem, ut contendit *A Lapide in Apocalyp.* 5. Et Jeſuita *Gabriel de Henao in ſuâ Empyreologiâ Part.* 2. *Lib.* 8. *exercit.* 28. *ſect.* 4. qui probat beatos tum ex inſtrumentis Muſicis, tum ex Pythagorico orbium concentu (quod poſterius ipſi probabile eſt) voluptatem percepturos. Qui *idem Lib.* 8. *exercit.* 33. *ſect.* 2. multis ſuorum teſtimoniis, & rationibus adductis probare contendit, beatos in cœlis acturos choreas. Videat, ne homines ex cibo, potu, mensâ, convivio, in Regno Dei (quorum alibi meminit Scriptura) voluptates ac delicias corporis cum Muhammedo per eandem conſequentiam colligant. *Tertio* invitis & antiquis, & fere omnibus recentioribus interpretibus, hanc craſſam explicationem fabricat: ut ibidem fatetur. *Quarto*, ipſe ad v. 8. paulo ante dixerat: *Nota, hæc omnia non revera gerebantur, ſed tantum ſymbolicè & in viſione. Quinto*, non eſt certa conſequentia, à fictione parabolicâ, aut viſione ſymbolicâ, ad ipſius rei uſum apud nos. Vide *Commentatores ad Hoſea* 1. *v.* 2. Nec duci poteſt univerſalis conſequentia, à ſtatu Eccleſiæ in Cœlo, ad modum certum cultus eccleſiaſtici in terris.

Sexto, egregium circulum committit: nam ut Muſicam inſtrumentalem in Eccleſiis probatum ibat ex Cœlo in *Commentar. ad* 1. *Cor.* 14. ſic externa inſtrumenta Muſica realiter & literaliter in Cœlo fore, probat ex inſtrumentis, quæ hic ſunt in Eccleſiâ in *Comment. ad Apocalypſi cap.* 5. *v.* 8. *p.* 139. ut novam ſuam interpretationem evincat contra omnes interpretes veteres & novos *ibidem* ab ipſo *cit. Septimo*, Ipſe ſibi contradicens dicta *pag b.* aſſerit per cytharas metaleptice intelligi quamlibet hymnodiam, quâ Dei laudes celebrant & perſonant ſancti *ac ſi omnes citharœdi eſſent.* Paulo poſt concludit: *Cytharæ ergo hæ ſignificant ſummum beatorum gaudium & jubilum*; *Se-*

Digitized by Google

cundo, ſummam Dei laudem; Tertio, ſummam eorum inter ſe concordiam ac conſonantiam.

Obiect. III. Ex cantu Chriſtianorum in agapis *Epheſ.* 5. *Coloſſ.* 3. & 1. *Cor.* " 14. 26. in quorum locum ſucceſſere lectio epiſtolæ & euangelii, ac can- " tus organaque in miſsâ. Sic Corn. à Lapide in Eccleſiaſtic. Syrach. c. 32. 5. ubi concludit: *Hinc patet Muſicam & organa rectè adhiberi in templis, tum ut Deus per illa laudetur, tum ut populus ad devotionem & ſpiritualem lætitiam excitetur.* *Reſp.* 1. Non valet conſequentia ab agapis, ſeu conviviis Chriſtianorum, ad cultum publicum ſeu eccleſiaſticum: quomodo ipſe Bellarminus pag. 2085. excipit ad objectum teſtimonium Clementis Alexandrini ex Pædagog. lib. 2. c. 4. *Clemens*, inquit, *loquitur de conviviis, non de officio eccleſiaſtico.* Quid fuerit agapa, quæ ejus inſtitutio, & habendi ratio, & quando ac quomodo ceſsârint, alibi explicatum eſt. Suffecerit hic conſentientibus Pontificiis, repetiiſſe, fuiſſe convivia, non religionis exercitia: ibique multa decorè potuiſſe fieri, quod ad cantus, confabulationes, antiquitatum aut novitatum narrationes, hilaritatem convivalem &c. quæ ad eccleſiaſticum cultum traduci, nobiſcum nolint Pontificii. 2. Cum agapæ, non ſine ratione celebrari deſierint in Eccleſiis Chriſtianis: utique adjuncta earum nulla ſunt; nedum ut in cultu divino quidquam præſcribant. 3. Dupliciter malâ conſequentiâ à cantu vocali in conviviis diſcurritur ad Muſicam inſtrumentalem in cultu divino. In Agapis nulla habebant inſtrumenta Chriſtiani, ut colligere eſt ex *Tertulliani Apolog. c.* 39. & *Clementis Alexandr. cap. cit.* Quod velim à Lectore totum evolvi. Tantum abeſt, ut inſtrumenta probet in conviviis, aut in ſacris; ut potius in alterum extremum contendere videatur, & plane à Chriſtianorum modeſtiâ & moribus omnem chromaticam harmoniam relegare.

Obiect. IV. Quia Deus laudatur organorum cantu, manu æque ac linguâ, & utrâque pariter cum corde, & refertur talis ſonus inſtrumentorum ad gloriam Dei. Sic *Bellarminus, Eckhardus, Corn. à Lapide in Syracid. c.* 32. imprimis in 1 Cor. 14. ubi comendans uſum Muſicæ in templis, hanc rationem in acie collocat: *Ut ſicut non tantum ſpiritu, ſed & corpore conſtamus, Deumque laudamus: ſic non tantum voce, eâque concordi & pulcerrimâ, qualis eſt Muſica, ſed & inſtrumento laudemus. Omnis enim ſpiritus, omnis creatura, omne inſtrumentum laudare debet Deum, quem omnis laus decet.* Argumentum hoc eſt: Homo debet Deo omnem laudem; ergo & Organo. Item, qui omnibus inſtrumentis debet laudare Deum, ei manu non minus licet, quam voce hoc agere: immo ei expreſſe mandatum omnia membra, totum corpus θυσίαν ἐνάρετον (*Rom.* 12. 1.) ſiſtere Deo. *Reſp.* Multis modis peccat hoc argumentum. Nam 1. confundit generalem & communem quamcunque relationem

Digitized by Google

lationem omnium operum noſtrorum in politiâ, œco-nomiâ, in vitâ animali, civili, ad gloriam Dei (juxta textum 1 *Cor.* 10. 31. & explicationem Orationis dominicæ in *Catecheſi noſtrâ quæſt.* 122.) cum formâ operis ſeu actus alicujus religiosâ. Aliud eſt actus religionis elicitus, & aliud eſt actus imperatus. Edere & bibere, pharmaca ſumere, aut miſcere & præſcribere, pugnare pro patriâ, juſtas cauſas agere in foro, plectere latrones & fures, purgare plateas, domos, veſtes, vaſa, &c., deambulare, equitare, diſcipulos aut liberos docere, domum fabricare, agrum colere, pingere, ſculpere, veſtes induere, barbam radere, omnes denique humanæ actiones debent referri ad gloriam Dei, & conſequenter debent dirigi per virtutem religionis; non tamen formaliter ſunt actus aut pars religionis, nedum cultus eccleſiaſticus; nec etiam decorè adhiberi debent in cultu publico tanquam ejus pars exterior, aut profeſſio, aut ordinarium & ſtatum adminiculum, ſpecialiter ad ejus perfectionem ordinatum. 2. Negamus ſonum inſtrumenti, & tactum manus (quo ſonus ille cietur) pari paſſu poſſe ire cum voce humana, in exercitiis pietatis propriè & formaliter ita dictis, ſeu cum actibus religionis elicitis. Nam vox ſufficit ad integritatem iſtius actus ex. gr. orationis aut doxologiæ, quod ad partem ſcil. cultus exteriorem quam Deus præſcribit & requirit (hypotheticè, poſitis ſcil. ponendis:) ſed inſtrumentum non ſufficit, quia nullam λογικὴν intelligibilem vocem profert, quâ animi conceptus, & affectus rationaliter exprimantur & ducantur: ita ut ipſi intelligenti Muſico nihil præſtet modulatio Organi, niſi reflectendo ad verba & voces modulatione illâ quamvis vagè, abſtractè & communiter admodum deſignatas, & ſic per voces illas immediatè & proximè exprimendo animi ſenſa, & rationalem devotionem teſtando ac promovendo. 3. Dato, ipſum Organiſtam cum manu cor ſuum; & forte pauculos alios qui aut hymnum latinum (ſiquidem ſimul ore canerentur) aut modulationem, ad quam verba hymni & vice versâ aptari poſſent aut ſolent, intelligeret, cum inſtrumenti ſono & cor conjungere (quamvis hoc ſit ex raro contingentibus:) quid inde effici poteſt ad ordinarium cultum, ac devotionem, quem per ſe ac ſuâ natura exerceret aut compleret Muſica organica? 2. Rurſum dato, eſſe talem religionem organicam & hymnologiam tum Organiſtæ, tum aliorum, qui gnari atque aſſueti verba ſacra ad talem modulationem, & vice verſa, actu referre; ordinario Deum piè celebrent corde, ore, manu: ſed quomodo nunc univerſa Eccleſia uno corde, ore, manu Deum celebrat? aut quomodo ad hanc prophetiam & hymnologiam dicunt, Amen? In Cœtu eccleſiaſtico non ad caprum aut genium privatum alicujus aut aliquorum exercetur cultus, ſed ad communem ædificationem; uti invictè probatur ex 1 *Cor.* 15. Si quis prophetiâ aut hymnologiâ ſuâ ſe ædificat, & non univerſam Eccleſiam; ei *Apoſtolus ibidem* imponit ſilentium. 5. De-

nique ſatis imperitè & periculosè dicitur: Non tantum ſpiritu, ſed & corpore conſtamus; ergo non tantum actionibus linguæ, ſed & aliorum memborum religionem ac cultum publicum in formâ exercere, Deumque hoc pacto in Eccleſiâ celebrare debemus. Si hinc elicerem; Ergo & militares ſeu armatas choreas aliaſque licitas virorum cum viris, fœminarum cum fœminis in honorem Dei & teſtificationem lætitiæ ſpiritualis exercere convenit: ne quid dicam de complosione manuum, tripudiis Davidis, chorագiis Iſraelitarum, quorum Scriptura etiam meminit: debent enim, pedes, & poplites, & reliqua membra corporis, divinis laudibus conſecrari. An non viderent hujus conſequentiæ τὸ ἄτοπον? Pluribus iſtius farinæ abſurdis, ſumptis à ſibilis oris, &c. *urgere poſſem*: ſed puto hæc ſufficere.

Denique nulla religioſa hic celebratio Dei, niſi quæ per ruinoſas diſtinctiones operis operantis & operati; devotionis atque attentionis, in virtualem, habitualem, actualem; ſuſtentari debet. Hinc etiam definiunt: Conductos Cantores ad pſallendum horas canonicas in choro, non peccare mortaliter non habendo attentionem. Sic *Zwarez lib. cit. c.* 14. & Malderus in 2 2. tract. 10. c. 2. dub. 2. p. 645. Ad Objectionem: *Ita fieri poſſet, ut nemo in oratione publica verè oraret.* Reſpondet *Malderus*, Satis eſſe, quod totum corpus oret: "adſunt enim & vel ob hanc cauſam omnino convenit ut adſint Clerici, qui "ex obligatione devotionem habent, & ſimul pſallunt; & cenſetur totum "corpus etiam per voces eorum, qui conducuntur, Deum laudare. Atque hęc "egregia illa divini nominis celebratio; quam Pontificii prætendunt; & cum iis *Eckhardus*, dicens non minus latinis cantionibus glorificari Deum, quam Germanicis. Si addidiſſet, ab intelligentibus latinam linguam; aliquid veri dixiſſet: ſed parum appoſitè ad rem præſentem. Quæſtio enim eſt de Cultu ſeu parte Cultus eccleſiaſtici, quâ Eccleſia communiter ædificetur, & Deus adoretur, celebretur: non de cantu ſcholaſticorum, qui latinâ linguâ ſibi æque ac vernaculâ, intellectâ Deum invocare, orare, laudare poſſint.

Object. v. "Quia excitat audientes, præſertim plebeios ad devotionem, "ſicut David & Elizæus per pſaltes & pſalteria excitabantur: & ſicut excita-"bant Saulem & alios ad Dei laudem. Sic *Lapide in* 1 *Cor.* 14. Eckhardus loco cit. dicit; excitari homines *ad devotionem & alacritatem ſpiritus.* Exemplis Saulis & Heliſæi, addit, *Auguſtini in Libr. Confeſſ. & Ambroſii*; qui teſtantur ſe Muſicâ harmoniâ ita affectos fuiſſe. *Bellarmin.*, *Zwarez*, & plerique alii Pontificii, tenuiter admodum & trepidè prætexunt, infirmos & rudes ad laudes Dei excitari: *Quæ ratio*, inquit, Bellarmin. *etiam locum habet in* N. T. *Non enim deſunt in eccleſiâ, multi infirmi & rudes, qui ejuſmodi fomentis iuvandi ſunt.* Adde quæ *A Lapide in Syrac.* 32. & *Apoc.* 5., & *Alph. Mendoza in Quæſt. qu.* 3. §. 4. & ex Judæis recentioribus *Menaſſe Ben Iſrael Conc. in Num. q.* 4. ad efficaciâ Muſicæ

Muſicæ deprædicandam partim ex *Hiſtoriis* partim ex *Aureis legendis ſeu Tabulis veterum Plinii, Homeri, Senecæ, Plutarchi, Æliani, Platonis, Agellii, Martiani Capellæ*, &c. à *Rhodigino*, aliiſque congeſta repetunt. *Reſp.* tot abſurda in ſe comprehendit hoc argumentum, ut fere neſciam unde incipiendum. 1. *quam* ergo oblivioſi aut parum devoti fuerunt Apoſtoli, Viri apoſtolici, Patres, eum totâ apoſtolicâ. & antiquâ eccleſiâ, quod infirmis & rudibus non melius conſuluerint. 2. *Repugnat* experientiæ, excitari & elevari hominum (ſaltem plerorumque, aut multorum;) animas ad majorem devotionem: quod ipſis Pontificiis Doctoribus ignotum non eſſe, indicant ipſorum (ſupra citatorum) quærelæ de præteritis & quidem perpetuis ac univerſalibus abuſibus; inſuper eorum metus & anxiæ cautelæ de futuris. 3. *Efficaciam* talis Muſicæ agnoſcit quidem *Ariſtoteles Lib.*8.*Politic.* & cum illo *Aquinas*, & imprimis *Clemens Alexandr. loc. cit.* ſed potius ad vanitatem, animi mollitiem, brutalem ferociam, alioſque affectus &c. in homine extitandos. 4. *Quin* contra hodiernam Muſicam eſſe effœtam, nullamque habere efficaciam conqueritur Puteanus in Muſathenâ: *Hodie;* inquit, *in umbrâ tantum illius artis canimus, aut pſallimus, fuco quodam non ſolum difficiles. ſed etiam languidi. Ubi Aſclepiades, ubi Damon, &c. At noſter omnis cantus & conatus inſidias quaſdam auribus facit, animum non capit. Scilicet in divinam hanc partem vis quædam divina valet, quæ in noſtrâ ſe Muſicâ hactenus quærit non invenit: in veteri fuit & innotuit.* Eſt vir eruditus & eximius Muſicæ artifex in Belgio, qui idem contendit, contra omnes fere hodiernos artifices & dogmaticos & practicos, præſtantiſſimas eorum cantiones harmonicas tantum adulari auribus, eaſque blandâ & ſenſibili quâdam voluptate radere, non verò affectus penetrare; itaque cenſet Muſicam veterum λογικὴ & ψυχαγωγικὴ revocandam: & ipſe ſpecimen aliquod dedit, quòd vidimus, ſed ἀνίκητον. De Muſicâ illâ veterum deperditâ vide *Pancirollam* & *Salmuthum Rerum memorabil. deperditar. tit.* 40. ubi & alii autores citantur. Corn. à Lapide in Comment. ad Apocal. 5. pag. 110. extollens miracula Muſica veterum, idem haut obſcurè fatetur: *Veteres*, inquit, *in biſce Muſicæ tonis excelluerunt, ut ad libitum variando tonum & modulationem, nunc ad ri'um, mox ad fletum, inde ſubito ab bilem audientes concitarent, ita ut eorum affectus viderentur habere in ſuâ poteſtate. Tales etiamnum ſunt nonnulli,* (ergo vulgares Organiſtæ & chorales Muſici non ſunt,) *præſertim in Italiâ.* 5. *Non ſequitur:* aliqui, aut quia gnari Muſices; aut quia peculiari genio quodam Muſico ſenſibilibus illis ita afficiuntur; aut quia quamvis planè ἀμούσοι mobiles animi motus externis quibuſcunque objectis etiam confusè apprehenſis facilè cientur, haut aliter ac in infantibus: Ergo talis Muſica in publico cultu decorè & utiliter adhibetur. Eſt falliſſima conſequentia. Eccleſiaſtica religionis exercitia debent communiter omnes ædificare; & omnia monopolia

Digitized by Google

lia procul inde abeſſe. Quod ſi hic aut ille pro genio, aut diſpoſitione, aut peritia, aut conſueto ſtudio & exercitio ſuo, hâc aut illâ re externâ magis afficitur (trahit enim ſua quemque voluptas); eâ potius ad honeſtam oblectationem, aut ſubinde ad occaſionem ſpiritualis oblectationis privatim & moderatè utatur, fruatur: ſic tamen ne degeneret in aliquod ſacramentale, aut ſignum myſticum ſeu religioſum: non verò ad ſuum genium, trahat volentem nolentem univerſam Eccleſiam, aut ad eum inflectat publicum ac communem cultum. Breviter per quod omnes communiter per ſe ædificari poſſunt ac debent, illud ex præſcripto verbi divini in Eccleſiam introduci poteſt: at talis eſt Cantus ſacer λογικὸς & intelligibilis; organicus non item; Ergo. Majorem vide invictè probatum ex 1 *Cor.* 14. 11. 12. 16. 17. 19. 24. 25. 26. 28. Minorem probo; quia multi, immo plerique in Eccleſiâ partim modulationem non capiunt, partim eam ſi capiant ad verba ſacra aptare nequeunt, partim ſunt ἀναίσθητοι aut quod ad totam Muſicam, aut ſaltem quod ad organicam; partim qui quodam modo afficiuntur, aut ſimplicè & ſuavi cantu vocali unius cantoris aut cantatricis, aut inſtrumentali unius, & forte alterius inſtrumenti, magis capiuntur, quam artificiali & chromaticâ variarum verum aut inſtrumentorum ſymphoniâ. Quod ſi ergo Organicæ Muſicæ ζηλώσις tantum tribuitur, ut in gratiam eorum in Cultum publicum introducatur; cur non pari jure ζηλώσις aliorũ inſtrumentorum ex.gr. cornu, teſtudinis, cytharæ, fidiculæ, cymbali, tubæ, &c. eorum introductio concedatur? & quis tum finis? Videmus ergo quam malè aut bene privatus genius, zelus, & privatum ſecundum illum zelum, intervallum aliquod raptus & excitationis ad devotionem & ſpirituales affectus allegetur, ad pnblicum Muſicæ organicæ, aut alterius cujuſcunque inſtrumenti uſum introducendum. Ad privatum uſum valeat conſequentia; & hic terminus eſto. Si meam experientiam & ζῆλον ſecundum peculiarem ac privatum affectum, nec non aliquam Muſicæ chromaticæ cognitionem hic ſequi vellem, utique in publicum & quidem frequentem uſum facile inclinarem. Sed prohibet ædificatio Eccleſiæ, & rationes hactenus allatæ: Itaque genio & ἔθει noſtrę fibula hic imponenda, immo in totum abneganda potius, ne aut nos, aut unum aliquem ex minimis ſcandalizemus *Mat.* 18. 6. 7. 8. 6. Quę pro efficaciâ Muſicæ ex Scripturis adducuntur; ad hanc rem nihil faciunt. Sauli fuit inſtar medicamenti aut pharmaci alicujus, quo melancolica intemperies corrigitur, & paroxyſmus melancolicus ſiſtitur aut lenitur. De quo egimus in 1. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Dæmonibus*; & 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de ſuperſtitione append.* 1. *probl.* 8. Sed quid, ad effectus ſpirituales? Heliſæi exemplum habet quid peculiare: ne ergo προφητεία Judaicâ adhibeamus cantum inſtrumentalem ad prophetandum: quaſi ſcil. eſſet aut medium ordinarium, aut

ſignum

Digitized by Google

ſignum ſacramentale chariſmatum, ut flatus Chriſti *Joh.* 20. linguæ igneæ & ventus *Actor.* 2. impoſitio manuum *Actor.* 8. & 19. 7. *Quæ* ex Auguſtino & Ambroſio citantur, nihil habent de cantu inſtrumentali, de quo hic quæritur, ſed tantum de vocali & intelligibili. 8. *Ex veteribus* Thaumatographis, quæ de ψυχαγωγίαις, & inſtructionibus ad virtutem celebrantur; ea magnam partem ad *Lipſii Collectanea de Elephantis* (*Centur.* 1. *Epiſtol. ad Belgas.*) & ſimiles *Fabulas* ſeu *Aureas Legendas phyſicas apud Plinium, Ælianum &c.* ablegamus 9. *Quidquid* ſit de efficacia Muſicæ in genere, conſequentia tamen ad efficacem excitationem in pietate ſeu devotione eſt vitioſa, & ſimilis fere illi ſoritæ. Qui bene bibit, bene dormit; Qui bene dormit non peccat; Qui non peccat erit beatus: Ergo qui bene bibit, erit beatus. Sic, Qui audiunt Muſicam organicam, illi moventur; Qui moventur: illi moventur ad affectus doloris, lætitiæ &c.; Qui moventur ad affectus illos, moventur ad virtutem ſeu ad affectus bonos; Qui ita moventur, illi moventur ad affectus ſpirituales & formaliter religioſos, doloris ſcil. ſuper peccatis, lætitiæ in domino, & communione noſtri cum illo; Qui ita moventur ad effectus ejuſmodi ſpirituales, illi devotiſſimè exercent religionem, & cultum publicum; Ergo qui audiunt Muſicam organicam, illi optimè & devotiſſimè exercent cultum publicum. Omnes præmiſſæ ſunt aut falſæ, aut particulares, aut laborant fallaciâ accidentis. Neque enim Organi cantus per ſe & ex ſe facit exteriorem actum religioſum? neque eſt ejus cauſa impulſiva, nec diſponit ad majorem ac meliorem devotionem. Aliquibus & aliquando tantum occaſio eſt, aut eſſe poteſt, & quidem remota, ad alacritatem & excitationes in gaudio & hymnodiâ ſpirituali, illis ſcil. qui capiunt & materiam, & formam cantus, & vim harmonicæ modulationis; quique hoc aut illo tempore peculiariter diſpoſiti ſunt, ad modulationem harmonicam cum tono hymni, & tonum cum verbis ſacris, & verba cum conceptibus mentis ſuæ conferenda & conjungenda. Sed ut propter hæc particularia, & per accidens ac raro contingentia; ordinarium, perpetuum, & communem cultum, ſeu modum cultus in Eccleſiam quis introducat; videtur omni ratione cavere. 10. *Quod ſi*, à cantu humano λογικῷ & intelligibili, ad cantum inſtrumentorum nullos conceptus mentis noſtræ diſtinctè repræſentantem, deflectimus, prætexentes finem eſſe gloriam Dei, & effectum eſſe excitationem ad devotionem: jam non video quâ ratione infinita alia iſtius generis fomenta (uti vocat *Bellarminus*) & incitamenta in ſenſus noſtros, præcipuè auditum & viſum incurrentia, à cultu publico arcere poſſimus, Detur ratio, cur Organa in Templa inferre liceat; Picturas vero, rerum & Hiſtoriarum ſacrarum & profanarum, adhæc Theatra quævis rerum & θεαμάτων naturalium, & artificialium, Comœdiarum aut Tragœdiarum, non liceat? Cum præſentem referat quælibet herba

Digitized by Google

Deum ; cum in naturæ & artis operibus, ſeu toto ſpeculo macrocoſmiço & microcoſmico, ſapientiam, potentiam, bonitatem, pulcritudinem Dei noſtri contemplemur ; immo ipſa ſuo modo Deum, & cultum Dei nobis prædicent *Pſ.* 8. & 19. & 104. *Rom.* 1, 19. 20. cum *Actor.* 17. 24. 25. 26. 27. 28. De omnibus illis, nominatim etiam de Picturis mimeticis & dramatis &c. dicant quod Poeta:

Segnius irritant animos demiſſa per aures
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.. ——

Erunt plures non infirmi tantum, ſed & firmi, qui dicent ſe magis excitari ad devotionem aſpectu loculorum, ſceletorum, craniorum (quibus utuntur, in hunc finem devotiſſimi in Papatu,) quam auditu Muſicę organicæ. Erunt alii qui dicent, ſe Tragœdiis aut Comœdiis ſacris piè &c. graviter exhibitis, aut ſuaviſſimo & fracto cantu unius hominis hymnos ſcil. vernaculè cantantis, magis moveri ad pietatem, quam Organis, aut pſalmodiâ chori, aut totius Eccleſiæ, imo quam plurimis concionibus. Erunt denique qui ornatu templorum, utenſilibus, cherubinis, lampadibus &c. Qui ceremoniis Judaicis, & Judaico-Pontifi-iis, ad majorem reverentiam ac devotionem ſe excitari prętendent. Ergone ad quoruncunque palatum cultus publicus, in omnes formas vertendus ? omnia illa craſſa & ſenſitiva auxilia & fomenta Eccleſiis N.T. obtrudenda ? De variis incitamentis ἀναισθήτοις ſupra diximus; nec repeto. Addo eſſe non paucos, qui magis ducuntur concionibus, quæ fuco rhetorico ac goëtico illo antiquorum Rhetorum doctrinam Euangelii ineptè & profanè (meo judicio) pictam proponunt, & verbis tinnientibus magis aures radunt, quam cor compungunt. Eſſe ex Literatorum genere qui maximè afficiuntur Scripturæ ἰσηγελίῳ, cum textus originali linguâ pronuntiari audiunt: & certè longe excellentior eſt hic guſtus ſpiritualis, quam qui habetur per Organum. Vide *Hiſtoriolam de Morbo & Morte* magni illius *Pleſſei*. Quid ſi ergo in eorum gratiam omnia dicta Scripturæ pro concione citentur Hebraicè, & græcè, uti in Papatu citari ſolent Latinè? Quid dicam de cantu avicularum, de ſuavi murmure & ſuſurro aquarum, ventorum, ſylvarum &c.? Sed dices hæc omnia tam commodè nec ita decore haberi aut exhiberi poſſunt in Templis? Habeant ergo quælibet Eccleſiæ ex omnibus illis quantum poſſunt; & dicite nobis,, quænam Jure divino aut ratione naturali non haberi debeant. Sed labyrinthum fecerunt ſibi Autores hoc argumento. 11. *Sed ut* magis ad abſurdum redigam ſic ratiocinantes, quęro; unde organica Muſica habeat illam efficaciam, ab inſtituto & promiſſione ſupernaturali Dei, an verò à & ex naturâ ſuâ? Si illud; jam erit ſacramentum, aut ſaltem ſacramentale. Sed neutrum eſſe, aut Organa, aut ullas res, quas vocant, ſacras, probamus, *part.* 3. *ſel. Diſput. tit. de Benedict. & Sacramentalibus.* Sin iſtud; jam deberet directè, immediatè,

tè, & per ſe hoc agere per modum cauſæ, aut ſigni naturalis. Atqui ἄλογος Muſica organica, nec eſt ſignum conceptuum, nec cauſa directè & immediatè movens & ducens mentem rationalem; quia non eſt vox articulata ſignificans ex inſtituto conceptus & res ſpirituales, per quas & circa quas Eccleſiæ devotio: conſequenter non eſt pars, aut actus exterior, aut modus ſeu modificatio cultus publici ad communem ædificationem eccleſiæ; imprimis rudiorum: abſtrahit enim ſonus ſeu modulatio illa à materiâ ſacrâ & profanâ, bonâ & malâ: & neutram per ſe & ſuâ naturâ ſignat aut repræſentat. 12. *Rurſum* ſic deduco ad abſurdum. Siquidem utilis hæc Muſica, aut infirmis, aut perfectioribus, aut Muſicis, aut Amuſicis. Quod ſi aliquibus ex illis, utilem eſſe probari poſſet, nihilominus causâ cadunt: quia cultum communem Eccleſiæ omniumque exercitationem, & ædificationem non debere verti in monopolium, aut *ἰδιοσυγκράσιαν* ſupra oſtendimus ex 1 *Cor.*14. Attamen ex inductione evincimus, nullis ipſorum admodum utilem eſſe. *Primò* non infirmis & Muſicæ imperitis; quia vix centeſimus ex illis chromaticam illam harmoniam audire ſuſtinet; malint audire pium aliquem hymnum à ſuaviſſimâ voce humanâ & quidem cantu fracto cantatum, fortè & cum unius baſſi contrapuncto: talem melodiam ſuo modo capiunt. *Secundo* non firmis & Muſicæ peritis: quia periculum eſt ne à perfectione devotionis ſuæ abducantur magis per ſenſibilia iſta, & conſuetæ voluptati quam ordinariò ex Muſicâ ſuâ percipere ſolent, immergantur magis, quam ad faſtigium ſpiritualis perfectionis extra & ſupra ſe ac ſenſus ſuos eleventur: de quo confer *Theologiæ Myſticæ autores alibi cit. ubi agimus de Meditatione.* Præterquam quod concluſum jam ſit, firmos & perfectos in devotione tam infirma ſenſuum adminicula non requirere. Vide ſuprâ *Zwarez*, *A Lapide*. *Bellarmin. loc. cit. Tertio* non infirmis ſeu rudioribus, & Muſicæ peritis: quia periculum eſt, ne mentes eorum ſuavi iſtâ Muſagogicâ *ἀπάτῃ* & *γοητείᾳ* nimis ſæpe & forte nimis ſenſibiliter affectas, magis ac magis diſtrahamus, & in ventum vanitatis diſſipemus, ut tanto minus ad fundum, nuditatem, caliginem, ſilentium &c. (terminis eorum myſticis hic utar) ſpiritualis contemplationis perveniant. Adhæc, quia inter illos puto eſſe complures, qui ſi quotidie aut ſæpe, aut diu audiendum eſſet, malint audire concentum fidicularum digamba (ut vocant); alios qui teſtudinem, panduram, aut cytharam; non paucos, qui cornua aut fiſtulas; complures denique, ſi qui cordi ſuo occaſionem aſcenſus ad aliquem ſenſum aut guſtum divinæ commotionis ſeu tactus offerri velint, quaſdam melodias ex, *Dodecachordo* & ex *Octonatiis de Vanitate mundi Claudini le Ieune*, aut quaſdam ex ejuſdem *Pſalmis en vers meſurees*, ant ex *Motettis Orlandi, Pevernage, Marenzii, Prætorii, Finetti*, aliorumque quorumdam *artificum Italorum Motettis de domino Ieſu*, & *Veni in hortum meum*, &c. eximiis

Digitized by Google

vocibus humanis (unico forte atque altero inſtrumento lenius ſonante admixto) cantari. Inter quos ego nomen meum profiterer. Addo, ſi liceat experientiam cuique ſuam allegare, me cantu *Odæ* cujuſdam Latinæ *de Viâ æternâ*, quam modulationi 41. vocum aptavit *Alexandro Striggio*, maximè commotum fuiſſe, cum olim adoleſcens Lugduni Batavorum bis aut ter, ni fallor, ejus cantui intereſſem. Ne quid dicam de *Ode* quadam ſex vocum *Petri Philippi*, quæ incipit: *Quæſta vita mortale*, &c. quam nunquam non, quod ſciam, ſine affectu & commotione cecini, cecini autem ſæpiſſimè. Sed plus ſatis ad ἰδιοσυγκρασίαν, & privata pſychagogica jam divertimus: Et quid illa ad communem ac ſimplicem cultum in Eccleſiâ? *Quarto*, non denique infirmis Auditoribus, & quidem Muſicæ imperitis. Illi enim minime hanc Muſicam requirunt; minimè ea moventur, ſaltem ad devotionem; minime in divinis λογικῶς moveri & ad montem contemplationis ſubduci poſſunt. Provoco ad experientiam: quære ex illis, quot paſſus in contemplationis aut devotionis ſtadio, ſonante Organo, unquam decurrerint. Confuſos, merè ſenſitivos, & brutales motus eorum non nego: ſed illos etiam ſentiunt Infantes, immò & bruta. Mera ergo σφάλματα eſt rudis popellus, qui rarius audiunt Muſicam illam; immo in pleriſque Eccleſiis vicanis nunquam: ipſi Clerici qui chorum frequentant (& quidem plerumque ſine Cœtu eccleſiaſtico) hoc eſt, perfectiores, imprimis Muſicæ amatores ſunt ἄτοπα; illi ſunt Eccleſia tunc repræſentans. Atqui perfectiores non indigere ejuſmodi fomentis, ſupra concluſum eſt. Et quidquid in gratiam rudiorum ac carnalium, imprimis ex ordine Principum, Magnatum, Aulicorum hic fieri conſuevit, (quibus ſelectiſſima & rariſſima Muſica inſervit), id totum eſt oleum camino addere: ut homines plerumque carni, vanitati & quotidianis deliciis devoti, prætextu cultus divini ſecuri, in medio ſacrario, reddantur magis vani, leves, & carnales. Provoco ad experientiam, & ad epithetum Muſicæ inſtrumentalis apud *Autorem antiquum* ſub nomine *Juſtini Martyris*, *Quæſt.* 107. ubi dicit inſtrumenta illa eſſe νηπίοις ἁρμόδια. i. *inſipientibus* (vel pueris) *congruentia*, ideoque uſum illorum ex Eccleſiis ſublatum. Et quæ *Ammian. Marcellinus Lib.* 34. & *Clemens Alexandr.* ſupra *cit.* de delicatâ & molli inſtrumentorum Muſicâ pronuntiant. Reponantur hic quæ ex *Thomâ*, & *Carthuſiano* ſupra, & mox infra ex *Navarro* & *Cajetano* exhibemus. Sed *Inſtant*: Infirmis tamen, & carnalibus hâc ratione conſultum fuit in V.T.: cum non minus nunc tales inveniantur, quam olim. Sic *Zuarez*, & Bellarminus loc.cit. *Utebantur*, inquit, *inſtrumentis ad excitandos animos infirmos ad laudes Dei, & tedium removendum &c. Quæ ratio locum habet etiam in N. T.: non enim deſunt in Eccleſiâ multi infirmi & rudes, qui ejuſmodi fomentis curandi, &c.* *Reſp.* Sed dupliciter peccat hæc exceptio. *Primo*, quod dicat infirmis in V.T. comparatè ſic dictis ad perfectiores

Digitized by Google

ctiores ibidem, destinatum fuisse hoc remedium. Atqui contrarium verum est: perfectis,Levitis scil., Sacerdotibus,immo & Propheris, ut Davidi, maximè fuit appropriata hęc musica:illi in Templo hanc exercebant,illi audiebant; illi intererant,uti nunc Clerici faciunt chorum frequentantes: plebei & rudiores raro ; nisi in magnis festis. Et si infirmioribus in Israel propriè hoc tanquam ordinarium excitandæ devotionis remedium destinasset Deus, utique in Synagogis quique suis illud habuissent. *Secundo*, quod torquens aut refutans sententiam Thomæ de populo carnali, perperam populum N. T. pari ratione infirmum, imperfectum, & carnalem faciat. Hoc enim διαμέτρως repugnat Scripturæ; quæ propter diversam fœderis dispensationem (de quo vide *Loc. comm. de Fœderibus & Testamentis*) comparatè Ecclesiam N. T. universè & indefinitè sic sumtam, vocat populum spiritualem,perfectum, &c., adeo ut etiam minimus in Regno Dei major sit Joh.Baptistâ *Matth.* 11. 11. Confer *Luc.* 10. 23.24. *Johan.*2.23. 2 *Cor.* 3.10.11.17.18. *Gal.* 3.24.25.26. & 4.1.2.3.4. *Hebr.*7.18.19. 12. *Dato aliquam* utilitatem particularem, aut per accidens, à Musicâ hâc exspectandam,quotiescunque in peritum Auditorem, aut ζηλώτῳ, aut in animum jam per devotionem dispositum inciderit: hoc tamen utile tam pauxillum est, ut damnum emergens metuendum, longè majus sit: & consequenter huc applicare possint Pontificii, illud *Pii II. de Conjugio Clericorum*: Fuisse olim rationes, cur Ecclesia prohiberet; sed nunc majores esse cur deberet permittere. Vidit hoc satis Navarrus de Orat. & Horis cap. 17. *Harmonia*, inquit, *organorum non tanti facienda est, quanti eam vulgus facit, existimans Deo non decenter serviri ubi ea non sunt. Nam licet aliquantulum prosint imperfectis, & indoctis Christianis, excitando (licet ex longinquo) ad devotionem: doctis tamen & in Christianismo solidè fundatis, communiter nocent, adimendo illis intellectum verborum, qui longè efficacius devotionem excitaret, & adaugeret.* Quam Navarri sententiam tacitè probat *Molanus lib.2. de Canon. c.20.* Audi & Cajetanum in 22.Qu.61.art.2. *Et licet per se loquendo hoc sit verum* (non admittenda scil. esse instrumenta in sacris) *potest tamen per accidens tolerari* (N.B.) *extensa jam consuetudo Organorum, propter nimiam elongationem hominum à divino cultu, ut vel sic allecti divinis intersint. Qui tamen Organa in Ecclesiâ medicinam animæ à remotis esse cogitaverit, parcè illis utetur, ne sanis noceat, minuendo vel tollendo eorum devotionem.* Paulo ante dixerat de cantu in genere; *Cavendum esse, ne cantetur causâ nostræ delectationis vel alienæ in ecclesiasticis officiis.* Videatur *Jus canonicum*, & ibi *Hieronymus* cum *Gregorio M. dist.92. c. cantantes* & *c. Ecclesia Romana*; & *Glossa ibid.* Supra omnes *Augustinus Lib.* 10. *Confess. cap.* 33. Si cantus intelligibilis tot tentationibus & insidiis patet, pluribus certè obnoxius erit cantus organicus. Et quid opus est istis pedicis, & periculis, Ecclesias nostras induamus?

Digitized by Google

Semper enim ancipiti diſceptatione ſe torquebunt homines pii, an motus ſeu delectatio fuerit à carne, an à ſpiritu, à naturâ an à gratiâ. 13. *Certiſſima* & tutiſſima, immo & neceſſaria diſpoſitio ac præparatio animorum ad publicum ac ſolennem cultum eſt illa quam docent *Libelli aſcetici Pontificior.* & *Noſtrorum.* Videant Studioſi *Ameſ. lib.* 4. *Caſ. conſ. c.* 30. & *Bayllii Praxin pietatis.*

Object. VI. *Facit ad tædium removendum, quod ex prolixitate Pſalmorum atque hymnorum oriri ſolet. Bellarmin. loc. cit.* & ſic *Cajetan. Navarrus loc. cit.* & *A Lapide in Eccleſiaſtic.* 32. Et *Bonaventura ad q. d.* 24. 69. *de Cantu Eccleſiaſtico in genere. Reſp.* 1. Quid ſi retorqueamus ex Viguerio Inſtitut. c. 5. p. 62. *Ex quo ſequitur, quod non excuſantur Organiſtæ, nec mimi, aut alii Muſici, qui in Eccleſiis perſonant cantilenas & ſonos ad levitatem, tripudiationem, & diſſolutiones, animos hominum inducentes. Neque illi, qui prohibere poſſunt, & permittunt. Idem dicendum de aliis ſignis exterioribus, qui quando tædium generant, & devotionem diminuunt, & attentionem impediunt, ſunt omittenda, ut genu flexio, tunſio pectoris, apertio capitis & alia hujuſmodi. Quæ etſi aliquando devotionem excitant, à particularibus tamen perſonis in Eccleſiâ & locis communibus prætermittenda ſunt, &c.* Repete quæ ad object. præced. ex *Cajetano* & *Navarro*, & ſupra ex *Thomâ* & *Carthuſiano* exhibemus. 2. Si uni atque alteri tædium ſublevatur ſono Organorum, aliis tædium adfertur; ἀμύητοις ſcil. & ἀνασθήτοις, imprimis & ad ipſum nucleum ſpiritualis devotionis (qui eſt in auditione, meditatione verbi, & in oratione) anhelantibus. Huc applicare poſſemus: πᾶν πρόσιμιον (multo magis, πρόσφυλον) τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκέραιον μένειν. 3. Pari ratione, & alia ejuſmodi ἀδιάφορα advocanda ac publicis ſacris intermiſcenda eſſent: ſive ea aures dilinirent, ſive oculos paſcerent; ex. gr. narrationes Hiſtoriarum phyſicarum, aut politicarum, aut rerum novarum, aut etiam ludicrarum, (quales ſcil. adhibere ſolent, ad riſum paſchalem concitandum, de quo alibi); exhibitiones rerum mirabilium, ac pulcerrimarum in naturâ aut arte: adde, deambulationes, aliaſque honeſtas corporis aut animi recreationes. Et quidni totam artem Muſicæ mutæ, & geſticulationes pantomimorum: de quibus *Pancirollus & Salmuthus, part.* 1. *tit.* 40. *Pezelius in Mellificio hiſtorico part.* 3. *cap.* 14. de hoc præſumto tædii levamine longè aliter ju-

" dicat: utque ſignificarent regnum tenebrarum appetere, cereos clarâ luce

" accendi jubebant. Ut præteream *fures precum & prædicationis verbi pueu-*

" *maticas machinas muſicas Vitaliani*, &c. Similia habet Martyr in Judic. 5. *Quo fit*, inquit, *ut populus muſicis & harmoniis plenus, famelicus autem & jejunus, quoad cœleſtem doctrinam, è templo diſcedant*, &c. *nec jure poteſt retineri confracta illa & confragoſa muſica, quâ ita detinentur aſtantes, ut verba, etiamſi velint, percipere minimè queant.*

" *Object.* VII. Ut major ſit ſacrorum decor, ſolennitas, & majeſtas. Sic

" *A*

" *A Lapide in* 1 *Cor.* 14. *Resp.* 1. Eodem argumento pugnant pro Linguâ non intellectâ in sacris Latinâ scil. : ubi vide, quid *Nostri* respondeant. Eodem etiam omnes ceremoniales, sive Pontificii, sive tepidi, pro choragio ceremoniarum : de quo alibi. Et quidni hâc consequentia ornatum, & cultum in sacris ex Judaismo revocamus? *Martyr in Commentar. ad Judic.* 10. *v.* 6. inter causas cur tunc multi respicerent ad Papatum, " etiam hanc commemo-
" rat, quod nostræ cerimoniæ, quoad sensus carnis, aridæ sint, & absque vo-
" luptatibus; non versus, *non cantus fractos, non Organa Musica, neque thea-*
" *tricas missas habeant.* Mirum est non cogitasse ecclesiam antiquam de tali decore & majestate; præcipuè tunc cum per Constantinum templis & divitiis dotata ad tantum securitatis & honoris fastigium evecta erat. 2. Sacrorum nostrorum decor & pulcritudo cum sit spiritualis, *Psal.* 45. cum *Johan.* 4. extraneum & emendicatum colorem, seu fucum non requirit. 3. Quis decor & quæ majestas sit in plerisque Motettis, quas certatim magis ac magis figurant hodierni Musici, fateor me nondum videre? Quomodo infirmis & idiotis gravitate suâ & majestate, reverentiam ac non potius ludicros aut militares animorum motus ingenerabunt, modulationes ex. gr. in *Magnificat*, ubi illa verba: *Dissipavit superbos mente cordis sui*; & illa, triplis tripudiantibus (ad instar chori in Luciani Tragœdiâ cui nomen *Podagræ*) figurata: *gloria, patri & filio*, &c. *sicut erat in principio*, &c. & crispationes ac fugas in cantandâ voculâ, *Amen*: imprimis si Organa concrepent. Non repetam nunc, quæ de tinniente & κύμβαλα atque ἄεργα Musicâ hodiernâ conquesti sunt *Autores* supra *cit. Puteanus*, *A Lapide*, & ὁ θεῖος (B) in Belgio nostro sacerdos & insignis musicus.

Object. VIII. Quia non est intrinsecè malum, nec habet deformitatem, aut indecorum. Hoc totum fere est, quo pugnat *Zwarez*, aut potius trepidè excusat sua Organa. *Resp.* Sed hæc est mera petitio principii: nec eâ declinat ictum à Thomæ sui autoritate & ratione, aliisque insuper, supra allatis, illatum. Et sic vidimus ceremonias prætextu adiaphori in Ecclesiam primum introductas, aut in reformatione earundem retentas; quæ tamen progressu temporis tanquam necessariæ, saltem ad bene esse, Ecclesiis ab eâ liberis obtrusæ fuerunt. Hoc ignorare non possunt, quibus nota est Historia Papatus, & origo errorum, in materiâ de imaginibus, de rosariis, de aquâ lustrali, de suffragiis pro defunctis, de reliquo choragio benedictionum & sacramentalium. Audiatur Lavaterus in 1. Paralip. 16. de obtrusione & παιζωλίᾳ quorundam post introductam reformationem: *Qui vero iampridem hæc ex Templis sublata, non sine magnâ offensione restituunt, meritò sunt reprehendendi. Videmus autem fere accidere, ut in hujusmodi rebus revocandis diligentes, in conservandâ puritate doctrinæ remissi sint & desides.* Paulo ante dixerat: *Præstaret igi-*

Digitized by Google

tur multorum doctrinâ & pietate celebrium Virorum judicio illa auferri ex Templis. Quid Ecclesiæ Belgicæ in ἀναμῇ reformationis sentirent anno 1581. indicat responsio *Synodi Nationalis Middelburgensis ad Quæst.* 34. quâ improbat usum Organorum in Templis, & statuit ea inde tollenda.

Object. 1x. " Quia concentus, & harmonia Musica admonet de fraternâ a-" nimorum concordiâ, & confessionis harmoniâ: Ergo Musicæ harmoniæ & quidem linguâ Latinâ, pius est usus in Ecclesiâ. Sic *Eckhardus loc. cit.* Adde *Osiandri Notas in Ps.* 81. infra cit. *Resp.* 1. Jam vides dictum prius adiaphorum , in signum aut ceremoniam mysticè significantem paulatim transire: metuendum , ne tandem ex sacramentali fiat sacramentum ; si pergant ita philosophari 2. Instrumentali Musicæ V. T. tale quid tribuit *Augustin. loc. cit. ex Lib.* 17. *c.* 14. quem sequitur *Amalarius.* Quam differentiam ergo inveniemus, inter mysticam significationem V. & N. T. 3. Sunt & multa alia, quæ admonent, de fraternâ concordiâ; ut parietes Templi ex diversis lapidibus constructi, horologia, perpetuo mobilia, & universus orbis in parvo vitro, &c. *Si vestros animos amor, quo cælum regitur regat:* ut canit Boëthius. Quid si ergo anathemata illa suspendantur in Templis. Immo est quid aliud; quid si semper ibi alantur columbæ ut nos commone-faciant de unione inter Christum & Ecclesiam, juxta *Cant. c.* 6. 6. & *c.* 1. 15. adde lilia, rosas, &c. c. 2. 1. 2. & reliqua omnia symbolica & mystica à *Durante in Rationali divinorum offic.* exposita.

Object. x. Ab antiquitate. Sic *Joh. Steph. Durantus*, *de Ritibus Eccles.*, & ex ejus affirmatione *Lorinus in Sapientiæ cap* 19. & *Molanus loc. cit.* Tale quid mussitat *Bellarminus*; Bayllius Jesuita in Catechesi loc. cit. *Miror, quod Reformati Organa ac instrumenta alia Musica pneumatica , contra totius antiquitatis suorumque Anglorum consuetudinem confregerint. Resp.* 1. Quæ & quanta sit antiquitas, contradicentes sibi & suis fatentur, *Erasmus in* 1. *Cor.* 14. & *in Defensione c. Parisienses*, *Molanus*, *Bellarminus*, *loc.* supra *cit.*, cum *Cajetano*, *Navarro*, *de Valentia*, & *A Lapide in* 1 *Corinth.* 14. (ex *Augustin. in Ps.* 32.) ubi lemma marginale habet: *Quare Organa theatrica olim ex Templis ejecta. Baronius ad ann.* 60. §. 30. tales cautelas, si non querelas, tacitè suggerit: ut non videam, quomodo hodierna Organico-vocalis musica cum iis consistere possit. 2. Reformatorum reformationem, quod modum excesserit, quia Anglicam reformationem & in hoc & in non paucis aliis supergressa sit , miratur quidem & conqueritur *Bayllius* (uti & aliâ occasione *Grotius in Pietate Ordd.* & nonnulli alii in gratiam comœdiarum, chorearum, cereorum, altarium, exorcismorum): sed ratione nullâ redarguit. Facile est dicere: omnia Reformati & Puritani Genevenses, Zelotæ abstulerunt, bona & mala, usum cum abusu; in alteram partem contenderunt, & excessit medicina modum.

Sed

Digitized by Google

Sed non facile eſt probare in cultu publico, & neceſſario, immò & in Politiâ eccleſiaſticâ, Ritibus,ac Ceremoniis quidquam expurgatum,quod nunc poſtliminio reſtituendnm eſſet. Oſtendat quodnam illud ſit. De Organis ſaltem, nos jam contrarium evicimus. Et certe ſi hæc mera adiaphora eſſent (uti quidem præ ſe ferunt Adverſarii) cur non fuit in poteſtate quarum non Eccleſiarum tutiorem partem & propiorem apoſtolicæ ac primitivæ ſimplicitati hic præferre. Sed audienda eſt antiquitatis probatio ex *Fileſaco Lib 2. ſelector. tit.de Cantu Eccleſ.§.10.* adducit. *Carmen Venantii Fortunati* Epiſcopi Pictavienſis *Lib.2. Eleg.* 10. ad Clerum Pariſienſem. Quod idem ante citatum fuerat à *Scaligero Lib.7. de Emendat.tempor. pag.* 684. Fateor Venantium illum floruiſſe circa annum 570.ſed voce *Organorum* inſtrumenta ipſum intellexiſſe, qualia nunc in uſu, non credo : quandoquidem illa demum Gallis innotuerunt ſub Rege Ludovico filio Caroli M. circa ann. 878. uti ſupra ex Hiſtoricis aliiſque Scriptoribus Pontificiis oſtenſum eſt. Quomodo ergo anno 570.illorum uſus fuiſſet in Eccleſiâ Pariſienſi ? Multo minus veriſimile mihi fit, hiſtoricâ fide, & non fictione atque amplificatione poeticâ, à Fortunato ſcribi in illâ Eccleſiâ, Puerum attemperaſſe Organa exiguis cannis, Senem abore ructaſſe tubam, cymbalinas voces acutis calamis mixtas fuiſſe, fiſtulam dulce ceciniſſe, puerilem tibiam mulſiſſe tympana rauca Senum, & verba canora hominum reparaſſe lyram ? quaſi ex Poetis Parnaſſum Muſarum cum Apolline,ſaltantes Satyros,& Bacchicos Thyrſigeros deſcripturus eſſet.Quid? an non talem Muſicam, & tot ac tam varia inſtrumenta muſica Theologi ipſorum communiter, quorum aliquos citavimus, & ipſe Papa Johannes 22. ab Eccleſiis relegat ? Quæ *ibidem* facta allegat ex anno 812. & 896. Ea tantum vocalem cantum hymni, *Te Deum laudamus* arguunt ; & ipſe ex iis illud ſolummodo in terminis concludit: præterquam quod tam antiqua non ſint, nec ſtatuta eccleſiaſtica, nec communem praxim, & conſuetudinem evincant.

*Object.*xi. Ex conſuetudine nunc receptâ ; in Eccleſiâ ſcil.Romanâ : & hoc quidem palmarium argumentum *Zwarezio*:quem velim per otium à Lectore iſtorum avido aliquando inſpici. Hoc unicum eſt, quod *Cajetanum*, *Navarrum*, *Carthuſianum*, *Bellarminum*, *Fumum*, compulit uſum Organorum tolerare & excuſare. *Reſp.* Sed quantum tyranno huic in ſacris tribuendum ſit, alibi docent *Noſtri*, ubi diſputatur *de Notis Eccleſiæ*, *de Præjudicatis*, *de Reformatione*, *&c.*

*Object.*xii. Quia Anglica Eccleſia retinuit. Sic *Schulting*, *Bayllius*, *loc.cit.* Et *Simon Fits in Miniſtromach. Britannicâ Lib.2.c.7. Reſp.* 1. Quomodo retinuerit aut non retinuerit, ſupra diximus. 2. Eadem eccleſia in regimine & ritibus multa alia retinuit; quæ nobis præjudicare non debent.

Digitized by Google

V. Exceptiones *Corn. à Lapide in Commentar. Exod.* 15. quas opponit Calvini reſponſioni, quæ etiam à Noſtris hactenus cit. & quibuſdam Pontificiis dari ſolet, quod ſcil. uſus inſtrumentorum in ſacris pertinuerit ad cultum ceremonialem V.T.: à *Riveto* ad *Exod.* 15. refutantur. Nos ad eas ſic reſpondemus. 1. *Exc.* Quia fuit uſus tympanorum & chori *Exod.* 15. quod erat ante datam legem ceremonialem: ergo non pertinent ad ceremonias. *Reſp.* quaſi non fuiſſent ceremoniæ & lex ceremonialis, ante legem datam in Sinai & conſcriptam à Moſe. Habes præcipuam partem legis ceremonialis, ſacrificia ſcil. *Geneſ.* 4. & 9. & 15. & ſignum circumciſionis *Geneſ.* 17. 2. *Exc.* Quia tum cantus & pſalmodia noſtra pari jure dicenda eſſent pertinere ad legem ceremonialem. *Reſp.* Eſt diſpar ratio. Organicus cantus in N.T. nec verbo nec exemplo doceri poteſt; quin contra dedocetur 1. *Cor.* 14. *v.* 8. ſed cantus vocalis docetur *Math.* 26. *v.* 30. *Epheſ.* 5. *Coloſſ.* 3. *Jacob.* 2. 1. *Cor.* 14. Adde, quod cultus N. T. magis ſit ſimplex & ſpiritualis *Johann.* 4. *v.* 24. ideoque externus ille apparatus ei non ita conveniat, ac cultui V. T. ubi exſertè à Deo præſcripta ſunt plura alia inſtrumenta 1 *Paralip.* 31. Quod de cultu N.T. aſſeri nequit. 3. *Exc.* Dato hæc ceremonialia fuiſſe: potuit nihilominus Eccleſia eadem tanquam uſibus ſuis inſervientia adſciſcere; ſicuti uſum luminum, ornamenta Pontificum & Sacerdotum. *Reſp.* Ex proprio facto ſuperſtitioſo ac culpando, non poteſt legem, & jus Divinum edolare, quod organico cantui obtendat. Hâc portâ apertâ, quæ ceremonia V.T. abrogata per mortem Chriſti *Coloſſ.* 2. *v.* 15. 16. adoptari non poſſet circumciſio ſcil. agnus paſchalis; feſta tabernaculorum, expiationis, tubarum, cum neomeniis, jubileis, annis ſabbathicis, altaris thymiamatis & ſacrificiorum.

VI. *Atque hæc de controverſiâ principali*: Accedo nunc ad minus principales, eaſque breviter perſtringo quas anno 1641. in exercitio Academico ventilandas proponebam. Prima ergo eſt: *An Organi cantus in publica Pſalmodiâ Eccleſiæ utiliter adhibeatur, ut & voce & manu ſeu inſtrumento pariter exprimatur oratio noſtra ſupplicans, aut gratias agens. Reſp. Neg.* 1. *Ratio*; ex argumentis contra Muſicam Organicam Papatus ſupra allatis; quæ huc analogicè applicanda. 11. *Ratio* quia ut ut videatur reformari, eſt ſpecies mali, colluſionis ſcil. ſeu ſymbolizationis cum Ritibus Judaicis & Papiſticis: à quarum ſpecie omnino abſtinendum, cum neceſſitas nulla in contrarium obſtringat nos ad obſervationem. 111. *Ratio*; quia eſt fertilis & proclivis occaſio, prolabendi in ulteriorem uſum & augmentationem Muſicæ organicæ, & figuralis, tum in Pſalmodiâ tum extra eam: atqui ſemper, quod tutiſſimum eſt, ſequendum; in re ſcil., quam ipſi dicunt eſſe liberam & adiaphoram. Synodus Hollandica & Zelandica habita Dordraci anno 1574. artic. 50. Ubi decernitur, *omnino abrogandum eſſe cantum organicum*, etiam poſt finitam concionem.

Ratio

Digitized by Google

Ratio hæc adfertur, *quod metuendum ſit, ne poſtea eo abutantur ad ſuperſtitionem.* IV. *Ratio* ; quia multis præbetur ſcandalum : atqui lege prudentiæ & caritatis tenemur ab omni re adiaphorâ, quamvis in ſe magis utili in ſuo genere, quam Organum, abſtinere, 1 *Cor.*8. & 10. V. *Ratio*; Quia ſine neceſſitate confundimus, & ſuſpectam reddimns fidem & judicium primorum Reformatorum, & omnium Eccleſiarum, quæ Organa abrogârunt; aut cum abrogare non poſſent, impeditæ per vim majorem, eorum uſum in ſacris planè improbârunt. VI. *Ratio* ; quia ſine neceſſitate incurritur in pleroſque aut omnes ferè Eccleſiarum Paſtores, & membra quamplurima quibus adhuc ſedet antiquus zelus, & primigenia ſimplicitas in primâ reformatione : quique rationem non vident, cur ſapientiam prædeceſſorum ſuorum hâc in parte, imprudentiæ, aut ἀταξίας coarguant. Illos autem in tali re contriſtari, aut turbare velle, alienum eſt à prudentiâ juſtorum. VII. *Ratio* : Quia omnis novitas periculoſa, & meritò ſuſpecta ; imprimis ſi aliquâ ex parte per eam Eccleſiæ noſtræ viderentur redire ad vomitum, aut palinodiam canere : cum ratio nulla aut evidentior veritatis convictio hoc cogat. VIII. *Ratio* ; Quia nihil facilius eſt, quam ut cum tempore fiat hoc pomum Eridos, inter Eccleſias & Eccleſias, inter Magiſtratus & Eccleſias, inter Paſtores & Paſtores, inter Paſtores & Membra, inter Membra & Membra : ſi modo frigidam malevolis quibuſdam ſuffundere, aut hanc occaſionem arripere placuerit. Immo hinc pedicæ & tendiculæ facile ponentur præſtantiſſimis Miniſtris, qui Muſicæ organicæ minus addicti videntur. *Except.* Eſt & manebit adiaphorum, & relinquetur libertas Eccleſiis. *Reſp.* Sic quidem initio prætexti ſolet : ſed poſtea ubi potioribus ſuffragiis in Eccleſiâ aliquâ, aut Eccleſiis unius diſtrictus obtinuerit; conformitas urgebitur; & in eo prora ac puppis homodoxiæ & pacis eccleſiaſticę ſtatuetur : haut aliter ac alibi de dictis illis adiaphoris factum videmus. IX. *Ratio*; quia cum devotionis cultus Organo ſimul atque ore integraliter perfici dicitur; utique ſonus ille, ſtatuitur cum *Cajetano (loco* ſæpius *cit.) pars cultus*, ſeu *religionis*; atque adeo formaliter myſticum ac religioſum quid in eo ſtatuitur: & ſic ultra adiaphorum claſſem efferri videtur, cum tempore ulterius evehendus : hoc enim quarto modo inventis humanis quaſi proprium, hæc ſecreta maledictio illis infuſa. X. *Ratio*; Quia hoc inſtrumento admiſſo; eâdem conſequentiâ urgeri & introduci poterit, quodcunque aliud inſtrumentum, cornu ſcil., lituus, tuba, fiſtula, pandura, cythara, teſtudo, cymbalum, clavicymbalum, fidicula utraque & quinta (uti appellant) & digamba, &c.; immo & alia devotionis adminicula viſibilia & audibilia : facile enim eſt inventis aliquid addere, præſertim repagulo ſemel ſoluto. Et quidni Ritus, ac Ceremoniæ multæ, quas cum Papatu depoſuimus, quamvis eas alibi ex parte retinuerint? XI. *Ratio* ; quia creſcet labor noſter, & cogemur ſemper ad vigilare,

ne abusus irrepant; ne Satan & mundus obrepat, ne falsi fratres insidientur; haut aliter ac illi qui picturas, aut imagines, aut altaria retinent in Templis. Quid opus est tanti emere hoc pœnitere, hanc difficilem occupationem & molestiam? Melioribus curis occupari nos convenit: reformentur si qui sint errores populares, si quæ κακοήθη, si quæ reliquiæ fermenti papistici aut mundani: urgeantur, introducantur reformatio morum, exercitia pietatis, disciplina Christi, in Ecclesias, collegia, familias, & corda fidelium. Hoc uno vel maximè opus est. Huic tam præstanti operi sua merces, sua benedictio. Præterea si quid affectamus aut ambimus, spiritualia & præstantissima charismata atque exercitia ambiamus, maximè prophetandi donum 1 *Cor.* 11. *v.* 1. 12, 39. & c. 12. 31. XII. *Rat.* Denique huc rationum omnium summa redeat; quod quicumque simplici & primigenio Apostolorum cultui & doctrinâ & praxi eorum præscripto alias ceremonias, & formalitates magis scil. exornantes, & τὸ bene esse procurantes, addere studeant, tacitè illos accusant deficientis zeli, prudentiæ, diligentiæ, devotionis; ac supra illos sapientes architectos ecclesiasticos haut obscurè se efferunt. Sed excipi atqui opponi posset. *Exc.* 1. Possemus ita usum aliquem habere Organorum, quandoquidem fuerunt ea, & etiamnum sunt in multis Templis: ita abusum Papisticum verteremus in usum. *Resp.* Si alicubi, hic certè cavendum est à prudentiâ carnis. Quam malè illud artificium (juxta versiculum in jure canonico: *Sic ars deluditur arte*) cesserit antiquis, Gentilium sacra ad Christianismum flectentibus alibi indicavimus in *Part.* 3. *select. Disp. tit. de Festis, Bacchanalibus, de Idololatriâ indirecta, de Staurolatriâ, de exorcismo*, &c. & *in* 2. *Part. tit. de tempore nativitatis Christi.* & infra *Lib.* 4. *tit. de Templis.* Præstat ergo arborem radicitus succidere, & non tantum defrondare aut decorticare. *Excep.* 2. Reformatores nostri non tam ipsum usum cantus organici, quam ejus abusum in Papatu repudiârunt. *Resp.* Contrarium verum esse, constabit lectori, ex ἀντοψίᾳ, ad quam provoco. Videbit enim eos ad unum fere omnes *loc. cit.* hanc inter alias rationem allegare, quod pertineat ad cultum peculiarem V. T. *Deinde* ex eo constat, quod nullibi aliquem ejus usum reliquerunt in Templis, aut saltem in cultu publico: ubi quidem per Magistratum, aut Adversarios hoc potuerunt. Ab aliis rebus per se neeessariis, aut utilibus abusus tantummodo separarunt; ut ex. gr. in cantu vocali: non vero in totum sustulerunt.

Quæritur secundo: *An Musica organica ad Psalmos decantandos ita utiliter adhibeatur, ut præmissa psalmodiæ vocali, modulatione Psalmi cantandi hominum corda ad devotam psalmodiam præparet atque excitet: & an hujus rei gratiâ, Organa in Templis retineri, aut de novo in ea introduci debeant. Resp. Neg.* Nescio an hunc usum respexerit Andr. Osiander Lucæ fil. in Notis suis ad Biblia latina

Digitized by Google

tina Pſ8 1. 3. *Tamen, quia etiam Muſica inſtrumentalis Dei donum eſt, & ad movendam pii hominis mentem plurimum valet, rectè ea adhiberi poteſt ad Pſalmorum cantum.* Sed nos putamus eam melius omitti; ob iſtas rationes. 1. *Ratio*, eſt? quia ſapit Judaicas ceremonias, aut ſaltem ſapere videtur: & difficile eſt materiam à formâ, antecedens à conſequente, occaſionem ab effectu aut opere accuratè ſemper ſeparare. Ne ipſe quidem Oſiander potuit diſtinguere: & quid fieret idiotis? *In V. T.* inquit loc. cit. *etiam expreſsè mandatum erat, ut in feſtivitatibus tubarum concentum ſacrificiis adhiberent* Numer. 10. *& ſuaviſſima illa harmonia imago quædam eſt cœleſtis gaudii, quo perfruemur in vitâ æternâ.* Et paulo ante dixerat, fuiſſe inſtrumenta in V.T. typum *prædicationis Euangelii de Chriſto.* Vides Theologum hunc in ipſo veſtibulo, ad myſticas ceremonias & egena elementa prolapſum. Si hæc in viridi ligno, quid fiet in arido? Si hoc tempore, quid poſt decurſum annorum, ubi paulatim creverit cultus organicus, decreverit cognitio ſpiritualis & prima caritas. 11. *Ratio*; Quia hoc ipſiſſimum eſt, quod Pontificii Organis ſuis prætexunt: ut homines tanto melius excitentur & diſponantur ad hymnodiam ſacram: quamvis ille verecundius & timidius ad rudes quoſdam & infirmos reſtringat; hic autem videatur etiam maximè pios & firmos obtendere. Sed excitationem hanc organicam ſupra examinavimus. 111. *Ratio*, Quod aliquibus & modulationis, & verborum gnaris hunc uſum ſubinde, & quidem ſatis remotè ac tenuiter ſi non per accidens, præſtare poteſt: illud tanto cum zelo non eſt retinendum, nedum tanto cum ſtrepitu de novo introducendum in cultum publicum. Hoc alioquin prætextu nihil non retineri aut introduci poſſet, & quot ſunt hominum vota (velle enim ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno) ac *ἰδιοσυγκρασίαι*, tot cultus eccleſiaſtici partes, adminicula, incitamenta, &c. conſtitui deberent. Ita videmus *Oſiandrum ad 1 Corinth.* 14. cum *Mylio ibid. cit.* & *Eckhardo* ſupra *cit.* defendere latinas cantiones in ſacris ad Organum cantatas, quia ſcil. quidam ſunt in Templo, qui intelligunt. 1v. *Ratio*; Quia damna & pericula, quæ ab alterâ parte minantur aut imminent, multo plura ac majora ſunt; quam utilitas, quæ prætexitur. Sunt autem ea, ſpecies mali & colluſionis cum officio Papiſtico, ſcandalum, multiplex occaſio mali, proſtitutio reformationis & Reformatorum, deriſio zeli, *ἀκαιρίαι* ac prudentiæ majorum noſtrorum: qui ut Theologi ac Auditores crucis erant, ſic in ejuſmodi dijudicandis, Theologis & Auditoribus lucis, quales hodierni, haut parum præſtitiſſe videntur. v. *Ratio*; Sequeretur & alia inſtrumenta Muſica, (qualia *Pſ.* 33. & 150. 1 *Paralipom.* 25.) utenſilia ſacra, & neſcio quæ aurium atque oculorum delinimenta pari jure introducenda; ut firmi pariter & infirmi, Muſici & *ἄμουσοι*, tanto magis excitentur: *Bonum enim bono additum, facit majus bonum.* v1. *Ratio*: quia longè alia eſt ratio præparationis

ſpiritualis ad exercitia pietatis tum publica tum privata Spiritualia, quæ cum ſpiritualibus conveniunt. Vide *Joh.* 4. *v.* 24. Sed poſſet quis excipere. *Except.* 1. Experientia tamen, ſi non omnium, ſaltem fere omnium, aut plerorunque teſtatur eos affici, & conſequenter diſponi per cantum organicum. *Reſp. Primò*, motus ille ſeu affectus, eſt 1. aut pure ſenſualis, confuſus, & brutalis; qualis etiam cadit in infantes & quodammodo in bruta: atqui talis nec ſacer eſt, nec propriè facit ad ſacra, nec in ſacris aut per ſacra quærendus & affectandus; ubi ſpiritualis affectandus. Quæ ad vitæ naturalis aut animalis eſſe & bene eſſe ſpectant, alibi quærenda. Quis enim alimenta, aut fomenta, aut medicamenta, aut gymnaſtica, luſus, recreationes externas, quærat in ſacris? 2. Aut eſt myſticus, per modum ſigni ſacri ſymbolicè ſignificantis: atqui talem ſine mandato Dei quæſitum aut captatum, referimus ad ſuperſtitionem & εἰδωλολατρείαν. Confer *Scriptores de Ceremoniis*, & 3. *Part. Diſpp. noſtrarum*, *tit.* de *Sacramentalibus*, de *Superſtitione*, de *Idololatriâ*, &c. 3. Aut eſt purè & propriè ſpiritualis; ſicuti vocis in cantu ſacro aut in precatione. Atqui illum motum intelligibilem, ex relatione & reductione modulationis organicæ ad tonum, & toni ad verba ſacra, & verborum ad conceptus mentis & ad res, negamus eſſe, aut etiam commodè eſſe poſſe in pleriſque aut etiam in multis præſertim rudioribus, carnalibus, ἀμυήτοις; nedum ut ſit in planè ἀναισθήτοις, quales non pauci. Ubi tales incondito ſono Organi affluxerint, qui primò novitate ſuâ aliquoties eos afficere potuit; poſtea ſuſque deque habent, immo faſtidiunt, nonnulli turbantur & offenduntur. Provoco ad experientiam, & propriam ſingulorum confeſſionem. Alii ſi qui ſint μυσικώτεροι, ſaltem non ſint ἀναισθήτοι, tam remotè per tot difficiles ambages meditationum, relationum & collationum tam operosè, tam obſcurè tam vix & tam raro eo affecti ad ſpiritualia elevantur & à ſenſuali delectatione avocantur, ut merito applicari illud queat: μία γὰρ χελιδὼν ἦρ ποιεῖ. Et hic provoco ad plurium confeſſionem. *Secundò*; Dato aliquorum experientiam hoc teſtari: non tamen negandum eſt aliorum experientiam tale nihil teſtari; immo & horum ſemper fere, & etiam ſpiritualium frequenter teſtari, tentationes & abductiones ad indevotionem, diſtractionem, nimiam delectationem ſenſualem, mundanas ac carnales vanitates. Superiorum temporum, & Noſtrorum experientiam in Papatu indicant, querelæ & cautelæ *Iohann.* 22. *Concil. Tridentini*, *Navarri*, *Cajetani*, *Zwarezii*, &c. ſupra *cit.* imprimis *Decretum Concil. Aquiſgranenſis*, quod citat *Molanus*; & alia *Concilior. Gallicor.* apud *Bochellum Lib.* 1. *tit.* 7. *cap.* 21. *Except.* 2. Videtur odium abuſuum, aut ἀναισθησία, Theologis & membris Eccleſiarum Noſtrarum viam ſtraviſſe ad rejectionem & faſtidium cantus organici in ſacris. *Reſp.* 1. de abuſuum odio jam diximus quod non fuerit aut ſola aut præcipua cauſa. Præterquam, quod ab-

Digitized by Google

abſurdum non ſit, iis etiam moveri ſapientes ad abolitionem rei, quæ poſſit abeſſe ſine ſacrorum violatione, aut defectu: ex ſententiâ antiquæ, & intermediæ Eccleſiæ; cui nemo, uti arbitror, reclamabit. 2. Non fuerunt tot millia Theologorum, & Membrorum Eccleſiæ jam inde à primâ reformatione uſque in hunc diem tam ἀμούσων, quod ad Muſicam, aut cantum inſtrumentalem. *Wolph. Muſculum*, cujus judicium ſupra retuli, Organiſtam & organopœum in monachatu fuiſſe refertur *in Vitâ ejus*: ſi bene memini; nunc enim liber ad manum non eſt. Sed non eſt, quod facem accendam in meridie. Nemini enim dubium eſſe arbitror, quin inter primos reformantes Theologos fuerint muſicæ inſtrumentalis periti, aut ἐμμούσων Amatores.

Tertio quæritur: *An utile ſit, organorum cantum in ſacra publica introducere, ut ſacræ literæ tanto ſint conſpectiores, & verba ſacra illâ modulorum ſuavitate condita, tanto melius in animos hominum irrepant. Reſp. Neg.* Ipſa ſibi ſunt pretium, non indiga mercis alterius: *Pſal.* 19. & 119. Sed hæc ſupra ſatis excuſſa in *Arg.*6.7.8. *Pontificiorum.* Nihil itaque addimus.

Quarto quæritur: *An partim ad amœnitatem & licitam iucunditatem, partim ad neceſſariam directionem pſalmodiæ eccleſiaſticæ, & omnis indecoræ ἀπταξίας præventionem, Organorum cantus utiliter in cultum publicum introducatur. Reſp. Neg.* 1. *Recreatio* ſeu animi relaxatio per Muſicam in ſe licita eſt, ut & in cibo, in potu, in deambulatione, in picturis, in hortis, in quibuſcunque aliis honeſtis luſibus & recreationibus tum animi tum corporis. Sed ut formaliter non eſt religio, nec pars integralis actus religioſi; ſic in & ex ſacris non eſt quærenda, nec in ea inferenda. *Sed inſtet quis*: Eſt aut fit ſpiritualis. *Reſp.* Sic omnia corporalia externa, & communia hujus vitæ, à Fidelibus ſublimantur ad ſtatum & formam quandam (ita loqui liceat) ſpiritualem, cum ea fiunt in domino, & ad gloriam Dei. *Tit.* 1. 15. 1 *Timoth.*4. 5, 1 *Cor.*10.31. & 7. 22.39. 2. Aliâ & commodiori ac tutiori ratione poteſt εὐταξία in pſalmodiâ publicâ haberi. *Primo*, ſi omnes aut ſaltem plerique ab ineunte ætate in Scholis, in Familiis Chriſtianis in pſalmodia exerceantur; inſuper in Scholis Gallicis &, Latinis, elementis Muſicę imbuantur. Videmus prius in Eccleſiis Wallonicis apud Nos, & poſterius in Eccleſiis ac Scholis Germanicis eutaxiam non parum promoviſſe. *Secundo*, ſi Phonaſcus ſonorâ voce præditus unus atque alter, & ſi opus, tertius conſtituantur; qui uno loco conſiſtentes præcinant. *Tertio*, ſolent alii hoc conſilii ſuppeditare, ut minueretur numerus modulationum, quæ Pſalmis noſtris aptatæ ſunt; exemplo ſcil. Anglorum. Sed hoc quia nunc non ita facile; ſuffecerint duo priora remedia. Sed excipitur. *Exc.* certius & expeditius eſt remedium à cantu Organi, quam à vocibus præcentorum; Ergo. *Reſp.* omnia proportionatè comparanda ſunt. Voces humanæ, ſi in ſtabilitate ſuâ ſuperentur ab Organis, (quamvis & manus

Digitized by Google

nus & aures Organiſtæ poſſint aberrare, quod inſigniter factum ipſe auribus meis aliquando audivi ; quum alio ex tono caneret Organiſta , ac cœperat Phonaſcus cum maximâ parte Eccleſiæ : ſuperant tamen in eo , quod articulatim ac ſyllabatim voces intelligibiles cantu ſuo pronuntiantes præeant Eccleſiæ. *Deinde* ſuavitatem & affectionem eam ſi ſpectes , quæ in ſimplicitate eccleſiaſticæ pſalmodiæ propriè quærenda eſt , plurium judicio præfertur vox humana; imprimis, ſi vulgaris ſeu tenor aut tenores (uti vocant) habeant ſibi adjunctam unam atque alteram ſuperiorem, ſic dictam , idque in gratiam potiſſimum Fœminarum & Puerorum. *Tertio* ; quando Eccleſia non attendit ad vocem Organi, aut Phonaſci , nec eam ſequitur ; jam æqualiter confuſio exſpectanda. Docuit experientia confuſionem & ἀπαζία in pſalmodiâ, per Organa non ſublatam. *Quarto* experientia docet Phonaſcum (& tanto melius Phonaſcos,) poſſe dirigere cantum ſine Organo ; ſed Organum non poſſe ſine Phonaſco. Omnibus ergo ſubductis , ſiquidem in æquilibrio eſſent Organum & Phonaſcus , (uti revera non ſunt) rationes tamen ſupra ad quæſt. primam & ſecundam allatæ, libram in noſtram partem inclinarent.

Quinto quæritur: *An conducat extra Cultum & Cœtum Eccleſiaſticum ſtatis horis & diebus, aut etiam quotidie , Organo & vocibus Muſicorum cani hymnos in gratiam eorum, quibus vacat aut libet audire, atque inde occaſionem captare excitandi ſeipſos ad ſpiritualem eorum uſum. Reſp.* præſtat non fieri ; quamvis mos ille in Templis quibuſdam Lutheranorum , & alicubi in Angliâ , nominatim in Templo Paulino Londinenſi , hactenus ſervatus ſit. Rationes ſunt iſtæ 1. *Quia*, videtur ſymbolizare cum choris Cantorum, & Muſicâ illâ V.T., quæ ordini Levitico, & Templo , & ſolennitatibus Judaicis peculiariter alligata & adaptata erat: quæque per repræſentamen , quaſi totius Eccleſiæ Iſraeliticæ doxologia dicebatur (*Pſ.* 22.4. & 132. 13.14.15. 17. & 122. 3.4.5.): at hæc aliter ſe nunc habent in N.T. ; ubi non ſunt Templa propriè dicta, à Synagogis particularibus diſtincta, & ubi omnes Fideles ſunt ſpirituales Levitæ & Sacerdotes ; & ubi in quolibet loco haberi poſſunt conventus ſacri. 2. *Quia* ſapit ſolennes veſperas Pontificiorum : & neſcio quem fictum cultum, aut quaſi cultum ; cujus veram devotionem ut inveniant, infinitis quæſtionibus & dubiis ſe mutuo fatigant. Vide *Zwarez Tom.* 2. *de Religione*, *lib.* ſupra *cit.* 3. *Quia* , non videmus , quæ pietas ſit in religiosâ atque eccleſiaſticâ hymnologiâ (qualis prætenditur , ſaltem à multis putatur eſſe hæc Muſica) adhibere conductos Organiſtas & Cantores ; ad quos audiendos nemo convocatur, pauci , aut unus atque alter ſubinde accedit : & tamen opere iſto operato Deus publicè religiosè in Eccleſiâ laudari dicatur. Vide cenſuras *Didoclavii in Alt. Damaſc. loc. cit.* in Muſicam illam cathedralem. 4. Rationes illæ quæ opponuntur Muſicæ organicæ , poſt finitas conciones , ſi valent, utique

que huic pariter & fortius aptari poſſunt. Quod ſit pruritus, & oblectatio ventoſa, carnalis magis quam ſpiritualis; quod centeſimus ex Membris Eccleſiæ ad id non attendat; quod pauci eâ afficiantur: quamvis ego fateri cogar, me pro meâ ἰδιοσυγκρασίᾳ aut peculiari amore cantus, non raro affectum fuiſſe, cum Pſalmi imprimis 38. 30. 51. 61. &c. in Eccleſiâ noſtrâ canuntur.

Reſtant nunc Problemata, ad quæ in tranſitu ſic reſpondemus 1. An Organa ſint utenſilia ſacra. *Reſp. Neg.* niſi quis catachreſticè ea ſic appellare velit. 11. An præſtet Organa in Templis retineri, ubi hactenus ſunt. *Reſp.* præſtaret inde tolli, & in foro, in curiâ, in ambulacro, in porticu, in Academiâ, aut in bursâ Mercatorum collocari. In quibuſdam Civitatibus conducti muſici inſtrumentis pneumaticis in curiâ, aut in foro ſtatis diebus & horis, ad oblectationem iſtic ambulantium canere ſolent. 111. *An* ubi non ſunt, de novo in Templa introducenda ſint? *Reſp.* nulla eſt neceſſitas, nulla ratio. Vide *Lavaterum in* 1. *Paral.* 17. *p.*60. Et *Rivetum in Cathol. Orthod. ad Baylii catech. part.* 2 *q.* 36. 1v. *An* conducat, Organis cani ante & poſt conciones. *Reſp.* præſtaret non fieri. Vide *Can.* 50. *Synodi Holland. & Zeland. Dordraci anno* 1574. & *Reſp. Synodi nationalis Middelb. ad qu.* 34. v. *An* à Magiſtratu, abſque judicio & conſenſu eccleſiaſtico, uſus aliquis Organi in pſalmodiam aut cultum publicum introduci debeat? *Reſp. N.* v1. Quid ſi faciant, quid faciendum? *Reſp.* Si flecti nequeant, ferendum pro illo tempore; non tamen approbandum. v11. An ὑπόκωφος & tutò unius aut alterius Miniſtri, aut particularis Synedrii ſive approbatione ſive comniventiâ, cantus organicus, in eccleſiaſticum cultum & pſalmodiam introduci poſſit? *Reſp. Neg.* eſt enim apud nos combinatio & correſpondentia Eccleſiarum in Synodis. Quod ſi res eccleſiaſticè prejudicata non eſſet in Synodis 1574. & 1581. modo cit.; aut alioqui neceſſariæ ædificationis & reformationis eſſet, ubi exempla non exſpectanda ſed danda: utique aliter de eâ cenſerem. v111. *Utrum* tolerabilius, ut extra tempora cultus & conventuum eccleſiaſtic. in gratiam iterum quorundam iſtic ambulantium Organa pulſentur an vero ut in ipſo cultu, aut ſtatim poſt concionem. *Reſp. A. pr.* 1x. *Item* finito cultu & dimiſſâ Eccleſiâ; an vero in ipſo cultu ſeu pſalmodia. *Reſp. A. pr.* x. *An* Muſica πολύφωνος ſeu harmonica, conveniat pſalmodiæ eccleſiaſticæ? *Diſt.* De quibuſdam cœtibus, ubi omnes aut plerique Muſicæ illius periti, forte concedi poſſet: niſi *Auguſtini* ſcrupuli *Lib.* 10. *confeſſ. cap.* 33. manum injicerent. Sed pauci tales cœtus eccleſiaſtici; forte inter centenos vix unus, uti arbitror. Poſſent præterea multa his affinia diſquiri de cantu eccleſiaſtico, deque uſu aut abuſu Muſicæ in genere: ſed alteri loco hæc conveniunt. Inſpici poſſent ab eo, cui vacat, *Zwarez. loc. cit.* & *Caſuiſtæ de Officio eccleſiaſtico, ſeu horis Canonicis*; & *Collectanea hiſtorica*

de Muſica apud *Alexandr. ab Alexandro, Rhodiginum, Cæſar. Bulenger. loc. cit. Martyr. Loc. com. cl. 3. c. 13. Alphonſ. Mendozam in Controv. qu. 3. ſect. 3. 4. A Lapide in Eccleſiaſtic. c. 32.*

Appendix Apologetica.

ANno 1634. menſe Auguſto inter alias quæſtiones primâ diſputatione initio profeſſionis meæ in Gymnaſio Ultrajectino ventilandas propoſueram & iſtam: *Muſicam organicam, nec partem, nec appendicem eſſe Cultus publici. Anonymus* quis tenebrio, Remonſtranto-Sociniſmi, uti ex Scriptione apparet, fervidus ſed infelix propugnator, libello quodam tit. *Examinis primæ Diſputationis*, &c. non ſine choragio convitiorum & calumniarum tum me meamque diſputationem, tum imprimis religionem & Eccleſiam noſtram aggreſſus, inter alias complures aſſertiones meas, etiam hanc de Muſicâ organicâ, abſque ullo examine, tanquam vanam otiosè rejecit. Cui cum ὀργῇ τε θυμῷ reſponderem Libello tit. *Therſites beautonti morumenos, ſeu Remonſtrantium hyperaſpiſtes &c. retuſus &c. part. 3. cap. 3. pag. 293.* " aſperginem iſtam vanitatis ſic abſtergebam: Non eſt vani-
" tas inutilis controverſiam inter nos & Pontificios ventilare, & quidem ta-
" lem, quæ ad praxim & cultum religionis pertinet. De eâ Bellarminus libr. 1.
" de bonis Operibus, in particulari cap. 17. & Thomas 22. quæſt. 91. art. 2. &
" ibidem Cajetanus nec non in Summula p. 519. Et ex noſtris Beza in coll.
" Mompelgardenſi part. 2. Guil. Zepperus Polit. Eccl. l. 4. c. 9. & D. Rivetus
" proleg. in Pſalmorum Decadem, ubi hanc quæſtionem tractaturus ait: *De*
" *Muſica Organica dubitatum eſt olim, & hoc etiam tempore controvertitur, num*
" *in Eccleſia ſit uſurpanda & revocanda.* Tilenus in ſyntagm. diſp. 49. Altare
" Damaſcenum cap. 8. pag. 491. Noſtris tanquam Organorum reformatoribus quæſtio movetur à Cudſemio (ni fallor) in *Deſperatâ causâ Calvini*; &
" Eckhardo in *faſciculo* Controverſ. c. XXI. qu. 5. Jam vides uſum quæſtionis
" noſtræ. Quotidianus etiam Organorum ſtrepitus in templis noſtris monet
" nos cautelas has plebi diligenter inſtillandas, ne putent Organiſtam eſſe mi-
" niſtrum Eccleſiaſticum, aut organorum ſonitum eſſe cultum religioſum, ut
" quidem cum Papatu rudiores nonnulli facilè opinarentur.

Adde *Autoribus* à me tunc *citatis* ſequentes; qui quæſtionem hanc perſtringunt, aut de eâ in alterutram partem diſſerunt. Suntque ex Pontificiis poſt annum 1634. demum editi, aut à me, poſt id tempus inſpecti & collati; *Concil. Trident. Seſſ. 22. Durantes lib. 4. Rational. cap. 21. Joh. Steph. Durantus lib. 1. de Ritibus cap. 13. Corn. à Lapide in Exod. 15. & 1. Corinth. 14. Schultingius in Anacriſi hierarch. loc. cit. Creſpetius in Summâ eccleſiaſt. diſciplinæ, in voce organum,*

Zwarez

Digitized by Google

Zwarez tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 8. Filesacus lib. 2. selector. tit. de cantu. Erasmus in 1 Cor. 14. & de linguâ p. 68. Ex *Lutheranis Berentius Conc. de Pœnitentiâ. Iacob. Andreas in Colloquio Mompelgard. part. 2.* Ex Nostris *Synodus nationalis Eccles. Belgicar. a. 1581. ad quest. 34. Calvinus in Exod. 15. Martyr. in Iudic. 5. & 1. Cor. 14. Lavaterus in 1. Paralip. 16. & in Nehem. 3. Homil. 10. Daneus comment. in Orationem dominicam part. 3. cap. 3. Ioh. Raynold. in Prælect. ad Libros Apocryphos lect. 187. Hospinianus Part. 1. Histor. sacram. lib. 3. cap. 3. Idem in Lib. de Templis cap. 23. Pezelius in Mellif. histor. Fran. Iunius in Analyt. Explic. Exod. 15. Pareus in 1. Cor. 14. Perkinsus in Problem. catbol. tit. de cœnâ subtit. ult. Rivetus in Exod. 15. & in Prolegom. ad Decada Psalmor. & in Cathol. Orthod. Wendelinus in System. Theol. Lib. 2. c. 6. Altingius in Syllabo controversiar. Lutheran. tit. de Ceremon. contr. 3.* Assertiones meas, & hanc de cantu organico, c. Thersiticam vanitatis & curiositatis accusationem verbis modo exhibitis judicio præstantiss. Theologorum, inter quos Rivetus, tunc satis superque vindicavi; nec quisquam ex alienis, quod sciam, eandem petiit, aut ex Nostris vel verbulo de eadem me monuit: ita ut non possim non mirari, à Viro quodam docto, qui heterodoxa & paradoxa centuriatim ex scriptis meis colligenda sibi proposuit, eandem denuo, sed aliâ ratione, vellicatam fuisse anno 1649. in *Lib.* eristico, cui tit. *theologus paradoxus p. 226.* primæ edit. in 8. Ubi citat meam Disp. primam, seu inauguralem in novo Gymnasio Ultraj. propositam, & defensionem ejusdem c. aggressionem tenebrionis Remonstrantici, tit. *Thersitis* Sect. 3. cap. 3. *Musica organica nec pars est, nec appendix cultus divini. Absurdè*, inquit, *quamvis enim nec pars sit essentialis, nec appendix necessaria, & ad* esse *cultus divini, tamen pro appendice debet haberi ad* melius & commodius esse, *ubicunque, ut speciatim in hâc Ecclesiâ, inter ipsum cultum usurpatur, ex generali præcepto Pauli 1. Cor. 14. 48. quo præveniantur incommoda ipsum inter turbatura, qualis esset dissonantia canentium.* Ego contra aïo, absurdè meam assertionem taxari; quasi opposita fuisset, usui Organi in cantu Psalmorum, quem istic tunc (an. scil. 1649.) obtinuisse affirmat. Anno 1634. cum Disputationem illam proponerem, & defensionem ejus contra Remonstranto-Socinianum Aggressorem conscriberem, cujus editio sequenti anno demum absolvebatur, ne per somnium quidem cogitabam, nec fando unquam audiveram de cantu Organi cum cantu Psalmorum, nec ullibi in Ecclesiis Belgicis talis cantus extabat; quippe primum in Ecclesiâ aliquâ Hollandicâ N. Ædilis alicujus aut Ædilium istius loci privato judicio ac studio anno 1637. introductus. Quorum exemplum in aliis Belgii Civitatibus quibusdam visum est imitari: alicubi tantâ cum ἐυταξίᾳ, ut ne conscio quidem aut consulto ecclesiastico Synedrio innovatio illa aut tentata aut peracta fuerit. Quod quomodo viam munire posset ad multa alia, & quidem majoris momenti sen-

Digitized by Google

ſim ſine ſenſu in cultu publico ſine antecedente & legitimo Eccleſiæ judicio innovanda, prudentioribus arbitrandum reliquo. De hoc uſu Organorum in dirigendâ pſalmodiâ, anno 1634. minimè cogitabam; cum nondum tunc in Belgio noſtro, quod ſcirem, exſtaret; ſed aliquot demum annis poſt, anno ſcil. 1641. opinionem meam de hoc aperui, quam mox infra repetam. Sit ergo hæc paradoxorum meorum Numeratoris quęſita ſchiomachia; & ſtet innoxia mea, quamvis forte judicio Cenſoris abundans cautela ſuper Organorum pulſatione, quæ ante inchoatum, aut poſt finitum omnem cultum eccleſiaſticum paſſim obtinere ſolet. De diſtinctione illâ appendicis neceſſariæ cultus publici *ad bene eſſe* aliquid dici poſſet: ſed quia omnes fere traditiones & ceremoniæ Papiſticæ, quæ ante Papatum apud antiquos, ut & poſt reformationem alicubi viguerunt, aut etiamnum vigent, tali purpuriſſo à zelotis earum fucari ſolent: remittimus Lectorem ad ea quæ *ſupra de Ritibus* diſſertavimus. Pergit Cenſor, Neque debet hic homo metuere ne Organiſta eâ "ratione conſtituatur Miniſter eccleſiaſticus. Licet enim non cenſeatur Mi- "niſter ex eo genere miniſterii, quod Chriſtus *ad eſſe* inſtituit, & quale exer- "cent Paſtores, Seniores, Diaconi, erit tamen ex eo genere Miniſtrorum "quos ad Eccleſia *ad bene eſſe* inſtituit, cujuſmodi ſunt Canicidæ, Oſtiarii, & "Præcentores. *Reſp.* Phantaſmata κενόγκλωσσα. Organorum pulſatio eſt appendix cultus publici neceſſaria *ad bene eſſe*: & conſequenter Organiſtas eſſe *Miniſtros* eccleſiaſticos, quos Eccleſia ad *bene eſſe* inſtituit, ſicuti Canicidæ, Oſtiarii, Præcentores. Lego paſſim apud Theologos, ſacramenta eſſe *appendices verbi*, ſeu Euangelii, & apud *Toſſanum*, *in Comment. ad* 1. *Corinth.* 14. in fine, baptiſmum eſſe *appendicem miniſterii*: Sed hactenus non memini me legere à noſtris Theologis Canicidium, Oſtiorum apertionem, præcentum, dictum eſſe *appendicem cultus publici* ad ejuſdem *bene eſſe*, & Organiſtas, Canicidas, Oſtiarios, Pręcentores, quia illa adminiſtrant, pariter dictos eſſe *Miniſtros eccleſiaſticos ad bene eſſe* cultus publici ab Eccleſiâ inſtitutos. Ut incipiam ab Organorum pulſatione, quæ finito per benedictionem ſolennem omni cultu eccleſiaſtico, & cœtu jam dimiſſo aut exeunte inchoari & aliquamdiu continuari ſolet; ea cultus quidem conſequens eſt, in templis organizatis (quę pauciora ſunt); ſed nullo modo appendix cultus publici, ſive ad eſſe, ſive ad bene eſſe: non magis quam proclamationes & denuntiationes de rebus & negotiis politicis atque œconomicis per Prætores, Secretarios, Apparitores, Curſores in Templis agrariis ſtatim poſt abſolutum cultum publicum fieri ſolitæ; aut quam deambulationes quorundam paucorum virorum, aut diſcurſationes quorundam Puerorum, in iiſdem Templis (Fœminæ enim nec ambulando, nec ſtando, nec ſedendo, nec curſitando per Templa, putatitio illi cultui, aut putatitiæ illi appendici cultus publici intereſſe ſolent): ne quid dicam

cam de quorundam istic ambulantium templaribus confabulationibus, sæpe nihil minus quam cultum sacrum aut ejus appendicem redolentibus. Atqui de tali pulsatione passim in Templis illis, ubi Organa habentur, usitatâ egò tunc agebam: non autem de *illâ* pulsatione, quę *inter ipsum cultum* (uti loquitur), *ex generali præcepto Pauli 1 Corinth. 14. 48. usurpatur.* Talem ego nullibi tunc introductam sciebam, nec divinare poteram anno 1637. in Civitate aliquâ Hollandiæ eandem primum introducendam. Præterea, talis pulsatio Organi ad juvandam psalmodiam, qualem per ignorationem elenchi contra meam assertionem otiosè defendere voluit, non sine ἀηδείᾳ & contradictione potest dici *appendix* cultus publici, cum *inter ipsum cultum* (ipso sic determinante, & experientiâ testante) *usurpetur.* Quis ritus sacros, aut ecclesiasticos moribus receptos, aut naturaliter necessarios, in precatione, verbi prædicatione, sacramentorum administratione adhibitos, usu rectè loquentium Theologorum vocabit *appendices*, sive ad esse, sive ad bene esse cultus publici necessarias? Autores latinè loquentes, appendicem exponunt per *additamentum* & *corollarium*, Iureconsulti tabulas substitutionis vocant *appendices* institutionis ex *L. 35. de Acquir. hæred.* iidem *ædificium* quod alteri adjungitur & quasi appenditur vocant *appendicem.* Philosophi *appendicem* exponunt per *corollarium*, quod principali additur; item per *additamentum* seu *accessionem.* Grammatici nonnulli accipiunt pro *adjectiunculâ*, & *observatiunculâ* aliquâ ad regulam, aut pro *auctario.* Sed nulla talis significatio aptari potest pulsationi Organi, quâ psalmodia, in initio cultus publici, & proximè ante finem ejusdem, juvatur ac dirigitur. Multo minus dici potest præcentum Præcentoris esse appendicem cultus publici, aut alicujus partis, psalmodiæ scil. ecclesiasticæ; cum in ipso cultu sacro præcinat, & eundem cultum pro suâ parte peragat; quin & præcentus ejus sit psalmodiæ publicæ requisitum præcedaneum, Organum, medium, & simul pars: quomodo fere manus hominis Aristoteli & pars dicitur & ὄργανον ὀργάνων. Sicuti manus absurdè diceretur appendix, & præcentus Præcentoris appendix psalmodiæ publicæ, ipseque præcentor, Minister ecclésiasticus appendicis cultus publici: sic etiam Organista organico cantu psalmodiam Ecclesiæ dirigens, & tanquam Ductor, Moderator, Antecessor, causa procreans & conservans eandem efficiens, Minister ecclesiasticus appendicis cultus publici, non nisi absurdè dici nequit. Nec etiam caret absurdo, quod Præcentoris ministerium componitur cum ministerio Canicidæ & Ostiarii. Ille enim officium internum directe ac formaliter sacrum & ecclesiasticum, pro suâ parte peragit; isti vero merum exrinsecum, circa cultum publicum, removendo scil. ab illo impedimentum. Illius opus est formaliter sacrum & ecclesiasticum, etiam pars cultus publici: istorum minimè. Denique Canicidæ compescentis latratum canum, & Ostiarii aperientis

rientis oſtium Templi, ut Homines illic ſacra peragere illiſque intereſſe poſſint, non poſſunt dici Miniſtri appendicis ad cultus publici τὸ *bene eſſe* inſtitutæ, nec illi Miniſtri *ad bene eſſe* cultus electi; ſed potius ad τὸ *eſſe*: quia opus eorum ex hypotheſi eſt requiſitum neceſſarium, & medium ſine quo non. Niſi oſtium aperiatur, niſi turbationes canum latrantium, & puerorum clamantium, curſitantium, ludentium, contendentium cohibeantur; nec Concionator in illo Templo concionari, nec populus illud frequentare atque ibi audire & ædificari poſſet. Expedita lingua Concionatoris, ejuſdem ſana manus abſque paralyſi non eſt appendix ad *bene eſſe* cultus publici: ſed eſt præ requiſitum ad τὸ *eſſe* cultus publici; quia alioquin in precibus & verbo præire, aut in adminiſtratione cœnæ panem frangere ac diſtribuere nequiret. Similiter judicandum eſt de opere Præcentoris, immo & Organiſtæ; in frequentioribus ſcil. Eccleſiis, ubi ὑμφωνία directio Præcentoris aut Præcentorum nullo modo ſufficere putaretur ad ἐυυμφωνίαν in pſalmodiâ ſervandam. Ubi enim tanta neceſſitas medii ad exercitium cultus à Deo inſtituti, ibi jure naturali medium illud adhibendum. An autem tanta immo major ſit neceſſitas Organiſtæ, quam Præcentoris, mox infra videbitur.

Ex dictis æquo Lectori conſtare arbitror, quam miſerè Cenſor ſe implicet, cum ait: *Neque debet hic Homo metuere, ne Organiſta eâ ratione conſtituatur Miniſter eccleſiaſticus.* Cur huic Homini non liceat hoc metuere, qui novit quomodo vacuæ obſervationes, traditiones, & ceremoniæ, quæ in antiquam Eccleſiâm irrepſerant ſæculo ſeptimo & octavo, paulatim in pejus iverint, (de quibus ſęculis quid Cenſor ſtatuerit, ut alteri cuidam hypotheſi ipſius inſerviat alibi opportunè indicabitur), donec tandem ad faſtigium & ἀκμὴν Antichriſtiani Papatus perventum fuit. Experientia hunc Hominem docuit, rudiores non tantum, ſed & eos, qui paulò peritiores videbantur in Eccleſiis noſtris, ne quid dicam ulterius, & in hoc & in aliis compluribus, circa ritus, & regimen eccleſiaſticum, immo & circa dogmata, populares atque idioticos errores cum Papiſticis, Remonſtranticis, aliiſque ſectariis ſymbolizantes erraſſe. Quod ſi eruditi Theologi inter Papiſtas, Lutheranos, alioſque, cantiones latinas, cum Organorum pulſatione conjunctas, quæ partim inter cultum publicum, in conventu Eccleſiæ, partim extra eum in Templo ſtatis horis decantantu, tanquam partem cultus ſacri ſeu religioſi ſtudiosè defendunt (uti ſupra indicavimus), cur mihi metuere non liceat, ne rudiores aliquando opinentur quotidianum illum cantum organicum, qui tunc in variis Templis, poſt finitum cultum & ante eundem inchoatum, quaſi lege latâ, audiebatur, eſſe cultum religioſum? & cur mihi non liceat, aſſertionem Pontificiis, aliiſque hac in parte ſequentibus anno 1634. oppoſitam, à vanitatis maculâ, quam Remonſtranto-Socinianus Tenebrio ei aſperſerat, purgare; atque unà monere,

monere, cautelas has plebi diligenter inſtillandas? Quod ſi magni Theologi ſupra à nobis citati, etiam doctis tum Adverſariis tum Noſtris inſtillandum putârunt, inſtrumentorum muſicorum uſum pertinere ad cultum œconomicum & ceremoniarum ſub V. T., non autem ad cultum N.T.: cur ego vanitatis, curioſitatis, & vani metus arguar, ſi & Studioſos in Diſputatione Academicâ, & plebem datâ occaſione in eâdem veritate pro viribus inſtituam? Si Cenſori viſum ultra huic Homini inſultare, genuinum prius frangat in Calvino, Beza, Martyre, Daneo, Lavatero, Zeppero, Pezelio, &c. aut quod magis ipſum decebit, contra à Lapide, Schultingium, Eckhardum, alioſque Adverſarios exemplo *Riveti in Exod.* 15. & *Altingii in Controv. Luther.* cauſam eorum defendat. *Hanc*, inquit, *Beza ad Acta Colloq. Mompelgard*, "*part.*2.*p.*37., fuiſſe ceremonialis cultus partem, non temere in Eccleſias "Chriſtianas invehendam conſtat, & triſtis docet experientia, &c. illam ta"men ſymphonicam Muſicam, ſive voci adjungantur inſtrumenta, ſive mi"nus, &c. ſapienter exiſtimo feciſſe, qui in Eccleſiis aboleverunt, & ſolâ "vocis gravi, piâ, & religiosâ cantione contenti, illam ex cœtibus publicis "eliminârunt. *Altingius in Controverſ. Luther. contr.* 2. *de Ceremoniis*: In "Templis Chriſtianorum nullo jure titulove vel imagines tolerari poſſunt; "vel Organa etiam adhibentur. Rationes ab illo adferuntur treſ ſequentes, Quia in cultu divino populi Judaici ceremoniale fuit: quia per Organa & confragoſa ejuſmodi inſtrumenta muſica, nulla fit ædificatio, aut inſtitutio: quia Organa, invaleſcente jam ſuperſtitione excogitata primum circa annum 770. & concludit ibidem: *ergo nobis exoſa eße debent*; *ac per nos è Templis merito iterum exturbantur.* Wendelinus in Syſtem. theolog. poſtremæ edit. 2. cap. 6. pag. 1643. citatis verbis Cypriani de zelo & livore: Diabolus, *aures per canoram muſicam tentat, ut ſoni dulciori auditu ſolvat, & molliat Chriſtianum vigorem.* Ibid. ſubjicit, nonnullis videri, *quod qui in Eccleſias Chriſtianas Organa reducunt aut reduci volent, Babyloni, unde egreſſi ſunt, potius ſupparaſitari, quam Chriſtianæ ſimplicitati ſtudere velle videantur.*

Ibidem addit, eſſe quoque orthodoxos qui muſicam organicam certis additis conditionibus inter adiaphora numerant: ſed *illas conditiones ita comparatas*, ut *ſcrupulos non minuant, ſed augeant religioſis.*

Ibidem taxat præpoſteram quandam conſuetudinem in Eccleſiis nonnullis, ubi in adminiſtratione cœnæ *pſallentium & pſallendo precantium devotio ſubinde turbatur, & ſilentium ei per prægrandium iſtorum ſollium & fiſtularum, &c. tonitrua indicitur. Credaſne apoſtolicæ ſimplicitati & ſinceritati potuiſſe hæc talia probari?* Adde, quæ *Rivetus locis cit.* in eundem ſenſum diſſerit, quorum aliqua ſupra retulimus. Eccleſiæ Belgicæ in Synodo Nationali Middelburgenſi anno 1581. ad qu. 34. An uſus Organorum in Templis ſit retinendus? ſic

Digitized by Google

sic respondent: *nam judicatur, esse bonus* (scil. usus); *imprimis ante concionem: ideoque Ministri operam dabunt, ut sicuti is ad Tempus toleratur, quamprimum abrogetur.* Quidquid monuerint & moliti fuerint Ministri, metumque majoris abusus secuturi minimè vanum allegârint, nihil obtinuerunt: sed tolerare coacti sunt, quodcunque Ædili alicui, aut potentiori sive musicæ instrumentalis, sive ἴδιον ἀγαθὸν amore, sive quocunque alio respectu hic agere visum fuit. Ut saltem juris & sensus antiqui reformati circa usum Organorum nuda speculatio ac commemoratio ipsis hodie relicta, forte & vix relicta videatur: dum praxis & studia quorundam pro sumtuosissimis Organis templaribus, ad ulteriora contendere non desinunt. Nunc judicet Lector an vana fuerit mea assertio, & variæ cautelæ primorum, mediorum, postremorum reformationis nostræ Theologorum, quas ego repetendas & plebi instillandas ante annos fere 28, à Tenebrione Remonstrantico Aggressore meo provocatus, respondebam. Sic ego de his hactenus: protestatus, non tanti momenti nobis esse, ac si in iis summa fidei aut alicujus articuli fundamentalis verteretur, nullaque tolerantia, unitas, coalitio, fraternitas inter Ecclesias praxi aut etiam opinione hic dissidentes intercedere posset. Tantum meliorem & tutiorem viam, quam *reformati Theologi cit.* ostendunt, ab Adversariorum citatorum oppugnatione, & innoxiam meam assertionem anno 1635. propositam ac contra Thersiten vindicatam, denuo à dicâ paradoxi & absurdi vindicare, debui, & volui.

TRACT. II. SECT. II.

De publicâ Verbi Divini Tractatione.

§. 1. OMnis publica & communis Verbi Divini Tractatio ejusdem Lectione & Explicatione absolvitur. De Catechizatione, & Prophetiâ, quia aliquando publicè, aliquando privatim habentur, & haberi solent, sequenti Tract. agemus. In Ecclesiâ Judaicâ & primitiva apostolicâ, ac subsequente antiquâ hæc duo obtinuisse constat. De lectione habes Actor. 13. v. 27. *secundum φωνὰς Prophetarum, quæ in sabbathis legebantur.* & cap. 15. v. 21. *Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis Civitatibus habet, qui ipsum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbathum legitur.* Indicium sabbathicarum Scripturæ lectionum apud Judæos sunt ternæ ס in Pentateucho (in Bibliis Hebr. Chald. Basilienſibus in fol. an. 1618. vox *parascha* singulis sectionibus præscribitur) denotantis quinquaginta quatuor פרשות *sectiones*: quibus respondent totidem sectiones ex Prophetis legi solitæ. Utrarumque nomina & seriem exhibet tabella subjuncta Bibliis

Bibliis Hebraicis Plantini in 4. & Josephi Athias Amstelodami ann. 1661. in magno 8. Dicuntur sectiones illæ הפטרות *haphtharot*, quasi dicas dimissiones, lectiones dimissorias; quod cum lectione sectionis ex Prophetis solveretur aut dimitteretur conventus. Hinc etiam qui postremam illam lectionem legit, dicitur מפטיר *maphtir*, q. d. *dimittens*, *dimissor*. De illis sectionibus propheticis videndus *Elias in Thisbi*. *Grotius in Notis ad Actor.* 13, "v.27. observat φόρτος ibi denotare פרורות h. e. partes Prophetarum in "sua sabbatha distributas, sicut legis פרשות. Prior conjectura de novâ significatione vocabuli φόρτος nihil solidi habet: neque enim in Scripturis tali significatione occurrit: & plana erit interpretatio, si eam exponamus, (uti *Actor.*24.*v.*21.) per synonyma ῥῆμα & λόγος, id est, *sermonem*, *dictum*, *sententiam*, Hebr. דבר & מלה Syr. מלא *mello*. Rectè ergo *Interpretes* omnes, quos vidi, *Vulgatus*, *Erasmus*, *Isidor. Clarius*, *Pagninus* verterunt *voces*. Et Syrus כהובא *ketoube*, id est, *scripta*. Arabs ab Erpenio editus קול *kaul*, id est, vocem numero singulari: sed in Bibl. polyglott. Londinens. ואמורות *waafwato* & voces, numero plurali. Quod addit, illas sectiones seu partes Prophetarum dici פהורות *petourot*, nescio ex cujus indicio id habeat. Et si quidem apud antiquos Rabbinos aut hodiernos talis vocabuli aliquis usus esset (uti non arbitror esse), scribendum esset cum ט & non cum ת: derivandum enim esset à פטר *pathar*. Sed forte περίεργον typothetæ vitium illud tribuendum erit. In lectione verbi considerari potest, res legenda, lector, tempus, loco, ordo, modus.

I. Leguntur in Ecclesiis Nostris soli Libri canonici: & rectè. Nolo diffiteri in antiqua Ecclesiâ etiam Libros quosdam apocryphos dictos deutero canonicos, fuisse lectos: sed absque monitu & exemplo Eccleſiæ apostolicæ. Nec mirum, cum Ephræm Edessenæ Ecclesiæ in Syriâ Diaconus *ad tantam venerit claritatem* (teste Hieronymo de Scriptor. Eccles.) *ut post Lectionem Scripturarum, publicè in quibusdam Ecclesiis ejus Scripta recitarentur*. Idem ibid. testatur de Clementis 1. Epist. ad Corinthios. De Homiliis jussu Caroli Magni collectis, & in Ecclesiâ lectis supra in transitu quid indicavimus. Pontificii quomodo Lectione Passionalium, Legendarum & similis furfuris librorum, Scripturas Populo ex manibus excusserint; alibi dicendum est. Tantum hic refero ex *Gerh. Voßii* Tungrensis Præpositi *Miscellan.* cum *Gregor. Thaumaturgo* editis *pag.* 143. Thomæ Becket dicti Cantuariensis Historiam seu martyrium sex lectionibus distinctum, olim in Ecclesiâ in matutinali chori officio legi solitum. Quis, & qualis possit esse usus lectionis privatæ apocryphorum quorundam, & quid de singulis censendum, qui antehac & etiamnum hodie cum Corpore Bibliorum conjuncti, abunde docetur à *Nostris c. Pontificios in Controvers. de Scripturâ*, & à *Raynoldo* in longè eruditis. scripto tit. *Censuræ libr. apocryph.* Ut omne erroris

Digitized by Google

periculum evitetur, præstat in Ecclesiâ solos Libros canonicos legi, & Populum lectioni eorum assuefieri: ne rudiores in populo, cum publicè, perpetuo, & ordine recurrente juxta cum Libris canonicis eos legi, aut absque cautelâ & distinctione pro concione ad confirmanda dogmata allegari audit, pari pietatis affectu & reverentiâ (verba sunt *Concil. Trident. sess.* 4.) cum tempore eosdem *suscipiat & veneretur*. Possem hic dicere, me quamvis in Ecclesiis Nostris non legantur, in nostris Hominibus in pueritiâ non satis catechizatis sæpè hoc expertum esse. Quid vetat in re tanti momenti cogitare illud vulgatum, *abundans cautela non nocet*. Doceat nos sapere casus antiquæ Ecclesiæ. Illa enim declinaverat à primæva & tutissimâ viâ, hoc est, à lectione Commentar. Apostolicorum & Scriptorum Propheticorum (apud *Justin. Apolog.* 2.) & hinc est, quod a. 364. Concil. Laodicenum can. 59. decerneret: *Quod non oportet privatos* (ἰδιωτικοὺς) *Psalmos in Ecclesiâ legere, neque Libros non-canonicos, sed solos canonicos veteris & novi Testamenti.* Sed manstit tamen πάρεργον quorundam, eaque in Ecclesiis, si non lege saltem moribus non tam approbata, quam permissa & tolerata fuit: adhibitâ cautela distinctionis, inter Libros canonicos & ecclesiasticos; inter protocanonicos & deuterocanonicos; inter lectionem eorum, Populique ex iis institutionem, & inter dogmatum ex iisdem probationem, inter Auditores catechumenos, nondum lectionis canonicæ capaces, & inter fideles, ut scil. coram illis solis legerentur, non coram istis. Athanas. in Synopsi Scripturę in principio, enumeratis 22. libris V. T. canonicis, subjicit: *Præter istos sunt adhuc alii veteris instrumenti libri non canonici, qui catechumenis tantum leguntur. Ruffinus* (qui floruit a. 390.) in *Expositione Symboli*, quę cum Hieronymi & Cypriani Operibus edi solet, ait libros Sapientiæ, Syracidæ, Tobiæ, Judith, Macchabeorum permissos legi, tanquam ecclesiasticos, non vero tanquam canonicos, ex quibus dogmata fidei confirmentur. Quod in illo *Pamelius* censurâ notat. Idem *Ruffinus ibid.* ordini ecclesiasticorum in Eccleſiâ tunc lectorum accenset libellum dictum *Pastor sive Hermetis. Hieronymus de scriptor. eccles.* vocat utilem librum, ex quo usurpaverint testimonia multi Scriptorum veterum, quique apud quasdam Græcas ecclesias publicè legitur. Editus est hic Liber cum monumentis orthodoxographis Basileę a. 1555. Et à Margarino de la Bigne in Bibliothecâ Patrum. Quid de illo censendum sit, & alii censuerint, vide apud *Rivetum in Critico sacro lib.* 1. *c.* 12. & confer *Possevinum in Appar. sacro.* Alios dictos tunc strictè & κατ' ἐξοχὴν Apocryphos etiam alicubi lectos fuisse constat ex *Gelasii Prohibitione*, quæ exstat in *Decreto Gratiani dist.* 15. & 16. ubi complures enumerat & cap. *sancta* dist. 15. de gestis duorum martyrum exsertè dicit, propter rationes illis ablatas, *in sanctâ Romanâ Ecclesiâ non legi.* Unde haut obscurè colligitur alicubi illos lectos & in pretio habitos fuisse.

Frustra

Digitized by Google

Fruſtra alioquin prohibitio talis facta fuiſſet: juxta illud vulgatum, *ex malis moribus bonæ leges.* Conferatur *Synopſis Athanaſii*, & *Baronius* anno 44. §. 42. & 48. §. 13. 14. ubi de nonnullis, ex antiquis enotat, quod publicè in Eccleſiis lecta fuerint. *Michael Neander* Soravienſis *in Præfat. ad Apocrypha aliquot* à ſe anno 1563. græcè & latinâ edita, & Baſileæ excuſa in 8., ex Patribus & Hiſtoricis eccleſiaſticis prolixum antiquorum apocryphorum catalogum contexit. *Idem* inter alios à ſe editos exhibet *Proteuangelium Jacobi* gr. lat. quod Gul. Poſtellus homo quidem πολύγλωτ@ & πολύτροπ@, cætera non parum fanaticus, ex Oriente aſportârat, & de quo teſtatus erat (referente *Neandro in Præfat.*), illud in *Eccleſiis orientalibus Chriſtianorum publicè legi*; quodque judicabat, eſſe *gemmam inter Libros theologicos, & baſim atque fundamentum totius Hiſtoriæ euangelicæ, & caput Euangelii ſecundum Marcum.* En fructus contemtæ aut in dubium tractæ perfectionis atque excellentiæ Scripturarum! Poſt Neandrum *Sixtus Senenſis anno* 1566. *Lib.* 2. *Bibliothec.* prolixiſſimum omnium Apocryphorum V. & N. T. quorum in Scripturâ mentionem fieri putat, catalogum diſpoſuit. Qui videndus. Præter Neandrum, ex recenſitis Apocryphis, aliquos edidit Johannes Herold cum Orthodoxographis, &c. Baſileæ anno 1555. ut Canones Apoſtolorum, Mariæ epiſtolam ad Ignatium, Euangelium Nicodemi, Proteuangelion Jacobi, Epiſtolas Abgari Regis ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum, Lentuli ad Senatum Romanum, Pilati ad Tiberium; Teſtamentum 12. Patriarcharum. Margarinus la Bigne cum *Biblioth. Patrum* dedit Hermam & Hermiam; Linum, teſtamenta 12. Patriarcharum. Editi ſunt ſeorſim libri 10. Certaminis Apoſtolici, ſub nomine Abdiæ Babylonii. Epiſtolæ Abgari, & Chriſti ad Abgarum exſtant apud *Euſebium Lib.* 1. *Hiſtor. eccleſ. cap.* 13. Epiſtolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, potius epiſtolia, aliquoties edita. Clementis epiſtola ad Corinthios ante paucos annos primum prodiit in Angliâ, operâ Patricii Junii. Mariæ epiſtolium ad Ignatium, & Ignatii ad Mariam, exhibet *Sixtus Senenſis lib.* 2. *Biblioth. pag.* 164. Uti in antiquâ Eccleſiâ nimia quorundam περιεργία, curioſitas, & rerum novarum cupiditas, & aliorum nimia indulgentia ac conniventia primum ſimpliciores, immo & integras Eccleſias abduxit ad publicam Apocryphorum lectionem; ſic ſuccedente tempore ad receptionem eorundem, tandem ad canonizationem quorundam Apocryphorum ventum eſt: uti hoc fatetur, Sixtus Senenſis Lib. 1. pag. 2. Quos, inquit, "quos olim priſci Eccleſiæ Patres, tanquam Apocryphos & non Ca-
" nonicos, habuerunt; eóſque apud ſolos catechumenos, nondum canonicæ
" lectiones capaces, ut in Synopſi teſtatur Athanaſius, primum legi permiſe-
" runt, deinde procedente tempore, ut Ruffinus in Symbolo ſcribit, apud
" omnes fideles recitari conceſſerunt, non ad dogmatum confirmationem,

Digitized by

" ſed ad ſolam populi inſtructionem: & quia publicè in Eccleſiâ legerentur,
" Eccleſiaſticos nuncuparunt: demum verò inter ſcripturas irrefragabilis au-
" toritatis aſſumi voluerunt.

Nec hic ſubſtitit rerum novarum cupiditas: ad 3. & 4. Ezræ in canonicis numerandos proceſſit Joh. Benedictus, qui in catalogo Bibliis latinis à ſe anno 1552. editis præmiſſo, dicit eos non eſſe in *canone Hebræo*, *ab Eccleſiâ tamen Chriſtianâ receptos*, juxta cum Sirach, Judith, Tobiâ, &c. Et error hic non tanquam privatus quibuſdam Doctoribus imputandus eſt, ſed & toti Eccleſiæ Romanæ, quæ non tantum libros tales publica cum approbatione edi ſivit, ſed etiam ex 4. lib. Ezræ lectionem ſumit in tertiâ feriâ Pentecoſtæ, & in ſolennibus Martyrum. Quin & Pſalmi Salomonis 18. gr. in Bibliothecâ Auguſtanâ M. S. inventi & ab Andreâ Schotto tranſmiſſi Joh. Ludovico de la Cerda, ab hoc gr. lat. una cum adverſariis ſacris editi ſunt anno 1625. qui *in Scholiis pag.* 15. eò inclinare ſe profitetur, quod tanquam nothi non ſint rejiciendi. Jeſuita *Nierenbergius de Origine Script. lib.* 2. *cap.* 13. ex regiâ Bibliothecâ M S S. S. Laurentii in Scuriali tranſcribit pſalmum unum atque alterum Adami & Evæ, qui exſtant in *Revelationibus B. Amadei Minoritæ. Ibid. cap.* 14. meminit admirandi libri Toleti anno 1242. inventi, quem Setho nonnulli tribuerunt. Franciſcus Fluſſas Candalla in Epiſt. dedicator. ad Imperatorem Maximilian. præfixâ Triſmegiſti Pimandræ (ſic ſcribit) anno 1574. è græco in Latinum à ſe poſt Ficinum accuratius converſæ, & anno 1630. Coloniæ cum Hannibalis Roſſeli Commentâriis in Pimandrum recuſæ in offic. Cholinianâ in fol. ſic loquitur: *Hic unus inter eos, qui divinitus inſpirati ſunt*, &c. *aderunt quamplura, quæ à Moſe, Prophetis, ac quibuſvis Chriſti pateſactionem præcedentibus ſilentio prætermiſſa ſunt, Mercurio huic ter maximo pateſacta, qualia ſunt de triade*, &c. De hoc Mercurio & de Sibyllis plura ex Pontificiis Scriptoribus adferri poſſunt, quæ ipſos ψευδηγύρεις, & ſcripta eorum quaſi canonica nobis depingunt. Sed nunc ἄλλα δρῶμεν. Forte alibi peculiariter de iis agendum.

II. *Per quos* Scriptura publicè legenda, an per certos ad id deſignatos & conſtitutos Lectores, & quales an vero promiſcuè per quoſvis de Eccleſiâ ad hoc idoneos, aut paratos? *Reſp.* In Eccleſiâ Romanâ jam inde à tempore *Lombardi* cum & ex ipſo *Lib.* 4. *Diſt.* 24. in ſacramento ordinis ſeptem faciunt gradus eccleſiaſticos; quorum primus eſt *oſtiarius*, ſecundus *lector*, &c. Quid de eo ſtatuendum ſit, antagoniſtæ Papatus ſatis ſuperque oſtendunt: & nobis infra *Part.* 2. aliquid de eodem dicendum erit. In antiquâ Eccleſiâ certos & ad hoc ordinatos Lectores munere illo functos fuiſſe, colligimus ex Cypriani Epiſt. 34. ad clerum & plebem: *Aurelio lectore (à le) ordinato ad legendum in Eccleſiâ euangelium.* In eâdem Epiſtolâ dicit Celerinum à ſe deſignatum lectorem.

Digitized by Google

lectorem. Et Epist.24. Saturum ad id ordinatum. In eâdem cœptum est Lectoribus illis tribui nomen *Diaconorum*; quod tamen cum *Actor.6.* non convenit; siquidem nomen hoc strictè accipias : nam latè acceptum Concionatoribus, Senioribus, Doctoribus, pauperum Curatoribus tribui potest. Hieronymus Epist.ad Sabinian. Diaconum, *Euangelium Christi quasi diaconus lectitabas. Gregorius M. lib. 4. Epist.44.* narrat, Diaconos lectionis euangelicæ officium exoluisse. Memoratur & Pontius Cypriani Diaconus, qui vitam ejus scripsit. *Sozomenus Lib.7.c. 19. Nicephorus lib. 12. c. 34.* testantur apud varios hoc munus in Diaconos translatum. Ex dictis colligimus non tam totius Scripturæ lectionem, quam solius Euangelii, hoc est, tmematis alicujus ex euangelicâ historiâ Lectoribus, dictis Diaconis, impositam fuisse: quod exsertè indicant Gregorii verba proximè sequentia: *Psalmos vero, ac reliquas lectiones per subdiaconos, vel si necessitas fuerit per minores ordines exhiberi.* Postea in casu necessitatis, cum per morbum Presbyteri concio haberi non potest, iisdem Diaconis Lectoribus concessum est, recitare Homilias Patrum, *can.4. synodi Vasensis* (sic scribit *Ioh. Stephanus Durantus*). *Cythræo in Catal. Concilior.* hæc synodus Gallicana habita anno 444. dicitur *Vasionensis*, à civitate *Vassionensi.* Meminit *Sidonius* oppidi Vassionensis *lib.7. Epistol. 5. ad Concellum.* Ptolomeo dicitur *Vasio*, *Vasion*, gall. *Vaison*, in Galliâ Narbonensi. Nostræ Ecclesiæ communiter Prælectorem certum in quâque Ecclesiâ constituunt, qui idem & Phonascum seu Præcentorem agit, & Catechistam. Nonnunquam tamen per ministerii Candidatos, aut ægrotorum Consolatores, aut etiam, occasione ita ferente, per ipsum Concionatorem, aut per Seniorem, aut aliquem ex Senioribus, immo, cum non sunt certi Lectores, per quemcunque ex populo assumtum, aut pro tempore illo evocatum; cujus vox & pronuntiatio idonea sit. Hic etiam locum habet diverbium illud Judæorum: *In loco ubi non est vir, tu te virum præsta. Sozomenus* testatur Episcopos & Presbyteros diebus solennibus hanc provinciam obiisse *lib. 7. cap.19.* Nec debet Concionator officium prælegendi & præcinendi in & coram Ecclesiâ Christi, addo & catechizandi inter vilia munera numerare, dignitati Ministrorum parum convenientia. Vide Ezræ 4. Ubi verbum Dei simpliciter legitur, ibi absque operosâ præparatione & probatione alicui hoc demandari potest. Sed non ita, si ad nudam lectionem contextus non tantum, sed etiam ad ejusdem literalem explicationem eos teneri contingeret: de quali lectione *Ezræ* 8. *v.* 3. 4. Videntur tempore *Cypriani* plus quam legisse, insuper Scripturas explanantes, aut catechumenos catechizantes, cum ab ipso Epistol. 24. dicuntur *doctores audientium.*

III. *Tempora* lectionum, an ante, an post post conciones, an diebus dominicis inter duas conciones eæ sint peragendæ; & quando inchoandæ, ac

finiendæ, quamdiu protrahendæ: Ecclesiæ cuilibet dispiciendum est, & toties pro ratione circumstantiarum mutandum; quoties & ut vident Ecclesiæ ædificationem illud requirere. Cacoëthes de unâ dictâ omnibus Ecclesiis in hoc & similibus præscribendâ, nemo sanus imitari debet.

IV. *De loco* & situ lectoris deque ambone parum solliciti sumus. Natura docet è tali loco, & tali situ corporis, verbum Dei legendum esse, ut omnes commode audire queant. Tempore Cypriani stabant toti Ecclesiæ conspicui, loco eminentiori in pulpito, quod ille Epist. 34. *tribunal* appellat: *Legit præcepta*, inquit ibid., *& euangelium domini, loci altioris celsitate subnixus, plebi universæ conspicuus.* Nehem. 8. v. 3. 4. locus & tempus lectionum Ezræ, & Auditores, eorumque attentio describuntur: *stabat Ezra scriba super* מגדל *migdal*, quæ vox turrim significat quia ad modum turriculæ pulpitum illud fabricatum erat. Apud profanos Scriptores loca illa excelsiora unde orationes ad populum haberi solent, vocantur *suggestus*, *& pulpita*, apud Romanos *rostra*, apud Græcos βῆμα *tribunal*, quod *Cyprianus Epistol. cit.* adoptavit. Apud Hebræos in V. T. כיור *kijor* q.d. labrum, ollam, lebetem, concham: & notat hic מושב, id est cathedram (interprete *R. Sel. Iarchi*); sic dictam proculdubio, quod figurâ lebetis aut conchę constructa erat. *Ps.* 1. *v.* 2. מושב quod in N. T. *Math.* 23. καθέδρα, id est, sedes, sedile. Nam indifferens est legentem aut concionantem sedere aut stare: modo commodè exaudiri possit. Exemplum sessionis habes in Servatore *Luc. 4. v. 20. Math. 5. v. 1. & 26. v. 55.* Rabbini in *Sepher schemot*, & alibi usurpant vocem ב'מה *bima*, à gr. βῆμα. Ipsis enim & Thalmudicis non infrequens, penuriam linguæ suæ supplere vocabulis ex Græcia traductis. Barbarè dicitur *ambo* (al. *umbo*) *dicterium*, lectorium. De quibus vocabulis vide more Romano φιλολογοῦντα *Gavantum in Thesauro rit. tom. 1. part. 2. tit. 6. §. 5.*

V. *Ordo lectionum* variè institui potest. Hieronymus lectionarium construxerat continens lectiones per totum anni curriculum: si credendum *Micrologo de eccles. ast. Observat. cap.* 25. Pontificiorum in Missali & Breviario ordo ac distributio, incommodis non paucis laborat. 1. *Quod* linguâ ignotâ legitur. 2. *Quod* ex Apocryphis lectiones desumuntur, & non tantum ex Canonicis; immo etiam ex Augustini aliorumque Homiliis. 3. *Quod* tmemata, & sectiones à corpore avulsæ plerumque legendæ designantur. 4. *Quod*, variantibus variarum Ecclesiarum statibus, quovis tempore per totum anni curriculum, eædem illæ recurrentes lectiones præscribuntur: ac si eadem medicamenta, eadem recurrens diæta omnibus hominibus iisdem anni temporibus, mensibus, diebus, usque ad finem mundi præscriberetur. 5. *Quod* non sine ἀκαιρολογίᾳ & ineptâ curiositate dividant omnes lectiones in Euangelia & Epistolas: & quod Epistolæ, quandoque sumuntur de veteri, quandoque

doque de novo teſtamento, cujus myſticam ſcil. rationem adfert *Innocentius Lib.2. de myſteriis miſſæ c. 29.* 6. *Quod* dominicis diebus Epiſtola ex novo teſtamento legitur. 7. *Quod* Epiſtola ante Euangelium legitur. Rationes myſticas iſtorum omnium,videat,qui tam firmi ſtomachi eſt , ut faſtidioſas illas inanias deguſtare queat ; apud *Durantem in Rationali , Joh. Steph. Durantum Lib.2. cap.*18. & 23. *Gavantum Tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 10. In pleriſque Eccleſiis noſtris tota Scriptura à capite ad calcem legitur ; ubicunque ſcil. dimidiâ horâ ante Pſalmum concioni præmittendum Lector occupatur. Ubi vero minus temporis lectioni datur, aut liber quis Scripturæ , aut ſelectum aliquod caput,aut aliquot capita,tempori, loco, & ſtatui rerum,aut textui explicando & concioni abunde convenientia. Quod ubique obſervari puto in ſolennibus ſupplicationibus, in Euchariſtiis , & in celebratione cœnæ. Sed tota hæc ordinatio , prudentiæ Concionatorum & Synedrii relinquenda : qui in ſuis quique Eccleſiis, optimè judicare poſſunt , quid præſens rerum ſtatus , & melior ædificatio requirant. Hoc unicum prudentiæ Concionatorum & Synedrii, qui prælectioni præeſſe, & Lectoribus ordinem præſcribere debent, conſiderandum relinquo , an omnia Scripturæ tmemata , coram quibuſvis Auditoribus , præſertim Pueris & Puellis ſemper ordine recurrente publicè legenda ſint : qualia e. gr. *Geneſ.* 38. *Deuter.* 22.

VI. *Modus* poteſt eſſe triplex : vel ut nudus textus diſtinctè recitetur , adhibitâ vocis flexione & modulatione ſecundum ſubjectam materiam : vel ut Lector aliquam capitis cujuſque partitionem & contenta , quæ Biblia vulgari linguâ edita exhibent , præmittat : vel ut etiam explicationem aliquam preſſam & textualem capiti ſeu tmemati cuique ſubmittat. Primus modus apud nos, & ubique fere, ni fallor , obtinet. Secundum vidi ſervari in Eccleſiis Anglo-Belgicis : proculdubio ad imitationem Lectorum in Angliâ. Tertium non ſcio in Belgio noſtro hodie ſervari. Cythræus in Orationibus anno 1614. uno volumine editis Orat. de Statu Eccleſiar. in Græciâ, Aſiâ , Bohemiâ, &c. pag. 391. teſtatur , in cœtibus eccleſiaſticis Viennæ in domibus procerum quorundam haberi ſolitis, *partem Bibliorum ſacrorum ordine perlegi, & brevi ac piâ explicatione illuſtrari.* In Angliâ , eruditæ *Lectiones Kingi* & *Georgii Abbatis in Jonam* vernaculâ linguâ habitæ & poſtea editæ aliquem , ſed prolixiorem ac pleniorem explicationis modum indicare videntur. Et tales lectiones *(* Anglicè *Lectures)* à lectionibus latinis ac ſcholaſticis & à concionibus coram quibuſvis Auditoribus haberi ſolitis diſtingui colligimus, tum ex linguâ vernaculâ, tum ex ipſo titulo , tum etiam ex modo tractandi. Titulus enim *lectures* lectiones à titulo *ſermons* , id eſt , conciones, diſtinctus , talibus Scripturæ tractatibus otiosè non præfigitur. Inſuper ratio tractandi, quam in ejuſmodi lectionibus obſervant, admodum differt

à

à ratione tractandi in concionibus. Illic enim accuratis textus & plenioribus atque eruditis dogmatum ac controversiarum explicationibus potissimum insistitur: hic vero usibus practicis, applicationibus, & amplificationibus ad commovendos affectus facientibus. De statis lectionibus in Angliâ per curatos & beneficiatos, absque Ecclesiæ conventu, aliquid notavit *Didoclavius in Altari Damasceno cap.* 10. *pag.* 632. 633.

§. 2. De ratione concionandi, tam multi scripsêre, ut vix aliquid addendum aut repetendum videatur. Exstant scripta *Pontificiorum*, *Erasmi*, *Augustini Valerii*, *Didaci Stellæ*, *Borgiæ*, *Peresii de Valdivia*, *Caroli Regii* Jesuitæ; qui omnium prolixissimè hanc artem pertractavit. Et *Nostrorum*, *Perkinsi*, *Bucani*, *Sculteti*, *Keckermanni*, *Lucæ Trelcatii fil.*, *Alstedii*, *Georgii Leti*, &c. Cum quibus conferri possunt *Zepperus lib.* 2. *Polit. eccles. cap.* 8. *Frider. Balduinus lib. de Institut. Ministrorum cap.* 13. — 20. Sed cum non una ratio & methodus concionandi, in quorumcunque textuum explicatione, in omnibus Ecclesiis, omni tempore observanda sit, velim Candidatos ministerii non solas regulis concionandi contentos esse, sed imprimis attentos in concionibus insignium artificium tum legendis, tum imprimis audiendis, consignandis, imitandis: ut ita ex variis seligere & in se ac sua transferre queant præstantiora quæque, in quibus singuli præ aliis excellunt. Alii enim exemplar præbent brevis, accuratæ nihilominus & perspicuæ textuum explicationis: alii eductionis & delectus doctrinarum: alii accuratæ & perspicuæ probationis earundem: alii amplificationis & illustrationis per similia & exempla: alii solidæ & perspicuæ vindicationis & refutationis: alii consolationis: alii adhortationis: alii seriæ, & tempestivæ, & prudentis reprehensionis: alii efficacis precationis: alii styli & exornationis: alii flexanimæ pronuntiationis: alii decori in gestibus. Conciones aliquot typis editas in *Bibliothecâ nostrâ* indicavimus: quibus nunc addimus *Hildershami in Joh.* 4. & *Ps.* 51. & *Nehemiæ Rogers ad Luc.* 15. ex anglico in belgicum idioma nuper translatas. Scio nonnullos hodie ex nescio quâ emulatione, aut quo pravæ contentionis œstro, aut si mavis ex libidine calumniandi quæ ignorant, fastidire & suspectos reddere tractatus practicos, quorum in Angliâ haut exiguus proventus: sed eorum fastum ex certâ scientiâ facilius contemni posse judicamus, quam illi ex audaci ignorantiâ laudatissimos illos tractatus vituperant. Jam inde à Perkinso vero practicorum Anglicorum Homero usque in hunc diem tam præclara scripta practica inde ad exteros linguæ illius gnaros manârunt, & tot in alias vulgares linguas translata, & etiamnum quotidie transferuntur, ut bonæ mentes non possint non Deo gratias agere pro donis in servos suos ad multorum ædificationem collatis. Si qui invidi soli-ipsi velint canes esse in præsepi, ferendum est.

Sed

Sed de hoc antehac alibi , & nuper in *Præfat. ad Vindicias Diſceptationis meæ de Luſu Aleæ.* Quod ad ipſam methodum concionandi , cujuſque prudentiæ libens relinquo , ut eam adhibeat in ſuâ Eccleſiâ , quam putat & ſuæ, & imprimis Auditorum intelligentiæ ac memoriæ maximè inſervire. Ædificatio Eccleſiæ prima lex èſto. Quod ſi quis meum judicium exquirat, non diffiteor mihi commodiſſimam videri illam cujus *Ameſius lib.* 1. *Medullæ cap.* 35. brevem ſciographiam, & clariſſ. *Joh. Hoornbeek* antehac Collega noſter juſtam & perſpicuam deſcriptionem exhibuit *in tract. de Ratione concionandi.* Addat illi quiſque aut detrahat, & eandem in periſtaticis ac particularibus pro arbitrio & prudentiâ ſuâ ad textus ac materias tractandos , nec non ad ſuorum captum accommodet. Sufficit nobis , ſi modo ad cor populi prædicetur Chriſtus, & in iis fides, & reſipiſcentia potenter excitentur. Abſit abſit, ut pro concione coram Eccleſiâ publicè contendatur contra hanc aut illam methodum , quam Collega aut Collegæ ſervare conſuerunt. Abſit ut novum aliquod eridos pomum ſuper diversâ concionandi methodo in medium projiciatur. Interim operæ pretium nos facturos putamus, ſi breviter nonnulla noſtro judicio ſervanda aut vitanda indicemus.

1. In textuum explicandorum delectu ad neceſſitatem & præſentem ſtatum Eccleſiæ ſuæ Concionatori reſpiciendum. Ille enim noſſe debet , quæ potiſſimum adhortationes, quæ correptiones , quæ didaſcalicæ inſtructiones, quæ conſolationes , qui elenchi, his & nunc requirantur. Extra hanc neceſſitatem conſultum videtur, & in bene conſtitutis Eccleſiis noſtris obſervarum, ut integri libri , aut ſaltem integra capita continuato ordine explicentur. Dominicalibus textibus perpetuò in ordinem recurrentibus ſe & alios alligare , minus commodum videtur. Omne enim conſilium Domini occaſione iſtorum textuum Eccleſiæ proponi nequit : niſi quis contra artem & methodum concionandi evagari velit , & non paucas doctrinas ad textum adducere potius, quam inde educere. Quicunque tandem iſtarum ſectionum Autor fuerit (de quo vide quærentem *Zepperum in Præfat. ad Conciones* ſuas *dominicales*) , negari non poteſt quin alii textus ad hypotheſim ſaniorum ſermonum Auditoribus proponendi ſeligi , & jam ſelectis partim addi partim ſubſtitui potuiſſent. Adhæc minimè omnium convenire arbitror , ut Concionatores in quibuſvis orbis partibus , & quovis tempore aſtringantur ad illos textus Dominicales explicandos , & quidem ſtatis illis diebus dominicis ; cum præſens rerum & Eccleſiarum conſtitutio alios textus alioſque tractatus poſtulare videtur. Præterquam quod inter Dominicales textus aliqui occurrant, quorum explicatio non tam una , quam duabus aut tribus aut pluribus concionibus dominicalibus abſolvi deberet. Denique hoc incom-

modum ex hâc postillophagiâ consequi videtur, quod tales conciones Dominicalem in ordinem perpetuò recurrentes insciti am & ignaviam tum Concionatorum tum Auditorum foveant : uti experientia hoc comprobavit. In Papatu rudiores editis textuum dominicalium libellis eorundemque notationibus in libellis almanachicis , adhæc postilliſticis & perpetuò recurrentibus concionibus , à comparandis sibi bibliis , iisdemque legendis, abducti sunt. Quantum apud nostros post reformationem antiquæ ignorantiæ & ignaviæ aut remanserit , aut de novo succreverit, multis querelis non prosequar : cum res ipsa clamet. Audiant , si qui ex Nostris insigni huic ignaviæ fomento indormire malint,& ut honestè hâc in parte deficiant, alios ad eandem postillophagiam decretis nescio quibus constringere tentent, prætextu imperitiæ & petitionis auditorum ; audiant, inquam, Zepperum in mediâ Germaniâ , ubi morbus hic quasi endemius , tale antidotum præscribentem Lib. 2. Polit. eccles. cap. 8. pag. 419. “ Ne ergo ecclesia tanto scriptu-
“ rarum sactarum thesauro, non sine horrendo sacrilegio , privetur , sacræque
“ literæ non mutilatæ , sed integræ & solidæ Dei peculio proponantur : satius
“ est veterem illam & divinam consuetudinem , abolitis textibus illis Domi-
“ nicalibus, postliminio restitui : aut si omnino agrestioris & rudioris populi
“ ratio quædam alicubi habenda sit , hoc tamen temperamentum , hæcque
“ moderatio adhibeatur, ut retentis Dominicalibus illis textibus,prudens pa-
“ stor nonnunquam integro illo capite, in quo textus Dominicalis habetur ,
“ prælecto, aut alio etiam textu Biblico selecto , illa sibi tractanda proponat,
“ quæ pro remporum, locorum, personarum , & præsentis status ratione , ec-
“ clesiæ ædificatio omnium maximè requirere videbitur. Juxta tamen
“ singulis diebus Dominicis , interpolato cantu ecclesiastico consueto , inte-
“ grum caput Bibliorum, ordine sacrorum librorum observato , & brevi ar-
“ gumento,cùm uno atque altero loco communi præfixis,publicè prælegatur.
“ Pro concionibus verò hebdomadariis integer scripturæ liber ordine enarre-
“ tur,ita quidem,ut si plures ejusdem ecclesiæ ministri sint, alter veteris, alter
“ novi Testamenti librum,prout communiter illis,vel etiam In spectoris ordi-
“ narii , & classici conventus judicio convenerit , enarrandum sibi sumat.

Hoc consilio & ego felici cum successu usus sum , in Ecclesiis in Papatu plantandis, aut ex eo primum emergentibus , aut eidem vicinis. Agat modo Concionator Antecessorem & suis placidè ac prudenter meliorem viam ostendat, & ad perfectiora contendere doceat: nec prætextu ruditatis ac petitionis suorum, aliis imponat , aut proprium cor seducat. Quod si alicubi in primâ plantatione Ecclesiæ , aut in novellâ quâ ac rudi Ecclesiâ, quæ postillis audiendis assuevit , textus dominicales primo ministerii anno aut biennio, aut aliquot saltem mensibus explicandi essent , Autor essem novitiis Concio-

na-

Digitized by Google

natoribus, ut ipſi conciones forment, à poſtillis memoriæ mandandis & trivialiter recitandis aut etiam legendis (quod cacoëthes tacitè à *Zeppero Cap. cit.* perſtringitur) omnino abſtineant. Interim non nocebit unius atque alterius conciones dominicales pro re natâ conferre, & optima ex iis ad imitationem ſibi proponere, aliqua etiam ad uſum ſuum transferre. Neque enim probare poſſum *αὐθαδίαν* & *θρασύτητα* quorundam Juvenum, qui cum in theologicis inſtar raſæ fere ſint tabulæ, omnia præſtantium Theologorum, Interpretum, Concionatorum ſcripta ferociter contemnunt, contenti ſcil. ſolis naſcentibus aut potius imaginariis in ſe bonis. *O utres animi ſenſu quos inflat inanes!* Ego inter paucas aliquot poſtillas, quas, cum textus dominicales in novellis Eccleſiis explicandi eſſent, ſubinde inſpexi, memini prælatam mihi ſemper *Zepperi* quod ad explicationem & doctrinas; & *Sculteti ideam*, quod ad indicium doctrinarum & uſuum. Poſt illos Autores ſcripſere & alii, inter quos manibus multorum jam inde à primâ editione teri cœpit *Conradus Diedericus*: In quo ex commendatione & poſtulato amici aliquot Dominicas tunc percurrens, deprehendi ab illo omnia ex aliis quamplurimis tam diligenter & abundè congeſta eſſe, ut novitii Concionatores magis copiâ, quam inopiâ laboraturi ſint; & vix aliquid reſtare videatur, quam ut judicium & delectum in doctrinis, & in allegatis Scripturæ textibus & dictis Patrum adhibeant. Ex textibus paucos deſumant eoſque in Bibliis ſuis primum lectos, relectos, expenſos, cum antecedentibus & conſequentibus. Ex dictis patrum nulla ſibi deſumant, niſi in explicatione dogmatum aut moralium, quæ inter Nos & Adverſarios controverſa, aut apud Auditores noſtros immeritò ingrata ac præjudicata ſunt: ſi forte ea verbis Patrum, quam Noſtris propoſita audire malint. An autem fidendum ſit novitiis citationibus Patrum abſque locorum inſpectione & collatione, merito dubitari poſſet. Nos putamus in moralibus ut & in dogmaticis atque elencticis inter Nos & Adverſarios Pontificios minimè controverſis, fide aliorum dicta Patrum allegari poſſe ab illis, qui per rem familiarem Patrum volumina ſibi comparare, aut per alia ſtudia in tyrocinio miniſterii magis urgentia, eadem verſare, conferre, excutere nequeunt. De dictis Patrum pro concione, cui Auditores Pontificii interſunt, aut intereſſe poſſunt, citandis, & ad controverſias adducendis, ſecus ſtatuendum eſt. Niſi enim quis, in publicis aut amicorum Bibliothecis, ea aliquando legerit cum antecedentibus & conſequentibus, ut quâcunque occaſione de defenſione citationis ſuæ certus eſſe poſſit: præſtat omittere. Et hactenus plus ſatis de Dominicalibus: pro quibus otiosè, & ut videtur ad controverſias multiplicandas hodie pugnare video nonnullos eruditos & celebres Theologos Germanos, *Mentzerum* ſcil. & *Keſlerum*. Quorum ille in *Exegeſi Auguſtana Confeſſionis artic. 15. pag. 679.*

D... by Google

" inter errores Calvinianorum numerat ſequentes: Zwingliani, inquit, non-
" nulli è diametro huic articulo contradicunt, quantum ad ſolennes feſtivi-
" tates & ferias, quas omnes ſuſtulerunt è medio, ſolum diem dominicum
" obſervantes: ubi tamen etiam ordinaria euangelia antiquitus bono & utili
" conſilio per totum annum certo ordine diſpoſita removent, continuum
" quendam textum biblicum, nullâ habita temporis, & hiſtoriarum ſacrarum
" ratione, interpretantur. Cui non meis, ſed *Henrici Altingii* verbis *in Exe-
geſi Auguſt. Confeſſionis art.* 15. *p.*93. 94. ſic reſpondeo: "Non contradicunt
" articulo, &c. quia textuum Dominicalium (quos vocant) ipſa confeſſio
" nullo verbo meminit. Et ut maximè meminiſſet, nullâ tamen neceſſitate
" conſcientias Miniſtrorum ad ſtrinxiſſet. Notum eſt ex hiſtoriâ Caroli M.
" Paulum Warnefridum, juſſu Imp. textus illos excerpſiſſe, & ſecundum
" Dominicas diſtribuiſſe anno Chriſti 806. Conſilio quidem non malo, &
" exitu infelici. Eo quippe effectum eſt, ut non modo mutilaretur Scriptura,
" verum etiam major ac potior ejus pars paulatim ex hominum manibus ex-
" cuteretur, atque ex animis obliteraretur.

Andr. Keſlerus in Theologiâ caſuum anno 1651. germanicè editâ *cap.*19. & 20. dominicalium textuum perpetuò recurrentes tractatus, & poſtillas contra *Ameſium lib.* 4. *Caſuum Cap.*26. defendendas ſuſcipit. Sed malè accepit Ameſii ſententiam. Neque enim ille, cum *Zeppero*, *Altingio modo cit* & *Bucero cit.* à *Zeppero*, aliiſque reformatis Eccleſiis, Genevenſi, Tigurinâ, Anglicis, Scoticis, Belgicis, &c. contendit, dominicales conciones intrinſecè & abſolutè malas, atque illicitas, aut ſemper & ubique incommodas & intolerabiles eſſe: ſed tantum hanc non eſſe meliorem, commodiorem, & tutiorem viam & Populum, & Miniſtros tum neophytos tum veteranos, in cognitione Scripturarum aſſiduò exercendi ac promovendi. Jam vero in iſtis, ſimilibuſque ad ordinis & circumſtantiarum determinationem pertinentibus, ſemper τὸ βέλτιον affectandum & eligendum, juxta illud 1. *Cor.*14. *v.*1. *ambite ſpiritualia: magis tamen ut Prophetetis.* v.12. *Ita & vos, quandoquidem ſpiritus affectatis, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut exundetis.* Et cap.12. v.31. *affectate dona potiora. Et porro* (vel adhuc) *ſecundum excellentiam viam vobis demonſtro.* Ubi verſio vulgata: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Quæ analogicè huc applicanda ſunt. Ad τὸ βέλτιον hic ſuadendum, unica ratio *Ameſii*, quæ eſt ordine ſexta, æquis arbitris ſuffecerit: deſumta ſcil. ab experientiâ, "quæ docuit (inquit *Ameſius*) & docet adhuc, cognitionem Dei
" magis abundare in illis Eccleſiis, ubi iſtoc agendi modo relicto, Scripturæ
" partim per integros libros ordine continuato, partim ut occaſio & neceſſitas
" aliqua exigit, liberè tractantur. De exceptionibus *Keſleri* contra hanc Ameſii rationem verè pronuntiari poteſt, quod ille *ibid.* perperam de Ameſii ra-

ratione, esse infirmas. *Exc.* 1. quod in usu Dominicalium in suis Ecclesiis experiantur Dei benedictionem, & quod non noceant ipsis, sed magis prosint, &c. *Resp.* Sed hoc dicendo nihil dicitur. Mutatur enim status controversiæ, qui ab *Amesio Cap. cit. quæst.* 2. sic formatur: An probanda sit illa "consuetudo, quæ in Papatu obtinuit, & adhuc in quibusdam Ecclesiis Reformatis observatur, pro concione ex ordine tantum (nota) explicare pericopas & lectiones quasdam Dominicales, quæ usitatè Euangeliorum & Epistolarum nomine appellantur? Nunc ostendat nobis Kesslerus, aut quicunque inter Reformatos Dominicalium concionum zelotes, Ecclesias Reformatas (Lutheranas enim non nominârat *Amesius*), in quibus per tales concionem Dei cognitio magis abundet quam, aut æque abundet ac in Ecclesiis, ubi relicto isto concionandi modo, partim integri libri partim textus pro necessitate & occasione selecti tractantur. Sed frustra quærendo se fatigabunt: quia nullæ sunt. Universali ergo experientiæ obloquendum non est. Instat fortè quis, *Instantia*: Dato per solas dominicales conciones cognitionem Dei, in Ecclesiis talibus haut magis abundare, poterit tamen æque aut magis abundare, per additas partim integrorum librorum, partim selectorum textuum prælectiones & explicationes. *Resp.* Immo non poterit: quia in Ecclesiis tum Lutheranis tum Reformatis, Vicanis scil. & Oppidanis, ubi Dominicalia obtinent, tales conciones extra-dominicales non habentur. In majoribus Civitatibus si diebus profestis concionem haberi contingat, iis tamen non promovetur cognitio Dei in Populo: cum à paucioribus dictę conciones audiantur, nec fideles ad eas audiendas canonibus & disciplinâ Ecclesię constringantur; immo cum non raro à multis rudioribus minimè audiantur; qui tamen solis Dominicalibus per totum vitę tempus pasti, adminiculis illis maxime indigent. Dentur ergo ecclesię, ubi dies dominicus sola explicatione dominicalis euangelii horis aut horâ matutinâ (quod hactenus in Ecclesiis Vicanis Lutheranis, &aliquot Reformatis obtinere certum est), aut insuper à conjunctâ explicatione Epistolæ horis aut horâ pomeridianâ, occupatur; dentur inquam, Ecclesiæ tales, in quibus æque abundet Dei cognitio, ac in aliis meliorem viæ ab *Amesio* monstratæ insistentibus. Meminerint autem Dominicalium patroni, immo & exactores, qui Ministros invitos exemplo suo aut statuto ecclesiastico huic consuetudini astringere satagunt, Amesium illum morem dissuadere, secundum quem ex ordine *tantum pro concione explicantur pericopæ* &c. Frustra ergo in casibus ad observationē decalogi, ad praxin pietatis, ad bene ordinandum Ecclesiæ regimen pertinentibus, cum quęstio est de facto deque consuetudine hic & nunc, evagatio fit ad effugia de possibili, & quid potuisset, aut quid nunc aut aliquando posset fieri. Quam artem in 3. *Part. select. Disp. tit. de Theologiâ practicâ*, ex parte deteximus. Meminit à

Jansenio theol. Lovaniensi *in Spongiâ* mihi oppositâ, ad objectam calicis in Eucharistiâ ablationem, inter alia excepisse, posse usum calicis ab Ecclesiâ (Romana scil.) rursum populo concedi. Sed quomodo per τὸ posse juvatur Populus, aut accusatio nostra diluitur; quæ non contra τὸ posse, sed contra factum instituitur. 2 *Except. Amesius* sibi contradicit, cum concedit præter explicationem de capite ad caput ordine instituendam, conciones ad separatas sententias aut sectiones Scripturæ. *Resp.* A logicis quærendum, an leges contradictionis inveniri possint in sententiâ distributivè per *partim* & *partim*, quid affirmante. e. gr. convenit aut præstat Scripturam explicari *partim* per integros libros ordine continuato, *partim* per textus liberè, &c. quam per sectiones dominicales annuatim recurrentes. Vin' similia imaginariæ contradictionis exempla, Paulus docuit Corinthios, Thessalonicenses, &c. partim vivâ voce partim per epistolas. Titius injuriam intulit Mævio partim verbis, partim scriptis, partim factis. Hermachus familiam suam sustentat partim ex labore manum, partim ex eleemosynis. Non potest exceptionis hujus ἀκυρία tegi, nisi dicatur *Amesium* determinasse, integros Scripturæ libros de capite in caput solum pro concione explicandos. Sed tale quid nisi per παράφρονα, aut nimiam festinationem dici nequit. Relege modo quæstionem ab *Amesio* propositam, ejusdemque determinationem in partem negantem. Et de hoc plus satis. *Idem Kesterus cap.* 18. *Amesii* sententiam de lectionibus, seu concionibus catecheticis sibi examinandam sumit, eumque ἰδιογράφῳ appellat. Sed *Amesium* perfunctoriè nimis inspexit. Neque enim ille lectionem aut recitationem textus catechetici, sive per Catechumenos, sive per Concionatores, sive per utrosque simpliciter rejicit, sed tutiorem hanc viam ostendit, " *Cap.* 26. *qu.* 1. §. 3. ubi sic concludit: Propter " honorem igitur Scripturæ, efficaciam veritatis prædicatæ, & periculum " scandali quod ex illo more nasci potest, consultissimum est, ut selecti Scri" pturæ loci pro fundamento catecheticæ institutionis proponantur, & ca" techismi doctrina ex ipsis eliciatur, tanquam documentum Scripturæ. In Ecclesiis Belgicis, ubi concionibus pomeridianis capita catechetica ordine & ordinariò, secundum statutum ecclesiasticum, explicantur, textus Scripturæ materiam illam catecheticam continentes à Concionatoribus ubiq; præleguntur, & doctrinæ catecheticæ ad eosdem aptantur, digito ad formulam catecheticam ejusdemq; formalem thematis aut materiæ propositæ explicationem intento, eâque inter concionandum vel ex *Libro catechetico* lectâ relectâ, vel memoriter pronuntiatâ: ut illi hypotyposi & methodo saniorum sermonum omnes Catechumeni assuefiant, eamque magis ac magis imprimant, adulti autem in fide eandem assiduò repetant, juxta *Philip.* 3. *v.* 1. *Eadem scribere*, &c. analogicè huc applicanda; ut & 1. Thess. 5. *prophetiæ*

ne

ne contemnitè, &c. Quod ad formalium verborum Catecheſios ſive per Concionatores, ſive per Catechumenos, ſive per utroſque lectionem aut recitationem, ea in Eccleſiis noſtris non negligitur: nec *Ameſius* eam omittendam conſulit; ſed tantum ne nuda illa catecheſios prælectio, quaſi loco textus Scripturarii & pari paſſu cum eodem euntis, abſque ullâ lectione textus Scripturæ publicè pro concione peragatur. Non erat *Ameſius* ſic conſulens ἰδιογνώμων (uti *loc. cit.* appellatur à *Keſlero*), nec cautela ejus aërem verberabat, aut ſchiomachiam inſtituebat, cum propter ſcandalum lectionem textus Scripturæ ſuadebat. Meminerat, quid Remonſtrantes Anti-formularii, & Anti-catechetici antehac tum ſuſurris tum editis libellis ſparſiſſent. Ego meis auribus in Synodo Delfenſi anno 1618. audivi, à Remonſtrantibus quibuſdam, qui à Claſſibus ſuis delegati partem ejus faciebant, objectum fuiſſe, videri Catecheſim ab Orthodoxis (qui tum diſtinctionis causâ *Contra-remonſtrantes* paſſim ab illis aliiſque adverſariis appellabantur) ſacræ Scripturæ æquiparari; adducto inter alia hoc argumento, quod textum ejus prælegerent, ſicuti aliis in concionibus textum Scripturæ: Quibus reſpondebatur, textum Scripturæ, à Concionatoribus prælegi, eique ſubjici recitationem textus Catecchetici per Catechumitios; quem Concionatores, non tantum ſenſu ſuo, ſed etiam externo ac manifeſto indicio à textu Scripturæ diſtinguebant. Cui reſponſo tunc acquieverunt. Ex illo tempore memini injunctam, & à Concionatoribus ſtudiosè obſervatam textus Scripturæ prælectionem, cum indicio diſcretivo hâc aut ſimili formulâ. *Cum textu prælecto convenit*, aut, *huic textui reſpondet*, aut *ex hoc textu educitur*, aut *huic textui innititur præſens ſectio*, ſeu *doctrina catechetica*. Ut concludam, abſit modo ſtudium contentionis, & præmittatur lectio textus Scripturæ, ſubjungatur lectio Symboli, aut Catecheſios, &c. illius tanquam principii & normæ, hujus tanquam principiati & normati, & non tollet norma normatum, nec principale minus principale: uti poſt *Keſlerum* diſtinguit Pruckerus in mille Quæſtionibus qu. 60. A quo tamen maluiſſem quæſtionem magis evidenter & diſtinctè propoſitam fuiſſe, quam iſtis verbis: An *Concionator pro textu biblico ſymbolum, catechiſmum, cantionem eccleſiaſticam, &c. è ſuggeſtu populo prælegere, explicare, & in uſum licitum convertere poteſt*? Quod ad nos & *Ameſium*, non quærimus de ſimpliciter licito & illicito, ſed de eo quod magis conducit, expedit, tutum eſt, ædificat. In antiquâ Eccleſiâ Clementis Romani, Ephremi Syrii aliorumque ſcripta publicè prælecta: & quod ſi præſtantiores quidam ſive tractatus, ſive lectiones, Cypriani, Baſilii, &c. & quidni, confeſſionum, apologiarum reformatarum, immo & Lutheri, Melanthonis, Buceri, Zwinglii, Calvini, &c. exemplo antiquorum publicè in Eccleſiâ prælegerentur, abſolutè tale factum non condemnarem, tanquam intrinſecè malum:

ſed

sed de eo quod melius, quod tutius quod rebus & temporibus convenientius, disquirere auderem; non tamen pro textu Biblico, talia prælegi & explicari concederem.

II. *De textus analysi, & partitione*, sic censeo utrumque in eâ extremum esse vitandum: ne ab unâ parte in pulverem secetur, ad gravandam magis intelligentiam, & memoriam Auditorum, quam juvandam: nec ab alterâ parte, absque distinctione & partitione explicitâ, aut ullo ejus indicio, confusa applicationem, sententiarum, explicationum, amplificationum conglobatione aures auditorum ad momentum radamus, aut potius obtundamus; & plerosque unde vacuos dimittamus, ad instar viri, qui *facie suâ nativâ in speculo* considerata, &c. *abiit*, &c. & *statim oblitus est qualis esset*. Jacob. 1. Ut religiosè illud rhetorum axioma, *artis est occultare artem*, ubique & semper observetur, non ita convenit Auditoribus nostris. Experientia docuit magis consuli tum Concionatoris tum Auditorum intelligentiæ & memoriæ, si perspicua textus analysis, & justa dicendorum partitio adhibeatur. Conferantur huc, quæ præstantes *Logici* de utilitate instrumenti divisionis, & de scriptorum tum sacrorum tum profanorum analysi commentantur.

III. *In explicatione textus* hæc vitanda. 1. *ne* sit nulla, aut tam perfunctoria, ut concionator intacto textu, aut præteritâ potiori ejus parte, quæ accuratam explicationem requireret, conferat se ad solas digressiones de hâc aut illâ materiâ sive dogmaticâ sive practica, quas intendit proponere. De qualibus joculare illud dici solet, *quod fœdus fecerint cum textu suo: si tu non tangis me, ego non tangam te.* 2. *Ne* sit otiosa, hærens in singulis voculis, phrasibus, sententiis, per se vulgò satis perspicuis ac notis, easque allatis & collatis probationibus muniens. Qualibus explicationibus textus magis obscurari, quam illustrari dicitur. 3. *Ne* sit nimis operosa; ut scil. singulæ phrases, & sententiæ collatis ac recitatis quam plurimis scripturæ testimoniis, non tam Auditoribus explicentur, quam ipsi Auditores iis implicentur, confundantur, obruantur. Quasi scil. lexicon theologicum, aut Thesaurus Marlorati, aut Concordantiæ essent recitandæ. *Phil. Marnixius Dominus de S. Aldegonde in Tract.* Belgico *contra Enthusiastas part. 5. cap. 2.* inter alia hoc cacoëthes quorundam tangit. 4. *Ne* sit tam accurata, subtilis, & plena, nec in perrimando & excutiendo textu originali, dubiisque circa eundem movendis atque expediendis ita occupata; ut Academica magis & erudita videatur dissertatio & disceptatio, quam simplex & perspicua explicatio ecclesiastica. 5. *Ne* incertæ conjecturæ, quibus ipsi Concionatores non fidunt, quasque Auditoribus persuadere nolint, textus explicationi intermisceantur, aut ad eam adducantur: quibus referendis & examinandis, non nisi tempus fallitur, &

Auditores

Digitized by

Auditores confunduntur. Famelicæ animæ ſiliquis, furfuribus, vento paſci nequeunt. 6. *Ne* variæ interpretationes, ſive antiquorum ſive recentiorum referantur: nedum ut examinarentur, & refutarentur. Sufficit genuinam interpretationem textualem in illis, quæ explicationem requirunt, breviter & perſpicuè ita proponi, ne excedant contenta in Notis marginalibus Bibliorum: niſi forte ad hominem operoſior controverſi textus explicatio aut ejuſdem à detorſionibus aliorum vindicatio hic & nunc requiratur. 7. *Ne* ſaltem explicatio textus omnem aut potiorem temporis concionalis partem occupet.

IV. *Doctrinæ* ſive theſes, ſive obſervationes theologicæ pro concione tractandæ ſunt duum generum: *vel* enim in ipſo texu cubant; *vel* ex eo per primam, evidentem, & ſolidam conſequentiam eliciuntur. De quibus hæc obſervanda. 1. *Ne* nimium multiplicentur, ſaltem non ad numerum 12. aut 9. aut 6. &c. Una ſaltem atque altera cum uſibus applicationibus ſuis bene tractata, concioni horariæ ſufficere videtur. Fateor tamen aliam eſſe rationem, cum integra tmemata, aut dimidia capita intra horulæ ſpatium explicantur: ubi doctrinæ variæ ad ſingulas partes aut partium diviſiones, cum uſibus ſuis indicatæ, compendiosè & ſummariè tractantur. 2. *Ne* diffundat ſe Concionator in explicationem omnium, quorum voces, aut phraſes, aut ſententiæ locum illum tangentes, in textu inveniuntur. 3. *Ne* per infirmas aut vacillantes conſequentias non tam educantur ex textu, quam exprimantur. 4 *Ne* principalibus & textui illi propriis atque inſitis doctrinis præteritis aut leviter perſtrictis, ex profeſſo & operosè proponantur doctrinæ, quæ in textu non comparent, aut quæ primâ & evident conſequentiâ non eliciuntur; aut quæ occaſione termini ſeu vocabuli & quidem in ſubjecto enuntiationis, aut in ejuſdem circumſcriptione contenti, ex profeſſo tractantur. e.gr. ſi quis ad omnes enuntiationes, in quibus Deus, aut Chriſtus, aut angelus, aut homo, aut terra aut cœlum, &c. facit ſubjectum, aut partem circumſcriptionis ſubjecti aut etiam prædicati, & nominum & rerum illarum notitiam ac juſtam ex Scripturâ declarationem toties proponat, quoties in textibus prælectis occurrunt. Rurſum ſi quis in omnibus textibus ubi occurrit phraſis illa, Jeſus, aut Propheta, aut Apoſtolus, aut quicunque alius ſive fidelis ſive infidelis *dixit*, *locutus eſt*, *reſpondit*, operosè & otiosè agat de actu loquendi & reſpondendi, & vix illa, quæ dicta & reſponſa ſunt, attingat, aut propter temporis anguſtiam tunc vix attingere poſſit. 5. *Ne* ſingulæ doctrinæ pluribus, nedum omnibus teſtimoniis, & rationibus, quæ in prolixioribus theologiæ ſyntagmatis proponi ſolent, confirmentur. Suffecerit præter textum prælectum unum atque alterum ſelectum teſtimonium, cum ratione unâ atque alterâ adducere, quibus aliquando ad hominem in doctrinis inter nos &

Digitized by Google

Pontificios aut homines de hoc mundo controversis, adjici potest sententia Patris aut antiqui Concilii. Eruditiss. Theologus *Willerus, in Explicationibus Epistolæ Judæ* pro concione propositis, & postea vernaculo sermone editis, doctrinas pleraſque confirmat dicto Scripturæ, exemplo, ratione.

V. Τὰ πάθη, & *amplificationes* atque exaggerationes, (secundum artem rhetoricam) in usibus adhortationum, dehortationum, reprehensionum, quærelarum, consolationum, præcipuè locum habent: non item in doctrinis: rarius etiam ac parcius in quibusvis usibus elencticis: nisi error hæresim, aut blasphemiam, aut profanitatem involvat.

VI. *Usus elenctici*, tractari non debent, nisi ubi errores refutandi in viscеribus Ecclesiæ serpunt, aut eam circumstant, aut ei adjacent. Si quos autem postulet Ecclesiæ ædificatio, non sunt tam operosè, exactè, & subtiliter tractandi, uti inter eruditos in Academicis lectionibus & disputationibus fieri solèt. Aliquando sufficiet breviter errores indicari, atque ex solo textu refutari. Aliquando, alia quædam testimonia Scripturæ atque argumenta addi possunt, pro Auditorum capacitate. Raro rationes Adversariorum proponendæ ac refutandæ: nisi tritæ sint, & nostris vulgò aut subinde tales objici contingat.

VII. *Adhortationum* usus in thesi & in genere ad quodlibet opus bonum, nunquam non propone debent. Sed in applicationibus, hoc est, adhortationibus imprimis in dehortationibus in hypothesi, aut ad nostros Auditores, aut ad particulares hominum status applicatis, prudentiâ & circumspectione opus est: ne ubique, quovis tempore, quosvis ita dehortemur, ut tacitè querelæ, correptiones, increpationes in hypothesi dehortationibus illis involvantur, quæ legem aut modum spiritualis prudentiæ excedant. Quod imprimis & facile evenire posset, in indicio mediorum fugiendorum per quæ tale peccatum, à quo dehortamur, semper aut plerumque subrepere & invadere solet. Hic ergo cautione & prudenti discretione opus est. Quod idem moneo, de semioticâ morborum spiritualium, quoties Dehortatori aut Correptori visum fuerit eam proponere. In mediis hæc aut illa bona opera procreantibus & conservantibus, ut & in motivis ad eadem exstimulantibus, non ita se offerunt pericula.

VIII. *Correptiones* & increpationes, quomodo pro concione, & quâ cum discretione tractari & applicari debeant: alibi actum est in *Quæstionibus Prolegomenis ad secundam Tabulam Decalogi tit. de Correptione fraternâ*; & forte infra *Part. 3. tit. de Clavibus Regni Cœlorum*, eorundem fiet repetitio.

IX. *De stylo* concionum, nihil aliud moneo, quam debere eum esse perspicuum, gravem, & quantum fieri potest scripturarium: abstinendum tamen ab unâ parte à phrasibus comicis, & ludicris, feci plebis usitatis; per quas con-

ciones

Digitized by Google

ciones ſacrę apud Populum vileſcunt, & apud Adverſarios deſpiciuntur: ab alterâ parte à lenocinio & meretricio pictarum vocularum fuco ; quibus potius exinanitur ſimplicitas Scripturæ, quam imitatione exprimitur. Quando vitia epidemica & endemia characterizanda, effugia peccatorum & dicta ipſorum conſueta theatrizanda, confundenda , hæreticorum ſophiſmata & chreſtologiæ detegendæ , perſtringendæ , alio ſtylo quam ſcripturario , proprio ſcil. ipſorum , ea referre licet. Hunc in finem prętер aſſiduam diſertorum Concionatorum auditionem , præſtantiorum Hiſtoriarum linguâ vernaculâ ſcriptarum , nec non publicarum apologiarum , manifeſtationum, & ſimilium diſſertationum tum politicarum tum eccleſiaſticarum lectionem, Candidatis & *ποφῶτις* Miniſtris quam maxime commendatam velim. Ex recentioribus Poëtis , qui aliquando vocibus inuſitatis , & quaſi technologicis ac metaphyſicis , *ονοματοπωιῶντες* , torva mimalloneis bombis cornua implere videntur , nolim Candidatos noſtros ſtylum ſuum formare ; aut etiam fictis & chimæricis narrationibus & collocutionibus (quæ vulgo *romans* appellantur & linguis Hiſpanicâ , Gallicâ , Italica , complures proſtant) legendis relegendis bonas horas , forte & bonos mores perdere. De utilitate lectionis Hiſtoriarum rationes , apud *Keckermannum* , & *Voſſium in tract. de Hiſtoriâ* congeſtę , & experientia Candidatos ac Concionatores noſtros abunde convincunt. Ne quis putet me *αἰτοβαλῶντα* caſcam ſtyli criticam exercere , legat *Frider. Balduini Inſtitut. Miniſtrorum verbi cap.* 14. §. 3. ubi ait , ſe non ſine indignatione ſtylo aulico & terminis Gallicis ac Italicis concionantes audiiſſe , quibus Chriſtus dicebatur *Duc de Jeruſalem* , duodecim Apoſtoli *ambaſiatores* , Moſes & Joſua *printz. Moſes printz. Joſua* , majeſtas Dei aut Chriſti *ſignoria* ; vita ętерna portus *boua ſperance. Petrus Molinæus in Epiſtol. dedicator. ad* elegantem libellum cui tit. *Heraclitus* , falsè perſtringit quoſdam populares ſuos (Jeſuitam Cottonum , ni fallor , & ſimiles hiſtrionico - aulicos declamatores), qui Chriſtum appellabant *Daulphinum cæli &c.*

X. *Pronunciatio* & actio grata, flexanima , pathetica , non tam ex ſcriptis Rhetorum , quam vivâ voce monitorum , & exemplo piè eruditorum ac diſertorum Concionatorum diſcitur. Abſit modo omnis affectatio , abſit nimia illa & luxurians , ſi non ludiera vocis & geſtuum variè figuratorum exorbitantia ; quę hodie è vulgari theatro , & hiſtrioniâ tum aulicâ tum Jeſuitoſcholaſticâ , in cathedras Romano-eccleſiaſticas traducta videtur. Quarum vanitatum ſimię nulli ex noſtris audire debent : quippe qui nôrint non ſine timore & tremore Dei verbum coram Eccleſiâ tractandum , & ab eâ audiendum. *Jeſa.* 66.

XI. *Exordium* aut nullum ſit aut breve admodum. Nec ipſam rem contineat (hoc eſt doctrinam , aut uſum , aut applicationem) : non tamen ſit abs re.

Non deſunt, qui exordium ita extendunt, ut peculiaris quędam, ſi non concio, ſaltem diſſertatiuncula concioni ſimilis videatur, ab ipſa concione diſtincta. Quod quibuſdam Auditoribus non ingratum, aliis tamen non perplacet, qui rem ipſam deſiderant audire. Conciliatio & petitio benevolentiæ per artificia exordiorum in Eccleſiis jam conſtitutis earumque ordinariis Miniſtris, planè otioſa eſt. Non diffitemur tamen uſum ſuum habere in ſtatu Eccleſiæ, per hæreſes aut ſciſmata turbato; aut cum verba facienda ſunt apud Adverſarios aut à veritate alienos. Vide exempla *Pauli Actor.* 17. & 24. & 26.

XII. *Epilogus* cum tempus patitur, ſubjici poteſt: ſed qui breviſſimam dictorum repetitionem, & patheticam quam *ἐνάργειαν* contineat; ut aculeus in animis Auditorum relinquatur. Omitti tamen poteſt, & ſæpe debet, cum Concionator ad clepſydram dicens, ex abrupto deſinere cogitur. Atque hæc ſufficiant de ratione concionandi. Duo requiruntur ad conciones ſtudium & preces. De apparatu concionum egi in *meâ Bibliothecâ*: hic itaque non repeto. Duo ſunt generalia requiſita, preces & ſtudium. Sic Auguſtinus lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 15. 16. verba illius de precibus ex cap. 15. exſcribo: *Agat ergo quantum poteſt, cum iſta dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hæc ſe poſſe ſi potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet; ut orando pro ſe ac pro illis quos eſt allocutus, ſit orator antequam doctor.* Cum Auguſtini ſententiâ convenit illud pervulgatum: *Plus proficitur orando, quam ſtudendo.* De ſtudii neceſſitate ibid. *Auguſtinus cap.* 16. *Studium* & juſtam præparationem requiri indubium eſt: aliquando tamen ex tempore conciones habendæ in caſu neceſſitatis; cum ſcil. ægrorum & moribundorum viſitatione Concionator totus occupatur; aut turbatio per incendia, inundationes, hoſtium irruptiones ſtudium ac quietem prohibuit; aut Collegæ concionaturi ſubitus morbus aut mors repentina operam tuam in concionando requirit. Extra hos ſimileſque caſus ex tempore ad conciones ſi quis provolet, Deum tentat; nec ejus benedictionem cum fide petere ac ſibi polliceri poteſt. In ſtudio concionatorio tres libros Diſcipulis noſtris ad fructuoſas & efficaces conciones habendas, aſſiduò perluſtrandos & evolvendos commendare ſoleo

1. Verbi divini,
2. Propriæ Conſcientiæ,
3. Eccleſiæ.

Libri duo priores in curſu ſtudiorum & in miniſterio pariter volvi revolvi poſſunt & debent. Tertius à miniſterii Candidatis ad conciones coram Eccleſiâ habendas admiſſis, ſubinde quidem inſpici, ſed à ſolis Miniſtris, quibus

bus Ecclesiæ suæ cura jam demandata est, pervolvi potest. Qui sic instructi & præparati ad concionandum accedunt, ex proprio corde ad cor populi eloquia Dei loquuntur: quibus suo modo comparatè ad frigidos postillistas, aut personatos locutores applicari potest illud Math. 7. v. 29. *docebat etiam eos ut habens autoritatem, non autem ut Scribæ.* Qui scil. frigidè sine proprio sensu, sine spirituali experientiâ verba & voces Scripturæ in genere & abstractè fundebant, admixtis traditionibus majorum. Quibus similes, aut longè absurdiores sunt Concionatores in Papatu, quorum conciones aliquæ, aut earum archetypi publicè editi, ut *Cottonus, Bessens, L'Abata, Diez.*, &c. & ex Antiquioribus aliquot, quorum sermones de tempore & de sanctis circumferuntur; inter quos memorandi imprimis ludicri illi histriones *Mailliardus, Menotus, Robertus Licensis*, de quibus *Henricus Stephanus in Apologiâ Herodoti* gallicè à *cap.* 29. *usque* 36. A talibus non abludunt Concionatores illi, quos *Chrysostomus ad Actor.* 1. *v.* 1. mimis & hypocritis assimilat. Nec præterendi illi, qui juxta Augustinum lib. 4. de doctr. Christ. cap. 4., *affluunt insipienti eloquentiâ, tanto magis* cavendi, *quanto magis ab* iis *in iis quæ audire inutile est, delectatur Auditor, & eos*, quos *disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat.* Ut nec Stentores illi quos notat Calvinus in Commentar. ad 1. Corinth. 2. v. 4. *Sunt*, inquit, *multi clamosi Reprehensores, qui in vitia declamitando vel potius fulminando, mirum zeli ardorem præ se ferunt, interea ipsi securi, ut videantur per lusum latera & guttur exercere velle: At pii Pastoris est flere secum prius, quam alios ad fletum provocet, & plus apud se retinere doloris, quam aliis faciat.*

Casus aliquot circa conciones determinandi occurrunt apud *Balduinum lib. 4. Casuum cap.* 7. Num Minister Ecclesiæ doctrinam ad præscriptum sui Magistratus bonâ cum conscientiâ conformare potest? Num ad interdictum Magistratus politici Minister Ecclesiæ ab antithesi & condemnatione falsorum Doctorum ac doctrinæ in concionibus salvâ pietate abstinere potest? Si errantes in doctrinâ pro concione nominatim refutare licet: an non etiam peccantes in moribus nominatim perstringere fas est? Num Minister Ecclesiæ officium elencticum bonâ cum conscientiâ prorsus intermittere potest? Num Minister Ecclesiæ ob conciones vehementiores coram politico Magistratu in jus vocari potest? Num etiam Magistratus pro concione arguendus est? Horum casuum determinationem quod ad summam rei & in thesi, quam maximè probo; & ex ipso potius, quam ex me ab exulceratis & præjudicio occæcatis quorundam hominum κεκμυκῶν ingeniis audiri malo. Tantum abundantis cautelæ ergo quæ in primi casus determinatione inserit de potestate Magistratus circa sacra, ex secundi & quinti casuum determinatione, & ex iis quæ supra *Lib.* 1. *tract.* 2. nobis dissertata sunt, Lector

ſupplere meminerit. Hypotheticam applicationem ad Calviniſtas in caſus ſecundi determinatione, ipſi relinquo. Eâdem ſub cautelâ & exceptione quam maximè probo dictata ejuſdem de officio docendi, in *Lib. de Inſtitutione Miniſtrorum verbi à cap.* 13. *uſque* 19.

De citatione Gentilium tum Græcorum tum Latinorum Poetarum, Hiſtoricorum, Oratorum, Philoſophorum, monuit *Ameſius in Caſibus.* Et certe nimiam ſapit oſtentationem quaſi multæ lectionis & diffuſæ eruditionis: cum ſæpe ex *Polyantheis* hauriantur; & non ex lectione ipſorum Autorum. De Calvini, Bezæ, Buceri, Muſculi, Martyris, Parei, Piſcatoris, Perkinſi, Gomari, Riveti, aliorumque recentium, immo ad huc viventium Theologorum, imprimis & Notarum marginalium citatione ſic ſentio, non eſſe eos nominandos, niſi in caſu neceſſitatis; cum ſcil. Concionatoris explicationes, doctrinæ, uſus, caſuum determinationes ab Auditoribus aut Cenſoribus malignantibus traducuntur, tanquam peregrina, nova, inaudita, paradoxa, heterodoxa. Unica quæſtio de concionum frequentiâ aut infrequentiâ præterunda non eſt. Sunt qui raras velint eſſe conciones; ne ſcil. vileſcant. Addunt alii ſubſtituendam, quin & præferendam concionibus eſſe ſrequenter lectionem liturgicam, aut nudam Scripturæ lectionem: quæ à Lectoribus aut indoctis & ignavis quibuſvis inter Miniſtros fucis facile peragi poteſt. Audivi alicubi editum eſſe libellum vernaculum tit. *Concio-maſtix*: ſed hactenus non contigit eum videre. Sub tempora Caroli Magni & deinceps certarum homiliarum lectio concionibus ſubſtituebatur. In Papatu antehac, ut clavem ſcientiæ exemplo *τῶν νομικῶν Luc.* 11. *v.* 52. tollerent, aut jam ſublatam oſtenderent multis in locis raras aut fere nullas habebant conciones; & ſi quas habebant, eæ magnam partem conſumebantur *in laudibus traditionem humanarum, in feriis, jejuniis, monachatu, fraternitatibus, peregrinationibus, cultu ſanctorum, roſariis & aliis inutilibus cultibus ornandis*: uti loquitur Auguſtana Confeſſio artic. 20. Sed frequentia concionum ex *Actor.* 2. *v.* 46. & 5. *v.* 42. & 17. *v.* 14. 17. *Matth.* 26. *v.* 55. *Luc.* 9. *v.* 47. ſatis probari, ſaltem zelotæ ejus à crimine *φιλονεικίας* & *περιεργίας* purgari poſſunt. Ut jam non deducam argumenta de abundantiâ ſcientiæ ſpiritualis, & conſequenter mediorum ad eam ex *Phil.* 1. *v.* 9. 10. *Coloſſ.* 3. *v.* 16. 1 *Corinth.* 14. *v.* 1. 5. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 19. 20. *Proverb. cap.* 29. *v.* 29. ubi de oppoſito defectu mediorum. In antiquâ Eccleſiâ ſingulis diebus, quoties occaſio ſe offerret, de Scripturis tractabant. Quod ut *Chryſoſtomus Lib.* 6. *de Sacerdotio*, neceſſarium Epiſcopo ajebat, ſic idem ſuo exemplo comprobavit. Invictum argumentum notis ſuppeditant phraſes illæ *heſternus ſermo, dies præcedens, heſternus dies, heſterna lectio, ſermo nudiuſtertianus*, &c. in *Tractatibus* ejus occurrentes *Homil. de Lazaro* 32. & 34. *in Geneſ. Homil.* 5. & 13. *ad popu-*

Digitized by Google

populum. Vide eaſdem , & ſimiles phraſes apud *Ambroſ. lib. 5. de Sacram. cap. 1. & lib. 3. c. 1. & ſerm. 92. in initio. Auguſtinum conc. 2. in Pſ. 68. tract. 18. & 21. Nyſſenum orat. 2. in 40. martyres.* De Alexandro Epiſc. Alexandrino teſtatur Nicephorus Calliſtus Lib. 8. Hiſtor. cap. 5. quod Eccleſiam illam *divinis inſtitutionibus quotidie exhilaravit.* Auguſtinus aliquando ter eodem die concionatus eſt: uti ipſe loquitur in initio ſerm. 33. ad Fratres in eremo: *Non miremini Fratres cariſſimi, ſi hodie ter ſermonem Deo auxiliante perfecero. Baſilium* aliquando bis ante meridiem concionatum, conſtat ex *Homil.* 16. quæ eſt *in Pſalm.* 114. ubi in initio apud populum jam diu uſque ad meridiem ejus adventum iſtic exſpectantem hanc moræ & longioris abſentiæ rationem reddit, *quod alteram huic æqualem Dei Eccleſiam non modico intervallo ab ipſis diſtantem miniſterio ſuo curans tempus hoc diei conſumſiſſet.*

Diebus dominicis quoſlibet & re & nomine Epiſcopos bis de Scripturis tractaſſe, ſeu binas habuiſſe conciones diſcimus ex *Baſilii Hexaem. Homil.* 2. & *Homil.* 3. in *initio*, & *Homil.* 7. *in fine* & 8. *in fine* & 9. *in initio* ubi veſpertinæ & matutinę concionis mentionem facit. Adde *Auguſtin. in Pſ.* 88. in initio. Et Chryſoſtom. in Homil. oportet hæreſes eſſe: *Quod hodie*, inquit, *diximus, admodum ſimile eſt ei quod hodie adhuc dicere decrevimus. Idem Homil.* 10, *ad Populum laudat eos*, qui poſt prandium ad audiendam concionem convenerant: uti contra *Homil.* 10. *in Geneſ.* & 9. *ad Populum* reprehendit eos, qui conciones à prandio habendas negligerent. Subjicimus hic ex Carolo Regio theologo Jeſuitico cenſuram earum rerum, quæ reprehenſione dignæ ſunt, quas ille exhibet in Oratore Chriſtiano anno 1613. edito pag. 618. uſque 624. Eas ego, pauculis exceptis, uti probo, ita velim Candidatos & Concionatores in iis junctim cum *Ameſii Caſ. Lib.* 1. *cap.* 35. tanquam in ſpeculo defectus ſuos, ſi qui adhæreant, contemplari, ad emendationem.

„ Subjiciemus, inquit, etiam brevem quaſi indicem earum rerum, in quibus contra dignitatem ſui muneris peccatur à quibuſdam Concionatoribus, „ut habeant præ oculis, velut in ſpeculo quæ corrigant ipſimet, niſi malint „à Deo corripi, vel etiam à rudioribus, atque ipſis mulierculis, ut ſæpè contin„git, irrideri.

„ 1. Peccant primo, qui ad concionandi munus non vocati ſeſe ingerunt, „præſertim ſi in ſeipſis ſigna vocationis non advertant, nec ii ſint, quos tanti „officii dignitas expoſcit; ſed ambitioſo quodam docendi pruritu, ſeu lucri „temporalis cupiditate, cathedræ locum, Doctoriſque nomen avidius con„ſectantur, quomodo ibunt, ait D. Paulus, niſi mittantur? Hos certè non „mittit Deus pauperum, & humilium amator.

„ 2. Qui innumera, quæ in hoc obeundo munere pericula imminent, cogitare

Digitized by Google

„gitare detrectant, quò vel planè abſtineant, vel cautè aggrediantur, ne illud „eis aliquando objiciatur, In verbis tuis captus es.

„ 3. Qui animarum curam gerentes, nec ipſi gregem ſuum paſcunt, & eos „Concionatores eligunt, qui curioſis rebus, & humanæ eloquentiæ magis, „quam Chriſtianis moribus reformandis inſiſtunt.

„ 4. Qui ante maturam ætatem, niſi ex occaſione à Superioribus mittan- „tur, hoc ſibi docendi munus aſſumunt, quod Chriſtus non ante trigeſimum „annum uſurpavit; ſufficeret diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter ejus.

„ 5. Qui à Deo vocati, ac divino beneficio idonei, & per Superiores electi, „munus hoc concionandi, vel laboris vel non placendi metu detrectant, vel „eo prætextu, ut ſuæ ſaluti vacent. Videant ne dum alienam ſalutem negli- „gunt, de ſua periclitentur.

„ 6. Qui magnarum urbium ſuggeſtus ambiunt, & parvorum oppidorum „ac pagorum loca, & homines non libenter adeunt, vel ob nominis ſui fa- „mam, vel ob majora vitæ commoda. Non tua quærenda tibi ſunt, ſed „Chriſti, Chriſto autem eſt pauper & dives, tantidem emptus. Pro utroque „mortuus eſt Chriſtus, ut neuter moreretur. Non eſt acceptio perſonarum „apud Deum, cur ſit apud te?

„ 7. Qui vita & moribus, ac malo exemplo expungunt, quæ verbis docent, „ut poſſit eis merito illud objici, Cur ergo non facis quæ ipſe dicis? aut Me- „dice cura teipſum.

„ 8. Qui Dei gloriam, animorumque fructum non ſincerè quærunt, ſed „ſeſe magnificè prædicari gaudent, inanis gloriæ cupidiores. Qui ex his eſt, „cœleſti alios pane paſcit, ſe ipſum fumo, ſi fumum, paſcit.

„ 9. Qui prędicationi ita vacant, ut ea non ex contemplatione, aut medi- „tatione manet, ſed ſolum ex humano ſtudio atque induſtria, ut Oratoribus „Ethnicis mos erat. Atqui non eruenda ex humo, ſed è cœlo petenda cœ- „leſtis, divinaque doctrina eſt.

„ 10. Qui in difficultatibus facilè animum deſpondent, & à conſtantia in „rebus arduis dimoventur, ut cœptum in Dei gloriam non perficiant opus, „Ergone ſeminare deſinet agricola, vel meſſem colligere, quod pruinam vel „æſtum timeat?

„ 11. Qui non utuntur ſancto zelo animadvertentes tot, tantaſque in „Deum illatas injurias, & tantam animarum jacturam, quæ male pereunt, „ſed videntur contenti, ſi dicendo horam expleverint. Gladio uteris, dum „verbum Dei loqueris, pugnandum eſt acriter in vitia, non fruſtra ornan- „dum latus.

„ 12. Qui ſeipſos, & ſua magnificè prędicant, aliiſque pręferri ambeunt, „& ſalutationes in foro, domique amant, & primos accubitus, & more Phari-

ſęorum

Digitized by Google

„ ſęorum vocari ab hominibus Rabbi, digitoque ut ait Poëta, monſtrari, &
„ dicier, hic eſt.

„ 13. Qui in victu, veſtitu, viatico, Apoſtolicam reſpuere videntur pau-
„ pertatem, ſupellectilem copioſiorem conquirunt, ita ut non aliis ad ſpiri-
„ tuale lucrum, ſed ſibimet ad terrena commoda ſtudeant, quos non abs
„ re Deus per Prophetam paſtores vocavit, qui ſeipſos, non Chriſti gregem
„ paſcunt.

„ 14. Qui colloquiis ſecularium, eorumqne conſuetudine delectantur
„ aulicorum more, & ipſorum negotiis ſe immiſcent, quæ ad animæ ſalutem
„ non faciunt; qui eorum convivüis libenter accumbunt, qui non ſilentii, ac
„ receſſus amatores ſunt, ſed ſcurrilibus ac ludicris rebus gaudent.

„ 15. Qui ſacrarum Scripturarum lectioni non admodum ſtudent, nec
„ modum ac regulas ad eas intelligendas obſervant, neque earum medita-
„ tioni vacant, ut eas ſibi familiares reddant: planè divinum verbum quo-
„ nam alio Concionator peret ex fonte? & quid proderit hauſiſſe, ſi turbidam
„ hauriat.

„ 16. Qui ſacros libros ita legunt, ut non ſe, ſuoſque mores inſtruant, ſed
„ eo vel ſolum, vel maximè titulo, ut alios docere poſſint, eaque re docto-
„ rum Concionatorum famam aucupentur. Cave ne dum alios docere vis,
„ tibi noceas.

„ 17. Qui facultatis Theologicæ ſtudio modicam adhibuere curam, ejuſ-
„ que vix mediocriter quæſtiones attigerunt, & tamen eas publicè diſputare
„ non ſine periculo audent. Hi facilè temeritatis pœnas luunt, ſæpè enim con-
„ temptui ſunt prudentibus, ſæpè etiam recantare coguntur.

„ 18. Qui ſanctorum Patrum volumina non evoluunt, ſed fontibus omiſ-
„ ſis rivulos conſectantur, & in exſcribendis, ac recitandis aliorum Concio-
„ nibus toti ſunt, eis præſertim, quæ magis vanitatem ſapiunt, minus Dei ſpi-
„ ritum redolent. Doctores ac patres vocat Eccleſia, quorum audiri doctri-
„ nam & diſciplinam cupit.

„ 19. Qui in ſuis concionibus vix unquam ea ſolent attingere, quæ ad Fi-
„ dei dogmata, Dei pręcepta, & Catechiſmum pertinent, potius Philoſo-
„ phicis ac profanis hiſtoriis inhærentes; Ite, ait, Chriſtus Apoſtolis: prædi-
„ cate Euangelium, non Ariſtotelis philoſophiam, Ethnicorum hiſtorias,
„ Poëtarum cantilenas.

„ 20. Qui eos Concionatores ad imitandum ſibi proponunt, qui facundia
„ magis populari, quam Eccleſiaſtica pollent ſapientia, & in iis quos audiunt,
„ vel ea imitantur, quæ vitia ſunt apud prudentes, vel ſuæ naturæ minus ido-
„ nea. Mutare imitando naturam vix poteris, perficere poteris, ſi perfectum,
„ tibique accommodatum imiteris exemplar.

Digitized by Google

„ 21. Qui Conciones nimis artificiosè componunt, & ſuis numeris pe-
„ riodos rotundant, eaſque ut ſcripſerunt frigidè ac pueriliter recitant, iiſdem
„ pene verbis addicti. In auribus conſiſtit oratio, quæ manat ex ore: Erumpat
„ è pectore, ut deſcendat in pectora.

„ 22. Qui antequam in publicum exeant, privatis ſe declamationibus non
„ exercuerunt, prudentes inter amicos, quorum ſatius eſt monitis inſtrui,
„ quam poſtea Zoilorum ludibriis irrideri. Umbratilem ne deſpicias pugnam,
„ antequam in ſolem, ac pulverem prodeas; nam in acie diſcere, ſerum ple-
„ rumque eſt.

„ 23. Qui Chriſtum, cujus partes agunt, non multum in corde, aut in ore
„ habent, neque ejus in nos amorem, ac beneficia, ſeu myſteria & ſacramenta
„ crebro populis prædicant, cum ad alia potius ſint intenti. Quid abſurdius
„ quàm Chriſti profiteri legatum, & Chriſtum penè oblivi ſci.

In ipſo opere multis modis peccatur.

„ 24. Quidam corruptam ſequuntur eloquentiam. Ea eſt quæ delectan-
„ dis auribus, non componendis moribus ſervit, quæ animum auditoris
„ ab rerum conſideratione diſtrahit ad ornatum verborum, ſpeciola flori-
„ bus, vacua fructibus. Quæſo te quàm vim tua exercebit oratio? hortari
„ ſi concinnus velis ad virtutem, avertentur animi ab ardua virtutis, & inani
„ ad ſe voluptate verborum ornatus trahet; pluribus intentus minor eſt ad ſin-
„ gula ſenſus.

„ 25. Vitium & planè maximum eſt, cum in concione nullum ſibi certum
„ ſcopum, in quem ad perſuadendum omnia dirigat, Orator proponit, adeò,
„ ut poſt abſolutam etiam concionem, neſciat auditor, quidnam perſuadere illi
„ voluerit, licet multa rerum ſupellectile ac copia orationem locupletarit, forte
„ nec ipſemet Orator ſciat.

„ 26. Haud abſimilis culpæ reus, qui priore concionis parte, altiora ſubti-
„ lius per ſequitur, pauca quædam ad inſtituendos mores, in poſteriore adjicit,
„ & ea languidè ac jejunè; planè jejunum ſibi pectus eſſe, cæleſtique vacuum
„ ſucco docet; Jejunus abibit auditor; ſed tui muneris memor ſis, animos pa-
„ ſcendos, non aures detinendas.

„ 27. Deterior eſt eorum cauſa, qui toti ſunt in eo, ut congeſto eruditio-
„ num, vel etiam argumentorum acervo, theſim aliquam doctè, ornatèque
„ explicent ac confirment, præterea aut parum, aut nihil. Declamaſne Ethni-
„ cus ſophiſta ad pompam in otioſorum corona, an Chriſti legationem expo-
„ nis ad eos, quorum agitur de æternitate negotium? quid reſpondebis; vel
„ nomen muta, vel morem.

28. Pec-

Digitized by Google

„ 28. Peccat etiam, qui tempus concionis, in qua gravem aliquam afferre „ deberet doctrinam, frivolis, ac levioribus argumentis terit, vel ſubtiles ni- „ mium quæſtiones diſceptat, ſeu ſcholaſtico more tractat & obſcurè. Doce „ non abnuo, ſed quæ fieri deceat, non quę ſcire tantum delectet, ſuus eſt „ Theologicis locus, hic tuam ſuſtine perſonam.

„ 29. Et qui ut delectet, facetias, & ridicula more hiſtrionis in ſcæna „ miſcet, aut deſciptionibus rerum inutilium, concionem ſtudet exhilarare. „ Qui circulatorem agit, forum quærat: veniam lacrymis imploramus in „ templo, non riſu quærimus hilaritatem. Sic fermè habeto, dum ridet con- „ cio, & diabolus ridet, & Deus ſæpè irridetur.

„ 30. Et qui non laborat, ut auditoris animum commoveat, neque adhi- „ bet quæ ad motus animorum excitandos valere poſſunt, ſed ſine ſpiritu ac „ fervore agens, frigidam, ſicuti venerat, concionem dimittit.

„ 31. Controverſa quid agitas in concione ſubtilis diſputator? ſi judex eſſe „ vis, vide ne tibi nimium arroges, ſi judicem quæris, vix inter mulieres & „ communem populum invenies, & hos maximè auditores habes.

„ 32. Scripturæ ſacræ teſtimonia ſecundum novos ſenſus afferre, omiſſa „ antiquorum Patrum auctoritate, vix tutum arbitror. Nova, inquies, pla- „ cent: fateor, ſed placent ſępè etiam venena: & ignoti cibi dulcedo eò pro- „ niùs imperitos fallit. Nec tu rerum tuarum ſis judex. Quod ſi probata fue- „ rint ſapientibus quæ profers, vix nova dixerim.

„ 33. Multa ex ſacris literis afferre loca; & explicare pauciſſima, videtur „ potius dicentis oſtentatio, quam dictorum confirmatio. Vide ne dum tuam „ vis venditare memoriam, confundas alienam.

„ 34. Eſſe nimium in allegoriis, præſertim cum proprio ingenio cudun- „ tur, non caret levitate, ſed utilitate caret; Ethnicorum verò fabulas ad Chri- „ ſtiana ſacramenta traducere, quidam pædagogicum ſapit, ne dicam inſulſam „ temeritatem.

„ 35. Verba Scripturæ divinæ aut non omninò fideliter afferre, aut non „ tenere verborum proprietatem, cum in patrium ſermonem vertuntur: exor- „ tos ſenſus afferre, durius explicare phraſes, judicium hominis eſt, vel negli- „ gentis vel imperiti.

„ 36. Sordeſcit oratio, cum ſimilitudines humiles, aut viles, aut ſordidæ „ afferuntur, vel multiplicantur nimium, vel poetico more pinguntur, vel lon- „ gius perque vim accerſuntur. Ne quid nimis, ne quid minus.

„ 37. Exempla item male adducuntur, quæ audientium moribus, aut „ tempori accommodata non ſunt, vel quæ non tractantur oratione morata, „ vel non ex probatis petuntur auctoribus, ac dubiam fidem habent. Qui ad „ fidem faciendam adhibet dubia, fidem abrogat certis.

Digitized by Google

„ 38. Cum amplificationes fiunt in rebus inutilibus, quæ ad aliquam „ perſuaſionem non tendunt, eloquutionis prophanæ jactatio eſt, ſacræ „ injuria.

„ 39. Qui aliorum affectus optat excitare, fruſtra nititur ſi eoſdem in ſe „ prius excitare negligat: finge ejulatus, lachrymas ſimul, imitare dolentem, „ ludis ignem pictum adhibes, cum ſit incendenda ſilex.

„ 40. Orator, qui ut moratam faciat orationem, eas virtutes ſignificat, „ quas verè non habet, hyſtrionem, & hypocritam agit, qui licet initio im- „ ponat, aliquibus, mox tamen ſe prodet ſimulatio, & apparebit oratio ne- „ quaquam morata, ſed hominis falſum virtutis nomen captantis ambitio, eo- „ que magis odio erit omnibus, quod nonnullos ante deceperat.

„ 41. Ineptus omnino eſt, ineptaque oratio ejus, qui eodem modo ad „ juvenes ac ſenes, doctos, ac ruſticos, viros ac mulieres, religioſos, ac „ ſæculares verba facit. Quid agis ſutor? eandem ne crepidam omnium pe- „ dibus induis?

„ 42. Oratio ordine carens, perinde ac indigeſta rerum moles, vel quæ di- „ greſſiones importunè aſſuit, aut prolixas, tum auditores confundit, tum „ ipſum quoque oratorem turbat.

„ 43. Exordium vitioſum eſt, ſi fuerit prolixum, commune omnibus con- „ cionibus, nimis feſtivum, ac velut ad numeros concinnatum. O quoties hu- „ mano capiti cervicem pictor equinam jungit, ut poeta luſit; Ego verò non „ ludo, ſed lugeo potius divini verbi graviſſimam authoritatem, leviſſimis „ hiſce cincinnulis in ipſa ſtatim fronte enervari.

„ 44. Peccant, qui exordiuntur voce non naturali, ſed tumido quodam „ tono, vel nimia celeritate, ut uno quaſi ſpiritu totum ſimul exhauriant: vel „ contra tam lentè, ut numerari verba queant, vel voce tam ſubmiſſa, ut ſibi „ tantum loqui videantur: primis fortaſſe, paturiunt montes, naſcetur ri- „ diculus mus: Secundos videbis ipſo ſtatim itineris ingreſſu fatigatos, „ turpiter anhelantes in via: Tertii afferre ſe auditoribus languorem, ne „ dicam ſtomachum, ſciant: poſtremi ſibi canunt, auditor abſcedet, ne tem- „ pus terat.

„ 45. Et qui in partitione multa ſimul membra coacervant, quæ vel „ non ſatis explicari poſſint, vel longioris orationis timorem injiciunt, vel „ ad unum ſuaſionis ſcopum non tendunt, eoque maximè cum diſparata pro- „ ponunt: onerant iſta, me judice, non allevant, quod oratoriæ partitionis „ munus eſt.

„ 46. Qui ad ſua confirmanda, vel contraria confutanda, leves affert ra- „ tiones auditorem ſi quò impellit, ad ſuimet contemptum impellit.

„ 47. Hæreſes, ubi non ſunt, confutare, vel ſtultum eſt, vel ſuperfluum.

Ubi

Digitized by Google

„ Ubi verò vigent ſi levius confutentur, injuria eſt Catholicæ veritatis. Au-
„ daciæ verò eſt Sanctorum ſententias reprehendere, quæ in bonam par-
„ tem ſumi poſſent: ſunt Sancti, ſunt Patres: utrunque te nomen verecun-
„ diæ admoneat.

„ 48. Concionis epilogum ſemper Repetitione terminare, frigidum quid
„ videtur & affectatum, multoque magis ſi longa fiat repetitio, vel ſi
„ eodem modo quo res ante ſunt dictæ. Crede mihi, Pauca ſunt, quæ repe-
„ tita placent.

„ 49. Nihil autem habet vel decoris, vel gravitatis, ſi dimittatur concio
„ cum aliqua facetia, quæ moveat riſum: Circulator ita coronam ſuam dimit-
„ tit, ſuſpirandum potius eſt poſt auditum ſermonem.

„ 50. Illi genera dicendi corrumpunt, qui pro ſublimi turgidam, & infla-
„ tam orationem ſectantur, pro moderato diſſolutam, ſine ſtructura, & ner-
„ vis pro demiſſo, exilem humique repentem.

„ 51. Ridiculi ſunt & inepti, qui variorum idiomatum notitiam oſten-
„ tant; Egregia quædam ſcripturæ myſteria breviſſimo aliquo Hebræo Græ-
„ covè verſiculo innuere, laudandum eſt: peregrinè loqui ſæpius, & Hebræas
„ Græcaſvè paſſim inculcare ſententias, vix inter peritiſſimos, qui ſoli au-
„ diant, probo. Non intelligenti loqui, nonne eſt ſurdo canere?

„ 52. Quæ figuris & tropis caret oratio, vulgaris eſt, neque auditorum
„ excitat ingenia: quæ verò habet figuras, ſed ſine pondere ſententiarum,
„ ſtupeum eſt ſimulachrum, licet bene veſtitum. Quod ſi plus æquo nec
„ opportunè adhibeantur perinde eſt ac ſi convivium fiat ex melle totum.
„ Midas ut eſt in fabulis, dum quicquid contrectat, aurum facit, fame
„ peribat.

„ 53. Percenſendo plurimorum authorum catalogo, citandiſque ad un-
„ guem locis, & ad verbum recitandis paſſim longioribus ſententiis occupati,
„ plus habent negotii, quam pretii. Effundunt plurima, aut parum, aut nihil
„ infundunt.

„ 54. Verbatim orationem mandare memoriæ, laudarim in puero, in viro
„ planè dixerim puerile. Fallet te aliquando memoria, ut ſæpè vidimus, bal-
„ butiens efficiere aliis ſubridentibus. Mitto modicum omnino ab hujuſ-
„ modi concionatore fructum exiſtere.

„ 55. Qui ſemper vel nimium clamat, moleſtus eſt, & vim tempeſtivi cla-
„ moris obtundit. Eſt qui quaſi fugiens celeri feſtinat curſu, & auditorem ut
„ ſe ſequatur magno labore fruſtra fatigat. Eſt qui guttatim quaſi aurum po-
„ tabile, verba ſtillat, ac tædio enecat: Alius paſſim vocem attollit ac depri-
„ mit, fluctuantis, inſtar navigii, amandandus ad mare eſt, ubi bene ac navi-
„ ter fluctuet.

Digitized by Google

„ 56. Qui nimius in geſtu eſt, qui deambulat per ſuggeſtum, qui crebrius „ pulpitum aut palmas percutit, qui omnia membra leviter agitat, is ſcenam „ cum hiſtrionibus quærat, Chriſtiana roſtra ſchola ſunt gravitatis.

Contra Prudentiam hanc faciunt.

„ CUm maximè in concionandi munere acre judicium, & prudentiam „ requirantur, in quibus hæc deſiderantur, æquum eſt, nec ipſos ſugge- „ ſtum debere ambire, & à Præpoſitis ad alia omnia reſervari.

„ 57. Et meritò imprudentiæ notari poteſt, qui Eccleſiæ canones, ſummo- „ rumque Pontificum decreta ad id munus ſpectantia, nec legit, nec novit, „ quem temerè euntem, neceſſe eſt nec laudem mereri ſi non aberrat, nec ve- „ niam ſi aberrat.

„ 58. Imprudens eſt, qui ſuas in concione vires, ac naturæ dotes tum ani- „ mi, tum corporis, per ſpectas non habet, ideoque non ſe metitur, ut videat, „ quid & quantum poſſit, ne ſupra vires aliquid audeat. O quam diverſum „ eſt, facilè & multa loqui ab eo, quod eſt prudenter & aptè loqui.

„ 59. Et is qui non ſingula præmeditatur, antequam ad ſuggeſtum acce- „ dat, & ea loquitur inconſideratus, quæ poſtea eum dixiſſe pœniteat. Ter „ veniant verba ad limam, priuſquam perveniant ſemel ad linguam.

„ 60. Non modo eſt imprudentis, ſed & impudentis, de Dei majeſtate „ parum circumſpectè verbum aliquod indignum proferre, aut de ſanctis non „ honorificè loqui, aut de peccatis etiam obſcænis non ſatis honeſtè verba „ facere, aut nugas & ridicula intermiſcere, præſertim ad mulieres converten- „ do ſermonem.

„ 61. Contra prudentiam eſt ambiguè ita loqui, ut poſſint in malum, vel „ inutilem ſenſum verba trahi. Doctoris egregia laus eſt perſpicuitas. Sic lo- „ quere tanquam ſinguli qui in concione adſunt, ſedeant judices, quod per- „ plexè dictum fuerit in peſſimam rapturi partem.

„ 62. Cum aliquid falſi dixiſſe ſe advertit, ſi errorem non ſtatim corrigit „ non modo imprudens, ſed ſuperbus, & arrogans erit, & graviter peccabit: „ ſatius eſt erratum delere, quam duplicare.

„ 63. Sicut præterea audax dicendus eſſet, ac temerarius, qui ſuſpectas, „ ac dubias opiniones proponit, in quibus ob rerum difficultatem facile ſit „ populum errare. Quæ rogo dementia eſt, dum plana patent ſpatia, per ab- „ rupta incedere.

„ 64. Oſtentatio, & quælibet jactantiæ ſignificatio, concionanti apud au- „ ditores plurimum detrahit. Nemini placet, qui ſibi nimis placet, & magnum „ onus eſt audientis, dicentem ſuas laudes cum ſilentio ferrè.

65. Que-

Digitized by Google

„ 65. Querimoniæ item, quas ad ſui defenſionem aliquando orator affert, „ſæpè in malam partem ab auditoribus accipiuntur, & ſtomachum provo- „cant. Nec raro dum criminationi, quæ latebat, inter paucos ſatisfacere vult, „publicus eſt ſuæ buccinator, vel injuriæ, vel infamiæ. Si te concio laudabi- „lem noverit, ipſa te etiam tacentem tuebitur.

„ 66. Qui ita loquitur vel reprehendit, ut appareat eum velle certam fa- „miliam deſignare, vel ipſos auditores aliquo modo deſpicere, non corrigit „peccata, ſed odia colligit.

„ 67. Oratio ſi frigida ſit ſine fervore, corpus eſt ſine anima, ad aures per- „venire poteſt, pervadere corda non poteſt: Injuria inuritur Dei verbo, quod „eſt omni gladio ancipiti penetrabilius. ſi vitio tuo miles delicatule non fe- „rit. Ignavo homini, omne telum obtuſum.

„ 68. Prolixitas ſermonis nunquam eſt ſine moleſtia. Proverbii loco eſt, „ludus quilibet, ut jucundus ſit, brevis ſit. Qui cum aviditate è menſa rece- „dit, redit avidius, nutritur ſalubrius.

„ 69. Timidius quidam agunt, nec veritatem cum ea qua decet libertate „promulgant, nec ſeriò in cauſas animarum adeò graves inſiſtunt, neque „cum ea dicendi authoritate, quam Chriſti cathedra poſtulat, Apoſtolicum „obeunt munus. Væ nobis ac mundo, ſi timidos habuiſſemus Apoſtolos.

„ 70. Alii ſemper in theſi verſantur, nec ſingulares actiones, earumque „modos & praxim edocent, nec ſingulos pro ſuo ſtatui inſtituunt, quod fit „ut auditor ſuo fructu fruſtretur. Exiſtima quæſo te non in ſchola diſſerentem „de arte medendi, ſed quaſi in noſocomio remedia dictantem verſari. Facilius „autem dixerim theriacam conficere: quam concionem: tamque multis, „tamque variis aptanda eſt eadem medicina, ut omnibus proſit.

„ 71. Qui ad pagos mittuntur peccant, ſi rudium hominum ingeniis „non ſeſe accommodant, & labores atque incommoda non patienter to- „lerant. Ubi, & quibus concioneris vide: non tibi orator es, ſed audien- „tibus.

„ 72. Qui in principium aulis verſantur, primò peccant ſi aulicum ſpiri- „tum pro Apoſtolico imbibant: deinde ſi inter concionandum, vel aliquo „modo adulentur, vel ſint in arguendo liberiores. Inter utrumque vola, & „tutus ibis.

„ 73. Cum certum ſit, omnem Chriſtianarum concionum fructum eſſe, „ut peccatum auferatur, & nemo non videat, quot quantiſque mundus to- „tus ardeat ſceleribus, mirum eſt multos eſſe, qui aures demulcere leviculis „ſententiolis, ac phraſibus malint, quam cor acri oratione ad peccati deteſta- „tionem urgere. Invenio dicentem, Argue, obſecra, increpta. Nolo commit- „tere, ut prurientes auribus, per me auditum à veritate avertant, & ad fabu- „las convertantur.

74. Re-

Digitized by Google

„ 74. Reprehenſiones eorum, qui non paternum zelum præ ſe ferunt, ſed „ ſatyricam potius mordacitatem, omni fructu carere, ſatis ſuperque ipſa do- „cet experientia. Delicata res eſt animarum curatio. Urat ſi opus eſt, verun- „ tamen non ira, ſed charitas.

„ 75. Neque eorum ſanat oratio, qui tam imprudenter arguunt, ut in ho- „ mines magis, quam in vitia invehantur. Hominem ſi inſectaris, fratrem „ inſectaris & peccas. Vitium ſi inſectaris, hoſtem inſectaris, & vincis. „ Quid, qui nullo perſonarum reſpectu in ſuperiores atque Eccleſiaſticos ita „ invehuntur, ut magis eos infamare quam curare vel videantur? Pudenda „ patris tui tege, ut benedicaris, qui deridet maledicitur. Concionator es, ſed „ & filius es, magna prudentia, magna & modeſtia opus eſt.

„ 76. Sunt qui pulvillos ſub omnium cubitis conſuunt, ſerviuntque his „ qui dicunt, loquimini nobis placentia; latior via latis teritur à pleriſque, „ admonitore non indiget. Arctam inveniunt teruntque pauci. Hanc tu in- „ dica, in hanc compelle.

„ 77. Multis parum eſt curæ, ut auditor in virtute progreſſum agat, & „ perfectionem ſui ſtatus acquirat. Bonus de cælo paſtor ad hoc venit, ut „ oves ſuæ vitam habeant, & abundantius habeant, ſi tu paſcuis illas ad id „ defraudas idoneis, vide qualis ſis Paſtor.

„ 78. Qui pauperum eleemoſynas, ut in media concione fieri mos eſt, a- „ pud ſuos auditores negligenter commendat, vel pietatis & charitatis eſt „ inops, vel oneroſum exiſtimat pecunias extorquere. At uſus oſtendit „ cui diligens charitas ſuppetat, eum non minus jucundè egenis, qui „ ſtipem accipiunt, quàm divitibus, qui largiuntur, prodeſſe. Cæterum qui „ corrogatæ ſtipis ubertate gloriatur, alios locupletat, ſe pauperat: prodeſt „ corporibus pauperum, prodeſt animis divitum, ſibi ſoli eſt noxius.

„ 79. Aliqui concionem habituri, quaſi politicum negotium tractaretur, „ neque ante eam preces ad Deum præmittunt, neque in ipſa concione labo- „ rant, ut ex corde rem agant, neque poſt concionem, ſi quid erratum eſt, re- „ colunt: ſed vel animum deſpondent ſi non ceſſit ad votum, vel inaniter „ efferuntur, ſi laudentur. Vide quid agas, cœleſtis mercatura eſt, divinum- „ que negotium. Neceſſe eſt ordiaris à Deo, proſequaris cum Deo, concludas „ in Deum.

„ 80. Denique mirandum eſt totius quadrageſimæ tempore, poſt tot quo- „ tidie habitas conciones, in paucis fructum extare, in mutandis moribus, in „ alienis reſtituendis, in ſacramentis crebro uſurpandis. Putarim equidem „ ſæpè culpam in auditores rejiciendam, ſed illud mihi perſuadeo certiſſimè, „ non rarò concionatoris operam id ſuo obeundo munere deſiderari, & ejus „ culpa effici, ut pauci convertantur. Gladius eſt Dei verbum, malleus eſt con-

Digitized by Google

„ conterens petras, at utentis brachium, pueri brachium eſt imbecillis,quem
„ ſperas ictum ? Audi quæſo, ut faciamus dicendi finem, Faxit Deus, ne ali-
„ qui Concionatorum, Dei verbo feriamur ad mortem, qui Dei verbo alios
„ vulneraturi eramus ad vitam. Armatur Dei verbo Concionator, utinam
„ ad ſuam aliorumque ſalutem. Timeat de ſua dum languidè quærit alienam.
„ Sit monuiſſe ſatis.

Tract. II. Sectio III.

De Adminiſtratione Baptiſmi.

Cap. I.

De Baptiſmi Miniſtro.

Reſuppoſitis iis quæ de Baptiſmi naturâ & proprietatibus in Locis §. 1. Communibus didactico-elenctiis, & de eiuſdem praxi in Aſceticis tractata ſunt, tantummodo de ordine & modo ritè atque ἐντάκτως Baptiſmum in Eccleſiâ adminiſtrandi hic diſquiſituri, ad ſex titulos ſeu claſſes, omnes quæſtiones revocabimus. I. De Baptiſmi Miniſtris. II. De Baptizandis. III. De Materiâ, & formâ. IV. De Ritibus. V. De Adjunctis. VI. De Circumſtantiis.

Quod ad primam claſſem, extra controverſiam ponendum putamus, Baptiſmum ab & in Eccleſiâ Chriſtiana ordinario per Miniſtros ordinarios, poteſtate ipſis ab Eccleſiis per vocationem, juxta prę ſcriptum Juris divini collatâ, adminiſtrandum eſſe. Ut tamen penitius hanc rem intelligamus,quę ſtiones ſequentes formabimus.

I. *Quæſt. An Baptiſmus à quovis privato Chriſtiano, etiam Fœminâ*; an *vero à ſolo verbi Miniſtro adminiſtrari poſſit* ? *Reſp.* Nos *pr.Neg. poſter. Aff.* ex *Matth.* 28. *v.* 19. coll. cum *Epheſ.* 4. *v.* 11. *Rom.* 10. *v.* 15. Conjuncta enim ſunt verbum & ſacramenta: ut qui in illo anteceſſor, unà iſtorum Miniſter electus ac conſtitutus ſit. Quod ſi quis ſine vocatione verbum in Eccleſia prædicare, aut ſacramenta adminiſtrare præſumat, is ſumit ſibi honorem, quem non debet *Hebr.* 5. *v.* 4. & currit non miſſus *Jer.* 23. *v.* 21. Pręter hæc militat peculiare argumentum contra Fœminas, ex 1. Cor. 14. v. 34. *Mulieres veſtræ in conventibus ſileant:* quod contra Collydrianos allegatur ab *Epiphanio* mox citando. Repugnat huic determinationi noſtræ opinio & praxis antiquorum hæreticorum, ut Marcionis, quam improbat Epiphanius lib. 1. contra hæreſes tom. 3. hæreſ. 42. *dat etiam permiſſionem Mulieribus, ut Baptiſmum*

Digitized by Google

dent. Idem *Lib. 3. tom. 2. Hæres. 79.* Collyridianas Mulieres sacrificantes inter alia redarguit ex eo, quod nulli unquam mulieri quod ne quidem B. Mariæ licuerit sacrificare, nec etiam baptizare: *Sed neque Baptisma dare concreditum est*, scil. B. Mariæ. Pari ergo pastu eunt sacrificare & baptizare; & cui unum concreditum est, etiam alterum. Uti omnia argumenta *Epiphanii ibid.* ostendunt. Nicetas in thesauro lib. 4. c. 14. idem de Marcionitis testatur. Quartum Concil. Carthaginense capit. 111, (juxta *Tom. Concil. edit. Merlini* aut 104. (juxta *Caranzam in Epitome Concil.*), exsertè sic statuit: *Mulier baptizare ne præsumat.* Tertullianus de Præscriptionibus cap. 41. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, curationes repromittere, forsan & tinguere.* Idem de Veland. Virginib. cap. 9. *Non permittitur mulieri in Ecclesiâ loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare.* Ubi annotat *Pamelius*, de tinctione sane intelligendum, in *Ecclesiâ* nempe, ut illud ad omnia „hæc referatur, nam in necessitate id illis permittitur. Quæ glossa textum insigniter corrumpit: Ex ea enim sequeretur vel docere, offerre, omniaque sacerdotalia officia, extra Ecclesiam in casu necessitatis, permissa esse. Quo nihil absurdius Tertulliano affingi potest; quodque nec ipsa Romana Ecclesia probatura sit. Ipsa tamen in casu necessitatis quibusvis baptizandi potestatem concedit, Can. *firmiter* de Summâ Trinit. *baptisma à quocunque ritè collatum proficit ad salutem.* Etiam mulieribus. Et Can. *in necessitate*, Can. *Romanus*, Can. *à quodam, De Consecrat. dist. 4.* Hanc sententiam confirmant praxis Ecclesiæ Romanæ, & communis. *Determinatio Canonistarum ad Can. firmiter, de Summâ Trinit.* ac *Theologorum ad 4. Lombardi dist. 6. & ad 3. Thomæ qu. 67. art. 2. & in explicatione Casuum tit. de Baptismo*, cum *Guidone in Manipulo Curatorum*, *sect. de Baptismo cap. 4.* Addatur *Bellarminus de Bapt. cap. 7.* Citant vulgò Pontificii (*Lancelotus in Institut. Juris Canonici lib. 2. tit. 3. Vallensis in Paratitlis Decretal. lib. 3. tit. 42. §. 2.*) *Can. 20. Mulier de consecr. dist. 4.* ubi Gratianus decretorum Compilator, Canoni concil. Carthagin. 4. modo cit. addit suum assumentum, *nisi in casu necessitatis.* Idem assuit *Lombardus Lib. 4. dist. 6.* Sed repugnat textui Concilii Carthaginensis à *Gratiano ibidem* citati, ut & rubricæ huic capiti præmissæ, *Non præsumat mulier baptizare.* Quam correctio Gregorii XIII. sic reliquit: quæ eadem Gratiani assumentum, quod in antiquis editionibus continuo textu cum verbis Concilii legebatur, & incisione & alio charactere ab iisdem separavit, Valet ergo tantum hujus Canonis limitatio, quanta est autoritas Gratiani, quæ aliàs Pontificiis nulla est, cum ipsis ita usu venit. Opinioni & praxi huic Pontificiæ præluxit nimia quorundam inter antiquos indulgentia ex errore de absolutâ necessitate Baptismi enata. Vide *Perkinsi Problema catholicum.* Hodie

die eidem ſententiæ & praxi accedunt Lutherani, quin & pro eâ acriter contendunt: ut videre eſt apud *Mentzerum in Exegeſi Auguſt. confeſſ. art.* 19. Et *Henricum Eckhardum in Faſcic. controverſ. cap.* 19. *qu.* 4. & *Johannem Gerardum c. Wendelinum.* Quin & cujuſdam ex Noſtris judicium de mulierum Baptiſmo ita perſtringit Ægid. Hunnius in Diſpp. Marpurgi habitis & anno 1585. ibid. editis diſp. 12. th. 22. *Damnanda igitur illorum impietas, qui hujuſmodi χρισμοβαπτισμὸν in nomine trinitatis collatum, pro fabulâ habendum cenſent ac ſcribunt.* Videtur in Eccleſia Anglicana hæc praxis aliquamdiu hæſiſſe: ſed *Georg. Abotus cap.* 2. *ſex Quæſt. ſeu Prælectionum* hoc meræ tolerantiæ adſcribit, non doctrinæ aut approbationi. Rationes pro hoc neceſſitatis baptiſmo (quem Belgæ Pontificii appellant *geedoop* contractè & corruptè ex Germanico *gacht* aut *jachtauf* Baptiſmus feſtinatus) à Pontificiis allatas refutant *Antagoniſtæ Bellarmini*, & *Georg. Abotus in ſex Prælectionibus*; *cap.* 2. & à Lutheranis allatas *Wendelinus Exercit.* 85. Palmariæ inter eas ſunt duæ: quarum una deſumitur ex exemplo Ziphoræ *Exod.* 3. altera à neceſſitate abſolutâ Baptiſmi, ex *Johann.* 3. *v.* 5. Ad priorem facilis eſt reſponſio, non facto aut exemplo perturbatæ mulieris, ſed legibus divinis cultum regulari. Ad poſteriorem, per aquam non intelligendam eſſe aquam baptiſmalem, ſed ſpiritum ſanctum, cum donis ſuis, qui metaphoricè aqua dicitur *Johann.* 7. *v.* 33. 38. *Jeſa.* 44. *v.* 3. Conferatur ex Antagoniſtis Pontificiorum *Chamierus in Panſtratiâ*, & *Molineus in Diſpp. Sedanenſibus*: ubi diſputant baptiſmum neceſſitate medii non eſſe neceſſarium. Sed Pontificios & Lutheranos longè prætergreſſus eſt *Thomas Hobbes* nobilis Anglus, qui multam ac curioſam ſuam doctrinam aliquot editis ſcriptis oſtentavit; & inter alia in Scripto quodam vernaculo tit. *Leviathan* Principibus & Magiſtratibus poteſtatem attribuit verbum Dei in Eccleſiâ prædicandi, & ſacramenta adminiſtrandi. Sed cum is claves Regni cœlorum Eccleſiæ in Miniſtris datas ad Magiſtratum transferat, nec ullam ſocietatem ſeu communitatem, niſi civilem, agnoſcere videatur, & ſic extra totius dicti Chriſtianiſmi limites procurrere, hic denuò refutandus non eſt: cum ſupra *Lib.* 1. *tract.* 1. ſatis ſuperque diſtinctio communitatis eccleſiaſticæ à civili, hoc eſt, ſanctæ Eccleſiæ à Politiâ civili, à ſæculo, à mundo, à regnis mundi, & poteſtatis unius ab alterius poteſtate, ſatis ſuperque probata ſit.

II. *Quæſt. An qui in infantiâ à Viris privatis aut à Feminis in communione Eccleſiæ Romanæ baptizati ſunt, in noſtris Eccleſiis talem Baptiſmum improbantibus de novo baptizari debeant? Reſp. Negat* ex conſenſu Antiquorum & Eccleſiæ Anglicanæ *Abotus loc. cit.* Videntur *Affirmare* qui cum *Beza Qu.* 140. & *Cartwrighto*, talem Baptiſmum tanquam nullam & fabulam habent. Sed dubito, an æque affirmaturi eſſent de baptizatis in communione Eccleſiæ Lu-

theranæ : cui cum noſtri ſemper fraternitatem obtulerint, & Fæminæ illic non tantum in communione fidei & Eccleſiæ iſtius, ſed inſuper ex delegatione & ſpeciali mandato (in caſu ſcil. neceſſitatis) ejuſdem Eccleſiæ baptizaverint; non temerè diſquiritur, an talis Baptiſmus, quam vis ἀτάκτως adminiſtratus, tenere debeat: ſicuti in aliis quibuſdam caſibus determinari ſolet: Hoc vel illud legitimè aut ἐυτάκτως fieri non poſſe, tenere tamen cum factum eſt: juxta axioma juris: *Multa fieri non debent, quæ tamen facta valent.* Advocari huc poſſet, tota diſceptatio noſtrorum cum Anabaptiſtis, pro Baptiſmo à Curatis, aut Vice-curatis, aut vulgaribus quibuſque Sacerdotibus miſſaticis, aut Diaconis in medio Papatu adminiſtrato; & conſequenter in noſtris Eccleſiis non iterando. Ubi longè plures defectus & abuſus occurrunt, non tantum ex parte Miniſtri idolici & Antichriſtiani & illegitimæ vocationis ejuſdem ad miniſterium, ſed etiam ex parte doctrinæ univerſaliter corruptæ, & ex parte ſpecialis corruptionis baptiſmi per tot tantoſque errores, tot ſuperſtitioſos ritus. Et forte huc applicari poſſet exceptio illa, quæ pro non iterando baptiſmo à Miniſtris hæreticis aut improbis collato adfertur; quod ſcil. baptiſmi efficacia non dependet à dignitate Miniſtri, & non tam aut non tantum ſpectatur Miniſter qui baptizat, quam aut ſed etiam publica Eccleſia, in cujus communione miniſtrat, & cujus nomine, mandato, vocatione, approbatione, baptizat. *Beza 1. part. Quæſt. & Reſponſ. qu.* 142. diſtinguit inter vitium in actu baptiſmatis & inter vitium in perſonâ baptizantis. Illud negat in Baptiſmo collato à ſacrificulo Papiſtico: iſtud concedit, quia ſunt πως πεισόντες; ſed quia *ſedent in cathedrâ miniſterii aliquo hominum conſenſu, & ſi quod ad perſonas ipſas attinet veri Paſtores non ſunt, alio tamen loco ſunt habendi, quam qui nullam neque legitimam, neque illegitimam vocationem habent. Sic Cajaphas non erat quidem legitimus*, &c. Confer. *qu.* 131. -- 134. Et *qu.* 134. 135. ubi Papiſtarum liberis Baptiſmum conferri vult, quod *intra papiſmum aliquis (quod ad electos attinet)* ſit *Chriſtianiſmus: ut ex eo apparet, quod adhuc ibi remanſit ſalva Baptiſmi formula eſſentialis.* Hinc ergo quis colligat, in Eccleſiâ Pontificiâ & Lutheranâ, aliquo hominum conſenſu, Viri & Fæminæ, extraordinariò in tali neceſſitatis caſu poteſtatem habent & vocationem, quamvis illegitimam, ad baptizandum: itaque alio loco ſunt habendi, quam qui nullam nec legitimam nec illegitimam vocationem habent; quales omnes Fæminæ in Eccleſiis Reformatis. Quibus omnis talis poteſtas exſertè communi Eccleſiarum doctrinâ & prohibitione negatur: adeo ut illis baptizantibus verè applicari poſſet ſententia in Defenſione *Bezæ modo cit.* & *Thomæ Cartwrighti in defenſione admonitionis ad Parlamentum Angliæ* (quamvis *Aboto cap. cit. pag.* 99. improbata): Feminarum ablutionem *nihil magis ad baptiſmum facere, quam ordinariam aliam aliquam*

quam & quotidianam lavationem. Si quis ergo ob hæc mota dubia censeat, se tutius in hujus quæstionis determinatione ἐπέχειν, saltem tantisper à Baptismo postulando aut administrando abstinere, quamdiu non sit πληροφορηθεὶς: utique non arbitror eum aut heterodoxiæ, aut ἀπιστίας, aut temeritatis condemnandum. Neque enim privatio sacramenti, sed contemtus damnat. Imaginaria necessitas Baptismi tanquam medii, peperit Baptismum à quovis administrandum: eadem non debet apud adversarios ejusmodi ἀπιστίας parere festinationem iterandi illius Baptismi, cum quis in animo suo non satis certus est, priorem Baptismum fuisse nullum. In Synodo Nationali Ecclesiarum Gallicarum Pictavensi anno 1560. inter particularia artic. 14. determinatum fuit. *Baptismum collatum per Monachum, qui non prædicat populo, nec ullam ad id habet vocationem in Ecclesiâ Romanâ, esse nullum.* Quod procul dubio intelligendum est, de Baptismo extra casum extremæ necessitatis: nam in casu necessitatis Monachi non tantum, sed & omnes alii Laici, immo Fœminæ habent vocationem in Ecclesiâ Romanâ, & specialiter atque extraordinario delegatam baptizandi potestatem.

III. *Quæst. An à Ministris (e. gr. Arrianis, Photinianis, Francisco Davidistis, Papistis, Anabaptistis, Remonstrantibus) Baptismus petendus; & si ab illis collatus fuerit, in nostris Ecclesiis iterandus? Resp. Pr.* absolutè *neg. Posl. dist.* De Antitrinitariis non ausim negare: quandoquidem non agnoscunt trinitatem (quidquid lusibus ambiguis Christianismo illudere conentur) & consequenter non agnoscunt, quis sit verus Deus, in cujus nomine Baptismus conferri debet. Ideoque à Reformatis, Protestantibus, Pontificiis nomen *Christiani* ipsis negatur. *Beza Quæst.* 135. statuit Eunomianorum & Priscillianistarum infantes non esse baptizandos & baptizatos denuo ab orthodoxis baptizandos: hoc est, (uti loquitur) *Christi Baptismo nondum baptizatos, baptizandos, quod abolito Christi Baptismo (qui sic administratur, uti Christus instituit) proprium alium invexerunt, mutatâ videlicet substantiali forma.* Non video, cur hoc judicium semi-Muhammedistis Socinianis, & plus quam semi-Judæis Francisco Davidicis, aliisque longè deterioribus Ebionitis, Marcionitis, Valentinianis, Manichæis, Henric-Nicolaitis, David-Joristis, Weigelianis, &c. aliisque omnibus directè Deum trinum & unum, & novum fœdus gratiæ tollentibus, aut formulam Baptismi & doctrinam illâ contentam planè corrumpentibus, applicari non debeat; siquidem de infantibus ipsorum baptizandis quæratur; aut de baptizandis, adultis, si fortè antè in cœtu aliquo antitrinitario baptizati, fuissent. *Ægidius Hunnius Disp.* 12. *supra cit. th.* 6. & 7. distinguit inter Baptismum Ministri antitrinitarii in Ecclesia antitrinitariâ, & inter Baptismum ejusdem in Ecclesiâ orthodoxâ collatum: quorum illum dicit esse nullum, hunc aliquem: *si quidem*, inquit, *Baptismus bo-*

bonum est non Doctoris principaliter, sed Ecclesia, quæ vera est Domina in domo Dei viventis, cui servire non dominari tenentur Ministri. Et sic *Balduinus l. 7. c 6. cas. 7.* Hæc sententia mihi non displicet. Aliis si aliter visum, fruantur suo judicio : dummodo mihi meum qualecunque retinere, aut suspendere liceat. Absque magnâ difficultate à Baptismo Antitrinitariis ad Nostras Ecclesias transeuntibus conferendo abstineri, & quæstio hæc tantisper in medio relinqui posset : nisi peterent ad Cœnam nostram admitti. Tunc enim necessario determinandum essent, sintne baptizati, nec ne; *Danæus part. 4. Isagogæ lib. 5. cap. 23.* Baptismum hæreticorum vocat *fictitium.* Nominatim hæreticos illic designat Arrianos, Paulianos, Manichæos, Prodianos, Borboritas, qui formulam à Christo traditam, & doctrinam eâdem comprehensam non retinent, sed formâ ab ipsis institutâ eundem administrant. Quod ad Baptismum Papistarum, Remonstrantium, Anabaptistarum (siquidem Arriani, aut Photiniani non sint) negantem amplector, ob rationes ab Antagonistis Anabaptistarum pro essentiâ Baptismi Papistarum, hactenus allatas, & hic non repetendas. Videatur inter alios *Danæus part. 4. Isagogæ lib. 5. cap. 23. & 31.* ubi distinguit inter Baptismum *hæreticum & fictitium*, quem dicit esse *nullum :* & inter Baptismum Christi seu euangelicum, qui est verus Baptismus, & quamvis ab hæretico collatus, non desinit tamen plane esse Baptismus: siquidem hominum infidelitas, mala intentio, malus animus, fidem, promissionem, & ordinationem Dei irritam non facit. *Consectar.* 1. Sententia Cypriani & Africanorum de Baptismo hæreticorum non-baptismo, sine grano salis & adhibitis cautelis ac distinctionibus condemnari non debet. *Consect.* 2. non ausim dicere, *Can.* 19. *Concil. Nicæni*, de baptizandis Paulianis ad Ecclesiam orthodoxam redeuntibus, hæresin aut errorem continere. Confer cap. sequens.

IV. *Quæst. An Baptismus à pueris ludentibus joculariter collatus, aliquâ ratione admitti, aut post factum ab Ecclesiâ ejusve Antecessoribus hactenus approbari possit; ut sic baptizati ad Baptismum in Ecclesiâ recipiendum non teneantur?* *Resp. Neg.* Indigna hæc esset profanatio, si φαιδιὰ μυστήρια (ita sacramentum Cœnæ à nonnemine veterum appellatur) lusuum & jocorum puerilium materia fiant. Vide quam reverentiam & præparationem verbi audibilis & visibilis dispensatio requirat *Jes. 66. v. 2. Actor. 22. v. 16. & 1. Cor. 11. v. 20 -- 23.* Factum ergo illud Athanasii pueri baptizantis alios pueros collusores, & Alexandri Episcopi Baptismum illum approbantis merito improbandum censemus : tantum abest, ut tales pueros tanquam vere & ritè baptizatos fidelium catalogo cum eodem Alexandro ad scriberemus. Vide Historiam Facti apud *Sozomenum Lib. 2. cap. 16.* Dissentit eruditiss. Abotus, postea factus Archiepiscopus Cantuariensis Prælect. cit. pag. 101. *Quæ istis,* in-

inquit, *contradicerent, & ex professo oppugnarent rationes sanas & solidas exinde non reperio.* Rationes, quibus γυναικοβαπτισμὸν solidè oppugnabat, nos in illius scripto invenimus, & eaſdem fortius adversus hunc jocularem & lusorium puerorum Baptismum intorqueri posse putamus. Erat enim 1. *Puerorum*, qui in civilibus ad testimonia, juramenta, testamenta, tutelas aut advocatias obeundas, contractus ineundos non admittuntur. 2. erat sub formâ & sigillo lusus puerilis. 3. erat extra omnem præsumtæ necessitatis casum. Venit nunc in mentem factum Minoritæ Flandri; qui in nova Hispaniâ 28. annis euangelistam egerat, & per pueros emissarios duodecennes millia aliquot Indorum circumquaque baptizari fecerat: siquidem ipsi talia de se jactanti, fides adhibenda. Ineptam & stolidam Guardiano seu Priori Gandavensi inscriptam epistolam inveniet Lector in *Epistolis ex novâ Hispaniâ scriptis* & uno volumine in 8. editis.

V. *Quæst. An Baptismus non nisi à perfecto suscipiendus sit, & si ab alio susceptus fuerit, is pro nullo habendus sit. Resp.* Ita statuebant Cathari. Nos *Neg.* Nulli enim in his terris sunt perfecti: esset itaque abstinendum ab omni Baptismo. Interim non negamus, siquidem delectus Ministrorum absque schismate aut scandalo haberi possit, à pio Ministro potius petendum Baptismum, quam ab improbo, aut Mercenario, aut Hypocritâ: cujus vitâ pariter notæ edificamur; & cujus doctrinâ non sine fastidii & nauseæ molestiâ pascimur. Si tamen à carnali & mercenario ventre quis baptizatus sit in communione veræ Ecclesiæ: est quod in tali Baptismo acquiescat. Si quidem efficacia Baptismi à dignitate Ministri non pendet: uti Nostri, inter eos *Beza* & *Daneus locis modo citt.*, hoc accuratè docuerunt. Vide & Augustinum tract. 6. in Johan.

VI. *Quæst. An in casu necessitatis Baptismus à Gentili, aut Judæo, aut Muhammedistâ collatus valere debeat. Resp.* Sic *Aff. Pontificii* & affirmare coguntur ex & cum *Jure Canonico Can.* 123. & 124. *dist.* 4. *de Consecr.* Et 23. *Constitutione Eugenii* 4. anno 1441. quam vide in *Bullario.* Confer *Thomam* cum suis *p.* 3. *qu.* 67. *artic.* 2. & recentiores quosque *Casuistas*, & *Petrum Ledesma de Sacramentis.* Nec mirum: cum statuant absolutam necessitatem Baptismi, ejusdemque efficaciam in purgandis peccatis ex opere operato. Nos utrâque hâc falsâ hypothesi rejectâ, *Negamus.* Qui enim ipse nec fidem profitetur, nec baptizatus est, immo aperte odium Christi & doctrinæ Christianæ profitetur, quomodo præerit symbolo & sigillo initiationis in fœdus gratiæ, in Christi & Christianorum communionem? Et quid si hominum nullus adesset, qui in præsumtæ necessitatis casu aquam cum formulâ subministrare posset, & diabolus præsto esset, an infantem aut adultum quem morti vicinum operâ ipsius per modum deprecationis aut imperii baptizatum

Digitized by Google

tum vellent, juxta textum Poëtæ. *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo*? Non arbitror: cum negent animam ſeparatam, aut Angelum baptizare poſſe, quia non ſunt homines. Sic ex Caſuiſtis *Bonacina* & *Graſſius*: hic tamen excipit, Angelum ex divinâ diſpenſatione poſſe eſſe Miniſtrum ſacramentorum. Abſurdam hanc ſententiam de Baptiſmo infidelium & quidem juratorum Chriſti & fidei hoſtium (quales Judæi,) non juvat limitatio addita, ſiquidem adhibeant debitam materiam & formam & habeant intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Quid de Judei blaſphemantis Chriſtum intentione ſibi polliceri poſſent? Si non validè baptizat, qui ſolum habet intentionem jocandi vel irridendi, ut determinant *Zwarez*, *Graſſius*, *Toletus*, *Filiucius*, *Reginaldus*, aliique *Caſuiſtæ*, quomodo validè baptizabit Judeus, qui nullam aliam intentionem habet, quam adorandæ trinitati, Chriſto Mediatori, fidei Chriſtianæ, & ſacramentis, blaſpheme inſultandi, & maledicendi. Quæ communio talis intentionis cum intentione Eccleſiæ? Adde, quod ipſi dicant, peccare adultum, qui recipit baptiſmum à Pagano, propter periculum *non recipiendi Baptiſmum defectu intentionis*. Sic inter Caſuiſtas ipſorum *Bonacina* & *Baſſeus*.

VII. *Quæſt. An quis in caſu neceſſitatis ſeipſum baptizare poſſet? Reſp. Neg.* cum *Polano lib. 6. Syntagmatis cap. 55*. Ratio inter alias hæc eſt, quod non baptizatus baptizare non debeat. Excipitur, Poſſe quem ſibi ipſi cœnam adminiſtrare: ut apud nos fieri debet in omnibus Eccleſiis, ubi unus ſolummodo eſt Concionator. Sed reſpondetur, cœnam ſibi adminiſtrantem ſequi exemplum Chriſti, qui idem fecit; nec tamen à ſeipſo ſed à Johanne baptizatus fuit. *Deinde*, cœnam ſibi adminiſtrantem eſſe baptizatum & in fœderis communione per ſigillum iſtud initiatum ac confirmatum: non baptizatum vero non eſſe. Denique ſicuti aliquis ſibi conferre poteſt alituram, non tamen genituram: ſic ſignum alituræ ſibi conferre poteſt.

VIII. *Quæſt. An à Miniſtro haut legitimè vocato, aut, quidquid vocationis per intruſionem, aut obtruſionem Patroni prætendatur, ab Eccleſia nondum recepto atque approbato, baptiſmus recipi; & ſi receptus ſit, valere debeat? Reſp. Aff. poſter.* ſed *pr. Neg.* Rationes ſunt 1. *quia* non debemus participes, ne quidem videri participes, eſſe alieni peccati & ἀλλοτρίων. Vide *1. Cor. 5. v. 9. 11. Epheſ. 5. v. 11.* 2. *quia* non debemus hâc ratione manus improborum confirmare, & corda juſtorum triſtitiâ afficere. Quod fieret, ſi uſu operæ & miniſterii talis uſurpantis & intruſi Miniſtri in præjudicium bonæ cauſæ, & juris quod adhuc urget ac proſequitur orthodoxa Eccleſia, malos operarios & malæ cauſæ patronos, aliquâ ratione juvare & honorare videremur. 3. *quia* autoritas talium ἀνικέτων non eſt exaltanda apud Eccleſiam, ſed potius deprimenda, ipſique humiliandi & ad pudorem adigendi ſunt. Confer infra

qu. 10.

qu. 10. 4. *quia* nulla eſt neceſſitas talium miniſterio utendi: Baptiſmus enim aut differri poteſt in meliorem occaſionem, aut à legitimè vocato Miniſtro ſive in eâdem ſive in vicinâ aliquâ Eccleſiâ peti.

IX. *Quæſt. An Baptiſmus, ubi in loco commorationis, aut in viciniâ nulla eſt Eccleſia reformata, nec Miniſter reformatus haberi poteſt, à Miniſtro Lutherano peti poſſit? Reſp.*

Aff.: Si ſimpliciter, abſque exorciſmo, aliiſque ceremoniis, baptizare, & offerentes in minimè diſſimulatâ reformatæ religionis profeſſione de neceſſitate & efficaciâ baptiſmi, tolerare, & quod ad illum actum, ſuo loco relinquere velit. Quod ſi verbum adhortationis, aut prælectionem formulæ liturgicæ, aut precationes, aut quæſtiones adjungere vellet, quæ orthodoxæ fidei noſtræ, quam profitemur, repugnarent, præſtat abſtinere & meliori occaſioni nos reſervare; quam quidquam per ſilentium & ſimulationem committere, quod conſcientiæ noſtræ integritati & tranquillitati præjudicaret.

X. *Quæſt. An à pratenſis Miniſtris ſocietatis Remonſtrantica Baptiſmus petendus ſit: ſaltem in præſumto aut imaginario caſu neceſſitatis, ob infirmitatem ſcil. infantis, & quia tum temporis Miniſter reformatus haberi nequit? Reſp.* Abſolutè *Neg.* de Remonſtrantibus, poſt Synodi Dordracenæ judicium à miniſterio & Eccleſiæ noſtræ communione remotis, & miſcellam quam religionem ex quinquarticulanis & crypto-Arrianis, aut Photinianis heterodoxiis conflatam foventibus. Annexum dubium eſt, an ab iis baptizatus, denuò ſit baptizandus? *Synodus Zuyd-holl. Brielana* anno 1623. *artic.* 50. negabat: Sed cum ſtatus Remonſtrantiſmi ab eo tempore à malo in longè pejorem mutatus ſit, de novo ſuper hâc quæſtione deliberari poſſet. *Pruckneras centur. 5. qu.* 8. cum *Finckio* & *Konig. ibid. cit.* concedit infantem orthodoxi Patris licitè ad baptizandum offerri poſſe Paſtori heterodoxo, ſub cujus *ditione* (ſic loquitur) habitat, idque ob jus parochiatus; cum ſcil. ſtatus Eccleſiæ eſt preſſus; idque non ſine præmiſsâ proteſtatione contra heterodoxiam: contra negat licitè offerri poſſe, cum ſtatus Eccleſiæ liber eſt; ne ſpeciem colluſionis cum heterodoxo præ ſe ferat. Nos cenſemus, preſſuram aut libertatem Eccleſiæ non ponere aut tollere, regulas de vitandâ communione & colluſione cum heterodoxiâ, hæreſi, Eccleſiâ hæreticâ, Miniſtris hæreticis & aliquâ ſpecie mali 1. *Theſſ.* 5. *Rom.* 16. *v.* 18. 19. *Apocal.* 18. *v.* 4. *epiſt. Johan.* 2. *v.* 10. Quærat quis, An ergo tali in caſu liberos ſuos abſque Baptiſmo relicturi ſunt? Reſpondeo cum Beza in Quæſt. & Reſp. part. 2. qu. 145. *ſumtibus non parcent, & nihil intentatum relinquent, ut purè baptizandos ſuos liberos curent; ac potius Baptiſmum different, quam illarum corruptionum rei fiant.* Sed quid ſi interea moriatur infans? Reſpondet ibid. Beza qu. 146. *Culpam ipſe certe infans non luet: & jam ſæpe diximus non privationem, ſed contentum Baptiſmi per ſe, reddere hominem fœderis beneficio indignum.*

XI. *Quæſt. An Baptiſmus petendus à Miniſtro ἀνδρωπαμφίσκῳ, ambidextro, perſonato hypocritâ, aut ebrietati, aliiſve infamibus vitiis obnoxio, & ſi ab illo collatus ſit, valere debeat? Reſp. Aff. poſter.* Quia valor Baptiſmi in communione Eccleſiæ orthodoxæ collati, non pendet à bonis aut malis moribus miniſtri. *Neg. pr.* Quia nulla neceſſitas nos cogit ad faſtidium & cordolium illud nobis accerſendum: & exſpectari poteſt, donec melioris Miniſtri in eâdem aut in vicina Eccleſia miniſterio uti poſſimus. Quod ſi enim affectanda ſunt præſtantiſſima dona 1. *Cor.* 12. *v.* 31. quidni liceat piorum Miniſtrorum utraque manu ædificantium opera faſtidioſæ ignavorum fucorum & fungorum operæ præferre? Quidni ipſo facto oſtendere, omnem noſtram voluntatem eſſe in ſanctis &c. *Pſ.* 16. & pios à nobis honorari, ac contra contemni &c. *Pſ.* 15.

XII. *Quæſt. An abſque ſcrupulo recipiendus à Vicario ordinarii Paſtoris, aut à Diacono hoc eſt Coadjutore ordinarii, aut à Profeſſore Theologiæ, aut ab ordinatis ad miniſterium, nullam tamen curam paſtoralem in certâ aliquâ Eccleſiâ obtinentibus, aut à Miniſtris emeritis? Reſp. Aff.* ſiquidem in & ab Eccleſia aliqua poteſtas, ordinariò aut extraordinariò in caſu defectus prædicandi & ſacramenta adminiſtrandi ipſis conceſſa aut collata ſit. An autem è re Eccleſiæ ſit, ut tales ſint Vicarii, aut Adjutores, aut ordinati Miniſtri abſque certâ Eccleſiâ, à quâ ſint vocati, & an emeritis pars aliqua curæ & πομπείας eccleſiaſticæ, adhuc relinquenda ſit, judicio, prudentiæ, libertati, poteſtati cujuſque Eccleſiæ relinquendum eſt.

XIII. *Quæſt. An à Seniore gubernante, aut Prælectore, aut ægrotorum Conſolatore, aut publico quo Catechiſta*, aut *miniſterii Candidato ſeu Proponente Baptiſmus petendus ſit; & ſi collatus, an aliquâ ratione valeat*, ita ut non ſit iterandus? *Reſp. Neg. pr.* & inclino in *Aff. poſter.* ſiquidem non ſine mandato, conſenſu, & præſentiâ presbyterii collatus ſit. Neque enim abeſt omnis communio, repræſentatio, & autoritas Eccleſiæ, quamvis presbyteri ſuâ autoritate per imprudentiam hic abuſi eſſent, aut eam plus æquo extendiſſent. Quod ad proponentes illos, qui jam ſatis ſuperque probati ſunt, & ferè tanquam ordinarii Concionatores Eccleſiam quam, aut Eccleſias concionibus, & neceſſariis viſitationibus atque alloquiis aliquamdiu curarunt, inſuper inter eligendos antehac nominati ſunt, aut nunc etiam in vacante illa Eccleſia non ſine approbatione Synodi aut Claſſis nominantur: non video cur talibus, ſi ita viſum fuerit Eccleſiis in Claſſem aut in Synodum congregatis, poteſtas baptizandi, ſaltem in caſu defectus, concedi non poſſit. Saltem ſi à tali collatus eſſet, non putem ob uſurpationem aut ἀπραξίαν ipſius contra ordinem receptum, talem Baptiſmum iterandum. Si enim à vulgari quovis ſacrificulo miſſatico, nullam Eccleſiam in Papatu curante, collatus, in noſtris

Digit-

ſtris Eccleſiis non iteratur ; multo minus hic iterandus eſſet : cum tales proponentes , videantur non multum diſſimiles eſſe ordinariis Paſtorum Vicariis, quales ante hac (forte & nunc) in Anglia ; & Diaconis , quales in Germanicis quibuſdam Eccleſis ut ordinarii Parochi ſeu Paſtoris adjutores conſtituuntur.

XIV. *Quæſt. An mutus poſſit Baptiſmum conferre ? Reſp. Affirmat* ex *Scholaſticis Durandus in 4. diſt. 3. qu. 3.* Nos vero *Neg.* Quia non poteſt admitti ad miniſterium prædicandi , cui ſacramentorum adminiſtratio annexa: qui autem prædicare nequit non poteſt vocari ad curam paſtoralem , quæ principaliter in prædicatione conſiſtit. *Rom. 10. v. 14.* cum *Matth. 28. v. 19. 1. Cor. 1. v. 21. Act. 6. v. 2. 4.* Et ſi mutus ſit privata perſona , multò minus Baptiſmi adminiſtratio illi concedi poteſt ; nequidem ex ſententiâ Pontificiorum , qui alioqui in caſu neceſſitatis Baptiſmum à quovis Viro aut Fæmina conferendum cenſent. Evincitur hoc argumento tali ad hominem : quia non poteſt mutus hęc verba proferre *baptizo te in nomine Patris & Filii , &c.* Atqui in eo conſtituunt Pontificii formam Baptiſmi. Vide *Scholaſticos ad 3. Thoma qu. 66. art. 5. Caſuiſtas , in voce Baptiſmus , Petr. Ledeſma de Sacramentis.* Nec valet exceptio : ſi articulato & rationali ſermone uti nequit , poſſet vicariis manuum ſignis , aliiſque corporis geſtibus ac motibus formulam illam, *baptizo te in nomine*, &c. inter baptizandum promulgare. Sed videre velim , quomodo fidem & invocationem trinitatis ſurdus & mutus à nativitate, ita ſignificare queat , ut ab adulto quovis baptizando aut ab offerentibus Infantes ad Baptiſmum hoc cum debitâ devotione intelligeretur. Hic opus hic labor. Refertur admiranda induſtria Monachi cujuſdam in Italiâ, qui ſurdos & mutos animi ſui ſenſa ſcripto exprimere docebat, & aliorum ſcripta viciſſim legere atque intelligere. Quod de rebus , quæ in oculos incurrunt, & commonſtrari poſſunt , & de dogmatis. Theologiæ naturalis ex mundo hoc viſibili & innato lumine naturali eductis (*Rom. 1. v. 19. 20. & 2. v. 14.*) credi quidem poteſt : non ita tamen de myſterio trinitatis , Chriſto incarnato & θεανθρώπῳ , ejus nativitate ex virgine , morte , reſurrectione, aſcenſione, reditu ad judicium , &c. Et quidquid hic fingatur , voluit Deus verbum viſibile h. e. ſacramentum , fidem non confirmare ſine verbo audibili, *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum* , ut rectè *Auguſtinus.* Et fides eſt ex auditu *Rom. 10. v. 17.* conſequenter non ex puro ſigno , ſeu verbo viſibili.

XV. *Quæſt. An carens dextrâ , poſſit baptizare ſiniſtrâ ? Reſp.* Quæſtio hæc ineptè curioſa antehac alicubi mihi lecta , non meretur reſponſum. Manus hominis , ad actiones peragendas indefinite dicitur ὀχέων ὀχέων : non ſola manus dextra. Cum Miniſter dextrâ orbatus eſt, utetur eâ manu, quam

Digitized by Google

habet: nec ideo à ministerio se abdicare cogitur. Si quis ante ministerium illâ parte mutilatus sit, despiciendum esset, an talis extra casum necessitatis promoveri deberet. De quo alibi.

XVI. *An Baptismi administratio committenda Ministro alterutrius manus usu destituto? Resp.* Habent hanc quæst. *Gerhardus & Pruknerus loc. cit.* & in partem negantem determinant; additâ ratione, *propter Ecclesiæ scandalum.* Sed non video aliquem hic subesse scrupulum. Si enim quis à nativitate aut casu aliquo factus μονόχειρ fungatur publico ministerio, utique nihil propter conscientiam tuam aut propter scandalum (quod probabile non est hinc oriturum) hæsitandum esset.

XVII. *Quæst. An Pastor Ecclesiæ, qui ipse non sit baptizatus, legitimè possit baptizare; & si baptizaverit, talis Baptismus valeat? Resp. pr. negatur.* Peccat enim si quis sciens se non baptizatum, potestatem baptizandi usurpet. Oppositum tenet *Joh. Gerh. tom. 4. Loc. 23. §. 67.* & cum eo *Pruknerus*, in casu scil. necessitatis: quod probant exemplo Johannis Baptistæ *Matth. 3. v. 14.* Sed ad illud responderi potest, Johannem immediatè & extraordinariò vocatum & missum fuisse ad baptizandum *Joh. 1. v. 33.* quod de quibusvis non baptizatis sive privatis hominibus sive publicis verbi Ministris dici nequit. *Posterius negat Isidorus*, statuens tales baptizatos in Ecclesia denuo esse baptizandos: siquidem fides adhibenda *Burchardo & Ivoni* ex dictis Isidori tale quid referentibus. Sed rectius cum *Jure canonico Can. 59. si quis per ignorantiam 1. qu. 1. & can. solet, de Consecr. dist. 4.* affirmatur. Quia tali Pastori ab Ecclesia potestas baptizandi semel (quamvis non sine ignorantiâ inculpabili) collata, nondum ex certâ defectus hujus scientia, ablata est.

XVIII. *Quæst. An Baptismus ab ebrio Ministro suscipiendus; & susceptus sit validus? Resp. Neg. pr.* Quis enim vinum ex vase impuro aut mucido promere velit? Habet hanc quęstionem *Baldninus Lib. 4. cap. 8. casu 1.* qui ad *poster. cum distinctione* respondet, si ritè verba baptismalia pronuntiaverit, & abluerit, esse validum: sin præ ebrietate nesciat quid loquatur, quid agat, & offerentes dubitent, an infans verè baptizatus sit, esse invalidum. Addo ego Baptismum à phrenetico, aut insano peractum, non tam malè & ἀλόγως administratum, ac istum ab homine, qui nimium ingurgitando voluntariam insaniam sibi accersivit.

XIX. *Quæst. An Baptismus administrari possit à duobus, ut unus proferat verba, alter abluat; & an talis Baptismus valeat? Resp.* Quęstio satis inepta apud *Scholasticos & Casuistas.* Sunt qui proponunt de *claudo* (sic additiones ad compendium *Bonacinæ*): sed rectius de paralytico aut manibus truncato dixisset verba pronuntiante, & *muto* aquam affundente seu abluente. Sed omnes ejusmodi difficultates circa infinitos casus cientur à primo mobili

bili imaginario, abſoluta ſcil. neceſſitate baptiſmi. *Thomæ, Scoti, Paludani, Ledeſma*,&c.negantium ſententia apud ipſos communior eſt:& nititur his rationibus 1. *quia* neuter eorum baptizat: non ille, quia non profert verba: non iſte,quia non abluit. 2.Quia alter eorum proferens verba, & dicens ego baptizo, vel nos baptizamus, mentitur; quia non abluit. Velim tam accuratam criticam adhiberent in examine formulæ tranſubſtantiantis, *hoc enim eſt corpus meum.* An non involvitur hic mendacium Sacerdotis miſſifici, cum dicit de aliquo individuo vago, *hoc enim eſt*, &c. quod ſecundum ipſos demum futurum eſt corpus Chriſti poſt pronuntiationem ultimæ ſyllabæ *um?* Sed ad rem. Eandem partem negantem tenent ex Proteſtantibus *Joh. Gerh. tom.4. Locor. comm. loc.* 23. §. 68. & cum eo *Prucknerus in Manuali* 1000. *quæſt. centur.* 5. *qu.* 5. Oppoſitam ſententiam tenet *Cajetanus in Commentar. ad* 3. *qu.* 67. *artic.* 3.

XX. *Quæſt. An valeat Baptiſmus, ſi duo ſimul & verba proferant,& abluant? Reſp.* Ineptè curioſa hæc quæſtio movetur apud *Thomam p.* 3. *qu.* 67. *art.*6. & ejus *Commentatores Valentia*, *Zwarez* & *Caſuiſtas Filijucium & Baßeum.* Qui ſubtiliter ſcil. ita diſtinguunt, ſeu mavis ἀδιαιρέτως: Si uterque abluat & verba pronuntiet independenter ab alterius intentione, validè baptizari; cum adſit materia, forma, & intentio Miniſtri: ſi vero non perficiant ſimul, ille tantummodo baptizat, qui prius perficit formam. Si vero intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat; ſive ſinguli dicant, *ego te baptizo*, ſive dicant, *nos te baptizamus*: quia in utroque caſu falſa eſt forma, quia neuter ſic baptizat.

XXI. *Quæſt. An Baptiſmus valeat cum intentione joci aut illuſionis peractus: ſeu an intendens jocari & ludere verè baptizet?* Item intendens Infantem occidere? *Reſp.* Lepida hæc quæſtio ex eodem prę ſumtæ neceſſitatis puteo regurgitat. *Guido in Manipulo Curatorum fol.* 26. videtur *Aff.* Recentiores *Zwarez*, *Toletus*, *Reginaldus*, *Filijucius* ſic diſtinguunt: Si baptizans, ſolum habet intentionem jocandi & ludendi, aut occidendi non valet: ſed ſi habeat intentionem jocandi aut occidendi, & ſimul baptizandi, valet: quia finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad ſacramentum. Vide quem labyrinthum intentionis, ſuæ ſuorumque conſcientiæ paraverint.

XXII. *Queſt. An validè baptizet, qui putat ſe baptizare Fœminam & baptizat Maſculum, aut putat ſe baptizare Petrum, & baptizat Johannem. Reſp.* Mirifica hæc & tranſcendentalis quęſtio à *Toleto*, *Reginaldo*, aliiſque determinatur in partem *Aff.* quia licet Miniſter ſpeculativè erret, tamen practicè non errat, cum dirigat & dirigere debeat intentionem ſuam in perſonam præſentem: nec error perſonæ aut ſexus impedit baptiſmum, dummodo Miniſter baptizare intendit: niſi exprimatur in intentione, quod non vult baptizare.

Digitized by Google

ptizare. Et hinc *Sotus*, *Sayrus*, *Peraldus* & ex ac cum iis *Basseus* hoc consectarium educunt: non esse masculum pro fœminâ & sub nomine fœmineo in Infantia baptizatum, postea baptizandum, sed tantum nomen mutandum.

XXIII. *Quæst. An Pater in extremo necessitatis casu Infantem suum licitè baptizare possit: cum nullum Minister orthodoxus etiam in dissitu locus habetur, nec ullâ ratione à Magistratu loci impetrari potest permissio Baptismi, per orthodoxum quem Ministrum conferendi? Resp. Aff. Balduinus Lib. 2. cas. cap. 11. cas. 6.* & cum eo *Prucknerus*, argumento sumto ab exemplo Mulierum Filiolos suos in persecutione Antiochi circumcidentium 1. *Machab.* 1. *v.* 63. 64. & 2. *Machab. v.* 10. Sed facta illa Mulierum nobis non faciunt regulam.

XXIV. *Quæst. An Baptismus à Fœminâ, in casu necessitatis, collatus, sit ratus habendus; & manus Infanti ab Ecclesiæ Ministro cum precibus imponenda: sic tamen ut de integritate Baptismi quod ad materiam & formam, ejusdemque testes accuratè examinetur? Resp. Aff. Balduinus Lib. 4. cap. 8. cas. 9. Gerhardus tom. 4. Loc. 23. §. 210.* & cum iis *Prucknerus loc. cit. qu.* 10. Sed hæc omnia absque Scripturâ. Contra determinat *Balduinus Lib. 2. cap.* 11. *cas. 7.* & *Prucknerus* infantem à solâ Matre absque testibus baptizatum, à Ministro in cœtu Ecclesiæ baptizandum, ut Baptismi accepti testes habeat: *quia soli Matri, ut testi unicæ, in re tam arduâ vix fides adhibetur.* Ubi addit, quia igitur ita nescitur Baptisma illud factum esse, iteratum dici non potest. Sed unde probabit, testes esse de essentiâ Baptismi, non minus ac materiam & formam? Ad hæc Patrem, de quo *Præced. Qu.* 23., & Fœminas illas, quarum exemplo ibidem privatorum hominum Baptismum esse licitum concludere velit, coram testibus hoc feciſe aut facere? Denique unde probabit tempore persecutionis & fugæ festinatum ejusmodi Baptismum esse licitum, & extra fugæ festinationem illicitum? Et quid si dubium ipsis moveatur, de verbi Ministris in casu festinatæ fugæ & persecutionis, sine testibus, Baptismum conferentibus? Quomodo se expedient? Quod *ibid. Qu.* 13. 14. cum *Balduino*, *Gerhardo*, *Dedekeno*, laborat de Ministro ebrio mutilatis formulæ baptismalis verbis, & de Fœminâ coram testibus in perturbatione baptizantis, ut ignoret quid egerit aut dixerit: non tanti est. Dato enim Fœminam ignorare (quod vix credibile), saltem testes possunt scire, an aquam sparserit, & verba, in quibus formam baptismi constituunt, pronuntiaverit. Quod ad verba à Ministro ebrio non integrè prolata, cur non idem epithema adhibet, quod quæst. 16. etiam in casu mutatæ literæ aut syllabæ, aut pronuntiatæ, in *nomine*, *patria*, *& filia*, *& spiritua sancta* de sensu integro, & incorrupto, est quod *licet sensibilis verborum sonus mutetur, idem tamen sensus remanent, quia significant ex accommodatione usus*; &, *quod error syllabæ, maximè in fine dictio-*

dictionis non noceat. Omnium iſtarum difficulatum proxima cauſa eſt, hypotheſis, de certis articulatis vocibus tanquam eſſentiali formâ Baptiſmi, (de quò infra *Cap.4.* diſquirendum) : propinqua, hypotheſis de abſolutâ baptiſmi neceſſitate : remota, hypotheſis, de efficaciâ Baptiſmi, ſupra rationem ſigni & ſigilli ſacri.

Cap. II.

De Baptizandis.

I. *Quæſt.* AN præter hominem aliquod ſit ſubjectum Baptiſmi ? *Reſp. Neg.* 1. ex *Matth.*28. *v.*19. 2. *quia* præter hominem, nullum eſt ſubjectum novi fœderis, quod Baptiſmo obſignatur, nullum ſubjectum gratię tum externæ, prædicationis ſcil. euangelii ; tum internæ, illuminationis ſcil. & regenerationis. 3. *quia* patet hoc ex definitione ſacramenti in genere, & Baptiſmi in ſpecie. Quas explicatas vide in *Loc.comm.* aut *Commentar. Catecheticis.* Unde apparet ſymbolizatio Franciſci Aſſiſii euangelium, fidem, reſpiſcentiam prædicantis coram beſtiis ; cum fabulosâ Amphionis & Orphei muſicâ, & cum ſalute beſtiæ Alcoranicæ dictæ *alborach*, & vervecum in paſchate mactandorum, & fide ſtellarum, in eodem *Alcorano.* De quibus alibi. De Baptiſmo Papiſtico campanarum, omnibuſque ritibus baptiſmalibus adhiberi ſolitis (quidquid Recentiores nunc excuſent) infra *Lib.*4. agemus: ubi de utenſilibus Templorum.

II. *Quæſt.* An ſoli homines viventes, an etiam mortui ? *Reſp.* Certum eſt fuiſſe olim Hæreticos non tantum, ſed & Catholicos, qui mortuis Baptiſmum conferebant: idque vel immediatè cadavera tingendo, vel mediatè viventem aliquem loco mortui baptizando. Ipſis mortuis infuſam fuiſſe aquam, conqueritur *Chryſoſtomus Homil.* 1. *in Acta.* Nec fruſtra ſtatutum in *Concil. Carthagin.* a. 419. tempore Bonifacii Epiſc. Rom. (uti χρονολογῶ Juſtellus in Præfat. ad Codicem canonum Eccleſiæ Africanæ pag. 35. 39.) Can. 18. *Item placuit, ut corporibus defunctorum euchariſtia non detur,* &c. *& ne iam mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignorantia* (gr. ἄγνοια). Photius in Nomocanone tit. 4. cap. 6. *Ne defuncti baptizentur* : ubi citat *Can.* 18. *Concil. Carthagin. Alphonſus à Caſtro C. hæreſ. in voce baptiſmus,* & ex eo (ut fere omnia) *Sebaſtianus Medices in Summâ hæreſ. citat. Concil. Carthagin.* 3. *cap.* 6. quod quâ ſupputatione & quâ fide faciat, ignoro. Alios viventes loco mortuorum à Marcionitis, & Cerinthianis baptizatos, de illis teſtatur *Harmenopulus de Sectis cap.* 11. *Theophilactus in* 1. *Corinth.*15. & ante eis *Chryſoſtomus Homil.*40. *in* 1. *Corinth.* 15. de illis *Epiphanius Hæreſ.* 28. *Alphon-*

phonſus è Caſtro loc. cit. admodum miratur, unde hoc habeat Theophylactus, cum nemo hæreſiologorum Marcioni hoc attribuat. Sed mirari deſiiſſet, ſi principium *Homil.* 40. *Chryſoſt. in Epiſtol. ad Corinthios* inſpexiſſet; inſuper cogitaſſet Chryſoſtomum à Theophylacto in compendium quaſi redactum. Ne dicam, à *Tertulliano Lib. de Reſurrectione* baptiſma tale vocari *vicarium*; & *lib. 5. c. Marcionem*, notari illos, qui vanè pro mortuis baptizantur: quod *Chryſoſtomus loc. cit.* natum putat ex malè intellecto loco *1. Cor. 15. v. 29.* Fœdiſſimum hunc errorem ex ſimplicitate, & errore populari ortum velit *Albaſpineus Lib. 1. Obſervat. Obſ. 9.* idque canonibus fere omnibus affirmari. Sed ſi quis accuratè legat *Canonem Concil. Carthagin.* ſupra *cit.* facile animadvertet Presbyteros & Clericos ab hàc ſuperſtitione non fuiſſe immunes. Eum autem referre, eſt refutare.

III. *Quæſt.* An monſtris Baptiſmus conferendus? *Reſp.* Monſtra ex hominibus nata, triplicia ſunt: quæ formâ & figurâ externa nullum humanæ & rationalis naturæ indicium faciunt: quæ certum aliquod indicium faciunt: quæ dubia ſunt. Primi generis ſunt feles, canes, porcelli, equi ex hominibus nati; quibus Baptiſmus non magis conferendus eſt, quam vermibus inteſtinalibus, aut villoſis vermibus, quos monialis Gandavenſis partu enixa erat teſte *Delrio in Diſquiſ. Magicis.* *Secundi* generis ſunt, homines ſine brachiis, aut pedibus, aut oculis, aut cum tenis qua teniſve pedibus nati; aut capite & pectore hominem referentes, ſed cruribus, aut infimi ventris partibus aliquod brutum. *Tertii* generis ſunt monſtra humana ſine capite, aut binis capitibus prædita: iiſque aut collaterabilibus; aut ſubordinatis; aut quorum alterum loco naturali ſitum eſt, alterum ex infimo ventre proſpicit. Monſtra figuram humanam referentia, ſed acephala, non putem baptizanda: quia arx & officina ſenſuum deeſt. Bina capita & pectora collateralia, aut ſibi mutuò incorporata, ſigillatim baptizanda judicarem; quia in quibuſdam, quæ ad annos aliquot vixerunt, deprehenſum eſt, ex contrariis ratiociniis & affectibus, duos fuiſſe homines. De duobus capitibus quorum unum alteri ſubordinatum & continuum eſt, *ἰνίχω*. Idem dico de monſtris, quorum ſolum caput humanum, & totum corpus porcinum, caninum, agninum, &c. Genera monſtrorum nunc recenſita vide deſcripta & depicta apùd *Fortunium Licetum Lib. 2. de Cauſâ & Differentiis monſtrorum.* Quæſtionem de monſtris duplicatis tangit. *Toletus Lib. 2. Inſtruct. ſacerdot. cap. 21.* ubi determinat de monſtris cum duplici capite & pectore, quod unus eorum abſolutè, alter cum conditione ſit baptizandus. *Gerhardus in Loc. comm. Dunt in Deciſ. caſ. Pruknerus in Manuali*, diſtinguunt monſtra impropriè dicta, in quibus quædam membri hujus vel illius eſt deformitas, à monſtris propriè dictis. Illis Baptiſmum tribuunt; iſtis negant. *Pruknerus ibid.*

Digitized by Google

ibid. qu. 23. monſtra, quæ inferius hominis, ſuperius bruti ſpeciem repręſentant, inter impropriè dicta & baptizanda numerat : quod ex concubitu hominum nata & animâ rationali prædita ſint. Sed hoc tam certum non eſt, ut hâc hypotheſi Baptiſmus conferendus ſit. Infimi enim ventris forma poſſet eſſe humana, ubi ſupremi & medii eſſet brutalis. Quod ad coitum humanum experientia docet feles, porcellos, &c. ab honeſtis Fæminis editos: & quis dicet omnes illas à bruto, cane ſcil. aut porro, &c. imprægnatas? *Idem Quæſt.* 24. monſtrum ex concubitu hominis cum beſtiâ natum, necandum putat. Sed unde certò conſtabit de tali nefario concubitu, & conſequenter, quâ certâ conſcientiâ monſtrum trucidabitur? Quæri hic poſſet, an non tutus eſſet, illud tanquam monſtrum, ab hominum conſpectu remotum alere, & exſpectare, quid de eo progreſſu temporis futurum ſit. *Idem quæſt.* 22. de monſtro humano geminato cum *Huttero in Loc. theol.* ſtatuit pro duabus perſonis baptizandum eſſe; ſi certò conſtet duas animas eſſe in duobus & quaſi ſeparatis corporibus: ſecus, ſi certò non conſtet. Sed πὸ (ſi) nihil determinat: Itaque aut profeſſione ignorantiæ, ſaltem ἀπορίας, aut determinatione de duabus & de unâ animâ, in caſu præſenti opus eſt.

IV. *Quæſt.* An fœtus abortivus? *Reſp.* Si humanus ſit, & animatus, *Aff.* Sed fruſtra atque abſurdè quæreretur, an abortus procurandus ſit, ut poſſit baptizari? 2. An, ſiquidem partu nequeat, in lucem edi, Fæminæ parturientis corpori aqua ſit aſpergenda, ut infans hâc ratione in utero matris baptizaretur, antequam moriatur. 3. *An* infantis in partu conſtituti pes, aut brachium aliave pars emiſſa & foris apparens poſſit baptizari? Hos, alioſque complures ſcrupulos & diſquiſitiones peperit falſa hypotheſis de abſoluta neceſſitate & de directè operativâ efficaciâ Baptiſmi. De abortu, an eum procurare liceat, vide *Imman. Sa. cum Notis Victorelli in voce homicidium.* In quo caſu vivę matris ventrem ſcindi velint, vide autores apud Baſſeum in *baptiſmus c.* 3. §. 3. De baptizandâ aut non baptizandâ Muliere prægnante apud antiquos quæſitum fuiſſe conſtat ex *Concil. Neocæſarienſes can.* 8. ubi Baptiſmus ille mandatur. Metuebant enim, ne ſi gravidas ex Gentiliſmo ad fidem accidente baptizarent, & fœtus ejus in utero baptizatus crederetur. Sed in *cit. Can. Concilii Neo-cæſarienſis* (quod habitum anno 314.) contra deciditur, quod ἐνδὴς ἐν τῷτῳ κεκωνῶ ὄ πλῆθος τῆ πατρίᾳ. Vide & alia teſtimonia diſt. 4. de conſecrat cap. 114. &*ſeqq.* De baptizandâ quâlibet vivâ & verâ parte corporis, pede ſcil. aut manu, &c. (immo & de minimo digito *Vallenſis in Para-titl. juris canon. lib.* 3. *tit.* 42. §. 5.) quæ in partu emiſſa eſt, aut foris apparet (cum ſcil. timetur mors infantis), determinat *Thomas p.* 3. *qu.* 68. *art.* 11. Ex Sententiariis *Pelvartus Themiſvar in Roſario*; ex Caſuiſtis *Sylvius* theol. Duacenus in *Enchiridio theol. paſtor. cap.* 4. §. 6. qui ibid. addit: *Tamen ſi tempus ad-*

 mittat,

mittat, iterum ſub conditione baptizandus eſſet talis infans, ut quidam rectè tradunt.

V. *Quæſt. An ab aliis quâcunque ratione baptizati? Reſp.* Quæſtio ardua & olim ac hodie non parum vexata. Ubi præmonendum, non controverti apud Orthodoxos de anabaptiſmo, ſeu an verus Baptiſmus iterandus; ſed an dictus quicunque baptiſmus valeat, & revera ſit Baptiſmus; & ſi non ſit, an qui tali Baptiſmo non-Baptiſmo baptizatus eſt, ſit baptizandus. Quid inter Cyprianum cum Africanis, & inter Epiſcopos Romanos olim agitatum fuerit, ex *Operibus Cypriani*, & compendio ex *Hiſtoricis Eccleſiaſticis* cognoſcendum *Baronius* more ſuo hâc occaſione ἴδιον ſuum, hoc eſt, non tam hiſtoriam, quam demonſtrationem Romani primatus proſecuturus, Cypriano hæreſim & Epiſcopis Romanis catholiciſmum adſcribit: quo tamen Paparum primatui & monarchiæ catholicæ, ut & idololatricæ invocationi Cypriani tanquam ſancti, haut parum obeſſe deprehenditur. Sed nos his nunc miſſis, de quibus alibi, quæſtionem illam, An baptizati ab hæretici ſint baptizandi, nec ſimpliciter negandam nec affirmandam dicimus: ſed diſtinguendos hæreticos, qui in Eccleſiâ Orthodoxâ, ab iis qui in Eccleſiâ hæreticâ baptizant. Rurſum diſtinguendam eſſe religionem & Eccleſiam hæreticam, quæ particulari aliquâ hæreſi laborat ab eâ, quæ prima aut præcipua fundamenta, e. gr. trinitatem, Chriſti Mediatoris perſonam, ejuſdemque officium ſacerdotale, & dona ipſius mediatoria remiſſionem peccatorum, vitam æternam, reſurrectionem mortuorum tollit. Diſtinctiones iſtas vide explicatas & applicatas in *Diſp. noſtrâ, de Articulis & Erroribus fundamentalibus*; & in *Controverſiis Noſtrorum Ant-anabaptiſticis.* In antiquâ eccleſiâ diſtinctionem illam non neglectam colligimus ex *Can.* 19. *Concilii Niceni*, & Auguſtino de hæreſib. hær. 44. ubi Paulianis ad catholicos tranſeuntibus baptiſmus decernitur. Communiter Pontificii & Noſtri diſtinguunt inter Baptiſmi externam formam, quod ad principalia, ab hæretico baptizante obſervatam; & inter quamcunque formam informem, quæ eſſentialia & principalia aut omittit, aut per oppoſitas actiones tollit ac perimit. Et certè ſi in V. T. Deus liberos idololatricæ Eccleſiæ Judaicæ vocat ſuos liberos *Ezech.* 16. *v.* 21. Et Chriſtus parvulis Eccleſiæ Judaicæ per prædominantem Phariſaiſmum & Saduceiſmum tam horridè fœdatæ ac corruptæ, tanquam ad ſe adduci jubet, iiſque vitam æternam adjudicat: *Math.* 19. quomodo nos infantes in idololatricâ, aut in quâvis impurâ ſeu hæreticâ Eccleſiâ baptizatos, non-baptizatos, conſequenter baptizandos judicabimus? *Eraſmus in Præfat. ad Opera Cypriani* eum hâc in parte ſi non tuetur, ſaltem excuſat. Lector quæſo per otium eam inſpiciat. Synodi Noſtrates de Remonſtrantium baptizatis infantibus, non baptizandis decreverunt: uti *Cap. præced.* oſtenſum.

VI.

Digitized by Google

VI. *Quæst. An cæci, ſurdi & muti? Reſp.* de cœcis adultis baptiſmum petentibus & fidem pietatemque tum verbis tum vitâ profitentibus nullum debet eſſe dubium; ut nec de infantibus fœderatorum. De adultis ſurdis & mutis (de infantibus modo natis talis quæſtio moveri nequit) non parum laboratur. Quod ſi ab aliquo doceri poſſent literas, uti hoc aliquando factum *Cap. præced.* retulimus: utique res in ſalvo eſſet; quia per Scripturam fidei ſuæ confeſſionem ederent. Difficile mihi ſemper viſum eſt, quomodo Theologiam ſupernaturalem, quod ad fundamentales articulos de trinitate, de perſonâ & officiis Chriſti, deque ejus adventu in carnem ante tot ſæcula, ejuſdemque aſcenſione in cœlum & reditu ad judicium, atque adeo de toto fœdere gratiæ & lapſu Adami & ſtatu peccati ac miſerię liberatione per ſigna & geſtus viſibiles ab aliis ritè doceri poſſint. Ut ipſi rite edocti, aſſenſum ſuum & confeſſionem ſignis indicent, non eſſet forte tam ἀκατάληπτον. Extraordinarios motus (qualis Baptiſtæ *Luc. 1. v. 44.*) aut internas, abſque externi verbi auditu, (quod tamen medium fidei ordinarium *Rom. 10. v. 17.*) in mentibus aliquorum in locutiones atque illuminationes ut non facile poſuerim; ſic nec fidem negare auſim narrationi *Danei in Iſagoge Chriſt. part. 4. lib. 5. cap. 15.* Surdi, inquit, & muti adulti poſſunt quoque *ſacramentis participare*, ſi quo pacto, aut ratione, aut ſigno rationem fidei ſuæ reddere queant: qualis fuit Aureliæ, quod eſt oppidum ad ligurim in Galliâ, Merardus nomine mutus etiam à naturâ, & ſurdus, quem & D.Beza & ego vidimus, qui ſuæ fidei rationem perſpicuè (*nota*) reddere potuit. *Melanthon in Conſil. part. 1. pag. 268.* edit in 8. teſtatur Gothæ mutam quandam per geſtus ſignificaſſe, ſe intelligere aliquid de euangelio. Et talem cenſet admittendam eſſe ad cœnam. *Idem part. 2.* anno 1557. refert, pariter judicatum eſſe de illâ Gothanâ à Luthero, Juſto Jonâ, Pomerano, Merio, &c. *Ibidem* ad ſimilem caſum propoſitum reſpondet admittendam eſſe; adjecto hoc argumento, Quia promiſſio pertinet ad infantes, &c. & plus conſilii ſit in mutis & ſurdis. Quod argumentum tantum ſpectat ſurdos ex fœderatis natos.

VII. *Quæſt. An energumeni, (δαιμονιζόμενοι) Phrenetici, Fatui. Reſp. 1. concl.* de infantibus energumenis (qualia exempla dari, ex *Hieronymi* teſtimonio alibi notavimus *in 1. Part. Select. Diſpp. tit. de Energum.*) *Aff.* ſi ſint infantes fœderatorum. *2. concl.* de adultis Photius in Nomocanone tit. 4. cap. 15. quæſtionem ſic proponit: *Quomodo à dæmone obſeſſus, aut in morbo mente captus, baptizetur.* Et annotat *ibid. Timothei Can. 2. 4. In Concil. Eliber. can. 29.* non prohibetur quidem Baptiſmus, ſed nominis recitatio ad altare, cum oblivione. Ejuſdem Concil. canon. 36. dubium Lectoribus relinquit, cum dicit: *Eos, qui ad immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet; ſi fideles fuerint; dandam eſſe communionem.* Quo-

Digitized by Google

modocunque hic canon intelligendus ſit, indubium eſt ſi energumenus fidei confeſſione & vitâ ſe demonſtraverit Chriſtianum, pari jure cum omnibus morbidis & ſanis ad Baptiſmum, & ad cœnam admittendum eſſe: ſic tamen ut à præſenti raptu ſeu paroxiſmo tunc immunis ſit, cum Baptiſmus ei confertur. Quid ſibi velit *Epiſagma Innocentii* I. (quod alicubi citatum memini) de energumenis baptizatis, ut eis à Presbytero vel cæteris Clericis abſente Epiſcopo, manus imponatur, divinent, quibus vacat. Et cur illis magis, quam aliis ægrotis?

VIII. *Quæſt.* An *Famina conſuetam purgationem patientes?* *Reſp.* In antiquâ Eccleſiâ ſcrupulus hic ita invaluit, ut etiam decretum conditum fuerit: *quod non conveniat Mulierem tempore purgationis ſuæ baptizari*: Photius in nomocanone tit. 4. cap. 16. ubi annotat, *Timothei Can.* 6. Sed hoc ſapit ceremonialia V. T. per Chriſti crucem abrogata. Et ſi ceremonialis immunditia contracta per purgationes Fœminarum nunc non magis locum habet, quam per contractum cadaveris, manducationem carnis porcinæ, aut leporinæ, aut ſuffocati: cur magis aut minus ab externâ communione verbi, & ſacramentorum excluderentur Fœminæ, quam alii quicunque ſive Viri ſive Fœminæ alio quo defluxu, aut quorunque morbo ſive curabili ſive incurabili laborantes. Aut enim propter ſe excluderentur, aut propter alios in Eccleſiâ. Non propter alios in Eccleſiâ, quia nullum contagium ex tali purgatione ad alios tranſit: nec ulla fœditas, quæ faſtidium pariat aliorum oculis objicitur. Non propter ſe, quia conſcientiæ ipſius per hanc purgationem nullus obex, ſecundum legem, ponitur. Eſt ego hoc totum ad κρυπτὰ ceremoniæ Judaicæ relegandum: uti & puerperarum purgationes, juxta *Levitic.* 12. in Papatu, obſervatæ: de quâ infra *Lib.* 3. *de Pſeudo-agendis.*

IX. *Quæſt. An ſpurii? Reſp.* Spurii latè ſumti, à Jureconſultis diſtinguuntur in filios naturales, qui naſcuntur ex concubinâ eâ, quæ matrimonio duci poterit. 2. in natos ex ſtupre. 3. in natos ex ſcortatione, ſeu fornicatione, hoc eſt, ex proſtibulo, publicæ libidinis hoſtiâ, fœminâ meritoriâ, meretrice. 4. in natos ex adulterio. 5. In natos ex incæſtu. 6. In vulgo quæſitos: cujus Pater ignoratur, aut incertus eſt; & tale propriè ac ſtrictè vocantur ſpurii, quaſi σποράδην concepti. De prioribus quinque quorum Patres Chriſtiani nominis, & fœderis gratiæ profeſſione noti ſunt, quamvis hac in parte factis ſuis illud abnegaverint, & reſipiſcentiam ſuam profitentur: aut quorum ſaltem Matres, Patribus in infidelitate, apoſtaſiâ, & abalienatione à Chriſtianiſmo perſiſtentibus, fidem ac reſipiſcentiam profitentur. Sed de ſexti ordininis ſpuriis vix quidquam ſtatui poteſt: cum nullus Pater aſſignetur; ſaltem nullus infantem pro ſuo ſuſcipere velit. Hic ad Matres recurrendum eſt. Sed raro fidei & reſipiſcentiæ granum in talibus reperitur. Et quid ſi amens

plane

Digitized by Google

plane aut fatua ſit : qualem in non incelebri civitate aliquoties imprægnatam vulgò conſtitiſſe memini ; nec tamen ullius Patris indicium ex eâ ſive blanditiis ſive minis adhibitis extorqueri potuiſſe. An dicemus infantes illos probabiliter à Patribus Chriſtianis genitos ? quod in illâ civitate nulli Judæi, aut Muhammediſtæ, aut Gentiles agant. An potius, ad Matrem ex fœderatis parentibus natam, ideoque fœderatam inſtar infantum, (ob fatuitatem ſcil.) cenſendam, recurrendum erit. Mallem ex aliis audire. Ad avos, abavos, majores fatuæ hujus Matris, nobis plane ignotos, forte facile eſſet recurrere. Sed & hoc difficultate ſuâ non caret. Liceat ne dicere cum Poëta: οὐ δύη μαλα γυμῶ ? Audiant, qui tam ægre audiunt, parentes, aut ſaltem alterutrum, prævià monitione ad reſipiſcentiam moneri, antequam Baptiſmus infanti conferatur, Reſponſum Facultatis Theolog. Heidelbergenſis anno 1571. Principi alicui datum, à Zanchio conſcriptum, & ab illo ut & Boquino ac Tremellio ſubſcriptum. Exſtat illud in Epiſtol. Zanchii part. 1. pag. 192.

„ Quia verò Celſitudo ſua, nil à nobis præterea quærit, quam ut quid de „ reſponſo Dominorum Miniſtrorum ad propoſitas quæſtiones ſentiamus, „ liberè dicamus : idcirco ſuperſedemus aliis nonnullis quæſtionibus, quæ „ fortè cum hæc præſenti conjunctæ eſſe videntur.

„ Quæſtio igitur propoſita fratribus noſtris obſervandis fuit : *An Miniſtri „ ſpurios in hoc viſibili cœtu Eccleſiæ, exſcortatione, vel adulterio natos, ſine præ- „ eunte reconciliatione parentum, minimùm alterius, cum Eccleſia offenſa, bapti- „ zare ex verbo Dei teneantur.*

„ Reſpondent Miniſtri, ſe non teneri.

„ Principiò, dum negant ſe teneri, non ſimpliciter & abſolutè id nobis vi- „ dentur negare, quantum ex tota ipſorum reſponſione colligere poſſumus ; „ ſed ex conditione, nempe, niſi legitimè, & ex lege Domini offerantur ba- „ ptizandi. Hoc autem veriſſimum eſt : quia quicquid à Domino jubemur „ facere, id ſemper legitimè ut faciamus, oportet : alioqui quicquid agimus, „ peccatum eſt, quia non ex fide, nec ex Dei verbo fit.

„ Quis igitur puerum baptizet, ſi à parentibus impœnitentibus, & in Ec- „ cleſiam contumacibus offeratur baptizandus ? Oportet enim eos, qui ba- „ ptizandum offerunt aliquem, vera eſſe Eccleſiæ membra, & ſanctè pollice- „ ri, ſe curaturos, ut talis infans in doctrina Chriſti inſtituatur, & ut vitam „ Chriſtiano homine dignam traducat. Quomodo verò aut pro veris Eccle- „ ſiæ membris haberi, aut, quod diximus, promittere poſſunt tales ho- „ mines, qui Eccleſiam non audiunt ? aut ſi promittunt, quomodo fi- „ des poteſt illis adhiberi, cùm ipſi reſipiſcentiam à ſuis peccatis polliceri „ nolint ?

Digitized by Google

„ Tales porrò rationes ſuæ negationis ſubdunt Miniſtri, ut luculenter ap-
„ pareat, eos concludere voluiſſe, etiamſi poſſint baptizari ſpurii, per viros
„ fideles præſentati, non expedire tamen, ut id fiat ante parentum reſipiſcen-
„ tiam, & cum Eccleſia reconciliationem. Quare exſpectandum eſſe, dum
„ parentes veræ reſipiſcentiæ ſigna edant. Quàm verò utilis ſit hæc dilatio,
„ abundè explicant: & totum hoc probamus. Jubet enim Apoſtolus, ut quæ-
„ cunque ſunt honeſta, quæcunque utilia, ad gloriam ſcilicet Dei, & ad Ele-
„ ctorum ſalutem promovendam pertinentia, ea faciamus. Certum verò eſt,
„ nullo teneri præcepto Paſtores, ut potiùs uno, quàm alio tempore bapti-
„ zent, ſicut in lege, octavo die mandabatur circumciſio. Regnum enim
„ Dei non venit cum obſervatione talis ſcilicet temporis & ſexus, ſimilium-
„ que circumſtantiarum, quales in lege Dei leguntur. Neque Baptiſmi dila-
„ tionem, aut etiam privationem poſſe fraudi eſſe infantibus, piè & ſcitè do-
„ cent. Sed propterea non eunt inficias, quin fraudi ſit ipſi Miniſtro, ſi
„ cùm poteſt legitimè baptizare, id vel ex negligentia, vel ex contemtu non
„ faciat. Probamus igitur Dominorum Miniſtrorum reſponſionem, eo quo
„ nos intelligimus, & quo intelligi ab ipſis non dubitamus, modo intelle-
„ ctam. Etſi enim ſpuriis ſimpliciter denegari Baptiſmus non poſſit; non
„ eſſe tamen baptizandos, ſi à parentibus impœnitentibus præſententur. Ne-
„ que etiam id honeſtum aut utile in Eccleſia. Ac licèt per alios pios viros
„ tales ſpurii offerantur baptizandi, præſtare tamen, ut differatur Baptiſmus,
„ dum parentes reſipiſcant, quàm ut ſtatim baptizentur: modò tandem id fiat,
„ antequam infantes moriantur, non propter illorum, ſed propter Paſtorum
„ ſalutem, ne ſcilicet præceptum de obſignandis & conſecrandis Deo infanti-
„ bus, contemſiſſe videantur.

Cum hâc determinatione conſentit Altingius theologus Heidelbergenſis, & poſt occupatam ab hoſtibus Heidelbergam Groninganus in theolog. Problematicâ Gron ing. loco 14. probl. 13. *Interim*, inquit, *nec ſimpliciter admitti debent Spurii ad Baptiſmum, ſaltem in Eccleſiâ bene conſtitutâ, ante pœnitentiam & reconciliationem Parentum cum Eccleſiâ.* Et adfert *ibid.* duas rationes: quæ videri poſſunt. Unde conſtat quam infeliciter Becanus ex arreptis aut quæſitis ſabellis aphoriſmos doctrinæ Calviniſtarum fabricârit. Ubi Aphoriſm. 22. ſic canit Poëta: *Qui autem ex thoro illegitimo naſcuntur æternæ damnationi & preditioni obnoxii ſunt, nec ad Baptiſmum admittendi.* Titulus libelli magnificè præſcribit aphoriſmos illos, *ex Calviniſtarum libris, dictis, factis eſſe collectos.* Sed ubi ſunt illi libri utopici? ubi dicta & facta? Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando? Anno, inquit, 1589. „ die 11. Martii habita eſt Synodus Calviniſtarum Vilnæ, in quâ publicè de-
„ cretum eſt, *ne quis parvulos illegitimè natos baptizare audeat.* Hic nihil com-
paret

Digitized by Google

paret de æternâ damnatione ſpuriorum. Quod ad jactatum Synodi decretum , an acta Synodi illius vidit ? an ipſi Reformati aut aliquis Reformatus in totâ Poloniâ tale quid vel verbulo unquam indicavit ? Sed teſtem ſuum laudat *Adrianum Jungium Lib. 3. de Doctrinâ , & Moribus euangelicorum* ? An hic ſociennus ejus eſt Calviniſta ? Minimè. Eſt juratus eorum hoſtis & mendaciorum ac calumniarum in illos hamaxarius. Quomodo ergo ejus unius adducto teſtimonio,præſtat quod in titulo promiſerat,*Ex Calviniſtarum libris, dictis, factis collecti?* Opponimus hic communem doctrinam & praxim dictorum ipſi Calviniſtarum. Et vel unum ex iis probatum Scriptorem,immo vel unam particularem Eccleſiam oſtendi velim , quæ Baptiſmum iis negandum ſtatuat. Ordinem & modum , Baptiſmum iis, aliiſque,ritè & cum ædificatione conferendi nonnunquam in deliberationem venire , & à prudentibus Theologis , determinari , ex iis quæ modo dicta ſunt , concedo. Sed inde non magis concludi debet negatio Baptiſmi , multo minus æternę ſalutis, quam ex *Canonibus veterum & intermediorum Conciliorum* (apud *Photium, & Barthol. Carranzam*) quibus circa tempus, modum, ordinem Baptiſmi , & Cœnæ aliqua determinantur, negatio Baptiſmi , Cœnæ , æternæque ſalutis colligitur. Modo conſtet Parentes talium infantum , aut alterutrum Parentem eſſe fœderatum (nam Gentilium , Judæorum , &c. infantes ſive legitimè ſive illegitimè nati non baptizantur) & non negligatur eorundem aut ejus converſio ac cum Eccleſiâ reconciliatio ; & ſive ea obtineatur , ſive non obtineatur , cura educationis in fide chriſtianâ , (quantum fieri poteſt) privato alicui fideli, aut Eccleſiæ demandetur : non videmus , eos magis arcendos à Baptiſmo, quam Judeorum ſine reſipiſcentiâ idolis ſervientium, aut moribus corruptorum (quales deſcribuntur *Ezechiel* 16. *Jerem.* 2. 3. 4. 2 *Reg.* 17.) à circumciſione. Erant enim & dicebantur nihilominus infantes eorum Dei filii *Ezech.* 16. *v.* 21. Similiter & hodie infantes illegitimè nati peccatum illud Parentum ſuorum non præſtabunt , in foro interiori, aut in exteriori Eccleſię : ut phraſi Pontificiâ hic utar. Huic fabulæ de Decreto ſynodali Calviniſtarum , addit Becanus & alteram multo magis fabuloſam, In Palatinatu , inquit, anno 1587. articuli quidam Calviniſticæ reformationis diſſeminati ſunt, quorum ſecundus habebat hæc verba : *Infantes qui ex illegitimo thoro naſcuntur æternæ perditionis damnationi obnoxii ſunt , nec per baptiſmum juvari poſſunt.* Ubi ſunt iſti articuli ? qui illos conſcripſerunt ? quâ autoritate ? quâ approbatione ? quâ occaſione ? quo effectu ? quinam & ubi iſtos diſſeminârunt ? An putabat Lojolita ſibi convenire apud Noſtros ; illud olim tributum Pythagoræ , αὐτὸς ἔφα ? Cur non cogitabat potius Lojolitis , præſertim ad quartum profeſſionis gradum jam evectis , adaptari poſſe illud , quod Wicleſus olim adaptarum dicebat

cebat Minoritis : *Tenet argumentum in materiâ & formâ, Hic frater eſt : Ergo mendax.*

Sed miſſo Becano, audiamus ejuſdem ſocietatis in provinciâ Belgicâ conſecraneum Henricum Fitz Simonem Dublinenſem Hybernum, qui Lib. 2. Britanno machiæ Miniſtrorum cap. 7. pag. 337. ait animi ſe pendere, cur *Puritani ſynodalibus aliquot decretis tantopere adverſentur ſpuriis.* Index ſic habet : *Spuriis deſperandum de ſalute per reformationem.* Sed quibus teſtibus, quibus documentis hæc Reformatis imponuntur ? Nulli teſtes in margine annotantur præter *Becanum Aphor. 22.* & *Jungium* à Becano citatum *Lib. 3. de Doctrin. & Moribus Euangelicor.* En fidem & judicium Lojolitæ. Becanus *Calviniſtas* in genere deſignârat : & in ſpecie applicârat Polonis ac Palatinis. Hic ſubſtituit Puritanos ſeu Calvino-Puritanos in Angliâ (talis enim libri titulus, *Britannomachia Miniſtrorum*). Becanus unicam Synodum Vilnenſem in Lithuaniâ, fide ſcil. Adr. Jungii, in ſcenam Mercurialem produxerat : Sed Hen. Fitz Simon ſubſtituit *aliquot ſynodalia decreta.* Hoc nec Becanus nec Jungius, ex quorum fontibus rivulum hunc ſuum deduxerat, illi præformârant. Quales ſunt illæ Synodi in Angliâ ? quæ ipſarum decreta ? quando, ubi, per quos, quâ occaſione condita ? ſi typis edita indicet, ubi, per quem ? oſtendat nobis exemplar. Sin MSS. indicet, an autographa ſint, an apographa ; ubi ſervata, unde accepta ? Sed ſufficiet ſociis, ſi modo catholici ipſorum ipſis credant : uti olim *Franciſcus Coſterus* Jeſuita mendaciorum & fabularum ſator fœcundiſſimus in Epiſtolâ ſuâ ad Illi. & præpot. fœderati Belgii Ordines ſcribebat. Quæ Epiſtola poſtea typis edita, & dignè excepta fuit ab eximio Belgarum Theologo Wernero Helmichio Ultrajectino tit. *Gladii Goliath.* Præter accreſcentiam fabulæ Becanicæ per alluviem, adjicere videtur Fitz Simon aliquam quaſi demonſtrationis umbram ; cum dubitans interrogat ? An ex verbis ſolis (quæ inſtar oracula ipſis) „ Calvini, dicentis : *Merito quæris, an idololatrarum, & excommunicatorum* „ *liberos, donec reſipiſcant parentes, ad baptiſmum admittere liceat* ? Sed quid hoc ad ſpurios ? Non enim eadem ratio eſt peccati luxuriæ, ſine quo non generatur ſpurius ; & peccati idololatriæ ; nec utriuſque eadem eſt ratio, quæ excommunicationis : ſiquidem externam & explicitam eccleſiæ communionem reſpicias. Actus luxuriæ impudicæ poſſet eſſe tranſiens ; ſed idololatria, ante reſipiſcentiam, eſt permanens quaſi profeſſio corruptelæ in cultu divino ; & ſemper idololatra ſaltem plerumque eſt talis, qui extra omnem communionem orthodoxæ eccleſiæ vivit. Non mirum ergo ſi de eorum liberis quæratur. Multo minus mirum, ſi de liberis excommunicatorum : de quibus & nos infrâ quæremus. Nec hæreticum nec abſurdum eſt quærere, & ſapientes atque exercitatos conſulere. Quam infinitis quæſitis, & dubiis,

Digitized by Google

biis, ſpeciatim ſuper adminiſtratione ſacramentorum , ſcatent *Libri ipſorum rituales* , *Caſuiſtici* , *Canoniſtici* , *Scholaſtici.* Quot ſcrupuli oriantur & inveniantur ſuper celebratione miſſarum diſces ex *Reſolutorio dubiorum Joh. à Lapide*, quod anno 1508. Pariſiis excuſum eſt in 8. (quale exemplar habeo); & poſtea Venetiis 1516. Conſtantiæ 1596. Patavii 1599.; Præterea ex *Præmiſſis* quibuſdam *Miſſalis reformati* , & ex *Gavanti Theſauro ſacrorum Rituum tom.* 1. *ſeu Commentariis ad rubricas Miſſalis.* Sed cur Fitz-Simon non adſcribebat reſponſum Calvini;ſi novellis de miniſtromachiâ & de placitis Calviniſtarum Catholicos ſuos oblectare voluiſſet. Quæſitum illud meritò propoſitum, ad ulteriorem animi culturam & certitudinem , de quo & antiquis & recentioribus minus exercitatis dubitatum fuit , non fuit dogma illius quærentis & diſcere cupientis, multo minus Theologi illius , qui conſulitur: nedum omnium Theologorum & Eccleſiarum in ejuſdem religionis communione viventium. Quid Calvinus , omneſque Reformati communiter ſentiant de liberis idololatrarum , ſupra declaratum eſt. Sed è diverticulo in viam. Sufficit hac occaſione oſtendiſſe , quâ ſcientiâ, fide , conſcientiâ rhapſodiæ illæ *Becani*, *Fitz Simonis* , *Jungii* , adde & *Lindani* , *Feuardentii* , *Jurgevicii*, conſcriptæ ſint , & ex prioribus abſque examine & Autorum inſpectione à poſterioribus deſcriptæ , & porro , quamdiu durat regnum illud Antichriſti & mendacii , deſcribendæ.

X. *Quæſt. An ii, qui ipſi ignorant , aut de quibus dubitatur , aut probabiliter ſciri nequit, an baptizati ſint, quales præſertim expoſititii , ſint baptizandi. Reſp.* In genere in antiquâ Eccleſiâ , de talibus in affirm. partem determinatum fuit. Ita enim habet Canon apud Harmenopulum in Epitome canonum ſect. 5. tit. 1. §. 11. *Infantes , qui neque notitiam , neque teſtimonia accepti Baptiſmi habent , baptizantor.* Ubi citatur *Can.* 83. *Concil. Conſtantinopolit. in Trullo*, & *Can.7. Concil. Carthagin.* Summa ejuſdem canonis ita refertur à *Photio in Nomocanone tit.4.cap.5.* Ut baptizentur, qui ignorant , an baptizati ſint. Ubi citatur *Concil.6. Can.84.* & *Concil. Carthagin.74.* Conſentit Math. Martinius de fœderis , &c. ſignaculis tract. 4. cap. 17. De expoſitiis ſic diſtinguimus. Si reperiantur in terris infidelium , non video cur præſumendum ſit, eſſe baptizatos. Sin in confinibus, aut in iis terris, ubi fideles infidelibus permixti; non video , quæ ratio libram in negantem potius quam affirmantem inclinare debeat. Sed ſi in terris nonniſi à Chriſtianiſmo habitatis ; puto baptizandos eſſe : niſi ſcedulâ appoſitâ indicatum ſit, eos eſſe baptizatos.

XI. *Queſt. An furioſi & amentes baptizandi? Reſp. Scholaſtici ad 3.qu.68. art.12.* cum Thomâ communiter ſic determinant : ſi à nativitate tales fuerint , nec habent dilucida intervalla, *Aff.* Hos ſequuntur Caſuiſtæ. Quibus

Digitized by Google

non repugnamus, ſiquidem ſint liberi fœderatorum, nec conſtet eos in infantiâ baptizatos, ac in tali amentiæ gradu conſtituti ſint, ut conceptus per compoſitionem, diviſionem, diſcurſum de rebus humanis aut de divinis formare nequeant. Illi ergo habendi ſunt inſtar infantum fœderatorum. De illis, qui poſt uſum rationis, in caſu vulnerum capitis, aut propinati pharmaci, aliove modo plane amentes facti ſunt, ſic diſtinguunt: ſi ante amentiam petierit acvoluerit, *Aff.* ſin ſecus, *Neg. Ledeſma in Opere de Sacramentis (Theologiam moralem* appellat interpres, qui ex hiſpanico idiomate in latinum tranſtulit) *tract. 2. cap.* 8. uberius ſic explicat: Quod qui voluerunt, judicandi ſunt „ ſecundum ſtatum in quo fuerunt in ultimo temporis articulo, quo rationis „ uſum habuerunt: nam ſi in illo ultimo articulo Baptiſmum petierint, & attritionem reliquaſque diſpoſitiones ad ipſum neceſſarias habuerint, ſunt ba„ ptizandi, etiam in amentiâ (paulo ante dixerat, *etiam in furiâ & amentiâ* „ *conſtituti, etiamſi actu contradicant*) conſtituti: alias non; quia hic, ulti„ mus articulus uſus rationis reputatur, & eſt velut ultimus articulus vitæ na„ turalis ipſorum, & hujuſmodi voluntas ſemper perſeverat, donec ab ipſis „ ad ſe reverſis revocata fuerit. Sed hanc curioſam determinationem, ex ſola falsâ hypotheſi de abſolutâ Baptiſmi neceſſitate, ejuſque efficaciâ in tollendo peccato originali, enatam, malumus Autoribus relinquere. Quod ad priorem caſum de amentibus à nativitate, modo deſcriptis, quamvis Baptiſmo eorum non repugnem, Author tamen eſſe nolim, ut publicè in Eccleſiâ conferatur, ad ſervandum decorum, & evitandum ſcandalum puſillorum, & ludibrium hoſtium aut alienorum. De diſtinctione amentium alibi pluribus egimus in 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Statu Electorum ante converſionem*, *in Append.* Quæ etiam in hâc quæſtione de Baptiſmo, uſum ſuum habet.

XII. *Quæſt. An adulti, non conſentientes, & Parentum invitorum infantes ſint baptizandi? Reſp.* De adultis communiter negant Pontificii. Sunt tamen qui diſtinguunt diſſenſum in contrarium, negativum, privativum. Sic *Guliermus in* 4. *diſp.* 4. & cum eo *Themeſvar in Roſario in voce Baptiſmus* §. 35. Qui non obſtante diſſenſu privativo, putat baptizandum. Idem de diſſenſu negativo; ſi modo diſſentiens habeat conſenſum virtualem. De invitis Parentibus diſtinguunt. Sunt enim vel fideles, vel infideles. Et hi rurſum vel Apoſtatæ, qui baptizati à Chriſtianiſmo defecerunt ad Judaiſmum, aut Gentiliſmum, aut Mahummediſmum: vel perpetui infideles uſque in hunc diem. Quos rurſum diſtinguunt in ſubjectos Principibus Chriſtianis, & liberos ab omni juriſdictione Chriſtianorũ immunes. Deniq; ſubjecti Chriſtianis ſunt vel politicè tantum ſubjecti; vel etiam ſerviliter. De Apoſtatis ſententia affirmans apud illos communis eſt, teſte *Becano Part.* 3. *Theol. Scholaſt. tract.* 2. *cap.* 10. *quæſt.* 7. Sed velim videre rationes ex Scripturâ. De filiis infidelium qui politice ſub-

ſunt

ſunt Chriſtianis, ibidem negat & ſolidè defendit: ſed de ſubditis ſerviliter, concedit: idque abſque Scripturâ. *Azorius tom.1. lib.8. theol. mor. c.25.* ſic limitat, ſi parentes longè abſint. *Thomas* à Jeſu lib. 5. de converſione Gentium part. 1. dub. 6. ſi non longè abſint, conſenſum eorum petendum eſſe.

XIII. *An Hæreticorum, Apoſtatarum, Idololatrarum, Infidelium ſeu Chriſtianorum perſtantium in ſuâ infidelitate? Reſp.* Aut illi nolunt infantes ſuos baptizari, aut volunt & petunt, aut alii aliqui volunt & petunt. Si nolunt, jam negandum eſt juxta determinationem quæſt. 11. Rationes à *Becano loco* modo *cit.* contra Baptiſmum liberorum invitis Parentibus infidelibus deſumtæ ad injuſtitiâ & ſacrilegio in profanatione Baptiſmi commiſſo huc applicari poſſint. Juſtitia requirit, ut ſua cuique poſſeſſio relinquatur. Jam vero liberi juxta *Jureconſultos* ſunt bona & poſſeſſion Parentum: quod convenit cum Pſal. 127. v. 3. 4. *poſſeſſio Jehovæ* (hoc eſt à Jehova) ſunt *filii*; *merces eſt fructus ventris. Ut ſagittæ ad manum robuſti*, &c. Sacrilegium & profanatio ſigni fœderalis Baptiſmi ſcil. committitur, cum confertur iis, qui fœderati nec fuerunt, nec ſunt, nec de poſt facto futuri ſunt, quippe in Gentiliſmo, aut Judaiſmo educandi. Quod ſi Parentes vellent eos baptizari, (quod non eſt probabile) & ipſi nihilominus perſtarent in ſuo Judaiſmo, aut Gentiliſmo; & liberos retinerent in ſuâ poteſtate à ſe in infidelitate educandos, jam non video quando conveniat cum textibus illis Scripturæ, unde infantum fœderatorum participatio fœderis & ſigni fœderalis, Baptiſmi ſcil. accerſi ſolet, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*, Geneſ. 17. *Vobis & liberis veſtris*, &c. Actor. 2. *Liberi veſtri eſſent immundi, nunc autem ſunt ſancti*, 1 Cor. 7. Si denique fideles aliqui aut fidelis aliquis ſive cognatus, agnatus, ſive alienus velit invitis Parentibus, jam difficultas eodem redit. Quæ enim juſtitia, ſi fidelis bona aliqua mobilia aut immobilia, invitis legitimis eorum Dominis & Poſſeſſoribus in ſuam poteſtatem redigat, & de iis tanquam de ſuis diſponat. Jam fiat argumentum à minori ad majus.

Sed quærat quis, ſi infans inter ſervatos in bello abductus, aut à barbaro hoſte Chriſtianis venditus ſit, ita ut Parentes ignorentur in alium fortè orbem delati, nec voluntas aut noluntas eorum cognoſci queat; aut ſi ſciri non poſſit, an ſint in vivis, immo certum ſit eos obiiſſe: an non eſſet baptizandus, ſi modo Chriſtiani, in quorum poteſtate nunc eſt, pro ejuſdem educatione ſpondeant. Eadem fere quæſtio à Belgicis Eccleſiis in Indiâ Orientali in Belgium tranſmiſſa, propoſita fuit celebri *Synodo Dordracenæ* anno 1618. ubi non paucis ſuffragiis affirmantibus, in negantem potioribus concluſum eſt, *Seſſ.* 19. In quâ ſententia etiamnum ut certiore & tutiore acquieſco: ſicuti tunc temporis unà cum Deputatis Zuydhollandis, cum in ſuffragia iretur eam ſcripto

Digitized by Google

comprehenſam Synodo legendam exhibuimus. Quam non pigebit hic inſerere.

Judicium Zuydhollandorum.

Quæritur,

„ *An pueri ex Parentibus Ethnicis nati, & jam à Chriſtianis adſciti in ſuas ſa-*
„ *milias, ſint baptizandi, ſi qui eos afferunt baptizandos, fide-jubeant ſe eos in reli-*
„ *gione Chriſtiana educaturos aut educandos curaturos.*

Reſp.

„ Præſupponimus queri de Pueris qui aut propter ætatem aut ignorantiam
„ linguæ non poſſunt ullam fidei profeſſionem edere: & reſpondemus, cum
„ Baptiſmus ſit ſigillum fœderis, ideoque ad liberos Fidelium tantum perti-
„ neat, non eſſe Ethnicorum liberos baptizandos niſi ante doceantur fidei
„ profeſſionem facere: Neque ullæ earum rationum quæ è Scriptura ſacra ad-
„ feruntur pro Baptiſmo Infantium è Fidelibus Parentibus natorum Act. 2.
„ 39. *Vobis & liberis veſtris facta eſt promiſſio* Rom. 11. 16. *Quod ſi delibatio*
„ *ſancta eſt, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami.* 1 Cor. 7. 14. *Sanctificatus*
„ *eſt n. Vir infidelis per Mulierem fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent,*
„ *nunc a. ſancti ſunt*; nulla dicimus illarum locum habet in liberis Ethnico-
„ rum.

„ Quin etiam perpetuus uſus in Eccleſia Chriſtiana refragatur, quæ Ethni-
„ corum liberos in catechumenorum ordine prius inſtitutos nunquam niſi
„ poſt profeſſionem fidei ad Baptiſmum admiſit.

„ Neque pro ipſis facit, quod à Chriſtianis in familias ſint adſciti, Cum ne
„ adoptio quidem quidquam in hac parte poſſit prodeſſe, promiſſio n. ex-
„ preſſe ſemini Fidelium facta eſt, in quo adſcititii aut adoptivi non poſſunt
„ cenſeri?

„ Denique non videmus ullam neceſſitatem, cur in hac re quidpiam con-
„ tra receptam doctrinam & conſuetudinem debeat præſumi, cum neque
„ prodeſſe ipſis Baptiſmus collatus, aut obeſſe negatus poſſit, niſi cum Papi-
„ ſtis ſtatuatur Baptiſmum aliquid conferre ex opere operato.

„ Cum proximè præcedenti Seſſione per Fratres Noorthollandos, quæſtio
„ de pueris Ethnicorum baptizandis, quibuſdam circumſtantiis fuerit veſtita,
„ & quidam particulares caſus explicati: nim. agi non tantum de pueris, ſed
„ etiam iis qui ætatem habent: qui non modo non ſint legitime adoptati à
„ Chriſtianis, ſed etiam mancipiorum loco habeantur, ejicique è familia im-
„ mo rurſus venundari poſſint, Itemque invitis parentibus & invitos nonnun-
„ quam violenter rapi. Confirmamur adhuc magis in ſententia noſtra, non
eſſe

Digitized by Google

„ esse omnino baptizandos , nisi se proclives ad illud ostendant & aliquam „ saltem fidei confessionem fuerint edocti Persuaderi n. non violente im- „ perari vult religio Christiana: & non nisi scandala in familiis & Ecclesiis ab „ ejusmodi baptizationibus possunt exspectari.

„ Neque nos movet in contrarium argumentum à quibusdam Fratribus „ adductum ex *Genes.* 17. *v.* 12. & 23. Non n. constat, quod tamen deberet „ constare, ut aliquid ex hoc loco pro parte affirmativa concludatur, infantes „ aliquot ab Abrahamo esse circumcisos, quorum non simul Parentes fuerint „ circumcisi : immo contrarium potius innuit versus ultimus, Et omnes viri „ domus illius tam vernaculi quam emptitii & alienigenæ pariter circumcisi „ sunt. Ex quo apparet primum provecta ætate servos , deinde etiam si quos „ habuerunt isti infantes , fuisse circumcisos ? Quare hic locus ad infantes „ Ethnicorum, qui neque ipsi volunt Baptismum suscipere, & qui liberos suos, „ si possent, essent impedituri, nequaquam potest applicari. Quin immo cum „ *Exod.* 12. de alienigenis agitur circumcidendis, hoc expresse additur, *si velint „ phase domino* ; quod non pertinet nisi ad adultiores & quidem voluntarie „ ad colonias ritusque Judæorum concedentes: Quales non sunt Indi pueri „ adulti, qui inviti detinentur & data occasione aufugiunt & nomen domini „ profanant.

„ Si quis autem rationes asserentium scire aveat, suffragium Theologorum „ Magnæ Britanniæ , cujus exemplum ab aliquo illorum mihi tunc commu- „ nicatum & inde à me descriptum, exhibeo:

Judicium Theologorum Magnæ Britanniæ, de quæstione.

„ *An pueri à Parentibus infidelibus nati & jam à Christianis ad sciti in suas fa- „ milias, sint baptizandi , si qui eos offerunt , fide-jubeant se eos in religione chri- „ stiana, educaturos aut educandos curaturos.*

„ Id imprimis supponimus hosce pueros legitimè venisse in potestatem „ Christianorum , quo posito respondemus aliam esse rationem infantium „ qui nondum ad usum rationis pervenerunt , aliam illorum qui jam capaces „ sunt disciplinæ & institutionis Christianæ. Si de infantibus sermo sit , ad „ officium Patris familias pertinere putamus, ut eos offerat baptizandos , at- „ que ad Ministri officium , ut oblatos baptizet , perinde ac si ex Christianis „ Parentibus nati fuissent. 1. *quandoquidem* enim jam facta sunt membra e- „ jus familiæ , in quam ad sciti sunt , nisi infideli deterior esse velit , tenetur „ dominus *familiæ illorum* bono tam spirituali quam corporali prospicere. *Hoc „ idem* Abrahamo injunctum in prævio circumcisionis sacramento *Genes.* 17. „ 12. 13. & 23. Ubi natus domi & emptus pecunia ex quibuscumque alie-

Digitized by Google

„ nigenis jubetur circumcidi. 2. *Quin etiam* cum tales infantes ſpeciali quæ-
„ dam providentia & miſericordia divina è Paganiſmo evocati, & intra Ec-
„ cleſiæ promœria recepti, Miniſter non debet aliter judicare quam hanc eſſe
„ Dei voluntatem, ut ſpiritualium bonorum quæ in Eccleſia habentur fiant
„ participes. 3. *Porro eodem* fere videri poſſunt Jure frui, quo nati in Eccle-
„ ſia, nam ſic adſcitum fuiſſe in familias Chriſtianorum atque adeo in Eccle-
„ ſiam, eſt inſtar profeſſionis, ſicut & naſci in Eccleſia, unde & Jus fœderato-
„ rum habere cenſeantur. 4. *Adde parem* videri rationem horum atque ex-
„ poſitiorum, quos ut meminit *Auguſtinus Ep.* 23. virgines ſacræ colligebant
„ & baptizandos ſiſtebant. 5. *Denique* Hæreticorum filii cum ſubſint Eccle-
„ ſiæ ipſis invitis baptizantur, ergo multo magis baptizandi parvuli. Vid.
„ *Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. & *in* 3. *p.* 468. *art.* 10. Ethnicorum in poteſta-
„ tem Chriſtianorum juſtè redacti. Ad hos quod attinet qui idonei ſunt
„ ediſcendi principiis fidei chriſtianæ, putamus eſſe cognitione horum prin-
„ cipiorum primo imbuendos: quibus cognitis ſi aſſentiantur, atque ſacra-
„ mentum Baptiſmi ſerio expetant, abſque omni ſcrupulo regenerationis la-
„ vacro abluendos: ſi vero econtra doctrinæ illis traditæ refragentur, atque
„ baptiſmo renitantur, tales neque à Dominis ſuis Eccleſiæ offerendos, ne-
„ que ſi offerantur ab Eccleſia baptizandos judicamus.

Balduinus Lib. 4. *cap.* 8. *caſ.* 8. Iiſdem fere rationibus infantes qui jure belli, aut per emtionem aut donationem, aut per captivitatem, aut quocunque alio modo legitimo, pars familiæ Chriſtianorum facti ſunt, baptizandos cenſet. Addit, ſi parentes captivi fuerint, & fidem, tentatis omnibus, recipere nolint, *tunc invitis ipſis infantem* eripiendum & baptizandum; *quia non ſunt amplius proprii Juris, ſed unà cum infante redacti in noſtram poteſtatem. Ibidem* perſtringit Calvinianos nominatim *Bezam in Quæſt. & Reſp. qu.* 118. & 20. hoc negantem. Sed ex Scripturâ non probabitur per jura civilia de libertate, de ſervitute, de captivitate, de adoptione, de emtione, de ſocietate, &c. quibus res acquiruntur, aut dominia transferuntur, acquiri aut amitti aliquod jus in ſpiritualibus, aut in iis, quæ pertinent ad fœdus gratiæ.

XIV. *Quæſt. An Infantes Parentum baptizatorum & generaliter Chriſtianiſmum profitentium; aut etiam Reformatæ religioni & Eccleſiæ ſaventium, ſaltem ei non adverſantium, ſed communioni Eccleſiæ per fidei confeſſionem & Cœnæ participationem non inſitorum, ſint baptizandi? Reſp.* Peccatum omiſſionis in neglectu Cœnæ dominicæ nec approbo, nec extenuo. Nec probo promiſcuum Baptiſmum quorumvis infantum in Eccleſiâ oblatorum ſine ullâ præeunte cognitione Parentum, qui & quales ſint: præſertim in emporiis; ad quæ Judæi, Muhammediſtæ aliique infideles, libertino Enthuſiaſtæ, Epicureo-athei, infidelibus ſeu achriſtianis ſimiles, ſi non in doctrina aut vitâ

aut

aut utrâque longè illis deteriores. Requiritur ergo, ut attendatur, quantum fieri poteſt, ad Parentes; & debitus ad hoc ordo conſtituatur: atque ita certâ fide (certitudinem moralem intelligo) Miniſter ad baptizandum accedat. Infidelium enim, aliorumq; ipſis proximorum infantes baptizandos, ſupra negatum fuit. Quodcum in hac noſtrâ, & bene conſtitutis Eccleſiis factum ſit & fiat? non dubito, quin moderatis ingeniis, quos ſcrupulus circa Baptiſmi in Eccleſiis Belgicis adminiſtrationem promiſcuam (quam ita appellabant) antehac torſit, ſatisfactum eſſe debeat. Diſtingui debet inter ordinem in Eccleſiis noſtris conſtitutum, & ſervari ſolitum: & inter factum aliquod aut facta particularia per negligentiam, aut imperitiam, aut præoccupationem Miniſtri alicujus ab ordine recedentia. Facta & ἀταξίας particulares, ſi quas alicubi obſervarint, non tenemur præſtare, nec intendimus defendere; ſed tantum communem ordinem Eccleſiarum. Qualis ille ſit, cognoſce ex *Conſtitut. Eccleſiaſticis Synodi Nationalis* anno 1619. *artic.* 57. 60. ut Patres ipſi offerant ſuos, & Suſceptores ſeu Compatres & Commatres non adſciſcant, niſi orthodoxæ Religioni addictos & vitâ probos: ut nomina baptizatorum, Parentum, & Teſtium, in Librum referantur. Adde, quæſtiones ſecundum Liturgiæ Belgicæ præſcriptum Parentibus & Teſtibus proponendas. Varia item ſynodorum decreta, qualia *Synodi Zuydholl. Schiedamenſis* anno 1588. *artic.* 19. & *Dordrac.* anno 1590. *artic.* 21. ut Baptiſmus adminiſtretur ante dimiſſam concionem. *Syn. Nationalis Middelb. qu. part.* 57. ut Parentes oblaturi Infantes ad Baptiſmum prius compellent Miniſtros. *Synod. Zuydholland. Goudanæ* 1620. *artic.* 71. Ut Parentes perſonaliter adſint in Baptiſmo Infantum ſuorum: & ne Infantes oblati ab Obſtetricibus baptizentur, niſi Miniſtri prius certi ſint eſſe Infantes fœderatos. His adde, quæ habet *A Laſco in Liturgia ſeu in Agendario Eccleſiar. peregrinarum in Angliâ pag.* 117. in formâ adminiſtr. Baptiſmi; & Eccleſia Gallicana in Synodo Nationali Pictavienſi anno 1550. inter particular. artic. 3. ubi ſtatuit Papiſtarum infantes etiam oblatos à Reformatis ſuſceptoribus non eſſe baptizandos *niſi Pater, aut illo defuncto Mater poteſtati ſuæ renuntiet, eamque in ſuſceptorem transferat, promittens ſe toleraturum aut toleraturam, ut infans in religione Reformatâ inſtituatur.* Idem fere & ſtrictius, determinat *Beza* quæſt. & reſp. part. 2. qu. 134. Ex omnibus illis aliiſque Statutis topicis, ut & moribus particularium Eccleſiarum (quæ hic ad examen non revocamus) hoc ſaltem colligi poteſt, abſque aliquo ordine, attentione, diſcretione, reverentiâ, præeunte aut concomitante cognitione quibuſvis Infantibus quorumvis Parentum Baptiſmum in Eccleſiis Reformatis non conferri, ſed tantum Infantibus fœderatorum. Quod autem quidam externum hoc fœdus nimis coarctatum velint, & omnes Chriſtianos doctrinâ aut moribus ἀπάκτους, ab ejus communione

Digitized by Google

nione ſimpliciter excluſos cenſent ; ita ut ſola Membra Eccleſiæ (apud nos ſic dicta) quæ in antiquâ Eccleſiâ *Fideles* dicebantur, ab Auditoribus , Catechumenis, Competentibus, Excommunicatis diſtincti, privilegio Baptiſmi Infantibus ſuis conferendi gaudere deberent: illud utique probare non poſſumus. Argumenta ſententiæ noſtræ non ducimus ex *Math.* 3. *Marc.* 1. & *Actor.* 2. ubi magna multitudo baptizata dicitur : ita ut non potuerint ſinguli ita ſtrictè examinari. Ibi enim agitur de adultis; hic quæritur de Infantibus: ibi agitur de Judeis, qui proculdubio, externe fœderati erant , & circumciſi ; hic quæritur de Parentibus Infantum, quorum fœderatio externa ignorari dicitur: ibi exſerta fit mentio *confeſſionis peccatorum Math.* 3. *v.* 6. & compunctionis, &c. *Actor.* 2. *v.* 37. hic prætenditur ignorari aut dubitari an aliqua vel minima fidei ac reſipiſcentiæ profeſſio ſit in Parentibus. Dimittimus ergo hæc argumenta pro baptiſmo quorumvis abſque præeunte ſingulorum Parentum cognitione aut examine, an ſint externi fœderis aliquâ ratione participes. Sed inhæremus argumentis illis , quæ communiter à Noſtris adferuntur contra Anabaptiſtas ſuper Baptiſmo eorum qui in errante aut idololatricâ Eccleſiâ baptizati ſunt: de quâ Eccleſiâ peremtoriè dici non poſſit, quod Deus dederit illi libellum repudii, & quod nullo modo ſit populus Dei : juxta *Jeſa.* 50. *v.* 1. *Hoſ.* 2. *v.* 1. *Ezech.* 16. *v.* 21. *Math.* 19. *v.* 14. Quod ad parentes moribus profanos, aut excommunicatos: de iis proximè ſeqq. *Quæſt.* agemus.

XV. *Quæſt. An Infantes Parentum doctrinâ Orthodoxorum , aut inſuper in extremâ Eccleſiæ communione conſtitutorum: ſed moribus improborum? Reſp. Calvinus in Epiſtolis p.* 175. (edit. Genev. in fol. anno 1617.) *Epiſtol. ad Farellum*, quæ eſt 136. tales adſert rationes, ex quibus videretur çoncludi abſtinendum potius eſſe à tali baptiſmo. Inter alia hæc ejus verba. *Certè , quæ Eccleſiæ communione indigna eſt , multo minus poteſt aliis pateſacere in eam aditum.* Nos tamen ſi alteruter Parentum per Baptiſmum, per veræ doctrinæ approbationem etiam per admiſſionem ad communionem euchariſtiæ, quamvis nunc ſorte abſtentus aut ſuſpenſus, inter externè Fœderatos numeretur: non videmus, ſiquidem ipſe velit Infantem ſuum baptizari, cur magis negandus ſit Baptiſmus , quam olim improborum Iſraelitarum liberis negata fuit circumciſio. Quales autem pleriſque illi fuerint, ex concionibus Prophetarum *Ieſa.* 1. *Ierem.* 1 -- 7. *Hezech.* 2 - 4. & 9. &c. *Hoſe.* 4. *Mich.* 2 -- 7. colligitur. Et quid ni aliquo modo huc applicetur illud 2 *Timoth.* 2. *v.* 13. cum *Rom.* 3. *v.* 3. De excommunicatis ſequ. quæſt.

XVI. *Quæſt. An Liberi Excommunicatorum? Reſp.* ad quæſtionem hanc in genere ita propoſitam variè reſpondetur. *Altingius in Theol. Problematica* anno 1662. editâ *pag.* 661. ſimpliciter Affirmat. *Daneus in Comment. ad*

1 *Timoth.*

Digitized by Google

1 *Timoth.* 5. ubi de excommunicatione *quæſt.* 7. fatetur dubiam & agitatam hanc quæſtionem fuiſſe, in quâ in diverſas alii ab aliis ſententias iverunt: nihilominus in partem affirmantem abſque ullâ diſtinctione videtur concedere, ſecutus *Auguſtinum*, quem *ibid.* citat *Lib.* 2. *de Adulter. conjugiis*, & *Lib.* 1. *Parmenian.* Sed cum mox *ibid.* Lectorem amendet ad *Calvinum Epiſt.* 136. & *Bezam Epiſt.* 10. hanc quæſtionem tractantes; quorum alter negat, alter diſtinguit: non eſt probabile, eum de quibuſvis Excommunicatis ſimpliciter hæc voluiſſe affirmare. *Beza Epiſt.* 10. diſtinguit Excommunicatos, qui manent in Eccleſiâ, ab illis, qui ut manifeſti Apoſtatæ veritatem oppugnant. Priorum liberos baptizandos dicit, poſteriorum minimè. *Hermannus Ravenſpergerus* in Scholâ Herbornenſi, poſtea in Steinfurtenſi, poſtremo in Acad. Groninganâ Theologiæ Profeſſor in *Florilegio Diſpp.* anno 1612. edito in 4. *pag.* 177. eandem diſtinctionem Excommunicatorum cum & ex (uti opinor) *Beza* inculcat, & poſteriorum liberos à Baptiſmo arcendos ſtatuit. *Calvinus Epiſtol.* 136. *ibid.* à *Daneo* cit. quæ eſt ad *Farellum*, cum Farello *Epiſt. ibid.* proximè præcedente, ſtrenuè negat filiolam Patris Papiſtæ, & Matris quæ à reformatâ religione ad Papatum defecerat, quamvis Avia materna Baptiſmum ejus ab Eccleſiâ Neocomenſi peteret, baptizandam. Ratione hâc uſus, quod Avia pro baptizandæ educatione non ſponderet, immo & jure ſponſionis excidiſſet: quippe quæ ipſa, ſi viguiſſet diſciplina, excommunicanda fuiſſet. Hinc nihil aliud colligi poteſt, quam Calvinum ſentire, liberis jure excommunicandorum ſponſorum, quamvis de facto non ſint excommunicati, Baptiſmum non eſſe conferendum. Eccleſia Scotica *in Conſtitut. eccleſiaſt.* abſque ullâ diſtinctione negat. Conſtitutiones illæ anno 1560. à Synodo generali conſcriptæ, & à Concilio Regni tunc approbatæ, anno 1621. typis editæ ſunt. Ibi *cap. ſeu tit.* 7. Infantes poſt excommunicationem nati negantur admittendi, ante reſipiſcentiam Parentum; aut tantiſper, dum ipſi adulti Baptiſmum petierint; aut Mater (non excommunicata ſcil.) aut quis proximorum amicorum, membrum Eccleſiæ exiſtens eundem obtulerit, deteſtans & condemnans iniquitatem & contemtum impœnitentis. Anticipatio ibidem ſubjicitur: non debere hoc videri alicui ſeverum nimis: *conſideret, ſacramenta pertinere ad fideles & ſemen eorum.* Sed tales *qui*, &c. *obſtinatè remanent in ſuâ iniquitate, non poſſunt cenſeri fideles.*

Eccleſias reformatas & Theologos in Galliâ difficultatem aliquam hic invenîſſe ideoque non abſolutè affirmaſſe aut negaſſe, ſed pro varietate particularium circumſtantiarum conſuluiſſe, patet tum ex iis quæ anno 1550. in Synodo Pictavienſi ſupra cit. de Infantibus Papiſtarum (qui infra Excommunicatos apoſtatas deprimendi non ſunt); tum ex iis quæ adducit Spanhemius in Epiſtol. ad Math. Cotterium pag. 66. *Adminiſtrationem ſacramen-*

torum noſti nec univerſalem eſſe, nec ſine exceptione communem. Ad *liberos*, enim, *Fœderatorum diſertè reſtringitur* adminiſtratio ſacramentorum. *Et noſtri in diſciplinâ Eccleſiarum Gallicar. cap.* XI. *de Baptiſmo cautelas multas adhibitas à prudentiſſ. Synodis veſtris*, &c. *Infantes natos ex Parentibus Romanæ Eccleſiæ addictis, vel ex Excommunicatis, non poſſe recipi ad Baptiſmum Eccleſiarum reformatarum, quamvis afferantur, à Suſceptoribus fidelibus, niſi Parens vel uterque vel alteruter altero exſtincto conſentiant & id petant, promittantque ſe permiſſuros, ut educetur Infans in verâ religione.* Hæc ita Spanhemius, præſumtæ gratiæ univerſalis favorem, ex promiſcuo quorumvis Baptiſmo fruſtra quæſitum, diſſipaturus. Quæ conditio adjecta ferè ſimilis videri poſet iſti vulgatæ: Ubi digito cœlum tetigeris, hoc vel illud tibi dabo, aut præſtabo. Quando & ubi Excommunicati pertinaciter in illo ſtatu perſiſtentes (nam de inclinantibus ad pœnitentiam, aut de quibus melior ſaltem aliqua ſpes concipi poſſet, aliter ſtatuendum cenſeo) petierunt Infantes ſuos baptizari, atque unà jus ſuum in educatione liberorum verâ religione, aliis verè piis & fidelibus ceſſerunt? *Calvinus in Epiſtola.* 136. ſupra *cit.* non poterat admiſſionem Infantis ad Baptiſmum, ab Aviâ poſtulatum, probare: quod quamvis de voluntate & promiſſione aviæ conſtaret, non tamen de jure & poteſtate Infantem Patris Papiſtæ, & Matris ad Papiſmum apoſtaticæ in religione reformatâ educandi. Videmus ergo non in genere & abſolutæ, ſed cum adhibitis diſtinctionibus & cautelis ab Eccleſiis & Theologis Gallicis, aliquorum, quos forte nunquam offerri contingit, Baptiſmum egre concedi. Cum quibus conſentiunt Eccleſiæ Belgicæ in *Synod. Nationali Dordrac.* anno 1578. *Qu. partic.* 27. & *Provinciali Holland. Dordrac.* anno 1574. *Queſt. partic.* 9. De Liberis Erronum iſtorum, (quos vulgo Cingaros, Ægyptios, Ethnicos appellant, & quorum deſcriptionum damus in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Gentiliſmo* non niſi ſub eâdem conditione tum in Galliâ (referente *Spanhemio loc. cit.*) tum in *Synodis Zuydholl. Goudanâ* anno 1620. *artic.* 71. & *Roterodamenſi* anno 1621. *artic.* 43. Ubi hæc conditio, ſed ferè impoſſibilis, requiritur: ſi certi „ ſint baptizantes, Parentes eorum baptizatos eſſe; & ut prudenter ac cautè hic „ agatur: quandoquidem dicti Errones pluries quam ſemel Infantes ſuos bapti„ zandos offerunt, ut honoraria baptiſmalia extrudant. Jam quæro, unde baptizantes certi eſſe queant? an ex planorum & improborum iſtorum hominum affirmatione? Qui in nullâ causâ teſtabiles eſſe debebant: quomodo ergo in propriâ & lucratoria? Præter has pæne inextricabiles difficultates, eſt & alia, quę mihi ſcrupulum & trepidationem non rarò injecit: ut maluerim talem occaſionem mihi nunquam objici; & ſi aliquando objiceretur, in alia Eccleſiâ & ab aliis Miniſtris potius negari, aut concedi; quam in noſtrâ, & à me. Quæris, quæ ſit illa difficultas? Cur Liberi ſimplicium Gentilium ignorantiâ

Digitized by Google

rantiâ purę negationis laborantium, & honeſtè ac civiliter viventium, æque baptizandi non ſint ; ac Excommunicatorum à fide ἀποστάτων ad Judaiſmum, aut Atheiſmum, aut Libertino-enthuſiaſmum, aut Sociniſmum ; &, quod pejus eſt, veritatem (de trinitate, de Chriſto θεανθρώπῳ mediatore, &c.) blaſphemantium : ſi modo Suſceptores Chriſtiani eos offerrent, & pro educatione ſponderent ? Et cur non obſtante tali ſponſione, celebris *Synodus Dordracena* anno 1618. *ſeſſ.* 18. & 19. decreverit Gentilium liberos non eſſe baptizandos, niſi ad aliquam ętatem pervenerint, & ipſi baptizari voluerint ? Summa ſummarum huc redit. An ſponſio Fidelium & piorum Suſceptorum ſit fundamentum legitimi iſtius pædo-baptiſmi ; quo ſcil. poſito ponitur, & quo ablato aufertur ? Si affirmetur, ex quibus Scripturis probatur, analogum & ſuccedaneum confœderationis & incorporationis in populo Dei ſaltem externæ, ſive requiſitum ſive ſignum eſſe, Sponſores Chriſtianos, & cautionem educationis in fide ? Et hoc dato : quid faciendum illis tum Gentilium tum Excommunicatorum Liberis, quando Sponſores deſunt ; aut ſi aliqui ſint, quando Miniſtris nec certò nec probabiliter conſtare poteſt, iis & fidem, & poteſtatem, & potentiam adeſſe talem cautionem præſtandi ?

Ut tandem dicamus, ſi quid in hoc caſu dici poſſit, præmiſſis diſtinctionibus, ſequentes formamus concluſiones. 1. *concl.* Infantes Excommunicatorum ſunt nati vel ante vel poſt excommunicationem. De iſtis hic propriè quæritur, & ſeqq. concluſionibus determinabitur. De illis, ſiquidem offerantur ab Avo aut Aviâ, & alter Excommunicatorum permittat; conceditur. Ex Pontificiis nonnemo mihi lectus (ſi bene memini) aſſerit invitis Excommunicatis aut apoſtatis Infantes poſſe eripi & baptizari : idque ex hoc fundamento, quod ipſi olim baptizati fuerint, & per ingreſſum in Eccleſiam, eidem ſubjecti. Hinc ergo jus Eccleſię in eorundem Infantes. Sed ſi totaliter & finaliter, ſecundum ipſos, omnis interior & ſalutaris gratiâ intercidi poteſt, quomodo exterior, communio per Baptiſmum inchoata nunquam intercidi poſſet ? An ergo character indelebilis, quem à Baptiſmo impreſſum dicunt, migrabit de ſubjecto in ſubjectum, de Patre in Liberos ? Affinis aliquo modo hæc opinio determinationi *Concil. Trid. Seſſ. 7. can.* 14. quod in infantiâ baptizatus, quando ad annos diſcretionis pervenit, ab Eccleſiâ cogi poteſt ad obſervantiam fidei & legis Chriſtianæ. Nec longè abludunt, exceptiones illæ, de baptizandis Infantibus infidelium, non obſtante repugnantiâ Parentum. Vide exceptiones illas collectas à *Baſſeo in Floribus*, &c. *tit. Baptiſmus* III. §. 6. Sed quidquid ſit, nos neminem adultum invitum à Magiſtratu, multo minus ab Eccleſiâ violenter compellendum putamus ad cultum Dei quod ad perceptionem ſacramentorum ſive in ſe ſive in liberis ſuis profitendum & exercendum. De quo infra *Lib. 4. tit. de Libertate Conſcientiæ.* II. *concl.* De Infantibus ex-

utroque Parente excommunicato natis, alteruter vult (uti præſupponitur) ſaltem permittit, ut ad baptiſmum offeratur, ſic diſtinguendum. Sunt enim, aut eſt alteruter, qui Baptiſmum petiturus, ſaltem ei non repugnaturus ponitur, aut propter mores, aut propter apoſtaſiam à fide, aut propter utraque excommunicatus. Secundi & tertii generis rurſum pertinaciter apoſtaſiam profitetur, & fidem Chriſti, ipſam trinitatem, Chriſtum Mediatorem &c. blaſphemat: aut plane Atheum practicum aut Epicureum agit. Quomodo talis dicatur eſſe in fœdere: nondum video. Si excipiatur, quamvis ille non eſſet externè fœderatus, tamen aut propter Avos, aut propter Majores ſuos fœderatos poſſet judicari non plane alienus eſſe à fœdere. Sed quid ſi ſint ex Patribus, Avis, Proavis Gentilibus, aut Judæis orti, & aliquamdiu fidem profeſſi ad vomitum redeant: quod Mauris Muhammediſtis, & Judæis haut inſolens eſſe, nôrunt Hiſpania & Luſitania? Ad majores ſi confugias, cur non Mamalucorum, & Janizerorum liberi æque baptizandi: quorum Majores ut plurimum fuerunt Chriſtiani? Si Neuſerus Concionator in Palatinatu, & Joh. Ferberus civis Backnangenſis in ducatu Wurtenbergico facti Muhammediſtæ (de quibus vide *Melchiorem Adamum in Vitis Theol. Germanor. in Stephano Gerlachio pag.* 810.) Nepotes nepotum reliquiſſent, an illi baptizandi eſſent, quod ex Chriſtianis quondam Majoribus, quamvis Apoſtatis, orti eſſent? Sin hic confugias ad Suſceptores & Sponſores; quidni idem Gentilium, Turcarum, Judæorum Infantibus applicetur.

De *primi generis* Excommunicatis, vix veriſimile eſt eos Baptiſmum petituros, aut permiſſuros, ut alii petant, & pro Liberorum ſuorum educatione ſpondeant. Experientia enim docuit, tales plerumque ad apertos Eccleſiæ hoſtes deficere, aut in ſolitudine ſuâ Atheâ atque Epicureâ ætatem transigere. Jam vero ſupra oſtenſum eſt invitis Parentibus non eſſe Infantes baptizandos. Et dato aliquem fidelem ex Cognatis aut Agnatis, aut alienis pro educatione velle ſpondere; manet nihilominus illud dubium à *Calvino Epiſt.* 136. motum, An & unde illi jus & poteſtatem educandi habeant? Et ſi conſignatis tabulis jus illud probare quis poſſet, unde probatur, talem cautionem pro educatione eſſe analogum & æquivalens illi Rom. 11. v. 16. *ſi radix ſancta, etiam rami.* Et Geneſ. 17. *Ero Deus tuus & ſeminis tui.* Actor. 2. *Vobis & Liberis veſtris facta eſt promiſſio*, &c. 1 Corinth. 7. *Maritus enim infidelis ſanctificatur*, &c. *alioqui liberi veſtri immundi eſſent, nunc autem ſunt ſancti.* Tandem excipiat quis, Excommunicatorum illorum delicta (e.gr. apoſtaſiam, ſeu mavis recidivam & relapſum Judæorum ac Maurorum baptizatorum ad Parentum aut Majorum ſuorum perfidiam) eſſe tantum perſonalia; ac propterea non eſſe Infantes eorum arcendos à Baptiſmo, juxta regulam, *Filius non feret iniquitatem Patris.* Cui reponi poſſet, dato hanc non eſſe

Digitized by Google

esse causam proximam & adæquatam negationis: non tamen positivam collationis causam inde deduci. Dicitur quidem κατ' ἔξιν, non sunt extra fœdus: sed dicatur κατὰ ἕξιν, sunt intra fœdus, externum scil. & ecclesiasticum. Unde illud probatur? quia antehac baptizati sunt, & nomen Ecclesiæ dederunt, & fidem professi sunt, quam nunc ejurarunt & blasphemant. Hic terminus esto. Hæc aliis discutienda relinquo. III. *concl.* Si Excommunicatus quis aliquam, quamvis obscuram, emendationis spem faceret; aut saltem inducias à blasphemiarum diabolicâ oppugnatione mysteriis fidei nostræ concederet: utique facilius de Baptismo deliberari posset. Sed singularia facta cum circumstantiis sunt infinita, quæ transiri non possunt; nec generali determinatione tam facile exponi, ut omnes difficultates sublatæ videantur. Vix unquam casus illi offeruntur, & fortè nunquam oblati sunt: non est ergo quod in molestis illis disquisitionibus nos otiosè torqueamus. Si aliquando alicubi offerri contigerit, despicient prudentes Ministri an necesse sit ilico baptizare, an vero majori cum πληροφορίᾳ baptizantium & Ecclesiæ ædificatione Baptismum differre. Hæc mihi non dictandi, aut aliorum opiniones, nedum Autores infectandi causâ, hactenus dissertata: sed potius, ut eruditis occasionem suggererem altius de his cogitandi. Nonnemo ante annos aliquot non sine apposito elogio *Scriptoris ubique paradoxi* in me incurrit in publicâ disputat. habita 7. Junii 1648. *tit. Tetras quæstion. theologico-practicarum, qu* 4. §.6. Et in libro eristico anno 1649. tit. *Theologi Paradoxi* edito, & annis aliquot post recuso, quod in *Syllabo Problematum meorum* scripsissem me inclinare in negantem. Fateor me verecundè ita tunc posuisse, absque ullâ explicatione. Eam ut absolutè & simpliciter affirmarem, quod facit opponens, à me tunc impetrare non poteram, nec etiam nunc impetro. Vix etiam comparent Scriptores nostri, ne quidem inter ipsi citatos, qui sine magna cautione affirmant. Ut alicujus excommunicati perstantis tamen in generali aliquâ fœderis & fidei professione & Baptismum petentis, saltem non prohibentis, immo & electi ac semem salvificæ fidei in se habentis (qualē describit *Perkins. Lib. 2. cap. 10. qu. 3.* & in Ecclesiis Belgicis vix unum hactenus repertum credo) Infans baptizetur, nolim repugnare. Sed arbitror apud nos quæstionem esse de non ente. Ut invitis Parentibus excommunicatis, & à fide Apostatis, eamque blasphemantibus Infantes ad Baptismum offerantur; non magis probatum video, quam Infantes invitis Parentibus Gentilibus, Judęis, Turcicis, aut professis Atheis, Deistis, Epicureis, Libertino-Enthusiastis esse baptizandos. Vide de Judeis *Altingium loc. cit.* Ex *Synodis Belgicis Dordrac.* anno 1574. & 1578. concedunt Baptismum, sed sub hâc conditione, ut testes propius obligentur. Brielan. anno 1623. Puella Patris Anabaptistici, conciones nostras subinde frequentantis, quam noverca Reformata offerebat, non nisi

ſub ſponſione educationis admiſſa fuit. Confer *Genevenſes* apud *Zanchium Lib. 1. Epiſtol. pag. 121. Bezam*, *Calvinum*, *Conſtitutiones Eccleſiæ Scoticanæ*, *Decreta Eccleſ. Gallicanæ*, *Spanhemium*, &c. ſupra cit., & *Perkinſ. Lib. 2. caſ. c. 10. qu. 3.* Unde ſaltem conſtat, non ſimpliciter & abſolutè ſed magnâ cum cautelâ & limitatione Eccleſias noſtras aliquibus inter Excommunicatos. (ſiquidem tales reperiantur: de quo admodum dubito) ſuos ad Baptiſmum offerentibus hoc conceſſiſſe: tali conditione requiſitâ, quam opponens quaſi impoſſibilem, & conditionem non-conditionem haut obſcurè contra caudam *Ameſii* ſcrupulorum pleni, & rigidius pronuntiantis, §. 3. & 7. de ponte de-
„jicit. Sic enim §. 7. ſe habet ipſius ratiocinatio: Excommunicatio, *inquit*,
„ cum *ſingulari ſpe reſipiſcentiæ* adhibeatur, non video cur Excommunicati
„ Filius, niſi Sponſorem repererit quem quærere non poteſt, pro Excommu-
„ nicato & deſperatè perdito habeatur; nec enim alio loco haberi poteſt ille
„ Infans, qui collocatur extra fœderatorum numerum, & cenſetur indignus
„ cui fœderis initiale ſacramentum conferatur. Quod non tantum tangit *Ameſium*, ſed & *Perkinſum*, *Bezam*, *Calvinum*, *Genevenſes*, *Daneum*, *Bucanum*, *Spanhemium*, *Waleum* (qui tamen in *Synopſi Leidenſi* ab Opponente cit. non nominat Excommunicatos) *Conſtitutiones* & *Decreta Eccleſiarum Scoticarum*, *Gallicarum*, *Belgicarum* à me aut ab ipſo cit. Quibus nunc addo, *Scharpium in Curſu theolog. tit. de Baptiſmo pag.* 665. *Altingium in Problemat. Groning.* anno 1662. editâ *loco* 14. *probl.* 13. ad Infantum expoſitiorum Baptiſmum requirit, ut diligenter inquiratur in Parentes, & ſi deprehendi poſſint cum iis agatur: ſin minus, ut Sponſores & Curatores conſtituantur. *Ibid.* hæreticorum liberos baptizandos dicit ſub geminâ conditione; niſi parentes
„ negent fidem trinitatis; & ſi iidem dociles ſint, ac polliceanturque ſe in fide
„ orthodoxâ liberos inſtituturos & educaturos eſſe, vel ſaltem id permiſſuros,
„ ut ab aliis fiat. Ad opponentis ratiocinationem ab abſurdo conſequenti ſic reſpondeo: Aliud eſt κοινὸν ἢ ἴδιον aliquem habere pro Excommunicato & deſperate perdito: & aliud, κατ' ἄρσιν non habere eum pro tali fœderato, cui Deus juſſerit Baptiſmum conferri. Illud noſtri in Indiâ de Indorum, quibuſcum verſantur, Infantibus minimè pronuntiarent: iſtud vero pronuntiarent; uti patet ex *Synodo Dordrac.* anno 1618. *ſeſſ.* 19. ubi decernitur: Non
„ debere ad Baptiſmum admitti, priuſquam in Chriſtianæ religionis funda-
„ mentis probè ſint inſtituti, fidem profiteantur, ejuſdemque rationem ali-
„ quam reddere queant, Baptiſmum ipſi petant, & idonei etiam fide-juſſores
„ adhibeantur, qui eos porrò in Chriſtianâ religione inſtituant. Hanc ſenten-
tiam *Altingius loc. cit.* tuetur contra Lutheranos, qui noſtros nimii rigoris accuſant. Nec tamen Synodus & Altingius tales Indorum liberos, in familias Chriſtianas receptos tantiſper pro Excommunicatis & deſperatè perditis habendos

bendos censuerant. Quid si sint Parentes, aut alteruter solum sit Parens adhuc superstes per suorum sive heterodoxiam sive negligentiam in infantiâ non-baptizatus, in genere tamen christianismum profitens,& nunc quodammodo docilem se præbens : quæritur, An Infans ille baptizandus, si Parente permittente offeratur ab aliquo fideli, antequam ipse Parens baptizatus sit? Quod si negetur; an ideo Infans pro Excommunicato & desperatè perdito haberetur? Exceptionem Opponentis, *pag.* 127. *Theol. Parad.* pro rejectione sponsionum, & cautionum, de educatione, sub quarum conditione Synodi & Theologi ab ipso & à me adducti Baptismum concedunt, cui & bommunis Ecclesiarum praxis adstipulatur,absolutè non condemno: solummodo peto, ut mihi aliter, quam ipse aut unus atque alter forte Theologus, in Problemate aliquo,cum aliis,non raro cum pluribus sentienti, vicissim ipsius verbis contra intentatas ab ipso paradoxias, heterodoxias, doctrinæ corruptelas, Jesuiticas,scil. Socinianas,&c. excipere liceat: *Quoad me, quæ juste decreta puto, ex dictamine conscientiæ cordatè tueor, alia non; nec enim me mancipavi multitudini ulli, sed uni veritati.*

XVII. *Quæst. An Infantes Christianorum ante Baptismum, sint dicendi Ethnici seu Gentiles? Resp.* Grassatur hic error popularis in Papatu. Unde phrases illæ,quibus Baptismum denotant,*ex Ethnico facere Christianum*,*Infantem Christianificare* seu *Christianum facere* (vernaculè, **Chriſtenen/ Chriſten doen**) Quomodo Judæi circumcisionem suam appellant. *Judaisicare* (germanicè **Judſchen**). Hinc etiam fabula de commutatione *capilli ethnici*; uti appellant primulos nati Infantis capillos, qui postea paulatim mutantur. Ortum suum habet hic error ex doctrinâ publicâ de Baptismi absolutâ necessitate & efficaciâ in tollendo peccato originali: de statu peccati ante Baptismum: de Infantis absque Baptismo, unico scil. labis originalis remedio, decedentis damnatione, aut saltem privatione beatitudinis. Quibus hypothesibus superstruitur,saltem superstrui deberet negatio sepulturæ in loco, ut vocant, sacro. Siquidem solis Fidelibus seu baptizatis hoc competit, secundum Canonistas & Casuistas. Vide *Bonacin.* & *Sylvestr.* in voce *Sepultura*.Sed totum hoc commentum de Ethnicismo seu achristianismo refellitur ex 1 *Corinth.*7. *Actor.*2. *Ezech.* 16. Si enim Parentes Ethnici audire nolint, cur Infantes, &c.

XVIII. *Quæst. An Adulti ex infidelibus aut sub nomine christiano hæreticis atque idololatris nati, ad Baptismum admitti possint absque debitâ fidei & morum exploratione? Resp. Neg.* Quia si ex parentibus infidelibus nati sunt;non potest ipsis tanquam fœderatis communio fœderis gratiæ obsignari, nisi doctrinæ & vitæ professione ostendant se non esse à fœdere alienos. *Sin vero* ex parentibus Christianis orti sint, & qualemcumq; illam externi fœderis communionem aut ἀπιστίαν erroris fundamentalis (e. gr. Arriani,aut Photiniani, &c.)

Digitized by Google

&c.) professione aut vitæ profligatæ scandalo, quantum in se est, subruerent atque abnegarent: utique non video cui bono ipsorum aut quâ cum Ecclesiæ ædificatione baptismus ipsis, ante actualis resipiscentiæ professionem, conferretur.

XIX. *Quæst. An omnes adulti ad Baptismum præmissâ fidei & morum exploratione, unà ad cœnam admittendi, aut de facto admissi intelligantur? Resp. Neg.* Sunt enim ex infidelibus aut ex Anabaptisticis parentibus nati, qui ubi ad annos pueritiæ pervenerint, & mediocri aliquâ cognitione fidei imbuti, nec moribus improbi, siquidem ipsi petant aut consentiant, ad Baptismum admitti possunt: quos tamen ad usum cœnæ admittendos non putamus: nisi uberiori cognitione instructi & lubricæ ætatulæ annos supergressi majorem aliquam de compositâ suâ in fide & moribus constantiâ exspectationem concitare possint. Usus cœnæ peculiariter prærequirit illud 1 Corinth. 11. v. 28. *Exploret homo seipsum, atque ita de pane illo*, &c. Possent etiam tales casus incidere, ut quis vitâ inculpatus, & paratus fidei confessionem edere in principalibus fidei nostræ dogmatis, in minus principalibus tamen quibusdam ignorantiâ sive puræ negationis sive pravæ dispositionis adhuc laboraret, aut alio quovis scrupulo suo, aut obice aliunde objecto impediretur ut nondum ad cœnam proximè administrandam, accessurum se, promittere, aut Ecclesia eum tutò & absque scandalo ad eam invitare atque admittere posset. Quid si tamen talis nollet baptismum suum, præsertim ob imminentia belli, navigationis, pestis aliave pericula diutius differri: an repudiandus esset? Non arbitror. Hoc saltem requiratur, ut promittat se docilem fore, ac non quieturum, donec in omnibus Ecclesiarum doctrinæ atque ordini conformis fiat, & omnibus impedimentis remotis ad cœnam se debitè præparet. Synodus particularis Holland. Dordrac. anno 1587. artic. 17. quæstionem propositam relinquens indeterminatam, ad Synodum Nationalem rejiciebat. Diceret forte quis eandem esse baptismi & cœnæ rationem; & quo tempore adulto baptismus confertur, eodem & cœnam conferri debere: aut ab utroque pariter excludi. Cui respondendum puto, diversam esse rationem: quod baptismus sit, sacramentum initiationis, & primæ insitionis seu implantationis in communionem Christi & gratiæ fœderalis, cœna vero confirmationis, educationis, & auctionis in eâdem gratiâ.

CAP.

Digitized by Google

Cap. III.

De Materiâ & Formâ Administrationis Baptismi.

SCholastici & Casuistæ Pontificii communiter materiam Baptismi faciunt aquam, & formam verba : *baptizo te in nomine* , &c. Sed minus propriè. Cum enim forma det esse rei , & consistat in indivisibili, malè disquirerent & determinarent, aliquam hic dari latitudinem , ita ut essentia Baptismi esse possit , ubi tamen verba illa accuratè non pronuntiantur : omisso scil: τὸ *ego* aut τὸ *amen* , aut addito ad finem : *arma virumque cano* , aut *in nomine diaboli.* Prius distinguendum fuisset vox Baptismi an scil. ea solum externum signum notet ; an etiam rem signatam. Deinde, præcognoscendum , an de formâ internâ an vero externâ quęratur. Præterea considerandum fuisset, Baptismum , & omne aliud sacramentum esse relationem : in quâ materia, seu potius τὸ materiale , aut instar materiæ sit tota illa externa actio baptizandi , quæ in sensus incurrit : & forma seu τὸ formale sit signatio & obsignatio fœderis gratiæ , seu mundationis peccatorum per sanguinem & spiritum Christi ; quæ in sensus non incurrit. *Marc.* 1. *v.* 4. *Matth.* 28. *v.* 19. 20. *Actor.* 22. *v.* 16. In materia hujus relationis seu externo signo considerandæ fuissent duo membra : substantia scil. seu elementum aquæ; & actio seu ritus circa aquam , sensibilis scil. applicatio aquæ ad corpus sive per superfusionem, sive per aspersionem , sive per intinctionem aut immersionem : concomitante verbo audibili , mandatum & promissionem divinam proponente ac declarante. Et hoc verbum mandati ac promissionis est illud, cui convenit vulgatum Augustini : *accedit verbum ad elementum , & fit sacramentum ; non quia dicitur , sed quia creditur.* Prius signi membrum , substantia scil. aquæ, Nostris Theologis dicitur , externi sacramenti materia (voce materiæ latè accepta): & alterum signi membrum aquæ accidens, est ritus ablutionis, aut aspersionis , aut affusionis seu mavis superfusionis , aut intinctionis tum passivæ tum activæ : concomitante scil. verbi mandati & promissionis propositione, seu repetitione. His ita distinctè explicatis, multa dubia & difficultates , quibus Pontificii se & alios frustra torquent , evitabimus. Sit ergo quæstio prima de elemento seu substantiâ illâ , quâ in baptismo utendum. §. 1.

I. *Quæst. An sola aqua , & quæ ac qualis adhibenda ? Resp.* 1. ad *pr. Affirmatur* : idque ex Dei institutione, & doctrinâ ac praxi Johannis Baptistæ & Apostolorum *Matth.* 3. *v.* 6. 11. cum *Johan.* 1. *v.* 33. *Actor.* 8. *v.* 36. Et hoc observatum in antiquâ Ecclesiâ : ut videre est apud *Cyrillum Hierosolymit.*

Catechef. 3. *Gregor. Nyſſenum de Baptiſmo*, *Ambroſium de iis*, *qui initiantur myſteriis*, *c.*4. *Chryſoſt. in Johann. cap.* 5. *Auguſtinum tract.* 5. *in Johannem*; ubi ſignum faciunt ſimplicis & mundæ aquæ ablutionem: de quâ Auguſtinus loc. cit. *Tolle aquam, non eſt baptiſmus.* Huc facit, quod *Scholaſtici ad Thomam* 3. *Qu.* 66. *artic.* 3. rationes adferunt, cur ſit inſtituta ad regenerationem repræſentandam: Ita ut φιλοφρονείᾳ & humanæ audaciæ imputanda ſint, Exorcizatio aquæ, in *Paſtorali Romano. tit. de Baptiſmo*, & additamenta ſalivæ, ſalis, olei, chriſmatis, cerei, ſeu candelæ, ſalivæ Sacerdotis; quæ more ſuo, probare conatur *Joh. Steph. Durantus Lib.* 1. *de Ritib. Eccleſ. cathol. cap.* 19. §. 29. Sed, quidquid fingat refingat, totum hoc ad imitationem Gentilium, ut artem ſcil. arte deluderent, introductum videtur. Erat enim ſaliva (uti & totum caput, de quo 3. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. de Superſtitione*) ipſis ſacra & luſtralis; quâ utebantur in luſtricis, *teſte Perſio Satyr.* 2. *Frontemque atque uda labella Infami digito & luſtralibus ante ſalivis expiat.* Vide ibi Gentilium ſuperſtitionem circa luſtrationem infantis retens nati explicatam à *Caſaubono* „ *in Commentar.* Juxta rubricam Paſtoralis, Sacerdos digito accipiat de ſa- „ livâ oris ſui, & tangat aures & nares infantis: tangendo vero aurem dexte- „ ram & ſiniſtram, dicat *Ephphetha*, quod eſt adaperire: deinde tangat nares. „ dicens: *In odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole*, *appropinquabit enim* „ *judicium Dei.* Uſum ſalivæ in ſacris V. T. ceremoniis nullum invenient. *Sal* duplex adhibendum: unum, quo aqua benedicitur: alterum peculiari benedictione benedictum, quod in os baptizandi immittendum: ut habet *Paſtorale.* Modus utriuſque benedictionis *ibidem* deſcribitur. Inter ſex rationes pro ſale adhibito in *Catechiſmo Infantum baptizandorum* Papatu dignas, adferri videas à *Ioſ. Vicecomite Lib.* 2. *de Antiquis Baptiſmi Ritibus cap.* 42. Cau- „ ſas, inquit, cur ſal adhiberi neceſſe fuerit, multas quidem commodiſſimas „ aſſignari poſſe exiſtimo, aut enim conſervationem & religionem quandam „ ſignificabat ipſius catechumeni in Deum; cum & Beda ſic innuerit, &c. & id „ etiam à Gentilibus uſurpatum fuerit, teſte *Adr. Turnebo Lib.* 12. *Adverſar. c.* 22.

De uſu olei, chriſmatis, cerei, videatur *Paſtorale*; & rationes myſticæ à *Ioh. Stephano Durante* & *Ioſepho Vicecomite*, de *Antiquis Baptiſmi Ritibus*, *allatæ.*

Reſp. 2. ad Poſter. Quamvis aquam uſualem, mundam ſeu puram, ſaltem ita ut ablutioni, mundationi, purgationi ſit idonea. Prob. ex *textibus* modo *allatis Ioh.* 1. *Actor.* 8. Rejicimus ergo, aquam conſecratam, ſeu luſtralem Papatus; de quâ & omnibus iſtius generis ſacramentalibus in 3. *Part. ſelectar. Diſpp. tit. de Benedictionibus & Sacramentalibus.* Tantum hic nota blaſphemam ſuperſtitionem in benedictione fontis, cujus deſcriptionem & rationes „ habet *Durantes Lib. cit. cap.* 45. Ubi inter alia: Poſt hoc altâ voce clamat „ ſacerdos: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus ſpiritus ſancti.* Idco altâ

„ tâ voce, ut altum mentis deſiderium deſignet. Et tunc deponitur cereus in „ aquam: quæ cerei immerſio eſt ſpiritus ſanctus adventus ſeu miſſio, qui „ in aquam baptiſmi in ſpecie columbæ deſcendit, &c. Vide reliqua μυστήρια myſteria.

II. *Quæſt. An aquæ alius liquor poſſit ſubſtitui; ſiquidem non ſit aquæ copia? Reſp.* De vino, oleo, aquâ conditâ, ut cereviſiâ, & medone (hydromeli, ſeu mulſo) *Neg. Durantes lib. 6. Rational. cap. 42.* Addit ibid. *ſi alius liquor aquæ admiſceatur, bene ſit ibi baptiſmus, dum tamen aqua prævaleat: quotidie enim mari novus liquor vel ſputum vel urina additur; & tamen ibi baptizatur. Aliqui tamen contradicunt. Thomas Part. 3. qu. 66. art. 4.* concedit de jure carnium, & de aquâ ex luto expreſſa. Guido in celebri Manipulo Curatorum tit. de Baptiſmo cap. 2. concedit de lixivio, jure carnium, luto. De illo; *quod non ſit aliud, quam aqua colata per cineres.* De iſto, ſic limitat: *ſi non ſit tanta ſpiſſitudo; ſed juſculum ſit pingue, credo quod tum in illo poſſet fieri.* De hoc: *ſcilicet, ſi aqua exprimatur ex illo, in illâ aquâ expreſſa poſſet fieri baptiſmus.* Egregia ſane convenientia & analogia inter ſignum & ſignatum. Ubi quæſo juſculis pinguibus, aqua lutosâ, lixivio ſordes corporis abluuntur & purgantur? Refert ibid. *aliquos Doctores dicere, quod propter eandem rationem* (quæ ſcil. de lixivio) *in urinâ propter defectum aquæ poſſit baptizari: quod*, ait, *non credo verum: quia urina non eſt aqua, ſed humor reſolutûs à cibis comeſtis: & idem dico de ſalivâ. Ledeſma Lib. cit. cap. 3.* concedit de lixivio, de aquâ jurulentâ, lutosâ, balneorum: ſed tantum in caſu neceſſitatis. Negat de ſalivâ, phlegmate, aquâ roſaceâ, nive, gelu, grandine (niſi nix, gelu, grando reſolvantur): quod *huiuſmodi ablutioni commodè deſervire non poſſint*, &c. *quia non ſunt aqua fluida ablutioni conveniens.* Similia habent *Scholaſtici ad 3. Qu. 66. art. 4.* Et recentiores *Caſuiſtæ. Martinus Alphonſus Vivaldus in Candelabro aureo*, (quod in frontiſpicio hunc titulum in rubro oſtentat, *& appellatur candelabrum, lucerna, lumen, & emunctoria aurea*) *part. 1. tit. 2.* addit, aquam ex ſale fluentem; & aquam quæ ex latere Chriſti exivit: quod iſta vera fuerit aqua, & in eadem verus conferri potuiſſet Baptiſmus. Ejuſdem ſententiæ ſunt *Sylveſter & Angelus de Clavaſio in Summis*, & *Soto in 4. Diſt. 3. qu. unica artic. 4.* Qualis autem ille humor fuerit, ex Anatomicis & Medicis oſtendimus in 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Perfoſſo latere Chriſti.* De aquâ roſaceâ omnes negant; & *Ariaga in 3. Thomæ Diſp. 24. de Sacram. ſect. 8. §. 64.* Aſſerit de communi conſenſu Moralium & Scholaſticorum, poſſe & debere repeti Baptiſmum, quandocunque omnibus penſatis dubium eſt, an Baptiſmus fuerit validus: & ponit *ib.* caſum invaliditatis, ex defectu ſcil. materiæ, quando ſcil. dubitatur an in aqua roſacea. Et interjicit ibi narrationem: *id quod apud Hæreticos inter Viros nobiles frequenter*

audio in his partibus contingere. Bohemiam nota: ipse enim Pragæ docebat. Quam verum id sit de aquâ rosaceâ, dicere nequeo. Nec occasio adest in illud inquirendi. *Vivaldus in suo Candelabro tit. cit. sect.* 2. §. 9. quærit de aquâ illâ, quæ cadit ex arboribus & vitibus, cum secantur; deque urinâ, sudore, lachrymis, aqua illâ quæ sanguini supernatat, cum vena aperitur. Et de omnibus *ibid.* negat. Inter otiosas illas digladiationes, quas figmentum efficaciæ & absolutæ necessitatis Baptismi peperit, comparet etiam, de aquâ fluminis, & putei, unde propter defectum vasis hauriri non potest: an Infans scil. in periculo mortis constitutus in flumen aut puteum projectus, & sic per immersionem, ut mors sequatur, verè baptizatus sit. Sunt qui putant cum *Zwarez ad* 3. *Thomæ* eum qui Infantem submergendum projiceret in puteum, non baptizaturum illum. Sed *Ariaga Disp. cit. sect.* 1. *subsect.* 2. §. 9. „ judicat probabiliorem esse sententiam *Vasquez*, quæ apud alios etiam com- „ munis est, esse in eo casu sufficientem ablutionem pro valore Baptismi. Est „ enim præter rationem ablutionis extrahere ex aquâ, aut exsiccare faciem, „ aut manum totam. Dices illa projectio pueri in puteum non fuit ablutio, „ sed occisio. Respondeo negando antecedens: utrumque enim fuit; sicut si „ animo occidendi puerum & simul baptizandi, toties illum intruderem & „ extraherem ex aquâ, donec moreretur. Et hic labyrinthus absurdarum quæstionum, & concertationum. Nostri ab omnibus illis difficultatibus se expediunt, dicendo baptizandum usuali aquâ ad sordes corporis abluendas ac purgandas idoneâ: juxta *Catechesin quæst.* 73. & *Augustin.* ac *Cyrill. Hierosolym. locis modo cit.* Illa autem est qualiscunque aqua *pura*, *naturalis*, *simplex:* uti loquitur Daneus in Isagog. lib. 5. de Sacram. cap. 26. Accedimus ad formam baptismi. Ubi primo quæritur.

§. 2. I. *Quæst. An verba illa pronuntiata, seu pronuntiatio verborum, baptizo te in nomine Patris*, &c. *constituant formam Baptismi. Resp.* Ita communiter Pontificii: & est hoc ipsis de fide; quippe definitum in *Concil. Florentino*; & rursum in *Trident. Sess.* 7. *can.* 4. Sed nos non videmus, quomodo hoc cum Theologiâ & Philosophiâ conveniat. Forma enim informat materiam, dat esse rei, & ab eâdem fluunt proprietates, operationes, effecta: est enim principium activum. Jam applicentur ista verbis illis pronuntiatis, seu ipsi pronuntiationi. Scimus verba illa pronuntiata, *Hoc enim est corpus meum*, ipsis esse & dici verba creantia apud Biel in Expositione Canonis missæ: lect. 4. & 38. ubi dicit, *in hoc verbo crëari illud corpus quia divinum verbum & omnipotentiâ plenum est.* Sed vocant ea formam consecrationis sacramenti: non vero formam ipsius sacramenti: uti *Lect.* 38. exsertè formæ illæ distinguuntur; & ex Scoto verba dicuntur *sacramentalia*; quæ non pertinent ad esse sacramenti, sed ad fieri sacramentum; seu ad esse consecrationis, quod con-

Digitized by Google

consistit in fieri: est enim consecratio quædam via ad sacramentum. Hinc enatæ ipsis *ibidem* tactæ quæstiones inextricabiles, de formæ integritate: de efficaciâ & virtute: de veritate: de convenienti dictorum expressione. Primæ quæstionis, sub quæstiones *ibid.* notantur: Quæ & quot verba sint de consecrationis essentiâ: An illa forma ad conservandum sufficiat, si prætermitterentur verba canonis præcedentia & sequentia: utrum propter mutationem quorundam verborum formæ, impediatur consecrationis efficacia. Conferendæ hic labyrintheæ *Scholasticorum quæstiones ad Lombardi* 4. *dist.* 8. & 9. & 3. *Thomæ qu.* 78. Et *Bellarminus Lib.* 1. *cap.* 18. *Scarga cit.* à *Crassovio in Bello Jesuitico, contradict.* 8. formam sacramenti in iis constituit; & pro se adducit Concil. Florentin. quod in Decretis super unione Jacobinorum & Armeniorum sic loquitur: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi*, &c. Postea in subtit. *de Sacramento Eucharistiæ* ait, materiam ejus esse panem triticeum & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet, &c. *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur sacramentum. Sacerdos enim in personâ Christi loquens hoc conficit sacramentum.* Ita ut frustra *Bellarminus* hic effugia quærat. Sed uti verba illa, *hoc enim est corpus meum*, forma eucharistiæ dici nequeunt, sic nec verba: *ego baptizo te in nomine*, &c. sunt forma Baptismi: neque interna, neque externa. Quomodo enim verba pronuntiata informant aquæ ablutionem: in quâ elementum scil. seu substantiam aquæ vocant materiam remotam; & actionem abluendi seu tingendi materiam proximam: ita ut actus abluendi seu tingendi esset principium passivum, & pronuntiatio verborum principium activum. Sunt meræ acurologiæ; quibus difficultates inextricabiles sibi & aliis accumulant; nunquam certi, an adsit forma Baptismi; & consequenter an sit verus Baptismus: siquidem forma dat esse rei, & consistit in indivisibili. Vide modo apud *Canonistas ad Dist.* 4. *c.* 86. *retulerunt*, quæst. Zachariæ Papæ propositam, de formâ baptismi, *in nomine patria, & filia, & spiritu sancta.* Ad quam respondit, talem Baptismum valere. Et apud *Durantem Lib.* 6. *Rationalis fol.* 184. a. edit. Basil. per Nicol. Kesler. anno 1488. ubi „ determinat *Baptismi formam non vitiari*, si quid in eâ superfluè ponitur. ut „ si dicatur. *Baptizo te in nomine patris & filii & spiritus sancti, & dyaboli.* vel, „ *arma virumque cano.* Vel si quid præmittitur formæ. ut si dicatur *arma* „ *virumque cano.* Si vero aliquid interponatur. ut si dicatur, *Ego baptizo te.* „ *& Deus est in nomine patris & filii*, &c. dicunt quidam non esse baptiza„ tum. alii vero contra. Si autem ordo verborum formæ mutetur. ut si di„ cit. *Baptizo te in nomine filii & patris & spiritus sancti.* Dicunt non esse

„baptizatum quia ordo verborum de formâ eſt. Si vero mora naturalis &
„compendioſa interponatur puta reſpirando, tuſſiendo. vel ſcreando non obeſt. Sunt & aliæ quæſtiones *ibid.* & apud *Scholaſticos ad Thomam Part. 3. qu. 66. artic. 5. & 6.* & *Caſuiſtas recentiores*, & in *Vivaldi Candelabro, Ledeſma de Sacramentis*, &c. quales, An pronomen *ego*, ſit de ſubſtantiâ formæ (ſic loquitur *Vivaldus in Candelabro pag. 35. Alagona in Compendio Summæ Thomæ qu. cit. artic. 5.*): Et *an* valeat Baptiſmi formula apud Græcos uſitata: *Baptizetur ſervus Chriſti N. in nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti. amen. Sylveſter* & *alii* dubitant: ſed quia in Concil. Florent. determinatum eſt in partem affirmantem, Recentiores communiter affirmant. *An* ſit mortale peccatum τὸ *ego* omittere? *Vivaldus loc. cit.* *An* ille qui loco *ego*, dixerit in plurali, *nos te baptizamus* conferat verum Baptiſmum? *Reſp. Vivaldus* cum diſtinctione. „Si baptizat Papa Cardinalis, Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel ſimiles perſo-
„næ, quæ ob dignitatis autoritatem loco *ego* ſolet dicere, *nos:* tunc erit ve-
„rus Baptiſmus. Quia ex accommodatione & communi uſu loquendi in ſi-
„milibus idem eſt dicere *nos*, quod *ego:* licet ſic baptizando peccarent, quia
„recedunt à formâ communi Eccleſiæ. Si autem ille qui baptizat, eſt perſo-
„na communis vel particularis, ut Parochus, &c. non tenet Baptiſmus, &c.
„quia in tali perſonâ *nos* non ſignificat *ego*, ſicut in Prælatis. *An* ſi duo ſi-
„mul baptizarent, quia unuſquiſque prætendit ad eum pertinere, & eſt lis,
„quâ durante nihil eſt innovandum, ut patet per titulum, ut lite pendente
„nihil innovetur, & unuſquiſque diceret nos te baptizamus, &c. *Vivald. ibid.* ubi utriuſque Partis Autores adducit.

An pronomen *te* ſit de eſſentiâ ſacramenti. *Ibid.*

An eſſet Baptiſmus, ſi quis loco *te* poneret nomen baptizati, videlicet, *Ego baptizo Petrum in nomine patris*, &c. *Ibid.*

An, ſi loco *baptizo* poneretur *abluo, mergo, aſpergo, lavo*, &c. *Ibid.* & affirm. quia ſunt ſynonyma. *Dicere autem, ego te balneo mitto, vel mundo ab originali, non tenet. Ibid. Durantes loc. cit.* negat τὸ *mergo* eſſe ſynonymum.

An præpoſitio illa *in* ſit de eſſentiâ ſacramenti? *Ibid.*

An baptizaret ille, qui diceret *in nominibus* patris & filii, &c. loco *in nomine? Ibid.* & *negatur.*

An, qui diceret: *in nomine patris, & in nomine filii, & in nomine ſpiritus ſancti*, verè baptizaret? *Ibid. aff.*

An teneat Baptiſmus his verbis datus, *ego te baptizo, in nomine ſanctiſſ. trinitatis. Ibid.* & *Neg.*

An ſi detur in *nomine genitoris, geniti*, & procedentis. *Ibid.* & notat eſſe gravem quæſtionem; & communem Theologorum opinionem eſſe negantem: quamvis *ſplendor Canoniſtarum Innocentius 4. cum Cajetano, Victoria*, & *nonnullis* aliis affirment. *An*

Digitized by Google

An ſi quis nunc baptizaret in nomine Jeſu Chriſti, eſſet verus Baptiſmus? *Ibid.* & dicit eſſe gravius dubium proximè præcedenti. Ipſe tamen ſequitur affirmantes, adductis ſex rationibus.

An copulativa & ſit de eſſentiâ Baptiſmi ſeu de ſubſtantiâ ſacramenti? *Ibid.*

An vox *amen* ſit de eſſentiâ formæ. *Ibid.*

Adde nunc ex *Durante loc. cit.* Non fieri Baptiſmum, ſi dicatur, *baptizote in nomine trium perſonarum* : vel *in nomine trinitatis* : vel *in nomine Chriſti* : vel ſi baptizaverit in tribus principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paraclitis : vel ſi omittatur aliqua de tribus perſonis : vel diceretur, in *nomine paternitatis & filiationis*, &c. *Ariaga ad 3. Thomæ Diſp. 24. de Sacramentis ſect. 3. ſubſect. 1.* diſquirit, de hâc formâ, *In nomine Chriſti, & in nomine Trinitatis.* In *ſeqq.* diſputat de aliis quibuſdam formis, ex *Vivaldo* jam recenſitis.

Hæc laborioſa certamina pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt, ſi dicas concepta verba, articulatè ac ſyllabatim ſic pronuntiata non eſſe formam Baptiſmi : Et contra *Scholaſticos* : *ad 3. Thomæ qu. 66. artic. 5.* teneas verba illa, ut & alia omnia verba, pronuntiari tantum, ut ſignificent, juxta communem ſententiam *Philoſophorum* ex *Lib. 1. de Interpretatione cap. 1.* Ubi voces definiuntur, quod ſint *ſymbola* (notæ) *paſſionum, quæ ſunt in animâ, & quæ ſcribuntur* notæ *eorum quæ ſunt in voce.* Ultra illum uſum vocum, quidquid fingitur, ad ſuperſtitiones relegandum eſt. Conferri poteſt 3. *Pars ſelect. Diſpp. tit. de Superſtitione, & de Magiâ.*

II. *Quæſt. An ergo formula illa Baptizo te in nomine patris, filii, & Spiritus Sancti ſit mutanda? Reſp.* Minime. Nolumus verbum viſibile, hoc eſt, ritum ſacramentalem ablutionis aut aſperſionis eſſe ſine verbi audibilis prædicatione ; quâ ſignificatur tum mandatum tum promiſſio divina : ut fide contemplemur quis finis, quod opus, quod effectum iſtius externæ ablutionis aut aſperſionis. Tale autem verbum coram auribus fidelium (præſertim baptizati in adultâ ætate) pronuntiandum, ex Scripturâ ſi accerſendum ſit (uti eſt) quidni potiſſimum ex *Math. 28. v. 19.* cujus lux imprimis, graſſante nunc peſte antitrinitariâ, præferenda ; ne vel ullâ ſpecie ſub modium ea à nobis poni videatur. Sed cavendum eſt ne in apicibus iſtarum vocum earumque ordine conſtituamus eſſentiam & formam Baptiſmi : aut efficientiam realem ac directam juſtificationis, ſive regenerationis, ſive præſentaneæ liberationis à peccato, & quidem ex opere operato, ſive verbi pronuntiati, ſive aquæ aſperſæ, iiſdem adſcribamus. Placet ſententia Auguſtini tract. 5. in Johannem : *Quid eſt Baptiſmus Chriſti? lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non eſt Baptiſmus. Tolle verbum, non eſt Baptiſmus.* Et illud Cypriani, de Baptiſmo

ptiſmo Chriſti (tom. 3. edit. Pamelii pag. 454.) circa initium: *Quoniam remiſſio peccatorum ſive per Chriſtum, ſive per alia ſacramenta donetur, propriè Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli huius efficientiæ privilegium manet. Verborum ſolennitas ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum.* Secundum illos ergo verbis pronuntiatis tribuitur, quod ut adjunctum aut ad ſummum ut pars integralis ad celebrationem viſibilis ſacramenti pertineant. Ergo non ſunt forma, aut eſſentia. Nec tale quid ex *Lib. Tertulliani de Baptiſmo, duobus Libris Baſilii de eodem, quinque Libris Ambroſii de Sacramentis*; exſculpi poterit. Nihil aliud voluerunt ex noſtris Daneus part. 4. Iſagog. lib. 5. cap. 23. cum de formâ ſeu formulâ illâ verborum ſcribit: *Neque vero virtus Baptiſmi verbis aut ſyllabis eſt alliganda.* Et poſtea ſub finem *cap. cit.* ubi taxtatis Arrianorum, Manichæorum, aliorumque hæreticorum formulis hanc cautelam ſubjicit: *Ex eo vero quod dicimus hoc loco, Nemo colligat, nos vim Baptiſmi metiri ex ſyllabis & literis, quæ ſunt apud Math. 28. v. 19. Id quod nullo modo facimus; ſed ex ſententiâ & doctrinâ potius, quæ in verbis illis (quæ ſunt Chriſti apud Math.) continetur & comprehenditur. Id quod ex loco Actor c. 8. v. 12. & 10. v. 48. manifeſtiſſimè apparet.* Math. Martinius de fœderis naturę & gratiæ ſignaculis *Tract. 4. cap. 7.* ubi ad quæſt. an à Chriſto præſcripta ſit formula baptiſmi adminiſtrandi, Reſpondet; *formulam habemus in inſtitutione: ad nulla tamen certa verba in ipsâ adminiſtratione recitanda aſtricti ſumus.* Molinæus in Diſpp. Sedanenſ. de Baptiſmo 2. §. 15. 16. *Et ſi ſtatuimus inhærendum eſſe formulæ à Chriſto præſcriptæ, ſi quis tamen lapſu linguæ in unâ aut alterâ ſyllabâ ceſpitaverit, non putamus per id Baptiſmum fieri irritum aut efficaciam amittere.* Idem ibid. §. 19. *Quapropter etſi exiſtimavimus eſſe impudentis & temerarii recedere à formulâ jam à tot ſæculis receptâ in Eccleſiâ: putamus tamen ratum eſſe Baptiſmum in ſolo nomine Chriſti: quia Chriſtus eſt autor Baptiſmi, & finis, & res figurata, & per Baptiſmum peculiariter initiamur Chriſto, & ei nomen damus, & accenſemur Chriſtianis.* Altingius in Problemat. loco 14. probl. 12. *Si ſenſus maneat integer, & de induſtriâ nihil corrumpatur, etſi formula illa præcisè non fuerit obſervata, Baptiſmus habendus pro legitimo.* Qui ſtatuunt non eſſe Baptiſmum præcisè dictæ verborum formulæ aſtrictum, habent pro ſe exempla *Actor. 2. v. 38.* & 8. *v.* 16. & 10. *v. ult. Thomas Quæſt. cit. art. 5.* cum cogatur factum concedere, excipit Apoſtolos ad id habuiſſe peculiarem revelationem. Habent & dicta *Rom. 6. v. 3. Galat. 3. v. 27.* Ex antiquis *Ambroſ. Lib. 1. de Spir. S. cap. 3.* & *Baſilius de Spir. S. cap. 12.* Et *Nicolaus 1. Diſt. 4. de conſece. c. à quodam Judæo*, ad ſalvandum Baptiſmum in nomine unius perſonæ collatum, ſtatuunt in & ſub unâ perſonâ tres contineri & ſignificari. Contra tamen *Canones Apoſtolorum* ita dicti *can. 49.* & *Didymus Lib. 2. de Spir. S.* & varii

Canones

Digitized by Google

Canones Dist. 4. *de Consecrat.* jubent ut fiat in nomine trium personarum. Et hoc communiter *Scholastici* & *Casuistæ* sequuntur. Quamvis *Magister in* 4. *Dist.* 3. moderatius loquatur: tutius scil. esse, tres personas nominare. *Bellarminus Lib.* 1. *de Baptismo cap.* 3. contendit certam formulam esse necessariam: quod Apostoli ea non sint usi; & nulla à Christo sit præscripta: haberi itaque formulam illam ex traditione.

Cap. IV.

De Modo, Ritibus, Adjunctis, Circumstantiis in administratione Baptismi observandis.

§. 1. DE modo & ritibus quamplurima ex antiquitatibus & novitatibus ecclesiasticis hûc congeri possent: nisi instituti nostri memores illis potissimum insistendum putaremus, quibus in Ecclesiâ ordinandâ, ejusdemque negotiis rite gerendis Candidati ministerii instrui debent. Ritus distingui possunt, quod sint vel in verbis, vel in actionibus, seu actionum modis. De verbis ritualibus (ita loqui liceat) quæ clarâ voce coram Ecclesiâ aut Baptismi testibus in Infantum Baptismo, etiam coram ipso βαπτιζοντι in Baptismo adultorum, pronuntiari solent, satis superque actum *Cap. præced.* Actio principalis est applicatio aquæ ad corpus baptizandi: de quâ, ejusque modo ista quæruntur.

I. *Quæst. An aqua ita sit applicanda corpori, ut illud tangat? Resp. Aff.* quia absque contactu corporeo, nulla est applicatio corporea, ut apta nata sit aqua illa sive immersionis, sive affusionis, sive aspersionis corpus lavare, seu mundare. Scholasticorum disquisitio est de ablutione passivâ, & an illa sit necessaria; & an ablutio consistat in passione physicâ baptizati, an vero in actione abluentis; & si in activâ, an in eâ ut activâ; aut si in passivâ, an in eâ ut passivâ. *Soto* sentit eam consistere in passione: quia ablutio est receptio aquæ in corpore baptizati. *Zwarez*, judicio *Ariaga Disp. cit. subsect.* 2. §. 10. probabilius discurrit, juxta rigorem metaphysicum nullam esse necessariam passionem: quia *aquæ præsentia contigua cum corpore abluendo*, quæ necessaria est, *haut dubiè non recipitur in corpore ipso quod abluitur, sed in aquâ; ergo non patitur tunc corpus illud.* Subdit ibid. per prolepsim: *licet aqua esset in eâdem temperie cum corpore ac proinde nullum calorem ac frigus produceret, & infans nihil omnino sentiret, adhuc esset verissimus Baptismus: ergo in rigore scholastico nulla propria passio physica requiritur ex parte baptizati.* O Chrysippeum acumen! Quis cogit te Baptismum aquæ, de quo quæritur, restringere ad Infantes modo natos? Præterea, quis cogit te per passionem intelligere eam, quæ

Digitized by Google

fit cum dolore, aut saltem cum sensibili alteratione & tactu patientis ? An non sæpe contingit hominem in membro corporis pati, & tamen propter affectum aliquem non sentire, quamvis puncto, usto, secto ? Cur non distinguunt passionem in sensibilem, & insensibilem ? Dicatur ergo puerum quem aut adultum (cujus sensus communis & phantasia functiones exercent) qualicunque aquâ tingatur, non posse non sentire, & consequenter sensibiliter pati. Infantulum vero modo natum, sive in somno baptizatum, sive vigilantem,ob defectum tamen operationis sensuum interiorum, non sentientem aquæ applicationem ad corpus, nihilominus pati. Quis enim definivit passionem patientis, prout ab actione agentis præcisè distinguitur, ut sensus sit de ejus essentiâ. Et si modo retineamus assertionem Philosophorum,pro quâ stat *Zwarez in Metaphysicâ*, quod actio transiens fit in patiente, non in agente ; &, quod *passio ut sic essentialiter dicat actualem unionem & conjunctionem ad terminum & ad subjectum cujus est passio* (uti per inductionem probat *Zwarez in Metaphys. Disp.* 49. *sect.* 3. §. 6.), quomodo *Zwarez* cum *Ariaga* probabilius discurrere potest, nullam esse necessariam passionem baptizati, cum à baptizante aspersa aqua corpus tangit ? Rectius fortè *Zwarez* absque hac quæsitâ subtilitate, quæ seipsam conficit, substitisset, in suo præmonitionis præambulo quod *ibid.*ab *Ariaga* laudatur : *Nullius omnino momenti hanc quæstionem esse.*

II. *Quæst. An actio applicationis perfici & finiri debeat antequam verba pronuntiata inchoentur, aut finiantur. Resp.* Inter Recentiores *Vasquez., Hurtadus,* & cum iis *Ariaga in* 3. *de Sacram. Disp.* 24. *sect.* 2. quærunt, quomodo forma Baptismi debeat esse conjuncta cum materiâ. Quæ vana anxietas ipsis oritur ex proprio commento, de formâ Baptismi, quod nos *Cap. præced.* rejicimus. Sunt qui difficultatem in eo inveniunt, si materia & forma, h. e. actio tingendi seu spargendi aquam, simul non inchoentur & terminentur: quod ante sparsionem aquæ verè non possit dici, *Ego te baptizo*, cum Baptismus fiat per aquæ sparsionem & applicationem ad corpus : nec post sparsionem ejusdem. *Ego te baptizo* ; cum Baptismus jam peractus sit. Pro hâc parte digladiantur *Caietanus in Opusc. tit.* 26. *Biel ad* 4. *Dist.*6. *qu.* 1. *art.* 2. *Soto ibid. qu.* 3. Contra *Zwarez, Hurtadus, Ariaga*, se expediunt, dicendo: ad valorem Baptismi non esse necessarium, ut forma incipiat, antequam tota materia finiatur; aut ut materia incipiat, antequam tota forma finiatur. Rationem hanc adferunt, quia non requiritur ad veritatem istarum propositionum, prout moraliter accipiuntur. „ Nam, inquit, *Ariaga*, communi modo „ loquendi verè & propriè dicimus, *lavo me, comedo, surgo, percutio te*, etiam „ immediatè antequam has actiones exercemus, quando sumus parati jam „ ad eas exercendas, & eas volumus inchoare; vel certè immediatè, postquam illas

Digitized by Google

illas abſolvimus. Addit *ibid.* Impoſſibile eſſe in illius ſiquidem in rigore phyſico veritas propoſitionis illius conſideranda eſſet, *à baptizante inſtantia mathematica initii & finis verborum, ut ſimul cum iis coniungat initium & finem ablutionis:* ſunt verba *ejuſdem loc. cit.* Nos relictâ Andabatis labyrinthea Baptiſmi formâ, ſive verba illa ante, ſive poſt aquæ applicationem, ſive ſimul pronuntientur, Baptiſmum legitimè adminiſtrari credimus. Si enim ſecundum ipſos, voces aliquæ iſtius formulæ (e. gr. *ego*, aut *baptizo*, &c.) non ſunt de eſſentiâ Baptiſmi, aut de neceſſitate medii; quomodo tempus, ſeu terminos iſtius breviſſimi temporis, in quo aſperſio aquæ peragitur, inchoationem ſcil. & deſitionem, pari paſſu cum pronuntiatione verborum euntes, de eſſentiâ ejus eſſe dicemus? Sed hunc anxium laborem pepererunt ſibi proprio ſuo commento, de formâ Baptiſmi.

III. *Quæſt. An Baptiſmus ſit, ſi veſtes baptizandi à corpore ſeparatæ intingantur & laventur; aut ſi aqua aſpergatur veſti quæ partem aliquam corporis tegit. Reſp. Neg.* Debet enim aqua ipſum corpus tangere, eique applicari ad ablutionem: ſiquidem aliqua ſit futura analogia inter ſignum & rem ſignatam. Jam vero indubium eſt, veſtes non eſſe corpus humanum. Unde colligimus Baptiſmum noſtrum initiationis, malè accerſi ex Exod. 19. v. 10. *Vade ad populum, & ſanctifica eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua*, &c. Quaſi ſcil. ex vi hujus mandati omnes Proſelyti juſtitiæ per Baptiſmum initiati & baptizati fuerint in profeſſionem religionis Iſraeliticæ, atque incorporati Eccleſiæ. Quod quidem eruditiſſ. *Seldeno Lib. 1. de Synedriis cap. 3.*, multis Rabbinorum teſtimoniis in hanc rem adductis, probari videtur: qui inde concludit, *pag.* 46. Baptiſmum initio à Johanne Baptiſtâ, & Apoſtolis adhibitum fuiſſe non ut *ritum novum*, &c. tunc *introductum*, *ſed ut Hebræis ſatis etiam, quatenus erat imitationis ritus, ex Majorum ſeu Patrum uſu ac diſciplinâ cognitum, ac cum circumciſione*, &c. *conjunctum.* Subdit *ibid.* plura ex *Joh.* 3. v. 4. 10. *Coloſſ.* 2. v. 11. *Actor.* 16. v. 3. quæ omnia cum duplici hypotheſi nitantur, mandato *Exod.* 19. & conſuetudine, ac traditione τῶν ἀρχαίων, (ſiquidem verum dicant Rabbini) ſtylobatis illis ſubductis, ſponte corruunt. Quod ad mandatum illud *Exod.* 19. v. 10. *Reſp.* eſſe peculiare hic & nunc, tali occaſione populo mandatum: unde lex communis in perpetuum ab Iſraelitis obſervanda, inferri non debet: non magis, quam ex mandato *Exod.* 3. v. 5. de exuendis calceis, & *Joſ.* 10. v. 24. de conculcandis collis Regum captivorum, & *Joſ.* 6. v. 15. de ſepteno circuitu Jericho, ad murum diruendum, & civitatem invadendam. Et de effuſione aquæ 1 *Sam.* 7. v. 6. *Reſp.* 2. Qualiſcunque fuerit illa lotio, non erat ſaltem initialis, quâ in veræ religionis communionem ac profeſſionem baptizabantur: non magis quam aliæ quæcunque ablutiones & aſperſiones ſive luſtricæ ſive alterius generis: quæ generali nomi-

Digitized by Google

ne *Baptiſmorum* deſignantur *Hebr.9. v.10. Reſp.* 3. *Exod.19. v.10.* in textu nihil de ablutione aut Baptiſmo corporis, ſed tantum veſtium. Quod *Seldenus Ibid.* probare conatur per lotionem veſtium intelligi lotionem corporis, fruſtra eſt. Alibi, ut *Levitic.14. v.8.* &c. quæ loca adducit *Seldenus*, fateor non tantum veſtes, ſed & corpus aquâ lotum fuiſſe, ex Dei mandato: ſed hoc ad hunc textum *Exod.19. 10.* addi nequit; quia tantum mandatur lotio veſtium, prout *v.14.* ubi narratur mandati illius executio, tantum veſtium fit mentio. Et nihil aliud habent *Judæorum Paraphraſes Chaldaica Onkelos & Jonathanis, eorumdemque verſiones Perſica Tarwuſii*, & *Arabica ab Erpenio* edita. Nec meminerunt ejuſmodi imitationis baptiſmalis *Antiquitatum Judaicarum Scriptores Philo & Fl. Joſephus*; nec, quod ſolum in re tanti momenti (ubi agitur de Sacramento, V.T. initiali juxta cum circumciſione) ſufficere poteſt, *Judæi*. V. T. ſcriptores *Iob. Lightfootus* poſt Seldenum in *Horis Hebraic. Matth.3. v.6.* ex *Thalmud Babylon.* & *Hieroſol.* & *Maimonide* fusè probat communem hanc eſſe Judæorum ſententiam de Baptiſmo proſelytiſmi: quo ſcil. Viri, Fæminæ, Infantes baptizabantur. Sed uti in aliis ſexcentis Rabbinorum fides, ritus jam inde à tempore Moſis divinitus inſtitutos & per traditionem ad ſe propagatos fabulantium, aut nulla aut merito ſuſpecta eſt Chriſtianis: ita & hâc in parte, non meliori loco eſſe poteſt. In eo tamen diſſidet eruditiſſ. vir à *Seldeno*, quod originem ejus diu ante Molen, ad Patriarcham Jacobum *Geneſ.35. v.2.* referat. ubi textum והטהרו id eſt, *mundamini* ſic explicat: *Quid ſibi velit vox iſta* והטהרו *& mundamini optimè interpretatur Aben Ezra* שירחצו הגוף *nempe lationem corporis, vel baptiſmum: quod & ſuadet ipſa ratio.* Paulo ante dixerat ſe *primum uſum* Baptiſmi proſelytici ſeu initialis, *Jacobo Sichemitidas puellas* in familiam Eccleſiamque ſuam cooptanti, adſcribere. Sed hoc μίσμα nimis ἄτοπον mihi videtur. Probandum erat Jacobum, omnes uxores, & parvulos Sichemitarum, quos captivos abduxerant Filii ipſius *Geneſ.34. v.29. alioſque*, qui *jam apud eum verſati erant*, *Ethnicos* (ſunt verba Lightfooti) in familiam Eccleſiamque ſuam cooptaſſe: uti hoc ſumitur aut conjicitur. Nec à *Rabbinis* aut *Chriſtianis Commentatoribus*, tale quid hic dictum memini. *Adde*, quod non facile alicui veriſimile fiet, à Jacobi Filiis ingentem illam Fæminarum ac parvulorum turbam in familiam patris introductum, immo & retentam, atque inde à Jacobo Bethelem verſus cum ſuis abductam. Uti etiam veriſimile non eſt, captivos illos, aut maximam eorum partem, non fuiſſe partim venditos, partim perſoluto à vicinis Cognatis aut neceſſariis lytro redemtos. Multo minus veriſimile eſt, captivos illos recentem & infandam cladem ad huc lugentes, oppreſſorum ſuorum religionem amplecti, eique per ſolenne ſacramentum initiari voluiſſe. Sed hæc tranſeant; & videamus, an verbum טהר *mundavit purgavit* aut

ſemper

Digitized by Google

ſemper (quod neminem dicturum arbitror) aut plerumque, aut ſaltem hoc loco notet corporis lotionem ſeu Baptiſmum, & quidem proſelyticum ſeu initialem, non vero luſtricum: quem ipſe cum *Seldeno* à proſelytico exſertè diſtinguit. Quid ſi contra dicam, nuſquam ex vi vocis lotionem corporis per aquam ſignificari: ubicumque enim purgatio ſeu mundatio, non ſine aquæ ablutione, fieri debebat, ibi vox *lavandi mundandi* hoc indicat. Deus enim qui cordis mundationem & munditiem interiorem præſcribit, quæ fit per veræ reſipiſcentiæ praxim aut renovationem, (*Joel* 2. *v.* 12. 13. cum *Jeſa.* 1. *v.* 16.) etiam mundationem externam ejuſque modum & ſignum, lege ceremoniali præſcribit; per aquam ſcil., per hyſſopum, per ſanguinem. Relinquenda eſt ergo *Gloſſa R. Aben Ezra*, quæ addit textui, quod nec illic nec alibi comparet. Datâ nihilominus, non conceſsâ, corporis ablutione, quibus fidiculis hinc elicietur Baptiſmus initialis ſeu proſelyticus, à Jacobi facto accerſendus? Cur non potius luſtricus: cum filii Jacobi cum ſuis armatis recenti cæde & quidem ἀνομῶς atque omni modo nefandâ polluti eſſent? Obſervatum *Seldeno*, aliiſque κριτικοῖς Iſraeliticæ legis ceremonialis, luſtrica illa in talibus caſibus in Gentiliſmo frequentata fuiſſe.

IV. *Quæſt. An per immerſionem, an per affuſionem, an vero per aſperſionem ſit baptizandum? Reſp.* eſſe adiaphorum. Modo terminus motus habeatur, applicatio ſcil. aquæ ad corpus, ad tingendum, lavandum, ſeu abluendum, mundandum: perinde eſt, quo modo & motu hoc fiat. Tres illos modos in lavandis & mundandis vaſis, & ſupellectile e. gr. menſula, patinâ, feneſtrâ vitreâ, &c. videmus uſitatos: Et phraſes Scripturæ, quibus res ſignificata Baptiſmi denotatur, triplicem iſtum modum applicandi innuunt. Immerſionem habes Math 3. v. 6. 11. *baptizabit Spiritu Sancto*, &c. 1. Petr. 3. v. 21. *Cujus antitypon Baptiſma nos ſervat, non quo ſordes, &c. ſed, &c.* Tit. 3. v. 5. *per lavacrum regenerationis.* Affuſionem aut ſuperfuſionem, Jeſ. 44. v. 3. *Effundam aquas ſuper ſitientem*, &c. Aſperſionem Heb. 12. v. 24. *& ſanguinem aſperſionis.* 1 Petr. 1. v. 2. *per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Primum modum, immerſionem ſcil., fatemur à Joh. Baptiſta & Chriſto (ſed baptizante per Diſcipulos *Johann.* 4. *v.* 2.) & Apoſtolis Viriſque apoſtolicis uſurpatum Math. 3. v. 16. *Et baptizatus Jeſus aſcendit ſtatim de aquâ.* Actor. 8. v. 38. *ubi uterque dicitur deſcendiſſe in aquam.* Immerſionem tamen perpetuo adhibitam non facile credidero, cum tanta erat multitudo baptizanda *Actor.* 2. & 4. Cum Commentarienſis ejuſque familia intempeſtâ nocte baptizabatur *Actor.* 16. ubi illic tanta aquæ copiâ, aut labrum aliquod inſtar Salomonici præſtò erat, ut toti potuiſſent immergi? Cum quis recenter converſus & Baptiſmum petens langueret, aut graviter immo & lætaliter decumberet. In antiquâ Eccleſiâ, imprimis Orientali, immerſionem

fuiſſe receptam, diſcimus ex *Chryſoſtomo Homil.* 6. *in Coloſſ.* 2. *Cyrillo Hieroſolymit. Catech.* 11. *Pſeudo-Areopagita* de *Hierarch. Eccleſ. cap. de Baptiſmo* ubi exſertè nuditatem, calceos, omnes veſtes exutas commemorant. In Occidentali ſeu latinâ Eccleſiâ jam inde poſt Apoſtolos uſque ad tempora Bernardi obtinuiſſe, deprehendimus ex *Zenone Veronenſi* anno 260. *in Invitat. ad fontem.* 2. *Anſelmo* anno 1081. *in Matth.* 3. *Bernardo* anno 1130. *Serm.* 46. *de Paupertate.* Plures intermediæ, & ſequioris ætatis teſtes ſi quis deſideret, is adeat *Joſephum Vicecomitem de Ritibus Baptiſmi.*

Sed tria circa hanc nuditatem quærenda occurrunt: 1. quæſitum eſt, *An* totum corpus baptizandorum, imprimis Fæminei ſexus, coram baptizante nudatum fuerit. *Reſp.* ita cenſet *Vicecomes de Baptiſmi Ritibus* anno 1615. *Lib.* 4. *cap.* 10. ubi ex veſtium depoſitione, denudatione, nuditate, quarum Scriptores antiqui, medii, novi illic citati meminerunt, negat *eas partes, quæ integro pudore nominari non poſſunt, aliquâ veſte circumtectas fuiſſe.* Et rationem „ *ibidem* ſubjicit *pag.* 627. Nam cum admirabilis vitæ candor, atque integer„rima morum ſimplicitas olim apud Chriſtianos vigeret, ſine ullâ offenſio„ne, ſinguli ſuæ carnis dedecora hominum oculis ſubjiciebant. Et hoc *ibid.* multis argumentationibus ſe facile colligere dicit.

„ *Primo* quoniam *Cyrillus Hieroſolymitanus* & *Chryſoſtomus locis cit.* baptiza„torum nuditatem, & Chriſti cum in crucem tolleretur, & Adæ, priuſquam „ Dei offenſionem ſubiret, nuditati comparârunt, &c. *Secundò*, quia de hâc „ nuditate non ſecus, ac de illâ, quâ in lucem ſuſcipimur SS. *Ambroſius* & *Ber„nardus*, locuti ſunt. *Tertiò*, quod *Dionyſius Areopagita*, *Elias Cretenſis*, ac „ plures *alii* omnino nudos fuiſſe docuerunt. *Quartò*, quia *Nicephorus Cal„liſtus* Hebræum Puerum, qualis natare ſolebat aquis baptiſmalibus (per „ jocum ſcil. & ludum à Pueris Chriſtianis) ablutum fuiſſe tradit: tum quo„niam totum corpus aquis mergebatur. *Deinde*, quod nullus veterum Scri„torum, qui hanc conſuetudinem docuerunt, faſciæ pudendis appoſitæ me„minit. Quod incredibile videretur, ſi ea apponi ſolita fuiſſet. *Et demum*, „ &c. quia non erubuit pius Imperator vitali fonte eam partem tingere, quâ „ ſæpe flagitii & nequitiæ uſus fuerat inſtrumento. Probat *ibid.* hanc Hiſto„riæ partem ex ſolo Simeone Metaphraſte *in vitâ Sylveſtri*, inquit, *ut apud „ collectorem legimus*, &c. *Hæc cum audiſſet Imperator, & lætus probrum carnis „ ſubjeciſſet oculis*, &c. Hanc Vicecomitis opinionem ſecutus fuit Polyiſtor *Gerh. Joh. Voſſius* in *Diſp.* 1. *de Baptiſmo* quam Lugd. Batav. anno 1619. typis editam, in collegio Hollandico, cujus tunc Regentem agebat, ventilandam proponebat. Qui tamen non abſque adhibito delectu teſtimonia à *Vicecomite* adducta adoptabat: relictis picturâ in Eccleſiâ *Auguſtini*, *Nicephoro Calliſto Lib.* 3. *c.* 37. *Albino Flacco*, *Simeone Metaphraſte*, Gagnæio & Ambroſiaſtro:

ſiaſtro : quorum illum ex *Actor.* 8. *v.* 38. iſtum ex *Coloſſ.* 2. *v.* 12. totalem nuditatem collegiſſe, *Vicecomes* refert. Sed uti in aliis non paucis, ita & in hoc animadvertere licet nimis patientes ὦτα κνήθοντας, admiratores, teſtibus, libris, conſequentiis incertis, in proſcenium adductis, quaſi certam Eccleſiæ & religionis antiquæ faciem, ſpectatoribus exhibere. Ut dicam, quod ſentio, Scriptura nuſquam teſtatur, temporibus Johannis Baptiſtæ, Chriſti, & Apoſtolorum, nuditatem illam totalem, aut omnium partium corporis, ne quidem exceptis illis, quæ natura tegi voluit, per omnium tegumentorum detractionem & depoſitionem, coram baptizante, & teſtibus, immo & coram univerſâ baptizandorum turbâ, denudationem. Expendantur textus *Joh.* 1. & 3. *Matth.* 3. ſupra *cit.* & *Actor.* 2. *v.* 16. ubi tria millia!, & ubi Lydia & Commentarienſis cum familiis ſuis baptizati dicuntur. An factum tale tanquam omni honeſtati & decoro naturali repugnans exprobaſſe Judæos & Gentiles, Magiſtratus impediviſſe, & ſiquidem ex Dei mandato hoc actum fuiſſet, Chriſtianos illud ſeriò defendiſſe, nunquam legeretur? Nulli Luciani, Porphyrii, Celſi, Juliani, ſtrepitum aliquem hic excitaſſent; qui alias tam multa per calumniam Chriſtianorum myſteriis imponebant? Nullę *Apologiæ Juſtini, Athenagoræ, Tertulliani, Minutii Felicis, Cyrilli Alexandrini*, his purgandis occupatæ fuiſſent? Quid? an juſtitiarii Phariſæi & ſeverioris vitę conſecranei Eſſei hoc tacuiſſent? Paulus 1. *Corinth.* 11. noluit connivere ad qualecumque Fęminarum & Virorum in cœtu & cultu publico indecorum, circa tegmen capitis tum naturale tum adſcititium v. 14. *an ne natura quidem ipſa hoc vos docet*, &c. Fœdus gratiæ, aut Religio Chriſtiana, aut pars, aut actus aut exercitium, aut ſacrum quodcumque ejuſdem ſymbolum non mutat non tollit, ſed potius conſervat, promovet, jus, legem, honeſtatem & ἐυχημοσύνην naturalem. Confer huc quæ alibi à Patribus, Moraliſtis, Caſuiſtis, de veſtibus, fuco, partialibus corporum nuditatibus, imprimis Fęminarum definiuntur. Nec prætereundi Canones, Concil. 3. Carthagin. 25. *ne Clerici acceſſum habeant ad Viduas & Virgines.* Agathenſ. can. 28. *Ut Clerici vitent nuptialia convivia.* Toletan. 2. c. 2. *Ut nullus Clericorum, &c. in conſortio familiaritatis habeat Mulierem vel ingenuam, vel liberam, vel Ancillam.* Nicen. 1. can. 3. *vetatur omnino (κωλύει) ne Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, &c. Subintroductam (ἰσοδόκητον) habeant Mulierem: niſi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiant.* His adde, *Clementis Alexandrini Lib.* 3. *Pedagogi c.* 11. *aliorumque Patrum & Scriptorum de Vitando conſpectu Virginum & Mulierum apud Pinedam A Lapide, Lorinum, ad Job* 31. *v.* 1. & 24. *v.* 15. *Eccleſiaſt.* 7. *v.* 27. *Prov.* 7. *v.* 10-26. *Syracid.* 9. *v.* 5-13. abundantes cautelas. Videant quomodo conveniant, cum piarum Virginum & Mulierum pudore, & ſanctâ Miniſtrorum continentiâ, ſi illæ totas nudas

ſe

ſe exhibeant, & iſti eorum nuda corpora tota non tantum videant, ſed & lavent, aut abluant, & oleo inungant. Et quid judicandum de *Vicecomitis* mutuatâ ex Anſelmo in Math. 3. Theologiâ, quam habet cap. cit. p. 625. *vocatur ergo conſummatio juſtitiæ; ad quam Dominus volens homines invitare, ne ab inferiori dedignentur baptizari, vel in conſpectu hominum denudari. Ideo vult exemplo docere, quid alios oporteat facere, ut nullus poſt eum erubeſcat.* Verbis illis Anſelmi ſubjicit hanc concluſionem: Quibus locis apparet, nuditatem pro baptiſmo po-„ ſitam eſſe, quæ loquendi formula parum conſtaret; niſi eos, qui Bapti-„ ſma ſuſcepturi erant, nudos fuiſſe omnibus perſuaſiſſimum eſſet. Paulo poſt *pag.* 627. contendit, nuditatem extendendam eſſe etiam ad partes corporis, quæ *integro pudore* (uti loquitur) *nominari non poſſunt.* Nec tamen illam denudationem in Baptiſmo, *pugnare cum verecundiâ & pudore, qui honeſtos decet.* Non video ſane, quomodo hæc non ſymbolizent cum Cynicâ Philoſophorum ſectâ; & cum hæreſi, ſeu mavis furore Adamitarum anno 120. de quibus *Epiphanius Hæreſ.* 52.; & anno 1420. in Bohemiâ qui nudi incedebant, exemplo ſcil. Adami in ſtatu innocentiæ: quibus Adamitis non diſſimiles Anabaptiſtæ illi qui anno 1536. Amſtelodami, nudi per plateas diſcurrebant. De Adamitis Bohemicis, ex Pontificiis *Joh. Cochleus Lib. 5. Hiſtor. Huſſitarum, in fine*; ex noſtris Illuſtris *Morneus Pleſſiacus in Myſterio Iniquit.* poſt annum 1415. Nec minus convenire videtur cum tranſcendentali devotione Virginum, Viduarum, ac Mulierum Brugenſium, queis omnis pudoris depoſitionem & excluſionem inſtillabat Cornelius Hadrianus Minoritarum celebris Concionator & Lector ibidem, ut ſtatis diebus & horis totas nudas ſe ei ſiſterent virgulis leniter cædendas ad ſalutarem pœnitentiam & ſatisfactionem pro peccatis. Quæ Hiſtoria toto Belgio decantata. Nec excuſantur tales nuditates, exemplis Adami & Chriſti, quæ ex amplificatione *Cyrilli Hieroſolym. Catech.* 2. huc applicata velit *Vicecomes pag.* 626. Quod ad Chriſtum, oſtendat eum (quidquid violenter in cruce ipſi eveniſſet; de quo tamen nihil certi affirmare poteſt) ſponte ſe totum coram hominibus nudaſſe, & quidem tam improbis: quales fere omnes Spectatores crucifixionis. Quod ad Adamum, erat quidem ille nudus: ſed quorum peccatorum aut corruptorum hominum conſpectui ſe tunc exponebat? cum nulli eſſent à quibus conſpici poſſet, præter propriam Uxorem; & hæc viciſſim à nullo præter proprium Maritum? Et quâ ratione adulti baptizandi peccato originali & actualibus obnoxii, & ab iis per Baptiſmum (ſecundum Theologiam Pontificiam) demum liberandi, comparari poterunt cum Adamo & Eva in ſtatu innocentiæ; de quibus Geneſ 2. v. 25. *erant autem illi ambo nudi, Adam & Uxor ejus: & non erubeſcant.* Videat in *Patrum & ſuorum Commentariis ad loc. cit.* cur

tunc

Digitized by Google

tunc vestibus usi non sunt, & cur post lapsum Deus eos vestiri voluerit, & ipse vestes iis aptaverit, *Genes.* 3. Excipiet forte, uti excipit eadem pag *Nam*, inquit, *cum admirabilis vitæ candor, atque integerrima morum simplicitas, olim apud Christianos vigeret, sine ullâ offensione singuli suæ carnis dedecora hominum oculis subjiebant.* Vah os, vah calamum impurum, quo ea nudata ostenduntur, quæ lineis proximè præcedentibus dixerat, *integro pudore nominari non posse.* Sed ut propius urgeam, quæro quos per τὰς πάλαι id est, *olim* Christianos intelligat, & quousque hoc aureum sæculum extendat? Nam ipsis Apostolorum temporibus circa Ecclesiam, immo & in visceribus Ecclesiæ serpebat venenum Nicolaitarum, Gnosticorum, & eorum quos describunt Paulus Philipp. 3. *qui terrena sapiebant, & quorum Deus venter*, &c. Et *Petrus Epist. 2. cap. 2.* & 3. & *Judas*, in *Epist.* & *Johannes* in *Apocal. cap. 2. v.* 14. 15. 20. Post tempora Apostolorum si Ecclesia non diu mansit virgo, quod ad puritatem doctrinæ; multò minus, quod ad morum sanctitatem. Rigida Ecclesiæ primorum sæculorum disciplina, & canones pœnitentiales; satis indicant, non fuisse tunc Ecclesiam omni ex parte beatam, quod ad *admirabilem vitæ candorem & integerrimam morum simplicitatem* (uti vult Vicecomes) ut *singuli*, præsertim virgines & Mulieres potuerint oculis Episcoporum aliorumque Cleticorum, qui solennia Baptismi absolvebant, *carnis dedecora sine ullâ offensione subiicere*: idque salvo virginali aut muliebri *pudore & verecundiâ.* Non credo dicturum Vicecomitem, vel ex illâ vacuitate pudoris baptizandarum & baptizantium innocentiam ac sanctitatem deprehendi posse: quomodo *Barthol. de Pisis in lib. Conformitatum fol.* 211. inter alia ad Franciscí virginitatem demonstrandam advocat factum ejusdem, quo coram Episcopo Assisiensi aliisque se totum nudabat, etiam exutis femoralibus: *quod sane*, inquit, *facere non potuisset* sine magno pudore; siquidem virgo non fuisset. Qui tamen alibi ejusdem ustiones describit, cum per nivem se voluteret ad Ætnea illa incendia restinguenda. *Idem fol.* 39. probat Franciscum Apostolis præstantiorem fuisse, quod omnia alia non tantum reliquerit, sed & vestes omnes cum femoralibus excusserit, seipsum spiritu & corpore nudum offerens in brachia crucifixi: quod notat ibid. *de nullo alio sancto legi. Idem fol.* 52. refert, Franciscum mandasse Fratri Ruffino ut Assisii exutis vestibus (exceptis femoralibus) nudus concionaretur; ad quas conciones audiendas & ipse nudus accesserit. *Id. fol.* 62. Fratrem Leonardum, tam sanctum fuisse, ut nullius fecerit omnes contumelias & probra quibus à Spectatoribus certatim afficiebatur, eò quod exutis vestibus & femoralibus, totus nudus per plateas Assisienses & Viterbienses incederet. *Idem fol.* 113. Franciscum à formosâ Fœminâ sollicitatum ad concubitum, se denudasse coram eâ & prunis incubuisse, dicentem, hic mecum cuba. Nos, ut tales

Adamitarum opiniones & praxes antiquæ Eccleſiæ à *Vicecomite* & *Voſſio* impoſitas removeamus, ad *Zenonis*, *Veronenſis*, *Ambroſii*, *Chryſoſtomi*, *Cyrilli Hieroſol.* dicta (in quæ ultima analyſis) reſpondendum putamus, vocem nuditatis, apud Scriptores non ſemper notare veſtium ſeu tegumentorum omnium tum interiorum tum exteriorum depoſitionem, & totius corporis ſecundum omnes partes denudationem: & conſequenter in adminiſtratione Baptiſmi, eam aliquâ cum latitudine accipi poſſe ac debere. Quomodo pauperes *nudi* dicuntur veſtiti *Math.*25. *v.* 36. Et Petrus *nudus Joh.*21. *v.*7. Exorciſtæ nudi & vulnerati effugerunt *Actor.*19. *v.*16. Et Paulus ſæpe fuiſſe in frigore & *nuditate* 2 *Cor.*11. *v.*27. Et veſtiendi à nobis pauperes dicuntur *nudi Jacob.*2.15. *Jeſa.* 58. *v.*7. Jam vero cum pauperes ſemper habeamus nobiſcum: non eſt credendum, omnes inſtar Franciſci aliorumque Adamitarum plane nudos oberrare, & à nobis veſtes petere. Ita nec credendum eſt captivos 2. *Paralipom.* 28. *v.* 15. fuiſſe nudos, prout ex Matre prodierant. Quid quod *Corn. à Lapide ad Marc.*14. *v.*51. illa verba, *rejectâ ſindone nudus effugit*, ſic exponit: „Sicut Joſeph, ait Scholiaſtes apud S. Hieronymum, „*relicto pallio nudus de manibus impudicæ Dominæ profugit.* Etquis dubitet illud Virgilii, *Nudus ara, ſere nudus, hyems ignava colono*, ſic, ut dico, accipiendum eſſe: Quod autem *Vicecomes Lib.* 1. *cap.* 10. *& lib.* 3. *c.*10. *& Voſſius* §. 8. honeſtate naturali, aurem vellente, aliqua correctoria (ita loquar) addita obtendunt, & per illa pudori Fœminarum conſultum; qualia erant, quod Fœminæ ſe ipſas exuebant, quod in eodem baptiſterio ſeparatim à Viris baptizabantur, quod per mulieres diaconiſſas exuebantur & ungebantur, dicimus εἰφω illa pharmaca eſſe fruſtranea: ſiquidem nihilominus illæ Fœminæ totæ nudæ, nullâ corporis parte exceptâ, ſe baptizandas ſtitiſſent Baptizantibus & Suſceptoribus. Et quidquid factum fuiſſet de Fœminis, hinc non liquet, an & quomodo Puerorum, Adoleſcentum, virorum pudori conſultum fuerit. Pictores honeſtatis naturalis rationi ſuo modo velificantes, ſolent ad pingere tegumentum aliquod illarum partium, quas ſine pudore coram auribus aliorum *nominari* poſſe negat *Vicecomes*, ſine pudore tamen oculis aliorum in Baptiſmo objectas fuiſſe contendit. Sed Pictorum verecundia decoro & honori antiquæ Eccleſiæ ſtudentium rejicitur à *Voſſio loc. cit.* præeunte ipſi *Vicecomite lib.* 4. *cap.* 12. *p.* 636. Concludimus, Adamitarum nuditatem, temporibus apoſtolicis ignotam fuiſſe, & ne νοῦ quidem ex ſacris Literis pro eâ adferri poſſe. Nec obtinuiſſe in antiquâ Eccleſiâ, primis poſt apoſtolicum ſæculis, uſque ad Concilium Nicenum. Teſtimonia *Dionyſii Areopagitæ*, & *Clementis in Conſtitutionibus* à *Vicecomite* & *Voſſio* allata, tantum non dicunt, quantum illi volunt; & ſi dicerent, facile eſſet à teſtimonio dicendo hypobolimæos illos removere. Nôrat *Voſſius* & proculdubio probârat cenſuras ac criſes de illis ſcri-

tis

Digitized by Google

ptis apud *Cocum* & *Rivetum*. Quibus nuperrimè acceſſit *tract. Joh. Dallei de Pſeudepigraphis apoſtolicis*. Teſtimonia *Chryſoſtomi* & *Cyrilli Hieroſolymitani* pro more Orientalium, & *Zenonis*, *Ambroſii*, *Anſelmi*, *Bernardi* pro more Occidentalium (quæ *Voſſius* §. 6. *illuſtria* appellat), tam illuſtria non ſunt, ut veritatem hujus hiſtoriæ in luce ponant. *Anſelmus* & *Bernardus* novi ſunt, ſi cum aliis comparentur: quorum teſtimonium de moribus ſui ſæculi ſi valere debet, minimè tamen de doctrinâ & praxi veteris Eccleſiæ in Occidente. Solus *Zeno* inter primæ antiquitatis Scriptores numerari poteſt: Sed is in genere de nuditate loquitur; unde perperam Adamiticam abſque ullo pudore eliciunt. *Chryſoſtomus in Coloſſ. 2. Idemque in Epiſt. ad Innocentium* apud *Palladium in ejus Vitâ*, *Ambroſius Serm.* 10. (qui eſt *de Avaritiâ*) & *Epiphanius Hæreſ. 79.* nuditatis & denudationis ſuo tempore uſitatæ meminerunt quidem: ſed ea extendi non debet ad Adamiticam (uti jam dictum eſt); & ſi quis perperam ita extenderet, illi minimè concedendum eſſet, ut tempora *Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, *Epiphanii*, eadem cum apoſtolicis, aut etiam cum primis poſt apoſtolica & antiquiſſimis faceret. Paulatim Eccleſia in ritibus, moribus, diſciplinâ, doctrinâ ita mutata eſt, ut de illa non immeritò uſurpari poſſet illud poëtæ: *Ætas parentum peior avis tulit*, &c. *Cyrillus Hieroſolymitanus*, de ſui ſæculi conſuetudine hiſtoricè nihil aliud retulit, quam cæteri de veſtibus exutis, & nuditate: quæ nunc ſatis ſuperque explicuimus. Quid autem de Scriptis dicti *Cyrilli Hieroſolymitani*, imprimis *de Catecheſibus* ipſius nomine editis judicandum ſit, vel ipſis Pontificiis judicantibus, oſtenſum eſt à *Coco in Cenſurâ*, & *Riveto in Critico ſacro*: quò lectorem remitto. Adeo ut amplificatio illa, quibus dictus *Cyrillus* ſatis impudenter & indoctè hiſtoricam relationem oneravit, de Adami nuditate ſine pudore, nævis ipſius annumeranda ſit potius, quam ut hinc Adamitarum nuditas antiquæ Eccleſiæ tribuatur: quam toties & tanto molimine etiam lemmatis marginalibus à *Vicecomite* de Mulieribus baptizandis ſine rubore, inculcatam fuiſſe miror. Vide eum *Lib. 1. cap. 27. Lib. 2. c. 37.* imprimis *Lib. 3. cap. 10.* & *11.* & *Lib. 5. cap. 4.* ubi de unctione nudorum & nudarum. Ego ſane, ſi vel dimidia ex parte Eccleſiæ antiquæ tanta fuiſſet ſanctitas, quantam ille prædicat, videre nequeo, quomodo nudas corporis partes, quamvis velatis illis, de quorum velamine Pictores arguit, oculis Virorum baptizantium & Suſceptorum à Fœminis baptizandis objici tam diu paſſa eſſet. Atque hæc hactenus dicta *ſatis* retundunt teſtimonia pro obſcenâ nuditate adducta. *Severus Alexandr.* hæreticus, *Metaphraſtes*, *Elias Cretenſis*, *Surius*, &c. à Vicecomite citati nullo hic numero ſunt.

2. *Quæſitum.* Cur & quando mutatus ſit hic baptizandi modus per immerſionem? *Reſp. Voſſius* ſecutus *Vicecomitem*, §. 6. & 8. uſque ad tempora

Bernardi, etiam in Occidente obtinuiſſe, ſed à quinque retro ſæculis cum honeſtè id amplius fieri non poſſet, per univerſum pene Occidentem conſuetudinem illam exoleviſſe. Cauſam mutationis hanc deſignat: *quod antiquis temporibus candida ſimplicitas magis vigeret, & honeſtè toti denudarentur: ſed poſtquam, ut aliorum, ita Sacerdotum accrevit nequitia, experientia id toti orbi clare teſtante*, &c. Et §. 6. *Poſt tempora Bernardi ſuccreſcente, tam Sacerdotum, quam aliorum, nequitiâ, ſcandali & flagitii causâ ſublatus eſt.* Similia ante ipſum de aureo (ita loqui liceat) antiquorum, & ferreo poſteriorum ſæculo cecinerat *Vicecomes Lib. 4. cap.* 10. & 15. Quod ad immerſionem & ablationem totius denudati corporis, eam nunquam in verâ Chriſti Eccleſiâ jam inde à temporibus Apoſtolicis per priora ſæcula obtinuiſſe, nec poſterioribus, ſiquidem unquam in tantâ corruptione obtinuiſſent, debuiſſe obtinere cenſemus. Auream illam ætatem, cui dictam ipſis nuditatem non malè conveniſſe volunt, nec horribiles ſectæ Nicolaitarum, Gnoſticorum, Borboritarum, Carpocratianorum, Priſcillianiſtarum, &c. nec *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, *Salviani*, *Gildæ Sapientis*, aliorumque de corruptis ſuorum temporum moribus querelæ, nos credere jubent. Epiphanius (à *Voſſio cit. §. 9.*) in Panario hæreſ. 79. ubi dicit: *quando nudatur Mulierum corpus* (adſunt ſcil. Diaconiſſæ), *ne à Viris ſacrorum Miniſtris ſpectetur*. Hic vides cautelæ ergo, qualemcunque corporum muliebrium denudationem oculis Presbyterorum baptizantium ſubtractam: Ergo tunc temporis æque periculum erat, ac nunc à conſpectu denudatarum Fęminarum. Ubi ergo *admirabilis ſimplicitas illa, per quam ſinguli ſine ullâ offenſione carnis dedecora hominum oculis ſubjiciebant:* uti dulce canit fiſtula *Vicecomitis Lib. 4. cap.* 10. *pag.* 627. *Idem* cum in illâ admirabili ſimplicitate *omnes nudos* & nudas, ſic ut *etiam partes obſcœnæ veſtibus carerent* (ut habent lemmata marginalia *loc. cit., pag.* 626. 627.) non tantum baptizatos, ſed & oleo unctos probare contendit. *Lib.* 2. *cap.* 37. *pag.* 396. refert ex *Joanne Moſco* factum Presbyteri cujuſdam Canonis *præſtantiſſimum & maximè inſigne* (uti loquitur). Verba *Moſci* ab illo deſcripta ſunt iſta: Quoties „ ergo Mulierem inungeret (*Cono Presbyter*) ſcandalizabatur: atque ideo ex „ monaſterio abſcedere volebat. Quadam die venit Puella ex Perſide, ut „ baptizaretur, quæ ita ſpecioſa erat, ac tantæ pulcritudinis, ut non poſſet „ Presbyter nudam eam ſancto oleo inungere, &c. Si vera narrat Moſchus (de quo autore vide judicium *Poſſevini in Appar. ſacro, in voce Sophronius*), utique ſine *ullâ offenſione ſinguli* tunc temporis *carnis dedecora hominum oculis* non *ſubjiciebant*; & propter pericula & ſcandala, debuiſſet præſumta totalis denudatio æque omitti, aut abrogari (ſiquidem malo more uſitata fuiſſet), ac circa tempora Bernardi. Noſter nihilominus, τὸ antiquum, τὸ prius, τὸ catholicum in iſtâ Adamiticâ nuditate pro viribus exſtructurus *Lib. 4. cap.* 12.

quinque

quinque rationes dictę nuditatis in aciem educit; & *cap.* 6. asserit Baptismum per immersionem solum in usu olim fuisse, præterquam tempore necessitatis, eumque à Christo præceptum *Math.* 28. *v.* 19., & cum Jeremia Patriarchâ Constantinopol. in Censurâ Augustanæ confessionis resp. 2. cap. 4. *omnem aspersionis usum veteri Ecclesiæ adimit* : & de Baptismi per aspersionem, in casu necessitatis, bonitate, olim dubitatum fuisse dicit. *Ibidem cap. sequ.* 7. Ostendere conatur baptizandum de pondere sublatum & in sua brachia elatum à solo Ministro baptizante in aquam demissum fuisse. *Lib.* 4. *cap.* 7. observat ex *Gregorii Magni Libro Sacramentorum M. S.* cit. à *Pamelio ad Epistol.* 76. *Cypriani*, illius ętate Romæ adhuc usitatam fuisse totalem immersionem; & consuetudinem levis tinctionis post tempora Caroli M. & Ludovici h. e. post annum 875. demum introductam, in Ecclesias scil. Occidentales, *ob infantum teneritatem, cum jam adultorum baptismus esset rarissimus.* „Et *cap.* 15. *pag.* 643. A quocumque autem baptizandi exuerentur, nulli „ dubium est, quin ad ipsam usque unctionem, quæ in vertice fiebat, spoliati „ & nudi persisterent. Nam & nudos sacro chrismate unctos fuisse, suo loco „ probabimus. *Ibid. paulo post*; Itaque diu simplex antiquitas eos, qui ba„ ptizandi erant, sine veste ad lavacrum exposuit; donec malitiâ ad cumu„ lum auctâ, propter offensionis & flagitii periculum (*quasi scil. antea simile* „ *periculum non fuisset*) in plerisque Occidentis solis partibus omnino sublata „ est. Quod post tempora Bernardi anno fere à Christi ortu 1140. conti„ gisse, qui nullam ejus mentionem apud Scriptores ævi posterioris invene„ rit, facile intelliget. *Ibid.* tamen addit, & *cap.* 7. *p.* 609. veterem denudandi consuetudinem adhuc durare in Græciâ, Æthiopiâ, Moscoviâ, Germaniâ, Galliâ, Angliâ.

3. *Quæsitum*, An modus baptizandi per totalem immersionem, qualem volunt in antiquâ Ecclesiâ semper usitatum fuisse, in hodiernas Ecclesias, ubi aspersio obtinet, reducendus sit? *Resp.* Si modum immersionis corporum, juxta morem Adamitarum denudatorum intelligis, qualem *Vicecomes* & *Vossius* antiquæ Ecclesiæ abscribere conati: absolutè *Neg.* Sin modum immersionis corporum, prout restricta & verecundior nuditas eorum à pictoribus depingitur; *itidem Neg.* Quia ut alias partes corporis prætream, nuda Fæminarum pectora, extra casus necessitatis, Virorum oculis objici non debent; præsertim in religiosa administratione Baptismi. Vide quæ de hoc casu monemus in *Disp. de Excelsis Mundi, ubi de Decoro Vestitu.* Conferri possunt *Wendelinus Part.* 1. *Ethicæ lib.* 1. *cap.* 17. *qu.* 8. *Prucknerus in Mille Quæst. qu.* 115. Accedat, quod modus applicationis aquę adiaphorus est: & verbum Dei, ad immersionem non adstringit; nec perpetua sententia aut universalis Ecclesiæ antiquæ praxis nobis hic præit: & analogia sacramentalis per affusionem

aut aſperſionem aquę, ſatis haberi poteſt: & tutius ac facilius, quod ad corporum ſanitatem in climatibus frigidioribus fit aſperſio, quam immerſio; ut & magis decorè ac tutò, ſi hominum praviratem reſpicias. Pro negante ſtant communiter *Theologi Noſtri*, & cum iis *Voſſius loc. cit.* ubi ex antiquitate teſtimonia aliqua pro aſperſione adducit. *Pontificii* communiter conſentiunt. Quod autem addunt, apud *Ariagam Diſp.* 24. *cit. ſubſect.* 2. ſufficere ablutionem etiam in minimâ parte corporis, e. gr. in digito infantis in partu, qui exſeritur, & vel guttulâ aquæ: ipſis relinquimus. De quantitate aquæ poſitivè non determinamus: ſed negativè, ut ſaltem non tam tenuis ſit applicatio aquæ ad corpus baptizandi, quâ vix ulla lotionis aut ablutionis analogia pingi ac ſenſibus objici poſſet. Hodie in Occidente, quod ſciam, non ſunt Eccleſię ſub nomine Chriſtianiſmi, quę morem immergendi ſervant, aut reſtitutum volunt. In Oriente eum ſervari conſtat ex *Liturgiis ſeu Agendariis Græcorum;* quæ præſcribunt ad trinam verborum prolationem, *baptizatur ſervus Dei*, *in nomine patris*, &c. trinam demerſione baptizandi, & eductionem ex aquâ. Vide *Euchologium ſeu Rituale Græcorum tit. Officium ſancti Baptiſmatis pag.* 355. Et *Jeremias* Patriarcha Conſtantinopolit. *in Cenſurâ ſeu Reſp. ad Theologos Witebergenſes reſp.* 2. *cap.* 4. non tantum uſum immerſionis apud Græcos obtinere teſtatur, ſed & pro eâ has rationes adfert: „Baptizabant Veteres, non manibus ſuis aquam baptizando aſpergentes: „ſed trina immerſione hoc euangelii ſequentes: *Aſcendit ex aquâ.* Ergo ante „deſcenderat. Ecce immerſio, non aſperſio. Nuper in Angliâ exorti ſunt, dicti Anabaptiſtæ, vernaculè *dippers*, qui immerſionem non tantum reductam volebant, ſed etiam in praxim deducebant: quorum *Confeſſio* anno 1644. edita eſt nomine *Septem Cœtuum ſeu congregationum in urbe Londinenſi.* Ubi *artic.* 40. immerſionem ſtatuunt neceſſariam. Quod ad praxim eorum, omnes tum Viros tum Fæminas in infantiâ per aſperſionem baptizatos, tanquam non-baptizatos baptizans deſcendens cum iis in Tameſim aut alium fluvium baptizabat, caput eorum ſubmergendo. Contra eos calamum ſtrinxit eximius inter Anglos Theologus *Daniel Featly*; cujus libro linguâ vernaculâ conſcripto hic titulus præfixus eſt: *χαβαπτίσαι κατόπτρον The Dippers dipt.* Ubi modu eorum baptizandi in tabellâ inſertâ depictum exhibet. Rationes quæ contra hanc *κακοζηλίαν* militant, ſupra allatæ ſunt.

V. *Quæſt. An unâ, an v. trinâ aſperſione ſit baptizandum. Reſp.* eſt adiaphorum. In Reformatis Eccleſiis Gallicis, & Anglicis quibuſdam in Belgio unâ, in aliis omnibus, quod ſciam, trinâ utuntur. Deus in cujus nomine baptizamur, unus eſt eſſentiâ, & trinus perſonis: utrumque credimus & profitemur. *Beza in Quæſt. & Reſp. part.* 2. *qu.* 152. fatetur Tertulliani tempore

Digitized by Google

pore trinam fuiſſe adhibitam adverſus perſonarum unitatem Et *ibid.* ſubjicit: neque licere unicâ uti ſignificetur nos in unum verum Deum baptizari. *Tam enim*, inquit, *periculoſum eſt eſſentiam multiplicare, quam perſonam unicam ſtatuere. In genere vero de unicâ vel trinâ merſione ſeu aſperſione non arbitror contendendum.* In eadem ſententia Gregorii M. Lib. 1. epiſt. 41. ad Leandrum; quæ Juri canonico inſertâ cap. 80. *de trinâ*, de conſecr. diſt. 4. Ubi notanda verba: *quia in unâ fide non officit Eccleſiæ conſuetudo diverſa*, &c. *Quod ſi quis forte etiam pro ſumma trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque iſtud aliquid obſiſtit baptizandos ſemel in aquis mergere: quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate vel ter vel ſemel immergere: quando & in tribus merſionibus perſonarum trinitas, & in unâ poteſt divinitatis ſingularitas deſignari.* Trinam tamen in antiquâ Eccleſiâ fuiſſe frequentatam colligitur ex *Tertull. c. Praxeam cap.* 16. *& de Coronâ Militis Baſilio de Spir. S. cap.* 27. *Ambroſio Lib.* 2. *de Sacramentis c.* 7. *Chryſoſtomo Homil.* 24. *in Johan. Auguſtino Serm.* 201. *de Tempore.* Si quæ autoritas eſſet canonum apoſtolic., videretur longè aliter tunc ſtatutum, quam à *Gregorio & Jure Canonico.* Sic enim habet Canon 49. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter in unâ initiatione non tres immerſiones, ſed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor.* Cujus Canonis occaſione *Caſtaldus in ſuo Candelabro aureo cap. de Baptiſmo pag.* 43. ſcribit: Nota ſummopere, quod ſi Puer ſit trinâ merſione baptizandus, oportet ne baptizans intendat per trinam merſionem illam baptizare, ſed per unam, quæ trinam continet: quia alias ſi Puer ante ſecundam vel tertiam merſionem moretur, non eſſet baptizatus, & citat ibi *Thomam, Cajetan. Paludan. Sylveſtr.* &c. Egregia ſane Theologia ſacramentalis.

VI. *Quæſt. Quandoquidem apud Nos immerſio totius corporis, & Baptiſmus in flumine, ob frigus horum climatum, aliaſque ob cauſas, non eſt uſitatus, quæritur cui parti corporis aqua aſpergenda, aut ſuper quam effundenda? Reſp. Thomas in Scripto ſecundo ſuper lombardum Lib* 4. *diſt.* 3. *artic.* 1. conceſſo & præſuppoſito, immerſionem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, ſed ablutionem quocumque, modo vel per aſperſionem vel per immerſionem, determinat ablutionem debere fieri in capite: quod omnes operationes animales habeant principium ſuum à capite. Excipit tamen caſum neceſſitatis quo in alio membro fieri poſſet, ut in Puero non perfectè nato. Quod ad prius, commodiſſimè fieri in capite concedimus; ſed abſolutam neceſſitatem, non putem facile concedendam; ut nullus ſcil. eſſet Baptiſmus; ſiquidem vel aberratione aliquâ vel aliâ de causâ, pectori baptizandi (quo cor continetur) aquam aſpergi contigeret. Ex noſtris *Danæus in Iſagogâ Lib.* 5., *qui eſt de Sacramentis, cap.* 29. Thomæ ſententiam approbat, ut veriorem. Saltem nulla ratio

ratio eſt, cur conſuetudo, in toto fere Occidente recepta, mutari debeat. De membro quocumque, etiam extremo digito Infantis nondum nati baptizando (uti diſputant Pontificii) quid ſentiamus, ſupra *Cap.* 3. indicavimus. Scotus in Reportatis ſuper Magiſtrum ſententiarum Lib. 4. diſt. 3. qu. 4. aliquibus in caſibus, nullam partem definitè nominat, ſed ſolum in genere partem principaliorem abluendam, aut aquam tepidam ſumendam, &c. monet. Caſus autem, quibus Miniſtrum cenſet excuſari poſſe à trinâ immerſione, ſunt iſti, *ſi Miniſter ſit impotens, & ſit unus magnus ruſticus, qui debet baptizari, quem nec poſſet immergere nec elevare, nec etiam oportet, quod perfundatur aqua, ut ibi ita modicum ſit de aquâ, ut forte non poſſet pes ejus abluì*, &c.

VII. *Quæſt. Quo ſitu corporis Baptiſmus recipiendus? Reſp.* Nullus ſitus in ſpecie definitus eſt. Hoc in genere requiritur, ne ſitus naturali honeſtati aut commoditati, quâ corpori aqua aſpergi debet, aut decoro civili repugnet; tum in Infantibus, tum imprimis in Adultis. *Nicetas Choniates Lib. 5. Theſauri cap* 37. ex *Epiphanio ibid. cit.* refert ab Eunomio rebaptizatos fuiſſe, quicunque ſive apud orthodoxos ſive apud hęreticos baptizati ad illum tranſibant, inverſo baptizandorum capite, pedibuſque in altum „ſublatis. Cum autem Eunomiani in labro baptizantes caput baptizandi „ſemel in aquam pectore tenus immergerent, & aliquando eveniſſet, ut „quidam capite ad labrum alliſo vulnus acciperet, aliam baptiſmatis for„mam excogitabant. Nam homine prono in foſsâ quâpiam diſtento, ejuſ„que capite educto & ſublato, aquam ita infundebant, ut nullum a„liud membrum attingeret. Nec defuerunt inter illos, qui alium Baptiſmi „ritum invenirent. Longiſſimâ enim faſciâ eum in uſum parata conſecrata„que, hominem à pectore uſque ad extremos pedum articulos involvebant, „tum deinde ſuperiores corporis partes aquâ proluebant. Mitto nunc baptizandorum reſpectum ad Orientem „capitis inclinationem alioſque inutiles ceremonias ſive antiquis, ſive mediis, ſive novis temporibus, jam inde ab ἀκμῆ Papatus uſitatas. Quas vide apud *Joh. Langum in commentar. ad Juſtini apol. ad Anton. Pamelium in Notis ad Tertulliani Librum de Baptiſmo p.* 284. -- 292. *Guidonem in Manipulo, Gul. Pariſienſem de ſeptem Sacramentis, Joh. Stephanum Durantum.* Et, qui omnia ex omnibus ex profeſſo corradere conatus eſt, *Joſephum Vicecomitem de Antiquis Baptiſmi Ritibus.* Aliquas etiam attingit *Caſſander poſt tract. de Baptiſmo Infantum.* pag. 699.: ubi conſuetas ſuas palliationes & excuſationes ingenuâ confeſſione concludit: *Non neſcimus autem in adminiſtratione hujus diviniſſimi ſacramenti quædam indecora & indigna admitti: ſed quæ ad ſubſtantiam ipſam ſacramenti non pertinent, quæ non defendimus, ſed deflemus.*

Ad

Digitized by Google

Adjuncta Baptiſmi antecedentia, concomitantia, conſequentia quam §. 2.
plurima numerantur à *Pamelio*, *Joh. Stephano Duranto*, *Gulielmo Pariſienſi*, *Guidone*, *Vicecomite* modo *cit.* Quæ pleraque nos tanquam ἐπιτεύκτους hominum traditiones & conſuetudines, cultum divinum onerantes aut corrumpentes, unâ liturâ delenda cenſemus: ut ad primævam Eccleſiæ apoſtolicæ ſimplicitatem, omnia, quantum fieri poteſt; revocentur. Id enim verum quod prius, & quod ab Apoſtolis. *Lancelotus Andrews in Opuſculis poſthumis in ſtricturis ſeu Reſp. ad Cardin. Perroni cap.* 18. *Lib.* 1. *pag.* 13. cauſam contra Pontificios acturus, concedit chriſma, ſalem, candelas, exorciſmos, ſignum crucis, Epphata, conſecrationem aquæ, eſſe in poteſtate Eccleſiæ, & poſſe ab eâ retineri aut mutari. Sed talis conceſſio aliarum traditionum longiſſimum ſyrma, & quidni tandem bonam partem Papatus poſt ſe traheret. De humanis ceremoniis in genere & de pleriſque à *Lanceloto* hic conceſſis, ſupra fusè actum *Tract.* 1. *à cap.* 3. *uſque ad finem:* & antehac de cruce, exorciſmo, & aquæ conſecratione in 3. *Part. Sel. Diſpp.* Exorciſmos & exſufflationes, ut & catechiſmum ac confeſſionem fidei abſurdè præmitti Baptiſmo Infantum, vel ex ipſis ceremoniarum iſtarum Rationariis evincere poſſumus. Sic enim de illis Joh. Baptiſta de Rubeis in novo Rationali divinorum Officiorum lib. 1. cap. 20. pag. 42. 6. *Quantum ad ſecundam ceremoniarum Baptiſmi expoſitionem, notandum eſt quod in primitivâ Eccleſiâ quando baptizabantur, erant adulti, & ipſi reſpondebant, ſed prius inſtruebantur.* Hic vides ad adultos pertinere catechiſmum & inſtructionem præparatoriam; & fidei Chriſtianæ confeſſionem, quam ad propoſitas quæſtiones reſponſione *τὸ credo*, & recitatione formulæ fidei ſeu ſymboli edebant. Vide *infra de Catecheſi & Catechumenis*; & *de Symbolo dicto Apoſtolorum Diſp. noſtram* anno 1636. in 1. *Part. ſel. Diſpp.*; & quæ poſtea anno 1642. *Gerh. Joh. Voſſius de Symbolis Commentatus* eſt; & poſt eum *Uſſerius in Opuſculo de Romanæ Eccleſiæ Symbolo, &c. aliiſque fidei formulis tum ab Occidentalibus tum ab Orientalibus in primâ catecheſi & Baptiſmo proponi ſolitis.* anno 1660. cum *ejuſdem Chronologiâ* edito. De exſufflatione & rejectione Satanæ, quam „ *Rubeis* exorciſmo conjungit, ſic loquitur: Rurſus interrogatur, ſi abre- „ nuntiat diabolo, pompis fallaciiſque mundi, & illius operibus, ut prius „ reſpuens errorem, & abnegans impietatem ad veritatem Chriſti, verita- „ temque (puto legendum, *pietatem*) ſuſcipiendam preparetur. Paulo ante pag. 41. dixerat: *exorciſmis & exſufflationibus præparari baptizandum.* Originem, modum, & abrenuntiationis ritus, ſucceſſu temporis ſuccreſcentes, vide explicata à *Vicecomite Lib.* 2. *cap.* 16. ubi ex Lib. de Spiritu S., qui Baſilio adſcribitur, cap. 27. ad *privatam & arcanam traditionem refert*: cum paulo ante in principio ejuſdem capitis ex *Actor.* 2. *v.* 40. *Coloſſ.* 2. *v.* 20.

Digitized by Google

1. *Timoth.6. v.12.* interpretationem *Hieronymi*, *Ambroſii*, *Lindani*, *Feri*, *Lorini*, concluſiſſet, *meminem auſurum negare*, dæmonis conſuetudinem & amicitiam ſolenni denuntiatione reſcindi, jam tum in Eccleſiâ receptiſſimum fuiſſe. Tales exorciſmos ſeu ejectiones, rejectiones, abrenuntiationes & exſufflationes Satanæ Baptiſmo adultorum præmittendas non improbamus: quia, uti à *Salviano Lib.6. de Providentiâ aliiſque Patribus* deſcribuntur, nihil aliud ſunt quam fidei Chriſtianæ, & pietatis profeſſio, Ethnicæ idololatriæ, aut Judaicæ perfidiæ, totiuſque regni Satanę, atque impietatis mundanę, in quibus antea vixerant, abnegatio, & abrenuntiatio. Sed quâ ratione hæc omnia ludicrum in modum, per interrogationes, & reſponſiones *tũ credo, abremunsio*, in Baptiſmo Infantis oſtentantur? & cur peccati originalis regnique tenebrarum in Infantibus (ſi conſiderentur in ſeſe extra gratiam Chriſti) poſſeſſio, confunditur cum dęmonum poſſeſſione corporali? Vide quæ de hâc fictâ & præſuppoſitâ Infantum poſſeſſione, dæmonumque ejectione & exorciſmo fuſius diſſerimus in 3. *Part. Select. Diſpp. tit. de Exorciſmo part. 2. in 1. appendice pag.* 1173.—1188. Et *ſupra de Lotione pedum, atque Oſculo.* Sed hoc miſſo, aliiſque compluribus adjunctis & obſervationibus (quæ 22. numerantur à *Guidone in Manipulo Curatorum*, & plures à *Vicecomite*) ſolummodo conſideremus adultorum præparationem, & inſtructionem in fide, petitionem Baptiſmi, profeſſionem fidei & pietatis Chriſtianæ: & Infantum baptizandorum oblationem ad Baptiſmum, & Baptiſmi petitionem, per Parentes & Suſceptores, nominum profeſſionem, eorundem in tabulis eccleſiaſticis inſcriptionem, & curam atque inſpectionem.

I. *De præparatione & inſtitutione* ſeu catechizatione adultorum. Præparatio conſiſtit in catechizatione, & exploratione vitæ ac converſationis. Neque enim adultus in moribus profanus, improbus, ac notoriè ſcandaloſus ad Baptiſmum admitti poteſt, ſine ſacramenti profanatione. Et quomodo ille abſque Dei & hominum irriſione, renuntiabit diabolo ac mundo, dicet ſe conſepeliri Chriſto in mortem ipſius per Baptiſmum, ut ſicuti Chriſtus, &c. etiam nos in novitate, &c. *Rom.6. v.4.* Quomodo profitebitur & promittet pietatem, atque in eâ ut & orthodoxæ fidei profeſſione conſtantiam? Ne ergo ſanctum detur canibus, hoc agendum, ut ad reſipiſcentiam adducatur, ejuſque aliqua ſigna edat, antequam baptizetur. Ne quis autem putet, nos nimis rigidos eſſe, propono illi hos caſus. Si quis non baptizatus Baptiſmum petat ſed vivens in inceſtu, qualis *1. Corinth. 5. 1. 2.* aut polygamiâ, aut exercens lenoniam, aut pyraticam, aut apertè profitens, aut ſaltem fovens Manichaiſmum, Marcionitiſmum, Photinianiſmum, &c. Si dicas, tales non petituros Baptiſmum: Regero, hoc univerſaliter negandum non eſſe. Ex-

Digitized by Google

Experientia docet ex Ethnicis, Judęis, Mahummediſtis, hæreticis, profanis atque improbis hominibus aliquando Baptiſmum petiiſſe, ut flagitia ſua hâc ratione tegant, ut pœnis promeritis ſe ſubducant, ut à captivitate aut ſervitute ſe liberent, ut lautis donariis baptiſmalibus Chriſtianos emungant, ut munera conſequantur, ut fidei ipſorum negotia majoris momenti committantur, & hâc ratione Chriſtianos fallere, iiſdemque nocere poſſint.

De catechizatione, proximè ſequenti *Tract.* 3. agendum. Hic quęritur de catechizatione adultorum baptizandorum.

1. *Queſt.* An neceſſaria ſit inſtitutio baptizandorum tum publica tum privata? *Reſp. Aff.* ex iis, quæ de catechizandis rudibus infra ex Scripturâ & Patribus afferentur. Deinde ex confeſſione & profeſſione fidei in Baptiſmo faciendâ. Quomodo autem profitebuntur ex animo, quod non credunt? Et quomodo credent quod nec dedicerunt nec audierunt, *Rom.* 10. *v.* 14. 17. Unde colligimus non ſufficere talem inſtitutionem, per quam ſolummodo articulos fidei ſymbolo apoſtolico (ita dicto) propoſitos, & orationem dominicam, adhæc ſalutationem angelicam (in regno Pontificio) docentur memoriæ mandare, & inde reddere. In Pſittacum hoc cadere poſſet: & memini me de Pſittaco Cardinalis Aſcanii Columnæ tale quid legiſſe. Symbolum illud non niſi expoſitum & diductum, additis addendis, à Scholaſticis antiquis & recentioribus communiter neceſſaria creditu complecti dicitur. Vide inter alios *Bonaventuram ad* 3. *Diſt.* 25. Quod ad intelligentiam & fidem articulorum, qui ſymbolo proponuntur, quamvis alias prætendant fidem implicitam, tamen cum ad ſe redeunt, negant alicui ſufficere fidem implicitam totalem. Sic *Durandus ad* 3. *Diſt.* 25. *qu.* 1. Addit Scotus ibid. *Quod aliqua ſunt, quæ communiter prædicantur in Eccleſiâ: & talia ſunt neceſſaria ſimplici ad credendum explicitè.* Ergo ſymbolum & ſalutationem angelicam, &c. pronnntiare, (quibus adde formationem ſigni crucis,) non ſufficiunt ad præparationem baptizandi. Et talis eſt vulgaris præparatio Pontificia ad baptizandos Gentiles in utrâque Indiâ. Plura tamen requiriti videas à *Thomâ à Jeſu in Tract. de Converſione omnium Gentium lib.* 12. *in catech. generali c.* 5. & *Poſſevino in Biblioth. ſelect. lib.* 10. 11.

2. *Queſt.* An ubique eadem ratio ac methodus inſtruendi & catechizandi adultos baptizandos ſervanda. *Reſp. Neg.* Quia nec Catechumenorum, nec Catechiſtarum, nec Eccleſiarum, nec Auditorum, nec inſidiarum & impugnationum à Perſecutoribus & Infidelibus aut Hæreticis, idem ubique ſtatus eſt. Neceſſariâ aut ſufficiente inſtitutione ſeu catechizatione debitè præſcriptâ & in omnibus Eccleſiis communiter obſervatâ, periſtatica omnia de modo, ordine, loco, tempore catechizandi, ſingularum Eccleſiarum pru-

Digitized by Google

dentiæ determinanda mutanda relinqui debent: non minus, ac multa alia particularia periſtatica circa verbi prædicationem, cœnæ adminiſtrationem, cantum eccleſiaſticum, cenſurarum ac diſciplinæ executionem. Varietatem ſingularium ingeniorum, factorum, ſtudiorum, morum ac conſuetudinum ſi quis ad unitatem, & quaſi ad ideam quam Platonicam redigere vellet, ne is Siſyphi ſaxum volveret, aut aquam cribro hauriret. Singularia enim ſunt infinita, & infinitum tranſiri nequit. Quod ſi quis polypragmon, ſeu mavis imperitus, ignavus, infelix Medicus aut Politicus, omnibus Medicis aut Politicis unam eandemque medicandi aut Rempublicam ordinandi ac regendi rationem circa quoſvis homines ſemper & ubique invariatè obſervandam, præſcribi vellet: an non cum ratione inſanire videretur? Et ſi quis in regimine Eccleſiæ talia κατ' ἰδίαν & καθ' ὅλου, quaſi ex ſomnio Reipublicè Platonicæ experrectus in cerebello ſuo concepta agitaret; an non libertati, poteſtati, prudentiæ Eccleſiarum præjudicare, & turbarum, contentionum, ſciſmatum occaſionem objicere diceretur? Ut verbo dicam qui talia agitant, aut ignavi ſunt, aut imperiti, aut æmuli ſoli-ipſi, aut Diotrephæ φιλοπρωτεύοντες. Ignavi & imperiti non poſſunt aut non volunt paria facere cum aliis in inſtituendis cujuſque ordinis & gradus Auditoribus, rudibus, provectioribus, exercitatis ſeu τελείοις (*Philipp.* 3. *v.* 15. cum *Hebr.* 5. *v.* 14.), *publicè & domatim* Actor. 20. v. 20. Ne ergo luminibus eorum obſtruatur, & contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, aliorum peritiam & diligentiam inhibere ſatagunt; exſuperantiam ac πλεῖον eorum ad modulum ſui ἐν τύπῳ & κανόνι redigendo. Epheſiorum illud effatum, cum Hermodorum ex civitate ſuâ ejicerent, corrupti hominis ingenio altiſſimè inſidet: *Nemo noſtrum frugi* (ἀνὴρ ἀγαθός) *eſto, aut alibi id eſto, & inter alios.* De quo *Strabo lib.* 14. *Geograph.* & *Cicero* in *Tuſcul. Queſt.* 5. *ſub finem.* Æmuli ſoli ipſi, quamvis paria facere poſſint, & ſubinde inſtar Puerorum trivialium pro victoriâ loci annitentium & certantium, paria faciant: quia tamen ſoli hoc non faciunt, & pro vanâ animi elatione, ſoli ἐξαίρειν, &c. *digito monſtrari* volunt; hinc eſt quod communem hanc laudem aliis invident, & laudabiles ipſorum conatus, ac progreſſus, excogitatis technis & prætextibus impedire inſtituunt. Diotrephæ φιλοπρωτεύοντες, æſtimationem & autoritatem aliorum non ferunt, quam præclaris ejuſmodi laboribus, apud Eccleſiæ cives parari metuunt. Hinc eſt quod ſimul fundamenta autoritatis & exiſtimationis alienæ diruunt: & contra ſuam autoritatem, modo hæc modo illa introducendo, abrogando, ſubrogando, mutando quadrata rotundis, & vice versâ, exercent, oſtentant, ſtabiliunt. In antiquâ Eccleſiâ cum vigerent catechizationes rudium, præſertim eorum qui ex Gentiliſmo ad fidem Chriſti tranſibant, nullis canonibus, nullis decretis modum & variantes particulares

Digitized by Google

ticulares circumſtantias circumſcripta legimus. Inſpiciantur *Codices canonum tum Eccleſiæ univerſæ, tum Africanæ*; aut *Photii Nomocanon.* Et *Tractatus antiquorum de Baptiſmo*; inter alios *Baſilii Lib. 1. de Baptiſmate cap. 1.* cujus lemma, *Quod primum Diſcipulum Domini eße, &, deinde ſancto baptiſmate dignum fieri.* Confer, quæ *ſupra de Canonibus eccleſiaſticis, de Formulis & Liturgiis, de Ritibus, de Precibus, de Concionibus*, de malè affectato in periſtaticis catholiciſmo monuimus.

II. *Petitio Baptiſmi*, antecedens & requiſitum Baptiſmi neceſſarium. Nemo enim (de adultis loquimur) invitus, baptizari debet: uti ſupra determinatum eſt. Qui ergo in rebus fidei inſtitutus, & vitâ ac moribus coram hominibus Chriſtianum ſe oſtendit, & ad fidei confeſſionem edendam paratus eſt: is demum ritè Baptiſmum petere poteſt, & debet. Et tales in ſtatu petitionis conſtituti, in antiquâ Eccleſiâ dicebantur *Competentes*, diſtincti à Fidelibus, & à Catechumenis, qui cum aliis promiſcuis Auditoribus dicebantur *audientes*. Tertullianus Lib. de Pœnitentia; *Audientes optare intinctionem non præſumere oportet.* Auguſtinus de Curâ pro mortuis cap. 12. *Paſcha appropinquante, dedit nomen inter alios competentes*, &c. Idem Homil. 49. *quod dico Competentibus, & Fideles audiant pœnitentes.* Meminit eorundem *Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium.*

III. *Confeſſio fidei, & profeſſio ac promiſſio* neceſſario Baptiſmum adultorum antecedit. Eſt enim Baptiſmus ſacramentum initiationis. De confeſſione fidei, & ἐπερωτήσει ſpei, quæ in nobis eſt, infra *Part. 2. & 3.* agendum. Nos in præſenti, de confeſſione Baptiſmi præcedaneâ has Quæſtiones proponimus.

1. *Quæſt. Qualis, quanta, & de quibus confeſſio fieri debeat? Reſp.* Confeſſio fit vel per continuam credendorum elocutionem ſeu pronuntiationem, vel per reſponſionem ad Quæſtiones propoſitas. Utraque poteſt fieri vel ſummariè vel deductè per ſingula elementa fidei, ſeu capita catechetica. Poſterior priori longè præferenda eſt. Ut & illa, quæ fit per Quæſtiones & reſponſiones. Tunc enim magis clarè & diſtinctè percipiunt & confitentes & audientes, quę ſit fides & ſpes ipſorum. Quidquid enim in generali proponitur, ſine diductione & ſubſumtione particularium ſub eo contentorum, obſcuritate, confuſione, & ambiguitate non caret. Quod ad modum interrogandi, & ad interrogata reſpondendi, eum invenimus *Actor. 8. v. 37.* in Baptiſmo Eunuchi. Et *1 Petr. 3. v. 3. 21.* ubi vox ἐπερώτημα, id eſt, *interrogatio* aut *ſtipulatio*, morem illum in apoſtolicâ Eccleſiâ uſitatum fuiſſe innuit. Vide ibi *Bezam, Grotium, Corn. à Lapide.* Et *Cyrillum in Joh. Lib. 12. cap. 64. Pamelium ad Tertullianum de Baptiſmo, Rittershuſium ad Salvianum de Providentiâ lib. 6.* Qui duo luculentis teſtimoniis antiquæ Ec-

cleſiæ motem exponunt. Quæ omnia de adultis intelligenda memineris.

2. *Quæſt. An ſufficere poſſet ad Baptiſmum, ſi adultus memoriter pronuntiet Symbolum, quod vocant, apoſtolicum, & Orationem dominicam. Reſp. Neg.* Niſi enim intelligat, explicitè credat, ac diſtinctè confiteatur res Symbolo & Oratione dominicâ contentas, quomodo illum dicemus Chriſtianum? Huc applicari poſſet illud *Hieronymi* laudatum Staniſlao Hoſio: *Evangelium non in verbis, ſed in ſenſu conſiſtit.* Quod ſi quis dicat complures, ſi non pleroſque, dono & διάκρισιν ἐφηρμοστικὴν deſtitutos, qui ad ſingulas de fidei dogmatis propoſitas quæſtiones commodè mentem ſuam explicare nequeant: reſpondeo, baptizantem à talibus petere poſſe, ut quæ per catechizationem ipſis inculcata ſunt, quæque interiori animi ſenſu recipiunt, perſpicuè & familiariter ipſis propoſita, reſpondeant ſimpliciter *ita* vel *non*, *credo* aut *non credo*, *aſſentior* aut *non aſſentior*: ut conſtet, eos veritatem neceſſariorum noſſe, eique aſſentiri. Quin ipſi Pontificii fidei implicitę præcones, formulam profeſſionis fidei à Gręcis faciendæ octuplo majorem ſymbolo conceperunt, duce Gregor. XIII. quam vide apud *Poſſevinum Lib. 6. Biblioth. ſelecta, in fine.* Articuli profeſſionis fidei à ſingulis ad Papatum redire cupientibus faciendæ juſſu Antonii de Sanſac Archiepiſcopi Burdegalenſis anno 1585. editi ſunt numero 74. quibus tenerentur ſubſcribere. Vide opera Ant. Zadeelis. Unde colligimus illos nolle, ut fidem confeſſurus, hęreat in generalibus; aut hoc unum ſolummodo generale profiteatur, recipio Symbolum apoſtolicum. Eſt ergo ordo Eccleſiarum noſtrarum laudabilis, ſecundum quem omnia fidei dogmata ad Baptiſmum aut ad Cœnam admittendi ſive propriis verbis reſpondendo, ſive ſimpliciter affirmando aut negando profitentur.

3. *Quæſt. An præter ſimplicis veritatis confeſſionem, etiam requiratur expreſſa errorum rejectio? Reſp.* Non quidem ſemper, aut ubique: ſed cum baptizandus à Judaiſmo, aut Muhammediſmo, aut Hęreſi, in qua vixit in, quamque inſuper perverſo zelo antehac defendit, ad veræ Eccleſiæ communionem tranſit. Si enim Diabolo & mundanæ impietati, aut Gentiliſmo ritè renuntiabant, & quidni perfidiæ Judaicæ, aut Muhammediſticæ, aut Hæreſi, quæ ex patre diabolo? Talis rejectio aliquando fit forma ejurationis, aut anathematis, aliquando ſimplicis renuntiationis. Editum eſt Pariſ. à Petro Morello anno 1568. cum Nyſſeni Catechetico majore Fragmentum ex Nicetæ Choniatæ Lib. 20. continens ordinem, qui tunc (circa annum 1206.) in Eccleſiâ Græcâ obſervabatur in Baptiſmo tranſeuntium à Saraceniſmo ad fidem Chriſtianam. Ubi primum 22. anathematiſmis tum in genere Muhammedum cum ſuis ſucceſſoribus, & ejus Alcoranum, tum ſpecialia ejuſdem dogmata anathematizant: & deinde ſummam fidei Chriſtianę (non tamen ſine immixtis erroribus) 6. articulis comprehenſam confitentur. Quibus

Digitized by

bus ſubjicitur formula execrationis: quod *ſi hæc ex hypocriſi & dolo dicantur, &c. ſit mihi ἀνάθεμα & κατάθεμα, animaque mea cum Satanâ dæmonibuſque collocetur.* Idem Fragmentum poſtea editum eſt à Margarino la Bigne in Bibliothecâ Patrum.

4. *Quæſt. An fidei confeſſio, etiam contineat expreßam ac ſolennem peccati renuntiationem, & pietatis ac juſtitiæ promiſſionem. Reſp. Aff.* Quia fides per caritatem efficax, & ſine operibus mortua eſt. Hanc ſtipulationem & repromiſſionem colligimus ex *1. Pet. 3. v. 21.* & *Rom. 6. v. 2. – 7. Baſilius Lib. 1. de Baptiſm. cap. 2.* pluribus probat accedentes ad baptiſmum debere ſanctitate indutos eſſe eamque profiteri. Inter alia ſub finem capitis ſic loquitur: *Tunc ſit aliquis in nomine ſpiritus ſancti baptizari, & denuo natus, & locum & mores & convictores mutare, ut ſpiritu ambulantes digni evadamus in nomine filii baptizari & Chriſtum induere. Salvianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus*, aliique morem veteris Eccleſiæ edocent. Verba *Chryſoſtomi* ſunt *Homil. 1. ad Epheſ.* „ Quid generoſius illis verbis per quæ abrenuntiamus diabolo? per quæ in „ Chriſti militum numerum adſcribimur? *Confeſſione illâ*, quæ ſit antè lava„ crum, & illâ quæ poſt lavacrum. Idem *Homil. 21. ad Pop. Antiochenum*: Vo„ cis illius recorderis, quam dum ſacris inſtitueris emiſiſti: Abrenuntio tibi „ Satanæ, & pompæ tuæ, & cultui tuo, &c. Hanc & vos initiari debentes „ diſcere cenſeo. Hæc enim vox confœderatio eſt cum domino; &c. paulo poſt deſignat Satanica, theatra ſcil., ludos Circenſes, & omne peccatum, dicerum obſervationem, divinationes, omina, ligaturas, amuleta, epodas ſeu incantamenta. *Auguſtinus Homil. 3. ad Neophytos:* Emiſsâ enim certiſſi„ mâ *cautione*, quâ vos abrenuntiare omnibus pompis diaboli, & omnibus „ operibus ejus, & omni fornicationi diabolicæ, ſpoſpondiſtis, deſcendiſtis in „ fontem ſacrum. Quæ verba inſerta ſunt *Juri Canonico, de Conſecr. Diſt. 4. can. 73. Prima igitur. Tertullianus ad Martyres cap. 3.* Vocati ſumus ad mi„ litiam Dei vivi, tunc cum in ſacramenti verba *ſpoſpondimus*, &c. *Cyprianus* „ *tract. 2. de Habitu virginum: mundi* pompis & ſpectaculis jam tunc renun„ tiavimus, quum meliore tranſgreſſu ad dominum venimus: *Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum pag. 59.* (edit. Moguntinæ Cochlei in fol.) „ Contra nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum Gentilem, an re„ nuntiet diabolo & credat Deo, &c. & dicat, renuntio & credo, &c. *Salvianus lib. 6. de Providentia pag. 207.* (edit. Rittershuſii in 8.): Quæ eſt enim „ in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? quæ ſcil. niſi ut renun„ tiare ſe diabolo ac pompis ejus atque ſpectaculis, & operibus proteſtentur? Quod ille hic *confeſſionem* & *proteſtationem* vocat, id Tertullianus *teſtationem* & *ſponſionem ſalutis.* Lib. de Baptiſm. cap. 6. *fide Chriſtianæ in legis divinæ verba profeſſionem:* lib. de ſpectaculis cap. 4. *reſponſionem in ſacramenti verba.*

Ad

Digitized by Google

Ad Martyres cap. 3. *militis cum ſacramento conſignationem. In Scorpiaco adverſus Gnoſticos. Hieronymus ad Heliodorum* vocat juramentum: Recordare, „inquit, tyrocinii tui diem, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus, *in ſacra-* „*menti verba juraſti.* Noſtræ Eccleſiæ, Baptiſmo adultorum præmittunt una cum confeſſione fidei ſtipulationem & promiſſionem: uti videre eſt in *Litargiâ Belgicâ*, ubi in formulâ Baptiſmi adultorum, baptizando quinque proponuntur quęſtiones, ad quas reſpondet: quarum quinta ſic ſe habet: *An ex animo propoſueris ſemper Chriſtianum in modum ambulare, mundo & pravis cupiditatibus ejus renuntiare, uti hoc Chriſti & Eccleſiæ membris convenit, & omnibus Chriſtianis monitionibus te ſubjicere. Ratio Diſcipl. in unitate fratrum Bohemorum cap.* 3. refert, ad cœnam recipiendis in infantiâ baptizatis & in fide educatis, inter alias hanc quæſtionem proponi: *An velint fœdus in Baptiſmo cum Deo initi, renovare.*

5. *Quæſt. An confeſſio fidei, cum renuntiatione infidelitatis aut perfidiæ (ſi in eâ vixerit) & promiſſione pietatis publicè coram Eccleſiâ ab adultis fit facienda? Reſp. Aff.* Poteſt autem ea eſſe vel ſummaria ſeu generalis, vel particularis per omnia fidei dogmata. De priori, quin requiratur in Baptiſmo, non eſt dubitandum. Cum enim tota Eccleſia Baptiſmi ſpectatrix & teſtis eſt, decet eam ſcire, qualis & quâ conditione baptizetur. Sed ſi Baptiſmus clam adminiſtretur (quod aliquo in caſu fieri debet), ſufficit confeſſionem edi coram Miniſtro & illis qui iſtic adſunt. Quod ad confeſſionem & examen per omnia capita religionis, ut eâ publicè fiat coram Cœtu Eccleſiæ, ubi baptizatur, admodum utile eſt & facit ad plurimorum ædificationem. In Eccleſiis Belgicis ubi adulti nondum baptizati ex Anabaptiſtarum liberis ſubinde ad nos tranſeunt, memini hoc aliquoties factum. *Philippus Haenen* Eccleſiaſtes Magdeburgenſis in libro eccleſiaſtico linguâ Germanicâ anno 1650. edito tit. *Kirchenbuch tract. 1. de Baptiſmo* refert hiſtoriam Salomonis Burgalli Muhammediſtæ ſolenniter anno 1573. Halæ Saxonum baptizati, ſed præmiſſo iterato examine, & confeſſione, per omnia capita religionis publicè in templo coram aliquot hominum millibus. Quod ſi autem per circumſtantialia alicubi non ita commodè ejuſmodi publicum & particulare examen inſtitui queat, ibi utendum eſt δυοῖιν πλοῖν (ut eſt in proverbio): hoc eſt, particulari & iterato examine & confeſſione coram Synedrio, aut Delegatis Synedrii præmiſsâ, ſummaria confeſſio, reſponſis ad 4. aut quinque propoſitas quæſtiones coram Eccleſia ante actum Baptiſmi edenda iis imponenda. Quo tamen præjudicari non debet illis Eccleſiis ubi particularis confeſſio publicè antehac edita fuit, aut etiamnum edi ſolet. Neque enim ii qui ſecundâ navigâtione ſive volentes ſive nolentes utuntur, alios qui primâ uti poſſunt & volunt, ad ſuum modulum & morem

rem revocare debent : prætextu ſcil. ſervandæ æqualitatis & uniformitatis.

IV. *Oblatio* ſeu *adductio* baptizandorum. Ea requiritur , ad Baptiſmum *ivmixtus* in Eccleſiâ adminiſtrandum. *Si infantes* ſint, à parentibus baptiſmum petendum, & tales petitores cognoſcendos, an ſint fœderati, ex dictis cap. 2. manifeſtum eſt. Siquidem infantes extraneorum à fide baptizari non debent; ut ibidem oſtenſum. *Sin adulti*, teſtes & pararii requiruntur , qui vivâ voce vel ſcripto miniſtros informent de vitâ , moribus , inſtituto, baptizandorum: qui vel peregrini, vel magnarum urbium inquilini aut cives ſunt ; & conſequenter miniſtris ut plurimum haut ita noti. Sed in oppidulorum aut vicorum inquilinis ac civibus cognoſcendis , aliorum informatione miniſtri vix indigere videntur.Si quis tamen ad abundantiorem cautelam,domeſticorum, aut vicinorum , aut ipſis familiarium teſtimonia audire velit , operam non luſerit. Pararii illi , qui adducunt adultos aut portant parvulos ad baptiſmum variis nominibus apud eccleſiaſticos ſcriptores indigitantur , *ſuſceptorum, geſtantium, offerentium, fide juſſorum , ſponſorum, doctorum , fidei doctorum, patrum , patrinorum, compatrum, commatrum.* In noſtrate liturgiâ , & decretis ſynodorum Belgicarum, ut & catalogis ſeu tabulis baptiſmalibus , quæ in topicis quibuſque eccleſiis ſervantur , uſurpatur nomen *teſtium* , diſtinctè à parentibus offerentibus : quamvis parentes linguâ Belgicâ eoſdem compellantes , communiter vocent *compatres* & *commatres.* Quod idem in Germaniâ , & alibi obtinet. In Liturgia Anglica dicuntur **godfather** & **godmother** ; quæ in dictionariis eorum exponuntur per latina , *ſuſceptor , compater, luſtricus pater, ſuſceptrix , matrina , commater , luſtrata parens.* In eâdem liturgiâ dicuntur **ſurtties**/ id eſt, vades, fidejuſſores,ſponſores,ad promiſſores, infantum ,ſcil. baptizatorum ; qui ibidem pro illis ad quæſtiones propoſitas reſpondere jubentur. In ſtatutis eccleſiaſticis Bohemicis , dicuntur *advocati teſtes pro compatribus & commatribus.* Græci hodierni antiquo nomine ἀνάδοχοι etiamnum appellant. De ſuſceptoribus plurima quærunt *Rituum Scriptores Joh. Steph. Durantus, Vicecomes*, &c. nec non *Caniſtæ* & *Caſuiſtæ.* Nos nunc iſtis contenti erimus.

1. *Quæſt. An præter parentes offerentes neceſſarii ſint ſuſceptores, neceſſitate juris divini aut eccleſiaſtici. Reſp. Aff.* Pontificii, de neceſſitate præcepti eccleſiaſtici immo & Apoſtolici ; eorumque originem jam inde à primis eccleſiæ temporibus accerſunt : quam feliciter , jam penitiſſimè non inquiram. Teſtes cum *Vicecomes* adducit *Dionyſ. Areopagitam de Eccleſ. Hierarch. de Bapt. Pſeudo-Clementis Conſtitutiones Lib. 5. cap. 16. Simeonem Metaphraſtem, Albinum Flaccum*, &c. facile judicabit lector, quam appoſitè dicat lib. 1. cap. 30. pag. 183. *ſe neceſſariâ conſecutione colligere , ſuſceptorum uſum ab ipſis*

Apoſtolis incepiſſe, quod plerique Autorum cit. (Pſeudo-Areopagita & Pſeudo-Clemens) *non longo intervallo ab Apoſtolis diſjuncti ſint.* Addit, ſe certius & firmius hoc credere, quod ipſa quoque ratio hoc perſuadeat. Rationem *ibid.* „nobis exhibet: Ab incunabulis naſcentis Eccleſiæ Chriſti fidem in Bapti-„ſmo profiteri, maloque dæmoni ac pompis ejus nuntium remittere, etiam „Infantibus receptiſſimum: neceſſe *ergo* eſt, ex eo tempore fuiſſe aliquos, „qui quod Pueris per ætatem non licebat; ſuâ diligentiâ & operâ præſtarent. Antecedens unde probatur? Quia ſcil. *Areopagita* & *Clemens* tale quid teſtantur? Atqui libri illi ſunt ψευδεπίγραφα & ſuppoſititii (uti à ſæpe laudatis *Coco*, *Riveto*, aliiſque ab utroque citatis, hoc probatum eſt); nec teſtantur illi, quod ſub Apoſtolis tale obſervatum, ſed quid ſuo tempore, cum iſta ſcriberent. Nec aliter illud *Auguſtini* de verbis Apoſtoli huc allatum à Jeſuitâ Henrico Fitz Simone in Britannomachiâ miniſtrorum Lib. 3. c. 4. *Portantur ad Eccleſiam parvuli*, &c. *accommodat illis Mater Eccleſia pedes aliorum ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fateantur.* Quidquid hic dicat de Eccleſiâ ſui temporis, ſaltem nihil de Apoſtolis & Eccleſiâ apoſtolicâ: uti prætenditur à *Vicecomite*. Et dato non conceſſo, verba Auguſtini de parvulis tempore Apoſtolorum ad fidem & confeſſionem Suſceptorum & Sponſorum baptizatis *Vicecomes Cap. cit. pag.* 179. reprehendit ſententiam Walafridi *Strabonis Lib.* 26. *de Rebus Eccleſ.* qui putat poſt aut circa tempora Auguſtini demum hoc inventum eſſe; & *Polydori Virgilii lib.* 4. *de Inventor.* c. 4. ut & *Gloſſa in vitam Hygini à Damaſo* ſcriptæ, qui volunt Suſceptores à Papâ Hygino inſtitutos. Idem habent *Barthol. Caranzâ in Summâ Conciliorum*, & *Mart. Polonus*, *Platina*, *Stella de Vitis Pontificum.* Eſſe autem illis Suſceptores neceſſarios tanquam Teſtes non tantum, ſed imprimis tanquam Sponſores & Fidejuſſores, qui pro parvulis fidem confiteantur, diſces ex *Can.* 76. *nihil eſt* & 77. *tum pro* & 101. non *plures. Diſt.* 4. *de Conſecrat.* Et *Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 2. Et *Paſtorali Romano cap. de Baptiſmo.* Notandum hic Pontificios diſtinguere inter Teſtem Baptiſmi, & inter Suſceptorem ſive Fidejuſſorem propriè dictum: qui manu tangit, aut tenet, aut ſuſcipit, aut levat parvulum in Baptiſmo. Ex quo ritu & actione Suſceptorum Belgis nata phraſis, **het hint heffen**/ id eſt, *infantem levare*, hoc eſt Sponſorem aut Patrinum in Baptiſmo agere: & altera **een hant leenen**/ id eſt, manum commodare; ad tangendum ſcil. ſuſtinendum, levandum parvulum dum baptizatur. Hanc diſtinctionem facit *Deciſio S. Congr. Cardinalium* 5. *Martii* 1597. ita ut levantes ſeu ſuſcipientes Infantem cognationem cum eo & Parentibus ejus contrahant, Teſtes vero non contrahant. Noſtræ Eccleſiæ uſum Suſceptorum, in Adultorum Baptiſmo non agnoſcunt; in Baptiſmo Infantum, quorum Parentes vivunt, inter adiaphora numerant. Poſſunt enim Infantes ad Baptiſmum abſque Teſtibus

ſtibus offerat: poſſunt etiam ad abundantem cautelam Suſceptores advocari, ut Teſtes ſint Baptiſmi, & ſi defunctis Parentibus ſuperſtites ſint, educationis eorundem in fide Chriſti ex ſolenni promiſſione coram Eccleſiâ & Parentibus factâ, præſint. Quod ad teſtimonium de Baptiſmo, imprimis illud locum hãbet, ubi in perſecutione, aut quocunque turbato Eccleſiæ ſtatu Baptiſmus clàm adminiſtratur. Promiſſio educationis in verâ fide maximè requiritur in caſu hæreſios aut infidelitatis cognatorum, popularium, concivium, aut tutorum; quin immo & ipſorum Parentum, ſiquidem e. gr. ſint heterodoxi, quamvis Infantem in noſtris Eccleſiis baptizari permittunt. Statuta noſtra Eccleſiaſtica artic. 57. judicant *morem illum adhibendi Suſceptores in ſe eſſe adiaphorum, nec facile mutandum.* Agunt autem ibi de Infantibus, non de adultis. Quod autem adulti ex Gentiliſmo, Muhammediſmo, Judaiſmo baptizandi in Papatu advocant Suſceptores, & plerumque potentiores, ut Reges, Principes, Proceres, Divites, reſpectum habet ad dona baptiſmalia, ad libertatem, promotionem, aliaque βιωτικά: uti quotidiana experientia hoc edocet; & *Conſtitutio ſeu Bulla Pii* V. anno 1566. quæ ſancit Sclavos baptizatos pro liberis hominibus, & Romæ baptizatos, inſuper pro Civibus Romanis habendos. De Judæis Romæ baptizatis idem affirmat ex *Marquardo de Suſannis & Luca de Penn. Cherubinus in Compendio Bullarii, Scholio 2. ad Bullam Gregorii* 13. anno 1584. Sed nos miſſis ſæcularibus illis conſiderationibus, quæ ſacris & ſpiritualibus immiſceri non debent, tantum concedimus poſſe immo & debere à fidelibus, quorum cognatio aut civitas infidelis aut hæretica, teſtamentarios Tutores dari, aut Suſceptores adſciſci, qui poſt exceſſum ſuum educationem ſuorum in fide ſuſcipiant. Hoc tamen cavendum, ut poteſtas in Suſceptores tranſlata rata ſit legibus, aut privilegio, aut indulto illius Reipublicæ, in quâ *vivimus.* Si ſecus; omnia fruſtra ſtipulamur. Poſſet enim Tutores ſive legitimi ſive dativi, à vera religione alieni pro arbitrio ſuo agere: & non quod Parentes teſtamento caviſſent. Siquidem in foro ſoli valet illud: *juſtè poſſidet, qui volente Prætore poſſidet.* Cautè quidem & prudenter Eccleſiæ orthodoxæ Bohemicæ conſtituerunt, ut Parentes baptizandorum à Miniſtro interrogati advocatis *Teſtibus pro Compatribus & Commatribus jus conferant, prolis ſuæ in fide & religione Chriſtianâ, totoque fœderis cum Deo iniit negotio, inſtituendæ: adeoque ſui quoque, ſi negligentiores in officio liberos inſtituendi fuerint deprehenſi, admonendi & increpandi: & viciſſim Suſceptores illis promtitudinem ad eam rem polliceantur*, &c. *& ſe obligent.* Hæc ſane non inepta ratio adhibendi Suſceptores: ſi modo Reſpublica aut approbationem ſuam, aut ſaltem edicto ſtabilitam tolerantiam adjiciat. Abſque illâ enim omnia fruſtra eſſent: ſiquidem Tutores legitimi aut dativi, aut ipſa Reſpublica de parvulorum Orphanorum educatione pro arbitrio ſuo ſtatuere

Digitized by Google

velit; aut Patribus adoptivis, ſi qui ſe juxta antiquum jus Romanum offerrent, hoc à Principe aut Republicâ concedatur. Abſque tali conſtituto ordine in caſſum Suſceptores conſuetudine magis, quam ratione paſſim advocantur: ne dicam, baptiſmalia & dona, & convivia, aliaque pompatica (de quibus *Vicecomes Lib. 5. c. 47.*) apud multos eſſe ἱερὰ; & educationem in fide, quam Parentes & Suſceptores in Baptiſmo confitentur ac promittunt, eſſe πάρεργα, aut fere nihil. Jeſuita *H. Fitz. Simon Lib. 3. Britannomachiæ Miniſtrorum cap. 4. p. 295.* litem intentat reformatis de ſuſceptoribus: ubi lemma capitis: *An Suſceptores admittant Reformati, vel ſpernant, vel admittant aliqui, ſpernant aliqui.* Citat ibi Calvini Epiſt. ad Farellum & Olevianum, quod Genevæ Patres jubentur adeſſe, niſi quid negotii impediat, *ut ſtipulationi reſpondeant una cum fidejuſſoribus.* Rectè: idem obtinere in Belgicis, aliiſque Eccleſiis, conſtat ex *Liturgiis, Statutis eccleſiaſticis*, & variis *Synodorum Decretis.* Sed parem neceſſitatem fidejuſſionis Parentum (ſiquidem ſuperſint) ac Suſceptorum *Calvinus* non docuit: multò minus ſubſtitutam fidem Suſceptorum, ejuſdemque confeſſionem & promiſſionem nomine ac in perſonâ Infantis factam: minimè omnium, cognationem ſpiritualem ex hâc ſuſceptione, contractam: nec extendit poteſtatem Suſceptorum ad Infantes quoſdam Ethnicos, invitis aut inſciis Parentibus ad Baptiſmum offerendos, interpoſitâ ſuâ qualicunque ſponſione. Suam fidem quam habent & tenent Parentes ac Suſceptores (non Infantis fidem, quæ nulla tunc eſt) quique profitentur; atque una in ſe ſeu pro ſe quique ac in ſuâ perſonâ & ſuo nomine promittunt, ſe Curaturos ut Infans ille, qui nunc Baptiſmi, & fidei Chriſtianæ nullam actualem cognitionem habet, in fide Chriſti inſtituatur. Et hoc eſt quod Calvinus volebat, cum ſcriberet in Epiſtol. ibid. cit. *Si nemo fide jubet, profanari Baptiſmum.* Fidejubeant Parentes, aut illis defunctis Avi & Aviæ, ad quos primò cura educationis juxta jus divinum ac naturale ſpectat, & propter defectum ſuſceptorum nec Calvinus cum Genevenſibus, nec ulli alii Reformati parvulos à Baptiſmo arcebunt. Omnibus illis defunctis, promittant Suſceptores, quibus Parentes Chriſtiani (uti hoc requirit ordo Eccleſiar. Bohemicar., & Decretum Eccleſiar. Gallicar. in Synodo Pictavienſi anno 1560): Denique, ſi tales Fidejuſſores & Curatores haberi nequeant, ſpondeat ipſa Eccleſia, ſeu Synedrium, & curam illam in ſe ſuſcipiat. Quod *Fitz. Simon ibid.* impingit Puritanis, quos à Formaliſtis diſtinctos hoc nomine appellat, quod *mentiantur*, cum ſtatuunt *Patrinos eſſe ſolos Teſtes:* facit pro candore & modeſtiâ ſuâ. Qui dicit eſſe eos Teſtes, is nihil novi dicit. De Teſtibus Baptiſmi Infantum, ne adulti propter ignorantiam, aut dubitationem denuò baptizentur, ipſi Pontificii antehac commentati ſunt: vide *Deciſionem S. Congr. Cardinal.* ſupra exhibitam, &

Digitized by Google

„ & *Vicecomitem Lib. 1. cap. 37.* Teſtes, inquit, in Baptiſmo adhibendos eſſe „ Eccleſia, Apoſtoli autoritate confirmata, certum & exploratum ſemper „ habuit, ita enim ille ad Timotheum ſcribit 1 Timoth. 6. *confeſſus es bonam confeſſionem coram multis Teſtibus*, &c. Qui autem Suſceptores advocari dicit tanquam Teſtes Baptiſmi, ille eo non negat advocari etiam tanquam Curatores, Adjutores, Fidejuſſores, quod ad Infantis educationem in fide: ſiquidem Parentes deficiant aut non ſufficiant.

2. *Quæſt. An ſiquidem quis Suſceptores aſſumere velit, alios eligere poſſit, quam doctrinâ orthodoxos & vitâ inculpatos? Reſp. Neg.* communiter Pontificii & Noſtri. Idque probatur ex principali munere ſeu opere Suſceptoris, quod eſt curare in caſu obitus Parentum, aut ab alienationis eorundem ab orthodoxâ religione, ut Infans in eâdem educatur. Quod rite promittere, aut exequi non poteſt, niſi Parentes Infantis volentes in Baptiſmo aut ante Baptiſmum communicent Suſceptoribus aut in eos transferant talem poteſtatem, juxta ordinem Eccleſiæ Bohemicæ & Gallicæ ſupra indicatum; & quidem approbante non tantum Eccleſiâ, ſed & politiâ talem ordinem, aut ſaltem ejuſdem ordinis publicam permiſſionem. Ex Lutheranis *Joh. Gerhardus in Loc. Comm.* & cum eo Prucknerus Quæſt. 55. concedit heterodoxos eſſe admittendos, *ſi ſanabiles ſint, & in iis ſpes converſionis affulgeat; non ſunt admittendi, ſi obſtinaces* (lege *pertinaces*) *ſint, nec eccleſiam admonentem audiant* Math. 18. v. 17. Si de Parentibus ſuos ad Baptiſmum offerentibus hoc dicatur, quibus Jure divino & naturali Infantium cura & educatio competit, aſſentior. Sed de Suſceptoribus non ita aſſentior; niſi forte ſint Avus, Patruus, Avunculus, qui Parentibus in hac ſuccedaneâ curâ eſſent proximi. Nam quæ ratio ſuadet, ut Parentes aſſumant eos, qui ipſi in viâ aut vix in viâ ſunt, & ipſi inſtitutione in fide orthodoxâ indigent; & de quorum orthodoxię ſuſceptione nihil certi ſibi polliceri poſſunt.

3. *Quæſt. Quid ſi Hæretici blaſphemi, notorie impii,* &c. *eligantur, an Eccleſiæ admittere tenetur? Reſp. Neg.* & rectè hoc negant *Balduinus, in Caſibus*, ac cum eo *Prucknerus Quæſt.* 56. Qui idem *Quæſt.* 52. cum *Conſil. theologico* apud *Dedekenum vol. 1. part. 2. pag.* 119. hanc cautelam ſuggerit, ut parens teneatur ante Baptiſmum Suſceptores Paſtori indicare, atque ita omnis ἀτοπία prævenietur. Rationes nobis ſint iſtæ. 1. *quia* tales munere jam explicato ritè fungi non poſſunt; nec Parentes iis tale committere. 2. *quia* Eccleſia profanationem Baptiſmi à Parentibus tales Suſceptores adducentibus commiſſam, probare videretur: ſiquidem eos non arceret.

4. *Quæſt. Quid ſi tamen, non obſtante præmonitione Paſtoris, aut Synedrii Parens tales adduceret, aut ipſi ipſi ſe ἀτόποις ingererent, aut rigido Magiſtratus juſſu pertinacem Hæreticum, aut extremè impium admittere cogeretur? Reſp.*

Digitized by Google

tertium casum proponit *Pruckerus Quæst.* 59. & cum *Joh. Gerhardo in Loc. comm.* & Konigh in Casib. catecheticis respondet: rejiciendum esse, si *citra* „ *Ecclesiæ periculum fieri queat:* sin minus, admittat, sed *solenni cum protesta-* „ *tione*, quæ tollit scandalum, & Ministri conscientię satisfacit. Satius enim „ est interdum *in re adiaphorâ* Magistratui cedere, quam Ecclesiam in discri- „ men constituere, ubi ipsius orthodoxiæ jactura metuenda sit, & Pastore „ orthodoxo rejecto heterodoxus substituatur. Quid si distinguatur inter hæreticos verè sic dictos, quales Arriani, Photiniani, illisque affines; & inter eos qui *Joh. Gerhardo*, aliisque Lutheranis Theologis tales dicuntur, revera tamen non sunt, e. gr. Reformati, quos Calvinistas vocant. *De prioribus* videtur ampliandum, & penitius considerandum, an non aliquo in casu pręter protestationem, exsertè dicendum à Ministro, se acceptâ solâ sponsione Parentum orthodoxorum, & relectâ sponsione hæreticorum aut extremè impiorum sponsorum non-sponsorum, infanti Baptismum conferre. *De posterioribus*, omnino nostri Reformati eos, securos esse & præstare deberent: nec hoc ferre, nedum procurare, ut Ecclesiâ Lutheranâ invitâ, Pastor à Magistratu cogatur Baptismum administrare sub sponsione eorum, quos ille judicat Hæreticos; quam tamen sponsionem Parentes Infantis à Susceptore, præstari nolint, & ipse Susceptor sciat, se non præstiturum. Præstaret totum illud Susceptorum munus hoc in casu omitti; aut alteri Pastorali Lutherano, si quis forte in conscientiâ non gravaretur reformatum Susceptorem admittere, infantem baptizandum offerre. In duobus prioribus casibus, putem protestationem sufficere; non tamen sine eâ Baptismum conferendum. Video tamen à *Philippo Hanen p.* 43. & *Theologis Tubigens. ibid. cit.* distingui inter rigidiores & moderatiores Papistas. Sed frustra.

5. *Quæst. Quid si vocati ad patrinatum hæretici, aut notoriè seu extremè impii, non quidem ipsi compareant, sed per Procuratores orthodoxos & probos, hoc agant? Resp.* Non magis ordini satisfieret, quam si quis extraneus & quidem improbus consulatum, aut munus senatorum susciperet per Civem honestum, tanquam suum Procuratorem. Ecclesiæ Gallicæ in Synodo Vitriacensi anno 1617. „ statuerunt, Parentes, qui in Susceptores seu testes Bapti- „ smi assumunt Papistas, per Procuratores reformatos Infantem baptizan- „ dum offerentes, & confessionem religionis reformatæ edentes, censuris ec- „ clesiasticis, unà cum Procuratoribus esse inhibendos. Interim seriò disquirendum offero, an liberis quorundam hæreticorum & fanaticorum, quales inter enthusiastas & libertinos Davidici, Henrico-Nico laitæ, & similes, applicari non possit illud *Bezæ in Quæst. & Resp. part.* 2. *qu.* 134. Nisi ipsi Paren- „ tes Judæi aut Mahumetani falsam suam religionem ejurarent, & ipsi- „ met jam baptizati, aut Baptismum petentes soboli suæ Baptismum peterent,

Digitized by

„ terent, etiamsi mille adessent Sponsores, Baptismum tamen Infanti recusa-
„ rem.

6. *Quæst. An ætate minores? Resp. Neg.* Ipsi enim tutelâ & curâ aliorum indigent in fidei institutione. Quod si in temporalibus non admittuntur minoremes ad tutelam (*L.* 1. & 2. *Minor.*) quomodo admittentur in spiritualibus. Videtur puerorum præsertim Principum & Magnatum, patrinatus, ob munera, aliaque commoda de hoc sæculo sive præsentia sive sperata introductus aliquam cognationem habere cum canonicatuum, episcopatuum, abbatiarum, & regalium sacerdotiorum collatione; quâ pueri, si non infantes, in regno Papali gaudere solent.

7.° *Quæst. An rogatus, munus Susceptoris, recipere teneatur: præsertim cum Baptismus administratur in Ecclesiâ Pontificiâ, aut in cœtu Remonstrantico? Resp.* ad poster. De Baptismo Pontificio concedit *Balduinus Lib.* 2. *cap.* 11. *cas.* 10. & cum eo *Pruckerus Quæst.* 54. hâc tamen conditione, si Infans quadante-
„ nus in potestatem nostram tradatur, & accedat solennis protestatio, sibi
„ cum doctrinâ ipsorum nihil esse negotii, & se hoc facto nihil aliud velle,
„ quam de Infantis Baptismo testari. Sed Nos negamus: Quia jam secessimus ab Ecclesiâ Romanâ ob justas rationes ex *Apocal.* 18. *v.* 4. & 2 *Corinth.* 6. & 1 *Corinth.* 8. & 10. &c. alibi adductis. Nullam itaque cum pollutis eorum sacris, communionem amplius colimus: specialiter superstitione & hæresi contaminatis eorum sacramentis nos immiscere, & hac ratione externam quasi istius religionis professionem præ nobis ferre aut simulare non debemus. Nec etiam illi nostros, ex hypothesi suæ doctrinæ, tanquam Susceptores admittere possunt. Quod autem *Balduinus & Pruckerus* putant sufficere correctorium illud protestationis, &c. mihi non fit verisimile: quia Susceptoris munus, ad quod quis à Parente Pontificio vocatur, in solo testimonio de Baptismo non consistit, secundum Pontificios, Lutheranos & Nostros: ut supra ostensum est. Accedit, quod protestatio contraria facto, nulla est: sicuti illorum qui idolothytis vescebantur in idoleio accumbentes 1 Corinth. 8. *Scimus quod idolum nihil est*, &c. Sed excipitur hic 1. *Except.* per Vicarium aut Procuratorem religionem Pontificiam, & sacra illorum frequentantem, posset fieri. *Resp.* tantundem est: juxta regulam juris, *Quod quis per alium facit, per se facere putandus est.* Accedit, quod per conscientiam melioribus imbutam non licet viro pio alicui mandatum imponere, ut suo nomine aut suo loco, illic agat & respondeat quæ ipse ob conscientiam Dei ita agere aut respondere, aut quibus se immiscere nollet. Considera 1. Thessal. 5. *ab omni specie mali abstinete*, 1 *Corinth.* 8. & 11. de idolothytis & votum valedictorium Lutheri in Synodo Smalcaldicâ: *Opto vobis perfectum amorem Christi, & perfectum odium Papæ.* 2. *Except.* Ergone negare liceat

Digitized by Google

liceat petentibus, prę ſertim cognatis, affinibus, neceſſariis? & occaſionem oblatam aliquid boni aliquando circa Chriſtianam infantis educationem præſtandi? *Reſp. Balduinus Lib. 4. c. 11. caſ. 11.* & *Konigh in Hept. miſcellan.* & cum iis *Prucknerus Quæſt. 60.* concedunt officium Suſceptoris honeſtè poſſe recuſari, ſi ſcil. recuſationis ſolidæ & ſufficientes in promtu ſint rationes, ut 1. trinitatis impugnatio. 2. orthodoxiæ noſtræ tentatio. 3. aliorum offenſio. 4. baptiſmi alibi locorum ſuſcepti certio-ratio. Adde & 5. ſi ſubdolę ſolum negotiationi & turpi mendicationi Baptiſmum ac patrinatum ſubſervire faciant. 6. Si quis per imbecillitatem, corporis aut animi, aut ingraveſcentem ætatem, aut ſervitutem, quam ſervire cogitur, fortunæ tenuitatem aut per alias tutelas, aut ſuſceptos patrinatus; aut frequentiam Liberorum & Nepotum, curæ & muneri Sponſoris vacare & conſequenter bonâ fide coram Deo & Eccleſiâ promittere non poſſet. Rationem 2. & 3. velim huic præſenti caſui applicari, & addi rationes ſupra allatas: quas arbitror ſufficere. Si quis plures & magis diductas requirat, is adeat *Polanum Lib. 6. Syntagm. cap.* LV. ubi 13. rationibus probat non debere Infantes Reformatorum Pontificio Sacerdoti baptizandos offerri: quibus iiſdem rationibus ut notat *ibid.*, prohibentur à patrinatu in adminiſtratione Baptiſmi inter Pontificios. Iiſdem ſubjungit hanc unam, Quod non *poſſint ſine ſcelere ſe obſtringere ſponſionibus impiis, quas patrimi in Papatu facere tenentur, & majori ſcelere ſponſiones illas adimplerent.* Sed exciperent illi Parentes, à quibus invitantur ad patrinatum, ſe facile impetraturos (mediantibus illis) ut Sacerdos in gratiam Patrini Reformati, & ſponſiones & alia, quæ ipſum offendere poſſent, prętermittat. Inhæremus ergo rationibus, quibus juſta ſeceſſio à communione Romana perſuadetur, & reditus ad illam aut ſyncretiſmus cum eâdem diſſuadetur. De quo *Part.* 3. ſuo loco agendum.

8. *Quæſt. An Suſceptores vi ſponſionis ſeu promiſſionis in Baptiſmo præſtitæ teneantur ad ψυχικὴν baptizatis ſuppeditandæ, aut τὰ βιωτικὰ ipſorum loco Parentum defunctorum curanda? Reſp. Neg.* niſi præter patrinatum, quo obligantur ad curam educationis in fide, tutelam in ſe ſuſcepiſſent, aut peculiari aliquâ promiſſione ad curam τῶν βιωτικῶν ſe obſtrinxiſſent. Moribus Eccleſiæ monachis patrinatus erat prohibitus, apud *Gregor. M. Epiſt. 40. lib. 3.* Et in *Concil. Altiſidor. Can* 25. Et in *Jure Canonico* 16. *qu.* 1. *c.* 8. ubi *Decretum Eugenii tertii.* Et in *Jure Canonico Græcorum lib. 6. Juris Græco-Romani Lib.* 2. *quæſt.* Certè ut Monachi e. gr. fratrum aut proximorum cognatorum filios, in fide inſtituant, ac tale quid in Baptiſmo eorum promittant, non videtur ita cum inſtituto ipſorum pugnare, ac quidem totalis cura & educatio. Quia curis & pragmatiis hujus ſæculi ſequeſtratis, exercitiis pietatis & ſtudio ſacrarum literarum, ex veteri inſtituto, ſe dabant, & ordinariò intra clauſtri ſepta ſe continebant.

Digitized by Google

nebant; juxta illud Antonii Monachorum Patriarchæ: *Monachus extra cellam, ut piſcis extra aquam.* Alioquin tempore *Auguſtini* expoſititios infantes à ſacris virginibus colligi & ad Baptiſmum offerri, non erat tam inſolens; ut ipſe teſtatur *Epiſtol.* 23. *ad Bonifacium.*

9. *Quæſt. An tantum duo ad ſummum Suſceptores compater ſcil. & commater ſint admittendi? Reſp.* Ita quidem determinat *Concil. Tridentin. Seſſ.* 24. *de reform. Matrim. c.* 2. Nos nullam hujus determinationis rationem videmus; niſi in phantaſtico Jure de cognatione ſpirituali: ne ſcil. illa ad multos ſe diffunderet, & ſic nimis multa conjugia forent prohibita. *Decreto Leonis* tantum unus aut una admittebatur: Et hoc inſertum *Juri Canonico Can.* 101. *non plures de conſecr. diſt.* 4. & ante Gratianum à *Burchardo* Wormatienſi (qui floruit anno 1020.) inſertum *Decretis ipſius Lib.* 4. *cap.* 25. Et hæc quidem jure antiqua. Nolim diffiteri duos poſſe ſufficere, immo & unum, immo & nullum: modo offerant & promittant parentes, aut alteruter eorum, quorum præſentiam noſtrarum Eccleſiarum conſuetudo, juxta cum Statutis & Synodorum Decretis, omnino poſtulat. Illi enim ſuos offerre tenentur, ipſorum fides & profeſſio ſignum nobis eſt; Infantem tanquam ſacro fœdere contentum, eſſe fœderali hoc ſigillo obſignandum. Quos è contra Pontificii per ſua canoniſtica de ab hoc officio offerentium ſeu Suſceptorum excluſiſſimos faciunt. *Can. penult. & ult.* 30. *qu.* 4. quos ad hujus probationem citat *Vallenſis in Paratitlis Decretalium lib.* 3. *tit.* 42. §. 4. quamvis in explicatione ejus laboretur, ut videre eſt in gloſſis, *& in Notis Corporis canonici juſſu Gregor.* XIII. *emendati.* Atqui Parentibus & quidem ſolis Jure divino tribuendum, non adſcititiis Suſceptoribus, quod tales parvuli ipſorum fide & profeſſione, tanquam ſigno divinitus poſito, ſancti habentur, & baptizantur: alii contra, quorum Parentes infideles ſunt & infidelitatem profitentur, à Baptiſmo excluduntur, tanquam immundi 1 *Cor.* 7. *v.* 14.

10. *Quæſt. An Suſceptores cum baptizato & Parentibus ejus, aut etiam ſecum invicem contrahant cognationem ſpiritualem: per quam conjugia tanquam inceſta prohibeantur. Reſp.* Ita quidem determinatum in *Jure canonico*, Causâ 30. *qu.* 3. & 4. Et in *Lib* 4. *Decretalium* peculiaris exſtat *Titulus* (21. ſcil.) de *cognatione ſpirituali*; idemque in *Sexto Lib.* 4. *tit.* 3. Ubi etiam determinatur, ex ſuſceptione in catechiſmo, & confirmatione contrahi cognationem ſpiritualem. Hic videas Canoniſtas in delineandâ arbore conſanguinitatis, & variis quæſtionibus ac dubiis expediendis laborare. Inter alios *Johannes Andreas in Summa ſuper* 4. *Decretal.* ſufficere poterit ad guſtum aliquem iſtorum figmentorum Noſtris dandum. Cognatio, inquit, eſt; triplex ſpiritualis, carnalis, legalis, per adoptionem ſcil. *Spiritualis* ab illo definitur, quod ſit *attinentia proveniens ex ſacramenti datione, vel ad illud detentione:* Ejus tres ſunt ſpecies ſeu gradus: *Prima* dicitur *compaternitas*, quæ attenditur inter

Digitized by Google

ſpiritualem Patrem pueri & carnalem. *Secunda* dicitur *paternitas*, quæ attenditur inter baptizantem & baptizatum: ſive inter illum, qui ſuſcipit, & eum qui ſuſcipitur; ſive ſit maſculus vel fæmina. *Tertia* dicitur *fraternitas*, quæ attenditur inter filium tuum ſpiritualem, & filios tuos carnales. *Ibidem* explicatur, quod in *tribus duntaxat ſacramentis* (ſic loquitur libellus anonymi de arbore cognationis ſpiritualis) contrahatur, catechiſmo ſcil., Baptiſmo, & confirmatione: unde & qualiter contrahatur; & quis ſit cujuſlibet ſpeciei effectus, quando ſcil. conjugium prohibeat, tantum; aut inſuper jam initum diſſolvat. Forraginem quæſtiouum, quæ ſuper hâc cognatione à Canoniſtis & Caſuiſtis antehac moveri ſolent, hic non exhibeo; quod per *Concilium Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 2. & *Bullam Pii* V. anno 1566. multum contracta ſit dicta cognatio: adeo ut nunc tantum contrahatur à Suſceptoribus & à baptizante cum baptizato & Parentibus ejus; & Vir cum Uxore ſuâ ſimul eo officio fungi poſſit: quod in *Jure Canonico causâ* 30. *qu.* 4. *can. quod autem* expreſsè prohibitum erat. Videat, qui harum rerum curioſus eſt Declarationes *S. S. Congr. Cardinalium, & additiones, remiſſiones*, quæ cum *Decretis Concilii Trident.* ab anno 1633. excuſæ ſunt; & *Barboſæ Collectanea Bullarii*, &c. *in voce cognatio*, &c. & *Thomam Zanchez. Lib.* 7. *de Matrimonio diſp.* 54. Ubi inveniet ſuper hac cognatione, quamvis jã contractiori, ſequentes quæſtiones proponi: An ſpecies cognationis ſpiritualis inter Baptizatum, & Filium Filiamve Suſceptorum per Concil. Trident. ſit ſublata. An ille, qui tanquam teſtis ſolummodo inter fuit, neque ſuſcepit, levavit, vel ſimile miniſterium præſtitit, contraxerit cognationem. An Epiſcopus poſſit concedere licentiam ut duo Viri, loco Viri & Mulieris, ſint Suſceptores. An Procurator Suſceptoris contrahat ſibi cognationem, an vero mandanti. An cognationis ſpecies à Concil. Tridentino definitæ pertineant tantum ad matrimonia contrahenda non ad contracta diſſolvenda. An qui præſens tantum fuit in Eccleſiâ cum in Infante domi baptizato implerentur ſolennitates, cognationem contraxerit. An plures contrahant, ſi non conſtet, an ſint electi ad compaternitatem, & tamen omnes baptizatum tenuerunt. An Commater, quæ juxta conſuetudinem loci non levat aut tangit infantem, niſi cum poſt Baptiſmum ei traditur à Compatre, contrahat: An cognatio ſpiritualis à Viro contracta, eo quod aliquem tenuerit in Baptiſmo aut confirmatione, transfundatur ad Uxorem, vel econtra Utrum, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, teneatur ad ejus inſtructionem. An per Curatorem vel Nuntium ſpecialiter deſtinatum contrahi poſſit, hæc cognatio. An Religioſi in utroque ſacramento poſſint eſſe Suſceptores. An ſi Petrus ſuſcipiat Filium Paulæ adhuc infidelis, & hæc poſtea baptizetur, poſſint validè contrahere. An Infans poſſet eſſe Suſceptor. Utrum hanc cognationem contrahat, qui alium ſuſcipit in Baptiſmo non ſolen-

ſolenni. An cum Infans urgente neceſſitate domi baptizatur ſine ceremoniis, & poſtea in templo eædem ceremoniæ adhibentur, illic contrahatur cognatio à ſuſcipiente, non autem hic. An debeant eſſe carnales ſive legitimi ſive illegitimi. Utrum ſi Parochus, ex his, quos Parentes deſignârunt, unum ſolum admittat, amboque nihilominus Infantem ſuſcipiunt, contrabat repulſus à Parocho cognationem. Si Parochus non admittat deſignatum à Parentibus baptizandi, & alium caſu in Eccleſiam ingredientem, vocaverit, ut baptizatum Puerum ſuſciperet ac tangeret, an cum eo contrahatur ſpiritualis cognatio. Si in libro Curati ſint deſcripti duo Compatres vel Commatres, non certificando quis eorum ſit verus Compater, an ratione incertitudinis prohibeantur ſine diſpenſatione matrimonium contrahere inter ſe. Quod ſi nulli Patrini deſignentur, an omnes Suſcipientes contrahant cognationem. An tactus ſit de ſubſtantiâ, ita ut eo deficiente compaternitas non contrahatur. Utrum Parochus peccet mortaliter, ſi ejus culpâ plures adhibiti aut deſignati ſint. An unus tantum vel una in confirmatione debeat eſſe Suſceptor. An per hæc verba Concil. Trident. *(omnibus inter alias perſonas, &c. impedimentis omnino ſublatis)* cenſeatur ſublatus catechiſmus, ſeu cognatio quædam ſpiritualis nata ex catechizatione baptizati. Vides, ſpecimen quæſtionum & caſuum conſcientiæ, circa quos laborat *SS. Congr. Cardinalium*, & inter ſe certant Caſuiſtæ *ibid.* in remiſſionibus, & in *Collectaneis Bullarii* autore *Auguſtino Barboſa*. Multò plures ex *Thoma Zanchez Lib. 7. Diſpp. 54. - 63.* adhuc addi poſſent, ſi Lectorum faſtidium non metuerem. Unam ſolummodo quęſtionem, quam tractat *Zanchez*, *Diſp.* LV. *Sanctitatis Eccleſiæ* & Cleri Papalis indicem, hic fas ſit indicare: An ſi Sacerdos in ipsâ confeſſione ſolicitaret pœnitentem ad peccatum luxuriæ, & ſic confeſſione illâ ut medio uteretur ad hoc peccatum perpetrandum; per ſacramentum pœnitentiæ contrahatur aliquid cognationis vinculum; atque adeo peccato huic inſit ſacrilegium, & aliquis inceſtus: quæ circumſtantia mutet peccatum, & ejus confitendæ neceſſitatem inducat. Conferri poterunt de hâc confeſſionali ſanctitate Romanâ *Rivetus in Decalogum ad 7. Præcept.* Idemque *in Myſteriis Patrum Jeſuitarum* ſub nomine *Renati Veridei*, *Molinei Novitas Papatus*, *ejuſdemque Tract. de Traditionibus Eccleſiæ Romanæ*, ubi ad ſingula Decalogi præcepta Caſuiſticam hanc ſanctitatem deſignavit; *Jacobus Capellus* peculiari tract. a. 1619. tit. *Sedis Romanæ poteſtas, ſanctitas, fides.* Et Serboniſtæ à me antehac cit. de Jeſuitarum doctrinâ Caſuiſticâ, nominatim de vaſto & horribili libro *Thomæ Zanchez de Matrimonio*. Denique *Anonymus* aut anonymi (puto eſſe Sorboniſtas) in tractatulo, cui tit. *Theologia moralis Jeſuitarum contra bonos mores Chriſtianorum in genere* 1645. *in* 4. ubi utramque fere paginam facit *Stephanus Baunii* Jeſuita, *in Summâ peccatorum*, & in *Tract. de Sacramentis*.

V. *De impositione nominis*, quæritur, quando, à quibus, quę sint imponenda; & an mutanda? Præsupponimus hominibus singulis singula nomina imponenda; ut per ea distinctio aliorum ab aliis in humanâ societate innotescat, quotiescumque aliquid de iis vel vivâ voce vel scripto pronuntiatur sive in judicio, sive extra judicium, aut ii vocantur, aut iis quid imperatur, aut quocumque modo inter se contrahunt. Ita ut impositio nominum tum secundum species tum secundum individua. præsertim humana, sit juris divini & naturalis; Jus naturale deducitur ex necessitate vitandę confusionis; & usu naturali, communique experientiâ. De jure divino, videnda loca *Genes.* 2. *v.* 19. 20. & 17. *v.* 5. *Math.* 1. *v.* 21. *Luc.* 1. *v.* 31. & 2. *v.* 21. Sit ergo,

1. *Quæst. Quando nomen sit imponendum? Resp.* Adiaphorum est, & arbitrio Parentum relictum, ut ante nativitatem, etiam ante conceptionem de eo (sed conditionaliter, quomodo Mater Samuelis de ipsius educatione & ministerio 1 *Sam.* 1. *v.* 11.) deliberent aut statuant, aut statim à nativitate, aut paulo post, aut in proximâ præparatione ad Baptismum, aut in ipso Baptismo; quod postremum tamen commodè vix fieri posse credendum est. Mater enim ut plurimum puerperii lecto affixa tunc est: sine cujus consilio & consensu ut à solo Patre ex tempore istic decerneretur, non uno modo absurdum esset. Sunt qui ipsi Baptismo affigendam aut cum eo conjungendam censent nominis impositionem ex *Luc.* 2. *v.* 21. atque hâc occasione illius combinationis, ex nomine quo quis nominatur, usus practicos & tropologicos eliciunt. Non defuit aliquando, qui traditionum humanarum, consuetudinum non scriptarum, ecclesiasticarum de circumstantialibus quibusdam cultus publici constitutionum necessariam observantiam ex professo, non sine zeli & contentionis ostensione demonstraret, ex exemplo Josephi & Mariæ; qui illam consuetudinem de impositione nominis in circumcisione, nusquam lege Dei præscriptam piè observabant. Quod novum ἄνυμον, non memini ab ullis Postillistis, aut Commentatoribus, Concionatoribus, quos hactenus licuit audire & inspicere, observatum fuisse. Unum inter Reformatos & postillarum Scriptores suo tempore satis celebrem, *Joh. Spangebergium* video apertè negare nominis impositionem in circumcisione factam. Et rectè: quia in ipso textu hoc negatur, cum dicitur, nomen hoc ab *angelo fuisse vocatum, priusquam ipse in utero conciperetur*. Et hoc solum sufficeret commento huic eadem facilitate rejiciendo, quâ profertur. Addamus tamen ex abundanti Luc. 1. v. 31. *& vocabis nomen ejus Jesum*. Hoc Mariæ dictum antequam conciperetur in utero. Math. 1. v. 21. *pariet filium & vocabis nomen ejus Jesus*. Hoc Josepho dictum cum conceptus esset, sed nondum natus. Similiter Johannis Baptistæ nomen non fuit datum in circumcisione, sed jam ante datum erat antequam

quam conceptus eſſet *Luc.* 1. *v.* 13. Iſmaeli & Iſaaco ſimul ac nati eſſent, nomen fuit impoſitum, non vero tempore circumciſionis. *Geneſ.* 16. *v.* 15. & 21. *v.* 3. 4. Itidem Eſauo & Jacobo *Geneſ.* 25. *v.* 25. 26. Similiter Rubeni, Judæ, aliiſque Patriarchis eorumque filiis *Geneſ.* 29. & 30. & 38. & 41. *v.* 51. 52. Nec prętereunda impoſitio nominis Benjamin, & Icabod, quæ procul omni dubio facta ante octavum diem, in quem incidebat circumciſio. Accedit & hæc ratio, quod abſurdum ſit dicere infantes in V.T. ante circumciſionem, & pueros, adultos in N. T. ante Baptiſmum eſſe anonymos: præſertim cum ob præſentem neceſſitatem, aut alias juſtas rationes aliquamdiu differtur Baptiſmus. Certè communis experientia contrarium evincit, & ratio neceſſaria, quâ diſtinctio perſonarum in quavis hominum ſocietate politicâ, eccleſiaſticâ, domeſtica, per nomina cujuſque propria attenditur. Tantundem eſſet, ac ſi Reges, Principes, Dynaſtæ, Toparchæ, qui jure ſucceſſionis aut electionis ſunt tales, Regum, Principum, &c. nomen non haberent, ante ſolennitatem ac pompam coronationis. Diſtinguenda eſt ergo datio nominis quæ fit per primam ejus impoſitionem; à datione nominis, quæ fit per impoſiti & appropriati nominis profeſſionem, indicationem & promulgationem: quæ neceſſaria eſt non minus in circumciſione, quam in quavis alia oblatione, admiſſione, receptione, immatriculatione. Sic olim Candidati nomen ſuum dabant conſulibus; & in civium numerum adſcribi cupientes; nomen ſuum profitebantur. De quo *Cicero in Orat. de petitione conſulatus*, & in *Orat. pro Archiâ.* Et talem proprii nominis profeſſionem ante Baptiſmum à competentibus factam, ut baptizandorum munerus & qualitas cognoſceretur teſtimoniis allatis probatur à *Vicecomite Lib.* 2. *cap.* 12. Sed quid probationibus opus, cum communis experientia doceat nomina baptizandis non temere aut caſu, ſed conſilio imponi, eaque jam ante à Parentibus impoſita indicari baptizantibus, atque ita publicè coram Eccleſiâ promulgari: ut ſciri poſſit quis ὁ δῶνα, qui Eccleſiæ adſcribitur, & ejus externæ communioni per ſignum Baptiſmi inſeritur. Hoc ſaltem conſtat, impoſitionem nominis certo tempori aut diei tanquam luſtrico nec conſuetudine non ſcriptâ, nec lege divinâ, nec ſtatuto Eccleſiaſtico, ſive in V. ſive in N.T. aſtringi; nedum ut ex facto Joſephi & Mariæ *Luc.* 2. *v.* 21. nomen imponentium (uti hoc contra exſerta verba textus fingitur) lex divina ceremonialis aut moralis, aut ſtatutum eccleſiaſticum Eccleſiæ Judaicæ à piis tunc temporis obſervandum per aliquam conſequentiæ ſpeciem educi poſſit: ad adiaphora ſcil. aliqua, quæ ita vocare ſolent, tanquam ad bene eſſe Eccleſiæ neceſſaria, & in Eccleſiis retenta, aut in eas reducta contentiosè urgenda; ut aliis ſcil. ægrè fiat, & illi tanquam novatores ac rebelles in ordinem & autoritatem Eccleſiæ, publicè coram populo proſtituantur. Octiduo ante in con-

cione de nativitate Christi ad *Luc. 2. v. 1.-8.* occasione temporis ἀληθοῦς, quo Christus natus, dictum erat festum anniversarium nativitatis Christi, malè fundari à Pontificiis in præsuppositâ temporis definitione, die scil. 25. Decembris; cum hoc plane incertum sit. Addebatur, esse talem dicti festi observationem non divini sed humani instituti & moris, tolerati & retenti à Nostris Belgicis, aliisque Ecclesiis Reformatis, modo & fine, &c. Hæc dicebantur, & semper ab eodem pro concione in explicatione textuum *Luc. 2. v. 1. Actor. 2. v. 1.* absque ullâ offensione, aut cujusquam oblocutione, ita dicta fuerant, immo & scripta: in *Dispp. de Tempore nativitatis Christi*, Et *de Sabbatho & Festis.* In hanc consuetam illi Concionatori monitionem & cautionem, sed pro captu aut affectu dicentis interpolatam aut formatam, incurrebat, extravagans & quæsita digressio de dictis festis quamvis non jure divino, ecclesiastico tamen institutis, observandis ac retinendis, nec ab ullâ ecclesiâ abolendis, aut mutandis nisi per Synodum Nationalem, cujus autorirate constituta & nobis præscripta erant. An hic fuerit status controversiæ & an ejusmodi thesis pro concione proposita 25. Decembr. in explicatione historiæ nativitatis Christi, cui antithesis & dissertatio opponentis κατ' ἀλήθειαν responderet: judicent, qui *Dispp. meas* modo *cit.* inspexerint; à quibus ea quæ unquam in Ecclesiâ & Academiâ à me tradita sunt, ne latum quidem unguem discesserunt. Quidquid de facto & intentione opponentis sit, saltem constat infeliciter nimis, supra Pontificios hâc in parte, illos θεολογεῖν, qui & impositionem nominis in circumcisione extra ac præter legem Dei scriptam, ab & in Ecclesiâ V. T. piè ac congruè statutam atque observatam fuisse ex *Luc. 2. v. 21.* colligunt; atque inde validè convincere satagunt eos, qui populum reformatum opportunè instruunt, non scriptas consuetudines & Ecclesiæ statuta e. gr. de dictis festis, ita non intelligi & ab ipsis observari debere, ut videantur cum Papisticâ doctrinâ & praxi συμβολίζειν. Quod ad impositionem, seu potius professionem nominis, *Joh. Stephanus Durantus Lib. 2. cap. 19. §. 19.* nominis dationem, vocat secundam Baptismi ceremoniam: sed ἀκυρολόγως, cum professio nominis non sit sacra ceremonia, sed commune requisitum, ut ad alia quamplurima agenda sæcularia & politica, sic ad ordinatam Baptismi collationem. Idque constat ex omnibus illis testimoniis *ibid* ab illo allatis, quibus probat competentes nomina sua indicasse, ut Episcopis & Presbyteris ante Baptismum nota essent, & in Baptismo suo quique proprio nomine designarentur, & illud laterculo ecclesiastico inscriberetur, seu *literis* (ut loquitur Durantus) & *monumentis mandaretur.* Moris fuisse apud Romanos profitendi liberos natos nomine impositio, *ibid. §. 21.* observatur ex *Capitolino, Juvenale*, & *Jure Romano L. fin. ff. de probat. & Lib. 1. C. si minor se majorem dixerit.* Ex *Festo*, *Plutarcho*, *Suetonio in Ne-*

rone

rone Cap. 6. Tertulliano, discimus apud Gentiles fuisse diem lustricum, à nativitate octavum aut nonum, quo infantem lustrabant, nomen ei imponebant, ac vota pro eo faciebant. Diem illum *Tertull. de Idololatriâ* appellat *nominalia*, *Nazianzenus* ἑορτὰς ὀνομάτων. De quibus vide *Casaubonum in Persii Satyram 2.*

2. *Quæst. Per quos nomen sit dandum? Resp. Si* adulti sint baptizandi, per ipsos; qui nomen olim sibi impositum, & quo hactenus nominati sunt, profiteri debent apud baptizantes: nisi ipsi, aut illi, in quorum potestate sunt, rationem habeant illud mutandi. *Sin* infantes, nomen impositum profitebantur Parentes; aut illi, qui defunctis Parentibus eos offerunt ad Baptismum.

3. *Quæst. Quæ & qualia nomina sint imponenda; & imposita ante Baptismum atque in Baptismo indicanda ac promulganda? Resp.* 1. Quæ aliquid honestum, utile, memorandum significent aut commemorent: *sive* primum illa imponantur: ut Caini, Sethi, Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Rubenis, Judæ, &c. Mosis, Gersomi, &c. quorum etymologiæ & rationes impositionis in ipsa Scriptura explicantur, *sive* aliis antehac imposita nunc ad imitationem huic personæ adaptentur. Sic nomen *Jehosua*, contractè *Jesua*, antea impositum erat filio Nun Judici & Ductori populi, & filio Joiedek Pontifici, aliisque in *Libris Regum*, *Paralipom.*, *Nehemiæ* memoratis: quod idem tamen alio significatu & fine impositum est, Servatori nostro. Etymologiæ nominum ab Hebræis, Græcis, Arabibus, Latinis, antiquis Teutonibus, Saxonibus, Frisonibus, &c. impositorum si eruantur, (uti complures eruit vir doctus opusculo peculiari, quod unâ cum *Kiliani Etymologico* excuditur), deprehendet pleraque eorum esse ἀπὸ βύλης, non ἀπὸ τύχης. Attendendum autem esse ad nomina imponenda apud æquos rerum arbitros in confesso est: quidquid Censor quis affectu magis & studio carpendi, quam judicio hic cavilletur. Attigi hoc *in 3. Part. sel. Disp. tit. Appendix ad Disp. de Superstitione & Idololatriâ pag.* 532.-- 538. ubi & Nostri & pontificii citantur. Hic ibi partim indicata, partim exhibita non repetam, nisi Decretum Synodi Gallicanæ reformatæ Aurelianensis a. 1562 artic. 20. *Ministri baptizaturi rejiciant nomina illa, quæ ex antiquo Paganismo supersunt; etiam nomina, quæ Deo in Scripturis tribuuntur; & nomina officiorum, ut Baptistæ, Archangeli, Angeli &c.* Et Synodi nationalis Belgicæ Dordracenę a. 1578. artic. 63. ubi taxatur impositio nominum, *Angeli, Salvatoris, Baptistæ, Immanuelis.* De Genevensibus refertur *in Vitâ Calvini apud Melchiorem Adamum pag.* 84. quod nomen aliquod datum infanti baptizando admittere illudque inter baptizandum promulgare noluerint. Hæc aliaque complura tum Nostrorum tum Pontificiorum dicta & facta *Disp. cit.* à me allegata non sunt, quasi omnia rigidè examinata peremtorio judicio meo probanda, aut im-

Digitized by Google

improbanda mihi ſumſiſſem ; ſed tantum ut in genere oſtendam , Parentibus ad nominum impoſitionem attendendum eſſe , nec verbis factiſque otioſis aut etiam ſcandaloſis hic indulgendum. Si cui libeat ſarcaſmis de nimiâ Præciſitate, de Phariſaiſmo , Anabaptiſmo , Browniſmo, &c. Synodos , & Theologos cit. petere : is detractâ larvâ, depromat, quæ corde premit : ſed abſque calumniis, ſycophantiis, caninis amplificationibus. Veritatis oratio ſimplex eſt. Reſpondeat quis ad hanc quęſtionem. Si Parentes Miniſtro indicarent, ſe infantibus ſuis impoſituros nomina quæ ſumta ſunt falſo à aut malo , & quibus perſonæ malę nominatæ fuerunt , ut *Nabal*, *Izebel* , *Achar* ſeu *Achan*, *Beelzebub* , *Kemoſch* , *Baalpehor* ; *Dagon* , *Pollux* , *Hecate*, Ἀφροδίτη *Venus*, *Neptunus*, *Flora* , *Hymeneus*, Ἄρειος *Arius*, &c. Aut talia , quorum quidem etymologia nihil falſi aut mali involveret ; ſed quibus nonniſi deteſtabiles perſonæ antehac nominatæ fuerunt, ut *Cain*, *Cham* , *Pharao* , *Doëg*, *Jeroboam*, *Sardanapalus*, *Zoroaſter*, *Marcion*, *Manes* , *Muhammed* , &c. Quæro: an Opponens approbaret ; an potius ſuaderet abſtinendum ab ejuſmodi inſolentibus nominibus : cum in arbitrio ipſorum ſit alia quæcumque nomina nihil mali ſonantia imponere. Idem quæro de nominibus *Salvatoris* , *Baal*, *Jovis* , &c. Et quid ſi Opponenti non viſum eſſet tale quid diſſuadere , An hypocriticæ , ac Phariſaicæ pręciſitatis , nominalis religionis , ſuperſtitionis dicam ſcriberet diſſuadentibus ? an non pariter , immo longè majori jure, *Genevenſibus*, & *Synodis Gallicæ* ac *Belgicæ* , *modo cit.* ? Et quid reſponderet Pontificiorum ſycophantiæ, quam qu. ſequ. tangimus.

4. *Quæſt. An tantum nomina, ſacris literis contenta , ſint imponenda? Reſp. Neg.* & merito rejicimus ſycophantiam Jeſuitæ Henrici Fitz Simonis , qui in libro cui tit. Britannomachia Miniſtrorum lib. 3. cap. 1. ut oſtendat , quomodo diſcrepent *Formaliſtæ & Puritani* (quos ita appellat) circa Baptiſmum, inter alia *conſiderandum* dicit *quomodo cum ipſo nomine pueri baptizandi litigent ante omnia providentes , ne vel paganiſmum, vel papiſmum redoleant. Ibidem* refert hiſtoriam an fabellam Miniſtri alicujus , qui noluerit infantem nomine *Richardi* baptizare : quod illud non eſſet depromtum ex Scripturâ. Riſum teneatis amici. Factum hoc ſit , nec ne , non eſt quod inquiramus. Dato , non conceſſo, an inde Reformatorum (quos *Puritanos Genevenſes*, *& presbyterianos* appellant) communis doctrina & praxis magis concludi poterit, quam Eccleſię Romanæ ex facto Sacerdotis , qui deprehenſus fuit baptizaſſe infantes in nomine diaboli ? Quod ad cautelam illam , ne nomen imponendum redoleat *paganiſmum* aut *papiſmum* : non debuiſſet illi tam abſurda videri : ſi memor fuiſſet *, de *paganiſmi* odore , & Patrum & ſuę Eccleſiæ, aut ſaltem ptæſtantium in eâ Doctorum , parem , ſi non majorem fuiſſe ſolicitudinem. Hinc eſt, quod in antiquâ Eccleſiâ nominibus in Gentiliſmo

acceptis

acceptis alia in Baptiſmo, ſi non ſemper, ſaltem frequenter ſubſtituerentur: & potiſſimum nomina Apoſtolorum; inter ea Petri, Pauli, Johannis: uti hoc probatur à *Vicecomite Lib. 2. cap. 13.* Nec puto à Lojolitico *Fitz. Simone* probari poſſe nominum ab idolis & ſacris idololatricis deſumtorum impoſitionem ab antiquis Chriſtianis factam & ab Eccleſiâ approbatam. Quomodo enim hoc conveniſſet cum idolorum deſputatione, exſufflatione, abrenuntiatione, præſertim illâ ſolenni in Baptiſmo: de quâ *ſupra.* Quod ad Papiſmum, nihil alienum à *Reformatâ* religione facerent ſive Presbyteriani (alias dicti *Puritani*, & *diſciplinæ Genevenſis zelotæ*) ſive Formaliſtæ: ſi Sancti veri aut dubii, aut chimerici, in cujus diem feſtum incidit nativitas infantis, nomen non imponerent, juxta auream regulam vulgari illo Papiſtarum effato expreſſam: **Het kint brenght ſynen naem mede/** id eſt, *infans confert aut adfert* (nativitate ſua ſcil.) *nomen ſuum*: Hunc enim Papiſtarum morem non ſequerentur, ne vel minimâ ſpecie viderentur conſcientiam habere, ejuſmodi Sanctorum, quales Catharina, Chriſtophorus, Urſula, &c. Maria Ægyptiaca, Medardus, Dominicus, Franciſcus, Ignatius, &c. Nec etiam feſtorum, peculiaris tutelæ, patronatus, & cultus eorundem; ad quę per ſolennem illam nominis impoſitionem ſingularis apud Pontificios reſpectus: de quibus nos in *3. Part. ſelect. Diſpp. tit. de Sanctis chimericis*, *De Tutelis*, *& Patronatibus Sanctorum*, *De Feſtis.* Nec quidquam abſurdi committunt Reformati, quod à nominibus illis abſtinent qui χθὲς ἐ πρώην in Papatu imponi cœperunt, qualia e.gr. Thomas à Jeſu N. à S. Paulo, N. à Jeſu Maria, N. à Tireſia, &c. Denique nihil ſuperſtitioſi, Phariſaici, enthuſiaſtici, fanatici ſapiet Reformatorum abſtinentia à concurſu multorum nominum, quorum cumulus augetur ob interventum & incurſum Sanctorum circa illud tempus, aut circa iſtam geſtationis, partus, voti, devotionis conſtellationem. Ne dicam, Reformatos tam rationales & myſticos Theologos non eſſe, ut cognomen *Magdalenæ* in *Scripturis* pro proprio nomine malè acceptum, infantibus ſuis primi impoſuerint, & nomen appellativum *Chriſtiani*, infanti in lucem edito 25. Decembris (hoc eſt ipſiſſimo die, uti putant, nativitatis Chriſti), ut proprium imponant; aut Gallos Pontificios imitentur, qui nomen proprium *Noël* aut *Nouel* (id eſt, *Immanuelis* per aphæreſim, aut *natalitiorum*, aut *Chriſti diei natalis*,) imponant illis, qui dicto die natali Chriſti naſcuntur: Rationemque hujus impoſitioni faciant, quod illo die in Galliâ canere ſolent *Noël* aut *Nouel*, per aphæreſim, loco τοῦ *Immanuel.* Nec eoſdem imitentur, in nominibus *Archangeli*, Baptiſtæ, &c. imponendis. Religionis putant eſſe, non ſuperſtitionis, in talia ſuperſtitionum, & vacuarum obſervationum, feſtivarum ac tutelarium myſteria ſe non immittere. Accedamus nunc ad quæſtionem an nomina ex ſolis Scripturis ſint petenda. Nos, cum *univerſali* do-

ctrinâ & praxi Reformatorum *negamus*, contra calumnias & sycophantias *Henrici Fitz. Simonis*. Nemini enim apud Nos prohibitum est nomina majorum sive Christianorum, sive Gentilium, sive Judæorum, sive Muhammedistarum, sive Hæreticorum, infantibus suis certâ ratione imponere; modo scil. in etymo & origine suâ nihil falsi aut impii, aut idololatrici aut scandalosi involvant: uti paulo ante monuimus. Quid enim opus est, liberatis per Dei gratiam ab idololatriâ, & idolis, nomina eorum sine necessitate assumere (*Ps.* 16. *v.* 4. & *Hose.* 2. *v.* 15. 16.) & victura monumenta in nominibus charorum nostrorum iisdem erigere? Hoc certe non esset idola ac dæmonia desputare, exsufflare, & in tenebras oblivionis abjicere.

Adhęc perquam sycophanticè impingitur nobis, omnia nomina ex Scripturis depromenda. Occurrunt illic nomina ipso sono abominanda, qualia partim origine mala, & illaudatis personis sive dæmoniis sive hominibus imposita, ut Beelzebub, Nabal, &c. partim origine mala, ut Abednego, Beltazar, &c. *Dan.* 1. quamvis laudatis personis, sed invitis, imposita: *partim* origine non mala, sed illaudatis imposita, ut Caïni, Chami, Bileami, &c.: partim origine bona, saltem non mala, sed promiscuè laudatis & illaudatis personis imposita, ut Juda *Luc.* 6. *v.* 16. & Jehoschua seu Jeschua, *Actor.* 13. *v.* 6. 8. Inter nomina propria origine bona, saltem non mala, & laudatis personis imposita, quæ in Scripturâ occurrunt, rursum distinguendum est. Quædam enim desumta sunt ab antecedente, ut Isaiæ, Manasse, Moses. Quædam à tempore, seu aliquo connexo cum nativitate nominandi, ut Phaleg. Quædem à spe & prænotione boni exspectandi, ut Noach, Ephraim. Quędam ab eventu, aut à consequente, ut, Juda, Salomon. Quædam à qualitate aut ab actione, ut Edom & Jacob. Nos, certâ intelligentiâ, delectu, & consilio ex Scripturis nomina desumenda, aut aliunde extra Scripturas mutuanda, ab avis, proavis, majoribus, aut à præsentibus fautoribus, patronis, amicis, &c. aut de novo & primum imponenda, cujusque arbitratui relinquimus. Temere ergo & inconsulto agerent, qui ad primam Bibliorum aperturam, nomen occurrens inde depromerent. Posset enim esse Caini, Chami, Bileami, Orebi, Zeebi, Nabalis, Elymæ, Herodis, Pilati, Cajaphæ, &c. Nec minus temere hic agerent, qui neglectis omnibus familiæ, cognationis, & patriæ suæ nominibus ex Homeri, Odysseâ, Virgilii Æneid. 1., Ovidii Metamorphosi, Hesiodi Theogoniâ, Historiis Saracenicis, Japonicis, Chinensibus, Persicis, & quidni ex Amadisi, filiorum Aimoini & Malagisi, Melusinæ, Valentini, & Oursoni, similibusque fictis Historiis, aut ex Barclayi Satyrico, & recentium Italorum, Hispanorum, Gallorum vulgari idiomate editis *Romans*, sibi forte lectis aut inspectis, peregrina nomina insolentiæ & ostentationis ergo venarentur. An tale quid subinde in Papatu non fiat, & an

lectio

lectio ferreæ & plumbeæ Legendæ, & Vitarum tot millium Sanctorum qui intra & extra Martyrologium recenſentur, onomatopoïæ & onomatotheſiæ non inſerviat, prius deſpiciendum eſſet Jeſuitis; antequam litis nominalis calumniam Noſtris intentarent. Quid ſi quis Noſtrum ſcripſiſſet, quod celebris & literatu Theologus Pariſienſis Joh. Fileſacus Lib. 1. Selectorum cap. 3. nomina Gentilium infantibus non imponenda, quod id *vetitum* Concil. Niceni Canonibus iis ſcil. qui ex Arabico verſi dicuntur, can. 30. „ *Fideles nomina Gentilium filiis ſuis ne imponant, ſed potius omnis natio Chri-*
„ *ſtianorum ſuis nominibus utatur, ut Gentiles ſuis utuntur, imponantque no-*
„ *mina Chriſtianorum, ſecundum Scripturam, in Baptiſmo. Citat ibidem Theo-*
„ *doretum Lib.8. de Curat. græcor. affect.* dicentem, Chriſtianos naſcentibus
„ filiis nomina Martyrum imponere, ita illis cuſtodiam tutelamque certiſſi-
„ mam comparantes. Ridiculi homines, qui Alexandri, Pompei, Cæſaris,
„ Scipionis, &c. nomina pueris in Baptiſmo attribuunt, ac ſi omen indicent,
„ pueros illos robur, fortitudinem, felicitatemque bellicam aliquando, illo-
„ rum imitatione, adepturos. Et certe perſimiles homines iis Parentibus;
„ qui ut liberos diutiſſimè victuros ſperarent, vel ſaltem ſibi perſuaderent, in-
„ fantes ipſos, non niſi à valde longævis in Baptiſmo ſuſcipi curabant, quos
„ merito ridet *Chryſoſtomus Homil. 12. in Epiſtolam 1. ad Corinth.* Hactenus Fileſacus.

4. *Quæſt. An nomina ante Baptiſmum, aut in Baptiſmo impoſita ſint mutanda? Reſp. 1. concl.* Non eſſe abſolutè illicitum, nomen mutare, conſtat ex mutatione nominis *Abram* in *Abraham*, *Jacob* in *Iſrael*, *Saulus* in *Paulus*. *2. concl.* De nominum abſurdorum & malè ſonantium, præſertim ab idolo aut dæmone deſumtorum in Gentiliſmo impoſitorum mutatione diſtinguendum eſt. Adultis enim baptizandis, ſi devenerint in poteſtatem Dominorum Chriſtianorum, & à cognatione, civitate, regione, gente ſua ad aliam tranſlati ſint, nomina commodè imponi poſſunt, quibus abſque confuſionis incommodo aut periculo in poſterum diſtinctè nominentur. Impoſitionis jus Dominis Chriſtianis non minus competit, quam Gentilibus Romanis: de quorum conſuetudine in mutandis ſervorum & libertorum nominibus *Philologi*, qui *de Servis* commentantur. Meminit etiam ejuſdem moris *Chryſoſtomus in Homil. de ſerendis reprehenſ. & Pauli converſ.* Sed ſi tales converſi Gentiles in eâdem cognatione, aut civitate, diſtrictu, regione manſuri eſſent, vix ſine aliquo confuſionis incommodo, nomina in Baptiſmo illis imponi poſſent, quibus in poſterum nominarentur, veteribus abolitis; quibus jam inde ab infantiâ per tot annos nominati & noti fuerunt. Et cauſam arbitror fuiſſe, cur in ipsâ apoſtolicâ Eccleſiâ nomina in Gentiliſmo ab idolis deſumta, ſint retenta, qualia *Apollos Actor. 19. v. 1.* cum *1 Cor. 1. v. 12.* & *3. v. 3. 4. Hermas*

Digitized by Google

Rom. 16. v. 14. Zenas Tit. 3. v. 13. Mutationem nominis baptiſmalis in ingreſſu ad monachatum, & (quam advocat *Vicecomes lib. 2. c. 13.*) in aſcenſione ad ſedem Pontificalem Paparum; & Apoſtatarum in tranſitu à verâ ad Papiſticam religionem & Eccleſiam (e. gr. *Samuelis* Cudſemii Veſalienſis in *Petri:* de quo *Brantius* in *Examine Deſperatæ cauſæ Calvini* à Cudſemio editæ), ſine ratione fieri dicimus. Si Eccleſiaſtici aut Politici reformatæ religionis cum mutatione ſtatus mutarent nomina, dicerent forte Pontificii, ejurari Baptiſmum. Imperatorum Sinenſium in aditu imperii mutata nomina jam inde ab a. 1122. ante nativit. Chriſti (de quo more Jeſuita *Martinus in Hiſtor. Sinicâ Lib. 4. cap. 1.*), fortè rationem habent peculiarem & politicam. Sed hoc nihil facit ad mutationem nominum baptiſmalium Chriſtianis infantibus impoſitorum, ob aditum monachatum aut Pontificatum. Fateor tamen convenire in hoc morem hodiemę Romæ, ut & in multis aliis, cum antiquâ Gentili, ubi Veſtalium nomina mutabantur, teſte *Vicecomite cap. cit. 3. concl.* Quod ad infantes Chriſtianorum, quorum nomina profeſſi ſunt Parentes, aut alii offerentes, quibuſque appellati ac noti fuere per annos pueritiæ, adoleſcentiæ, & totius converſationis ſuæ inter homines, non video cur in juventute, præſertim ſi in eâdem regione aut gente maneant, mutatio affectari debeat. Si quis tamen ad pericula inter peregrinos evitanda, ſine dolo malo & aliorum injuriâ, nomen ſuum mutare cogatur, ut lateat, non video hoc magis abſurdum eſſe, quam ſi mutet veſtem. Idem ſtatuunt *ICC.* de nomine turpi. Extra quos caſus nomen aut cognomen mutare ad crimen falſi refertur. Vide leges allegatas apud *Tholoſanum Lib. 36. cap. 4, §. 1. & 4.* Sed ſi Statuta & Decreta Eccleſiæ reformatæ, ſupra cit. & Eccleſiæ Romanæ obſerventur circa nominis impoſitionem: nulla occaſio videtur objici nominis baptiſmalis mutandi. *Paſtorale Romanum reformatum pag. 13.* ſic ſtatuit.

„Et quoniam iis qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Chriſto regene-
„randis, & in ejus militiam adſcribendis, nomen imponitur, curet,
„ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum
„Ethnicorum hominum nomina imponantur; ſed potiùs, quatenus fieri
„poteſt, Sanctorum, &c. Ut videat Jeſuita *Fitz. Simon*, non eſſe ſolos Reformatos, qui attendunt ad nomina imponenda.

VI. *Nominum in tabulas eccleſiaſticas relatio*, præſcribitur, in Statutis eccleſiaſticis, tum Pontificiorum tum Reformatorum. Sed utrorumque non unus eſt ſcopus. Iſti enim intendunt notitiam baptizatorum in Eccleſiâ, ſervare, ut inſtitutionis eorum in fide ratio ac cura habeatur. Illi inſuper, ut adulti ad ſacramenta confirmationis, pœnitentiæ, euchariſtiæ, extremę unctionis percipienda omniaq; præcepta Eccleſiæ Romanæ ſervanda, etiam inviti compel-

pellantur; atque hoc respectu non tantum censuris & anathematis ecclesiasticis, sed & pœnis in hæreticos sancitis, infamiæ, extremi supplicii, confiscationis bonorum, subjiciantur: uti *Cap. præced.* ex Vivaldo, aliisque ibi cit. indicavimus. An autem cura Ecclesiæ circa omnes in infantiâ baptizatos huc usque se extendat, ut iidem jam adulti censuris suspensionis & excommunicationis, juxta cum aliis Ecclesiæ membris subjici debeant, quæri potest. Pontificii, ad omnes & solos baptizatos censuras restringunt: uti communiter hoc traditur à *Casuistis in voce censura*; & *Scholasticis Zwarez* in 3. *Thomæ tom.* 5. *Disp.* 1. *sect.* 1. *Canonistis ad can. gaudemus, De divortiis & Can. de Judæis dist.* 45. Quæ cum hypothesibus eorum de coactione conscientiæ, deque officio inquisitionis, & de baptizandis Gentilium infantibus, etiam invitis Parentibus, in casu scil. instantis mortis, magis convenire videtur. Disciplina Ecclesiarum Reformatarum hactenus tradita, ejusque praxis, censuris stricte ac propriè ita dictis, excommunicationi scil. minori (quæ suspensio dicitur) aut majori non subjicit illos, nisi qui editâ fidei confessione & intercedente debitâ stipulatione, Cœnâ Domini in communione Ecclesiæ usi sunt. Quod idem etiam patet ex Catechesi Quæst. 85. in descriptione excommunicationis: *qui nomine sunt Christiani, verum doctrinâ aut vitâ*, &c. *interdictione sacramentorum ex cœtu Ecclesiæ*, &c. *excludantur.* Atqui hoc non convenit multis in infantiâ baptizatis ut nomine, & aliquâ externâ suâ professione, aut minimo indicio possint dici Christiani, & esse in Ecclesiâ Christianâ: exemplo sint tot infantes Orientalium & Occidentalium Christianorum, qui in Turcorum aut Tartarorum potestatem deveniunt, nec unquam professionis Christianismi, aut actualis alicujus communionis in & cum Ecclesiâ Christianâ vel minimam speciem consecuti sunt. Tales autem in adultâ ætate actualis sive Muhammedisticæ religionis, sive Gentilis sive nullius consortes, tanquam membra Ecclesiæ, ob solum Baptismum in infantiâ acceptum, censuris ecclesiasticis ad veræ fidei professionem, usum Cœnæ, & mores Christianos, esse adducendos, & à cœtu Ecclesiæ per interdictionem sacramentorum excludendos, equidem determinare hactenus non ausim: nedum ut in Ecclesias Reformatas, doctrinâ & praxi suâ non excludentes à cœtu suo, qui nunquam intus fuerunt, aut Cœnam Domini perceperunt, publicè censuram exercerem. Scio fuisse Anonymum, qui in Belgio nostro defectum Ecclesiarum in hâc aliisque disciplinæ administrandæ partibus publicè notavit, edito anno 1595. libello in 4. hoc tit. *Theses de ritè gubernandâ Christi Ecclesiâ, & serio in ea administranda spirituali disciplinâ. Authore quodam, qui Ecclesiam Christi ejusque autoritatem sartam tectam conservari cupit optatque.* In *quartâ Parte* istius *Diatribæ* §. 152. 153. 154. 155. tanquam grávem Ecclesiarum Nostrarum errorem carpit, quod

admissionem ad verbi auditum, Baptismum, Cœnam pari passu ambulare non faciant; & consequenter censuras suas ad omnes Papistas, Anabaptistas, Libertinos, aliosque hæreticos, si qui in infantiâ suâ baptizati sunt, non extendat. Dictam Diatriben anno 1612. aliquis Anonymus orthodoxiæ contra Remonstranticas novitates assertor in idioma nostrum translatam, Delphis typis *Joh. Andreæ* excudendam dederat, ac *Jacobo Arminio* attribuerat, tanquam heterodoxam in hâc quæstione. Sed Anonymus quis ex assectis Jac. Arminii eodem (ni fallor) anno, variis argumentis probavit, eum non esse hujus Diatribæ autorem. In quam sententiam cum sive apertè sive tacitè omnium suffragia irent, ab eo tempore usque in hunc diem, nec interpolata per sex Synodi Nationalis Dordracenæ anno 1619. ad id delegatos, Statuta ecclesiastica, nec Synodorum provincialium Decreta, nec communis aliqua praxis, anonymo illi, qui anno 1595. Ill. Ordd. & ministris ecclesiarum diatribem suam inscripserat, quidquam concesserunt: ut hâc in parte mores mutarent, aut mutandos censerent; nedum ut, Catechesin quæst. 85. Liturgiam cap. de excommunicatione, & Statuta ecclesiastica anno 1619. aliquatenus interpolata, & de novo approbata immutarent. His non obstantibus video aliquem, qui se interpretem & hyperaspistem Confessionis nostræ Belgicæ, (tacentibus scil. usque in illum diem omnibus Theologis Belgis) præstare cœpit anno 1644. ad artic. 34. notare plerarumque Ecclesiarum (Nostrarum scil.) σκάνδαλον in hodiernâ praxi, quæ exercitium jurisdictionis suę spiritualis, quoad censuras & admonitiones sacras, restringunt ad eos solos, quos jam ad communionem eucharisticam admiserint. Ego quæstionem hanc in judicio Synodorum, & Facultatum theologicarum prius ventilari malim, & Ecclesiarum Nostrarum ob dictum σκάνδαλον, tum quoad doctrinam tum quoad praxin, censuram publicam tantisper differri. Neque enim ad defensionem & commendationem communis confessionis ea magis facere videtur, quam plurimæ aliæ problematicę, aut particulares Theologorum ac Philosophorum opiniones & sententiæ ex professo illic notatæ, aut etiam exagitatæ ac prostitutæ: quales, de modo explicandi objectum prædestinationis, de pluribus mundis possibilibus, de *Lud. Capelli* arcano punctationis, de *Molinæi*, *Josuæ Placei*, *Zydlovii*, *Blondelli*, *Steuarti*, *Amyraldi*, *Testardi*, *Walei*, *Bezæ*, aliorumque complurium particularibus opinionibus, dictis, factis.

§. 3. *De tempore & loco Baptismi, multa quari solent.* Nos paucula ista decerpemus.

1. *Quæst. An certum tempus administrationis Baptismi sit constituendum? Resp. Neg.* De infantum Baptismo. Quia idem & certum tempus ingressus in hunc mundum, & ex eodem discessus, non tantum omnium, sed ne unius quidem infantis à nobis certo præsciri potest. Indefinitè ergo primâ quo-

quoque occasione Baptismus & petendus, & ab Ecclesiâ conferendus est: ob mandatum Dei, & divinam per eundem gratiæ fœderalis obsignationem. Placeat ergo dictum Nazianzeni in Orat. 40. quę est in sanctum Baptisma: *Nullum*, inquit, *tibi tempus ad lustralem ablutionem alienum & incommodum censeatur, cum nulla temporis pars mortis periculo sit vacua. Cum Paulo ad te clamo, cum magnâ, inquam, illâ voce*, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Quo loco particula*, Nunc, *non certum aliquod tempus, sed tempus omne designat.* Ibidem probat, omnia tempus habere, excepto Baptismo, dicens: *Salutis tuæ negotium semper age, atque omne tempus ad Baptismi susceptionem tibi certum & definitum esse existima.* Ubi Nicetas in Commentario suo: *At Baptismi tempus universa hominum vita est.* In eandem sententiam scribit *Tertullianus Lib. de Baptismo & Basilius in exhortat. ad Baptismum. Chrysostom. Homil. 1. in Acta.* Postea ad majorem opportunitatem ecclesiasticè constituta fuerunt tempora Paschatis & Pentecostes. Denique dierum istorum, tanquam magis solennium observatio fuit injuncta, Sic statuit Concil. Laodicenum anno 364. Can. 45. *Quod non oportet post duas hebdomadas quadragesimæ ad Baptismum admitti.* Quam bene hoc conveniebat infantibus fidelium? Denique rigidè prohibitus fuit Baptismus extra illa tempora, & specialiter in Festo Epiphaniæ, quod tamen in suo ordine, debito honore venerandum esse, dictat *Leo in Epistolâ ad Episcopos Siciliæ*, insertâ *Canonico can. 12. duo tempora*; & 13. *propriè* & 14. *si quis*, de *consecr. dist. 4.* Cui otium & ferreus stomachus, legat ibi rationes hujus Decreti; & quæ *Joh. Steph. Durantus* & *Vicecomes*, de tempore Baptismali congesserunt: ut videant, per quas πυρρίας religio & Ecclesia humanis traditionibus & observationibus alligata sit. Sed longè aliud suadent rejectiones variorum prætextuum, quibus Baptismum differebant. Vide eas in *Nazianzeni Orat.* modo *cit.* Nostræ Ecclesię Statutis, Decretis & praxi suâ, vehementer improbant dilationem Baptismi, ob convivia baptismalia, Susceptorum invitationes & adventus, apparatus pompæ, aliaque ad hoc sęculum pertinentia. Merito etiam taxati sunt antiquis dicti *Clinici* (apud *Cyprianum Lib. 4. Epist. 7.*) qui differebant Baptismum usque ad morbum, quem putabant sibi fore lætalem, ne scil. à peccatis abluti, se & Baptismum suum denuo peccatis sordidarent; quem eorum prætextum indicat & improbat *Autor Constitut. Apostol.* sub nomine *Clementis lib. 6. cap. 15.* Tales *Clinici* videbantur errori Novatiano affines; quasi scil. lapsis post Baptismum (quem φωτισμὸν appellabant) nulla restaret venia: perperam huc tracto loco *Hebr. 6. v. 4. Cornelius Episcopus Romanus in Epistolâ ad Fabium Antiochenum* (apud *Euseb. Lib. 6. cap. 43. edit. gr.*) refert Novatum cum in gravem morbum, ut jam ferme mori videretur, incidisset, in lecto aquâ circumfusum, accepisse Baptismum.

ptiſmum. Conſtantinum in extremo vitæ tempore Baptizatum ab Euſebio Nicomedienſi, referunt *Socrat. Lib.* 1. *c.* 25. *Theodoret. Lib.* 1. *c.* 32. *Sozom. Lib.* 2. *c.* 34. *Hieronymus in Chronico*, *Euſebius Lib.* 4. *de Vitâ Conſtant. cap.* 62. Ejuſmodi Baptiſmi dilatores, ad Presbyterium admiſſos non fuiſſe diſcimus ex Concil. Neo Cæſar. anno 314. can. 12. *Si quis in morbo conſtitutus illuminatus* (h. e. Baptizatus) *fuerit, ad honorem presbyterii promoveri non poteſt: fides enim eius non eſt ex propoſito, ſed ex neceſſitate: niſi forte propter ſequens ejus ſtudium & fidem, atque hominum raritatem.* Sed ab his Clinicis diſtinguendi ſunt illi, qui fidem Chriſtianam amplexi & jam catechumeni, aut etiam competentes ad Baptiſmum loco & tempore ſtatuto accipiendum ſe parabant, ſed ob morbi interventum, in lecto eundem percipiebant. De quibus Epiphanius hæreſ. 28. *Morti vicini, ſi fuerint catechumeni, ante mortem lavacro digni ſunt. Bezæ in Lib. Quæſt. & Reſp. qu.* 149. 150. merito notat antiquorum hâc in parte negligentiam, qui homines à Baptiſmi dilatione non dehortarentur. Nec minus reprehendendæ ſunt ſuperſtites in toto orbe Eccleſię, extra Occidentales, quæ ſtatum Baptiſmi diem à partu octuageſimum exſpectant; Æthiopicæ in Fœminis etiam quadrageſimum: niſi mortis periculum intercedat. Ita ex ritibus eorum refert *Caſſander Tract. de conſuetudine Baptizandi infantes pag.* 692. Ubi etiam exhibet conſtitutionem 15. Imperatoris Leonis, quâ ſuadetur potius quam præſcribitur dies quadrageſimus, & octavus conceditur, &c. *Nazianzenus in Orat. de Baptiſmate*, & *Tertullianus in Lib. de Baptiſmo* ſuadent dilationem & exſpectationem ætatis paulò provectioris, (triennii ſcil.) quâ myſteria utcumque intelligere & meminiſſe poſſent. Sed non malè à Pamelio ad locum Tertulliani num. 126. conjicitur de ulteriori cunctatione circa parvulos, intelligendum eſſe de *baptiſmo illorum parvulorum, quorum parentes infideles ſunt. Hoc enim per illud, quod* de ſponſorum periculo *ſubjicitur*, *videtur innuere.* Ipſe Tertullianus lib. cit. cap. 19. *Cæterum omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmi: ſi de ſolennitate intereſt, de gratiâ nihil refert.*

2. *Quæſt. De loco Baptiſmi quæritur, an in publico oratorio, in & coram cœtu Eccleſiæ ſit adminiſtrandus. Reſp.* Statutis & variis Eccleſiarum in Belgio noſtro Decretis, ordinario aſſignantur loca illa, ubi cœtus eccleſiaſtici habentur. Nec ſine ratione: 1. *quia* ſic ἐυπρέπεια ſervatur, multaque incommoda evitantur, quæ privatam adminiſtrationem comitari & conſequi poſſent. 2. *quia* ſacramentum Baptiſmi, eſt pars cultus inſtituti: quæ non minus, ac aliæ ejuſdem partes publicè in Eccleſiâ peragi debet. 3. *quia*, per Baptiſmum tum infantes tum adulti, illi tanquam membra incompleta, iſti tanquam completa communioni Eccleſiæ incorporantur. Quod ſine conſcientiâ, teſtimonio, conſenſu, & aliquâ Eccleſiæ cooperatione fieri non convenit. Communiter

Digitized by Google

niter ſolet dici teſſera Chriſtianiſmi, quâ ab infidelibus & extraneis diſcernuntur, & pro fœderatis, ſeu ejuſdem fœderis & gratiæ conſortibus habentur. Sed hic ordo ab Eccleſiis Noſtris ita non ſtatuitur nec obſervari præcipitur, ut Eccleſias clandeſtinas, aut fidelium familias, inter hoſtes diſperſas, ut & Eccleſiarum primas plantationes huic ordini aſtringere velint, nullas etiam in caſibus ſingularibus exceptiones admittere. Minus candidè Pontificii hunc ordinem & morem Eccleſiarum Noſtrarum inter *κυρίας δίξας* numerant; ſuper quibus inter Nos & ipſos bello irreconciliabili certandum ſit. Candorem eorum imitatus videtur Tilenus quondam Noſter, ſed unguis in ulcere, in Paræneſi ad Scotos diſciplinæ Genevenſis Zelotas pag. 14., cum ordinem hunc Reformatorum odiosè traducit: *Qui clamitant*, inquit, *publicum Noſtri in Eccleſiam ingreſſus teſtimonium, eſſe Baptiſmum, ideoque publicè adminiſtrandum, non cogitârunt eandem fuiſſe rationem circumciſionis, quæ licet extra Templum facta, non propterea erat irrita.* Sed calumniosè nimis hanc facit antitheſin quaſi theſis Reformatorum eſſet: Baptiſmus extra publicum Eccleſiæ conventum adminiſtratus eſt irritus, hoc eſt, non eſt Baptiſmus. Ubi hoc ex Statutis & decretis eccleſiaſticis, aut publicis doctrinæ formulis, aut communiori Doctorum ac Scholarum conſenſu, immo vel ex unius probati Theologi ſcriptis probaverit, videbitur quid reſpondendum ſit. Sed contrarium pateſcet inſpicienti *Synodi Dordrac.* anno 1574 *art.* 59. & anno 1578. *cap.* 4. *artic.* 7. *Middelburg.* anno 1581. *art.* 39. *Hagienſ.* anno 1586. *art.* 50. *Synod. Dordrac.* anno 1619. *art.* 56. Argumentum Tileni à circumciſione deſumtum, contra ordinem Reformatorum in adminiſtratione Baptiſmi, nihil concludit: eſt enim diſpar ratio. Quia circumciſio poſt ſe relinquebat aliquid corpori impreſſum, unde ſemper cognoſci poſſet, an ſacramento illo quis eſſet initiatus, nec ne: & quia illi præſtitutus erat dies octavus. Poterat ergo ſive in proſeuchâ aut ſynagogâ ſive in cœtu domeſtico non tantum Parentes, ſed & Cognatos, Amicos, Vicinos complectente (*Luc.* 1. *v.* 58-64.), commodè adminiſtrari. Sed in Baptiſmo hęc aliter ſe habent. Convenit ergo ut primâ quâque occaſione in cœtu Eccleſiæ cujuſque particularis adminiſtretur; & ſic publicæ Chriſtianiſmi fideique coram mundo profeſſionis ac *poteſtationis* (uti *Thomas in* 3. *Qu.* 7. *Art.* 5. de ſacramentis loquitur) teſte, orante, recipiente in ſocietatem ſuam Eccleſiâ, conteſſeratio fiat: atque unà abſurda, indecora, indevota, ſuperſtitioſa, quæ in angulis à parentibus aut miniſtro admitti poſſent, pręveniantur. Ad alteram Tileni ratiunculam, ex Baptiſmo commentarienſis, & Lydiæ (*Actor.* 16.) deſumtam reſpondemus, factum illud fuiſſe in primâ collectione & plantatione eccleſiarum: nec inde conſequentiam poſſe duci contra *ἐυταξίαν* eccleſiarum jam ordinatarum. Sed reponamus Pontificiis & Tileno edictum Juris canonici, lib. 3. Clementin.

tit. 15. cap. unico, quod *prohibet*, Baptiſmum in *aulis vel cameris, aut aliis privatis domibus*: & ſancit eum *qui ſecus præſumſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum caſtigandum, quod alii affectare ſimilia non præſumant*. Rationes hujus Conſtitutionis Clementinæ, ex viſceribus juris canonici deſumtæ à *Viviano in Rationali Juris canonici lib. 3. tit. 42.* adducuntur *ſeqq. Quia* eſt ſacramentum. Et ſacramenta regulariter in Eccleſiâ ſunt adminiſtranda, (quaſi vero ſacramentum extremæ unctionis in eccleſiâ ab ipſis adminiſtretur). Ut ſic quæ ſacra ſunt, in loco ſacro tractentur. Et in majori reverentiâ habeantur. Dicta Conſtitutio Clementis V. vult *duntaxat in Eccleſiis* eſſe baptizandum, *in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati*. De fontibus illis, ita dictis, ſeu Baptiſteriis plurima αἰχμιολογῶν *Joh. Steph. Durantus, & Vicecomes*. Sed nobis infra occaſio dabitur de illis & de Templorum ſanctitate, quibus illi ſacrum cultum, non cœtui ſacro, affigere ſolent, diſquirendi. Suffecerit hæc digito indicaſſe, ne in noſtros incurrant, quaſi illi ſoli Baptiſmos angulares evitari mallent: Excipient, excipi *ibid.* à ſuo Clemente V. Baptiſmum filiorum Regum & Principum; & caſum neceſſitatis, quando abſque periculo non poſſet ad Eccleſiam acceſſus haberi. Sic eſt, & ratio prioris exceptionis à Viviano adfertur: *Quia ob dignitatem & officium ſublime, quod iſti Principes exercent, plurimum convenit eis deferri, & eos plus aliis decet honorari*. O inſignem rationem canoniſticam! Noſtri, quamvis iſtos caſus, & quidem ob iſtas rationes non excipiant, abſolutè tamen neceſſariam cœtus eccleſiaſtici præſentiam nec doctrinâ, nec praxi ſuâ unquam fecerunt: ſed tantum dixerunt, quid contra omnes abuſus magis tutum, magis decorum, magis conveniens, & ad majorem ædificationem eſſe poſſit; ac conſequenter in bene conſtitutis Eccleſiis ordinario obſervandum. *Liturgia ſeu Ordinatio Eccleſiæ Anglicanæ* ſub Eduardo 6. edita, & in latinum ſermonem ab Alexandro Aleſio converſa anno 1551. *fol. 47.* Admonen„tur igitur populus, ut tantum diebus dominicis & feſtis debeat offerre pue„ros baptizandos, & ut tota Eccleſia teſtari poſſit, eos eſſe receptos in nume„ro fidelium, & ut omnes in Eccleſia admoneantur, quid ſinguli ſint polli„citi in Baptiſmo. Quare etiam utile eſt, ſacramentum Baptiſmi Anglicâ „linguâ exhiberi; & nihilominus, quoties neceſſitas poſtulat, pueri aut in „templo, aut etiam domi baptizare debent. Sic illi in primâ iſtius Eccleſiæ Reformatæ plantatione. In editione *Liturgiæ* 1607. in 4. & anno 1616. in 12. *Subtit. de privato Baptiſmo* ſic habet *rubrica*: Paſtores ſæpe monebunt „populum, ne diutius differant pœdobaptiſmum, quam uſque ad diem do„minicum, aut alium quem feriatum proximè poſt nativitatem: niſi ob „magnam & rationabilem cauſam Paſtori declaratam, & ab illo approbatam. „Atque ita præmonebunt illos, ne abſque magnâ causâ & neceſſitate curent in-

Digitized by Google

„ infantes ſuos privatim domi ſuæ baptizari *Bucerus in Cenſurâ Liturgiæ Anglicanæ cap.* 9. Natura enim ducente ſolent homines eos, quos in honeſtum collegium ſuſcipere decreverunt, atque ſocietatem, ut in Academiis, & multis aliis longè minoris momenti ſocietatibus hominum fieri videmus, id facere, cum collegæ frequentiores convenerint: ut ita quaſi ab omnibus in collegam recipiantur, & ſinguli officia collegarum eis deferant, ad eaque ſe ita publicè adſtringant. *Calvinus Epiſtol.* 320. *ad N. pag.* 441. edit. Genev. 1617. in fol. Imprimis autem obſervandum eſt, cum iſtud ſacramentum complectatur ſacrum & ſolennem introductionem in Eccleſiam Dei, ſitque teſtimonium cœleſtis noſtri municipatus, in quem adſcribuntur illi, quos Dominus adoptat ſibi, fas non eſſe adminiſtrare Baptiſmum, niſi in cœtu fidelim. Non quidem ut Templum requiratur, ſed ut ubivis numerus aliquis fidelium conveniat, qui Eccleſiæ corpus efficiat, & qui baptizat pro Paſtore agnoſcatur. Si enim infans clàm baptizetur, & nullis adhibitis Teſtibus, illud neque reſponderet ordini à Domino poſito, neque Apoſtolorum exemplo. Oportet igitur infantem baptizari in cœtu aliquo, qui quidem cœtus profiteatur, ſibi nihil eſſe commercii cum Papiſticis pollutionibus. Theologi Genevenſes *(in Zanchii Epiſtolis Lib.* 1.*)* ad propoſitam quæſtionem: *An in caſu neceſſitatis Miniſtri verbi divini debeant aut poſſint adire privatas ædes, ibique baptizare infantes, præſertim vocati ab eorum Parentibus, prætextu faciendi mandatum Chriſti, & ad ipſorum conſolationem?* ſic reſpondent.

„ Suademus ne baptiſmus in Eccleſiis publice inſtitutis, ālibi, quàm in publico cœtu adminiſtretur, fidelibus ad audiendum verbum conſueto tempore convenientibus; idque partim, ne Sacramenta, ſicut in Papatu factum eſt, à verbi prædicatione ſeparata, rurſum in magicas quaſdam ceremonias transformentur: partim, ut craſſa illa ſuperſtitio de abſoluta neceſſitate externi baptiſmi ex animis hominum extirpetur. Certum. n. eſt non privationem, ſed contemptum externi baptiſmi, reum aliquem æternæ mortis conſtituere. Ejuſmodi autem contemptus, præterquam, quòd parentes potius, quàm infantes ipſos reſpicit, non cadit in eos, qui conſueto Eccleſiæ ordine, abſque ſua culpa, ſuos infantes baptizandos offerre non potuerunt.

In Noſtris Eccleſiis in caſu, quo infirmis in fide, aut in bivio poſitis συγκατάβασις aliquâ occurrendum, aut in bivio ſtantes non plane alienandi, ne ad ſacrificulorum, & ſectariorum Baptiſmum confugiant, extra tempus ordinarii conventus privatim aut potius privato-publicè Baptiſmus ſubinde adminiſtratur; inque eum finem dies aliquis baptiſmalis inter dominicos interjectus hebdomatim recurrens inſtituitur, in illis ſcil. locis, ubi nonniſi die-

bus dominicis Ecclesiam ad concionesconvenire solet ; quo, aut alio quovis extra illum (occasione ita ferente) cœtus aliquis ex Senioribus, Diaconis, Amicis, Vicinis sive per campanæ pulsum sive per aliquod aliud indicium convocatur, coram quibus & Parentibus ac Susceptoribus baptizandi, baptismus modo & more solito celebratur : non tamen sine præmissâ brevi aliquâ instructione, aut conciunculâ, & speciali præcautione Baptismum ob peculiares rationes nunc hoc modo collatum non medii, sed tantum præcepti necessitate esse necessarium.

3. *Quæst. An Baptismus administrandus sit post solennem benedictionem, & dimissam concionem? Resp. Neg.* In quibusdam Ecclesiis malus ille mos diu obtinuit; an adhuc alicubi obtineat, nescio. Sed directè repugnat Statutis ecclesiasticis aliisque hactenus adductis contra Baptismum, absque necessitate, privatim administrandum. Quamvis enim in Templo, quod paulo ante habuit Ecclesiam, non tamen in Ecclesiâ, vero Dei Templo, administratur.

4. *Quæst. An diebus dominicis mane, an post meridiem; ante concionem an post concionem, sit administrandus? Resp.* Posterius cujusque Ecclesiæ arbitrio committendum. De priori in particularibus quibusdam Synodis Belgicis decretum est ordinario (nisi peculiaris necessitas dissuadeat), præsertim in vicis, post meridiem esse celebrandum : hanc unicam ob rationem, ne Baptismo ante prandium peracto per operosa convivia baptismalia ilico inchoata, & usque ad finem diei continuata (uti hoc vulgò tunc fieri solet) homines conciones pomeridianas negligerent, potioremque Sabbathi sacris tribuendi partem genialiter comburerent. Talibus conviviis cessantibus, uti in multis bene constitutis Ecclesiis, præsertim urbicis, magnam partem nunc cessant, perinde est sive ante sive post meridiem Baptismus administretur. Atque hæc hactenus de modo, adjunctis, circumstantiis administrandi Baptismi. Hic abrumpo, & volens prætereo partim veterum partim mediorum, partim novorum, lac cum melle mixtum, idemque cum vino mixtum baptizatis datum, Olei unctionem, accensos cereos, vestes candidas, confirmationem mox baptismo subjectam, etiam cœnæ communionem, & serta seu coronas impositas, octo dies festos ob Baptismum agitatos, præterea festum diem anniversarium, septem noctium pervigilia, oscula baptizato à baptizante, & susceptoribus pangenda, similesq; observationes, quales sexcentæ pari jure, pari mysticâ theologiâ accumulari potuissent. De omnibus illis, vide magnam messem à *Vicecomite* factam : qui aliis tamen spicilegium aliquod reliquit. De confirmatione, alibi nobis dicendum. De vestibus forte infra *lib.* 4. nonnulla perstringemus. De osculo vide *supra tract.* 1. *cap.* 7. ubi *de Ceremoniis*. Ritum lactis & vini, ut & lactis ac mellis jampridem in omnibus

ed by Google

bus Ecclesiis antiquatum fatetur *Vicecomes Lib. 5. cap. 44.* Mirum sane passam hoc fuisse Ecclesiam Romanam, quæ in retinendis aut revocandis, aut augendis atque ornandis ejusmodi ritibus, perpetuò prætendere solet tum antiquitatem, tum rationem mysticæ significationis: quin ipse *Vicecomes ibid.* & antiquitatem, & mysterium, ex citatis *Clemente Alexandrino*, & *Hieronymo*, jam probaverat. Unicum ibi ἀνεξαῦτο ex Lindano, qui domo Dordracensis erat, Lib. 4. Panopl. cap. 25. refertur, *suis temporibus in Ecclesiâ Dordracensi consuetudinem* lactis & mellis gustandi *adhuc perseverasse*: hoc est, usque ad annum 1570.; quo una cum regimine Hispanorum Papatus exercitia Dordraci cessârunt.

Tract. II. Sect. IV.

De Cœnæ Dominicæ Administratione.

Cap. I.

De Symbolis, seu Elementis (ita dictis.)

§. 1 IN Cœnæ Administratione consideranda sunt. 1. Externa elementa. 2. Eorundem consecratio. 3. Personæ distribuentes & Communicantes. 4. Instrumenta, seu utensilia. 5. Adjuncta & circumstantiæ. 6. Ritus.

De Symbolis seu elementis quæritur,

1. *Quæst. An utrumque Symbolum seu elementum in usu Cœnæ Communicantibus distribuendum. Resp. Aff.* Thesin hanc passim probatam dederunt *Scriptores Locorum Communium*; & contra Pontificios plenissimè vindicarunt inter alios *Chemnitius in Exam. Concil. Trid.* Post quem idem egerunt *Marnæus* Plessiaci Dominus *de Eucharistiâ*, *Molinæus in Novitate Papatus*, *Chemnitius in Panstratiâ.* Quid de communione sub utrâque specie in Concilio Tridentino agitatum fuerit docebit te ejusdem *Historia Lib. 6.* Quò Lectorem amandamus.

2. *Quæst. An Communio & manducatio Christi sacramentalis à Christo instituta & mandata* (Math. 26. vers. 26. *cum* 1 Corinth. 11. v. 24. 26. 28.) *possit haberi sine Symbolis. Resp. Neg.* Si enim non sunt Symbola, non est sacramentum, hoc est signum visibile invisibilis gratiæ Christi. Quod si quis extra usum sacramenti & absque eo manducat Christum crucifixum, quoties elicito fidei actu eum sibi applicat, ille fruitur sacramenti resignatâ, non vero signo. De hâc solâ manducatione spirituali agitur 6. *cap. Johannis* uti ex *v.* 35.

Digitized by Google

evincitur ; non autem de manducatione aliquâ corporali ſive ſigni ſive rei ſignatæ.

3. *Quæſt. An unum Elementum, quod manducandum datur, debeat eſſe panis? Reſp. Aff.* 1. *contra* tranſubſtantiationem & conſubſtantiationem. Illam examinant *Martyr adverſus Gardinerum*, *Morneus Pleſſiacus*, *Mortonus*, *Molineus*, *Aubertinus*, *Blondellus*, *peculiaribus Tractatibus.* Iſtam *Pareus*, *Polanus*, *Wendelinus*, *Altingius.* 2. *contra* antiquos, dictos Artotyritas; qui panem cum caſeo conjungebat : teſte *Auguſtino de Hæreſibus.* 3. *contra* Cataphrygas & Pepuzianos; qui farinam cum ſanguine. 4. *contra*, illos, qui olim aquam tertium ſignum ſeu elementum addiderunt.

4. *Quæſt. An quod datur in Papatu, ſit aptus panis? Reſp. Neg.* quia non eſt uſualis, & ad alituram aptus. Eſt enim & debet eſſe non tantum azymus ; ſed & ſine ſale : uti vult *Durantus Lib.* 4. *Rational. cap.* 41. Quem allegans *Joh. Steph. Durantus Lib.* 2. *c.* 38. dicit ſe neſcire unde illud didicerit : addit tamen apud *Philonem de Vitâ contemplat.* paulo ante finem, meminiſſe panum abſque fermento & ſale, quales V. T. panes propoſitionis. Sed libenter tribunali Philoſophorum ac Medicorum hanc quęſtionem ſiſtemus: quin & ipſorum Sacerdotum, an tali pane in mensâ ſuâ uti & victitare optarent. Vide *Bern. Gomeſii* archidiaconi Saguntini diaſcepſin de ſale a. 1572. *lib.* 1. *cap.* 5. 6.

5. *Quæſt. Quid ſi alicubi panis ex tritico, aut ex ſiligine, hordeo, ſpeltâ, avenâ, typhâ facti, copia non ſit, an panis ex aliâ materiâ adhibendus? Reſp.* Illud adhibendum eſt, quod illic analogicè panis noſtri vicem præſtat : ſive ex oryza, ſive ex fabis, piſis, caſtaneis, ſive ex fructibus arboris (quales e. gr. nuces *cocos*,) ſive ex terræ radice. *Pontificii in Rubricis ſui Miſſalis*, *de plane miſſatico* determinant, non debere eſſe alium quam triticeum, nec tantum aliorum granorum debere eſſe admixtum, ut non maneat panis triticeus : alioqui non confici ſacramentum, hoc eſt panem non transſubſtantiari, nec fieri ſacrificium propitiatorium. Ita *Concil. Florentin. in Decreto Eugenii* ; & *Thomas* 3. *Qu.* 74. *Art.* 3. qui excludit etiam panem ex amylo; quod amylum fiat ex tritico corrupto. Dubitatur inter ipſos de ſelica ſeu ſecale : ſed *Bonacina*, & cum eo *Gavantus Theſauro ſacr. Rit. tom.* 1. ſeu *Commentar. ad rubricas Meſſalis part.* 3. *tit.* 3. probabilius ſonegare dicunt eſſe triticum in Lombardiâ. *Cajetanus ad Locum Thomæ* explicat de neceſſitate præcepti & non medii : contra quem *Zwarez ad* 3. *Diſp.* 44. Cum quo *Ariaga ad* 3. *Diſp.* 30. *ſect.* 1. abſolutè excludit hordeum & avenam : quia nullo modo ſunt triticum ; nec ad illud reduci poſſunt, & magis ſunt pabulum equorum, quam hominum. De ſiligine (quam alii *ſecalen* appellant) cum *Thomâ* concedit *Tannerus* ; *Ariaga* dicit, non carere probabilitate. *Thomas ſpeltam* (quam alii *zeam* vocant) excludit. *Ariaga* peculiari indagine adhibitâ ex pane cibario, & hoſtiis, quæ inde ſibi pa-

parari curarat, deprehendit esse medium inter triticum & hordeum; atque adeo probabiliter concludit posse esse materiam Eucharistiæ: sed non nisi in casu necessitatis. *Ibid. sect.* 2. negat de amylo; & de pane cum oleo: contra concedit de pane cum lacte: quod *Vasquez* negat. Quidquid autem Recentiores hic fluctuent, *Gabriel Biel in Can. Missæ lect.* 35. non veritus est de hordeo, siligine, speltâ, avenâ concedere. Mirum est Andabatas illos Jesuiticos *Zwarez, Vasquez*, *Ariaga*, &c. non meminisse aquæ Norwegis loco vini à Papâ concessæ: quæ certe longe minorem analogiam habet cum vino, quam siligo, spelta, hordeum, avena, &c. cum tritico. Quod facile in casu praxios culinariæ aut mensariæ, ita judicarent, si illis aqua loco vini aut cerevisiæ ordinariò potanda offerretur. Porro si rationes, quas pro tritico, tanquam solâ materiâ sacramenti ad transubstantionem, & sacrificium idoneâ, adferre solent, inspicis; merito dices homines in stolidis cogitationibus suis evanescere: *Tum*, inquit Gavantus Loc. cit., *quia figuræ veteres ex tritico datæ sunt*; *tum quia hic est panis communiter ad usum hominum.* (Quod posterius strenuè & voce & facto negabunt Germani, Poloni, Borussi, Brabanti, Indi Orientales, & Occidentales, &c.); *tum quia* ita decet ob excellentiam sacramenti. Contra secundum rationem excipi posset, panem illum rotundum instar tenuis lamellæ, intra circularem peripheriam extensum non esse communiter ad usum hominum: uti docet experientia communis, cum praxi pistoriâ & coquinariâ. Et, ut verbo absolvam, si ad usum hominum, Sacerdotes per annum solummodo experiantur, vescendo ejusmodi placentulis, cum addito liquore illo quo Norwegi ex Pontificis dispensatione conficiebant, quem tantopere summus poëta Pindarus in Olymp. od. 1. extollit, canens, ἄριστον μὲν ὕδωρ.

6. *Quæst. An panis debeat esse azymus? Resp. Aff.* Pontificii: ita enim constitutum dicunt ab Alexandro 1. circa annum 150. cum antea esset fermentatus, teste *Platina*. Et non tantum Romæ, sed & in aliis Ecclesiis Occidentis, usus azymi paulatim obtinuit. Contra tamen Orientales retinent panem fermentatum; & Græci pro eodem usque in hunc diem contendunt. Quamvis Pontificii in *Concil. Florent. sub Eugenio* 4. Græcos de suâ contentione remisisse dicant; & ipsi vicissim Ecclesiis Græcis fermentatum permiserint; si que ad unionem cum Papâ Romano accedere velint. Sed quæ, qualis, quanta fuerit illa unio Græcorum cum Latinis, ostendit *Historia* nuperrimè gr. lat. edita: à Crichtono a. 1662. ex quâ M. S. in Bibliothecâ Regiâ ante complures annos excerpta aliqua exhibuerat, *Morneus in Mysterio Iniquit.* edito a. 1611. eademque explicuerat ac defenderat *Rivetus c. Couffetellum* Mornei antagonistam, a. 1617. Certum est hodiernos Græcos etiamnum in eâ sententiâ persistere, unde à Romanis fermentarii dicuntur: & Romani ab ipsis vicissim *Azymita*: fatentibus *Stanislao Solecovio in Notis ad Censuram Ecclesiæ Orientalis*

pag.

pag. 137. ubi rationes utriusque partis breviter referuntur. Pluribus alii pro Romanis, aliis pro Græcis hoc prosecuti sunt : quos partim M. S. partim typis editos indicavit *Petrus Stevartius* Leodius, Theologus Ingolstadiensis *in Observationibus ad Manuelem Calecam pag.* 434. Sed de hâc Græcorum & Romanorum contentione pluribus proculdubio acturi sunt Viri eruditi, qui Leonis Alatii prætensum Ecclesiæ Græcæ & Romanæ consensum examinandum sumserunt. Ecclesiæ Reformatæ sentiunt, nos Christi facto ad usum panis azymi non astringi. Posito enim, usum eum fuisse azymo, quod nullius fermentati tunc temporis copia esset : inde non sequitur, similem panem à Nobis in cœnâ adhibendum ; sed tantum usualem & magis aptum ad sacramentum, quatenus is haberi potest. Jam vero talem azymum & nummularium, instar tenuis lamellæ, esse panem magis aptum, non judicabit diæta medica, aut ars coquinaria. Legatur Romanæ communionis celeberrimus Medicus *Valesius Lib. de sacrâ Philosophiâ cap.* 27. & *Libelli Medicorum de Sanitate tuendâ;* Joh. Bruyerinus Campegius de Re cibariâ, ubi lib. 20. cap. 5. *convenire*, ait, *inter omnes clarissimos Medicos fermentum panificiis salubritatem atque gratiam adferre. Idem cap.* 8. docens, quis panis sit optimus, inter alia ad materiam, quantitatem, formam, &c. pertinentia, requirit fermentum & salem : quæ duo tamen Pontificii abesse volunt. Adde ex Gentilibus Scriptoribus Athenæum imprimis Lib. 3. Dipnosophistion, ubi cap. 18. de pane maximè salubri & altili ex sententiâ Medicorum, *panem facilius quam placentam digeri*, & inter panes *coctum in clibano omnibus virtutibus antecellere : quia bonum habet saporem, stomacho confert, facile digeritur, & facillimus est ad distrahendum* (sic vertit Natalis Comes gr. ὠνὴν εὐάλωτον) *siquidem neque alvum sistit, neque rursus incendit.* Sed quid opus à me antehac observata huc congerere, & plura per Autores sparsa de novo conquirere, cum peculiaris *Libellus* in 8. anno 1618. Hanoviæ typis Wecheli, mihi non ita pridem comparatus autore *Theophilo de Pega* (quod nomen fabricatum videtur) abundè rationibus & testimoniis probaverit, hostiam non esse verum & cibarium panem ; ex quo anno 1630. postr. edit. *Encyclopadiæ* suæ in fol. potiora excerpta jam inseruerat *Joh. Henricus Alstedus Lib.* 29. *sect.* 4. *de arte-poëticâ.* Ubi concludit hostiam esse panem imitatitium, non synonymicè ita dictum. Addo ego, panem secundarium ex amylo, zeâ, avenâ, secale, oryza, milio (quem Pontificii plane rejiciunt), quin & ex fabis, pisis, lentibus, aliisque leguminibus, immo & fructibus arborum, ut castaneis, nucibus in Indiâ dictis *cocos*, radicibus, &c. bene præparatum magis esse panem cibarium quam hostiam. Si excipiant panes Judæorum fuisse satis aptos & cibarios ; qui tamen in modum placentarum cocti erant, ut manibus frangi possent. Respondemus, qualescumque fuerint, saltem non

erant

erant tenues lamellæ nummulariæ : & habebant ſuam partem inferiorem baſim (πάτιζαν βάσιμον) ; partem interiorem (μεσαίτατον) dictam medullam, partem ſuperiorem, dictam cruſtam gr. ψόμιον. Quas partes in pane requiſitas, quomodo in *hoſtiis* ſuis, non mathematicè aut phyſicè, ſed craſsè & ſenſibiliter in manducatione ſatis deprehendant, ipſi viderint. Excipi etiam poſſet Judæorum azymum fuiſſe panem cibarium. Sed probandum eſſet, illum fuiſſe ad alituram maximè aptum. Quod negarent Medici antiqui & recentiores. Utebantur eo Iſraelitæ; non quod maximè cibarius, & gratus, ſed ex neceſſitate præcepti divini. Prout abſtinebant à carne porcinâ, aliiſque altilibus, ſalubribus, gratis; & manducabant paſcha cum herbis amaris *Exod.* 12. quæ tamen ideo naturâ ſuâ præ omnibus aliis herbis non erant magis altiles, ſalubres, gratæ.

7. *Quæſt. An panis debeat eſſe placentula nummulariæ magnitudinis, & figuræ rotundæ? Reſp. Aff. Durandus lib.4. Ration. cap.* 41. Quod *Joh. Stephanus Durantus Lib.2. cap.* 38. conjicit novum non eſſe, ſed per antiquum. Et citat in hunc finem *Gregor. Lib.4. Dialogor. cap.* 55. *Epiphanium in Ancorato, & Chryſoſtom. Homil.* 83. *in cap.* 2. *Mathæi.* Addit ibid. in *pane conſecrando non debere poni ſal, autore Durando* cap. 41. *Unde*, inquit, *didicerit mihi ignotum eſt.* Sed mihi non tantum non ignotum, ſed & certum eſt, quantitatem lamellę nummulariæ, & rotunditatem, cum impreſſis literis nominis Chriſti, & figurâ crucifixi, non fuiſſe aut lege divinâ aut antiquâ eccleſiaſticâ præſcriptam. Multo minus tali aitiologiâ præſcriptam, quod Chriſtus traditus ſit 30. argenteis, & eſt verus denarius laborantibus in vineâ domini, quo etiam reparatur Imago Dei, & quod ſit formæ rotundæ, & quaſi corona, atque orbis, ad ſignificandum Chriſtum, qui eſt Alpha & Omega, dominus orbis, &c. Quæ aliaque μυστικὰ hieroglyphica φιλοσοφήματα ſuggerunt nobis *Durantes, Gemma animæ, Humbertus, Baronius* apud *Gavantum tom.* 1. *Theſauri part.* 2. *tit.* 7.

8. *Quæſt. An abrogatis hoſtiis, ſuus cuique Communicanti panis parvulus ſeu minutus ſit dandus; an vero ex grandioribus panibus manu fractis, aut cultro ſciſſis, buccellæ ſeu fruſta ſint diſtribuenda? Reſp. Aff. poſter.* ex *Math.* 26. *v.* 26. cum 1 *Cor.* 10. *v.* 16. Sed de hoc infra *cap.* 6. *ubi de Ritibus.*

9. *Quæſt. An in primâ aliquâ Eccleſiæ reformatione uſus hoſtiarum ad tempus tolerari: aut ubi abolitus fuit, reſtitui poſſit, ad evitanda ſtandala & ſciſmata. Reſp.* Quod ad *prius*, ſi ſine præſentiſſimo ſubverſionis aut diſſipationis, aut ſciſſuræ Eccleſiarum periculo hic & nunc defectus ille tolli nequit, ad tempus tolerandus eſt; & melior occaſio exſpectanda, ubi homines ſi non paſſivè ſaltem activè magis convicti fuerint. Quo in caſu ſollicitè caveant ſibi Miniſtri, ne ignorantiam & populi ſcandalum paſſivum ipſi foveant & defe-

Digitized by Google

ctum illum perpetuum faciant: ſive omittendo, ſive poſitivè agendo; ex ignaviâ, aut ex ἀφροντιστικίᾳ, aut vanâ ambitione, aut primatophiliâ, aut pravâ æmulatione, aut contentione cum collegis, aliarumve Eccleſiarum miniſtris. Quod ad *poſter.* puto negandum: quia non decet Eccleſiam retrogradi, priorem caritatem deſerere, à perfectione ad priorem imperfectionem relabi. Sed tenere quod habet, & ſecundum eandem regulam progredi. *Philipp.* 3. *v.* 18. *Apocal.* 2. *v.* 4. 5. & 3. *v.* 11.

10. *Quæſt. Quâ quantitate panis ſingulis Communicantibus diſtribuendus? Reſp.* Maximum quod ſic, & minimum quod ſic non ita definiri poteſt: ac quidem maximum & minimum quod non. Ne ſcil. tantum panis detur, quaſi homines illic ſaturandi eſſent. Hoc enim Chriſtus non fecit: quippe qui Apoſtolis convivio paſchali jam paſtis & ſaturatis panem & vinum euchariſtiæ diſtribuit. Nec ex altera parte tam minuta fruſta conficiantur, ut ſimiliora videantur micis, quam mediocribus buccellis. Laudat *Gavantus Part.* 2. *tit.* 7. *pag.* 132. illud Alexandri Papæ dicentis, *Quanto pancior, tanto potior.* Sed tam pauculum eſſe non debet, ut actus τῦ φαγῖν, id eſt, edendi, non ſatis ſenſibiliter haberi, & inde analogia ſacramentalis obſervari poſſit. Multo minus, ut per formam hoſtiæ ab altili, uſuali, & apto pane longè diſcedatur, quo omnes Pontificii, præſertim Clerici (ne quid dicam de Papis, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbaribus, & regalibus Sacerdotibus) perpetuò uti, frui ſolent, aut ſaltem velint. Quomodo autem ex negligentiâ Populi & Paſtorum, ut multa alia, ita & hæ lamellæ nummulariæ circa annum 1000. præter propter irrepſerint, pandit nobis *Honorius Auguſtodunenſis* (qui floruit anno 1220.) in Gemma animæ aliquoties citata *Gavanto in Theſauri tom.* 1. ad *rubricas Miſſalis cap.* 66. Fertur, *inquit*, „quod olim Sacerdotes è ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant, „quod adhuc Græci ſervant; & inde dominicum panem faciebant, quem „pro populo offerebant, & hunc nunc conſecratum eis diſtribuerunt. Poſt„quam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minue„batur: propter carnales ſtatutum eſt (*nota, quomodo in talibus negligentem aut profanum populum Paſtores ſecuti ſint, cum in contrarium debuiſſent* „*præire*), ut qui poſſent ſingulis dominicis, vel tertiâ dominicâ, vel ſum„mis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia, populo non „communicante, non erat neceſſe panem eum magnum fieri, ſtatutum eſt „eum in modum denarii formari vel fieri. *Et paulo poſt*: & ut populus pro „oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum dominum re„cognoſceret. Quod cum caſu ita factum eſſet & jam obtineret, poſtea ratio conſilii, & excogitatum eſt myſterium, ab Autoribus, à *Gavanto cit.* & à *Durando Lib.* 4. *Ration. cap.* 41. Qui idem tamen cap. 35. veritati teſti-

Digitized by Google

teſtimonium perhibet his verbis, *Offerebant magnum panem & omnibus ſufficientem:* quod adhuc Græci ſervare dicuntur. *Caſſander in Liturgis cap. 27.* citat Bernoldum, qui floruit circa annum 1060, has minutias panis tanquam *à veri panis ſpecie alienas* inſectantem. Legant quæſo, qui de novitate hujus nummularii panis informari cupiunt, ipſum *Caſſandrum.*

11. *Quæſt. An tantum vino & quali utendum, ac quanto? Reſp. 1. concl.* Exemplum & inſtitutio Chriſti nos docet, *Luc. 22. v. 18.* ordinariò vino tantum eſſe utendum: niſi neceſſitas aliter cogat. 2. *concl.* de qualitate nihil definitè præſcribendum eſt. Sufficit bonum & generoſum adhiberi, ſiquidem copia ejus ſuppetat. Imprimis attendendum ad gratum ſaporem, ut tanto facilius etiam abſtenii, aut vix unquam vino veſcentes, eum guſtare queant. Errârunt ergo antiqui hæretici, dicti *Aquarii* (apud *Auguſtin. de Hæreſ. cap.* 64.) qui aquâ loco vini utebantur. Idem Marcionitis tribuit Nicetas lib. 4 cap. 14. A quibus non omnino diſceſſit Papa Innocentius, qui Norwegis aquam conceſſiſſe dicitur. Sed aqua nimis recedit à vino, nec ſecundum analogiam, ſacramentalem ſignificationem præſtare poteſt. Notum eſt quid ſit vinum ſeu genimen vitis. De eo ut & virtutibus ejus tum alimentariis tum medicamentariis legi poſſunt Medici; inter eos *Gulielm. Gratarolius Tract. de Vino & omni potabili, Canonbierus Theol. & Medicus tract. peculiari, Valeſius de ſacr. philoſ. c. 27. Alſtedus Lib. 29. Encyclop ſect. 5.* Inter antiquos *Athenæus Lib. 1. cap. 23. - 30. & Lib. 2. cap. 1.* Exſtat *Libellus Petri Pariſii medici Siculi Ital. & Gallicè de olei & vini uſu in chirurgiâ*; qui ad illuſtrationem *Luc. 10. v. 36.* utiliter à Theologis legetur.

12. *Quæſt. An vino aqua miſceri debeat? Reſp. Aff.* Pontificii de miſſæ celebratione, quam cœnæ ſubſtituerunt. Sed tale nihil habet Chriſti inſtitutio. Vinum, quo in cœnâ utebantur, vocatur γένημα ἀμπέλου, id eſt, genimen vitis *Luc. 22, v. 18.* Quod ſi alicubi nullum vinum ſit, præter adeo generoſum, ut aquantulo aquæ temperari neceſſe ſit, quò ſalubriter potari poſſit, illud ad ſacrum euchariſtiæ epulum nihil facere videretur, ubi fideles non ad ſitim reſtinguendam aut ad ſatietatem bibunt, ſed parvulam ſolummodo quantitatem. Et quidquid de vino uſuali communiter aquâ temperato eſſet, nihil tamen hoc faceret ad pſeudo-myſterium: cujus ſolius causâ vinum quodcumque, etiam villum, etiam *Landonium* (Clericis Lovanienſibus ita dictum, quod vino *Cos* ſeu theologico iſtic opponi ſolet) aquâ à miſſificantibus temperari deberet; ex *Edicto Alexandri* I. qui ſedit anno 120. Quod *Juri Canonico* inſertum *c. 1. In ſacramentor. de conſecr. Diſt. 2.* Exſtat hæc *Epiſtola* in *Iſidori Mercatoris ſarragine.* Sed eam ex noſtris *David Blondellus in ſuo Pſeudo-Iſidoro*, &c. *a.* 1628. ita exſufflavit, ut non putem quenquam vel grano judicii præditum hypobolimæo hoc ſcripto cauſam hanc poſthac acturum. Franc. Longus à *Coriolano* Capuchinus *in ſuo Brevia-*

rio chronolog. Pontificum & Conciliorum anno 1623. edito cærimoniam hanc à Chriſto Domino inſtitutam in ultimâ cœnâ probat ex *Liturgia Jacobi, Clemente Lib.* 8. *Conſtit. c.* 12. Sed notha hæc ſcripta quanti ponderis ſint, à noſtris abunde oſtenſum eſt. Vide *Can.* 83. *In calicem* & *c.* 1. *In ſacramentorum.* c. 2. *Sic in ſanctificando* c. 4. *Non oportet.* c. 5. *In ſacramento, de conſecr. Diſt.* 2. Vide *Durantum Lib.* 4. *ration. cap.* 44. *Joh. Steph. Durantum Lib.* 2. *cap.* 38. Imprimus *Rubricas Miſſalis reformati*, autoritate Papali approbatas. Super aquæ illius effectu ſeu concurſu ad tranſubſtantiationem an immediatè, an vero mediatè, an neutro modo in ſanguinem convertantur, diſceptant *Biel in Expoſ. can. miſſæ lect.* 36. Et *Scholaſtici ad Thoma* 3. *qu.* 74. *artic.* 4. Ubi imprimis conferendi ex Recentioribus *Zwarez*, *Vaſquez*, *Ariaga*; qui poſtremus *Diſp.* 30. *ſect.* 3. ſatis probabile eſſe ait, præceptum hoc non eſſe divinum, ſed eccleſiaſticum, & conſequenter poſſe à Papâ in eo diſpenſari.

13. *Quæſt. An ubi vinum haberi nequit, potus quis illic uſualis vino proximè analogus, ſubſtitui poſſit; an vero omnis uſus Cœnæ, aut ſaltem poculi omittendus? Reſp. Neg. poſter. Aff. pr.* Beza cum Calvino, epiſt. 25. & Epiſt. 2. ad Tilium, *ubi panis*, inquit, *aut vini vel nullus eſt uſus, vel nulla certo tempore copia; Cœna rite celebrabitur, ſi quod panis aut vini vicem vel ex uſu communi, vel pro temporis ratione ſupplet, loco panis aut vini adhibeatur.* Ubi addit hanc limitationem: *Itaque à Chriſti ſententiâ non aberrat, qui nullo prorſus novandi ſtudio pro pane & vino ſubſtituat, quæ etſi non parem, ſimilem tamen alimoniæ analogiam habeat.* Hic exclamat in Bezam Jeſuita H. Fitz Simon Lib. 3. cap. 2. Part. 4. O *ſcelus! ô portentum!* Ægidius Hunnius (*ibid.* à Jeſuita *cit.*) hanc cenſuram in eundem ſtringit: *Beza ſcribit plus quam hæreticè licere in defectu panis & vini, adhibere res alias. Paræus Lib.* 1. *de ſymbolis ſacramental.* Bezam defenſurus, limitationem ejus ſic repetit atque explicat: non facile ad ſubſtitutionem veniendum eſſe, ſed „ frenandam in hoc genere humanam licentiam: tamen poſitis his condi„ tionibus, ſi nihil fiat temere aut novandi ſtudio: ſi Cœnæ celebrationem „ omnino poſtulet Eccleſiæ conſolatio, & ædificatio: ſi denique nulla con„ ſueti panis & vini haberi poſſit copia: equidem non dubitârim ſententiæ „ dictæ ſubſcribere. Cum quo me facere profiteor. Et diligenter notandum in Americâ, in aliis Orbis partibus, ex quibuſcumque leguminibus, aut herbis, aut arborum fructibus confectum panem, eſſe illic verum & naturalem ipſorum panem, & potum ex melle, aut liquore arborum dictarum *cocos*, aut ex frumento, aut ex ſaccaro, aut ex cinnamomo, aliiſve aromatis confectum eſſe ipſorum vinum; Illo manducato cor eorum roborari, iſto poto cor eorundem lætificari: qui proprii panis & vini effectus *Pſ.* 104. *v.* 15. indicantur. De pane ex variâ materiâ *Plin. l.* 22. *c.* 21. *Cardan. de ſubtil. lib.* 12. Porta *lib.* 4. *magiæ c.* 16-19. Americanorum quorundam farinâ factâ ex radicibus & milio, deque In-

Digitized by Google

Indorum nucibus, oryza, &c. quibus vescuntur loco panis, referunt *Nostrates in suis Itinerariis*, & *Joh. Leryus Gallus in Historiâ peregrinationis suæ Americanæ cap. 9. Balduinus Lib. 2. cap. 12. casu* 8. & cum eo *Prucknerus quæst. 71.* etiam concedit Indos, qui panibus ex frumento factis carent, panem ex radice *Iphiamech* pistum adhibere posse. Unde inferri posset, Bezam ob panem & potum nostris analogos, hæresios condemnandum non esse. Sed dicet, uti dicit; esse dictum panem verum & elementarem. Cui respondeo sicut radix illa *Prucknero*, in casus positione negatur frumentum, & in responsione dicitur frumentum: sic & generosus quis, salubris, gratus, usualis potus, vinum est, analogicè, non tamen propriè. Pontificii nihilominus negant, in casu necessitatis, præter vinum, alium quem liquorem quamvis potabilem & vino analogum adhiberi posse. *Gavantus Tom. 1. Part. 2. tit. 10. §. 5.* tam rigidè hoc urget, ut cum *Azorio Lib. 2. Theolog. Moralis cap. 10. qu. 7.* determinet, celebrantem, qui vovisset non bibere vinum, hoc loco tamen posse uti vino: *quia*, inquit, *hic urget præceptum Ecclesiæ. Rubrica Missalis Part. 3. ubi de Defectu Vini*, dicit grave peccatum committi, si vinum adhibeatur, quod cœpit acescere, vel aliquantum acre fuerit, vel sit mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua; vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis. *Ibid.* vinum de uvis acerbis seu non maturis expressum, tam procul hinc removetur, ut negetur eo adhibito confici sacramentam. Videatur *Thomas* 3. *Qu.* 74. *art.* 5. & 7. *Recentiores ad ipsum Commentatores*, aut *Disputatores Zwarez*, *Vasquez*, *Ariaga*: ex uno eorum noscetis omnes. Sed meminisse debebant ab Innocentio 8. Norwegis aquę usum concessum: si *Volaterrano Lib. 7. Geograph.* hoc referenti credendum. *Balduinus Cas. Consc. lib. 2. cap. 8. cas. 8. Bezæ* consilium *in Epist. ad Thilium*, & *Bucani in Loc. comm.* oppugnat. Cui miror non lectum *Parei Tractatum de Symbolis sacramentalibus* anno 1603. editum, aut si is lectus, non satisfactum defensione Bezæ *ibid.* præstitâ. Concludit nihilominus satius fore ab usu sacramenti abstinere, quam aliam quandam alimoniam loco panis & vini adhibere: esset enim hoc ipsius sacramenti annihilatio, & non sacramenti sed proprii figmenti usurpatio. Ergone in locis illis, ubi panis ex frumento factus nullus est, ubi nullum vinum nascitur, nec aliunde importatum præ nimio calore aut frigore conservari potest, (qualia loca *ibid.* fatetur in Indiâ Orientali, & in Regionibus Septentrionalibus, Norwegiam scil.; adde & Islandiam) nunquam celebranda esset Cœna Domini? Ergone planè abstemii, à Cœnâ arcendi, aut sub unâ tantum specie ipsis administranda? De quo casu *Quæst. sequ. Religio*, inquit, *nobis est discedere à verbis Christi instituentis?* Applicetur hoc quæstioni de fractione panis & de hostiis nummulariis? & alteri quæstioni, de Baptismo Mulierum. *Si analogia*, inquit, *quærendæ sunt*, &c. *nulla certè*

*concinnior dare poteſt, quam quæ pani & vino cum corpore & ſanguine Chriſti intercedit. Pſ.*104.*v.*15. Sic eſt: ſed unde probabit, panem, quamvis non triticeum aut ſiligineum & potum generoſum, altilem, ſalubrem, quamvis ex uvis non confectum, hominibus illis in Indiâ Orientali non eſſe inſtar panis & vini noſtri, eorumque cor non confortare & lætificare. Contrarium teſtatur experientia. An tam latæ terrarum plagæ cum ſuis incolis in perpetuum excluſæ eſſent, ab uſu Cœnæ, & chriſtianiſmus eorum uſque ad finem mundi diminutus, abſque ſacramentali manducatione. Dicam amplius, An omnino excluſæ eſſent à generali divinæ beneficentiæ, teſtificatione, quam *omnes Gentes* percipiunt, teſte Apoſtolo Actor. 14. v. 16. 17. *replens corda noſtra cibo & latitiâ.* Ubi etiam gentes quæ pane & vino carent, intelligi debent. Hanc eandem communem beneficentiam, ejuſque effectum canit, Pſaltes *Pſ.* 104. *v.* 27. 28. coll. cum Math. 6. Denique ex petitione Orationis Dominicæ, *panem noſtrum quotidianum*, &c. ſic quæro, An fideles illic terrarum cum verbis illis petunt cibum neceſſarium, non petunt cibum primariò & maximè ἐπιούσιον ſeu ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium, ejuſque fulcimentum; & an non pro eo accepto Deo gratias agant? Annuis proculdubio. Atqui alimentum tale ſolidum eſt panis ex frumento, & liquidum eſt vinum; ubi eorundem copia eſt: ubi vero deeſt, analogum, & vicarium ejus eſt quid aliud, nutriendi & reficiendi facultate præditum. Natura enim & Deus autor naturæ non deficit in neceſſariis, juxta ordinem à ſe poſitum, & orbi terrarum ex diluvii aquis redintegrato, promiſſum Gen. 8. v. 22. *Deinceps, quamdiu erit terra; ſementis & meſſis, friguſque & æſtus, & æſtas & hiems, dieſque & nox non ceſſabunt.* A quo excluſæ non ſunt meſſes oryzæ, zeæ, fecales, leguminum, aliarumque rerum, unde panis conficitur, ubi frumentum deeſt. *Balduinus in fine Reſponſ. ad Caſ.* 8. pro pane admittit analogum quid; quamvis in *Principio reſp. ad Caſum* propoſitum definiiſſet verum panem, quo cœna adminiſtranda, *ex frumento factum.* Quod, inquit, ad radicem illam „ Indicam *(iphiamech)* quia panis ex medullâ ejus pinſitur, qui in ribo vul„ gari adhibetur, & ad nutriendum corpus idoneus eſt, panem illum pro vero „ & elementari pane habemus, quia materia eadem eſt, quæ in pane illo, „ qui ex frumento pinſitur, licet modus producendi (qui rem ipſam variare „ non poteſt) ſit alius. Proinde ſi in iſtis locis defectu panis triticei iſto „ pane cœna diſtribuatur, nihil fit contrâ inſtitutionem Chriſti, quæ panem „ in communi cibo uſitatum ad partem elementarem in euchariſtiâ requirit. Hæc caſus determinatio; contra quam nec Beza, nec Pareus, nec quiſquam Noſtrum excipiet: Applicetur hoc ſimili in caſu ſimiliter ad vinum: & non annihilabitur ſacramentum.

14. *Quæſt. Quid faciendum ſi quis* ἰδιοσυγκρασίᾳ *quadam tam abſtemius ſit,*

ut

Digitized by Google

ut vinum nec odorari, nec gustare valeat sine magno fastidio, conturbatione, forte & animi deliquio ; & consequenter sine metuendo aliquo indecoro in cœnæ celebratione ? Resp. Communiter in eo conveniunt, non esse talem cætera maximè idoneum, in perpetuum usu Cœnæ privandum. Erunt forte qui censebunt sub unâ solummodo specie illi Cœnam administrandam. Quod minime probarem. Nihil restat, quam ut consulatur, potum aliquem vino quam proximum, aut maximè analogum, quem decorè gustare queat, illi peculiari calice exhibendum. Quomodo memini vidisse me a. 1619. in celebri Ecclesiâ Hollandicâ leprosum quem in postremâ mensâ paulo remotum à reliquis communicantibus accubuisse, & ex alio quodam poculo solum bibisse. Et hactenus de Symbolis. Videant, qui alios Autores conferre cupiunt *Tract. Parei modo cit.* ubi *Lib.* 1. plurimis argumentis probat hostiarum usum abolendum ; atque una objectiones, & exceptiones Bellarmini & Lutheranorum accuratè dissolvit. Horum postremas exceptiones per Johannem Gerhardum, refutavit *Wendelinus Exercit.* 100. 101. 102.

Cap. II.

De Symbolorum Consecratione.

Consecrare seu sacrare (gr. ἁγιάζειν) in genere notat rem aliquam destinare, separare, applicare, & adhibere ad peculiarem usum sacrum: ita ut mutetur status rei, eaque induat relativam, sanctitatem. Est ergo effectum formale consecrationis, res formaliter sacra seu religiosa. Distinguitur à communi sanctificatione, de quâ 1. *Timoth.* 4. *v.* 4. 5.

Cujus sanctificationis terminus seu effectum formale est sanctitas; eaque usui istarum rerum, qui fide, bona conscientiâ, precatione interveniente, fit in Domino, &c. ad gloriam Dei (1. *Cor.* 10. *v.* 31. & 7. *v.* 39.) per extrinsecam solummodo denominationem tribuitur. Neque enim cibus, potus, domus, lusus, cursus, lucta, deambulatio, jus dicere, milites in armis exercere, piscari, venari, &c. sunt formaliter sacra aut religiosa ; sed tamen omnia illa mundis sunt munda. *Tit.* 1. *v.* 15. De tali benedictione seu sanctificatione pluribus ex professo egimus in 3. *Part. sel. Disp. tit. de Benedictionibus, Consecrationibus & Sacramentalibus.* Nobis hic agendum, de speciali sanctificatione, separatione, dedicatione, appropriatione, applicatione panis & vini ad esse relatum signi & sigilli sacri, Vocatur ea in Scripturis εὐλογία *Math.* 29. *v.* 26. cum 1. *Cor.* 11. *v.* 16. & εὐχαριστία *Luc.* 22. *v.* 19. 1. *Cor.* 11. *v.* 24. De hâc ergo quæratur.

1. *Quæst. An terminus seu effectus formalis consecrationis sacramentalis sit alius*

alius quam τὸ fieri & esse relativum panis, hoc est, sacrum, mysticum, & religiosum signum significans, commemorans, certificans seu obsignans: idque juxta mandatum & promissionem Christi? Resp. Neg. Quidquid enim de reali datione, collatione, exhibitione, communicatione Christi crucifixi, seu corporis & sanguinis Christi hic à Veteribus & Recentioribus dicitur, illud intelligi debet per modum signi & sigilli divini, atque adeo instrumenti moralis. Sunt ex Pontificiis qui consecrationi seu benedictioni (εὐλογίᾳ Matth. 26. 26.) antecedenti tribuunt transubstantionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Pro hac sententiâ acriter contendit *Christophorus à Capite Fontium* minister generalis Minoritarum in libro Parisiis anno 1586. edito tit. *Varii tractatus*, &c. de necessariâ correctione Theologiæ Scholasticæ. Ubi ait transubstationem sine hâc sententiâ non posse satis explicari ac defendi; se id expertum in collationibus, quæ ipsi obligeant, cum Ministris nostris in Gallia; haberi ab utrâque parte Papas, Patres, Doctores: sibi ergo liberum aut licitum esse, eam partem eligere, quam videret cum Euangelio convenire. Quam benignè autem hæc ejus sententia accipiatur, in Papatu, facile colligi potest; quod cum *Bellarmino Lib. 4. de Eucharistiâ cap.* 12. communiter nunc statuant, per quinque verba *hoc enim est corpus meum*, fieri consecrationem hoc est, transubstantiationem; Et consecrationem illam per quinque verba esse formam sacramenti. Atqui *Christophorus*, veritus ne falsum diceret Sacerdos pronuntiando *meo τῷ est*, si demum post pronunciata quinque verba fieret corpus, secundum communem sententiam; contendebat, ante pronuntiata quinque verba à Christo consecratum & transubstantiatum fuisse panem per præcedentem benedictionem. In *Jure Canonico Can.* 61. (non tamen sine contradictione cum *Can.* 55. *de Consecr. dist.* 2. sic habet rubrica: *per benedictionem panis efficitur corpus Christi.* Quod quomodo cum *Biel in Expos. canonis Missæ lect.* 38. conciliari possit, ipsi viderint. Ibi enim exsertè dicit, per quinque illa verba *creari* corpus Christi; & Christum illis verbis *vim consecrativam contulisse.* Interim manent gravissimæ controversiæ. An benedictio, gratiarum actio seu eucharistia, & consecratio, inter se differant, & quomodo: an vero eandem actionem significent. Item, an quinque verba sint de essentia sacramenti & consecrationis; an vero si absit *hoc* aut *enim*, aut *meum*, aut ultima syllaba *um*, non fiat consecratio. Vide pugnantes opiniones apud *Biel Lect.* 36. & *Rhadam* episcopum Pactensem *de Controversiis inter Thomam & Scotum Part.* 4. *controv.* 5. *artic.* 2. & 3. Et *Recentiores ad Thomæ p.* 3. *qu.* 38. *art.* 3. & *Bellarminum Lib.* 4. *de Eucharistiâ cap.* 1. & 12. Rhada artic. 3. concl. 7. p. 135. concludit, Ecclesiam Romanam *certam esse de verbis substantialibus formæ consecrationis panis in corpus Christi, quod sunt ista*: hoc est corpus meum: *cæterum*

Digitized by Google

rum de verbis consecrationis calicis præcisis, non est omnino certa, licet verè sciat contineri in his verbis Christi, quæ in Canone Missæ ponuntur. Hic est calix, &c. Ibid. concl. 8. sic θεολογῶ: *Forma consecrationis corporis & sanguinis solum constat verbis à Christo prolatis, qui sacramentorum Autor est, & sunt ea quæ in Canone ponuntur, licet ignoremus* (N. B.) *quæ sunt præcisè verba consecrationis calicis, etsi certi sumus in iis quæ Romana Ecclesia utitur esse verba essentialia, & sufficientia ad consecrandum. Biel* tamen *Lect.* 38. in numero quinario quinque verborum ponit mysterium: totidem enim incarnatio consummata fuit: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Publicano totidem facta culparum remissio: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Latroni totidem cœli promissio: *hodie mecum eris in paradiso.* Interim non explicatur, an verborum numerus supputandus sit, in linguâ N. T. græcâ, an in Latinâ, an potius in Syriacâ seu Syrochaldaicâ, quâ quippe vernaculâ tunc utebantur Christus, Maria, Publicanus, Latro. Manet etiam controversia, An benedictio, cui aliqui transsubstantiationem tribuunt, facta sit à Christo, cum signo crucis, manu formato. *Gavantus Part. 2. tit. 8. pag. 149.* dicit, se hoc non opinari, & citat *ibid.* sibi ὁμόψηφον *Nicolaum Ploue in Expositione Missæ.* Rationem subjicit valdè notabilem: *quia nondum data erat cruci DEIFICA VIRTUS.* En labyrinthum Papistarum. Adde & perpetuam ignorantiam & incertitudinem, an Sacerdos missaticus verba illa creantia pronuntiârit, & an habuerit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; Miseris illis merito applicari posset illud Joh. 4. *Vos adoratis quod nescitis.* Et *Actor. 17.* de arâ ignoto Deo dedicata. Nihil illis restat, quam ut cum *Corn. Jansenio* Theologo Lovaniensi respondeant, quod ille Theodoro Simoni coram illum convincente, de idololatriâ Papatus in adoratione hostiæ (quoties scil. illa non est transsubstantiata): Non obligari ipsum ad adorationem hostiæ, quippe cujus conversio fide non teneatur. Videnda de hâc collatione cum Jansenio, *Epistola Apologetica Theodori Simonis ad Lib. Froymundi Theol. Lovaniensis* quam *Lib. suo de Statu & religione propriâ Papatus* a. 1638. præmisit.

2. *Quæst. In quo consistat consecratio, an in verbis solis pronuntiatis, cum intentione Sacerdotis; an vero in verbis & factis seu in collectione omnium actionum, quæ ad legitimum Cœnæ usum requiruntur? Resp. pr. Affirmant* Pontificii in *Concil. Trident. sess.* 13. & apud *Thomam, Bellarmin. Lib.* 4. *cap.* 12. 13. 14. *Rhada, Ariaga.* Nostri *negant*, cum *Calvino Lib.* 4. *cap.* 18. *Chamiero in Panstrat. de Sacramentis in genere cap.* 15. & 16. Breviter, sumtio, fractio, & datio panis in signum & sigillum juxta verbum mandati & promissionis repetitum & conscientiis communicantium specialiter tunc applicatum; ejusdemque panis acceptio & actualis manducatio in speciale signum & sigillum, præmissâ

Digitized by Google

precatione consecrat & relativè sanctum constituit illum panem, eumque ipso illo usu à communi pane distinguit.

3. *Quæst. An ergo panis extra illum usum sit sacer, ac consecratus, atque adeo sacramentum? Resp.* Pontificii apud *Bellarminum, Lib.4. Affirmant c.*11.& 12.& in omnes formas se vertunt, ut ἀσύστατον hoc de pane in pyxide conservato tueantur. Quem Antagonistæ ipsius *Amesius* & *Chamierus* confuderunt. Hoc absurdum nullo colore tueri possunt, nisi substernant πρωτοδοξούμενον hoc postulatum: *Sumtio seu usus Eucharistiæ non est sacramentum nec pars ejus*: Sic *Thomas p.*3.*qu.*78.*art.*5. cum suis. Et *Scotus in* 4. *dist.*8. Idemque sentiunt *quasi omnes Theologi*, inquit Rhada Controv.5. artic. 1. concl. 3. Et huc reducuntur quæstiones sequentes. Quid sit propriè sacramentum an res consecrata, an vero ejusdem sumtio & manducatio? An sacramentum Eucharistiæ sit res permanens, an actio transiens. De quibus ex nostris vide disputantes *Martyrem de Eucharistiâ ad object.*88.& 132. *Chemnitium in Examine Concil. Trid. ad sess.*13. *Calvinum Lib.*4. *Institut. cap.*18. Et *Amesium in Bellarmino enervato part.*2. *Tom.*3. *disp.*31. *cum Appendice disp.*30. *Chamierum in Panstratiâ, ubi de Sacramentis in genere, Forbesium in Instruct. Historico-theologicis lib.*11. *cap.*7.

4. *Quæst. An verba, quibus Minister institutionem, mandatum, & promissionem Christi, tum ante administrationem, tum in ipsâ administratione sive summariè proponit, sive breviter exponit, sint verba concionatoria; an vero sint forma Eucharistiæ, & efficaciter ac directè operatoria, se creantia? Resp.* Pr. Neg. poster. *Aff.* Pontificii; ideoque formalia verba integrè pronuntianda præscribunt, in generalibus Rubricis Missalis, tit. de Defectibus, &c. §. 5. de defectibus formæ: *Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis quæ ad integritatem verborum in ipsâ consecratione requiruntur*, &c. *Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de formâ consecrationis corporis & sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissimè peccaret.* Circa casum priorem *ibid.* præscribit Rubrica, *ut resumat formam consecrationis*: siquidem certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate sacramenti; & *ut iteret formam, saltem sub tacitâ conditione*, si valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse. Quid per formam Rubrica denotet, inter se digladiantur apud *Zwarium ad* 3. *Thomæ Disp.*85. *sect.*1.

5. *Quæst. An ergo quæ à Ministro in administratione proferuntur, ad Communicantes & Ecclesiam dicenda sint, & consequenter clarâ & intelligibili voce: an super pane & vino, & consequenter voce submissâ, & remotè à Populo (in choro scil.), ne Populus exaudiat? Resp. poster. Aff.* Pontificii. Ubi tamen limitant, non esse necesse in prolatione formæ, *ut sonus verborum attingat hostiam*

vel

Digitized by Google

vel calicem. Sic Zwarez Disp. 45. sect. Et cum eo *Gavantus ad Missalis Rubricas General. tit. de Defectibus §. 5. de Defect. formal.* Sunt enim verba illa, *Hoc enim est*, &c., & quidem sola, ipsis verba arcana seu mystica, theourgica, consecratoria, creantia, quæ super pane & vino recitari volunt: ne scil. Populus exaudiat. Rationem adfert Innocentius Lib. 3. de sacro altaris Mysterio cap. 1. *ne sacrosancta verba vilescerent.* Addit *Thomas qu.* 83. *art.* hanc rationem, *Quia* oblatio & consecratio ad solum sacerdotem pertinet. Nos contra dicimus exemplo Christi Cœnam instituentis verba ad Populum seu Communicantes esse dicenda: quippe instructoria, & commonitoria; non operatoria: nisi quatenus omne verbum Dei propositum agit tanquam instrumentum morale ad fidei implantationem & augmentum, in iis, qui verbum salutariter audiunt. Christi exemplum secuta fuit antiqua Ecclesia, quæ verba audiente Populo recitabat; ut Populus ad ea responderet *Amen:* testibus *Ambrosio de iis qui Mistieriis initiantur cap. 9. Leone Serm. 6. de Jeiunio 7. mensis,* & *pseudo-Clemente ipsorum Lib. 8. Constitut. cap.* 20. Adde & Justiniani Novell. 123. (ex edit. & interpret. Haloandri edit. Basil. in fol. apud Hervagium anno 1541. fol. 131. textus gr. & fol. 325. textus lat.) Κελεύομεν πάντας ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους μὴ κρύβδην τὸ ἐπιτελούμενον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῆς πιστοτάτης ἐξακουομένης τῶν ἱερῶν προσκομιδῶν, καὶ τῶν ἐπὶ τῆς ἁγίας βαπτίσματι προσευχῶν ποιεῖσθαι, &c. id est, interprete Haloandro: *Jubemus ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri, non tacito modo, sed clarâ voce, quæ à fideli populo exaudiatur sacram oblationem, & preces in sancto baptismate adhibitas celebrent, quo majori deinde devotione in depromendis Domini laudibus audientium animi,* &c. Et adducitur ibid. textus 1 Cor. 14. 6. *Enimvero, si solummodo benedicas spiritu, quomodo is, qui privati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo, ipsum Amen.* Apponit *ibid.* comminationem horrendi judicii divini, & sue vindictæ ista negligentibus exspectandam. Eadem verba ex Haloandri translatione ita habentur in edit. Corporis Juris in 8. Paris. 1548. apud Carolum Guillard. fol. 254. Quod hic moneo, quia in veteri translatione latinâ (quam Basil. editio in fol. anno 1541.) è regione novæ ex græco codice Haloandri ab ipso expressæ exhibet, ista & alia compluria omissa sunt. Quæ autem & qualis sit antiqua translatio, quâ barbari ICC. ante renatas literas usi sunt, indicant *Præfationes Typographi Basilienfis*, & *Haloandri.* Apud Græcos etiam hodie & ista & omnia verba sive instructoria, sive precatoria, sive eucharistica, clarâ voce pronuntiantur, ut populus possit dicere, Amen. Cardinalis Bessarion ὁ πρώην à Græcâ Ecclesiâ ad Romanam in Tract. de Eucharistiæ sacramento (qui editus est cum Liturgiis & Scriptoribus liturgicis latinè à Morellio anno 1560. editis in fol.) pag. 184. *Sacerdote enim verba illa altâ voce, ut vos Græci soletis, pronuntiante, assistens Populus in utrâque parte respondet, Amen:*

Digitized by Google

quaſi dicat verè ita eſt, ut tu dicis, &c. *Et quomodo, quæſo te, non eſſet turpe putandum eos qui doctiores haberi volunt, ea ignorare, quæ ſæculares & ſacrarum literarum ignari, reſpondendo Amen, manifeſtè ſe ſcire ſignificant. Quid nome aſſiſtens Sacerdoti Diaconus, eique miniſtrans, dum Sacerdos altâ voce (juxta Orientalis Eccleſiæ ritum) verba illa pronuntiat*, hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus, &c. Cæterum non tantum illa verba, quæ Pontificii vocant conſecratoria, ad conſecrationem, ex ſenſu Græcorum, pertinere, conſtat ex Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani Cenſurâ ad Wittebergenſes cap. 10. *qui omne hoc perficit & conſummat ſacramentum, ſpeciebus per divinas & ſacras preces, dominicaque verba.* Ex Pontificiis Staniſlaus Socolovius in Annotationibus ad cap. cit.: *arbitrantur plerique* (immo omnes, qui ad Eccleſiam Romanam non tranſiverunt) *ex Græcis, non ſolis verbis Domini pretioſum corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti confici, ſed aliis item ſacris ad Deum precibus, gratiarum actionibus, jubilationibus, confeſſionibus, poſtulationibus.*

CAP. III.

De Perſonis diſtribuentibus, & communicantibus.

HActenus de ſymbolis ſeu elementis, eorumque conſecratione: nunc dicendum de Perſonis; quæ vel diſtribuentes, vel communicantes.

Diſtribuentes ſunt ſoli Miniſtri euangelii: uti colligitur, ex adminiſtratione Baptiſmi, de quo ſupra *Sect.* §. ex *Matth.* 28. *v.* 19. Cui enim commiſſum munus prædicandi euangelium, eidem commiſſa adminiſtratio ſacramentorum; quæ idem per ſigna viſibilia exhibent, quod prædicatio verbi per ſignum audibile: Hic ergo ad majorem elucidationem queritur,

1. *Quæſt. An quilibet poſſit adminiſtrare Cœnam? Reſp. Neg.* Quia, illud de ſacerdotio veteris Teſtamenti *Hebr.* 5. *v.* 4. *nemo ſumit ſibi hunc honorem*, &c. etiam Paſtoribus N. T. applicari debet ut & *Rom.* 10. *v.* 15. Illi enim non minus, quam Miniſtri veteris Teſtamenti, ad ſacra peragenda, præparari, ſeparari, eligi, & ſanctificari debent. Accedit, quod claves Regni Cœlorum, (quarum altera eſt doctrinæ, ſeu ſcientiæ, hoc eſt, verbi prædicatio, & ſacramentorum adminiſtratio) nemini ut principio & ſubjecto quo, appropriatæ ſunt, niſi Eccleſiarum Paſtoribus. Hinc elucet quam paradoxa ſit doctrina libertinorum ſeu Enthuſiaſtarum, ſemi Enthuſiaſtarum, & Sociniorum apud *Smalcium Diſp. de Miniſterio ſect.* 2. ubi probat ex *Actor.* 10. *v.* 48. ſacramenta adminiſtrata à Fratribus, ad miniſterium Eccleſiæ non-vocatis. Nos reſpondemus baptizantem illum fuiſſe aut ipſum Petrum, cujus mandatum reſpicere poteſt baptizandos: aut ſi reſpiciat mandatarios baptizantes,

Digitized by Google

zantes, dici potest illos fuisse docentes & Presbyteros; & non tantum discentes: quales Judas & Silas *Actor.* 15. *v.* 22. 23. Apollo 1 *Cor.* 16. *v.* 12. 2 *Cor.* 1. *v.* 1.

2. *Quæst. An princeps aut Magistratus habeat potestatem administrandi Cœnam? Resp.* Est hoc insanum ætatis nostræ somnium, ex nescio quibus elementis phantasticis, in Scripto Anglico, cui tit. *Leviathan* expressum. Nos supra ostendimus non claves Regni Cœlorum, sed gladium Magistratui divinitus commissum. *Math.* 16. & 18. coll. cum *Rom.* 13. Argumenta illic adducta, hic non repetimus.

3. *Quæst. An quis Cœnam Ministro hæretico, aut heterodoxo; aut in communione Ecclesiæ hæreticæ, aut idololatricæ petere, & recipere possit? Resp. Neg.* Quia ecclesiastica communio cum Hæreticis, & Idololatris colenda non est. Ergo nec Cœna cum ipsis celebranda. Antecedens probatur ex *Rom.* 16. *v.* 17, 18. 1 *Cor.* 5. *v.* 11. 2 *Cor.* 6. *v.* 14-17. *Apocal.* 18. *v.* 4. *Actor.* 19. *v.* 9. aliisque testimoniis & argumentis, quibus separatio ab Ecclesiâ Romanâ suaderi, & syncretismus cum eâ dissuaderi solet. De quibus *Part.* 3. *tit. de Syncretismo, de Moderatione & Tolerantia*, agendum. Unum solum hic suggero, Quia celebratio Cœnæ est tessera confessionis, & fraternitatis in eâdem Ecclesiâ 1 *Cor.* 10. *v.* 17. cum Hæreticis & Idololatris nemo velit esse ἐν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα *Ephes.* 4. Alius autem casus est, si quis Minister hæresim occultè fovens, interim toleratur ab Ecclesiâ orthodoxâ in ministerio. Si tamen quis satis nôrit, eum esse hæreticum, is optimè conscientiæ suæ consulet, si in ejusdem aut vicinæ Ecclesiæ orthodoxæ communione ab orthodoxo Ministro Cœnam accipiat.

4. *Quæst. An quis privatus in casu mortis Cœnam alicui administrare possit? Resp. Neg.* Quia ejus rei neque mandatum, neque exemplum in Scripturâ invenitur. Ex Lutheranis *Hutterus in loc. Commun.* & cum eo Prukнerus Quæst. 67. *Neg* hâc ratione, Quia nec mandatum nec exemplum Scripturæ habetur. *Interim*, ajunt, *agnonizans promissionibus euangelicis se erigat, ut ex ejus sacramenti defectu nullum sit extimescendum salutis periculum.* Rectè. Applicetur hæc ratio pariter privatæ Eucharistiæ, & Baptismo Mulierum: quorum mandatum aut exemplum à Spiritu sancto in Scripturis probatum, hactenus nobis non commonstrârunt.

5. *Quest. An privatus quis inter Infideles aut Heterodoxos, pro tempore, necessariò habitans, sibi suisque Cœnam porrigere possit? Resp.* Movent hanc quæst. *Balduinus Lib.* 2. *cap.* 12. *cas.* 5. & post eum Prukнerus quæst. 68. Et negant uterque hâc ratione: quod *actus hic sit sancti ministerii, quem privatus sine profanatione hujus sacramenti exercere non potest.* Rectè. Sed applicetur hoc pariter ad gynaico-baptismum: aut detur ratio diversitatis.

Digitized by Google

6. *Quæſt. An Eccleſiæ Miniſter ſibi ipſi Cœnam porrigere poſſit ? Reſp. Aff.* in communione ſcil. Eccleſiæ : imprimis ſi Collegâ deſtitutus ſit. Et ſic omnes Noſtri in Germaniâ, Belgio, Angliâ, &c. qui in omnibus fere vicanis, & non paucis oppidanis Eccleſiis ſoli miniſterio funguntur, perpetuo Eccleſiæ pariter & ſibi ipſis, Cœnam porrigere ſolent. Quibus præluxit exemplum Chriſti in primâ Cœna : cujus ipſum participem fuiſſe, non minus ac circumciſionis, Baptiſmi, agni paſchalis, colligimus ex *Math.* 26. *v.* 29. Aſſentiuntur *Balduinus Lib.* 4. *cap.* 9. *caſ.* 7. & *Prukнerus Quæſt.* 70. Poſterior, *qu.* 69. addit, poſſe Miniſtrum in caſu gravis morbi, cum propter loci diſtantiam vicinus Miniſter accerſi nequit, privatim ſibi Cœnam adminiſtrare. Verum hujus rei cum mandatum aut exemplum Scripturarum non ſuppetat, tutius eſt ſequi *Hutteri* & Prukneri modo ad Quæſt. 4. laudatum : *agonizans erigit ſe promiſſionibus euangelicis*, &c.

7. *Quæſt. An conveniat Cœnam diſtribui à Miniſtro, qui ipſe non communicet ? Reſp.* Si quis perpetuò aut ordinariò, aut plerumque non communicaret, is ad miniſterium promoveri non deberet ; aut ſi per errorem promotus eſſet, in eo non tolerari. Quomodo enim Anteceſſor eſſet in verbo & annexis ſacramentis, qui à Cœnâ abſtineret ? & qualis ille eſſet Paſtor, qui extemâ illâ Cœnæ conteſſeratione ſe ovem non oſtenderet ? Sed ſi quis ad tempus aliquod, aut ſaltem hâc vice ſponte ſuâ abſtineret, aut inter abſtentos judicio Eccleſiæ numeraretur, quamvis cætera minimè malus eſſet : non video, quomodo ipſe non communicans, abſque ſcandalo & Eccleſiæ turbatione iſtic Cœnam aliis diſtribueret. Poſſet tamen caſus incidere, ut quis Miniſter non culpâ ſuâ, ſed aliorum & ob ſciſmata, turbas, factiones, ἀπρεπείας prævenendas, à communione iſtic abſtineret. Et tunc conſultum, ut etiam à diſtributione abſtineat eamque Collegæ, aut ſi eo careat, alteri alicui Miniſtro vicino committat : ipſe interim in aliâ quâ Eccleſiâ Cœnam perceptutus.

8. *Quæſt. Quouſque Seniores aut Diaconi, Miniſtrum in diſtributione juvare poſſint ? Reſp.* Stanti ad menſam panem, ſiquidem deficiat, adferunt, calices vacuos implent, eoſdemque ab extremo menſæ, ubi poſtremi biberunt receptos, ad manus ejus deferunt ; ad εὐπρεπείαν in accedendo ad menſam, & ab eâdem diſcedendo attendunt ; imprimis ad accedentes, ne alieni, aut abſtenti iis ſe miſceant. Variat aliquantulum hic praxis : in quibuſdam enim, ſi non in pluribus, Eccleſiis Seniores Miniſtro adſtant, & auxilium hoc præſtant, in nonnullis aliis, (forte paucioribus) Diaconi calices implent, & Miniſtro adſtant. Poſteriores reſpexiſſe puto *Actor.* 6. *v.* 2. ubi de miniſterio menſarum. An autem textus ille de adminiſtratione Cœnæ & agaparum, quæ conjungi ſolent (uti ex 1 *Cor.* 11. colligi videtur), an vero de adminiſtratione menſæ pauperum, quibus oblationes eleemoſynatiæ imponebantur,

Digitized by Google

tur, & inde in pauperes distribuebantur, an de utrâque intelligendus est, haut ita determinari potest. Saltem ministerium circa pauperes & eleemosynas excludi non posse, ex serie contextus perspicitur. Includi etiam videtur ministerium circa agapas, in quibus peculiaris ratio pauperum habenda erat 1 *Cor.* 11. *v.* 21. 22. Et hoc ministerium pertinebat ad Diaconos. De ministerio circa celebrationem Cœnæ, non ita liquet. Interim adiaphorum est, & licitum, ut in Ecclesiis, ubi illud à primâ reformatione usque in hunc diem consuetum est (uti esse certus sum) Diaconi calices impleant, & Ministro adstent. Rationes sint istæ. 1. *Quia* in Ecclesiis, quæ senioribus carent, (sive moribus aut certo ordine hoc fiat; sive per negligentiam aut *ἰδιογνωμοσύνην* Ministrorum; sive per novellæ plantationis immaturitatem) opera hæc ad Diacono, absque ullius contradictione, hactenus præstitu est: aut si desit Diaconus, à Janitore seu Ædituo. 2. *Quia* communiter apud nos ab Æditis aut Janitoribus, similibusque in templo aut circa illud ministrantibus, panis præparatur, in frusta scinditur, patinis imponitur, vinum promitur, amphoræ implentur, & ad Seniores aut Diaconos, qui inde in calices infundunt, deferuntur. 3. *Quia* per Statuta nostra ecclesiastica, in minoribus Ecclesiis, ubi infrequens est numerus Seniorum, etiam Diaconi in toto Ecclesiæ regimine partem faciunt. Non repugnat ergo, aut ordini ecclesiastico, aut juri divino, si Diaconorum opera alicubi hac in parte utantur: sed totum hoc libertati Ecclesiarum, secundum speciales *πρεσβύτερων* agenda sua ordinantium, relinquendum est. *Priores* proculdubio respiciunt, munus Seniorum in *Liturgiâ nostrâ* descriptum: ubi dicitur analogicum esse muneri levitarum, qui Sacerdotibus in administratione sacrorum, tanquam auxiliares adjungebantur. Ita ut in istâ eorum operâ & auxilio nihil inconveniens ostendi queat: nec hactenus novi, controversiam aliquam circa auxilium, quod Seniores aut Diaconi in Cœnæ administratione præstant, à quoquam hic motam esse. De ipso munere Seniorum, & Diaconorum infra *Part.* 2. disquirendum erit. Unum nunc in mentem ante annos complures cum in Academiâ, Lugduno-Batavâ studiorum causâ versarer lectum mihi *Libellulum* in 8. autore *Rotario* (ni fallor) Ministro in agro Genevensi, ab amico commodatum, quo argumentis in formâ adductis oppugnabat distributionem calicis per Seniores, in Ecclesiâ aliquâ (Genevensem tacitè, si bene memini, notabat) tunc etiamnum usitatam. Præcipuum argumentum huc redibat, Quod calix non minus ac panis necessariam Eucharistiæ partem faceret: Et quandoquidem Ministri solius sit dispensare sacramentum Eucharistiæ, calicem æque ab eodem distribuendum, ac panem. Non satis memini, an in narratione facti, referretur solum panem à Ministro illic porrigi ac distribui, calicem autem à solis Senioribus; ita ut Minister ne calicem quidem in manus sumeret, nec com-

Digitized by Google

communicantibus ſive immediate de manu in manum, ſive mediatè porrigendo eum Senioribus, & per manus Seniorum communicantibus traderet. Cum autem *Libellulus* ille poſt illud tempus nunquam mihi lectus ſit, nec ejus in præſenti copia aliunde fieri queat, neſcio quid de illa diſceptatiunculâ ſtatuendum. Saltem in communi more Eccleſiarum Belgicarum, ut quidem mihi notus eſt, nõ arbitror aliquid πάντως aut indecori à quoquam deprehenſum iri.

9. *Quæſt. An à Miniſtro diſtribuente ſingulis Communicantibus, panis & calix porrigendus? Reſp.* Quod ad panem, variat praxis in Eccleſiis noſtris. Hic enim, ut & in pleriſque Eccleſiis minoribus, ſingulis porrigitur: alibi, præſertim in Eccleſiis frequentioribus, ubi menſæ longiores magnum numerum ſimul Communnicantium capiunt, à Miniſtro aliquibus proximè aſſidentibus panis porrigitur; reliqui de pane fruſtratim fracto & in patinas repoſito partem ſuam quique manu ſuâ ſumunt. In quem finem patinæ à dextrâ & ſiniſtrâ Miniſtri uſque ad finem menſæ ſucceſſivè à Communicantibus promoventur. Hunc modum ſuaſit Communicantium in majoribus Eccleſiis tanta frequentia: ut alioquin adminiſtratio per totum fere diem protrahenda, & Cœtus Eccleſiæ detinendus eſſet Viſum ergo fuit dicto incommodo in majoribus Eccleſiis hâc ratione aliquantulum occurrere. In aliis quibuſdam Eccleſiis, ſatis etiam frequentibus, ubi ſingulis à Miniſtro panis porrigitur, idecque breviores ſunt menſæ, quæ non ita multos accumbentes capiant (qualis hæc noſtra Ultrajectina) per binos Miniſtros ſimul diſtribuentes actionis aliqua abbreviatio quæritur. Sed antidotum antidotorum foret Templorum & Miniſtrorum in majoribus Eccleſiis, multiplicatio. Nihilominus neutrum modum video repugnare inſtitutioni & exemplo Chriſti. In modo tradendi calicis puto noſtras Eccleſias convenire. Ubique enim poculum proximè aſſidentibus manu Miniſtri aut Miniſtrorum porrigi ſolet; quod ab illis guſtatum per eoſdem aliis aſſidentibus, & ab his viciſſim aliis & ſic deinceps traditur. Hunc modum in diſtributione poculi euchariſtici ſervatum in primâ Cœnâ videtur colligi poſſe *tum* ex collatione poculi paſchalis, de quo Luc. 22. v. 17. *accipite hoc, & partimini vobis ipſis: tum* ex ſtatu & ſitu: tunc accumbentium, qui poculi circumlationem ad ſingulos communicantes per manum Chriſti vix admittere videtur. Quod tanquam probabile adfero: neque enim certo conſtat de ſitu convivantium; qui pro varietate Gentium, immo & in eâdem gente variare ſolet. De quo conſulendi *Scriptores de Conviviis*: quales *Stuckius*, & poſt eum, etiam forte ex eo, Jeſuita *Jul. Cæſar Bulengerus*. Conferendæ etiam *Notæ textuales in Math.* 26. *v.* 26. De more circumferendi poculum & ſingulis Communicantibus Miniſtrum circumſtantibus, aut Miniſtrum & menſam longâ ſerie prætereuntibus manu ejuſdem Miniſtri porrigendi; in præſenti non quæram: quandoquidem & iſto

ſitu

ſitu vulgaris cibus à feſtinantibus, aut jentaculum, merendamve ſumentibus manducari poteſt, & ſolet. Infra ſuo loco de ſeſſione in noſtris Eccleſiis receptâ, deque controversâ genu-flexione opportunè agemus.

Hactenus de Miniſtro Euchariſtiæ: de Communicantibus nunc deſpicien- §. 2.
dum; qui ſcil. & quales eſſe debeant. Uti autem in Eccleſiâ duplex ſtatus conſideratur & diſtinguitur, interior ſeu inviſibilis, & exterior ſeu viſibilis: ita & in Communicante, duplex qualitas, & duplex qualitatis examen atque exploratio ſpectari debet. Qualitatis interioris, & digni Communicantis exploratio, & debita ad Cœnam præparatio, pertinet ad ſolum communicantem: eſtque privata, ſolitaria, inviſibilis, ſoli cuique Communicanti & Deo cardiognoſtæ nota, ac perſpecta, juxta illud 1 Cor. 2. v. 11. *Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis*, &c. Hic nullæ ſunt Eccleſiæ aut miniſterii eccleſiaſtici partes, niſi quatenus lucem verbi preferendo, modumque & rationem qualificationis, explorationis, præparationis præſcribendo, conſcientiis ſingulorum obſtetricatur. & fideles ſe mutuo, obſervantes *acuunt ad charitatem & bona opera.* Hebr. 10. v. 24. Cæterum obtinet hîc vulgatum: *de occultis non iudicat Eccleſia.* Et hæc ſingulorum privata & ſolitaria qualificatio, exploratio, præparatio à parte Dei innuitur *Pſal.* 26. *v.* 2. & 139. *v.* 1-7. & *v.* 23. 24. à parte hominis 2 *Cor.* 13. *v.* 5. & 1 *Cor.* 11. *v.* 28. Et de hâc diſtinctè agit *Catecheſis noſtra quæſt.* 81. & fuſius in *Liturgiâ tit. de Adminiſtratione Cœnæ*; fuſiſſimè vero varii pii libelli, alibi indicati. De hâc *Nos in Exercitiis pietatis.* Exploratio & præparatio publica ſeu eccleſiaſtica, conſequenter externa & viſibilis, occupatur circa eos, qui dignè & cum ædificatione Eccleſiæ ad Cœnam & eccleſiæ communionem admittendi ſint. De quâ propriè hic agendum. Quæritur ergo,

1. *Quæſt. An promiſcuè quivis, qui modo in infantiâ baptizati ſunt, etiam inviti, cenſuris eccleſiaſticis & pœnis politicis ad uſum Cœnæ compellendi ſint?* *Reſp. Neg.* de Infidelibus & Hæreticis non baptizatis: idque ex rationibus, quæ contra conſcientiæ & fidei coactionem infra *Lib.* 4. adducentur. Quod ad baptizatos in infantiâ; concedere poſſumus, Eccleſiam obligari tales ex fundamento Baptiſmi olim collati, verbo inſtructionis & adhortationis ad actualem reſipiſcentiam, fidem, fidei confeſſionem, ejuſque teſſeram Euchariſtiæ perceptionem movere & promovere: ſed ut hoc faciant, per commination nem diſciplinæ ſeu cenſuræ, & tandem, ſiquidem non audiant, per promulgationem excommunicationis compellendos; non video à Pontificiis, & non nemine ex Noſtris tale quid aſſerente, hactenus probatum. De quo *Tract. hujus Sect.* 3. *cap. ult.*

2. *Quæſt. An omnibus ergo, qui modo accedunt & verbis aut manus extenſione petunt, abſque delectu Cœna diſtribuenda? Reſp. Neg.* cum *Catecheſi*

Digitized by Google

Noſtrâ quæſt. 82. & *Liturgiâ tit. cit.* quæ in genere omnes manifeſtos & impœnitentes Peccatores & ſcandalosè viventes, & in ſpecie Idolatras, Superſtitioſos, Homicidas, Adulteros, Fœneratores, Aleatores, &c. excludit. Adde *Confeſſionem Belgicam artic.* 30. *aliaſque Reformatorum Confeſſiones.* Adde & doctrinam, praxim, diſciplinam, canones antiquæ Eccleſię; nec non eccleſiarum quæ ſub irreformabili Papatu, nomine Waldenſium, Albigenſium, Huſſiticarum ſeu Bohemicarum deſignabantur. Denique univerſalem hodierni Chriſtianiſmi in Oriente, Occidente, aliiſque orbis partibus conſenſum. De quo pluribus *Part.* 3. *tit. de Clavibus Regni Cœlorum.* Ita ut portentum Libertinicum, ſuperiori ſęculo hâc in urbe parturiverint illi, qui contra reformatam Eccleſiam publice hic ſtabilitam aliam quam neutralem & ſegregem in Templo dicto Jacobi, congregabant; ubi abſque ullâ prę-viâ ac paſtorali doctrinæ vitæque exploratione quilibet petitos Euchariſtiam repiciebat, totâ exploratione & dignitatis aut indignitatis dijudicatione, ſoli cujuſque communicantis conſcientiæ relicta ac commiſsâ. Quod quidem commentum pleriſque hominibus de hoc ſæculo (deſcriptis *Pſal.* 17. *v.* 14.) illo rerum ſtatu, nimis quam placebat. Neque enim per Papiſmi publicam profeſſionem, ad ἀρχάς, ad dignitates, officia, beneficia, aſcendere poterant: quod zelo & obligatione Papiſticæ religionis ac conſcientiæ impeditis defenſio libertatis contra potentiſſimum Regem Hiſpaniarum, atque una religionis reformatæ in Belgio Fœderato tunc publicæ ſtabilitæ contrta Papalem tyrannidem, tunc bonæ cauſæ patroni committere non auderent. Nec tamen per reformatæ religionis & diſciplinæ profeſſionem lucripetæ & timipetæ illi ad optatum terminū, rebus tam lubricis, contendere audebant, varias ob cauſas, ſed extra Scripturam ex carne & ſæculo petitas. Quarum una erat quod à fidei orthodoxæ puritate, forte etiam à vitæ ſanctitate, tam longè aberant, ut in τύπον illum reformationis tradi nollent; & conſequenter diſciplinæ Eccleſiarum ſe conformare. Altera erat, quod metuerent, ne ſi potentiſſimi Regis arma aliquando ſuperarent (uti ſagaciores plerique ſæculares hoc fore præſagiebant), bonis, ſi non vitâ, multandi, ſaltem ab omnibus dignitatibus, officiis, beneficiis excluſiſſimi forent, qui reformatæ religioni, Eccleſiæ, diſciplinæ nomen unquam dediſſent. Quod ergo alibi per ſyncretiſmos, neutraliſmos, & ſimiles technas, idem hic per viam Jacobeam tentatum. Sed fruſtra id ſategiſſent, niſi poſt unionem inter Miniſtros Jacobeos & Reformatos jam initam à politicis aliquot Jacobeis in Senatum urbicum violenter & ſeditioſe intruſis, omnes Eccleſiæ reformatæ Miniſtri per dictos politicos Jacobeos dimiſſi fuiſſent; nullâ communi aut ſpeciali ratione aſſignatâ, niſi hac unicâ, quod Magiſtratus requireret Concionatores neutrales: in gratiam ſcil. reſiduorum Jacobeorum. Hâc ἀπάτῃ perpetratâ, plures aliæ

ſecutæ

Digitized by Google

ſecutæ ſunt, diſſolutio & depoſitio Seniorum ac Diaconorum; politica evocatio quorundem Concionatorum, quorum aliquos ob doctrinæ & vitæ impuritatem ipſi poſtea dimittere coacti ſunt; mandatum novis Miniſtris à ſe conſtitutis datum, & adſcitis de novo Senioribus, ne quem adultum in receptione ad Cœnam Domini ſuper dogmatis fidei examinarent; nec ob doctrinam aut vitam communione indignum, excommunicarent. Stante hoc Cæſareo-Papatu, miſera Eccleſia diſperſa fuit, & ejus, ut & agrariarum per provinciam univerſam Eccleſiarum omnis eccleſiaſtica correſpondentiâ cum Reformatis Fœderati Belgii Eccleſiis ſequeſtrata. Quod tohou vabohou duravit, poſt annum præter propter 1608. cum conſilio & ductu cujuſdam Concionatoris quondam Ultrajectini, ſed multum mutati ab illo qui erat anno 1588. ſpes fieret de Eccleſiæ diſperſæ reliquiis colligendis, & ad aliquam formam atque ἐυταξίαν eccleſiaſticam ut & conformitatem ac unionem cum Eccleſiâ Belgicâ revocandis. Sed dum hoc agitur, evenit aſſu dicti Concionatoris Remonſtranticæ factionis primipili, illud poëtæ: *Amphora cœpit Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?* Formata enim & ſubſtituta eſt neutrali, ſegregi, & ἀμίκτῳ Eccleſię, nova novaturiens Remonſtrantica: quæ peculiari ordine Remonſtrantico-eccleſiaſtico munita ac circumſepta anno 1612. ſeorſim à reliquis Belgii Eccleſiis fluctuavit uſque ad annum 1618. Nolo negare in praxi tales mundano-religioſos, & Viros de hoc ſæculo alibi, & ubivis hodie etiamnum ſupereſſe: ſed, qui Decretis, & mandatis de compoſito factis publicè hoc profeſſi ſint, ſeque tam miſerè proſtituerint, atque Eccleſiam reformatam turbârint, cujus tamen inimici videri nolebant, vix arbitror, fuiſſe aliquos. Celebris Theologus Franc. Junius, quem ipſi Leidâ huc evocârant, ut autoritate, quâ apud reformatos pollebat, & pacificâ prudentiâ, diſparſioni ac ſciſſuræ antidotum aliquod præſtaret, victuris chartis neutralis & Cæſareo-Papatus effigiem, pro zelo & candore ſuo, ita impreſſit, ut aliis in poſterum inſtar phari eſſe queat. Legant quęſo, qui Noſtra hæc legunt, *Junii Dedicatoriam Analyſi ſuæ in Exodum* prefixam; cui addant acerbas querelas & graviſſimas obteſtationes contra indignorum admiſſionem quas ſupra *pag.* 179. 180. 181. ex *Joh. Amoſo Comenio* exhibui. *In Vitâ Calvini* refertur portentoſum Senatus tunc Genevenſis Decretum, de indigno & ab Eccleſiâ repulſo, ad Cœnæ communionem admittendo. Cui ita interceſſit *Calvinus* publicè pro concione proteſtatus, ſe malle manum ſibi amputari, quam ut eâdem tam indigno Cœnam porrigeret: ut, Deo benedicente, Satanæ hâc in partes molitiones, fruſtra fuerint; nec repulſus ille auſus fuerit ad menſam accedere.

3. *Queſt. Quid ſi vitâ notoriè ſcandaloſi, aut doctrinâ heterodoxi, qui antehac nunquam communicarunt, aut plane Presbyterio & Miniſtro ignoti,*

ſive peregrini ſive indigenæ: aut per ſententiam Eccleſiæ abſtenti, ſine prævio conſenſu aut notitiâ Preſbyterii & Miniſtri diſtribuentis accedant: quid faciendum? Reſp. Primis à Senioribus monendi; ſiquidem videant eos accedere, ne pergant: aut ſi eos non audiant, Miniſtro conſilium in arenâ capiendum an ſolo facto præteritionis, an inſuper verbis ipſos jam menſæ aſſidentes de commiſsâ hac ἀπάξια commonefacturus ſit; atque hac ratione conſcientiæ ſuæ conſulturus, & ſcandalo inde in Eccleſiâ orituro occurſurus. Exemplum Ambroſii Literatis notiſſimum eſt; qui Imperatorem Theodoſium ad Cœnam acceſſurum apertâ obteſtatione arcebat. De quo vide *Hiſtor. eccleſiaſt. Theodoriti lib. 5. c. 17.* Difficiles ejuſmodo caſus ſubinde incidiſſe memini. Referam unum, quem mihi narravit oculatus & auritus teſtis ἀμαχαρίτης. Collega noſter Juſtus Lyræus Hiſtoriæ temporum & humaniorum Literarum in hâc Academiâ Profeſſor. Factum eſt ut in celebratione Cœnæ in Eccleſiâ Fraequetanâ abſque ullo indicio Miniſtris aut Senioribus facto ad menſam accederet P. T. medecinæ Doctor, & eximius Græcæ literaturæ ibidem Profeſſor. Quem cum Concionator Cœnam diſtribuens aſſidentem conſpiceret, nullam religionem unquam profeſſum, quin & vulgò iſtic habitum pro Viro nullius religionis, & neſcio cujus profanitatis aut phanatiſmi ſuſpecto, clarâ voce quæſtionem de ſtatu peccati & liberatione per Chriſtum ſummatiè ipſi proponebat, ad quam ſi categoricè reſponderet; hâc ſola conditione præſtita, ſe Cœnam ipſi daturum declarabat: Ad quam quæſtionem cum reſpondiſſet, ſe toto corde hoc credere & profiteri; Cœnam è manu Miniſtri accipiebat. *Secundi*, ut prętereantur, aut indicio in aurem facto, vacui à menſa recedant, forte nimis durum videretur. Poſtea tamen de ordine in Eccleſiâ ſervando (quem forte ignorârunt) monendi ſunt. *Tertii*, abſolutè prætereundi ſunt, ſi menſæ jam aſſideant: aut quod præſtat, parantes jam accedere, in tempore à Senioribus monendi. Non fruſtra de ejuſmodi caſibus tempeſtive cogitabunt juniores Miniſtri: quia ſunt aliquando prękfracti, qui quidquid Eccleſia judicaverit de eorum abſtentione, minantur ſe nihilominus acceſſuros; ſunt etiam qui ſub Eccleſiæ propriæ cenſura conſtituti, trans mare (ita loquar) hoc eſt ad aliarum Eccleſiarum Cœnam confugiunt, eique ſe ingerunt: Miniſtro ſive non prænonito, ſive doloſè circumvento. Inde factum, quod per Statuta Eccleſiarum noſtrarum tranſitio Membrorum de Eccleſiâ ad Eccleſiam, ut & receptio alienorum Membrorum ad Cœnam ſine debito teſtimonio, prohibita ſit. Mos ille in aliquibus Eccleſiis obſervari ſolitus, ut ad menſam nemo accedat niſi exhibitâ teſſerâ, non inutilis videtur ad abuſus complures præveniendos.

4. *Quæſt. Quibus explorationis mediis potiſſimum utetur Eccleſia, ut digni ad communionem Eccleſiæ debitè præparari & recipi poſſint? Reſp.* In magnis Urbibus,

Urbibus, ubi ſinguli incolæ Miniſtris & Senioribus non ita familiariter noti aut ſatis perſpecti eſſe poſſunt, majori & difficiliori indagine opus eſt; quam in vicis, aut in Oppidulis, aut in Eccleſiis, quas vocant, parochialibus; ubi Auditorum & communicantium numerus eſt perquam exiguus. Illis ergo hoc conſilii dandum, ut ordinem *competentium*, exemplo antiquæ Eccleſiæ, conſtituant; in quem neminem admittant ſine exhibito teſtimonio de Chriſtianâ & inoffensâ converſatione, Miniſtri aut Senioris quorum inſpectioni ille diſtrictus ſeu Urbis regio ſpecialiter demandata eſt. Propterea inter primam petitionem competentis cujuſque & nominis in tabulas eccleſiaſticas relationem, ac inter actualem fidei profeſſionem & inter membra Eccleſiæ adſcriptionem, aliquod temporis intervallum (contractius aut protractius, pro re natâ) præfigatur: quo repetendis & per examina hebdomadatim recurrentia inculcandis capitibus religionis, juxta ordinem catecheſios, exerceantur; atque ita Miniſtris & Senioribus conſtet de ipſorum in neceſſariâ cognitione profectu; una etiam per ſpeciales illius regionis, quam incolunt, Inſpectores ſufficiens exploratio atque informatio de vitâ & moribus eorum habeatur. Ubi jam aliquis hebdomadatim recurrentes competentium inſtitutiones ſatis ſuperque frequentaſſe, & ſi non eximia, ſaltem mediocria profectus ſui ſpecimina, reſpondendo ad quæſtiones propoſitas, edidiſſe videbitur; nihilque in vitâ & converſatione Chriſtianâ Explorantibus innotuerit, quod eum diutius à Cœnæ communione arcere poſſet: is adeat Miniſtrum aut ſeniorem ſuæ regionis, & ab eo teſtimonium petat, quo ad ſolemnem fidei profeſſionem edendam, & poſt eam, ac per eam ad communionem admitti poſſit. Ipſa fidei confeſſio & Membrorum receptio, ſtatutis quibuſdam diebus celebranda, proximè inſtanti adminiſtrationi Euchariſtiæ præmittatur. An autem coram toto Synedrio, an vero coram aliquibus à Synedrio Delegatis, an publicè in Templo, an privato-publicè in conclavi eccleſiaſtico, admiſſis Auditoribus tum Catechumenis, tum Competentibus, tum Fidelibus (uti hic fieri ſolet), prudentiæ cujuſque Eccleſiæ ſecundum circumſtantias diſpoſituræ committendum eſt. Conſilium hoc à me relatum, à Synedrio hujus Eccleſiæ noſtræ poſt varias & ſerias deliberationes ante annos aliquot conceptum, & ordinariâ praxi hactenus non ſine eximio fructu obſervatum fuit. Ita ut non tam facile nunc irrepant, , elementorum fidei ignari, aut intercutibus ſcatentes vitiis, in aperta ſcandala ſubinde erumpentibus: qui profeſſione religionis malunt hominibus placere, quam Deo; & ubi in gremio Eccleſiæ incaluerint, in vomicas & carcinomata ejus, occaſione ita ferente, evadunt. Quorum in magnis Urbibus, non exiguum eſſe proventum nemo ignorare poteſt: niſi qui urbes & hominum multorum confluxum ignorat. Sed forte quis obmurmuret, per hunc ordinem nimis rigide obſervatum

vatum, aliquos ſimplices & minime malos abſterreri, ne ad Cœnam Domini accedant. Cui reſpondeo, nullas leges, nullas διατάξεις tam neceſſariò & prudenter unquam latas eſſe, ut alicujus hominis, & caſus reſpectu non videantur aliquid iniqui habere: quo ipſo tamen legi, & ordini conſtituto aut conſtituendo non præjudicatur. Quia nulla lex humana ferri poteſt, quę omnibus factis ſingularibus (ſunt enim infinita) æque conveniat; ideo adhibetur ἐπίκρισις, per quam exceptioni à lege aut diſpenſationi de eâ locus relinquitur. Quæ etiam in hoc negotio hinc minimè exulat, præſertim in caſu affectæ æta-is, aut μωρολαλίας, aut quaſi-ſurditatis, aut melancolicę δυλίας, aut alterius cujuſcunque imbecililitatis, aut tranſitus ab errante aliquo & ſegrege cœtu ad noſtram Eccleſiam: modo ne fiat in fraudem legis, in contemtum ordinis ac regiminis eccleſiaſtici, ut ſcil. hoc remoto aut luxato per poſticam aut feneſtram, abſque teſtibus intrent, qui abſque cognitione orthodoxiæ, aut inculpatâ converſatione inter mundanos ſuos ſodales deliciantes, audire deberent illud, ἴκας ἴκας ἐν βίβλοις. Interim, ſi qui judicio Synedrii (non unius Miniſtri) ab obſervatione hujus ordinis eximerentur, à Miniſtro ſpeciali regionis ſuæ Inſpectore privatim inſtrui deberent (uti hic fit), & ad vitam ac prępparationem eorundem ab eo diligenter attendi.

5. *Quæſt. Quomodo & quibus conditionibus per & poſt præcedaneas Competentium explorationes, confeſſio fidei à Competentibus, jam Candidatis, exigenda & quibus ſtipulationibus, in membra Eccleſiæ recipiendi. Reſp.* Ordinem noſtrę Eccleſiæ, quem hic recenſebo, quam maximè probo. In eâ enim competentes ſtatuto tempore in conclavi eccleſiaſtico, exhibitâ ſcedulâ Miniſtri aut Senioris ſui, teſtificante ipſos exercitia & collegia Competentium frequentaſſe, ejus etiam cognitionis & inculpatæ converſationis eſſe, ut ad edendam fidei profeſſionem admitti poſſint. Quo facto, Miniſter qui fidei profeſſionem excepturus eſt, præmiſsâ precatione & nominibus ſingulorum conſignatis, per totam Catecheſin à capite ad calcem examinat, & ad quæſtiones tum ſaltuatem tum ſingulis ordine (pro arbitrio & pro re natâ) propoſitis reſpondere jubet, & datas reſponſiones, quotieſcunque opus eſt, in gratiam Ipſorum, & Auditorum, qui frequentes adſunt (ſiquidem apertis foribus conclavis hæc actio celebratur) repetit, illuſtrat, & ex Scripturis confirmat. Examine hoc peracto, has generales quęſtiones proponit, ut omnes ac ſinguli coram Deo & Eccleſiâ ex animo declarent, promittant.

Declaratiſne vos doctrinam Eccleſiæ noſtræ, quouſque eam didiciſtis, audiviſtis, & profeſſi eſtis, habere pro verâ & ſalutari doctrina, Sacris literis conformi. *Reſpondent, ita.*

Promittitiſne vos per Dei gratiam in ſalutaris illius doctrinæ profeſſione conſtanter

Digitized by Google

conſtanter permanſuros, inque eâ victuros & morituros. *Reſpondent*, *ita.*

Promittitiſne vos conformiter huic ſanctæ doctrinæ, piè, honeſtè, & inculpatè ſemper vitam inſtituturos, & profeſſionem veſtram bonis operibus ornaturos. *Reſp. ita.*

Promittitiſne, vos hortationi, correptioni, & diſciplinę eccleſiaſticæ ſubjici velle & ſubjectos fore; ſiquidem (quod Deus avertat) contingeret vos in doctrinâ aut moribus exorbitare. *Reſp. ita.*

Huic ſolenni ſtipulationi & promiſſioni, ſubjicit Miniſter votum & benedictionem; ut Deus, qui hoc bonum opus per gratiam ſuam inchoavit, & huc uſque perduxit, in eodem ipſos confirmet, illudque magis ac magis perficiat uſque ad diem Chriſti.

Hæc ſumma promiſſionum: quæ aliis & aliis verbis, additâ etiam aliquâ explicationum ac rationum diductione à Miniſtro interrogante ac ſtipulante proponi ſolent, aut poſſunt.

Tandem tota hæc actio gratiarum actione & precatione concluditur, & cœtus dimittitur.

6. *Quæſt. An Infantibus, aut Pueris Cœna conferenda? Reſp.* 1. De Infantibus abſolutè *Neg.* hac unâ ratione, quod non poſſint ſeipſos probare & explorare, nec actualem habeant reſipiſcentiam, fidem, novam obedientiam, mortis dominicæ annuntiationem: ſuper quibus ſe explorare debent. Atqui & iſtud & illud eſt requiſitum neceſſarium 1 *Cor.* 11. *v.* 16, 28. 29. 30. 31. Joh. Steph. Durantus non malè argumentatur, hanc Infantum communionem *à Chriſti inſtitutione alienam videri*, *ait enim Chriſtus* accipite & comedite. *Infantes vero idonei non ſunt, qui accipiant & comedant.* Hinc colligimus miſerandum illud antiquorum θρολογούμενον de neceſſariâ Infantum Euchariſtiâ, ex *Johann.* 6. *v.* 53. *Vide Cypriani Tract. de Lapſis*, & *Auguſtini Epiſt.* 23. *ad Boniſacium.* Illud enim in praxi uſitatum fuiſſe conſtat ex ordine Romano; ex quo *Abruinas Flaccus Lib. de divinis Officiis cap. de Sabbatho Paſchæ* (referente Durando loc. cit.) notat *cavendum eſſe, ne infantes lactentur, aut ullum cibum capiant, antequam communicent.* Addit *ibid.* apud Græcos eundem morem adhuc vigere. De quo nunc non inquiro. *Maldonatus in Johann.* 6. *v.* 53. fatetur Innocentium I. & Auguſtinum ſenſiſſe, infantibus neceſſariam eſſe Euchariſtiam; & hanc *eorum ſententiam ſexcentos circiter annos viguiſſe in Eccleſiâ.* Apud *Zuarez Diſp.* 62. *ſect.* 4. multa alia Græcorum & Latinorum Patrum teſtimonia dum dictâ conſuetudine adferuntur. Ex hoc, & quamplurimis aliis diſcant Pontificii, aliique τῶν ἀκριβῶν zelotæ, veritatem nobis non minus præferendam conſuetudini ſine veritate, quę nihil niſi antiquitas erroris eſt; ac ipſis, qui in *Concil. Trident. Seſſ.* 21. *can.* 4. hanc antiquorum ſen-

Digitized by Google

ſententiam, de neceſſariâ Infantum Euchariſtiâ, anathemate percuſſerunt. Quo non obſtante, *Ariaga Diſp.* 43. *ſect.* 1. pro utilitate infantilis Euchariſtiæ, ſeu quod Infantes ſint capaces fructus Euchariſtiæ, ſerio diſputat, dicendo hanc eſſe communem Doctorum ſententiam: citatis ad hoc ex ſociis *Vaſquez*, *Zwarez*, *Tannero*. Nititur hęc aſſertio hypotheſi, quam illic explicat *Ariaga*, quod ſacramenta (exceptis matrimonio, & pœnitentia) cauſent gratiam ex opere operato, & non requirant tanquam partem eſſentialem actus ullos ſuſcipientis. Diſquirit *ibid.* §. 7. an nunc prohibita ſit Infantium Euchariſtia, & concludit, nullum textum ab aliis hactenus allatum, quo id prohibeatur. Totam ergo prohibitionis rationem reducendam eſſe in longam conſuetudinem ab Eccleſiâ approbatam, quam Rituale Pauli V. parochis tradit; *& probabiliter factam eſſe eam prohibitionem, dum laicis uſus calicis eſt prohibitus.* 2. *Reſp.* Quod ad Pueros, non poſſumus omnes ad parem ætatis menſuram aſtringere. Sunt enim in quibus cognitio ſpiritualis, ſtudium ac zelus pietatis, mores graves ac compoſiti ſupplent defectum ætatis. Minime tamen probandum eſt, quod pariter omnes aut plerique poſt decimum quartum ętatis annum, confirmationis ſacramento (juxta Pontificios) aut quaſi ſacramento ſeu μυσταγωγίᾳ (juxta alios) initiati, ad communionem recipiuntur. In antiquâ Eccleſiâ (ſatentibus Pontificiis) unctio illa, quam ipſi ſacramentum confirmationis appellant, ſtatim poſt Baptiſmum conferebatur. *Ariaga Diſp. cit. ſect.* 3. quæſtionem hanc tractat, quando in Pueris incipiat obligatio communicandi, & relatis aliorum ſententiis de anno 10. aut 12. concludit, prudentis Confeſſarii judicio hoc relinquendum eſſe. *Ibidem* exhibet digladiationes ſuorum ſuper quæſtione, An omnes Pueri rationis & peccati capaces teneantur in articulo mortis Euchariſtiam ſumere. Et *Sect.* 4. ſuper quæſtione, An ſit dandum viaticum, quando dubitatur de Pueri capacitate. Sed nos hic Spectatores ſumus: quippe qui à privatâ communione ſive in articulo mortis, ſive alio quocumque tempore abſtinemus. De quo *Quæſt. ſequ.*

7. *Quæſt. An Cœna privata, ſeu ſolitaria abſque aliis Communicantibus, uni alicui ſive ſano, ſive domi per morbum detento, ſive in articulo mortis conſtituto, porrigi poſſit? Reſp.* Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem illam non habent, nec putant eam introducendam. Ratio eſt, quia Chriſti inſtitutio & prima Cœna, ejuſdemque repetitio atque explicatio 1 *Cor.* 10. *v.* 16. 17. cum *cap.* 11. *v.* 20. conventum, communionem, convivii ſpeciem, Cœnam ſcil. (gr. δεῖπνον) nobis ingerunt. Oppoſita eſt doctrina & praxis Papatus: idque dupliciter, in miſsâ & extra eam. In miſsâ, dictâ angulari, ubi Sacerdos tanquam conficiens & communicans ſolus edit, & tanquã conficiens (ſecundum ipſos) ſolus poculum exhaurit; & fideles, quibus tanquam Communicantibus diſtribui

Digitized by Google

bui deberet, ad ſolum ſpectaculum admittuntur. Quamvis non raro ſine Spectatoribus, aſtante unico Ædituo miſſæ Miniſtro, celebretnr. Hoc idolum ipſorum cum à Noſtris ſatis profligatum ſit, ſequitur quæſtiones de celebratione ejus eſſe quæſtiones aut abſurdas, aut de non ente: quales ſequentes inter ipſos controverſæ. An conſecrare ſit proprium Sacerdotis. An plures Sacerdotes poſſint ſimul eandem hoſtiam conſecrare? An liceat Sacerdoti conſecranti à communione abſtinere? An Sacerdos peccator poſſit conficere hoc ſacramentum? An miſſa mali Sacerdotis minus valeat, quam boni? An miſſa mali Sacerdotis, nominatim concubinarii, ſit audienda? An Hæretici, vel ſchiſmatici, vel excommunicati poſſent conficere hoc ſacramentum? An etiam degradati? An peccent à talibus communionem recipientes? An liceat Sacerdoti omnino à celebratione abſtinere. Videat, qui iſtarum mercium curioſus eſt, *Gavanti Theſaurum rituum tom.* 1. & inter Caſuiſtas *Bonacinam*, aut *Eligium Baſſeum in voce Miſſa*: qui poſterior varia decreta congreg. Cardinalium Concilii Trident: interpretum *ibid.* exhibet.

Extra miſſas Pontificii privatam Cœnam conferunt ad iter ſe accingentibus, in prœlium ituris, in matrimonio confirmandis, imprimis Ægrotis & Moribundis. Idem faciunt Græci, & Moſcovitæ; qui longo tempore indu„ratum conſecratum panem militibus & iter facientibus in viam dant, ut, „ modo domi confeſſionem ediderint, eo, quando libuerit, uti poſſint. Hi „ autem cuſtodiunt eum ut plurimum, donec morbo aliquo corripiantur, ut „ ſi forte non convaleſcant, tamen viatico vitæ æternæ inſtructi ſint: teſte „ Oleario apud *Georg. Phelavium in Annotatis ad Chriſtoph. Angelum de Statu & Ritu Eccleſiæ Græcæ cap.* 23. Lutherani itidem privatam Cœnam conferunt, imprimis in caſu neceſſitatis (ut loquuntur); & hunc morem defendit *Eckhardus in Faſciculo controverſ. cap.* 20. *queſt.* 27. his rationibus 1. *Rat.* Quia in privatis ædibus etiam eſt Eccleſia? *Reſp.* Ergo & communio: non Euchariſtia ſolitaria, ubi uni ſigillatim Cœna porrigitur, abſque ullâ diſtributione panis aut poculi. De locis 1 *Cor.* 16. & *Epiſt. ad Philemon.*, ubi mentio fit τῆς κατ' οἶκον ἐκκλησίας, ſupra *Lib.* 1. *Tract.* 1. *actum eſt.*

2. *Rat.* In congregatione duorum atque trium gratiâ atque benedictione ſuâ præſens eſt Chriſtus *Math.* 18. non minus quam in cœtu publico & frequente? *Reſp.* 1. *Præſupponitur*, nos nullam Cœnam admittere, niſi quæ in cœtu publico & frequente celebratur: Quod nos negamus, qui novimus cœtus ad verbi auditionem, preces, cœnæ adminiſtrationem, in Eccleſiis latentibus ſeu clandeſtinis eſſe perquam infrequentes. 2. *Reſp.* Phraſis illa Math. 15. v. 20. *duo aut tres* indefinitè vel exiguum quemcumque numerum indicat; hoc eſt multitudinem; & quidem non quamvis, ſed ordina-

Digitized by Google

tam συναγόμενοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα (quod in textu ſequitur), & v. 19. ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν. Atqui numerus & cœtus quamvis exiguus, in nomine Chriſti congregatus & conſentiens diſparatè opponitur uni ſeu ſoli Cœnam accipienti, (de quo propriè quæritur); qui nullum cœtum nullam, Eccleſiam aut Eccleſiolam, nullam communionem aut ſynaxim τῶν συναγμένων facit; immo ne quidem numerum, ſiquidem cum ſcholâ Euclideâ numerum definiamus, *unitatum acervum ſeu collectionem*, & monadem numeri principium ac terminum faciamus, uti punctum magnitudinis. Scio *Ramum in Arithmeticâ*, cum Sectatoribus numerum aliter definire, & eundem dividere in unitatis & multitudinis: ſed nos miſſis illis, inhæremus textui *Math.* 18. *v.* 20. qui exſertè de aliquorum συνάξει loquitur. Quod de uno intelligi non poteſt: niſi cum Pontificiis unum ſingularem hominem, Epiſcopum ſcil. aut Papam velimus dicere Eccleſiam aut Diœceſimam aut univerſalem, virtualiter ſcil. 3. *Reſp.* Non agitur *Math.* 18. de Cœnâ ſive ſolitariâ, ſive ſociâ: ſed de concordiâ ſeu precatione ſociâ, quæ concordibus animis Deo offertur: uti ex analogiâ contextus colligitur & Patres interpretantur. Nec puto quenquam ex Interpretibus ipſorum diſſentire. Cythræus reſtringit ad *precationem conſentientibus pectoribus, in omnibus honeſtis congreſſibus eccleſiaſticis & ſcholaſticis factam*. Inſtet fortè quis, à benedictione divinâ ſuper precatione evidentem conſequentiam duci poſſe ad benedictionem ſuper Cœnâ: concedo, ut enim communis ſeu ſocia & concors precatio (*Actor.* 1. *v.* 14. & 4. *v.* 24. 1 *Timoth.* 2. *v.* 1. 2.) Deo placet, ſic & concors Euchariſtiæ manducatio ſeu perceptio; quæ peculiariter communio, Cœna (quaſi κοίνη), & à Patribus σύναξις dicitur; σύναγμα, quod verbum *Math.* 18. *v.* 20. occurrit in caſu de precatione, & *Actor.* 20. *v.* 7. in caſu de Cœnæ diſtributione. Si quis forte replicaret, uti per promiſſionem precationi ſociæ *Math.* 18. factam, non negatur precatio ſolitaria; ſic nec per ſociam manducationem ſacramentalem *Math.* 26. 1 *Cor.* 10. & 11. *Actor.* 20. præſcriptam, non negari ſolitariam: ei reſpondemus, negari conſequentiam, quia diſſimilis eſt ratio precationis & Cœnæ. *Illa* non dicitur κοινωνία, κοίνη cœna, δεῖπνον, ſynaxis: *iſta* dicitur. *Illam* ſolitariam, Deus expreſsè mandavit æque ac ſociam aut publicam *Math.* 6. *v.* 6. Iſtam non mandavit, nec hactenus ullo textu Scripturas, aut argumento ex Scripturis ducto, hoc probatum vidimus. Jure divino habendi ſunt, conventus eccleſiaſtici, in quibus de ordinatione cultus divini & Eccleſiæ agatur, iiſque in nomine Dei congregatis ſive frequentioribus ſive infrequentioribus benedictionem ſuam Deus promiſit: ſed inde non ſequitur unum hominem ſolum facere Synodum, uti Pontificii de Papâ ſuo, περιλογῦσι, *Synodumque facit generalem*, immo & virtualem catholiciſmum, ſeu Eccleſiam univerſalem.

3. *Rat.*

Google

„ 3. *Rat.* Baptiſmus (qui itidem pars eſt publici miniſterii) ab Apoſtolis „ in privatis ædibus adminiſtratus *Actor.* 16. immo in Eccleſiâ veteri ęgrotis „ etiam in lecto decumbentibus datus, teſte *Cypriano*. *Reſp.* 1. aut ignoratur elenchus, aut pervertitur ſtatus controverſiæ. Non eſt quæſtio, an in privatis ædibus Cœna ſit celebranda (quod in clandeſtinis Eccleſiis, immo & in Eccleſiis tolerantiæ privato publicis non tantum poteſt, ſed etiam debet fieri); ſed an abſque communione cuivis ſingulari perſonę ſive ægrotanti, ſive moribundæ, ſive aliâ quâ occaſione Cœnam petenti privatim danda ſit, in domo privatâ, aut in publico Templo, aut in conclavi Templi, aut in choro ejuſdem. *Reſp.* 2. Conſequentia eſt inconſequens à Baptiſmo ad Cœnam: eſt enim diſpar ratio. Cœna eſt & dicitur *communio*, *menſa Domini*, δεῖπνον h. e. *convivium*, & quidem *cœna*, *ſynaxis*; & *multi unius panis* dicuntur *participes* 1 Corinth. 10. v. 16. 17. Atqui nihil tale de Baptiſmo dicitur. Qui ergo convivium, cœnam, menſam Domini, communionem, ſynaxim diceret ſolitariam unius hominis manducationem, videretur mihi contradictiones in adjecto formare; qualium exempla apud Philoſophum ſunt σιδηρόξυλον & πραγίλαφος, & in Scholis Logico-Theologicis, proprium communicatum, catholicum Romanum, Eccleſia diœceſiana unus Epiſcopus, univerſalis unus Papa; breviter unus ſingularis homo collegium corpus, communio, congregatio, conventus, cœtus, *multi*, *omnes* 1 Corinth. 10. v. 17. *Reſp.* 3. Cœna eſt pars miniſterii; ſed danda, accipienda, manducanda ſociatim more & formâ convivii: juxta inſtitutionem & exemplum Chriſti, & explicationem Pauli 1 *Corinth.* 10. & 11. & exemplum ejuſdem *Actor.* 20. Manducatio agni paſchalis erat ſacramentum, & pars cultus publici in V. T., fiebatque in domibus privatis. Inde tamen non ſequitur illam manducationem fuiſſe ſolitariam, & cujuſque inter Iſraelitas ſigillatim, qui hoc peteret. Exercitium & adminiſtratio diſciplinæ eccleſiaſticæ eſt pars miniſterii publici (illis enim datæ ſunt claves Regni Cœlorum *Math.* 16.): indetamen non ſequitur, privatim ab uno ſolo Miniſtro decernendam & executioni dandam excommunicationem. Hoc enim competit collegio & plurium aſſociationi *Math.* 18. 1 *Cor.* 5. & 2 *Cor.* 2. *Reſp.* 4. De Baptiſmi adminiſtratione in domo privata *Actor.* 16. ſupra reſpondimus: in Eccleſiis ſcil. clandeſtinis, & in primâ aliquâ Eccleſiæ collectione ac plantatione, quædam fieri aut tolerari, quæ ita non fiunt in Eccleſiâ ordinatâ.

„ 4. *Rat.* Quemadmodum etiam circumciſionis ſacramentum in V. T. „ non ſemper in loco publico ſacris exercitiis deſtinato celebratum. *Reſp.*, Rurſum ignoratio elenchi. Non diſputatur de loco, ſed de cœtu, de communione, de ſynaxi, de Eccleſiâ fidelium, aut parte ejus, cui Cœna diſtribui-

tur, ſive in loco publico, ſive in navi, ſive in campo, in ſaltu, in ſylva, in ſpeluncâ, in cryptâ ſubterranea, in domo privata, infra aut ſupra (*Actor:* 1. *v.* 13. & 20. *v.* 8.) conventus agatur. *Reſp.* 2. Circumciſionem abſque aliquo conventu fidelium peractam, nondum probatum vidimus. Ex ignoto & incerto nihil certi concludi poteſt. Sed de circumciſione ſupra *Sect.* 3. *cap. ult.* ubi *de loco Baptiſmi.*

„ 5. *Rat.* Ægrotis privatim annuntiatur euangelii conſolatio atque ab„ſolutio: quidni ergo abſolutionis etiam ſacramentum illis concedatur. *Reſp.* merę humanæ ratiunculæ, ſtramineæ conſequentiæ. Etiam parvulis ſeptennibus in articulo mortis conſtitutis euangelii conſolatio contra metum mortis, & vitæ melioris promiſſio annuntiari poteſt: quibus tamen Cœnam non puto porrigi. Adde quod cuilibet ſive agonizanti. ſive ſano quidem, ſed pauperi ſpiritu, laboranti, onerato, inter infideles aut hæreticos habitanti, conſolatio annuntiari à quocumque elementis fidei imbuto, aut ſi iſtic nullus ſit fidelis, propriâ ſuâ annuntiatione, ſeu applicatione contentus eſſe debet, abſque ullo uſu Cœnæ, juxta illud Auguſtini Tract. 33. in Johan: *crede, & manducaſti.* Et ſic reſpondent, *Balduinus, Koenig, Hutterus,* apud *Prukneruni Quæſt.* 65. 66. 67. ad iſtum caſum. An quis in agone mortis conſtitutus ab heterodoxo Miniſtro, aut à privato fideli Cœnam petere & accipere poſſit? Negant enim hâc ratione: *Hujus enim rei* (ſunt Hutteri & Prukneri Qu. 67.) *neque mandatum neque Scripturæ exemplum habet. Interim agonizans* promiſſionibus euangelicis *ſe erigat, ut ex ejus ſacramenti defectu nullum ſit extimeſcendum periculum.* Hoc applica ad manducationem ſolitariam, præſertim in caſu mortis: aut ſi neges parem utriuſque rationem eſſe cedo mandatum, cedo exemplum ſolitariæ manducationis agonizantium. Quod cum hactenus factum non ſit, nec unquam futurum ſit, ne ſapiamus ſupra id quod ſcriptum eſt. *Concil. Tridentinum Seſſ.* 13. *cap.* 6. ubi morem deferendi Euchariſtiam ad infirmos *ſalutarem & neceſſarium* decernit & *Can.* 7. contra ſentientes anathemate ferit; ἀνονομάστως ſe non obſcurè fatetur, cum nullis moratis Scripturis, nullo Jure divino prætexit: *cum ſummâ æquitate & ratione conjunctum eſſe, & multis in Conciliis præceptum, inveniri, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ more obſervatum.* Quid ſi antiquitatem & conſuetudinem (ſed abſque Scripturis) pariter quis prætexeret Euchariſtiæ Infantum; quam *Concilium* condemnat? De quo ſupra.

„ 6. *Rat.* Externi loci circumſtantia tanti momenti eſſe non debet, ut pro„pterea Chriſti ſacroſanctam ordinationem negligi, animamque fatigatam „medicinâ & refocillatione gemitibus ardentiſſimis expetitâ defraudari „oporteat. *Reſp.* 1. Mera ignoratio elenchi. Nemini Noſtrum in mentem venit Cœnam alicui definito loco allig are; nec Zadeel, Trelcatius, Muſculus

Digitized by Google

lus ab *Eckhardo* citati vel verbulo, tale quid indicant. Ecclesia Christi, ejusque cœtum, aut partem aliquam cœtus, consortium aliquod convivantium, unum aliquod corpus, plures de uno pane participantes, quibus Cœna distribuatur, solummodo requirunt: ubicunque locorum, occasione & necessitate ita ferente, illi ad Cœnam convenerint. Velimus tam procul abesse Pontificios, & siqui eos passibus æquis, aut non æquis hic sequuntur, ac Nostri quidem absunt à conscientiâ locorum, præsertim publicorum. Probant Nostri illud Hilarii c. Auxentium in fine. *Malè enim vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub hoc pacis nomen ingeritis. Anne ambiguam est in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores*, &c. Quod pluribus prosecuti sumus in *Nostra Desper. causâ Papatus Lib. 3. sect. 2. cap. 7.* & infra *Lib. 4.* de eodem agemus, ubi *de Templis. Resp. 2.* Ubi ostenderit manducationem panis & vini sacramentalia solitariam sive in lecto, sive in domo privata, sive in Templo, aut ejus parte quam chorum appellant, sive in monte, sibi alibi esse sacrosanctam Christi ordinationem; utique fatebimur negligentiam nostram. Atqui *Eckhardus* hoc loco illud non tantum non præstitit, sed ne quidem tentavit: meris deceptiunculis ἀποζητήσεως seu ignorationis elenchi, paralogismis à genere ad fictas species affirmativè, Lectorem ludens; ne videretur tacuisse. Christus ordinavit convivium, δεῖπνον cœnam, socialem manducationem ac distributionem panis & vini: ergo ordinavit Cœnam non-cœnam, hoc est, solitariam manducationem. Non sequitur, non magis, quam ista: Ordinavit Cœnam, ergo Cœnam sub unâ specie, ergo Cœnam Infantum; ergo Cœnam non cœnam, autocheiricam scil., quam quisque domi, aut peregre, in itinere aut in carcere, intra ecclesiam aut extra ecclesiam sibi ipsi quovis tempore, quâvis occasione, extra omnem communionis, convivii, synaxios minimam speciem aut umbram porrigere potest. Si consequentiæ illæ à genere ad imaginariam speciem affirmativè non probantur opponentibus nostris, (uti non probari, sat scio), quod earum nec mandatum nec exemplum in Scripturis compareat (uti ipsi supra cit. rectè argumentati sunt): à pari infero, nec illam consequentiam ab ordinatione Christi quâ Eucharistiam ordinasset ad Cœnam solitariam, quidquam valere: nisi ex mandato aut exemplo Scripturæ talem Cœnam nobis solidè & perspicuè probaverint. *Resp. 3.* parthetica illa amplificatio, de *defraudatione* animæ, quæ *medicinam & resocillationem* illam (usum scil. Eucharistiæ) *gemitibus ardentissimis expetit*: non facit demonstrationem theologicam; notum enim artis Rhetoricæ Magistris distingui λόγος, πίστις, ὄρκος. Pone casum, quo aliquis in mortis articulo constitutus ardentissimis votis expeteret Eucharistiam, quam tamen nemo ipsi illic loci, nisi Minister hæreticus aut idolo-

latricus, aut privatus fidelis, aut ipſe moribundus ſibi porrigere poſſet: an ſine λόγῳ ita ſumet? an παρὰ λόγον Dei ſubſtituet aut poſtponet? An vero refocillabit ſe & acquieſcet anima ejus in illo Auguſtini: *Quid paras os & ventrem? crede & manducaſti?* Sic arbitror cum omnibus Proteſtantibus & Reformatis, nominatum cum *Balduino*, *Huttero*, *Pruknero modo cit. Quæſt.* 64. 65. 66. 67. Neminem novi, qui antiquorum *conſuetudinem factis ipſis comprobatam* (referentibus & probantibus *Tertulliano de Exhortatione Caſtitatis*, & *Baſilio Epiſt. ad Cæſarium Patricium* à Voſſio Tungrenſi præpoſito gr. lat. anno 1604. cum operibus Greg. Thaumeturgi editâ) revocatam velit. *Grotius* quid voluerit Diſſertatione anno 1638. Amſtelodami excusâ apud J. Columnam, *de Cœnæ adminiſtratione, ubi paſtores non ſunt*, *Item, An ſemper communicandum per ſymbola*; haut difficile eſt conjicere illis, qui ſtatum rerum ipſius nôrunt. In reformatæ Eccleſiæ communione à quâ defecerat, Cœnam amplius percipere nolebat: nec Regni Suecici Legato conveniebat ad Eccleſiam Romanum tranſire: nec à Miniſtro Lutherano, qui aliquamdiu iſtic (& quidem, uti mihi relatum, in contubernio aut comitatu ipſius) commoratus fuerat, ſiquidem ipſe recipere voluiſſet, facile impetraſſet, ut Viro non ſuæ fidei & confeſſionis, & quod plus eſſet, talis profeſſionis, Cœnam conferret: nec Eccleſia & communio Neo-Remonſtranticæ factionis iſtic haberi poterat. Hinc ergo extruſæ cogitationes, de non communicando per ſymbola, & de Cœnæ adminiſtratione abſque Paſtore. Et certè hodierni Sociniani cupidè arriperent iſta, quæ ex Tertulliano, Laodicenſi Concilio, *Eraſmi Epiſt. Lib.* 26. *ad Cuthbertum Tonſtallum*, de quorumvis etiam Fœminarum (ubi Viri deſunt) Baptiſmo, & Cœnâ in privatis ædibus & familiis adminiſtrandâ. Quidquid ſit de talibus diſſertationibus, videbunt ſaltem Pontificii pariter cum Proteſtantibus & Reformatis, & Montacutio aliiſque ceremoniarum quorundam zelotis, illud τὸ μὴ ἐξ ἀρχῆς κεκριμένον; ſine diacriſi non ſemper occinendum eſſe. *Reſp.* 4. concedimus poſſe caſus incidere, ut quis in vitâ ſuâ neglexiſſet Cœnam, & propterea conſcientiâ in morbo aut mortis agone graviter afflictâ, gemitibus ardentiſſimis expeteret nunc hoc ſigillo tanquam membrum Chriſti & Eccleſiæ obſignari. Cui præhabito conſilio & decreto Conſiſtorii aut Miniſterii eccleſiaſtici (privato enim unius judicio hoc committendum non eſt), in iſtâ tentatione & conſcientiæ angore ſuccurri poſſe nemo Noſtrum negat: ne quidem Sadeel, Muſculis Trelcatius; qui hic tanquam rigide negantes ab *Eckhardo* adducuntur. Hoc illi voluerunt, & Nos cum illis, ne ex caſu extraordinario lex fiat aut conſuetudo ordinaria: & ne cœna & ſynaxis in manducationem ſolitariam (qualis eſt Sacerdotis miſſi fici) transformetur. Hinc eſt, quod ſi talis caſus alicubi inciderit (de uno ſaltem memini me aliquando audiviſſe), non ſine Conſiſtorio

ſtorio aut aliquibus ex Conſiſtorio, & aliis quibuſdam fidelibus una communicantibus Cœna ad lectum Ægroti diſtributa fuerit: atque ita infirmus hoc epulo *δίωρῳ* convivio ſecundum Chriſti ordinationem celebrato, in communione cum Chriſto & corpore ipſius myſtico h. e. ſanctâ ipſius Eccleſiâ, confirmatus. Aliter accipienda non eſt ſententia Bezæ, quem introducit *Eckhardus* dicentem: Se non damnare: ſi ſine ſuperſtitione, atque offendiculo, & cum ædificatione Eccleſiæ obſervari alicubi poteſt. Similibus limitationibus ſe explicat *Zanchius in Epiſt. Part.* 1., cum Genevenſibus, *pag.* 422. & 155. *Epiſt. ad Joh. Cratonem.*

„ 7. *Rat.* Ægroti, utpote qui ſenſu peccatorum ſuorum maximè angun„tur, ſacramento hoc mox inopere opus habent. *Reſp.* Si hæc ratio concludit, etiam ſani ſine numero, qui & quoties vel intus deſertionibus ſpiritualibus, aut gravißimis ad deſperationem, infidelitatem, fidei abnegationem, blaſphemiam, aliaque peccata tentationibus, vel externis in corpore ſuo, in familiâ, in famâ, in bonis fortunæ calamitatibus affliguntur, ſolitariâ Euchariſtiâ refocillandi eſſent. Quod non puto opponentes facile conceſſuros. Addo etiam illos, qui inter infideles aut idololatras quaſi ad flumina Babylonis (*Pſ.* 137. *v.* 1.) aſſidue gemunt, imprimis Euchariſtiâ refocillandos: & quidem per idololatricum aut hæreticum miniſtrum, aut per privatum fidelem, aut per ſeipſum, aut per ſeipſam, (ſiquidem orthodoxus. Miniſter & communio cum aliquibus fidelibus illic haberi nequiret:) ſecus ſine conſolatione, refocillatione, & viatico illo ex hac vitâ migrandum, & ardentiſſimo Cœnæ deſiderio immoriendum. Si quis excipiat, nullum extare mandatum aut exemplum in Scripturâ, ideoque talem debere acquieſcere in illo *Auguſtini*: crede & manducaſti. Rectè: idem ego regero de ſolitariâ manducatione: cujus itidem nullum mandatum nullum exemplum indicari poteſt.

„ 8. *Rat.* In veteri etiam Eccleſiâ Ægrotis Cœnam privatim porrigere „uſitatum & conſuetum fuit, ut ex *Dyonyſii* narratione de Serapione patet. *Reſp.* 1. Etiam in veteri Eccleſiâ uſitatum fuit panem benedictum domum deferre, eumque aſſervare, ut quacunque urgente occaſione, quiſque ſive Vir ſive Fœmina ſibi aut aliis in ſacramentum Euchariſtiæ inde porrigere poſſet. Uſitatum etiam fuit Infantibus Euchariſtiam diſtribuere. Ergone concludendum, talem conſuetudinem laudandam, imitandam? De Infantibus ſupra indicium feci; de quibuſvis privatis Baptiſmum & Cœnam adminiſtrantibus paulo ante ex *Tertulliano de Exhortatione Caſtitatis* edit. Rigaltii ex M. S. exemplari, quod ante 800. annos ab Agobardo Epiſcopo Lugdunenſi Eccleſiæ illi donatum erat: ubi verba ſic ſonanti. *Adeo ut ubi eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi*

tres

Digitized by Google

res, *Ecclesia est, licet laici.* Ubi *Pamelius* notat §. 40. ad hæresin Montani hoc pertinere. In editione ejus verba Tertulliani citata sic interpolata leguntur cap. 7. *Ubi ecclesiastici ordinis est confessus, & offert & tinguit Sacerdos, qui est illic solus.* Quæ cum contextu & institutâ dissertatione Tertulliani nullo modo convenire, facile deprehendet, qui modo perfunctorie caput illud legere dignabitur. *Albaspinus* Episcopus Aurelianensis *Lib. 1. Observat. de veteribus Ecclesiæ ritibus observ.* 5. 6. 7. operosè probare conatur, voces *oblationis & offerre*, in Patribus & Conciliis nunquam significare Eucharistiam. Ei occurrit *Grotius in Dissert. cit.* ubi probat Tertulliano & Cypriano τὸ *offerre & oblationem* quoties cum *tingere* conjungunt, notare τὸ εὐχαριστεῖν seu *Eucharistiam*: & aliter, non posse accipi *loco cit.* ex serie contextus, & collatione loci concordantis, *de Coronâ Militis, cap.* 3. Insuper probat illam veterum consuetudinem, ne quidem sequioribus sæculis planè exolevisse. Miror autem cut *Albaspinus* non ruperit illum nodum, dicendo, quod Pamelius, olere hæc Montanismum, & hunc Librum de castitate damnantem secundas nuptias, post prolapsum in hæresin à Tertulliano scriptum. Ego opinioni & proprio judicio Tertulliani hinc satis præjudicatum fateor: sed non pariter historicæ relationi, seu narrationi facti & consuetudinis his verbis: *tinguis*, offers, id est soles hoc facere; uti verba illa editor *Rigaltius*, & post eum *Grotius* accipiunt. Nos misso Tertulliano, Basilii testimonium a. 1634. in Desper. causa Papatus exhibitum, hic reponimus. *Quod porro persecutionis tempore cogatur aliquis, nec Sacerdote sive celebrante* (gr. λειτουργοῦ) *præsente, manu suâ communionem sumere; id nequaquam grave esse, supervacaneum fuerit ostendere: eo quod longa consuetudo id factis ipsis comprobaverit. Omnes enim qui in deserto solitariam vitam agunt, ubi nulla est Sacerdotis copia, domi communionem retinentes, ipsi per se communicant. Sed & in Alexandriâ, ac per Ægyptum unusquisque, etiam laicus* (N. B.) *ut plurimum communionem domi suæ detinet, & quando voluerit, per se communicat.* Morem illum *ibidem* probat ex eo, quod Sacerdos semel τὴν θυσίαν (quod *hostiam* vertit Epistolæ illius editor Vossius Tungrensis præpositus) ἐπιτελέσας perfecit (hoc est consecravit) ac præbuit: *Etenim*, inquit, *Sacerdos in Ecclesiâ particulam exhibet, quam qui suscipit, liberrimè asservat: atq; ita suâ ipse manu suo ori admovet. Idem igitur est virtute* (δυνάμει) *sive unam quis particulam è manu sacerdotis accipiat sive particulas simul multas.* Vides relatam consuetudinem antiquam, ex eulogiarum distributione natam, & ipsius Basilii sententiam. Quæ utraque cum prava sit, ex temporis antiquitate & consuetudine sine veritate nihil concludi potest, quam vetustas erroris. Ex limpidissimo hoc Basilii testimonio puto *Albaspinum* & *Pamelium*, Tertulliani testimonio tenebras criticas partim variantis lectionis, partim novæ Lexicographiæ seu Glossarii, circa vocem

cem *offerre* offundentibus, refutatos forem. Certe si Basilii pro prava illâ consuetudine apologia audienda esset: non video ullam communionem ecclesiasticam, ullum numerum Ministrorum vel in totâ aliquâ regione ad hoc necessarium esse. Unus enim Minister e. gr. in totâ Hollandiâ semel atque iterum annuatim millenos aliquot panes posset τελειῶν (quâ phrasi utitur *Basilius*) hoc est, consecrare, benedicere; quorum portio ad singulas Ecclesias mitteretur, & per cujusque Ædilem aut Ædituum per singulas familias distribueretur, & quisque quando vellet inde sumeret, & quidem εἰκότως (merito) id est quippe *qui credere debeat* (volente jubente *Basilio*) *se suscipere*, scil. Eucharistiam. Vident antiquitatum quarumvis epoptæ quo tandem abiret illud, τὸ ἔθος ἀρχαῖον κρατείτω. Ne quis autem dubitet an Epistola hæc genuina sit, is audiat editorem ejus Vossium: *Non solum*, inquit, *Recentiores eam citant, sed & Anastasius Nicenus Episcopus Lib. quæst. tom.* 6. *Bibliothecæ sanct.* &c. exhibitis verbis Anastasii, concludit, *ut dubitandum de ejus autore haut quaquam sit, quin sit sanctus Basilius; sub cujus ideo nomine eandem hic græcè simul & latinè evulgavimus.*

Hactenus rationes Eckhardi κατ' ἄνδρα examinavimus. Qui cum sicco pede prætereat argumenta contraria, *quod scil. ejusmodi sint, ut operosâ refutatione non egeant*, nos ulteriori labore liberat. Stant ergo argumenta nostra initio hujus quæst. proposita. Quæ *Musculus in Loc. comm.* (ab *Eckhardo* cit.) primo suo argumento summariè complexus est. 2. *argum.* Musculi est: Ne spe consequendæ privatæ communionis, deserantur publicæ. 3. *argum.* Ne aperiatur aditus privatis ac domesticis Cœnis, opinioni operis operati, & præposteræ fiduciæ, quâ à signis sacramentalibus homines dependeant. Hęc sane non sunt de nihilo. Adde & hoc, ne in cacoethes illud antiquorum quorundam *Basilio* memoratum ac probatum, incidamus; nec cum missâ angulari & solitariâ Sacerdotis manducatione, sine ullâ necessitate medii aut præcepti divini, videamur symbolizare.

8. *Quæst. An Phrenetici, Fatui, Surdi & Muti, Energumeni, Epileptici, Leprosi, Mulieres menstruatæ ad Cœnam admittendi? Resp.* 1. de *Phreneticis* aut Maniacis nulla dilucida intervalla habentibus, primum admittendis, aut antehac, cum sanæ mentis essent admissis, continuandis, *Neg.* Quia non possunt præparationis suæ ad Cœnam & reconciliationis cum Deo ac proximo debita signa edere. De illis qui dilucida intervalla habent, & antehac cum sanæ mentis essent, admissi sunt, non ausim negare: siquidem stata & certa (saltem moraliter) essent intervalla; & non metuendus esset tempore communionis, aliquis mali illius paroxismus; quo indecorum aut fastidiosum aut scandalosum quid committi, & tota actio publica turbari posset. Quod ad novam seu primam talium ad missionem, mallem ἐπίκρισιν & even-

tum exspectare, quem Deus daturus esset. 2. *de Fatuis* propriè & strictè dictis, absolutè *Nego*. A quibus tamen distinguo, simpliciores aut melancolicis deliriis subinde laborantes aut circa unam rem solam (absque damno proximi) amabili insania & fixa imaginatione aberrantes; illos etiam quos Nostri semi fatuos appellant. Ex iis enim aliquos admitti posse censeo; in quibus zelus pietatis & studium bonæ conscientiæ elucet, quique ad stabilem aliquam veritatis fundamentalis seu elementorum fidei cognitionem ac professionem adduci possunt. Hic considerandæ sunt, quæ de distinctione Fatuorum & amentium observamus in 2. *Part. selectar. Disp. tit. de Statu, Electorum ante* conversionem. Et *Part.* 3. *tit. d. Ignorantiâ* 3. de *Surdis*, supra *Sect. præced. de Baptismo* actum est: quæ huc transferenda. 4. De *Energumenis*, ante possessionem admissis, nollem negare,: si præsens arreptionis periculum, & inde turbatio actionis atque Ecclesiæ metuenda non esset. Sed cum Diabolus sit agens liberum, nihil non tantum certi, sed ne quidem probabilis nobis polliceri possumus: nisi forte in lunaticis, ubi secundum lunæ phases & influentias de aliquo dilucido intervallo probabiliter conjici posset. Præsupponimus responsioni ad hanc quæstionem, quæ ante annos aliquot commentati sumus de Energumenis, in 1. *Part. select. Disp.* In Canonibus (dictis Apostolorum) Can. 78. decernitur: *Si quis dæmonem habet, Clericus non efficitor: sed neque cum fidelibus preces fundito. Mundatus vero recipitor.* Quem allegat *Photius in Nomocanone Tit.* 3. *cap.* 13. Quanta autem sit Canonum istorum autoritas à Nostris antehac sæpe, & postremo ac plenissimè à *Joh. Dallæo* ostensum contra Turrianum; *de Pseudepigrapis apostolicis*, totô *Lib.* 3. *Concil. Arausiac.* 1. anno 444. (apud *Bochellum Lib.* 2. *Decret. Eccl. Gallic. tit.* 4. *cap.* 1.) statuit, ut, si baptizati sint, & de purgatione suâ curent, & se solicitudini clericorum tradant, monitisque obtemperent, *omnimodè communicent*, sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, &c. 5. De *Epilepticis*, fere statuendum videtur, quod de Phreneticis & Energumetus, quibus dilucida intervalla obtingunt. 6. De *Leprosis*, ad Cœnam admittendis, nullus scrupulus moveri debet ab iis qui nôrunt constitutiones *Levit.* 13. & 14. & consuetudines Israelitarum partim ceremoniales partim politicas circa lepram & leprosos, nobis minimè observandas. Quod ad ipsum morbum in se & naturâ suâ consideratum, hodie apud nos fere ignotus est: quamvis jam sæculis aliquot per superstitionem & ignorantiam, scabies quæ cutem, præsertim puerorum capita infestat lepræ seu elephantiasi Veterum, præsertim Ægyptiorum & Israelitarum substituitur, eodem ferè modo habita fuerit. Atqui talis lepra in primo suo gradu (seu mavis, in præambulo) dicto *psora*, & in secundo gradu dicto *lepra*, non rarò curatur; saltem ita mitescit, ut videamus

multos

multos cæteta, inſtar pugilum, bene habitos, genio indulgentes, & ſatis ad aliquam vitæ occupationem ac manuum laborem idoneos. Quod ad tertium gradum, quem Medici ſtrictè *elephantiaſim* vocant, qualiſcumque ſit & quam difficulter curabilis, non eſt ſaltem illud malum Iſraelitarum, cujus duo ſigna diagnoſtica indicantur *Levitic.* 13. *v.* 3. quod pili cutis mutarentur in albos; & quod ipſa lepra humilior ſeu depreſſior eſſet reliquâ cute. Et quod in leprâ capitis ac barbæ, capillus flavus, ſolitoque ſubtilior eſſet *v.* 30. & quod in calvitio ſeu recalvatione albus vel rufus color oriretur. *v.* 42. 43. Effecta ejus, inter alia, referuntur, quod veſtes laneas ac lineas, pelles & ex pellibus confecta *v.* 47. - 59. etiam domos *Levit.* 14. *v.* 30. inficeret. Atqui talia non competere hodiernæ lepræ, notiſſimum eſt: conſequenter eam diſtinguendam à leprâ antiquorum tum Judæorum tum Græcorum. Vide *Valeſium cap.* 19. *Philoſ. ſacræ*, diſtinctionem hanc explicantem, *A Lapide in Levitic.* 13. *v.* 5. & 47. eandem contra Abulenſem argumentis & teſtimoniis defendentem. Conferri poteſt ab illis quibus vacat, *Foreſtus in Obſervat. medicinal.* ubi de leprâ hodiernâ. Meræ ergo ignorantiæ, ſuperſtitioni, & κακοζηλίᾳ, adſcribenda totâ illa pragmatica Papatus circa Leproſos, quod extra Urbes habitent, quod ab eccleſiaſticis conventibus excluſi, tanquam immundi, peculiares & quaſi ſegreges Eccleſias, aut Eccleſiolas conſtituant, & ſacra ſua ſeorſim habeant, nihilominus oſtiatim ſtipem petentes & Urbes & Vicos circumeant, quod regimini & juriſdictioni eccleſiaſticæ tum perſonæ tum res, tum cauſæ eorum ſubjectæ ſint, atque adeo eccleſiaſticis canonibus & decretis circumſcriptæ. Quæ omnia perperam ex pragmaticâ Sacerdotum V. T. *Levit.* 13. & 14. deſcriptâ accerſuntur. Lepra illa in Europeis partibus numerari potuiſſet à *Pancirollo* & *Salmutho* inter antiquè deperdita; & ſcabies ſeu lues illa (quam Gallicam, Hiſpanicam, Neapolitanam appellant, quâvis leprâ, judicante *Eraſmo in Colloquiis*, deteriorem) inter novè reperta. Quâ ratione, quo jure eccleſiaſtici pragmatiam circa dictam lepram magis, quam circa luem Hiſpanicam, alioſque diros aut contagioſos morbos ſibi vindicarent? Cur curant & probant, ut ſeorſim habitent magis, quam ſi aliis morbis laborarent? Vide *tit.* 8. in decretal. lib. 4. de *conjugio leproſorum*? cur ibid. nihilominus compellunt partem ſanam ut conjugi leprâ laboranti cohabitet, etiam debitum reddat? An hoc convenit immunditiæ ceremoniali V.T.? Vide, *Canoniſtas ad Tit. cit. Commentantes*; & ex Recentioribus *Zypæum in Analyt. Explicat. Juris Canonici Lib.* 5. *p.* 305. Et *Bochellum in Decretis Eccleſ. Gallic. Lib.* 3. *tit.* 16. ubi de citatione ſuſpectorum de leprâ coram officialibus Epiſcoporum, & examine morbi *ibid.* inſtituendo. Et *Lib.* 5. *tit.* 12. ubi de piis domibus in genere. Notandum autem *Lib.* 3. *tit.* 16. Decreta nulla Synodorum proferri, niſi recentiorum ab anno 1524.

uſque 1557. quibus ratio examinis, ſeparationis Leproſi ab Eccleſiâ, publicæ cum miſſæ cantu, obvelatione vultus, oſculo pedis, non manus, Sacerdotis, triplici per Sacerdotem ſparſione terræ de cœmeterio deſumtę ſuper caput Leproſi prolatis his verbis: *Mon amy, c'eſt ſigne que tu es mort quant au monde, & pouvre ayes patience en toy.* Quibus per actis ducitur à Sacerdote cum cruce & aquâ benedictâ ad domum ſeu villam ſuam ſolitariam extra Civitatem, quam ubi ingreſſus eſt poſtulat ab eo hæc ſequentia ſcripto contenta ſub juramento promitti: quo præſtito ad ſua revertitur curatus, & juribus omnibus Parochialibus, ſicuti de aliis ſuis Parochianis, (defunctis ſcil.) fruitur: & poſt deceſſum dictorum Leproſorum, *debent curati habere* (ſunt verba Bochelli) *domum, veſtes, lectos, omniaque ſupellectilia domus, & omnia ipſius mobilia extra domum exiſtentia.* Forma autem exigendi juramenti ſic *ibid.* ex Synodalibus Eccleſiæ Trecenſis Cap. 8. exhibetur. pag. 486. 487. Dicit curatus leproſo.

„ Amy tu ſçais, & il eſt vray, que le Maiſtre des deux eaues, maiſtre de la „ Maladerie ſainct Ladre de Troyes par ſes lettres preſentees à moy, comme „ bien eſprouvé & battu de la maladie ſainct Ladre t'a denoncé ladre. Pour„ quoy je te deffends, que tu ne treſpaſſes ne offences ez articles cy apres „ eſcripts.

„ *Primò.* Quæ tant que tu ſeras malade, tu n'entreras en maiſon nulle autre „ qu'en tadicte borde: ne ne coucheras de nuict, ne en moulin tu n'en„ treras.

„ Item que en puys ne en fontaine tu ne regarderas: & que tu ne mangeras „ que tout par toy.

„ Item, que tu n'entreras plus en nul jugement.

„ Item, que tu n'entreras plus en l'Egliſe, tant comme on fera le ſervice.

„ Item, quand tu parleras à aucune perſonne, va au deſſous du vent.

„ Item, ſi tu rencontres aucune perſonne, va au deſſus du vent.

„ Item, quand tu demanderas l'aumoſne, que tu ſonnes ta tartenelle.

„ Item, que tu ne voiſes point loing de ta borde ſans avoir veſtue ta houſſe, „ & qu'elle ſoit de quamelin ſans auoir couleur aucune.

„ Item que tu ne boiues en autre vaiſſeau qu'au tien.

„ Item que tu ayes ton puis ou ta fontaine devant ta borde: & que tu ne „ puiſes a autre.

„ Item que ayes devant ta borde une eſcuelle fichee ſur un droict baſton.

„ Item que tú ne paſſes pont ne planche ſans avoir mis tes gands.

„ Item que tu ne voiles nulle part hors que tu ne puiſſes retourner pour „ couchir le ſoir en ta borde ſans congé ou licence de ton Curé du lieu, & de „ monſeigneur l'Official.

„ Item

Digitized by Google

„ Item ſi tu vas loin dehors par licence comme dit eſt, que tu ne voiſes „ point ſans avoir lettres de tondict Curé, & approbation dudit monſeigneur „ l'Official.

Videmus nova ceremonialia Romana, antiqua Judæorum (ſed à Deo uſque ad tempus correctionis immediatè præſcripta) fanaticè ex proprio cerebro excogitata longè ſuperare; & jugum novum longè gravius veteri abrogato ſubſtitui. Cum nulla amplius ceremonialis immundities ex lepra aut tactu leproſi contrahi, nec per eorundem in Civitatibus commorationem domus, veſtes, corpora aliorum hominum magis infici queant, quam à multis aliis morbis etiam contagioſis, quales febres peſtilentialis, dyſenteria, lues Hiſpanica, &c. Quod ipſorum non tantum medici, ſed & theologorum Canoniſtis fuerentur. Vide A Lapide & Zypeum loc. cit. 7. *de Menſtruatis*, olim ſtatutum, quod non conveniat iis in diebus purgationis ſuæ communicare: apud *Photium in Nomocanon. Tit. 3. cap. 18.* ubi indicat *Dionyſii Epiſt. ad Baſiliden c. 2. 4.* & *Timothei Canones* 6. & 7. Sed totum hoc ſapit immunditiem ceremonialem, quâ & in ſe immundi erant, & omnes alii quos tangebant, *Puerpera Lev. 12. Leproſi Lev. 13.* & 14. *Seminiſlui cap. 15. Menſtruata 16. v. 19. Hæmorrhoſſav. 15.* & ex *coitu legitimo* aut illegitimo. *Ib. v. 16.* Hanc ſi quis in N. T. urgeat, conſequenter refodit legem ceremonialem morte Chriſti mortificatã, & jam dudum honeſtè ſepultam. *Hebr. 9. v. 10. Gal. 4. v. 9. 10. Col. 2. v. 16. 20. 21.*

9. *Quæſt. An Concubinæ, & Concubinarii, Polygami, Fœneratores, Pyraticam exercentes, Hiſtriones, Thymelici*, &c.: *ſiquidem à Magiſtratu, ſeu νόμῳ ἐ χάριτι permittantur, immo & approbentur, etiam ad dignitates admittantur ac promoveantur?* Reſp. 1. *de Concubinariis* affirmatur in *Jure Canonico, diſt. 34. can. Is qui.* ſub hac limitatione, ſi non habeat Uxorem, ſed loco illius unam duntaxat Concubinam. Citatur *ibi Concil. Toletanum* 1. & ſequ. Can. *Chriſtiano. Iſidorus de* Diſt. V. & N. T. Gloſſa explicat Concubinam, de *muliere non ſolenniter ductâ: ſi tamen mutuus conſenſus intervenit. Corpus Canonicum* juſſu Gregorii XIII. Sacerdotum *in Notis* integrum *Canonem Concil. Toletani* (quem etiam ab Ivone in Panormiâ relatum dicit) exhibet, in quo hæc formalia verba comparent: *à communione non repellatur: tamen ut unius Mulieris, aut Uxoris, aut Concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus.* Subjicitur *in notis cit.* πόρνοι hoc φάσμακοι: „ omne genus concubinarum eo tempore non fuiſſe permiſſum: de quibus quid in legibus imperatorum Gentilium ſcribatur, nihil opus eſſe referre. Et *Juſtinianum Novell. 18. c. 5.* quaſdam Concubinas comparare quodammodo Uxoribus, &c. Sed meminiſſe debebant Theologi dicti Hieronymi: *aliæ ſunt leges Chriſti, aliæ Cæſaris*, &c. Diſtinguenda ſunt licita aut juſta in foro poli ſeu conſcientiæ, & in foro ſoli, ſcil. in hâc aut illâ Republicâ ſive volente Prętore

tore νόμῳ καὶ χώρᾳ. Quod ad ſocietatem conjugalem unius Viri & Fœminæ, ab initio inſtitutam, ea ſola Jure divino & naturali licita eſt: quidquid conjunctionis extra eam, in conſcientiâ illicitum eſt : ideoque publicè privatimque omnium Chriſtianorum conſcientiæ de eo informandæ ſunt ; & ſi qui pertinaciter pergant, propoſitis cenſuris eccleſiaſticis abſterrendi. Sed objiciat forte quis. 1. *Object.* Propter omnia Peccata ab uſu Cœnæ, cætera probi & fideles, arcendi non ſunt. Sunt quædam etiam piiſſimis adhærentes infirmitates: ſunt quotidianæ incuſationis peccata: ſunt etiam peccata, quæ in hac aut illâ gente, hujus aut illius ætatis, communis quaſi conniventiæ, & tolerantiæ peccata dici ſolent. *Reſp.* ad nullum eorum concubinatus referri poteſt: non enim eſt tranſiens aut per intervalla ſubinde hominem invadens; ſed eſt permanens ac perpetuum: nec eſt ignorantiæ aut infirmitatis; ſed firmi propoſiti, rebellionis, & audaciæ: nec per præoccupationem aut carnalem circumventionem committitur; ſed elatâ manu: nec clam aut in angulo ſerpit; ſed palam coram ſole & mundo oſtentatur: nec tantum dehoneſtat Peccatores illos; ſed & totam Eccleſiam ac communem fidei profeſſionem, dum ſcandalum præbetur iis, qui intus & foris ſunt. 2. *Object.* Atqui leges Romanæ concubinatum, eò modo, uti ſupra ex *Gloſſis*, *& Notis Juris Canonici* indicatum eſt, concedunt. Quod ergo τῷ νόμῳ καὶ χώρᾳ, & volente Prætore licitum eſt, illud juſtè fit: nec poteſt aut prædicatione, aut correptione fraternâ, aut cenſura eccleſiaſticâ argui; niſi una leges, jura publica, autoritas publica iſtic proſtituantur & violentur, ubi concubinatus ſive lege, ſive conſuetudine impune exercetur. *Reſp.* Si ad eccleſiaſticam prædicationem, aut adhortationem, aut correptionem, aut cenſuram, tale quid ſequeretur, hoc totum eſſet per accidens. Jam vero propter incommodum per accidens forte eventurum, aut ſaltem metuendum: bonum per ſe neceſſarium & lege divinâ mandatum, non magis eſt omittendum ; quam facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Sexcentæ inſtantiæ dari poſſunt; Ergo nec lex, nec euangelium eſſet prædicandum. Illa enim iram operatur; & iſtud multis ſit odor mortis ad mortem. Ergo nulla peccata eſſent reprehendenda, nec ob perſeverantiam in illis communio Cœnæ alicui deneganda. Vide *Catalogum peccatorum in Catechefi noſtra*, & in *Liturgiâ Tit. de Cœnâ.* inter quæ vix aliqua ſunt quæ in hâc aut illâ Republicâ Ethnicâ, aut Muhammedicâ, aut Chriſtianâ, non ſint licita. Ut e.gr iconolatria, artolatria, hagiodoulia, leipſanodoulia, miſſificum ſacerdotium, Pontificatus, Cardinalatus, Epiſcopatus, monachatus, canonicatus, reſignationes officiorum ſeu beneficiorum (ut ipſi vocant) eccleſiaſticorum, h.e. venditiones; adhæc inceſta quædam conjugia, clandeſtina conjugia liberorum abſque conſenſu parentum, in politiis Papiſticis: contemtus & accuſatio Scripturæ ac fidei Chriſtianæ, polygamia,

in

in politiis Ethnicis & Muhammedicis; pyratica in politiis Aligerienſi, Tunetanâ, Tripolitanâ; uti olim furtum quodcumque in antiquâ Republ. Spartanâ, teſte *Xenophonte*. Ergone Eccleſiæ, ſi quæ collectæ ſint, aut aliquando colligendæ in illis politiis, talia peccata publicè privatimve verbo hortationis tangere non deberent: nec cenſuras, in ſcandaloſos ejuſmodi Peccatores, per voluntariam fidei profeſſionem fidelium numero antehac adſcriptos, ſtringere? Vident, qui malitiosè oculos non claudunt, quo tandem duceret prætenſa lex humana, voluntas prætoris, autoritas Magiſtratus conſentientis aut permittentis, in quæſtionibus, de jure divino aut naturali, in foro conſcientiæ & poli, de juſtitiâ & juſto in interiori conſcientiæ foro; contra diſtinctè ad juſtum in exteriori foro humano, ubi quod in foro poli peccatum eſt, per mandatum, aut conſenſum, aut ſtabilem permiſſionem evadit licitum & ab omni pœnâ exemtum, forte inſuper præmio honorandum. Ne à caſu propoſito abeam, refert *Alexander de Rhodes* Jeſuita in *Relationibus ſuis de prædicatione fidei in regno Tunchino*, Italicè a. 1650. editis *Lib. 2. cap. 22.* Regem antea Jeſuitis benevolum & faventem, mutato animo ob Concubinarum dimiſſionem à novitiis quibuſdam Chriſtianis, hortatu ipſorum factam, rigidè ipſis interdixiſſe prædicationem monogamiæ his aut ſimilibus mandati verbis: „ Quæ hæc eſt lex, quam vos per Regnum meum „ publicatis? Vultis, ut ſubditi mei habeant unicam ſolum Uxorem ſuam: „ ego vero volo, ut habeant plures, ut plures poſſint procreare filios, qui „ mihi ſint fideles ſubditi. Vides hic νόμον, χάριν, conſuetudinem, Prętoris uoluntatem, ſupremæ poteſtatis auctoritatem, Regis ipſius & Magnatum exemplum plurimas Concubinas alentium, exſertam ſub gravi commination prohibitionem. Quid hinc concludes? juſtum, licitum, irreprehenſibilem eſſe concubinatum, ſeu mavis polygamiam in foro poli, in conſcientiâ coram Deo, in communione Eccleſiæ; quia talis eſt in foro ſoli? Egregia ſane conſequentia. Memini me audiviſſe ex erudito & pio viro Juſto Heurnio τῷ μακαρίτῃ Amico noſtro, cum viveret, amiciſſimo, ex Indiâ Orientali (ubi per 16. annos Euangelii præconem egerat) viros quoſdam Indos ſacra Chriſtiana jam frequentantes, petiiſſe ab illo ne caput 5. Mathei publicè linguâ Malacicâ prælectum, amplius prælegeretur: quod Uxores ipſorum illâ lectione auditâ, in ipſos & Concubinas ipſorum inſurgerent, quas extra domum & familiam ſuam minori aut majori numero, pro facultatibus ſuis alebant, & ex quibus plures liberos procreabant; quorum opera ipſi in re agrariâ, & piſcatoriâ carere non poſſent, uti prætendebant. Et hæc reſponſio ad propoſiti argumenti majorem. Minor à pleriſque *Jureconſultis* hactenus admitti videtur *ad Tit. D. & C. de Concubinaria.* uti etiam à *Gloſſis & Notis canoniſticis* modo *cit.* Quamvis non deſint qui Jus Romanum in benignam

partem

Digitized by Google

partem interpretetur; & excuſent. Certè Cujacius lib. 5. Obſervat. cap. 6. cum paulo ante ambiguè aut duriuſculè dixiſſet. *concubinam legibus probatam, & ut elegantur Julianus anteceſſor ait. Novell.* 18. *legitimam uxorem imitari*: poſtea ſatis diſtinctè mentem ſuam ſic explicat: *Concubinatus pugnat cum ſtupro: ſtuprum lege Juliâ vindicatur: concubinatus nullâ lege vindicatur.* Vides quomodo legibus civilibus probari & licitum ac legitimum quid fieri ac concedi dicatur, quum ſcil. malum legibus non vindicatur ſed toleratur ſeu impunitum dimittitur. Conferantur ex Recentioribus Jureconſultis, *Tholoſanus* profeſſionis Pontificiæ & *Althuſius* reformatæ, ſimiliter fere quæſtionem de licito concubinatu explicantes. Nec prætereundum ab Imperatore Baſilio Macedone (qui floruit a. 867.) conceſſionem concubinatus in imperio Orientali planè abrogatam eſſe. Sic enim in Jure Orientali Part. 1. lib. 2. Novell. Imperator. pag. 87.

„Quoniam apud priſcos liberum invenimus cum concubina conſortium „quicumque tandem conſuetudinem habere cum ea vellet: viſum eſt nobis, „hanc quoque legem ſilentio minime prætereundam, ne per indecoras nu „ptias reſpublica noſtra contaminetur. Quare præcipimus, ut ex hoc die „nemini in domo ſua concubinam habere. Id enim parum, vel nihil à ſcor„tatione differre putamus. Sed ſi vitæ ſocietatem habere cum ipſa volet, ma„trimonium cum ea contrahat, ſecundum juris ſubtilitatem. Quod ſi eam „mulierem indignam ſe judicaverit, nihil cum ea commercii per coitum „habeat: ſed hac rejecta, quam convenire ſibi judicaverit, accipiat. Sin „caſte vivere malit, ſanè rem nobis optatam faciet.

Quidquid ſit de Juris Romani conceſſione, ſaltem conſcientiis nulla libertas, nulla tale quid agendi licentia, nullum peccandi privilegium inde acquiritur: nec ullus Imperator, ullus Magiſtratus ſive jubendo, ſive approbando, ſive tolerando, ex peccato non-peccatum facere poteſt: uti perperam hoc Papæ tribuit *Bellarminus contra Barclayum.* Præterea nullus Imperator, nullus Princeps, nulla Reſpublica, nullus Prætor, nullus Judex, nullus Jureconſultus, Papinianus, Julianus &c. infallibilis & ἀναμάρτητος eſt. Cum malum aliquod mandant & approbant ſive privato & ſingulari ſuo ſive publico & armato judicio, dum exercent juriſdictionem cum imperio: nemo poteſt bonâ conſcientiâ illud judicium ſequi, aut facere, ſi Juri divino aut naturali repugnet. Excipitur à Jureconſultis & Theologis præſtantibus contra Epiſcoporum, Pontificum, Conciliorum abſolutam & infallibilem autoritatem, abſolutam ac cœcam obedientiam illorum judiciis, decretis, mandatis unquam præſtitam aut præſtandam. Multo magis excipi poteſt ac debet contra Magiſtratuum ſecularium infallibilitatem & ἀναμαρτησίαν, ſi judicia mandata, & exempla ſua urgeant in rebus ſpiritualibus, in caſuum conſcientiæ

ſcientiæ determinationibus, in uſu clavium Regni Cœlorum : ubi ipſis jure divino *πρεσβεια, ἐξουσια. διακονια*, poteſtas clavium, minime commendatur, ſed Viris eccleſiaſticis *Math.* 16. *v.* 19. & 18. *v.* 15. *Actor.* 20. *v.* 28. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 12. 13. *Hebr.* 13. *v.* 7. 17. Adde, quòd cum etiam legitimè malum aliquid tolerat, quod tollere nequit, judicandum eſt cum *Thomâ* 22. *Qu.* 77 *art.* 1. *ad* 1. lex humana datur populo, in quo ſunt multi à virtute deficientes: non autem datur ſolum virtuoſis. Et ideo lex humana „non potuit prohibere quidquid eſt contra virtutem; ſed ei ſufficit, ut pro„hibeat ea quæ deſtruunt hominum convictum, alia vero habeat *quaſi* (N. „B.) *licita: non quia ea approbet; ſed quia non punit.* Et *in* 1. 2. *Qu.* 91. *art.* 4. „*ad* 3. leges humanę non poſſunt illam infallibilitatem habere, quam habent „concluſiones demonſtrativæ ſcientiarum.

3. *Object.* Quia in Imperio Romano erat concubinatus ſi non approbatio, ſaltem ordinata & legibus ſtabilita tolerantia: poterat etiam aut debebat eccleſia eccleſiaſticam ejuſdem tolerantiam lege eccleſiaſticâ ſeu canonicâ munire & rectoribus eccleſiæ præſcribere? *Reſp.* 1. Sed hâc ratione nec Concilium Toletanum, nec Jus canonicum excuſari poteſt. Aliud eſt conniventia aliqua in executione prudenter in caſu particularis neceſſitatis, aut dum non ita liquet aut notorium eſt, circa factum particulare adhibita: & aliud ordinata & legibus ſancita permiſſio ſeu tolerantia; quę tandem plerumque deſinit in approbationem. *Reſp.* 2. Negatur conſequentia, quæ nititur iſtâ falsâ hypotheſi: *Quidquid approbat aut tolerat politia in ſuâ communitate & ſymbioſi*, illud *pariter approbat aut tolerare debet ſaltem poteſt*, *Eccleſia in ſuâ communione.* Supra Lib. 1. tract. 2. tusè oſtenſum eſt, Regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo; ac proinde cum Regno mundano non confundendum, nec poteſtatem ac politiam illius, ad modulum iſtius efformandam. Quæ hic non repeto. Tantum illud ex catalogo peccatorum & ſcandalorum, quæ exempli causâ in *Liturgiâ Palatinâ*, *Belgicâ*, *Gallicâ* recenſentur, aliquos illic à communione excluſos denuntiari, qui in variis politiis & communitatibus, etiam Chriſtianis, immo & Reformatis abſque aliquâ moleſtiâ vivunt & verſantur: Quales Idololatrę, Scortatores, Stupratores, Fœneratores, Aleatores, Ebrioſi, Avari, &c. *Reſp.* 3. Cum in Imperio jam Chriſtianizato (ita loquar) *Novell.* 89. & ſpecialiter in Orientali Imperio circa annum 867. (uti patet ex *Novellis Imperatorum in Jure Orientali lib.* 2. p. 87. modo *cit.*) omnis concubinatus prohibitus ſit; nec minus in Imperio Occidentali per Jura noviſſima, immo etiam per Jura canonica: fatentibus Jureconſultis Pontificiis *Tholoſano Lib.* 10. *cap.* 1. §. 15. 16., citatis ibi *Menochio Caſ.* 418. §. 13. *& ſeqq. Palaoto de Noth. & Spur. cap.* 12.: mirari ſubit, quâ diſciplinę laxatione ſcandaloſus ille canon (is qui) tamdiu in *Jure Canonico*, tam priori

Digitized by Google

Ivonis, tum posteriori *Gratiani* toleratus sit: & quidem, quod magis mirandum, cum tali rubricâ: *Qui non habet Uxorem loco illius Concubinam debet habere.* Sic enim habent editiones Decreti in 4. & Corporis Canonici glossati anno 1507. Lugduni, & anno 1611. Basileæ. Et cogitate, quâ cum ædificatione hæc ita lecta, audita, allegata, & memoriæ infixa fuerint à lytis, à licentiatis, & Magistris Juris utriusque in Scholis Decretorum, in Scholis Theologicis, in curiis sæcularibus & episcopalibus. Nôrunt illi Abassinæ gentis errores numerare, & inter eos, quod *plures simul habent Uxores, & eas, cum lubet, repudiant* (apud *Aubert. Miræum Lib. 4. de Polit. ecclesiast. seu de Statu religionis per Europam*, &c. *cap.* 5.): sed hoc de factis, & de connivantiâ, aut ad summum de ordinata tolerantiâ ecclesiasticâ intelligendum. An non Romanę Ecclesiæ pari jure concubinatus impingi posset. Quamvis enim rubrum, per nescio quem, post tempora reformationis, in aliquâ aut in aliquibus impressionibus mutatum sit, substitutione *vñ potest* in locum *vñ debet*, & anno demum 1580. per correctores Gregorii XIII. hunc in modum interpolatum sit; *Qui non habet Uxorem, sed loco ejus Concubinam, à communione non repellitur:* nunquam tamen malè sonans, scandalosum, periculosum nigrum, nigrum theta notandum, *Can. 4. is qui & c. 5. Christiano*, usque in hunc diem, erasum fuit; nec Corpus Canonicum hac saltem in parte *emendatum, notis illustratum, & jussu Gregorii* 13. *editum est.* Si tale est emendatum, quale putas, usque in illum diem, fuisse in-emendatum?

4. *Obiect.* Si in politiis Ethnicis aut Mahummedicis, nemo in Concubinarium actionem instituere potest, aut si institueret, in judicio alicujus delicti eundem convincere: utiq; non videtur à communione arcendus. Quid si provocet ad Magistratum aliquem Christianum, & Concionatori totique Consistorio illic diem dicat? quid si stipatus advocatis Christianis ex utroque Jure causam illius agentibus, tribunali se sistat, ibique triumphet; & consequenter mandatum obtineat de non prohibendo communionem ob solum concubinatum? *Resp.* Fieri posset, ut quis concubinarius non tantum in politiâ Ethnicâ aut Mahummedicâ, sed & Christianâ impune hoc habeat, & volente Prætore possideat, insuper ad dignitates civicas admittatur, immo & suprema potestas eidem commissa sit: eum tamen ad communionem non admittendum docet disciplina sacra, Jure divino tradita. Quo præ judicium nullum per se adfertur dignitati, & dominio alicui seculari, nec potestati supremæ, aut juribus majestatis, à quibus dignitas & dominum dependet. Ratio est, quia nec dominium temporale fundatur in gratiâ, fide, communione ecclesiasticâ: nec viciſſim gratia, fides, communio fundatur in mundo, in sæculo, in sæculari ordine, dominio, potestate; nec ab eo per se & essentialiter dependet: non magis quam Rex, Senator, Judex, Pictor, Advocatus, Me-

Digitized by Google

Medicus quà talis, quod ad & ſecundum poteſtatem, facultatem, artem ſuam, earumque exercitium per ſe dependet à Matre, à nutrice ſuâ, à ſole; ſine illâ enim homo natus non eſt, ſine iſtâ non educatus, ſine hoc non ſubſiſtit, vivit, agit. Hinc conſectarium educitur, Principi aut Magiſtratui ſæculari Ethnico aut Mahummedico non competere jus & facultatem peremtorio ſuo judicio ad communionem admittendi, aut ab eâdem renovendi: nec tale quid competere Chriſtiano Papali, aut ſectario (Remonſtrantico, Sociniano, Arriano, Libertinico, Semi-libertinico, Neutrali): minimè omnium reformato, & quidem perfectè (uti nonnemo loqui amat) quod ad profeſſionem religionis reformatæ. Alienis à Chriſtianiſmo aut à reformatione analogicè applicandum illud 1 *Corinth.* 5. *v.* 12. *quid attinet me judicare illos, qui foris ſunt* & 1 Corinth. 6. *v.* 1. *audet quis veſtrum*, &c.

Reformatis & alienis ſimul applicandum illud *Matth.* 16. coll. cum *Math.* 18. *v.* 15. *Johann.* 20. *v.* 20. 1 *Corinth.* 5. *v.* 3 6. de clavibus Regni Cœlorum; quæ ipſis non magis datæ ſunt, quam miniſterium verbi & ſacramentorum *Math.* 18. *v.* 19. coll. cum 2 *Corinth.* 5. *v.* 18. 19. 20. *Actor.* 20. *v.* 28. 1 *Petr.* 5. *v.* 1-4. quam arma ſpiritualia 2 *Corinth.* 10. *v.* 3. denique quam gladius politicus datus eſt concionatori, aut Synedrio eccleſiaſtico. Quod ſi alicubi Princeps ſive achriſtianus, ſive Chriſtianus, cum Rege Uzzia munus, ac miniſterium Concionatorum & Synedrii uſurparet, & communionem alicui adjudicaret (uti Genevæ olim accidiſſe refertur in *Vitâ Calvini*), fideles Miniſtri & Anteceſſores, exemplo Theodoſii, Calvini, & Sacerdotum 2 *Paral.* 26. *v.* 18. nec factum probare, nec mandato parere debent. Conferantur etiam laudatiſſima exempla *Daniel* 3. & 6. *Actor.* 4. & 5. Ratiunculæ ex tartaro carnis & mundi extractæ plerumque talibus in caſibus audiri ſolent: quod Miniſtri imprudenter ſeipſos periculo diffamationum, odii Magnatum, perſecutionum, exponunt; etiam Eccleſiæ, ejuſque libertati, quâ nunc fruitur, plus noceant, quam proſint. Quibus reſpondendum, non poſſe Miniſtros homini mandanti magis obedire, quam Deo prohibenti: ſanctum dare canibus *Math.* 7. expurgandum eſſe vetus fermentum 1 *Cor.* 5. Non eſſe facienda mala turpia, ut eveniant bona, aut ut præveniantur mala triſtia *Rom.* 3. Quidquid evenerit, patienter ferendum eſſe, & Deo cauſam noſtram committendam.

2. *De Pyratis*, pyraticam per ſe aut ſuis expenſis per alios exercentibus, abſolutè negamus. Quod ſi quis dicat alicubi (ut Tripoli, Tuneti, Aligerii) publicâ autoritate non tantum permittente, ſed & probante, immo mandante, & exemplo ſuo præeunte, bona in mari rapta, naves, merces, vectores captos, publicè illic ſub haſtâ vendi, æraro publico ex iſtâ ſubhaſtatione aliquid accedire, civium & incolarum hanc eſſe ſolitam negotiationem, omnia iſta

Digitized by Google

volente prætore, consequenter justè, acquiri & possideri, & neminem eo nomine illic inquietari, aut infamari, aut ad restitutionem posse cogi. Hinc concludat, Christianos si qui istic commorentur & partem societatis ac licitæ (νόμῳ scil. καὶ χώρᾳ) negotiationis faciant, non posse à communione arceri, sine contemtu, & violatione potestatis supremæ, & judicii publici, sine rebellione in legitimum Magistratum. Quid quæso responderent Casuistę? quid Patroni Cæsareo-Papatus? An dicerent, Non posse Magistratum achristianum, aut non reformatum (qualis in dictis civitatibus) quid in suo principatu peremtoriè determinare, potestate, lege, statuto suo hoc licitum, legitimum, & justum facere, nec omnibus modis acquirendi, & negotiationibus in Republicâ sua modum ac mensuram ponere: sed omniâ illa posse Magistratum Christianum, & quidem perfectè reformatum, in Republicâ perfectè reformatâ. Ut quis melius capiat labyrintheos illos aliquorum conceptus, ad sic applico. Casum si Magistratus Algerienſis aut Tunetanus, quod ad potiora suffragia, fieret perfectè reformatus, hoc est, plenam doctrinę Christianę reformationem admitteret, defenderet, profiteretur; & ipsi aut aliqui ex iplorum collegio, 10. aut 30. aut 40. partem prædæ pyraticæ percepissent: insuper aliqui ex illis, & ex Civibus nonnullis ad Christianismum jam conversis partim antehac se ingessissent partim de novo se ingererent, in societates, quæ illic habentur, prædatorias seu pyraticas, & sic paulatim alii sive hæredatione, sive donatione, sive emtione actionum, (uti vocant) succederent: an pii talis societatis illic antehac volente Prætore, publicâ Magistratus permissione, aut etiam approbatione initæ, & nunc ob rationes status non dissolutæ, non abrogatæ, nec facile abrogandæ, absque scrupulo & bonæ conscientiæ læsione partem facere, expensas pro rato contribuere, & acquisitæ prædæ portione frui possint? An potius quidquid à se in illam societatem collatum est, repetere; & si hoc impetrare nequeant, saltem congruæ suæ portioni, & qui Senator est, portioni senatoriæ renuntiare, etiam malè hactenus parta, quovis modo possibili, restituere debeant? Pro priori, contra posterius hæc forte quis prætexeret 1. *Paratâ* pecuniâ actionem & portionem in illâ societate quis emit. Ergo ære suo justè & legitimè emtam, mediantibus illis resignet, aut in bursâ Mercatorum venalem exponat. Iniquum enim esset illum renuntiando tantam facere jacturam, & rem familiarem intervertere. 2. *Est Reformatus*, & consequenter bonæ fidei possessor: non vero infidelis, Ethnicus aut Muhammedista. Quidni ergo utatur fruatur illo modo acquirendi, istius negotiationis fructibus? Quid si huc applicetur, *Mundis omnia munda* Tit. 1. *Quidquid venditur in macello* 1 Cor. 10. 3. *Senator*, portionem aliquam ex prędâ percipit tanquam emolumentum, aut xenium senatoribus antehac collatum? cur non æque illud perci-

peret

Digitized by Google

peret nunc factus Christianus, ac alii Senatores adhuc à fide Christianâ alieni. 4. *Magistratus* petectè reformatus (saltem quod ad potiora suffragia) tales negotiationes & societates publico suo judicio approbat, aut permittit; nec ob implicatum illi Reipublicę suæ statum, stabilitum regimen politicum, dependentiam Reipublicæ ab Imperatore Ottomannico, aliasque rationes status in præsenti mutare potest, etiamsi vellet. Ergo licita est in foro conscientiæ, & nemo cætera bonus Christianus, propterea à communione arcendus esset: multò minus publicè privatimve apud Christianos contra eam differendum? aut conscientiæ super eâ informandæ, aut nomine pyraticæ traducenda. Quod si quis fecerit, causa nulla dicenda videtur, quin rebellionis, seditionis, perturbatæ pacis publicæ, sacrilegii, lęsæ majestatis criminibus condemnetur. Atque hi nexus sophismatum, quibus variorum peccatorum licentia attrahi posse putatur. Quæ quam facillimè difflabunt, elementorum pietatis non planè inexperti.

3. De *Fœneratoribus*, & Usurariis manifestis, *Neg.* cum nostrâ Liturgiâ, & totius antiqui ac hodierni Christianismi sensu ac praxi. Vana effugia, ineptæ sophistications, futiles exceptiones pro Deo mammonâ & Deo ventre satis superque à me antehac profligata sunt in *Disp. de Usuris*, *& de Pseudo-grapheмate usurario.* Hujus Academiæ Facultas Theologica particulari occasione ita postulante edidit anno 1644. libellum vernaculum tit. *Res judicata*, & anno 1657. *Partem* 2. *eodem tit.* cui inserta est nubes testium. Et anno 1650. edidit *Scriptum* latinum *posthumum*, *de Fœnore* Clariss. *Antonii Thysii* Theologi, cum viveret, Leidensis multę eruditionis & diffusissimę lectionis; adjectis nonnullis ad eandem materiam spectantibus. Anno 1658. accuratissima nostræ *rei Judicatæ* defensio belgicè conscripta est à Reverendo & perquam erudito quodam Concionatore & Theol. Doctore, tit. *Res judicanda judicata:* cui anno sequenti 1659. appendicem submisit. Ex illo tempore, conticuere omnes. Stat tamen publicis Fœneratoribus, quorum interest, sententia de licità non tantum, sed etiam admodum honesta, utili, charitatis plenâ negotiatione trapeziticâ: quia stat praxis lucratoria, eamque in perpetuum stare velint. Hæc fœneratoria pietas, professio, & Ecclesiola quasi contra Ecclesiam, (ubi & quamdiu non recipiuntur in Ecclesiæ communionem), Magistratus indulto (vulgo dicto *Octroy*) tanquam unico fundamento innititur, & in hoc patrocinii ab uno atque altero tandem laboranti causæ commodati ultima est analysis. Ad solius Magistratus judicium & potestatem pertinet modum fœnoris in Republicâ exercendi determinare & ponere. Atqui posuit antehac in Belgio ut 80. aut 50. aut 32½. florenos ex centenis mutuò datis, supra sortis restitutionem annualium exigerent & perciperent; nunc etiam alicubi ad minorem modum re-

Digitized by Google

dacti 21. flor. aut ad minimum 16. flor. percipiant: & quidem à tenuis fortunæ hominibus aliquo neceſſitatis caſu indigentibus, immo & à quibuſvis pauperibus pauperrimis; quorum quævis depoſita pignora non redemta intra anni & 6. hebdomadarum aut trimeſtris ſpatium venduntur, ut ex pretio rei venditæ capitalis ſumma mutuo data, cum dicto lucro ipſis exolvatur. Hæc ſcil. pietas, hæc charitas, hæc juſtitia, hæc æquitas erga tenuiores, inopes, Pauperes: cum Principes, Civitates, Toparchæ, Nobiles, Proceres, Optimates, Mercatores, abſque ullo in manus mutuantium depoſito pignore, quo certi ſint de ſummâ ſuâ capitali & lucro; plerique ultra 4. multi ultra 3½ aliqui etiam ultra 3. aut 3¼ flor. non pendant. Et hanc inæqualitatem, unus atque alter nuper contra totius Chriſtianiſmi antiqui & hodierni conſenſum defendere occœpit. Reformati ſcil. Doctores, juxta cum Synodis Belgicis à communione Fœneratores illos excludentibus, præjudicio Papatus & Juris canonici occupati ad communem errorem iverunt: (uti prætendunt), nunc novâ luce exortâ, diſcuſſis tenebris, concedente etiam & volente ſive Prætore ſive Senatu, *malum* hoc hactenus dictum *neceſſarium*, in bonum immo in optimum transformatum eſt; ita ut ventres fœneratorum, quos Theologi & Synodi tot annis tetigerunt, nunc compoſitâ pace, in bonæ & tranquillæ conſcientiæ ſanctuario conquieſcere ſibi videantur. Non repetam hic, quæ contra occulta dedecoris an rehac à nobis diſſertata ſunt: tantum judicium & poteſtatem Magiſtratuum in politiis Ethnicis, & Muhammedicis, circa conjugia, polygamias, concubinatus; in politiis Pontificiis circa inceſtuoſa conjugia inter Patruos aut Avunculos & Neptes; inter Affines & Fratrias; in politiis Tunetanâ, Aligerienſi, &c. circa pyraticam; in Angolà circa venditionem Uxorum, determinantium & modum ponentium, opponentibus, & neutralibus, ſi qui ſint, ſerio expendenda relinquo. Omnes ingenii nervos intendant, ut videant, ſi quo modo ſibi & aliis ſatisfacere queant. Sed excipiat quis, iſti Magiſtratus non ſunt reformati; ideoque ipſorum judicium & poteſtas huc uſque ſe non extendit: Noſtri vero ſunt reformati. Reſpondeo, poteſtatem & dominium temporale non fundari in gratiâ & vera fide: conſequenter æque poteſtatem regiam, & jus majeſtatis, competere Regibus Ethnicis, aut Saracenicis, aut Chriſtianis Pontificiis, aut Hæreticis; ac Reformatis. De quo alibi ex profeſſo diſputatum eſt. Sive ergo illi, ſive iſti circa τὰ βιωτικὰ determinent, & modum eorum acquirendorum, poſſidendorum, utendorum definiant; perinde eſt. Quicunque hoc agunt, poteſtatem non uſurpant; quia illis, non minus ac Pilato aliiſque Gentilibus (*Johann.* 19. *v.* 11. *Rom.* 13. *v.* 1. 2. 1 *Petr.* 2. *v.* 13, 14.) à Deo data eſt. Siquis eorum poteſtate ſuâ abutitur & contra Jus divinum aut naturale, ma-

li

Digitized by Goo

li alicujus neceſſariam tolerantiam, etiam ut in conſcientiâ & per ſe liciti, ordinat ac determinat: is cœcum ducem Cœcorum ſe oſtendit; non minus ac Theologi, immo integra Concilia in causâ religionis contra Jus divinum decementia. Aut ergo legitimè determinant neceſſariam alicujus mali tolerantiam ſeu permiſſionem: aut inſuper approbativo ſuo judicio pro illo malo malè determinant. Illius determinationis exemplum dant Principes & Magiſtratus reformati (uti ſereniſſ. Princeps & Elector Brandeburgicus, & illuſtr. ac Prępot. Ordd. Belgici) qui idololatriam Papiſticam in quibusdam ditionibus ſuis permittunt: iſtius Reges, Principes, & Magiſtratus Pontificii ut potentiſſ. Hiſpaniarum rex, Principes Italię, Cantones aliquot Helvetici, &c. Sed nec determinatio permiſſiva ſeu tolerativa, nec approbativa ſubditis in conſcientiâ & foro poli liberum & licitum facit idololatriæ illius amplexum & exercitium. Quod ad fœnoris trapezitici Exercitores, approbativum in caſu conſcientiæ, & admiſſionis ad ſacram communionem judicium à Magiſtratibus nec latum eſt, nec etiam rectè & convenienter Juri divino ferri poteſt: quamvis alicubi eos juridicè & civiliter infames haberi & proclamari nolint. Sed in hoc non magis conſcientiæ ipſorum acquieſcere poſſent, quam concubinariorum & polygamorum in Imperio Turcico, aut Abaſſino; inceſtuoſorum in politiâ aliquâ Papali; pyraticam per naves à ſe inſtructas exercentium in Republicâ Tunetanâ; idololatriam Papiſticam in Civitate Trajectinâ ad Moſam, in Ducatu Cliviæ &c.: ſi quidem iſtic tales inter civiliter & juridicè infames nullo modo numerari poſſunt: ſunt enim iſtic & habentur boni cives. Nemo tamen Viros illos civiliter honeſtos, bonos cives, imo & honoratos ſupra alios, quamdiu talia faciunt, juxta verbum Dei abſolvere, & ad communionem admittere debet. Ut tandem manum de tabulâ, exhibeo hic indiculum reformationis noſtræ Doctorum, & Synodorum Belgicarum, contra mordentes uſuras, Uſurarios manifeſtos, uſuras trapeziticas determinantium: ut omnes præjudiciis lucri aut contentionis non excœcati videant, quæ ſint vetera reformationis tum primævæ tum in ἀκμῇ conſtitutæ, & quæ ſint nova χθὲς καὶ πρώϊνα alicubi emergentia.

Theologi reformati & Synodi Belgicæ. Præmiſsa *Catechęſi Quæſt.* 110. *ejuſque Interpretibus, & Liturgiâ tit. de Cœnâ.*

Synodus Nationalis Middelburgenſis anno 1581. quæſt. partic. 99.

Synodus Provincialis Geldrica Arnhemienſis 1624. *artic.* 16.

Synodus Hollandica & Zeelandica, habita Dordraci anno 1574. *Quæſt. partic.* 23.

Hollandica auſtralis Roterodamenſis 1621. *art.* 44. *Hagienſis* 1624. *art.* 55. *Weerdana* 1625. *art.* 44. *Iſelſtadiana* 1626. *art.* 30. *Dordracena* 1627. *art.* 27.

Ley-

Digitized by Google

Leydenſis 1629. *art.* 30. *Hagienſis* 1634. *art.* 55. *Leerdamenſis* 1638. *art.* 47. *Leydenſis* 1639. *art.* 55. *Roterodamenſis* 1641. *art.* 38. *Woerdana* 1645. *art.* 48.

Hollandica borealis, *Enchuſana* 1624. *art.* 56.

Ultrajectina 1620. *ſeſſ.* 4. *art.* 2. *ibidem* 1621. 1622. *ſeſſ.* 2. *art.* 1. 1625. *ſeſſ.* 2. *art.* 3. 1628. *ſeſſ.* 2. *art.* 1.

Friſica, *Bolſwerdiana* 1588. *art.* 9. *Leovard.* 1629. *ſeſſ.* 1. *art.* 6. *&* *ſeſſ.* 3. *art.* 6. *Franequerana* 1630. *ſeſſ.* 2. *art.* 3. *Harlingenſis* 1631. *ſeſſ.* 3. *in fine Bolſwerdiana* 1636. *ſeſſ.* 2. *Franekerana* 1637. *ſeſſ.* 4. *artic.* 21. *Sneeckana* 1642. *artic.* 16. *Doccumana* 1646. *ſeſſ.* 2. *artic.* 11. *Tranſ-Iſalanica Campenſis* 1628. *ſeſſ.* 2. *artic.* 3. *Zwollana* 1629. *ſeſſ.* 3. *artic.* 2. *&* 1630. *ſeſſ.* 1. *art.* 10. *Campenſis* 1636. *art.* 42. *Zwollana* 1637. *art.* 42. *Daventrienſis* 1639. *ſeſſ.* 3. *artic.* 23. *Ibidem* 1643. *ſeſſ.* 2. *art.* 12. *Campenſis* 1644. *ſeſſ.* 7. *art.* 49. & 50. *Zwollana* 1645. *ſeſſ.* 7. *art.* 62. *Campenſis* 1652. *art.* 59. *Steenwicenſis* 1654. *art.* 42. *Campenſis* 1656. *art.* 57.

His adde *Theologos Academiæ Leidenſis*, *Fr. Junium in Append. ad Levit.* 25. 35. de *Uſuris*, *Lamb. Daneum Lib.* 2. *Ethicæ cap.* 19. *Spanhemium part.* 3. *Dubior. Euangelic. dub.* 127. §. 7. *Synopſin purioris Theologiæ diſp.* 37. §. 34. 35. *Walæum in Loc. comm. tit. de Libris canonicis*, &c. *pag.* 135. edit. in fol. *Rivetum in Comment. ad Exod.* 22. *v.* 26. 27. imprimis & *in Comment. Decalogico ad* 8. *præc. Idem in Cathol. Orthod. tract.* 4. *qu.* 15. *Anton. Thyſium* peculiari *Tract. poſthumo*, à Theologus Ultrajectinis edito, ubi plura Profeſſorum iſtius Academiæ Theologorum reſponſa exhibentur: inter quæ clariſſ. Theologor. *Polyandri*, *Rivcti*, *Thyſii*, *Walei*, *Reſponſum ad Presbyterium Amersfurtenſe in Provinciâ Ultrajectinâ* 27. *September* 1627. *Franequeranæ*, *Joh. Maccov. Diſp. peculiari contra Uſuras trapezeticas editâ* anno 1642. *& in Diſpp. de quæſt. miſcell Diſp.* 27. *Ameſium in Caſibus Lib.* 5 *cap.* 44. *Groningane*, *Henr. Altingium in Theologiæ Problemat. Groningâ* nuperrimè anno 1662. editâ.

Harderovicenæ, *Joh. Cloppenburch Tract.* peculiari *de Uſuris. P. Colonium Tract.* peculiari *c. Fœnus trapezeticum.*

Ultrajectinæ, *Mein. Schotanum*, *Carolum de Maets*, *Hoornbeeckium*, *Eſſenium*, *Gualterum de Bruyn*, *Nethenum*, *Voetium*: de quorum ſententiâ ex editis *Diſpp.*, *& Rei Judicatæ Part.* 1. *ac* 2. nec non ex editione *Scripti* poſthumi clariſſ. *Thyſii* de fœnore, abunde conſtare poterit. *Illuſtris ſchola Bredana*, *Anton Hulſium Part.* 1. *Theologiæ Judaicæ pag.* 423. Adde *Theologos Belgas*, qui vernacula linguâ ſcripſerunt: quales *Feſtus Hommius in Theſauro Catechetico* aliquoties recuſo, & nuper cum approbatione Theologicar. Facultatum Leidenſis & Ultrajectinæ, *ad Quæſt.* 110. *Godefridus Udemans*, *in Praxi Fidei*,

Digitized by Google

dei, Spei, caritatis ad 8. *præc. Joh. Crucius in Explic. Pſ.* 15. *pag.* 183. Huic nubi teſtium, & argumentis per eoſdem allatis, hodie ab iis, quorum intereſt, opponitur, quod Synodi, Claſſes, Synedria, Theologi negotiationem trapeziticam hactenus non intellexerint, nec caſus iis rectè propoſitus, aut ab iis rectè perceptus ſit: & ſic injuſtè juſtos damnatos, & communionem petentibus tanquam indignis injuſtiſſime negatam, qui digni communicantes coram Deo & Eccleſiâ fuiſſent. Si integro ferè ſæculo caſus hic in Belgio his manifeſtis uſuris infeſto agitatus, & toties totieſque ab aliquo aut aliquibus trapezitarum aut trapeziticorum patronorum, Synedriis, Claſſibus, Synodis, Theologis Academicis, ſive vivâ voce, ſive ſcripto, propoſitus, expoſitus, & cauſa trapezitica cataſceuaſticè anaſceuaſticè defenſa, percipi hactenus non potuit: utique dicendum eſſet cœcitate percuſſas omnes Eccleſias, Synodos, Concionatores, Seniores, Theologos Belgicos; aut, quod ſubinde eructatur, improbitatem & deſperatam malitiam ipſis fuiſſe dominatam, per quam tam Chriſtianam, tam honeſtam, tam caritativam, tam utilem, tum publico, tum privatis, etiam indigentibus ac pauperibus, condemnarent, & tam limpidam veritatem in injuſtitia detinerent. Viderent, qui novam hanc theologiam ttapeziticam amplecti nequeunt, & ad communionem hoſce honoratos non invitant, aut offerentes ſe non recipiunt, quo in ſtatu futura ſit Theologia ipſorum, ſi nova hæc pertendat, & aliquando triumphet. Sunt aliqui benignius judicantes, qui novam & antiquam ſic ſtudent conciliare: quod *illa* reſpiciat menſas fœnebres, ut nunc ſunt per Magiſtratus conceſſionem (*Octroy*) à privatis trapezitis erectæ, modo & menſurâ uſurarum à Magiſtratu determinatâ, & quidem alicubi lucro admodum imminuto, quippe ad 21. aut 16. flor. redacto. *Iſta* vero reſpiciat menſas ſine Magiſtratus autoritate, conceſſione (*Octroy*), ſine determinatâ per Magiſtratum lucri menſurâ, antehac erectas; & lucro 32½ gaudentes. Antiquis itaque menſis omnia competere, quæ Patres, Synodi & Theologi noſtrates immo & univerſus orbis Chriſtianus contra iniquum fœnus, & fœneratores decreverunt. Novitiis vero, ſeu hodiernis (quas nonnulli Reformatas vocant) nihil iſtorum competere; nihil etiam malitiæ, nihil defectus adhærere, modo ex præſcripto conceſſionis (*Octroy*) publicæ adminiſtrentur. Sed hæc diſtinctio repugnat luci factorum, experientiæ, & monumentis publicis: unde conſtabit, æque publicam autoritatem, conceſſionem, & determinationem modi ac menſuræ uſurarum, adfuiſſe menſis antiquis, ac hodiernis. Utræque volente concedente Magiſtratu negotiationem ſuam in foro ſoli ſolidè defendere poterunt. Nec etiam diſtinctionem hanc admittent τῶν τραπέζιτων παῖδες: ſive paternam artem exercentes, ſive illâ deſertâ ad dignitates, ad munera publica aſpirantes; quorum Parentes, Avi, Proavi poſt

Digitized by Google

introductam in Belgium reformationem, menſas illas aperuerunt ; quique bonis iniquo illo fœnore partis (ſi quæ ulla ſecundum aut tertium hæredem ad illos devoluta ſunt) ſine ullâ reſtitutione ſine ſcandalo, ſine imminutione honoris, ſine ſcrupulo conſcientiæ gaudere velint ; quin inſuper parentum & majorum ſuorum cauſam à Papali & reformatâ Eccleſiâ injuſtiſſimè (uti prætendunt) oppreſſam & condemnatam, juſtificare. Quia ergo ſecundum præcipuos cauſæ Patronos, Magiſtratus reformatæ religionis ab anno 1578. in Belgio æquè modum & menſuram fœnoris trapezitici antehac determinavit, ac in præſenti determinat : parem omnium rationem fuiſſe cenſendum eſt ; & pari ſive juſtitiâ, ſive injuſtitiâ tunc ac nunc trapezitis communionem negatam eſſe. Vides ergo effugium illud per diſtinctionem, evaneſcere. Ejuſdem valoris eſt, cum prætexitur reductio lucri fœnebris, à 32½. flor. ad 21. aut 16. fl. Siquidem, ultra unam atque alteram menſam, quæ 16. flor. & duas treſve alias ; quæ 21. flor., lucrantur, in Belgio forte non invenies. Hærent ergo omnes reliqui trapezitæ in eodem luto, nec per effugium illud de lucro 16, aut 21. flor. inde extrahi poterunt. Sed ut exceptionem hanc premam, dico uſuras trapezitarum noſtratium non fuiſſe ante 50. aut 60. annos magis minuſve mordaces, quam præſentium quorundam : ita ut ſtatu rei mutato (quod nonnulli imprudenter ſibi perſuaderi ſinunt) communio ipſis, nunc non munus deneganda ſit, quam tunc unanimi Eccleſiarum conſenſu conſtanter negata fuit. Si enim mordentis & crudelis uſuræ condemnatur lucrum 32½. tenuioribus & Pauperibus exolvendum ; cum Mercatores, divites, potentes, aliunde pecunias tunc mutuò ſumentes, 8. aut 9. aut minimum 7. flor. pro intereſſe penderent : cur analogicè ſupputando, lucrum 21. aut 16., quod in paucis aliquot menſis trapeziticis, jam quaſi exactè ſecundum juſtitiam, æquitatem, caritatem reformatis, Tenuiores & Pauperes coguntur pendere, ejuſdem criminis non condemnabitur ? cum hodie Mercatores, divites, potentes aliunde mutuò ſumentes 3½. aut 3½. aut ad ſummum 4. flor. ſolummodo pendant. Quam æqualitatem hic invenies inter 3½. aut 4½. & inter 21. aut, inter 16. flor. ? Quomodo Eccleſia à mordente uſurâ abſolvere poterit lucrum 16. aut 21. flor. Tenuioribus & Pauperibus extortum ; cujus vix quartam partem Mercatores, divites, potentes ab aliis mutuo ſumentes pendunt. An quia iſti nummis mutuò ſumtis lucrari, rem familiarem augere, merces, prædia, toparchias, lauta munera utiliter ſi comparare, ſplendidas domos ædificare intendunt : illi vero nihil tale nec audent nec poſſunt ; ſed à trapezitâ, mutuum petunt, tantum ut famelicum ventrem impleant, aut hebdomadale conductæ domunculæ pretium Locatori ſuo exolvant, aut neceſſarium aliquod opificii ſui inſtrumentum (puto ligonem, mal-

Digitized by Google

malleum, forficem, ſecurim, &c.) èmant? An vero, quia iſti, nominatim Mercatores, ſolâ traditâ ſyngraphâ, abſque ulla hypotheca, niſi fidei & bonæ famæ opinione à Creditore conceptâ, vulgo magnas ſummas mutuo accipiunt: iſti vero ſummulas 1. 2. 3. 4. &c. florenorum, depoſito quovis pignore, quamvis rei neceſſariæ (contra *Exod.* 22. *v.* 26. 27.); quo trapezita & de ſummæ capitalis & de lucri 32½. aut 21. aut 26. exolutione certus ſit? Trapezitæ, & ſi qui hodie aut heri eorum Patroni emerſerunt, hæc quæſo ſtateris ſanctuarii *Exod.* 22. *Levitic.* 25. &c. etiam luminis, juris, æquitatis naturalis, coram Deo appendant: inſuper communem Patrum, hodierni Chriſtianiſmi conſenſum, evanidis quibuſdam exceptiunculis confiſi, ne ferociter contemnant. De facto, de ſæculorum, aliquot in Belgio pragmatiâ, de hodiernis trapezitarum contra Eccleſias Belgicas molitionibus & contentionibus pro ſui admiſſione ad communionem, de totius Chriſtianiſmi, & reformatæ Eccleſiæ deque Synodorum & Doctorum contra trapezitas hactenus ſtatuentium condemnatione propriè agitur & quæritur: non vero de menſâ fœnebri exactè reformatâ, & ab uſuris mordentibus repurgatâ; quæ in ideâ & in cerebro alicujus fingitur ac pingitur: qualem nullam trapezitæ hactenus dederunt, nec Patroni eorum commonſtrare potuerunt. Nec agitur aut quæritur in caſu admiſſionis ad communionem, quid & quo jure Magiſtratus malum hoc neceſſarium, aut non-neceſſarium hactenus tolerârint aut non tolerârint; & an illud tollere poſſint, aut non poſſint, debeant aut non debeant; aut quid aliquis eorum diuturnam tolerantiam, tanquam mali neceſſarii, ſupergreſſus, de fœnore iſto tanquam adiaphoro, aut inſuper admodum honeſto, utili, pio, ethicè aut juridicè, aut theologicè in caſu conſcientiæ judicare præſumat: ſed an trapezitæ illas à conſcientiâ, licitè in foro poli, talem negotiationem ex profeſſo exercere poſſint; & conſequenter communio ipſis ab omnibus Eccleſiis per tot annos negata, nunc juſtè, piè, & cum ædificatione concedi debeat. Inſuper quæritur, an dato non conceſſo, Magiſtratus alicujus, aut aliquorum, qui ἐν ἕξει, judicio theologico, & in caſu conſcientiæ lato, de innocentiâ, honeſtate, pietate hujus negotiationis in foro poli; ilico omnes Eccleſiæ, Synodi, Theologi illud judicium approbare, & ſecundum illud trapezitis aditum ad communionem volentes nolentes aperire teneantur: ſecus ſi fecerint crimen ἀπειθείας, inobedientiæ, reſiſtentiæ, ſacrilegii, rebellionis, uſurpatæ poteſtatis politicæ, (& quidni læſæ majeſtatis, affectati Regni) incurrant? Ego in omnibus illis negantem partem ſequor: velim videre Patronum quem trapezitarum, qui antitheſim facere & abſque tergiverſatione categoricè affirmare audeat. Ne autem fruſtra de Eccleſiarum Proteſtantium & reformatarum conſenſu ſuper uſuris mordentibus, & illicitis, tum ex parte Creditoris, tum imprimis

Digitized by Google

ex parte Debitoris & pignoris, videar gloriari, indico hic ex multis *Selneccerum Part. 1. Pædagogiæ ad 7. præc. Hemmingium Enchir. theolog. claſſ. 4. c. 6. Frantzium de Interpret. Scripturæ ad Pſal. 15. 5. Leonh Hutterum in Loc. comm. ſub finem, de Uſurâ. Balduinum Caſ. Lib. 4. cap. 3. caſ. 4. Meiſnerum Philoſoph. ſobr. Part. 3. ſect. 1. cap. 6. & ſeqq. Bucerum in Diſp. de Uſuris. Calvinum Epiſtol. 383. & in Ezechiel 18. Bezam in paſſionem Homil. 36. & in notis ad Luc. 19. v. 23. Zanchium ad Epheſ. 4. Polanum Lib. 10. Syntagm. cap. 63. Frid. Wendelinum Ethic. lib. 1. c. 25. Joh. Wollebium lib. 2. Theol. Chriſt. c. 12. Alſtedium Lib. 25. Encyclop. ſect. 3 loc. 16. & ſect. 5. cap. 6. eundem in Theol. caſ. cap. 20. Joh. Crocium in Comment. ad Epheſ. 4. v. 28. Loco comm. 12. Gariſſolium* Theologum Montalbanenſem *in Explicat. catecheſeos Gallicæ ſect.* 39. Quibus addere licet *Lutherum, Melanthonem, Muſculum, Zegedinum, Aretium, Juellum,* &c. nullum lucrum, nullum intereſſe ex nummis mutuo datis concedentes; qui multò minus trapeziticas uſuras, minimè omnium, ex indigentium & Pauperum neceſſitate collectas, concedere intelligendi ſunt. Pontificios Theologos, Canoniſtas, Philoſophos, Jureconſultos, non eſt quod huc ad vocem. Ex Jureconſultis & Scriptoribus politicis Papæ poteſtati non ſubjectis, aut aſſurgentibus indico *Carolum Molineum de Commerciis uſuræ num.* 85. 86. *Albertum Leoninum* Geldriæ Cancellarium, *in Conſilio quodam*, quod *Collectioni Conſiliorum juridecorum part.* 2. anno 1645. Roterodami editę inſertum eſt. *Hugonem Grotium Lib. 2. de Jure Pacis & Belli cap.* 12. §. 20. *Antonium Matheum de Criminibus cap.* 6. *tit. ult. Schonbornerum Lib.* 3. *Politic. cap.* 12. *Keckermannum lib.* 1. *Syſtem. polit. cap.* 11. *Joh. Paulum Felwinger Artis Chrematiſtica Diſp.* 4. §. 13. 16. Imprimis *Althuſium Lib.* 1. *Dicacologiæ cap.* 147. Hactenus à nobis citati faciunt cum Synodis aut Theologis Belgicis ſupra indicatis nubem teſtium, quam exhibet *Noſtra Res judicata part.* 2. & *Anton. Thyſii Scriptum poſthumum* à nobis editum. Agmen claudet celeberrimus *Henr. Altingius* ὁ μακαρίτης profeſſione Heidelbergenſi & Groninganâ ſummâ cum laude & publico bono tot annis defunctus: cujus teſtimonium tanto majoris faciendum, quod juxta cum *Rivero, Polyandro, Thyſio, Walæo* Theologis Leidenſibus, ignorare non potuerit quę & quales in Belgio noſtro eſſent uſuræ trapeziticæ: quibus juſtificandis aut excuſandis partim per Trapezitas, partim per eorum Uxores, Liberos, Famulos ad communionem admitti petentes toties Theologi, Concionatores, Claſſes, Synodi obtundebantur. Ejus verba, quia in *Scriptis Noſtris* antehac in hâc Academiâ *de fœnore trapezitico* editis non comparent, quod hoc anno 1662. demum edita ſit Theologia Problematica Groningana, non pigebit exſcribere. Sic ergo ille in Problematicâ Groningæ traditâ, & à Clariſſ. D. Jacobo Altingh. Profeſſore Groningano τῦ μακαρίτυ Filio editâ Loc. 10. probl. 17.

Poſte-

Digitized by Google

„ *Posterior* est inter ipsos fratres partim tenues & pauperes, partim opulen-
„ tos & divites. Et colligitur ex locis plerisque quæ de usuris agunt. *Paupe-*
„ *res* compulsi egestate, ad se familiamque sustentandam mutuò accipie-
„ bant. Ab his usuras accipere nefas erat. I. ex lege Lev. 25. v. 35. 36. II. ab
„ exemplo Nehemiæ 5. v. 7. 10, 16. III. ex N.T. Luc. 6. v. 36. seq. Atque in
„ hanc sententiam accipienda sunt dicta omnia V.T. de usuris, quæ non tam
„ forensi ratione, quam morali æquitate nituntur & confirmantur: eoque
„ juris sunt perpetui Exod. 22. v. 25. Lev. 25. v. 35. 36. 37. Deut. 23. v. 29.
„ Psal. 15. v. 5. Prov. 28. v. 8. Jer. 15. v. 10. Ezech. 18. v. 8. *Divites* sunt, qui
„ non indigentiâ aliquâ, sed rei augendæ studio pecunias alienas mutuò ac-
„ cipiunt, iis lucrantur & quæstum faciunt. Ab iis usuras accipere vetitum
„ non est. Probatur I ex interdictis usurarum: quæ vel restringuntur mani-
„ festè ad pauperes, ut appareat disparem esse divitum rationem: vel hunc fi-
„ nem habent, ne tenuiores à divitibus exhauriantur, opprimanturve. Vide
„ Lev. 25. v. 36. 37. & apud Prophetas. II. à naturali æquitate: Cum enim
„ pecuniis alienis quæstum faciant, æquum est, ut in compensationem ali-
„ quam ejus partem concedant: ex illo Christi Matth 7. v. 12. *Quod vultis*
„ *vobis facere*, &c. III. à jure commerciorum, quæ nec stare, neque exerceri
„ absque mutuatione & pro eâ compensatione queunt. IV. Euangelium non
„ abolet Politias aut honestas leges civiles Matth. 22. v. 21. *Date Cæsari quæ*
„ *sunt Cæsaris.* Atqui illæ definiunt usuras, & determinant ad certum mo-
„ dum. Ergò.

„ Jam utramque distinctionem specialem conditioni nostrorum tempo-
„ rum accommodemus.

„ *Ex priore* colligimus. I. Quod nobis liceat etiam accipere usuras ab extra-
„ neis, Indis, Afris, Turcis, Americanis; idque propter jus commerciorum:
„ non autem quod atterendi aut opprimendi. Cujus mandatum non habe-
„ mus. II. Judæos circa usuras minus peccare quam Christianos. Nam à Ju-
„ dæis nihil accipiunt: Christiani autem omnes ipsis extranei sunt, lege illâ
„ Deut. 23. v. 20. comprehensi. At quid non à Christianis in Christianos hic
„ admittitur?

„ *Ex posteriore* colligimus. I. Quod nobis etiam à fratribus divitibus, rem
„ suam augentibus nostris pecuniis aliquid accipere fas sit: juxta honestas
„ leges. II. Quod simpliciter damnandi sint omnes Trapezitæ, fœneratores. &
„ nummularii, quos vulgò **Lombardos** vocant; utpote qui tantùm paupe-
„ res usuris suis exhauriunt, & præterimò contra æquum intendunt usuras.
„ Quin ipsum vitæ genus est per se illicitum.

Sic ille in Belgio tot annis theologicâ professione, etiam in Synedrio Groningano Senioris munere functus Trapezitis nostratibus Christianę & quidem

Digitized by Google

dem reformatę religioni addictis (uti profitentur) condemnationem mordentis uſuræ in terminis applicabat: cum multis annis ante *in Problematicâ Heidelbergenſi Part. 2. probl. 21.* Judæis qui in Germaniâ manifeſtos & publicos trapezitas pręſtant, iiſdem rationibus illud applicuiſſet. De *Hiſtrionibus*, Thymelicis, Tunanbulis, Magiſtris ſaltatoriis, aliiſque illicitas, periculoſas & otioſas artes exercentibus, in antiquis Conciliis rectè determinata approbamus. Vide quę in *Diſpp. ad 7. Præc. de Comœdiis*, &c. *Saltationibus* collegimus.

10. *Quæſt. An Simoniaci, & qui patrocinio Magiſtratuum Eccleſias occupant? Reſp.* De *prioribus* toties determinatum, ut copiâ magis quam inopiâ laboratum ſit: praxi tamen & obſervatione ubique fere & ſemper deficiente. Noluerunt enim, aut non potuerunt Eccleſiarum Antiſtites ad facta applicare; & ſi applicarent executioni mandare; ut eccleſiaſticę cenſuræ Simoniacos ſubjicerent, à communione & miniſterio arcerent: mali illius & malorum patrocinium ſuſcipiente aliquo potente in hoc ſæculo, aut Diotrephe in Eccleſiâ. Confer *Diſp. noſtram de Simoniâ: & infra Part. 2. ubi de Vocatione Miniſtrorum.* Contra *poſteriores*, in dictis *Apoſtolorum Canonib. can.* 30. & *in 2. Concil. Niceno can.* 3. determinatum notat *Photius in Nomocan. tit. 1. cap.* 22. Sed iſta exiguæ aut nullius apud nos ſunt autoritatis. Noſtrates Eccleſię tum Statutis eccleſiaſticis, tum variis Decretis, tum Liturgiâ ſuâ, imprimis etiam *Catechef. qu.* 82-86. & *Confeſſ. artic.* 30. legitimam electionem ſeu vocationem Miniſtrorum tanquam partem poteſtatis eccleſiaſticæ ſatis ſuperque ex Jure divino circumſcripſerunt: ſed truſtra, quia plures & olim & hodié ſæculares, exemplo & uſurpatione quorundam, qui ita volunt, quia poſſunt, viam monſtrante, in hęc ſacra cum Rege Uzzia involant. Quorum uſurpationem, utinam Eccleſiaſtici nonnulli tacitè ſubinde non promoverent. Si qui tales ſint, eos monitos velimus, ut illud Rom. 1. v. ult. *ſed etiam conſentiunt iis, qui faciunt.* Et illud Johan. 19. v. 11. *qui me tibi tradidit, majus peccatum habet, ſerio meditentur.* De reliquis Peccatoribus, qua in Liturgiâ noſtrâ memorantur, analogicè, ex jam dictis ad hanc & pręced. quæſtiones judicandum eſt. Quales ſunt, *Fures*, Raptores, Aleatores: ad quos reducendæ ſpecies ſub illis contentæ, quales ſunt Peculatores, Sacrilegi, Pyratæ, Monopolę, mercium & monetarum Adulteratores, Et qui *ſectas ſeu factiones, ſeditiones*, contra eccleſiaſticum, aut politicum regimen concitant, qui *Parentibus & Antiſtitibus* immorigeri ſunt. Quæcunque ſcandala hic exſertè non numerantur, ea generali illâ clauſulâ *omnibus denique qui ſcandaloſam vitam ducunt*, contineri intelligendum eſt. Adeo ut non minus improba, quam infrunita fuerit calumnia cujuſdam fœneratorum Patroni, qui Catecheſi noſtræ ad 8. Præc. & Liturgię minus æquus, quod exſertè fœnus & fœne-

fœneratores tangat, Mendaces in eâ præteriri arguit. Quaſi ſcil. illis faveret. Niſi pravis vindictæ & calumniæ cupiditatibus extra ſe raptus fuiſſet, clauſulam utique modo exhibitam, cum explicatione *noni Præcepti Quæſt. catechet.* ubi Mendaces, Doloſos, Calumniatores, Convitiatores, & ſeipſum cum ſociis quaſi in ſpeculo contemplatus fuiſſet.]

11. *Quæſt. Quid de mortuis* in Photii Nomocanone *tit.* 3. *cap.* 17. *ubi adſcriptis* canone 83. ſexti Concil. in Trullo. & 18. Concil. Carthagin. 3. *decernitur, Corporibus Defunctorum Euchariſtiæ ſacramentum dandum non eſſe? Reſp.* Errore populari orto ex humanis & vacuis Eccleſiæ antiquæ, ſive Statutis, ſive moribus quibuſdam circa eulogias, Euchariſtiam, Baptiſmum, Pœnitentiam, hæc & ſimilia tunc obſervata fuerunt. Si multis otioſis, immo & ſuperſtitioſis ritibus, ad imitationem Judęorum & Gentilium tunc excogitatis, ſimplicitas Chriſtianæ fidei onerata non fuiſſet; utique populares ejuſmodi errores & ſuperſtitiones, quorum aliquibus ipſi Paſtores ſucceſſu temporis ſuccubuerunt, non intraſſent. *Albaſpinus Lib.* 1. *Obſerv.* 9. *&* 10. totum hoc rejicit ad homines minimè malos, ſed rudes & imperitos. Eccleſiam vero loco Baptiſmi & Euchariſtię, admiſiſſe oblationes, quę ſine reſtitutione in communionem Eccleſiæ ex hac vitâ decedentium causâ à cognatis proponebantur: *ut eſſent* ſcil. *inſtar modi ſeu facultatis cujuſdam, quâ jus communionis comparabatur, quando illæ ab Eccleſiâ altari expoſitæ & repræſentatæ Deo à Sacerdotibus erant.* Vide fuſius has antiquitates explicantem *Albaſpinum loc. cit.* Sed unde probabitur, hoc remedium ſeu hoc *quid pro quo*, eccleſiaſtico Mortuis reconciliandis & communioni reſtituendis inventum, majorem habere efficaciam, quam remedium populare?

Cap. IV.

De Utenſilibus ſeu Inſtrumentis, deque adjunctis quibuſdam, & de circumſtantiis.

§. 1. Utenſilia in adminiſtratione Euchariſtię ordinaria, uti & in communi convivio, ſunt menſæ, pocula, patinæ. Ubi frequens numerus Communicantium, requiruntur etiam canthari ſeu amphorę: unde pocula impleantur. Quęrimus ergo.

1. *Quæſt. An neceſſe ſit in quâcunque Eccleſiâ haberi menſas, pocula, ſeu calices, patinas, mappas menſarias huic uſui appropriatas, & quaſi conſecratas?* *Reſp.* Ubi Eccleſia reditibus abundat, non eſt illicitum, nec forte inconſultum, ut utenſilia ejuſmodi comparentur; quæ quovis tempore uſibus illis inſerviant. Alioquin in propriis utenſilibus non vertitur aut ædificatio aut decorum ecclę-

Digitized by Google

cleſiaſticum. Sunt enim Eccleſiæ, ubi ex Miniſtri; vel ædilis, vel Seniorii vel cujuſcunque alterius fidelis ſupellectile inſtrumenta illa tantiſper commodato ſumta adhibentur: nulla orthodoxiæ, pietatis, devotionis, ἐυσεβείας imminutione. Quidquid hic fiat, ſaltem abeſſe debet omnis opinio & conſcientia ſanctitatis iſtorum utenſilium; quaſi ſcil. ex inſtituto divino ita conſecrata & dicata eſſent ſacramento Euchariſtiæ, ut nonniſi iſtis in individuo adminiſtrari debeat, nec illa ad ullum alterum uſum adhiberi. Talis ſanctitas relativa ut merito utenſilibus cultus, ſub V. T. ſic perperam utenſilibus ſub N. T. tribuitur. Differi non poſſumus, quin in antiquâ Eccleſiâ lineamenta ejuſmodi rerum (uti vocant) ſacrarum ſeu conſecratarum imprudenter duci cœpta ſint: quamvis forte intentione non malâ; ut ſcil. Judæis & Gentilibus tanto melius ſatisfieret. Sed inventis iſtis ſucceſſu temporis cum plura adderentur, & tandem ad formam ſacramentalium in Papatu aſſurgerent; magiſtra experientia docuit, humanam prudentiam circa religionis negotium, in conſilium minimè adhibendam. De totâ hac controverſiâ *in* 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Benedictionibus & ſacramentalibus, & infra Lib.* 4. *tit. de Templis & Utenſilibus Templorum.* Hinc pendet quæſtio, An ad menſam Cœnæ, ſeu ad altare ſit genuflectendum: de quâ nobis diſputatum *in* 3. *Part. Sel. Diſp. in Append. ad tit. de Superſtitione.* Ex Proteſtantibus Theologis Pfaknerus quæſtionem hanc (quæ eſt 87.) *An liceat cœnam in vaſis non conſecratis adminiſtrare*, per diſtinctionem determinat, ordinariè neg. Quia tunc vaſa adhibentur conſecrata 1 „ *Paralip.* 8. *v.* 11. *Eſdræ* 5. *v.* 14. ſed in caſu neceſſitatis, quæ ad rigidam „ legis moriſve obſervationem non eſt adſtricta, *Aff.* in caſu enim neceſſitatis ceſſat omnis ordo. Et citat *ibidem* ἀμόφυφον *Finckium in Quæſt. Theolog. p.* 10.61. Cum autem hæc determinatio præſupponat, vaſorum conſecrationem, & ex conſecratione ſanctitatem; non magis in N. T. locum habet, quam ſacrum Templum aut chorus in quo, ſacrum pavimentum ſuper quo, ſacrum tectum ſub quo, ſacræ Miniſtri veſtes, in quibus cœna adminiſtratur. Vide *infra Lib.* 4. *de Templis & Utenſilibus.*

2. *Quæſt. An materia & forma illorum Utenſilium, debeat eſſe rara, curioſa, pretioſa ad cultus illius exaltationem? Reſp.* N*g.* ne pompatica Gentilium, aut cultum œconomicum & pædagogicum V. T. imitari videamur. In ſpirita & veritate cultus noſter peragendus *Johann.* 4. & quod ad externa ſimpliciter ἐυχημόνως, ἐυτάκτως; Si enim à ſermone euangelii prædicati apparatum & Ornatum pompaticum abeſſe vult Apoſtolus 1. Corinth. 2. v. 1.-8. *ne fides eſſet in ſapientia hominum, ſed in potentiâ Dei*: quanto magis ab Utenſilibus abeſſe debet. Fruſtra enim prætexitur allicium & admiratio tum rudiorum, tum extraneorum & ſapientum hujus mundi. Hæc κακοζηλία antiquorum,

Digitized by Google

tiquorum, prima origo tot errorum, qui ſimplicitatem fidei adulterarunt, & Eccleſiam devirginârunt. Hiſtoriam cognoſce ex *Centuriis Magdeburgenſibus*, *Bullingero de Origine errorum*, *Chemnitii Examine Concil. Trid.*, *Pleßeo de Mißâ & Myſterio iniquitatis*, *Hoſpiniani Hiſtor. ſacramentaliâ*, *Molinei Novitate*, *Dalleo de Imaginibus*, aliiſque compluribus. Eorum exemplo diſcamus, inhærere conſilio Pauli, qui quamvis Græci ſapientiam quærerent 1 *Cor. 1. v. 22.* ne tantillum quidem hâc in parte ipſis ceſſit, *ne crux Chriſti*, epiſagmatis & pompis illis *exinaniretur*. 1 Cor. 1. v. 17. Lege reliquâ uſque ad finem & *cap. 2. v. 1.-8.* Antiquorum Gentilium templum Dianæ Paulum cum Epheſinâ Eccleſiâ ad æmulationem non provocavit. Miraculum erat orbis, uti illud deſcribunt *Pauſanias in Meſſeniacis*, *Plinius Lib. 13. cap. 14.* aliique hic non nominandi. Vide eos cit. à *Leone Allatio in Notis ad Philonem Byzantium de ſeptem orbis ſpectaculis*; & ante eum à *Dalecampio in Notis ad Plinium*, De reliquis obeliſcorum & pyramidum miraculis honori Deorum ex ſtructis vide *Maximil. Sandeum Lib. 6. de Theolog. ſymbolicâ*, *comment. 2.* ubi complures alii citantur. Omnes omnium de illis Comentationes complexus & ſupergreſſus eſt *Athan. Kircherus in Oedipo Ægyptiaco*. Sed Paulus cum primis illis Chriſtianis ſimplicitate euangelii, & fidei, junctim cum miraculis pietatis ac caritatis (uti ea appellat *Gregorius Magnus*) cum vanis & idolicis illis miraculis certâre maluerunt, & vicerunt. Quam rectè & quam decorè *A Lapide in Actor. 19.* dixerit Dianam Chriſtianorum eſſe Mariam, & comparationem inter utramque inſtituerit, alterius eſt diſquiſitionis.

3. *Quæſt. An calices ſtannei aut argentei, aut vitrei, aut ex aliâ aliquâ materiâ ſint adhibendi? Reſp.* Eſt adiaphorum. In quibuſdam Eccleſiis noſtris, quamvis minimè pauperculis, utuntur vitris, ut quam longiſſimè à pompâ & typho ſæculi, immo & ab ejuſdem ſpecie abſint. In pleriſque aliis hodie utuntur argenteis, qualium iſtic uſus in familiis Civium, etiam vulgarium: Peculiarem formam & menſuram calicum, conſtanter, & non ſine ſignificatione myſticâ, adhibent Pontificii: ut videre eſt apud *Gavantum Tom. 1. Theſauri ſacrorum rituum p. 317. & p. 83. 84.* ubi de calice argenteo in ultimâ Chriſti Cœnâ adhibito cum *Baronio ad ann. 34. §. 63.* ἱστορῶ ſeu μυθολογῶ: nec minus eodem halitu, calicem illum Chriſti fuiſſe lapideum ex lapide pretioſo dicto agathâ, quam Valentiæ in Hiſpaniâ aſſervant & venerantur. *Ibidem* refert, ab Apoſtolis ligneos calices adhibitos; deinde vitreos decretos à Zephyrino, tum argenteos & aureos ab Urbano *de Conſecrat. diſt. 1. cap. vaſa*: non ex ære aut orichalco, potius ex ſtanno *diſt. 1. cap. ut calix* Noſtræ Eccleſiæ, poſthabitis operoſis & ſuperſtitioſis illis nugis, ut in communi mensâ communiter in hâc aut illâ gente uti ſolent, ſic & iiſdem in Euchariſtiâ utuntur; Interim memores ſimus antiqui illius dicterii, quod Bonifacio

Digitized by Google

ſantium, complectuntur: *tum præparatoriæ*, meræ. Una pridie aut diebus aliquot ante Cœnam habenda, quâ praxis reſipiſcentiæ, aut fidei, aut bonæ conſcientię, aut novæ obedientiæ, applicatè ad Cœnæ perceptionem, repetitur. *Altera* ipſo die Cœnæ immediatè præmittitur, unà cum prælectione inſtructionis liturgicæ de genuino ſenſu & uſu Cœnæ. Utriuſque autem & inſtructionis liturgicę, & concionis idem eſt contentum. 4. *Inſtructiones* privatæ eorum, qui primum ad edendam fidei ſuæ confeſſionem, & adnexam Cœnæ perceptionem admittendi ſunt. Tales ſunt tum ſingulorum, tum collectim omnium hoc tempore comperentium. Poſteriores in magnis Civitatibus & frequentibus Eccleſiis introduxit neceſſitas. Neque enim 1000. aut 2000. hominum in uno diſtrictu aut regione Civitatis habitantium, ab uno Concionatore ſigillatim ſatis perſpici, & ſufficienter inſtrui poſſunt: etiamſi totum bimeſtre aut trimeſtre à mane ad veſperam, circumeundo, inquirendo, examinando, inſtruendo, in hoc opus impenderet. Ita ut abſurdè nimis ab illis, qui toto anno vix 15. aut 10. aut forte 3. duoſve de novo ad Cœnam admittunt, conſilia agitentur de inſtructionibus & catechizationibus competentium ad unam formam, unum ordinem & modum ubique redigendis. Et cur non idem decernunt, de uno ordine & modo lectionis Scripturę, catechizationum, concionum, precum, viſitationum ante Cœnam, conſolationis ægrotantium & morientium, collectionis & diſtributionis eleemoſynarum, &c. Si dicant, non eſſe in Eccleſiis frequentibus & minus frequentibus; in novellis aut recens plantatis, & in veteranis; in apertis & clandeſtinis; in toleratis, & approbatis; in pacificis, & turbatis; in mediâ reformatione undique confirmatis, & inter frequentes adverſarios vix caput efferentibus; in magnis Urbibus, & in Vicis; eandem ac parem rationem: itaque ſecundum variantes circumſtantias, à Miniſtris & Synedriis prudenter ad maximam ædificationem hic agendum. Rectè: idem applica negotio præſenti. Si nolis, quia aliorum laboribus & ſucceſſibus, non ſine ingenti divinâ benedictione, obſiſtere intendis, ne quis ſcil. te plus laboret & ædificet: ferendum eſt judicium tuum. Nunquam tamen in generale decretum eccleſiaſticum hoc tranſire patientur, qui nôrunt, quid ſui ſit muneris *Actor.* 20 *v.* 21. *& ſeqq.*, & quid ferant Statuta noſtra eccleſiaſtica. Contra illa aut ſupra illa non debent pauculi aliqui, nova Statutâ otiosè procudere; nec aliis Eccleſiis modum ponere, quem ipſi in ſuis non ſervant, aut ſi ſervent, cætera de Statutis generalibus in multis diſpenſant; quin & diſpenſationem illam inſtar legis habent. Experientia nos docuit, quam fallax & inſidioſa ſit Papiſtica diſtinctio traditionum, in eas quæ *contra*, & quæ *præter* ſeu *ſupra*. Si quis alius communis & uniformis ordo inſtructionis competentium in quibuſcunque Eccleſiis concipi deberet, quem Synodi Nationales

nales hactenus non conceperunt, nec etiam Synodus Dordracena in ordine & modo catechizationum (vid. *Seß.* 17.): pertineret hoc ad Synodum Nationalem. Quod si Ministri in frequentissimis Ecclesis e. gr. Amstelodamensi, Leidensi, Dordracenâ, &c. dicerent rationes suas non ferre (uti revera non ferunt) saltem multò minus ferre, ut singulis bimestribus aut trimestribus competentes sigillatim toties totiesque instruant, donec idonei sint ad fidei confessionem edendam; quam rationes Ministrum Vicanorum ferunt, ut Urbium istarum exemplo Cœnam administrent in mediâ messe, & conciones suas præparatorias habeant, pridie administrationis: cum in multis locis nullos, aut fere nullos (præcipuè in messe) habituri essent Auditores. Plura alia in medium adferre possimus, quæ maximâ cum ædificatione in frequentissimâ aliquâ Ecclesiâ decore, & ordinatè, immò & necessariò servantur, quæ in novellâ & minutulâ Ecclesiâ Vicanâ (10. aut 20. aut 30. membrorum) à Pontificiis circumsessâ, Ministri observare nollent, aut non possent. Sunt quæ Amstelodami, aut Leidæ ædificant, quæ tamen observata in Ecclesiis e. gr. agri Sylvæ-ducensis dissiparent & diruerent. Velim eos, qui synodalem autoritatem subinde obtendunt, decretum illud *Sess.* 17. legere, relegere, & observare. Subjicio hic quæstiones, de adjunctis antecedentibus.

1. *Quæst. An jejunium requiratur? Resp.* in Ecclesiis apertis & liberis, ubi mane Cœna distribuitur, quæstio hæc proponi non meretur. Quis enim (nisi extraordinario aliquo necessitatis casu) jejunus ad concionem & Cœnam non accederet? Sed in Ecclesiis clandestinis, aut injuriæ temporum subjectis, ubi Cœnam horis pomeridianis, aut vespertinis, aut nocturnis celebrari forte contingeret, nemini jejunium præscribendum est: si cujus rationes ferant, ut sponte suscipiat, quia ob instantem aliquam necessitatem differri non expedit, sua cuique libertas relinquenda. Jejunium ergo nec præcepti, nec nedii necessitate requiritur. Vide exemplum Christi, qui post convivium paschale, Cœnam distribuit. Et exempla Apostolorum, qui agapas, uti putatur, præmiserunt. De quibus *Quæst. sequ.* Nec prætereundum, quod dies Cœnæ per se sit dies lætitiæ & eucharisticus. Hinc miror morem jejunandi olim per Orbem fuisse observatum, teste *Augustino Epist.* 118. *ad Januarium*: cum tamen Decretis ecclesiasticis prohiberent jejunia paschalia, & adorationes de geniculis: quod dies essent lætitiæ. *Prucknerus Quæst.* 92. quærit, an jejuni Cœnâ uti teneantur: & respondet cum *Balduino* & *Brochmanno* ibi cit. *ordinariè ad epulum hoc neminem accedere pransum; ne id irreverenter tractare videatur.* Ubi tamen varias addit exceptiones. Nos τὸ pransum esse, & τὸ jejunum esse admodum distingui putamus? Apud Nos omnes (quod sciamus) jejuni accedunt; quia ante tempus jentaculi horâ

ſeptimâ, ſemi-octavâ, ante octavam, ad templum ſe conferunt. Sed ſi Cœna horis pomeridianis, aut ſub veſperam diſtribueretur, non video, quomodo ordinariè impranſi accedere deberent. Jejunium enim eſt exercitium pietatis extraordinarium, & occaſionatum. Atqui hoc jejunium eſſet ordinarium, ſtatum, recurrens. Quod quomodo à jejuniis Papiſticis quatuor temporum & vigiliarum, & à Judaico in die expiationis *Levitic.* 25. diſtingueretur, audire velim. Sed de hoc infra *Tract.* 4.

2. *Quæſt. An convivia caritatis, dicta agapæ, ſint proximè præmittenda? Reſp. Neg.* Uſitatæ fuerunt, non ſine ratione, in Eccleſiâ apoſtolicâ, & aliquamdiu poſt, uti patet ex 1 *Corinth.* 11. *Jud. v.* 12. *Tertulliano in Apolog. cap.* 49. & *Notis Autorum ad loca cit.* Sed cum multitudo Eccleſiæ creſceret, & Chriſtiani majori libertate in converſatione cum Gentilibus gauderent, & plus damni quam utilitatis inde emergeret, non ſine ratione eaſdem abrogârunt. Vide quæ ſupra *Tract.* 1. *cap.* 8. *p.* 478. de iis obſervamus: ubi alii Autores non pauci indicantur. Ex quibus probabile fit, agapas fuiſſe tunc præmiſſas.

3. *Quæſt. An Peccatorum privata confeſſio ſit præmittenda? Reſp.* Ita quidem volunt Pontificii: quos ab Antagoniſtis eorum refutatos vide, *Chemnitio Part. Examinis Concil. Trid. ſeſſ.* 4. *cap.* 3. Et poſt eum à *Chamiero in Panſtratiâ*, aliiſque. Iiſdem argumentis refutatur confeſſionis uſus ante Euchariſtiæ perceptionem apud Græcos: cujus modum deſcribit *Chriſtophorus Angelus* Græcus *cap.* 22. quem libellum in Latinum traduxit Georg. Phelavius. Sed ejus uſum ad Nobiliores apud Græcos *loco cit.* reſtringit. An per Nobiliores ἐυγενεῖς intelligi velit tales, quales Beröenſes *Actor.* 17. *v.* 11. an vero genere Nobiles, ex ipſo non liquet. Priorem ſignificationem reſpici forte conjici poſſet ex iis quæ *Goar in Notis ad Euchologium pag.* 109. ubi ex Germani Synodalibus probat, ſtatutum eſſe, ut Pontifices, Superiores monaſteriorum, Patres ſpirituales, Sacerdotes frequentius confiteantur. Interim non diſſimulat, *varius hujus ſacramenti à Græcis frequentatam devotionem, infamem ejus contemtum, & ſere repudiati notam imuſſiſſe.* In quibuſdam Eccleſiis Germanicis, quę ab invariatâ Auguſtanâ confeſſione denominant, confeſſio illa adhuc obtinet; quam iſtic non ut neceſſarium ſed ut indifferens quid uſurpandam ſuadet *Balduinus Lib.* 2. *Caſ. cap* 12. *caſ.* 18. & cum eo *Pruckne-*„*rus Quæſt.* 18. idque propter ſcandalum. Non enim ſemper, inquit; quid „*licitum*, ſed & quid *honeſtum*, videndum eſt. *Philippus Hacnen* eccleſiaſtes Magdeburgenſis in *New verbeſſert Kirchenbuch tract.* 6. confeſſionem & abſolutionem à Miniſtris retinendam ſtatuit. Nos iiſdem ferè argumentis, quibus *Chemnitius loc. cit.* confeſſionem auricularem Papiſtarum, confeſſionem illam quamvis fateor magis generalem, potius abrogandam

Digitized by Google

lam cenſeant. Neque enim Jure divino, aut praxi & doctrinâ antiquæ Eccleſiæ omnium ſecretorum Peccatorum confeſſio, in aurem aut Paſtoris ut cujuſcunque alterius hominis effundenda ſuadetur. In caſu offenſionis & reconciliationis, mutua particularis injurię verbis factiſque illatæ confeſſio *Jacob.* 5. cum *Matth.* 18. *v.* 15. toto cœlo diſtat ab hâc præſumtâ confeſſione. Ut & privata ſcrupuli, aut dubitationis, aut angoris conſcientiæ ſuper ſingulari aliquo caſu, in ſinum ſive Paſtoris, ſive alterius amici magis in ſpiritualibus periti atqui exercitati effuſio. Quamvis nec in hoc detectio ſui ipſius requiritur: quippe qui inſtructionem conſilium, & conſolationem, ſine eâ, ſatis percipere potes; ſi more apud Juteconſultos pragmaticos ſecepto, ſub nomine Titii aut Sempronię, aut literarum alphabeti, A. B. N. N. aut Hebręorum Ploni Almomi, aut Græcum ὁ δεῖνα, aut individui vagi *quidam*, *aliquis* caſum Paſtori, aut cuicunque alteri Theologo, aut ſpirituali amico factum proponas. Nemo enim tenetur ſeipſum prodere, & ſcandalum aut exiſtimationis ſuæ imminutionem, apud quenquam occulta ſua revelando, excitare, ubi non eſt. De Achanis confeſſione *Joſuæ* 7. coram non Paſtore, ſed Judice quid ſtatuendum diximus in 3. *Part. Diſpp. tit.* de Juramento, &c. Confeſſio communis & publica totius Eccleſiæ, quam *Philippus Haenen Tract. cit.* à privatâ diſtinguit, quamque habet Liturgia Palatina, quæque in Belgii aliquot Eccleſiis poſt habitam concionem confeſſionalem ſolenniter peragitur, cum omnes Auditores communicaturi clarâ voce reſpondent *ita*, ſufficere poteſt: præſertim cum in primâ admiſſione ad Cœnam ſinguli ad propoſitas quæſtiones de peccato, redemtione, gratitudine, particulatim reſponderint: non privatim coram Miniſtro, ſed palam coram Eccleſiâ, aut ſaltem coram Synedrio; & cum ante repetitam quamque communionem concionibus confeſſionalibus & præparatoriis vocali aut tacito (1 *Corinth.* 14.) ſive *amen*, ſive *ita* reſpondendo conſenſum ſuum declarent. Hęc & ſimilia non ſunt adiaphora, ſed per ſe utilia, immo & neceſſaria: & hic nulla datur ſpecies, aut occaſio confeſſionis quaſi Papiſticæ, quæ vera conſcientiarum carnificina, & in alieni cordis ſecreta inquiſitio. *Conjuncta concomitantia* ſunt, lectio ſacræ Scripturæ, aut cantus Pſalmorum, aut utrumque alternatim. In quibuſdam Eccleſiis ſelecta capita, durante Cœnæ adminiſtratione, ad meditationem ac devotionem euchariſticam excitandam maximè accommodata (qualia *Jeſa.* 53. 54. 55. *Johann.* 13-18. & Hiſtoria paſſionis, *Jeſa.* 49. *Pſal.* 16. 51. 103. aliaque) prælęguntur. Verba ex 1 *Corinth.* 11. *v.* 24-29. Liturgiæ noſtræ inſerta ab ipſo Miniſtro ante inchoatam diſtributionem repetuntur ac prælęguntur. In aliis canuntur ſelecti Pſalmi. Uterque actus utilis eſt; præſertim in frequentioribus Eccleſiis, ubi aliquot horis in adminiſtratione occupati ſunt, ad corda Spectatorum (qui jam com-

Digitized by Google

communicârunt, aut communicaturi ſunt) excitanda & in ſpirituali exercitio retinenda; atque hâc ratione, ab alienis cogitationibus, aut importunis confabulationibus avertenda, præſervanda. Hic quæritur.

1. *Quæſt. An accenſis de die cereis adminiſtratio peragenda. Reſp.* Minimè. Quæ contra cereos in genere, & contra cereos (uti vocant) paſchales in ſpecie, à Noſtris adferri ſolent, nominatim ab *Hoſpiniano de Templis cap.* 22. à *Riveto Tract.* 2. *Cathol. Orthodoxi quæſt.* 17. & quæ nos antehac contra omnia ſacramentalia in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Superſtitione, de Sacramentalibus, de Cruce* attulimus, huc applicari poſſunt. In iſtis aliiſque compluribus nihil antiquitatis, nihil religionis prætexi poteſt, quam miſera κακοζηλία, & ſymbolizatio cum Gentiliſmo, Judaiſmo, & hæreticis Maſſalianis.

2. *Quæſt. An repetitio & ſuggeſtio verbi promiſſionis & mandati inter diſtribuendum, ut Communicantes quaſi voce Præconis excitentur ad hoc agendum, certâ verborum formulâ ubique & ſemper neceſſariò ſit peragenda? Reſp.* Neg. Sufficit iis verbis ſummam inſtitutionis & promiſſionis divinæ proponi, quibus in mentem Auditorum diſtincte & evidentiſſimè eam ingeri, & fide recipi poſſe putamus. Nulla verba ex opere operato producentia, aut conſecratoria, aut creantia hic imaginanda; quorum efficacia terminos inſtrumenti moralis tranſcenderet: Confer *Antagoniſtas Papatus, in Quæſt. de Efficacia Sacramentorum.*

3. *Quæſt. An durante diſtributione, vel per horas aliquot in Eccleſiis frequentioribus, omnes Viri privatim & tacitè legentes aut meditantes, aut orantes, aut publicam verbi prælectionem audientes, apertis capitibus tantiſper ſedere teneantur? Reſp.* nulli Eccleſiæ hic quidquam præſcribendum: eſt enim adiaphorum. Mores hic variant. Quiſque privatus Fidelis mori in Eccleſiâ ſuâ ſervari ſolito, ſe conformet: donec ratione majoris ædificationis, aut ſaltem evitandi ſcandali infirmorum ita ſuadente, Eccleſia, aut earum Anteceſſores cum pleriſque veteranis aut confirmatioribus Eccleſiæ Membris mutaverit.

4. *Quæſt. An ad repetita à Diſtribuente in quâque menſâ ſeu Communicantium ſeſſione, verba mandati & promiſſionis, omnibus præſentibus caput aperiendum? Reſp.* Hoc cum ſit adiaphorum, & alicubi fiat, alicubi non fiat, in externis iſtis, aliiſque, ſi quæ ſint reverentiæ ſignis, receptus mos ſervandus.

Idem, de formula inſtructionis Liturgiâ noſtrâ contentæ, quam ante inchoandam diſtributionem in ſuggeſto aut ad menſam Miniſtri prælegere ſolent judicandum eſt. Communiter omnibus Eccleſiis hic velle præſcribere, περιεργία, aut Diotrephicum quid ſapere videtur.

5. *Quæſt. Quo ordine Communicantes ad menſam accedere debeant? Reſp.* Et hoc Eccleſiæ cujuſque prudentiæ, ſecundum particulares perſonarum, loco-

zed by Googl

locorum temporum circumſtantias determinanti, relinquendum eſt. Idem enim decorum, idem ἐυσχήμον in Eccleſiis, minoribus, frequentioribus, frequentiſſimis, clandeſtinis, toleratis, publicis, &c. abſtractè & in ideâ definiendum non eſt: quaſi in Republicâ Platonis verſaremur. Hoc ſaltem communiter, & non ſine ratione, obtinet, ut ſicuti Viri ſeorſim à Mulieribus ſedentes aut ſtantes in cœtu Eccleſiæ verbum Dei audiunt, & orant; ſic & ſeorſim ad menſam accedant: ut quam longiſſimè recedere videantur à confuſione illâ, quam olim Gentiles, & pòſt ortam reformationem Pontificii atrociſſimâ calumniâ Chriſtianis imponebant.

Conſequentia communionem ſunt gratiarum actio, meditatio euchatiſtica, eleemoſyna. 1. *Gratiarum actio* eſt tum ſolitaria cujuſque Fidelis poſt percepta ſymbola: tum communis & publica totius Eccleſiæ, præeunte Miniſtro. *Iſtam* vide in *Noſtrâ liturgiâ*. *Illa* eſt vel ejaculatoria vel formalis. *Ejaculatoria* eſt, quæ per tacitas aſpirationes, exclamationes, cordis jubilationes, & motus ſpirituales, à Fideli quoque in acceſſu ad menſam, in ipſo accubitu, in ipsâ acceptione & manducatione, in receſſu à mensâ peragitur, aut peragi poteſt & deſideriis, petitionibus, ſuſpiriis, gemitibus ejaculatoriis miſceri, aut cum iis alternari; *Formalis* eſt, quæ à Fideli quoque ad locum ſuum reverſo, formâ, quâ poteſt, maximè convenienti effunditur: ſive tacitè, abſque ullo edito ſigno externo; ſive apertè, adhibito ſigno & geſtu orantis, ut ab omnibus hoc conſpici poſſit? Adeo ut ad privatum & ſolitarium exercitium reduci debeat, reſpectu ſoliloquii ſive per nudum verbum internum, ſive per verbum externum tacitè prolàtum, quod ab aſtantibus non intelligitur: & ad exercitium publicum, reſpectu geſtuum & ſignorum externorum, ſtationis ſcil., aut genuflexionis, aut inclinationis capitis, aut obvelationis faciei: pro more in Eccleſiâ illâ recepto. 2. *Meditatio* eſt, practica repetitio, & (ita loquar) recogitatio ejus, quod tum externè tum internè in perceptione Cœnæ modò à te actum: non ſine novo ſenſu excitatæ ac renovatæ fidei, fiduciæ, conſolationis, communionis, guſtatæ ſuavitatis divinæ, familiaritatis in & cum Chriſto. Hæc per modum eudologiæ aut ſoliloquii (abſque ullo externi geſtus aut ſitus ſigno) ſeorſim, poſt gratiarum actionem per agi poteſt. Aut ſi quis illam cum eâdem conjungere velit ſitu & geſtu eodem, libertate ſuâ hic fruatur: ſi modo maiori & ſenſibili magis devotione ſuâ, & abſque ullâ oſtentationis ſpecie id fieri poſſe cenſeat. Hæc enim talia ſunt, ut magis in fundo animæ devotæ & ad τὸ ἔνδον abductæ ſentiri poſſint, quam à quoquam doceri aut enarrari. Quibus applicandum illud *Rom.* 8. *v.* 26. στεναγμοῖς ἀλαλήτοις. Et Joh. 3. v. 8. *& vocem eius audis*, &c. Porro de methodo & praxi perceptionis cœnæ, meditationis, precationis ex profeſſo agimus *in Noſtris Aſceticis*, *ſeu Exercitiis*

tiis pietatis. 3. *Eleemosyna* offertur vel communi solum modo in omnibus conventibus sacris adhibendo: vel insuper modo quodam peculiari, qui in multis, non tamen in omnibus Ecclesiis nostris obtinet. Pelvi enim positæ in mensâ, communicantes à mensâ recedentes peculiare & liberale, pro facultatibus quique suis, charisma injiciunt. Quod cum oblatis seu oblationibus antiquæ Ecclesiæ proximè convenire videtur. Cum autem hoc sit adiaphorum, Ecclesiæ cujusque arbitrio permittendum. Negari non potest, quin ærario pauperum hoc prosit. Eidem tamen nihil aut parum decedet, siquidem ad hortationem Ministrorum tantundem aut plus Diaconis more solito sive in mediâ concione sive dimisso cœtu circumeuntibus à singulis, pro rato, conferatur.

Restat verbulo dicendum, de Græcorum pane sacro, & eulogiis veterum.

1. *Quæst. Quid censendum de pane sacro, quem hodierni Græci præter Eucharistiam distribuunt, & ἀντίδωρον vocant? Resp.* Meram esse superstitionem. Describit eum *Christoph. Angelus in Libello de Statu & ritu Ecclesiæ Græcæ cap.* 14. Quod Vir vel Mulier, cui pridie administrationis Cœnæ, & nocte præcedente, nullus conjugalis intercessit congressus, die Saturni aut alio quocunque die panem conficit; quodque à sacerdos in memoriam sanctissimæ purissimæque Deiparæ benedicat, eidemque consecret, quod post abscissam inde per lanceam aut gladiolum quadratam portiunculam ad conficiendam Eucharistiam, in minuta frusta residuam partem majorem dividat, atque ita omnibus tum Communicantibus tum non communicantibus tanquam donum aliquod divinum per se aut per Hierodiaconum distribuat. O cæcas hominum mentes! Unde illud donum divinum? quo mandato, quâ promissione divinâ? Pluribus de hoc ἀντιδώρῳ, hoc est, vicario Eucharistiæ pro illis qui ad communionem imparati sunt, agit *Goar in Notis ad Euchologium Græcorum pag.* 154. 155. Et quamvis fateantur Græcos circa ejus benedictionem dissidere, tamen eundem cum antiquorum eulogiis, atque una Græcam cum Romanâ Ecclesiâ hac in parte convenire persuasum velit.

2. *Quæst. Quid de eulogiis antiquorum?* *Resp.* Observationem fuisse, omni ædificatione vacuam, periculo plenam. Quod cum tempore apparuit, cum homines eas domum auferre, ibi custodire, cum Eucharistiâ confundere, & loco illius in salutem animæ scil. & corporis assumere, iisque privatam Cœnam conficere: uti & hodierni Græci (teste *Goar. loc. cit.*) in itineribus, periculis tempestatis earundem præsidio se munire solent. Hæc maledictio ut plurimum sequi solet, tales benedictionum ἰδιολεψιας. Modum panes (præsertim intortorum annulorum instar formatos) in Papatu benedicendi describit *Rituale Romanum* Pauli V. jussu editum, apud Plantinum *pag.* 238. Has aliasque omnes pseudo-benedictiones, seu sacramentalia

Digitized by Google

lia antehac refutavimus *in* 3. *Part. sel. Disp. tit. de Benedictionibus & sacramentalibus.* De antiquis eulogiis earumque distributione inter catechumenos, missione & domum delatione ad absentes, ex Nostris videantur *Joh. Forbesius Lib. XI. Instruct. Historico-theolog. cap.* 7. & ex Pontificiis *Joh. Stephanus Durantus lib.* 8. *cap.* 58. imprimis *Albaspinus Lib.* 1. *Observat.* Et *Goar loc. cit.* qui hunc panem ab eucharistiâ exiertè distinguit. *Concil. Tridentin. sess.* 13. *c.* 6. Eucharistię à pane illo distinctæ missionem & asservationem in pyxidè, & ad ægrotos delationem probare conatur ex *Concil. Nicæni Can.* 14. Sed assumentum illud non reperiri in exemplaribus græcis respondet ex Nostris *Gerh. Joh. Vossius Dist.* 3. *de Cœna dominicæ Symbolis.* Totum hoc περὶ ἐφόδου de asservatione refutatum vide apud *Forbesium loc. cit. Chemnitium in Examine Concil. Trid. part.* 2. *ad sess.* 13. *cap.* 6.

De circumstantiis administrationis multa quęri solent. Nos pauculis se- §. 3.
lectis contenti erimus?

1. *Quæst. Ubi Cœna sit administranda? Resp.* ubicunque Ecclesia convenit, aut convehire potest. Neque enim loco alicui cultus N. T. alligatus est *Joh.* 4. *v.* 22-24. Nec omnium Ecclesiarum eadem est ratio: qui ergo hic communiter quid præscriptum velint, otio suo abutuntur, & in Republicâ Platonis idealia somnia somniare videntur. Quid Pontificii de suis templis, capellis, choris, tanquam locis consecratis philosophentur, *infra Lib.* 4. excutietur. Ubi publica sunt oratoria sive templa, ante tempora reformationis secundum architecturam Romanam exstructa, ibi forte quęri posset, an in choro, an verò in navi templi mensa sternenda, & Cœna sit distribuenda? Nos adiaphorum putamus; prout & mores variant. Ubi in choro distribuunt, respiciunt εὐταξίαν in Communicantium commodo accessu & recessu, ne se mutuo impediant. Sed tale quid nonnisi in majoribus aut frequentissimis Ecclesiis metuendum est. Quin immo in hâc nostrâ satis frequenti in nave seu in medio templo extra chorum (ita dictum) distributio fit, convenienti ordine in accessu & recessu satis servato. Ubi ergo mos ille choralis non obtinet, pręstat eum non introducere: sed in medio templo ante oculos totius Ecclesiæ actionem hanc celebrare. Neque enim sunt mysteria Eleusinia, aut missatica, à Populo non inspicienda: sed contra, uti sacramentum rectè à nonnemine dicitur, *verbum visibile;* æquè ergo Cœna ac Baptismus coram omnium oculis celebrari possunt. Dicat forte quis, mensam in navi non tam commodè relinqui posse, ac quidem in choro, qui peculiari septo & januâ secluśus est: ei respondemus, mensâ perpetuo stratâ & expansâ sive portatili sive parieti chorali affixâ, non magis indigere Ecclesias nostras, quam familiæ nostræ mensis perpetuo in triclinio aut atrio, aut culinâ stratis, extra tempus convivii indigent.

2. *Quæſt. Quoties & quo tempore Cœnæ adminiſtranda? Reſp.* neutrum Jure divino determinatum eſt: nec etiam Jure eccleſiaſticó communiter determinari poteſt. Indefinitè etiam & in genere ab omnibus hactenus conceditur, affectandam eſſe frequentem communionem: ſed quoties in anno, Eccleſiis quibuſque deſpiciendum. *Statuta Eccleſiarum Belgicarum annorum* 1578. 1581. 1586. & 1619. ſingulis bimeſtribus ad minimum celebrari poſtulant: ſed poſtulant, non peremtoriè omnibus præſcribunt: additâ clauſulâ: *quantum fieri poteſt.* Quia, ut tunc erant tempora, in novellis Eccleſiis ex Papatu collectis, vix obtineri hoc potuiſſet: quod plerique ſub Papatu tantum ſemel (tempore ſcil. paſchali) Euchariſtiam ſoliti percipere, ne tunc quidem adduci poterant; ut frequentius, & alio tempore quam paſchali, aut forte ad ſummum etiam natalitio (ita dicto) communicarent. Novi ego Eccleſias non paucas ante annos 50. & forte adhuc hodie ſuperſunt, ubi non niſi bis quotannis Euchariſtia diſtribuitur. Novi etiam homines, qui quamvis in Eccleſiâ ipſorum ter aut quater diſtribueretur, ordinariò tamen non niſi tempore paſchali & natalitio accedebant: moribus ſcil. antiquis. Tantus tyrannus eſt conſuetudo: cum quâ & pro quâ æque, ſi non magis ac pro verbo depugnare videas Diotrephas, & homines imperitos, otioſos, qui nihil agendo malè agere diſcunt. Notati olim *Quartadecimani*, ſeu Teſſeradecatitæ, qui cœnæ & paſchatis celebrationem 14. Aprilis aſtringebant. Quorum [illegible]*διδασκαλίαν*, magiſterium, *ἰδιογνωμοσύνην*, & *φιλονεικίαν* deſcriptam vide à Daneo ad Auguſtin. de hæreſib. cap. 29. & lib. 4. Iſagogæ de ſacram. p. 617. In Papatu diei paſchali hactenus affigunt. dum in *Concil. Trid. Seſſ.* 13. *Can.* 9 decernunt ſingulos fideles teneri quotannis, ſaltem in paſchate, ad communicandum. Et ſic paſſim *Catechiſmi Bellarmini, Ledeſma, Coſteri*, &c. inter ſex Eccleſiæ præcepta enumerant, ſaltem ſemel quotanniş in paſchate communicandum. Nec defuerunt hodie, qui liticulas circa tempus Cœnæ captare geſtiebant: forte quia niſi quod ipſi faciant, aut hactenus fecerunt, nihil rectum putant; aut quod contra Eccleſias, Synedria, Miniſtros, quos majori labore, ædificatione, profectu luminibus ſuis obfuturos metuunt, occaſionem quærant. Suſurris primum, poſtea ſparſis rumoribus, denique & editis libellis claſſicum canere cœperunt, ſugillando Cœnæ adminiſtrationem alicubi antehac diebus nativitatis & paſchatis peragi ſolitam, à Synedrio exemplo aliarum celebrium in Belgio Eccleſiarum per trimeſtris cujuſque primas dominicas diſpartitam. Prætexitur zelus pro dictis feſtis, quæ hàc mutatione quaſi aliquam capitis diminutionem paſſa videntur. O zelum zelotarum! ſi tantum omnes zelaremus pro puritate doctrinæ, pro vi pietatis, pro morum ſimplicitate & integritate, diſciplinæ vigore. multo melius ſe res Eccleſiæ haberent. Quid de illis ita dictis feſtis cenſendum,

Digitized by Google

dum, & quo ſale prudentiæ obſervatio aut abolitio eorundem, ſit condienda; abunde declaratam *in 3. Part. ſel. Diſpp. tot. de Sabbatho & Feſtis.* Conferenda quæ in *Rei Judicatæ part. 2.* contra fœnus trapeziticum ad objectum ſtatutum eccleſiaſticum de tempore Cœnæ ubertim reſpondimus. Totum ergo hoc de tempore cœnæ ſeligendo, mutando, cujuſque Eccleſiæ poteſtati, libertati, prudentiæ committendum eſt: ne cum Quartadecimanis & Pontificiis aliquo modo ſymbolizare videamur.

Cap. V.

De Ritibus fractionis, acceptionis, genuflexionis, elevationis.

RItus in Cœnę adminiſtratione, ſunt 1. *eſſentiales*, qui ipſam Cœnam proximè & immediatè conſtituunt; quales à parte Paſtoris ſunt ſymbolorum datio ſeu collatio ad ſacramentalem manducationem: à parte Communicantium, eorundem comeſtio. Et hæ actiones eadem ſeparant, ſanctificant, conſecrant, & elementa ſeu cibum illum materialiter conſideratum, ab uſu communi transferunt ad uſum myſticum ſeu ſacrum, atque in eſſe relato ſeu in ſuo formali conſtituunt: ut actu ſint, ſigna & ſigilla, §. 1.
2. Sunt *integrales*: quales à parte Paſtoris, ſumtio ſeu acceptio, fractio, diſtributio: à parte Communicantium, acceptio, quę fit manibus, & ad os ad manducandum promotio. 3. Sunt *Adjuncti*, ſeu auxiliares, tanquam media & requiſita, ſine quibus non: & ſunt à parte Communicantium, acceſſus & decora applicatio ſui ad menſam convivalem, ut una ſacrum illud convivium tanquam à Domino & Eccleſiâ invitati celebrent, & de cibo & potu illo participent.

Hic quæritur, de Ritibus primæ claſſis, an ubi abeſt datio & manducatio ſymbolorum, ubi Fideles tantum Spectatores ſunt, Cœna Domini in & ab Eccleſiâ celebretur, panis ſit communio corporis Chriſti, & poculum communio ſanguinis Chriſti, & Fideles menſę Domini ſint participes juxta 1 *Cor.* 10. *v.* 21. & 11. *v.* 24-29. *Reſp. Neg.* non magis, quam convivæ Regis aut Principis ſunt, & menſæ ipſius participes, aut cum & coram ipſo edunt & bibunt, Spectatores qui promiſcuè in triclinium Regis aut Principis prandentis aut cœnantis admittuntur. Sicuti ergo ſpiritualiter non manducatur, hoc eſt cordi unitur & applicatur Chriſtus crucifixus ab illo qui tantum audit, actu non credit: ſic ſacramentaliter non manducatur Chriſtus ab Eccleſiâ, quæ Sacerdotem miſſificum ſolummodo videt, forte & vix videt manducantem, bibentem. Et de hoc tantum in πρόδρ. Ex profeſſo hanc cauſam agunt, *Antagoniſtæ Papatus*, qui Cœnam in miſſam peſſime transformatam, & hanc illi ſubſtitutam oſtendunt.

Digitized by Google

Ritus integralis, & primò controversus principaliter, est fractio panis: Deinde modus sumtionis seu acceptionis quæ gemina est, Ministri distribuentis, & Communicantium.

De fractione panis.

De fractione panis, & placentulis nummulariis tum contra Pontificios, tum etiam contra quosdam Protestantes, qui hodie ab invariatâ confessione Augustanâ denominantur, satis superque actum à *Nostris in Locis communibus*, & *in Scriptis elencticis*. Nos breviter fractionem, tanquam partem integralem, sine quâ administratio cœnæ est mutila, probamus. 1. *Ex* historiâ institutionis, quæ refert à Christo panem fractum esse, & Apostolis similem fractionem mandatam *Matth.* 26. *v.* 26. 27. Ubi illud τοῦτο ad totam actionem præcedentem referendum est: astipulantibus *Luthero in Catech. majore & tom.* 2. *Oper. fol.* 144. Et Chemnitio in Exam. Concil. Trid. part. 2. ubi communionem sub utrâque specie probaturus, argumentatur ex facto seu exemplo Christi non tantum, sed etiam ex universali & perpetuo mandato verbis hoc facite contento: *ut illud, quod in primâ illâ Cœnâ factum est, porro usque ad consummationem in Ecclesiâ fiat.* Et paulo post; *mandatum igitur* hoc facite *utramque complectitur: tum quid ministri ecclesiæ in administratione & dispensatione, tum quid fidelis populus in sumtione seu usurpatione facere debeant.* Audiatur ante omnes Lutherus in Lib. de privatâ Missâ abrogandâ: *Conser nunc istos Antichristos cum Christo. Ille frangit & partitur in multos, & partitum distribuit. Isti contra per omnia nihil frangunt, & sibi solis sumunt: nisi quod simulant quandam fractionem. Et ubi manet verbum Christi?*

2. *Ex* praxi & mandato, & traditione Apostolorum. Praxis patet ex *Actor.* 2. *v.* 42. cum *cap.* 20. *v.* 7. ubi tota actio eucharistica synecdochicè per fractionem panis denotatur. Quod quia apodicticum negat *Mentzerus in Exegesi August. confess. art.* 10.; addo doctrinam & mandatum eorum; quę patent ex 1 *Cor.* 10. *v.* 15. 16. & *cap.* 11. *v.* 24.

3. *Ex* hac ratione, quia fractio est pars actionis sacramentalis peculiariter significans & repræsentans crucifixionem, seu vulnerationem & fracturam corporis Christi; non minus ac actio fusionis vini effusionem sanguinis Christi. Hoc liquet ex textibus jam citatis *Matth.* 29. *v.* 26. 1 *Cor.* 11. *v.* 24. Quin ipse Thomas Part. 3 qu. 83. art. 5. fatetur *fractionem hostiæ significare primo quidem ipsam divisionem corporis Christi, quæ facta est in passione.* Quod ad hominem Pontificiis opponi potest. Quamvis fractio illa Sacerdotis conficientis seu offerentis non sit sacramentalis seu communionis: quâ Minister panem Communicantibus ex Christi instituto distribuere debet. Mysteria

alia

Digitized by Google

alia quæ in ordine, & modo fractionis ſacerdotalis fruſtra venantur, vide poſt omnes explicata à *Gavanto Tom.* 1. *Theſauri part.* 2. *tit.* 10. Durantes in Rationali Lib. 4. cap. 51. iſtis verſiculis myſticas ſignificationes complexus eſt. *Tres partes facta de Chriſti corpore ſignant. Prima ſuam carnem, ſanctoſque; Secunda ſepultos; Tertia viventes? Hæc eſt in ſanguine facta: Martyrii calicem guſtant in carne fideles.* Triformem hanc fractionem examinare, hujus loci non eſt. Videat, ſi quis hoc exſpectet, *Pareum de Symbolis ſacramentalibus* anno 1603. edit. *Lib.* 2. *cap.* 2.

4. *Ex* aliâ ratione; quod commnnio Fidelium in & cum Chriſto capite, & inter ſe per fractionem & diſtributionem unius panis repreſentatur; non vero per placentulas orbiculares ſeu hoſtias à ſingulis Communicantibus acceptas. Talem autem repræſentationem ſymbolicam, eſſe juris divini conſtat ex 1 Cor. 10. v. 17. *quia unus panis, unum corpus multi ſumus, ſiquidem omnes unius panis participes ſumus.*

5. Accedat conſenſus & praxis antiquæ Eccleſiæ, indicata ab *Ignatio Epiſt. ad Philadelph. Clemente Alexandr. Lib.* 1. *Stromat. circa initium*; *Cypriano in Serm. de Cœnâ*; *Chryſoſtomo Homil.* 24. *in* 1 *Cor.* 10. *Auguſtino in Epiſt.* 19. *ad Paulinum.* Ejuſdem tria teſtimonia vide inſerta *Juri canonico Diſt.* 2. *de Conſecr. cap. dum frangitur*, &c. *qui manducant.* Alios tum antiquos, tum intermedios, tum nothos (Pontificiis tamen genuinos) indicare ſuperſedeo. Durantes Lib. 4. Rationâl. cap. 53. antiquitatem ſic aſtruere conatur: *In primitiva Eccleſiâ omnes qui celebrationi miſſarum intererant ſingulis diebus communicare ſolebant: eo quod Apoſtoli omnes de calice biberunt, Domino dicente,* bibite ex hoc omnes. *Offerebant enim magnum panem, & omnibus ſufficientem. Quod adhuc Græci ſervare dicuntur.* Argumenta quæ contra materiam & formam placentulæ rotundæ nummulariæ, ad inſtar denarii, peculiariter adferri poſſunt, alibi ubi de materiâ ſeu de elementis Cœnæ agitur, conſideranda ſunt. Objectiones quæ contra fractionem adferuntur à Pontificiis, ut & pro toto choragio miſſatico, ex locis ab autoritate Eccleſiæ Romanæ ſeu Papæ, & à conſuetudine petuntur. Habemus hic ingenuam confeſſionem Bellarmini, de Fractione hoſtiæ miſſaticæ Lib. 1. de miſſa c. 27. *Noſtra fractio ſine dubio non habet dominum autorem.* Defenſiones quæ à Theologis in Germaniâ, ubi miſſa abolitâ uſus hoſtiarum ex Papatu remanſit, adferuntur, ad hæc duo revocantur, adiaphorum, & conſuetudinem: quibus alii addunt, ſcandalum & perturbationem Populi, qui receptæ conſuetudini mordicus inhæret. Sed his præ textibus alia ſexcenta uſque ad annum 1517. in Papatu uſitata, & rectè per reformationem abolita, retineri aut revocari potuiſſent. Exceptiones contra argumenta Noſtrorum, apud *Eckhardum, Brochmannum, Danhauwerum, Hunnium* occurrunt: quorum ille à *D. Arnoldo* Theologo Franc-

Digitized by Google

Franekerano, *in Scopis dissolutis:* isti à *Wendelino in Theologi. Lib.* 1. *cap.* 33.: hic ab *Hospiniano Part.* 1. *Histor. sacrament. Lib.* 5. *cap.* 5. refutati sunt. Plenissimè omnium hanc controversiam tractavit *Pareus de Symbolis*, &c. & *Ritu fractionis Lib.* 2. *à cap.* 3. 16. Breviter & nervosè *Altingius in Syllabo Controvers. cum Luther. de ceremon. quæst.* 2.

Atque hactenus de veritate, eique adjunctâ antiquitate: videamus nunc quanti momenti sit. Unitatem, concordiam, fraternitatem ecclesiasticam, aut syncretismum Ecclesiarum, non obstante diverso usu in fractione panis, omnes Reformati hactenus defenderunt: idque hoc fundamento, quod omissa fractio non tollat essentiam Eucharistiæ. Sic *Beza in Quæst. & Resp. Part.* 2. *qu.* 104. *idem in Epistolis*, *Epist.* 2. *Zanchius in Epist. part.* 1. *Epist. ad Grunrade pag.* 224. Idem præsupponunt, aut sonant omnia consilia syncretistica ante & post συμφωνίαν Protestantium in Germania hactenus & ibi, & alibi suppeditata: quorum indiculum suo loco suggeremus. Summam summarum faciant concordatum Sendomirense in Poloniâ, quod *Harmonia Confessionum* insertum est, & *Eirenicum Parei.* Sed quia, qui bene distinguit bene docet, & errorum mater est confusio, distincte nostram & nostrorum mentem sequentibus aphorismis explicemus & unitatem eorum, non divisionem (uti velit *Eckhardus loc. cit.*) ostendamus.

I. Controversia de fractione non est de nihilo: sed pertinet ad integritatem administrationis Cœnæ Jure divino præscriptæ, in luce ponendam ac vindicandam; & ad plenam cultus publici ab omnibus corruptelis emendationem ac reformationem. Ita judicârunt, & facto suo declarârunt Ecclesiæ reformatæ in Galliâ, Angliâ, Scotiâ, Belgio, Hungariâ, Poloniâ, Bohemiâ, Germaniâ.

II. Nec est merè scholastica, aut theoretica, aut curiosa, aut otiosa ἀεργία, sed usum suum habet, 1. *in* generalis fidei divinæ assensu, & plenâ veritatum theologicarum cognitione. 2. *in* meditatione rerum divinarum, & mediorum salutis nostræ. 3. *in* symbolicâ intelligentiâ externi signi significantis, & rei significatæ per illud symbolum. 4. *in* recordatione Christi crucifixi per illum fractionis ritum symbolicum memoriæ nostræ subjectum. 5. *in* extensione fidei & fiduciæ specialis atque applicantis ad Christum crucifixum per adminiculum sumtionis panis fracti, & per fractionem distributi.

III. Non est ergo, hæc pars veritatis symbolicæ & sacramentalis praxios dimittenda, dissimulanda.

IV. Nec promotio ejus publicè privatimque (quando & ubi legitimè fieri potest) negligenda.

V. Multo minus emersio hujus veritatis & praxios, seu, defectus hujus in

Digitized by Google

in Noſtrâ aut aliâ aliquâ Eccleſiâ ſuppletio ac reformatio impedienda, oppugnanda, odioſè inſectanda. Diſce quid evenerit reformationi iſtius aliorumque ἀτυμάτων in Eccleſiis Anhaltinis anno 1596. & in Haſſiâ Marpurgi anno 1600. *ex Scriptis Witebergenſium contra Anhaltinam*, & *Gieſſenſium contra Marpurgenſem reformationem.* Hiſtoria iſtius Germanico & Belgico idiomate deſcripta exſtat: illius attingitur ab *Hoſpiniano Part. 2. Hiſtor. ſacramentar. ad a. 1597.*

VI. Nec tantopere pro retinendo hoc defectu zelandum, ut prætexentes adiaphoriſmum, & imperitæ plebis ſcandala, atque inde pericula perturbationum ac ſchiſmatum; ipſi plebem concitemus, contentiones, diſſidia, animorum alienationes, tacitè aut apertè excitemus, foveamus; & ad jactata illa adiaphora, non tantum nos ipſos, ſed & alios, æque, immo longè ſtrictius, quam ad non pauca alia in regimine & diſciplinâ, in pietatis praxi, in morum reformatione magis neceſſaria, aſtringere ſatagamus. Quod cacoëthes Phariſaicum (*Matth. 15. v. 2-7. & 23. v. 23. 24.*) plerumque in humanarum traditionum, conſuetudinum & ceremoniarum παραδόσεων zelatoribus dominari videmus. Legantur *Hiſtoriæ* aphoriſmo præced. citatæ.

VII. Nec tolerantia in approbationem mutanda; aut ἀνεκτὰ in τὸ βελτίον à Miniſtris cum tempore transformandum.

VIII. Eccleſiæ, quæ fractionem habent, eam deſerere, & ad placentulas orbiculares reverti non debent: in gratiam ſcil. aliarum Eccleſiarum; & prætextu pacis cum iis colendæ, quibus non viſum eſt, aut quæ non poſſunt commodè fractionem introducere.

IX. Sufficit ſi Eccleſiæ, quę fractione utuntur, Eccleſias, quæ eâ carent, non obſtante hoc defectu, agnoſcant pro veris Chriſti Eccleſiis; fraternitatem & unitatem, ubi illa adhuc viget, colant & ſervent; ſyncretiſmum & unionem, ubi ſyrraxis, aliqua interceſſit, promoveant; Cœnam earum, quod ad eſſentiam, pro Cœnâ Domini habeant. Quod autem *Polanus in Syntagm. Lib. 6. cap. 56.* dicit fractionem eſſe *de eſſentiâ & formâ Cœnæ dominicæ.* Piſcator in vol. 1. Diſpp. Diſp. de Sacramentis theſ. 23. eſſe *ritum neceſſarium & eſſentialem.* Bucanus & Trelcatius junior in Loc. comm. eſſe *ceremoniam eſſentialem ac ſacramentalem*: huic Noſtrę determinationi, & communi ſententiæ Reformatorum non repugnat. Nihil enim aliud voluerunt, quam non eſſe ritum humanum, adiaphorum, liberum: ſed divinum, ſacramentalem, & neceſſarium neceſſitate præcepti, ad integritatem ſacramenti & externam adminiſtrationis formam pertinens. Quomodo oculus, aut pes, aut manus, ad integritatem corporis, & conſequenter ad eſſentialem partem hominis, & ſic ad eſſentiam pertinet: licet non ſit eſſentia, aut hominis

essentia in alterutro oculo consistat; quo scil. posito ponatur, & sublato tollatur essentia. Accuratè & distinctè hanc controversiam explicuerunt *Beza in Epistolis, Epist.* 2. & *Zanchius in Epistolis Part.* 1. *pag.* 229. & 250. Quos etiam citatos video ab *Himmelio* Theologo Jenensi *in Collegio irenico Disp.* 8. §. 19.

Restant Duo problemata ex quęstione de pondere & momento hujus controversiæ emergentia.

1. *Probl.* An quis in Ecclesiâ educatus, aut in matriculam ejus inscriptus, ubi non sine panis fractione Cœnam accepit, ad aliam transire possit, ubi placentulis orbicularibus Cœna administratur? *Resp. Neg.* siquidem in eâdem Ecclesiâ, aut in casu migrationis in Ecclesiâ istius loci, aut in vicinâ, integritate hâc frui queat. Sin minus: præstat Cœnam sumere cum tali defectu (quem tolerare possumus, non tollere) quam omnino eâ carere: hâc tamen lege ut communicaturi testentur, se non probare omissionem & neglectum ritus necessarii in administratione Cœnæ, qui ex superstitione Papali remanserit. Ita *Altingius in Problemati Heidelbergensi Part.* 2. *probl.* 17. Qui *idem Probl.* 18. probat Cœnam aliquo in casu posse sumi in Ecclesiâ ut omnino *Zanchius in Epistolis Part.* 1. *ad Ottonem à Grunrade pag.* 233. consilium hoc firmat exemplis Martyris & Johannis à Lasco: quorum ille in Angliâ (ubi tunc dogma de manducatione oculi adhuc obtinebat), apud Parochum protestatus de suâ fide, iste Witebergæ cum Melanthone Cœnam sub formâ hostiæ rotundæ accepit: *Ibidem* refert *Zanchius* Calvinum in eâdem fuisse sententiâ.

2. *Probl.* An Minister qui jam fractione usus est, ad aliam Ecclesiam, per legitimam vocationem transire possit, ubi Cœnam sine fractione administrare deberet? *Resp. Zanchius* super casu simul consultus in *Epistolâ cit.* annuit, idque hâc ratione, quia ille Ecclesia pręservaretur & communi causæ consuleretur. Non videtur tamen in thesi hoc ita determinari posse: sed expensis primum particularibus circumstantiis, comparativè ponderanda esse damna aut lucra probabiliter emersura.

De Sumtione seu Acceptione.

§. 2. Acceptio duplex est Ministri & Communicantis. *Illa* strictè à Recentioribus nonnullis dicitur *sumtio*, *assumtio*, in Scripturâ *acceptio*, ab *accipio* gr. λαμβάνω *Math.* 26. *v.* 26. 27. 1 *Corinth.* 11. *v.* 23. *Ista* strictè *acceptio*, ab accipio λαμβάνω *Math.* 26. *v.* 26. De acceptione quæritur.

1. *Quæst. Quoties à Ministro sumenda sint panis & poculum? Resp.* toties, quoties inter mensæ Assidentes eâ distribuit.

2. *Quæst.*

Digitized by Google

2. *Quæst. Quando sint sumenda? Resp.* cum actu panis frangendus, distribuendus, & Assidentibus dandus est. In hunc enim finem à Ministro in manus sumitur, ut frangi, dari, & distribui possit. Non videmus ergo, necessitatem aut usum sumtionis & ostentationis, aut etiam elevationis præambulæ, antequam quisquam Communicantium assidet aut adest, ut accipiat. Quid verum, ex *proximè seqq. Quæst.* pleniùs percipietur.

3. *Quæst. An omnis panis & omne vinum in mensâ positum præparatoriè à Ministro consecranda, antequam Communicantes ad mensam accedant, & symbola actualiter distribuantur? Resp. Neg.* Quid enim tunc fieret pani & vino residuo? An dicenda essent sacra (signa scil. & sigilla) per & propter præsumtam illam consecrationem? Minimè: non magis quam residua massa ceræ, unde portio sumta, cui sigillum Regis, aut Civitatis impressum est, propriè & formaliter dici potest sigillum, quod propter potestatem atque autoritatem relativam, in ratione signi & instrumenti, hominibus sacrum & inviolabile esse deberet. Hic perpetuò contra Pontificios tenendum, nullum sacrum, nullam consecrationem, nullum actum consecratorium fingendum esse extra præsentem usum.

4. *Quæst. Quando & ubi incipiat consecratio, hoc est, rei communis ad usum sacrum, separatio, deputatio, designatio? Resp.* Sunt qui sic explicant, ut formalem consecrationem constituant, in præparatione symbolorum & in actuali eorundem distributione ac manducatione. Præparationem in eo ponunt, quod symbola menſæ imponuntur, & gratiæ Deo aguntur. Sed velim expendi, sacramentalia signa seu symbola duobus membris constare, elemento seu substantiâ, & ritu seu actione. Sic e. gr. Baptismi signum externum complectitur aquam, & aspersionem seu lotionem seu applicationem aquæ ad corpus Baptizandi. Actiones præparatoriæ e. gr. denudatio corporis aut capitis Baptizandi facta per Nutricem, aut Commatrem, aquæ ex puteo aut cisternâ hausti o, ejusdemque in pelvim infusio, ejusdem pelvis collocatio aut manutentio facta per Ædituum, non sunt actiones sacræ, aut consecratoriæ, aut sacramentales propriè ac formaliter ita dictę: sed tantum requisita, seu præparatoria, seu actiones, sine quibus non. Idem dicendum, de panis scissione in frusta ad promtam fractionem & distributionem idonea, de ejusdem panis scissi in pinacem seu patinam impositione, vini ex vase in amphoram eductione, ejusdem ex amphorâ in cantharos seu congios & inde in calices infusione.

5. *Quæst. An precatio seu gratiarum actio, cum verbis mandati & promissionis repetitis, & præmissâ instructione, de Cœnâ ejusque recto usu absolvant consecrationem; & iis absolutis, panis Assidentibus aut ad Cœnam Accedentibus sit sacer, signum & sigillum sacrum? Resp. Neg.* Nisi enim panis à Ministro ad

Digitized by Google

esse sacri sigilli, juxta Christi mandatum & promissionem datus, à Communicante actu manducetur; utique non est sacramentum, aut signum sacrum, & consequenter nulla illic est manducatio & consecratio sacramentalis. Ut Pontificii statuunt per unam atque alteram voculam non fieri consecrationem: sed tantum per quinque voces usque ad ultimam syllabam *um*, tanquam orationem continuam & consecratoriam immo & creativam, pronuntiatas: sic nos, & quidem verè statuimus, non hâc aut illâ voce, aut actione Distribuentis, sed actionibus seu ritibus essentialiter sacramentalibus (supra propositis) panem consecrari, esse sacrum, esse divinum sigillum rei sigillatę, spiritualis scil. seu cœlestis. Unde sequitur, nihil sacri sive sacramenti sive sacramentalis tribuendum pani aut vino post celebratam communionem in patinis, aut in canistris, aut in mensâ residuo: nec illum tanquam sacrum asservandum, in processione circumgestandum, &c. Sic tamen habendum & tractandum, ne quid indecori circa eum committatur, ne scandalum & occasio sarcasmi aut sycophantiæ adversariis præbeatur. Huc referenda distinctio reverentiæ in positivam & privativam apud *Amesium Lib. 4. Cas. cap. 31.* & *Pruknerum Centur. 6. qu. 24.*

6. *Quæst. An panis distributus manu Communicantium tangi & accipi possit, an vero ipsis à Ministro in os indi debeat? Resp. Pr. Neg. Poster. Aff.* Pontificii apud *Joh. Steph. Durantum Lib. 2. cap. 55. pag.* 843. Ob sacram hujus mysterii singularem venerationem, Ecclesia instituit, ne Laici nudâ manu Eucharistiam attingerent, sed à Sacerdote in os sumentis immitteretur. *Ibidem* tamen de longè alio acceptionis modo in antiquis Ecclesiis usitato multa commemorat. In *Concil. Rhotomagensi* (apud *Burchardum Lib. 3. Decretor. cap. 76.*) sancitum: Sacerdos nulli Laico aut fœminę Eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os ejus cum his verbis ponat: corpus Domini „ & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam. „ Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit, & „ quantum in ipso est, inhonorat, ab altari removeatur. Sed quæ ratio hujus feralis carminis adferri poterit? Apostoli in primâ Cœnâ manibus suis acceperunt, ita mandante Christo *Math. 26. λάβετε, φάγετε.* Sic enim cum *Beza Epistol. 2.* verbum illud λάβετε, exponendum dicimus. Quod etiam patet ex *v. 27.* ubi de poculo: *bibite ex eo omnes.* Jam vero antiquus discumbendi mos non permittebat, ut Christus poculum manu suâ singulorum ori admoveret. Non est etiam à communi more convivantium *Math. 26.* descripto recedendum. Atqui ille non fert, ut cibus convivis, tanquam lactentibus & parvulis, in os ingeratur. Et cur quæso majorem indignitatem tribuunt manibus fidelium, quam ori, labio, linguæ, quibus corpus Christi, seu mavis species corporis (loquor ex hypothesi pseudo-theologię ipsorum) immé-

Digitized by Google

immediatè attingunt. Audiant de linguâ *Jacob*, 3. *v.* 16. 8. de ore *Math.* 12. *v.* 35. 36. Antiquorum praxim instruit Dionys. Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 8. ubi sic describit Communicantem : *qui adstitisset mensæ, qui manus ad sanctum alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset*, &c. Et *Lib.* 6. *cap.* 35. de Novato refertur quod in distributione Cœnæ Communicantes ad jusjurandum compelleret, *suis utriusque manibus manus accipientis prehendens. Cyprianus Serm. de Lapsis* §. 13. à diaboli aris revertentes ad sanctum „ Domini sordidis & nidore *infectis manibus accedunt*. Mortiferos idolo- „ rum cibos adhuc pœne ructantes, Domini corpus invadunt; & plus mo- „ do in Dominum *manibus atque ore* delinquunt, quam cum Dominum ne- „ gaverant: Chrysostomus Homil. 3. in Ephes. 1. *Quomodo stabis ad tribunal Christi, qui pollutis manibus & labris ad id ædes accedere. Augustinus* „ *c. Epistol. Petiliani Lib.* 2. *cap.* 23. ego illum commemoro, cui pacis oscu- „ lum inter sacramenta copulabatis, in cujus *manibus Eucharistiam ponebatis*. Nota est Historia Ambrosii arcentis Imperatorem Theodosium à commu- „ nione, & dicentis: quomodo *manus extendes*, de quibus adhuc sanguis stil- „ lat injustus? quomodo hujusmodi *manibus suscipies* corpus Christi? Vide *Histor. tripart. Lib.* 9. *cap.* 30. aut ex Recentioribus *Baronium ad ann.* 390. §. 1. 2. Nazianzenus Orat. 1. in Julianum (pag. 759. edit. lat. in fol.) refert Julianum *manus suas profanasse, ut eas ab incruento illo sacrificio*, &c. *elueret ac repurgaret*. Quod *Bilius* Abbas Pruneus *in Scholiis num.* 25. sic exponit: „ Nequid sanctitatis *manibus ex eucharistiæ contactu* supereslet (olim enim „ eam Laicis in manu porrigi solitam testatur *Tertullianus*) eas omni studio „ inquinat ac profanat. Adde huic domestico, & *Joh. Steph. Durando* supra *cit.* duos alios, *Tapperum* & *Casparem Sanchez*: quarum ille T. 2. *artic.* 15. ex Historiâ de Satyro Fratre Ambrosii, & Cypriani Serm. de lapsis colligi putat, quod *illis temporibus sanguinem ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manibus dabatur*. Iste *in Commentar. ad Actor.* 2. *v.* 46. *num.* 108. allatis testimoniis. *Cyrilli Hierosolymit. in Catech. mystag.* 5., Maximi cit. à Baronio probat, *tam domi olim Fideles, quam in Ecclesiâ acceptam Eucharistiam non Sacerdotis manu, sed suâ in os intulisse; adeoque usitatum atque solenne fuisse, ut de accipiendâ à Sacerdote Eucharistiâ modus fuerit Fidelibus præscriptus*. Agmen claudat Beatus Rhenanus, Vir in antiquitate ecclesiasticâ versatissimus, in Notis ad Tertull. de Coronâ militis, ubi ait *liquere ex antiquorum lectione, Eucharistiam manibu Laicorum olim attactam fuisse*. Sero in παρεκβ. antiquitatis circa tempora Gregorii M. ex imperitâ superstitione & populari errore, cœperunt manibus suis parcere, præsertim Fœminæ; quibus etiam anno 614. in Concil. Antisiodorensi hoc injunctum Can. 36. *Non licet Mulieri nudâ manu Eucharistiam sumere*. Confer *Can.* 39. ubi jubentur quan-

do communicant, *dominicale* suum quæque habere: hoc est mundum linteum, in quo acciperent Eucharistiam: Non multo post tempora Gregor. M. cœperunt quidam vasculis eam accipere. Contra quam popularem superstitionem decrevit Concil. Constantinopolit. in Trullo anno 686. can. 101. Quod autem Fœminę primum motu proprio, postea lege latâ in Concil. Antisiodorensi anno 614. magis quam Viri à contrectatione abstinuerunt, suspicor ortum esse ex eodem aut ex simili phantasmate, ex quo canones illi apud *Photium in Nomocanone tit. 4. cap. 16.* & *tit. 3. cap. 18.*, quod non conveniat Mulieribus in diebus purgationis suæ ad Baptismum & Cœnam accedere.

7. *Quæst. Quanti momenti sit hac quæstio? Resp.* alicujus momenti esse, ex jam dictis constare arbitror: non exigui etiam munenti esse determinationem illam, quam Concil. Rhotomagensi (anno 1055.) tribuit *Burchardus loco. cit.*, eucharistiâ in manus Laici non ponendâ: non tamen tanti momenti esse, ut ob defectum hunc in Ecclesiâ aliquâ protestanticâ, aut in Ecclesiâ Græcâ (ubi cochlearibus Eucharistia in Communicantium ora à Ministro immittitur, uti supra indicatum fuit) à communione abstinendum esset: nedum ut correspondentia & unio Ecclesiarum propterea abrumpenda: Probo hic judicium *Bezæ in Epist. 2. ad Thomam Thelium.*

De Geniculatione.

§. 3. De ritu Geniculationis seu Geniflexionis in perceptione Cœnæ, nulla in Papatu disceptatio est: quia illis tanquam de fide determinata est adoratio Christi in Eucharistiâ sub speciebus panis & vini corporaliter præsentis. Eam quamvis Protestantes & Reformati omnes strenuè negent, sunt tamen, qui externum gestum & signum adorationis retinuerunt: quibus scil. consuetudini isti universaliter in Ecclesiis Occidentis receptæ visum fuit inhærere. Postea, uti fieri solet in humanis inventis, quæsitæ fuerunt rationes ab utilitate, & majori reverentiâ ac devotione circa hæc mysteria desumtæ. Quod ad ipsam praxim, remansit ea post reformationem in multis Ecclesiis Germaniæ; sed pro eâ tam operosè disputatum non fuit, ac in Angliâ. Illic enim illud dictum adiaphorum, illa minutia, illa recula, illud testivillitium, ille culex, ille acarus tandem per nimiam altercationem in camelum, elephantum, montem, in necessarium, aut quasi necessarium quid paulatim transformatus fuit, & neglectus ejus pœnis & vexationibus non ceremonialibus sed substantialibus vindicatus. Vulgares velitationes & omnes velites non memorabo; sed solummodo virorum doctissimorum scripta adversa, qualia *Parkeri de Cruce*; quod exceptum fuit à *Mortono in tract. de*

Tribus

Digitized by Google

Tribus innocentibus Ceremoniis; & hoc ab *Ameſio in duobus Opuſculis contra generalem & ſpecialem Ceremoniarum Defenſionem*; Amelius ſocero ſuo D. *Burges* paulo ante obitum anno ſcil. 1633. cauſam ſuam eruditè & ſolidè vindicavit. Hęc omnia idiomate vernaculo prodierunt. Ex Scotiâ anno 1623. prodiit latinum ſcriptum ſed Amſiclodami excuſum, tit. *Altaris Damaſceni* ſub nomine *Didoclavii*, hoc eſt, *Davidis Calderwood*. Tandem emiſſum fuit anno 1637. elaboratum Theologi aut Theologorum Amonymorum ſcriptum vernaculum in Scotiâ, ſed ſine nomine loci aut typographi tit. *Diſputatio adverſus Anglo Papiſticas ceremonias*, &c.

Ex illa Virorum eruditiſſimorum concertatione, qui extra partes ſtant, haut difficulter conceptus formare & judicium firmare poſſunt φιλομαθεῖς. Nos particularibus cauſis, motivis, circumſtantiis, connexis, conſequentibus omiſſis, quæ alterutram partem præjudicio aliquo gravare poſſent, ſimpliciter Noſtrarum, & aliarum Reformatarum praxin defendemus. Sit ergo *Quæſtio? An geſtus ſeu ritus genuflexionis in perceptione Cœnæ ſit neceſſarius, aut utilis, aut maximè conveniens, & ad devotam Cœnæ perceptionem ac majorem Eccleſiæ ædificationem faciens? Reſp. Nos Neg.* juxta communem Eccleſiarum Belgicarum, & aliarum Reformatarum conſenſum & praxin: Sic enim Synodis Nationalis Belgica in Statutis ſuis anno 1578. artic. 69. *Quandoquidem adiaphorum cenſemus in uſu Cœnæ ſtare aut ſedere (genuflexionem excipimus ob ſuperſtitionem & periculum adorationis panis), utentur Eccleſiæ eo modo qui cuique videbitur convenientiſſimus.* Sed determinationem malo Bezæ verbis, quam meis exprimere, Epiſtol. 12. *geniculatio denique dum ſymbola accipiuntur, ſpeciem quidem habet piæ ac chriſtianæ venerationis, ac proinde olim potuit cum fructu uſurpari: tamen quoniam ex hoc fonte orta eſt ἀρτολάτρεια illa deteſtabilis, & adhuc in multorum animis hærens, merito ſublatâ eſſe videtur.* Ratio *prima* contra genulationem eſt iſta, *quia* Ritus quo homines excellenter abuſi ſunt ad idololatriam, & quem Jus divinum aut naturale non fecit neceſſarium, non eſt habendus pro re ſacra, aut pro aliquo ad rem ſacram pertinente: ſed à cultu divino removendus eſt.

Atqui ritus geniculationis eſt talis, quo homines abuſi ſunt, &c. & quem Jus divinam aut naturale non fecit neceſſarium. Ergo, &c.

Major eſt certiſſima, *tum* ex communibus rationibus de Peccatorum cauſis & occaſionibus, *Judæ v.* 23. deque ſpecie mali fugiendâ 1 *Theſſal.* 5. *v.* 22. *tum* ex laudato in Scripturis 1 *Reg.* 18. exemplo Hiskiæ, qui etiam excelſa tollebat, quin & illuſtre illud antiquitatis monumentum exſerto Dei mandato factum, ſerpentem ſcil. æneum, quo homines abutebantur ad idololatriam.

Minoris prius membrum probatur, quia Pontificii geniculatione uſi

ſunt

sunt & etiamnum utuntur ad horrendam artolatriam seu hostiæ adorationem.

Posterius membrum prob. *quia*, nullum est mandatum Dei de geniculatione in Cœnâ: nec ulla ratio aut necessitas naturalis nos ducit aut adigit ad geniculationem.

Hæc principalis ratio contra excogitata quælibet exceptionum commenta ex fundamentis Scripturæ vindicanda est; & vindicata fuit ab *Antesio*, *autore Altaris Damasceni*, & *Libri c. ceremonias Ecclesiæ Scoticæ* obtrusas.

II. Accedat *secunda ratio* desumta à symbolizatione & collusione cum Pontificiâ panis eucharistici adoratione; & consequenter ab idololatriæ indirectæ implicatione. Quid autem sit idololatria indirecta & quomodo actus aut ritus à nobis adhibitus implicare possit idololatriam indirectam seu interpretativam, fusè ostendimus in 3. *Part. Scl. Disp. tit. de Idololatriâ indirectâ*, potissimum ex prohibito usu idolothytorum 1 Cor. 8. & 10.

III. Sit *tertia ratio*; desumta à scandalo, quod Pontificiis datur; qui hoc facto Protestantium alias abominandam hostiæ adorationem condemnantium, in cultu idololatrico confirmantur. Et hæc ratio ex doctrinâ scripturaria de scandalo, imprimis ex 1 Corinth. 8. & 10. defendenda est.

IV. Sit & *quarta ratio*. Quia geniculatio non est ritus conveniens aut usitatus convivantibus: sed orantibus & supplicantibus. De hominibus habes *Matth.* 18. *v.* 26. De Deo *Luc.* 22. *v.* 41. *Ephes.* 3. *v.* 14. *Actor.* 20. *v.* 36. *Rom.* 14. *v.* 11. cum *Philipp.* 2. *v.* 10. Jam vero Cœna est convivium 1 Cor. 11. *v.* 20. & Christus Discipulis ad mensam accumbentibus more convivantium illic recepto, cœnam distribuit.

De momento hujus controversiæ simil ter fere ut supra de fractione panis, & de retentis altaribus, vestibus sacerdotalibus, accensis cereis, crucibus, imaginibus in cultu publico judicandum est. Ingenuè quidem cum *Beza loc. cit.* fatemur esse *sordes expurgandas*, crucis consignationem, crustum azymum & rotundum, geniculationem in Cœnâ? non tamen esse *idololatriam per se* (sunt verba *Bezæ*) aut absolutam, sed per & propter aliud, & ex hypothesi (ita loquar) seu hypotheticam; hoc est interpretativam & indirectam; uti modo dictum est. Qualem tamen Apostolus non veretur idololatriam appellare 1 Cor. 10. *v.* 7. 19. 20.

Conclusio 1. Non est ergo hic ritus, ex hypothesi abusus & artolatriæ Papalis, adiaphorus.

Concl. 2. Itaque diutius usurpandus non est; nec ex Papatu retimendus: sed cum aliis quam plurimis in initio reformationis sublatis, tollendus.

Concl. 3.

Digitized by Google

Concl. 3. Non eſt in Eccleſias, quæ cum introducta prima reformatione, aut etiam poſtea ſecundis (ita loquar) curis eum ſuſtulerunt, denuo introducendus; & Eccleſiarum pax turbanda.

Concl. 4. Et ſi qui hoc tentent, Eccleſiæ & fideles Miniſtri reſpondere debent; Deo magis obediendum eſſe quam hominibus *Sector.* 4. & 5. Objectiones & exceptiones variorum abundè diluit *Liber* ſupra *cit.* anno 1637. vernaculo ſermone editus. Poſt quem non memini ab Erudito aliquo quid repoſitum, quod examen aliquod mereatur. Quia tamen placuit eruditiſſ. & veterano Theologo Oxonienſi *Roberto Sanderſono* hanc cauſam cum defenſoribus non ſine inſigni contemtu & faſtidio diffiare, in *Prælectionibus de Obligatione conſcientiæ anno* 1660. Londini editis: nihil abſurdi me facturum arbitror, ſi diſſertationem ejus ad examen revocem. Inter argumenta, quæ contra geniculationem ab *Exonienſis* diœceſios *Miniſtris* 40. circiter retro annis *Libello quodam* prolata dicit, unum illud ab exemplo Chriſti *Math.* 26. deſumtum, oppugnandam ſibi ſumit; quod in illo prę cæteres videantur quaſi triumphare. Quaſi alia *ibidem*, & à *Parkero*, *Ameſio*, & *Autoribus Altaris Damaſceni* anno 1623. & *Anglo-Papiſticarum Ceremoniarum Eccleſiis Scoticis obtruſarum*, &c. anno 1637. non fuiſſent adducta; quæ abſque illo argumento ab exemplo Chriſti deſumto ſatis ſuperque otioſi immo & periculoſi hujus ritus omiſſionem hominibus non contentioſis nec præjudicio occupatis, perſuadere poſſent. Sed hoc tranſeat. Ille ergo in 10. Prælect. de Obligatione conſcientiæ, prælect. 3. *dilutum & putidum hoc ſophiſma* (uti appellat), vanamque argumentationem ſic aggreditur.

1. Obſervate, *inquit*, primo μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, fœdo & vix Pueris „ condonando errore. Cum enim de geſtu tota lis ſit, diſputant illi impor„ tunè admodum de *actionibus*. Eſto omnem Chriſti actionem imitandam „ eſſe: at geſtum quis dixerit eſſe actionem? Quę duo adeo latè invicem „ diſparata ſunt, ut nec in aliquo communi genere conveniant, ſed ad di„ ſtincta prædicamenta pertineant: *geſtus* ad ſitum eſſe, *actio* ad proprium „ & ſui nominis prædicamentum. *Reſp.* Nimis ineptè ſubtilis, & Pueris vix condonanda hæc critica. Ritus ſeu ceremonia ex *Thoma* 1. 2. *Qu.* 99. *artic.* 2. à *Scholaſticis* communiter deſcribitur, quod ſit actio ſeu opus exterius, quo homo cultum Dei profitetur: quamvis inter ceremonias Moſaicas & inter ſacramentalia Papiſtarum quamplurima ſint, quæ per ſe directè in ſolo actionis prædicamento collocari nequeant. Materialiter conſiderata ad varia prædicamenta referuntur; ſed formaliter omnia ſacramenta, omnes typi & ceremoniæ, omnia dicta ſacramentalia, tanquam relationes concipi debent. Vide *ſupra Lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. & 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Benedictionibus & Sacramentalibus.* Verba valent uſu. Quis autem Scriptorum ri-

 tualium,

Digitized by Google

tualium, quis disquisitorum de illis ritibus præsertim in Germaniâ, & Anglià vocem hanc inlatâ significatione non usurpavit: ut idem, notet quod observatio, aut observantia, aut modus agendi. *Ceremonia*, inquit Bucerus in Rom. 1. *sunt actiones & observationes quædam sensibiles & significativæ*, &c. Quod sic intelligendum ut ad actionem reducatur omissio seu abstinentia à suffocato, sanguine, animalibus immundis, &c. Omnes *Locorum communium Scriptores* ubi agunt *de Gestibus precationis*, enumerant situm corporis, flexa genua, manus expansas, aut ad Cœlum elevatas, oculos dejectos aut in Cœlum sublatos, &c. & adductis exemplis Christi ac Sanctorum ad eosdem gestus, positis ponendis, nos hortantur; nos insuper dehortantur à processionibus, hotis canonicis, rosariis, aliisque precandi modis, nec non à manibus inter precandum aut benedicendum ad formam crucis decussatis, &c. Et quis his exemplis opponeret exceptionem: *Tota lis est de gestibus: importunè ergo disputatur de actionibus.* Ne procul abeamus, inepta hac subtilitas difflatur ab Episcopo *Mortono in Lib.* vernaculo anno 1618. cum Christi & Sanctorum exemplis defendere conatur tres innocentes (quas ita vocat) ceremonias, genuflexionem, crucem, album superindumentum? An genuflexio, h. e. situs corporis secundum ipsum, an indumentum, aut indumento indutum esse, est actio, aut gestus. Cur ergo toto cœlo *actiones* & *gestus* distinguit? Sed pergamus.

II. „ Observate *secundo*, quatuor illa ultima & minorum gentium *prædicamenta*, *ubi*, *quando situm*, *& habitum*, ejusdem fere esse rationis & momenti respectu illarum *actionum*, quibus velut comites adjunguntur: quandoquidem nihil aliud sunt, quam relationes quędam inferioris notæ, & *circumstantiæ* actionibus ipsis prorsus *extrinsecæ*. Inde non sine amplificatione diducit hoc porisma, Non videri rationi consentaneum nos communicantes exemplo Christi & Apostolorum magis ad situm obligari, quam ad ubi, privatas scil. ædes aut οἰκίαν; ad quando, primam scil. noctem, & post Cœnam; ad habitum, tunicam scil. inconsultilem, quâ Christus distribuens Cœnam indutus erat. *Resp.* 1. Hoc ita retorqueo. Non vĭderi ratione consentaneum Ecclesiam Anglicanam magis ad prędicamentum situs, hoc est retinendam genuflexionem sæculis aliquot istic stante artolatriâ obtinentem, per Episcopos obligari debere: quam ad *habitum* Sacerdotum missaticum; aut ad *quando*, hoc est, ad horas matutinas, quibus missæ celebrari solitæ; aut ad ubi, hoc est, ad chorum, ad altaria, ad angulos, ad sacella Sanctorum Templis contigua aut continua, ad capellas portatiles, in quibus missæ celebrari solent. Addo, cum genuflexio seu situs non sit *actio, sed tantum relatio inferioris notæ, actiones comes* (juxta Philosophiam Opponentis), cur magis eam ex Papatu retineri, & Ministros volentes nolentes justissimè ad

Digitized by Google

ad eam obligare (terminis his utitur eruditiſſ. *Davenantium* in *Determinationibus quæſtionum*, &c.) voluerunt, quam ad *panis elevationem*, ejuſdemque in proceſſionibus *circumgeſtationem*: quę non ſunt *relationes inferioris notæ*, nec per ſe & directè in minorum Gentium prædicamentis non prędicamentis, ſed in prædicamento actionis collocantur? Cur ad has aliaſque actiones & ceremonias tot ſæculis in Eccleſiâ Anglicanâ uſitatas, æque aut magis non obligârunt, quam ad genuflexionem? Quamcunque rationem hic dixerint, genuflexioni non minus, ſed multò magis aptari poterit. Audi modo Liturgiam Anglicanam ſub Rege Eduardo VI. ab Alezio in Latinum traductam *pag.* 41. *a.*

„ *Hæc dicantur ſine elevatione aut oſtenſione Sacramenti.*

Et pag. 44. *b.* „ Ut autem Cœna Domini revocetur, quantum fieri poteſt; „ ad primam inſtitutionem & morem primitivæ Eccleſiæ, conſtitutum eſt, ut „ in omnibus cathedralibus Eccleſiis & Collegiis, aliqui cum Sacerdote „ communicent. Parrochi autem ſignificabunt familiis, quas ordo tangit, ut „ offerant pretium ſolitum perſolvi pro pane benedicto, & ut ſe parent ad „ communionem.

„ Caveat autem ſacerdos, ne per Septimanam celebret, ſine communi- „ cantibus.

Et paulo poſt; „ Etſi autem in autenticis ſcriptoribus inveniatur, populum „ multis annis poſt Apoſtolos accepiſſe panem, & poculum in propriis manibus, & nullum extet præceptum Chriſti in contrariam ſententiam: Tamen, „ quia etiam legitur, eos ſępe clam ſubtraxiſſe Sacramentum de Menſa Domini, & ſecum domum detuliſſe, & abuſus eo ad ſuperſtitionem & impietatem. Propter hæc pericula cavenda, & uniformem modum per totum „ Regnum obſervandum, commodiſſimum videtur, ut populus accipiat „ Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini, de manu Sacerdotis.

Ulterius aſcendo ab actione ad qualitatem primi ordinis prædicamentum; cum quo tam debilis entitatis, ſeu mavis modus & entale *ſitus*, minime comparandus. Sæculis aliquot in Eccleſiâ Anglicanâ etiam poſt introductam reformationem ſub Rege Eduardo obtinuerat forma & figura panis nummularii: uti ſupra ex *Zanchii Epiſtolis* notavimus. Cur ad hoc τὸ ἀρχαῖον juſtiſſimè non obligârunt Miniſtros, & Communicantes, æque ac ad genuflexionem? Non dicent opinor τύχῃ hoc factum, non βούλῃ, mero arbitrio, non ratione: utique evertunt axioma illud 1 *Cor.* 14. ἐυχαριστῶμεν καὶ ἐυθέτως, & regimen Eccleſiæ faciunt irrationale, rectores minimè ſapientes: cum ſapiens nihil faciat fruſtra. Quęcunque rationes à devoto, à decoro, ab ædificatione, ab evitando ſcandalo, à ſignificatione, &c. à nonnullis congeruntur; etiam hoſtiis, panis elevationi, & circumgeſtationi, quin

Digitized by Google

& genuflexioni ad menſam extra uſum Cœnę eodem aut ſimili colore aptari poterunt. *Reſp.* 2. Sed obſervationis hujus abſurdum in ritibus precum evidenter oſtendamus. Idololatræ Baalitici geſtus inter precandum adhibebant inſolitos, non ſine ſciſſione punctură, ſanguinis miſſione 1 *Reg.* 18. coll. cum *Deuter.* 14. *v.* 1. *Levitic.* 19. *v.* 28. Alii Gentiles idololatræ Deos ſuos venerando, orando, hymnizando, iis ſacrificando, anniverſarios luctus in honorem eorum excitando, tripudiabant, diſcurrebant; chorizabant, coronas geſtabant, Fœminę paſſis capillis & capitibus detectis inconditos corporis motus & quaſſationes edebant. Vide de Mænadibus & Bacchi, Adonidis, Cereris ſacris collecta à *Natali Comite Lib.* 5. *Mythol. c.* 13. 14. 16. Qualia ex parte imitati videntur Iſraëlitę *Exod.* 32. *v.* 18. 19. & *Ezech.* 8. *v.* 8. & aliqui ex novitiis Chriſtianis 1 *Corinth.* 11. *v.* 5. Quin & hodierni Pontificii in ſuis flagellationibus ſpontaneis, nudipedalibus, aliiſque pſeudo-mortificationibus in proceſſionibus: de quibus *Nos in* 3 *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Proceſſionibus, & Pſeudo-mortific.* Muhammedani quidam Monachi circumgyrationibus devotiſſimas ſuas devotiones exercent, donec in terram concidant. Quid ſi alicubi exacto Gentiliſmo, Muhammediſmo, Papiſmo tales geſtus & corporum ſitus, quos Idololatræ precibus & devotioni ſuæ appropriârunt, retineantur, inſuper novè converſis & collectis in particulares Eccleſias Fidelibus per Epiſcopos aut Principes imponantur, & quidem ſub gravi pœnâ: an non pro libertate & liberatione ab hâc cum Idololatris ſymbolizatione, ab hac ſpecie & occaſione mali, allegare liceret, ad tales corporis geſtus & ſitus in precibus, nec mandato, nec exemplo Chriſti & Sanctorum nos obligari: ſed tutò obſervandos atque imitandos, pro re natâ, geſtus & ſitus tanquam humiliationis noſtræ, ſive partes ſive indices à Chriſto & Sanctis adhibitos. De quibus certi eſſe poſſumus, quod non ſint illiciti, tanquam juri divino aut naturali repugnantes, nec per ſe cum ſuperſtitionibus precantium Idololatrarum ſymbolizent: ſed contra, quod tuti ſint, decori, convenientes. Quid ſi huic communi Chriſtianiſmi conſenſui & praxi, opponantur inutiles illæ ſubtilitates, de entalibus quatuor prędicamentorum, quorum unum *ſitus* ſcil. (genuflexionis ſcil., aut corporis inclinationis, aut extenſionis manuum, &c.) in orationibus publicis aut privatis mandato Dei & exemplo Chriſti ac Sanctorum nec adhiberi nec ſuaderi poſſet, quin ſimul eorundem exemplo ſuaderi deberet conformitas in prædicamentis *quando*, *ubi*, *habitus*: ut ſcil. in inconſutili tunicâ, in pœnulâ, in veſte pilosâ, propter fluvium, ſub junipero, in monte, in ὑπερῴῳ, in lecto, nocte, mane, in meridie, apertis feneſtris, exemplo Chriſti, Eliæ, Danielis, Davidis, Pauli, &c. orarent. Hoc abſurdo conſequente ſi quis premat imitationem ſitus inter orandum, velim videre quid prædicamentalium

Digitized by Google

lium ſubtilitatum *ἐφέτων* reſponſuri ſint, ut propria vincta non cædant.

III. Obſervate *tertio*, quam debeat omne *factum exemplare* ita eſſe certum, ut non poſſet negari, &c. illud *ἀνακεῖσθαι*, quod eſt in euangeliis, an non innuit ſaltem geſtum triclinarem, &c. Imò omnino nego ex ſolo uſu iſtius vocabuli poſſe probari certam aliquam *ſpeciem ſitus*, &c. ſignificant ergo illæ dictiones *ex communi uſu loquendi*, actum illum quo nos deſtinatò applicamus alicui loco idoneo, cibi capiendi causâ, quorumque demum *ſitu* vel *poſiturâ* corporis id fiat, *ſtatu*, *ſeſſione*, *ingeniculatione*, *decubitu* propriè dicto, vel quolibet alio. *Reſp.* Non fuiſſe ingeniculationem à Chriſto & Apoſtolis tunc adhibitam, ſed geſtum menſarium, ex circumſtantiis textûs non tantum *admodum probabiliter* (quod ipſe concedit) ſed certò colligi poteſt. Cum autem apud Romanos, Judæos, alias quaſcunque gentes ſaltem flexis genibus cibus capi, convivia celebrari non ſolent (niſi forte aliqua inevitabilis neceſſitas cogat); & genuflexio in Cœnâ ſit ſolitus atque appropriatus artolatriæ etiam hodiè dominantis geſtus, tricliniari cuicunque geſtui ſubſtitui non poteſt, ſine indirectâ & interpretativâ ſuperſtitione. Huc applicanda invicta argumenta, quæ à nobis ex Scripturis, accedente Patrum conſenſu, allata ſunt *in* 3. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Idololatriâ indirectâ*. Tantum hic meditanda offero, 1 *Corinth.* 8. & 10. de idolothytis, & de excelſis 2 *Reg.* 18. 2 *Paralip.* 15. Et de non uſurpando nomine *baali*, ſed commutando cum nomine *Iſchi*: quæ utraque tamen eandem habent ſignificationem: quod tyronibus in lingua Hebræa haut ignotum eſt. Et Deus exſertè appellatur *boal Jeſa.* 54. *v.* 5. Vide *Hoſ.* 2. *v.* 15. 16. & ibi quoſvis *Commentatores*.

Quod ad criſim circa vocem *ἀνακειμένων Math.* 26. *v.* 20. remitto Lectorem ad *Grotii Notas in Math.* 26. *v.* 20. & *Jul. Ceſaris Bulengeri Lib.* 1. *de Conviviis cap.* 30-34. unde diſcet apud Aſſyrios, Græcos, Romanos, non tantum, ſed & apud Judæos obtinuiſſe morem in conviviis diſcumbendi ſeu accumbendi. Conferantur etiam, quæ de accubitu apud Judæos in convivio paſchali, ex Thalmudicis adducit *Joh. Lightfootus*, *in Horis Hebraicis ad Math.* 26. *v.* 20.

IV. „Obſervate *quarto*, novos hoſce Doctores noſtros legi illi, quam ita „ſeverè imponunt fratrum ſuorum conſcientiis, ipſoſmet interim non pa„rere. Si enim Chriſtus in ſacrâ Cœnâ inſtituendâ geſtu uſus ſit tricliniari, „&c. cur hoc Chriſti exemplum non imitantur? cur ſibi lectulos non pa„rant, &c. ut eodem quo Chriſtus & Apoſtoli geſtu ſacræ menſæ partici„pes fiant? A quo geſtu tam diſcedere certum eſt eos qui *ſtant* aut *ſedent*, „quam qui *in genua procidunt*. *Reſp.* abſurdè dicitur edentium aut convivantium

vantium ſtatum aut ſeſſionem tam recedere ab accubitu, quam geniculationem. Situs ſeu geſtus ſtantium & ſedentium ſive humi (ut *Mathei* 14. & 15.) ſive in ſcamnis aut ſellis eſt geſtus edentium, & genere ſeu analogiâ convenit cum accubitu (non diffitente hoc opponente): ſed geniculatio non eſt; nec puto *in Stuckii, Ciacconii, Bulengeri Antiquitatibus convivalibus, aut Scriptoribus de Moribus Gentium* (quales *Joh. Teutonicus, Schardus*, &c.) reperiri triclinia geniculantium. Hunc vel illum ſitum ſeverè conſcientiis non imponunt Eccleſiæ reformatæ, inter quas noſtra Belgica *in Synodo* anno 1578. *ſupra cit.* ſed à geniculatione abſtinendum ſuadent, quod geſtus ſit precantium, non Cœnam ſive profanam ſive ſacram celebrantium; quodque horrendæ artolatrię in Papatu appropriatus ſit; nec Chriſtus, Apoſtoli, apoſtolica & antiqua. Eccleſia eo uſi fuerint.

V. Cum opponenti non viſum fuiſſet reſpondere ad ea quæ ſibi objecerat, fidiculis quæſtionum adverſarios ſarcaſmis, maledictis, ἐξουθενισμοῖς oneratos ad incitas redigere ſatagit.

„*Quærit* ergo 1. Cum tam certum ſit Chriſtum ſi geſtu tricliniari uſus ſit „nec *ſtantem* comediſſe nec *ſedentem*, quam certum eſt eum, eo geſtu uſus „eſt non comediſſe *genibus ſubnixum*: cur non vi illius exempli tam obligemur à *ſtando* vel *ſedendo* abſtinere in ipſo communicandi actu & articulo, „quam ab *ingeniculando*? Ex iſtâ enim ſuppoſitione ſequitur, è tribus illis „corporis *poſituris*, nullam eſſe, quę non exemplo Chriſti æque deſtituatur, „*ac reliquæ duæ*, Æquum proinde eſſe, quod de quatuor ultimis prædicamentis paulo ante dictum eſt, ut pari fruantur ſingulę. *Reſp.* Memini referri alicubi à *Melanthone*, Doctorem Lembum Tubingę tempore Papatus ſolitum eſſe mathematicè Tranſubſtantiationem in tabulâ demonſtrare. Non procul abiiſſet, ſi geniculationi artolatricæ quatuor prędicamentorum ęqualitatem obtendiſſet. Sed ad rem. *Primo* præſupponitur aut ſumitur, quod probandum erat, geniculationem æque eſſe geſtum tricliniarem ac accubitum, aut ſeſſionem, aut ſtationem; & conſequenter æque illam, ac unam ex iſtis ἐγκριθέντας καὶ ἐνταῦθα tum in communi tum in Sacris ſive V. T. ſive N. T. Euchariſtiæ conviviis adhibendam, aut adhiberi ſolitam. Quod nos nec ex communi uſu, conſuetudine, moribus Gentium, nec ex *Scriptoribus convivalibus, modo cit.* nec ex *Scriptoribus de Civilitate morum Eraſmo, Guazzo, Caſa, Althuſio*, nec ex *Hiſtoriâ ſacrorum V. & N. T. conviviorum*, hactenus deprehendere potuimus. Non puto Opponentem aut quemquam patrem familias ſuſque deque habiturum, ſi domeſtici ipſius jentaculum aut prandium ſumant ſupini, proni, tripudiantes, caput ſcalpentes: hoc prætextu, quod ſecundum quatuor prædicamenta ſinguli illi geſtus & ſitus pari jure frui debeant; *pariterque univerſi vel ut rei damnentur, vel ut inculpati abſolvantur*;

ut

Digitized by Google

ut verbis ipſius *num.* 21. *p.* 96. hic utar. Fateor quidem non eſſe ſitus & geſtus illos intrinſecè malos, ita ut nullo in caſu poſſent honeſtari. Poſſet enim talis caſus incidere, ut quis ex vulnere aut morbo æger non niſi ſupinus cibum cogeretur capere, aut ut ab aliis per infundibulum aliquantulum juſculi aut cibi liquidi eidem deberet infundi. Poſſet etiam fieri, & aliquando factum eſt, ut trajectus per utrumque crus, in genua cogeretur procumbere, & hoc ſitu potum aut aliud quid oblatum accipere. Sed quis inde concludet, genibus ſubnixum eſſe aut ſupinum jacere, aut etiam pronum inſtar vermium, ſerpentum, catellorum, &c. eſſe geſtum cibo capiendo æque convenientem, ac alium quemcunque menſarium. Certè, cum prona ſpectent animalia cætera terram, & os homini ſublime datum ſit, natura nos docet (ut illud *Pauli* 1 *Corinth.* 11. *v.* 14. huc applicem) pronum aut ſupinum jacere inter convivandum, hominibus ſanis ac ſobriis haut convenire. Extremus neceſſitatis caſus exceptus confirmat regulam, Novimus utroque crure aut etiam alterutro pertuſo Heröes militares geniculantes ad tempus adhuc ſtrenue vibrando acinacem, pugnaſſe & hoſtibus urgentibus reſtitiſſe: ſed inde non inferemus, geſtu geniculantis, adde & ſupinati in hoſtem euntibus, in acie ſtantibus, vallum oppugnantibus, non magis aut minus in ipſo pugnandi actu & articulo utendum, quam progreſſus, ſaltus, curſus, ſtationis: quod ſcil. ſecundam quatuor ultima prædicamenta ſinguli geſtus & ſitus pari jure frui debeant. *Secundo*, Præſupponit & ſumit, non probat, æque convenientem eſſe uſum genuflexionis in Cœnâ, ac geſtus menſarii hodie in reformatis Eccleſiis recepti: quia ſcil. æque recedunt à geſtu accubitus & exemplo Chriſti, (*Matth.* 26. *v.* 20.) ac genuflexionis. Nos contra dicimus, geſtum ſeſſionis eſſe menſarium & convivalem, convivio communi & ſacro convenientem; atque adeo genere & analogiâ cum ſpeciali geſtu menſario, *accubitu* ſcil. à Chriſto ſecundum morem convivalem iſtic & tunc receptum, convenire: genuflexionem minime. Quæratur ex illis, qui honeſta & decora convivia, imprimis nuptialia, celebrant, qui quotidie domi ſuæ cibum capiunt, an corpora tam commode ad cibum capiendum, ad requieſcendum à labore, ad refectionem applicentur geniculando, quam ſedendo. *Tertio* præſupponit & ſumit, genuflexionem æque indifferentem eſſe ac ſeſſionem. Nos contra dicimus, cum genuflexio in Papatu appropriata fuerit, & adhuc ſit artolatriæ, à quâ arbitror Opponentem quam longiſſimè abeſſe: ſequitur ab hoc geſtu, qui eſt adorationis, tanquam ſpecie & occaſione mali, quo otiosè & periculosè ſymbolizare videmur cum Artolatris, abſtinendum eſſe: non minus ac ab Iſraelitis tollenda erant excelſa: quamvis alioquin materialiter, in ſe, & abſolutè ſpectata terra aggeſta æque indifferens eſſet, ac plana. Non repetimus *Diatribas de Idololatria indirectâ, de Superſtitione,*

tione, de Scandalo, alibi à Nobis exhibitas. Si Opponens contra Pontificios pro pane azymo, pro hoſtiis orbicularibus, pro ritu elevationis, pro artolatriâ, unâ cum geſtu genuflexionis appropriato contendentes, Eccleſiæ ſuæ hâc in parte reformationem defendendam ſibi ſumeret, videret quam non adamantina ſint hæc vincula queſtionum, quibus deſiderantes reformationem genuflexionis, conſtrictiſſimos putat.

„ Quærit 2. Unde fiat, ut alicujus gentis (puta Anglicanæ) *tacita conſue-*
„ *tudo* ſufficiat ad hoc, ut *geſtui triclinari* ſuccedat *ſeſſio* vel *ſtatio* ad menſam
„ communem; lex autem *poſitiva* ejuſdem gentis non ſufficiat ad hoc, ut
„ eidem *geſtui* ſuccedat *ingeniculatio ad menſam ſacram*? *Reſp.* Quæritur de diſparatis, aut toto genere diverſis, aut diſſimilibus: de geſtu ſeu ſitus modo in communi menſâ, & de eodem in menſâ Domini. Ubi poteſt per conſuetudinem, aut pro hominum arbitrio mutatio fieri, & ſitus ac geſtus quicunque (modo non repugnet rationi ac decoro naturali) adhiberi; idque abſque ullo periculo aut ſpecie ſymbolizationis cum ſuperſtitione & idololatriâ: hic non poteſt. Haut aliter ac jentaculum, aut merendam, domi foriſve vel ſolum panem abſque ullo potu, capere quis poteſt: non tamen panem ſacrum in Euchariſtiâ, abſque potu ſeu poculo. Medicè & diæteticè abſtinere ab omni cibo, aut à carnibus, aut ab omni opſonio (quod ξηροφαγία dicitur) eſt adiaphorum & licitum: religiosè, ſeu in negotio religionis, tali tempore, tali modo abſtinere cum Papatu aut cum Orientali Chriſtianiſmo non eſt licitum; quamvis poſitivâ lege & conſuetudine non Gentis unius, ſed omnium Gentium Chriſtianarum ſæculis aliquot uſque ad Eduardum VI. in Angliâ hoc obſervatum fuerit. Similiter in Regum & principum cultu & adoratione civili, pro conſuetudine locorum poteſt adhiberi & ſuccedere quicunque geſtus (modo non ſpiret idololatriam politicam, nec Juri divino aut naturali repugnet): ſed in religioſo Dei cultu ad obſervatum lumen Lunæ manum oſculari (*Job.* 31. *v.* 26. 27.), detectis Mulierum capitibus (1 *Corinth.* 11. *v.* 8.) aut ad ortum Solis, ad chorum & ſupremum altare in choro in Eccleſiâ orare non æque adiaphorum eſt & licitum. Quod ad rationem ſeu mavis amplificationem, quam ſubjicit: „Non po-
„ terit publicâ autoritate *ſancita lex*, populi etiam expreſſo conſenſu ſtabilita,
„ uſque diuturno & moribus comprobata id efficere, ut ſaltem *licitum*
„ deinceps habeatur, quod nulla legitimâ ratione conſtat, *fuiſſe* unquam
„ *illicitum*? *Reſp.* Eadem rationem pariter militare pro elevatione panis, pro hoſtiis nummulariis, pro pane azymo, pro communione ſub unâ ſpecie; quin & pro adoratione panis, pro miſsâ, pro altaribus &c. Quod ſi excipiat contra Pontificios, rationes eſſe cur iſta non obſtante lege, conſuetudine, antiquitate, univerſali conſenſu mutata ſint: reponimus, ubi rationes

Digitized by Google

rationes illæ explicatæ fuerint, eaſdem analogicè genuflexioni aptandas.

Quærit 3. „ An non exiſtiment, continuo peccare eum qui ad *menſam* „ *communem flexis genibus* cibum caperet: Si peccare dicant, &c. cedo ejus „ *legis præceptum* aliquod, contra quod ſic faciendo peccetur: ſi fateantur *ſine* „ *peccato* id fieri poſſe; an non animadvertunt eâ confeſſione ſua ſe vincta „ cædere, & argumentationis ſuæ vim omnem evertere? *Reſp.* Quæro ego viciſſim, ſi incurvato capite ad pedes, ſi pronus ſitu canis oſſa rodentis, aut ſitu ſerpentis pulverem lambentis, aut ſi ſupinus, aut qnacunque aliâ moleſtâ ac laboriosâ corporis poſiturâ prandium cœnamve caperet; aut cibum immediatè ore ſuo abſque attactu manuum ex orbe menſario in mensâ ſumeret (uti ego ab aliquo, ſed manibus deſtituto, perpetuo hoc factum novi, & ipſe aliquando vidi); aut in lecto decumbens, ab aliis per infundibulum, & per cochlear ingeri pateretur; aut hiante rictu inſtar canis objectas offas captaret, atque una pòtum inſtar canis ex pelvi lamberet? Intorqueat nunc quis Opponentis dilemma: Sic edens & bibens ordinariò, abſque ullâ ſcil. neceſſitatè, continuò peccat, aut non peccat? Si illud, cedo legem, contra quam peccat. Sin iſtud, &c. Rurſum quæro, An lege eccleſiaſticâ & conſuetudine, ad aliquod genus ſituum aut geſtuum modo memoratorum in ſe & per ſe indifferentium, Fideles in uſu Cœnæ æque aſtringi non poſſint, ac ad προσκύνησιν, geniculationem, & incurvationem talem; qualem canes domino blandientes, non vero homines ſani & ſobrii abſque neceſſitate, in cibo capiendo adhibere ſolent. Si negetur, aut affirmetur, peto rationes: quibus auditis, ilico conſtabit, propria vincta ab Opponente cædi, aut principium peti, & ex propriâ affirmatione theſim controverſiam defendi. Nihil reſtat, quam ut dicant, geſtum geniculationis magis convenire actui religioſo, quod ſit devotè adorantium & ſupplicantium. Regero, immo vel hoc ſolo eundem nobis omittendum eſſe: ut tam corpore quam animo, tam ſpecie quam re, ab horrendâ artolatriâ & artolatris genuflectentibus recedamus.

Quærit. 4. „ Si geſtus *accubitus* jam olim exoleviſſet, eique ſucceſſiſſet „ ſtatio vel ſeſſio ante primam illam Cœnam, &c. quæro, num ſi illi ſtantes „ comediſſent, nobis etiam ita *ſtare* neceſſarium eſſet, ut ſedendo peccare„ mus, & econtra. Si dicant nos *liberos eſſe ad utrumlibet*; omnino jacet „ argumentum ab *exemplo Chriſti* ductum: quia ſupponitur illum *alterutrum* „ tantum feciſſe, non *utrumque*. Si dicant nos præcisè teneri ad illam *ſpe*„ *ciem*, quâ ſupponitur *Chriſtum* ſuiſſe uſum; cur ergo ipſi tam ſeveri dictato„ res libertati cujuſque Eccleſiæ permittunt *ſtandi* vel *ſedendi* optionem? *Reſp.* Quæro ego viciſſim, an pane azymo ſit utendum, ut Pontificii vo-

Digitized by Google

lunt? Ubi illis reſponſum fuerit, uti Noſtri jam ſatis reſponderunt: ſponte ſuâ evaneſcet hæc quæſtio. Modo in genere ſit panis uſualis, ſatisfactum eſt. Si Chriſtus extra tempus feſti azymorum pane fermentato Cœnam celebraſſet, non tenerentur omnes Eccleſiæ, ſemper & ubique præcisè hanc ſpeciem retinere, ubi panis uſualis eſſet azymus. Sed ad rem: dicimus, ad ſpecialem aliquem ex geſtibus ſtationis, ſeſſionis, accubitus, aut ſi quis alius eſſet commodus & menſarius, nos non aſtringi: modo adhibeamus menſarium, ſecundum naturam & conſuetudinem cibo capiendo commodum, & convivio convenientem. Et ſi mos ac modus menſarius in conviviis tunc illic receptus fuiſſet ſeſſio aut ſtatio, & alterutro Chriſtus fuiſſet uſus; gentes nihilominus, ubi accubitus communiter obtinuiſſet, eodem geſtu in Cœnâ uti potuiſſent. Non tamen æque geniculationis: quod nec commodus ſit; nec hic aut alibi, olim aut hodie in cibo capiendo, in conviviis, in *diversis* uſitatus; conſequenter convivio huic ſacro abſque neceſſitate non applicandus; adde quod à periculo, ab occaſione, à ſpecie mali, à ſymbolizatione aliquâ cum artolatris non ſit immunis.

Quærit. 5. „ Si obliget nos exemplum Chriſti ad ſui, imitationem; cur „ determinetur hęc obligatio præcisè in *geſtu menſario*, quę eſt ſpecies *ſubal-* „*terna*; & non vel citerius ſtet in *genere* aliquo *ſuperiori*, vel ulterius pro- „ tendatur ad *ſpeciem* aliquam *inferiorem*? Hoc eſt quærere, quum ſint tria „ hæc, *Geſtus*, ut genus ſuperius, *Geſtus menſarius* ut ſpecies ei ſubalterna, *Ge-* „*ſtus tricliniaris* ut ſpecies infima; Chriſtus autem & *geſtu* uſus fuerit, & „*geſtu menſario*, & *geſtu tricliniarii*: cur *geſtus menſarius*, quæ eſt interme- „ dia ſpecies, cenſeri debeat ad rectam *Chriſti* imitationem & neceſſaria & „ ſufficiens; & non vel *geſtus aliquis* in genere ſufficiens, vel *geſtus triclinia-* „*ris*, in ſpecie neceſſarius? *Reſp.* Quæro ego viciſſim, cum ſufficiens non cenſeatur geſtus quilibet in genere, quamvis non ſit edentium aut convivantium, e. gr. ſaltantium, humi repentium, reſupinatorum, caput inter genua condentium, pedes & brachia decuſſantium, &c.? & cur magiſtri civilitatis determinent ad ſpeciem ſubalternam geſtum ſcil. menſarium? Si dicatur non eſſe geſtus illos cibo capiendo aut convivio celebrando convenientes & accommodatos, conſequenter indecoros: applicetur hoc ad quæſtionem præſentem; & nihil reſtabit. Sed potius quærendum fuiſſet cur determinetur ab eccleſiis reformatis contra geſtum genuflexionis; quam cur pro geſtu menſario. De illo maximè ſolliciti ſunt Reformati, tanquam de idolothyto, & excelſo artolatrico. Quod ad telas aranearum, quæ de genere, de ſubalterno, de ſpecie ſpecialiſſimâ necti videntur: applicet eas ad cibum tanquam genus ſuperius, ad panem tanquam ſpeciem ſubalternam, ad panem azymum tanquam ſpecialiſſimam. Quærat Pontificius, cur Reformatorum determinatio præcisè in

Digitized by Google

in pane uſuali, & ſuperius non ſtet in pane, tanquam genere ſuperiori; vel ulterius non protendatur ad panem azymum? Ubi illi reſponſum fuerit, ſimul Quæſitori reſponſum putabo. Quærat quis, de geſtu & ſitu corporis in precibus tanquam genere ſuperiori, & geſtu humiliationis tanquam ſpecie ſubalternâ, & genuflexione tanquam ſpecie ſpecialiſſimâ, cur in primo non ſubſiſtat determinatio Theologorum de praxi precationis dogmatizantium, tanquam in genere ſuperiori; aut ad tertium non protendatur, tanquam ad ſpeciem ſpecialiſſimam; & cur ad mediam ſeu ſubalternam ſpeciem ſolummodo obliget: ſpecialiſſimarum uſum libertati, & prudenti devotioni Fidelium relinquendo, ut poſitis ponendis, humi ſtrati, vel ſtantes, vel geniculantes, vel capite inclinato, vel erecto adorent.

Quæritur 6. „ Fueritne *geſtus triclinaris* à Chriſto & Apoſtolis in primâ „ Cœna adhibitus *imitabilis*, vel non? Imitabilem fuiſſe ſat ſcio nonnega„ bunt, &c. Quod igitur illi ultro largiuntur, libens accipio, & *propoſitio„nem*, ſcil. *Omne Chriſti exemplum imitabile* obligare Chriſtianos ad ſui imi„tationem; & *aſſumtionem* pariter, ſcil. geſtum illum in ſpecie, &c. quo „ Chriſtus in primâ illa Cœnâ uſus eſt; *eſſe imitabilem*. Ex his præmiſſis ſic „ colligo, Ergo vi illius exempli obligebantur *proximi* poſt Chriſtum *ſæculi* „ *Chriſtiani*, ad eundem *geſtum in ſpecie*, quo uſus eſt Chriſtus; ergo ſimiliter „ obligabantur & *ſecundi ſæculi*, itemque *tertii*, & ſic deinceps uſque ad hæc „ tempora, &c. aut oſtendendum eſt, quo tempore, quâ ratione, quo auto„re, quo jure & autoritate ſublata ſit illa *obligatio*. *Reſp.* Huic quæſtioni finali ſubjicit num. 22. triumphalem concluſionem, non ſine choragio inſultationum, & dicteriorum, quæ cum ſarcaſmis num. 15. 16. conjuncta, talia ſunt, ut nobis in præſenti ea præterire ſatius videatur, quam agitando eorundem fœtorem ſpargere. Accedimus ad quæſtionem, quam ſimili retundimus. Quæro ergo, An Chriſti exemplum ſit imitabile in ſolvendo telonio *Math.* 17. *v.* 37. in precando *Math.* 26. *v.* 44. *Luc.* 21. *v.* ult. in recipiendo baptiſmo *Math.* 3. *v.* 16. in prædicando euangelium *Math.* 5. *v.* 1. *Luc.* 5. *v.* 3. in recipiendo oſculo, etiam pedum *Luc.* 7. *v.* 45. cum 1 *Theſſ.* 5. *v.* 26. *Rom.* 16. *v.* 16. in profectione *Math.* 21. *v.* 7. in diſtribuendo pane azymo in Euchariſtiâ, in lavandis pedibus *Joh.* 13. Eſſe imitabile non poterit negari: præſertim de lotione pedum, quod exſertè Chriſtus imitandum præſcribit Joh. 13. v. 14. 15. *vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare: exemplum enim prabui vobis*, &c. Ergo per conſequentiam Opponentis concludent antiqui quidam & hodierni Neo-Anabaptiſtici in Angliâ μοδιαῖοι, ad ritum lotionis pedum obligabantur proximi ſæculi, & ſecundi & deinceps & etiamnum hodie obligantur omnes Chriſtiani, præſertim Paſtores; & quidem in frigidiſſimis climatibus; ubi alioquin pedes calefactione per igmen,

Digitized by Google

magis, quam refectione per aquam frigidam ordinariò indigent. Confer quæ ſupra *Fract. 1. cap. 7. pag.* 446. de pedum Lotione, & *cap. 8. pag.* 446. de Oſculo, commentati ſumus: unde reſponſio ad Opponentis quæſtionem & conſequentiam ſatis colligi poterit. Verbo tamen hic repetimus diſtinctionem, imitabilia exempla Chriſti aut Sanctorum à Chriſto & Spiritu S. probata, nos obligant ad imitationem, quod ad genus ſeu analogiam, non ſemper quod ad rei ſpeciem, aut ſpecialem agendi modum. Sic e.gr. baptiſmum recipientes, exemplo Chriſti non obligantur ad immerſionem in flumine; nec telonium ſolventes ad ſtateram; nec Deum in neceſſitate orantes, ad eandem precationem ter repetitam, *Math.* 26. aut ad noctem & montem; nec prædicantes euangelium, ad ſeſſionem in monte, navigio, templo; nec domum aut templum intrantes, ad oſculum; nec Paſtores aut Epiſcopi in Belgio, Galliâ, Angliâ, &c. in profectione, ad diem domini cum in & cum Eccleſiâ celebrandum, jumento utentes, ad aſinum: nec Cœnam diſtribuentes ad panem azymum (de quo vide *ſupra Sect. 4. cap. 1. pag.* 733.); nec Paſtores verbis & operibus humilitatem, caritatem, officioſitatem inculcantes, ad lotionem pedum. Similiter ſtatuendum de laudato per Chriſtum exemplo viduæ paupercułæ *Luc.* 21. *v.* 3.4.: quia eo ipſo non obligantur tenuiores ad duo minuta æreola, quod ad ſpeciem aut valorem. Spontaneæ oblationis exemplum *Actor.* 2. & 4. eorum qui agros & domos vendebant, & Pauli euangelium Corinthiis ἀδάπανον prædicantis 1 *Corinth.* 9. imitabile eſt, & abſolutè ac ſemper ad imitandum nos obligat, ſed κατ' ἰσοτιμίαν aut ἀναλογίαν; non autem in ſpecie; niſi hypothetice, poſito ſimili caſu, poſitâ re in ſimilibus circumſtantiis. Imitatores Pauli debemus eſſe, ſicut ille Chriſti 1 *Corinth.* 11. *v.* 1. Jam vero *exemplum* dilectionis imitandum reliquit nobis Chriſtus 1 *Petr.* 2. *v.* 21. 1 *Joh.* 3. *v.* 16. cum animam poneret pro hominibus, & quidem inimicis: ergone etiam in ſpecie, ut ſolvendo debita eorum liberemus eos à pœnis peccatorum; quod volunt Pontificii in aſſertis de ſatisfactionibus, indulgentiis, jejuniis, flagellationibus, aliiſque mortificationibus. Genus ſuperius hic eſt, dilectio & beneficentia erga proximum: ſpecies ſubalterna, etiam per paſſiones, & jacturam famæ, bonorum, ſanitatis, vitæ; ſpecies ſpecialiſſima eſt, beneficentia pœnalis ad liberationem ejus à debitis peccatorum. Si excipias, hoc tertium non eſſe imitabile & imitandum: regerent Pontificii, hanc eſſe petitionem ejus quod inter nos & ipſos in quæſtione eſt; & ex poſitâ regulâ & conſequentiâ Opponentis, ubi genus, & ſpecies ſubalterna conceditur, etiam ſpeciem ſpecialiſſimam concedendam eſſe, hoc ſequi. Et ſiquidem abſurdum hoc dicatur, abſurdam ergo eſſe illam regulam & majorem propoſitionem Opponentis, unde talis abſurda concluſio ſequitur. Ut finem faciam, addo verbi Miniſtris imitandum

Digitized by Google

dum esse exemplum humilitatis, simplicitatis, & modestiæ Christi in vestitu, & omnem vanitatem, pompam, luxum in vestibus, nominatim aulicorum *Math.* 11. v. 8. illis fugiendum esse. Ergone ad tunicam ejus & quidem inconsutilem hoc protendendum erit? ergo nulli Ministro quâcunque in gente, nec togâ, nec pallio utendum? Vide nunc quo inconsutiles & vanæ Opponentis consequentiæ nos deducturæ essent. Quæ tamen in ventum sparsæ, rationes contra genuflexionem à *Reformatoribus Puritanis* (uti eos appellat) & à nobis pro canone Ecclesiarum Belgicarum in Synodo Dordracenâ anno 1578. supra exhibito adductas non attingunt; nec ullam vel umbram rationis pro eâdem genuflexione conficiunt: Quod tamen agendum erat; ut constaret hunc gestum, quamvis non mensariam, non sine ratione præ sessione aut alio gestu in sacri convivii celebratione Ministris & Ecclesiis volentibus nolentibus alicubi, & quidem sub pœnâ justissimè imponi: & sic magis, saltem non minus evitari omne periculum, omnem speciem symbolizationis cum genuflexione artolatrici Papatus: de quibus, & labyrintheis circa eas scrupulis ac quæstionibus *Gavantus tom.* 1. *Thesauri part.* 1. *tit.* 17. De exemplo, imitatione, scandalo; in genere alibi nobis dissertatum est: unde lux quęstionibus ab Opponente propositis inferti posset.

De Panis Elevatione.

Panis elevationem à Christo non adhibitum, nec ullius necessitatis aut §. 4.
utilitatis esse asserimus. Pontificii eam tanquam suæ artolatriæ convenientem observant, & præscribunt, *in Missali pag. D.* 4. edit. Plantinianæ in fol. num. 5. ut hostia per quinque verba jam consecrata à Sacerdote genuflexo adoretur, & deinde in *altum elevetur*, &c. & *populo reverenter* ostendatur adoranda. Quod idem de elevatione & adoratione calicis pag. eâdem num. 7. præscribitur. Hunc ritum indicari ajunt, *Psal.* 72. (ipsis 71.) *v.* 16. „Exponente (inquit *Gavantus Part.* 2. *tit.* 8. *num.* 5. *ad cit. rubricam Missalis*) „ Rabbi Jonatha, qui vixit ante Christum, in Libro collectionum: Fiet pla„centa panis sacrificium in capitibus Sacerdotum qui sunt in Ecclesia. Quam feliciter hebraizet & rabbinizet, judicent qui vel levissimè hæc studia attigerunt. Textus Hebraicus nihil tale habet, nec Latinus vulgatus, nec Græcus (qui tamen ipsis authentici), nec translationes Pagnini, Montani, Pratensis, Campensis, Muis; ut nec Chaldaica, Arabica, Syriaca, Æthiopica. Trahunt nihilominus hunc textum ad missam & hostiæ elevationem Lyranus (quem primum fatetur *Lorinus in Comment. ad Psal.* 72. hoc egisse) Burgensis, Antoninus, Valentia, Galatinus, aliique *ibid. à Lorino cit.* A quibus, ut & Joh. Steph. Duranto auxiliares copiæ Rabbinorum advocantur, posthabitis

Digitized by Google

ſcil. & deſtituentibus ipſos Patribus; ex quorum interpretatione geminum Scripturæ ſenſum alias petendum dictitant: Inter Rabbinos deſignatur à *Galatino Lib. 10. de Arcanis cathol. verit. cap 4. Jonathan in Paraphraſi Pſ. 72.* Sed hæc Paraphraſis nuſquam comparet. Quæ à Pontificiis in Bibliis Polyglottis Regiis Antwerp. & Pariſ. & à Noſtris in Londinenſibus edita eſt Paraphraſis Chaldaica, nihil tale habet. Quantum autem fidendum ſit citationibus Galatini, jam pridem *Buxdorfius, aliique ex Noſtris* monuerunt: Nec alias tanti ipſum fieri apud ſuos, ex *Sixti Senenſis* & *Poſſevini* de illo judiciis, haut obſcurè colligi poteſt. Sed miſsâ hâc elevationis probatione notandus nobis finis principalis, qui eſt adoratio hoſtiæ. Hinc eſt, quod ad *cit. Rubricam Miſſalis*, monet *Gavantus*, hoſtiam non elevandam ita ut videatur in ipsâ conſecratione: ne tunc nondum conſecrata adoretur. Alias myſticas rationes, vide apud *Durantem Lib. 4. Rationalis cap. 41.* & *Joh. Steph. Durantum Lib. 2. cap. 40.* ubi ait ritum elevationis ab initio uſitatum fuiſſe, idque probavi autoritate R. Jonathan, qui vixit ante Chriſti nativitatem. *Ibidem* refert errorem Begardorum & Beguinarum, qui ſtatuebant quod in elevatione corporis Chriſti non deberent Fideles ſurgere, nec ei reverentiam exhibere. De quo vide *Jus canonicum in Clementin. tit. de hæreticis cap. ad noſtrum. Joh. Baptiſta de Rubeis in novo Rationali divinorum officior. lib. 2. cap. 73.* has adfert rationes, quia omne ſacrificium debet cum aliquâ elevatione in aëre verſus Deum fieri *Levitic. 23.* » quia ſignificat Chriſtum elevatum in cruce, & oſtenſum populo poſt ſuam crucifixionem: quia voluit ſic elevari, ut ſanctificaret aërem ſuo flatu, ſicut ſanctificabat terram ſuo ſanguine: *vel elevando, quaſi dicat Sacerdos in tali actione, ô Pater peccavimus & te ad iracundiam provocavimus; ſed nunc reſpice in faciem Chriſti tui & miſerere noſtri. Bonaventuram in Libro de Myſteriis* octo elevationis cauſas morales & pias adferre teſtatur *Gavantus Loc. cit.* Ex Recentioribus *Cardinalis de Richelieu in Tract. Gallico contra Miniſtros Charentonenſes* anno 1630. *cap. 6. ſect. 3.* elevationem defenſurus, hanc ejus rationem adfert, quod cum Euchariſtia ſeu Miſſa ſit ſacrificium, elevatio hoſtiæ propriè ſignificet oblationem. Ubi citato textu *Levitic. 8.* ſubjicit in N. T. hunc ritum ab Apoſtolis deſcendere; idque haberi per traditionem: quod probat, ex *Baſilio Lib. de Spiritu S. cap. 27.* & *Liturgiis Baſilii ac Chryſoſtomi*, nec non *Dionyſ. Areopagitâ*, denique ex autoritate Eccleſiæ. Concludit eam non eſſe mutandam, ſed ſollicitè ſervandam: cum nullus Scripturæ textus adferri poſſit, qui eam prohibeat. *Joh. Steph. Durantus* ex Dionyſio & Maximo originem & antiquitatem elevationis apud Latinos aſtruens, rejicitur à *Goar in Notis ad Euchолog. Græcorum pag. 146.* ubi aſſerit non plane conſtare: nihilominus contra Pleſſeum Concilio Later. ſub Innocentio 3. anno 1214. originem ejus adſcribentem allegat

Digitized by Google

gat versus Hildeberti (qui Episcopus Turonensis & Cenomanensis floruit circa annum 1090.)

Tollit utrumque manu, cum sit communibus escis
Altior, & quiddam majus utrumque ferat.

Dum illi contendunt de origine, nec certi esse possunt esse prius, hoc est, ab Apostolis, & non esse posterius: Nos in hoc axiomate acquiescimus, sublatis causis tolli causatum. Si ergo probetur (uti à Nostris abunde probatum est) Eucharistiam non esse sacrificium propriè dictum, nec panem in Christi corpus transubstantiari, ideoque nec hostiam adorandam: jam sponte corruit elevatio, quę propter rationem sacrificii à *Richelio*, & propter rationem adorationis *ab aliis* supra *cit.* & *ab ipso Missali*, adhibenda dicitur. Apud Grę-cos elevatione aliquâ panis, quem μαναγίαν h. e. Mariæ virginis appellant, utuntur, etiam extra Eucharistiam, in mensis privatis, & cum quis iter aggressurus est, idque in honorem Mariæ, & in paschate in memoriam resurrectionis Christi. De hujus panis consecratione, videndum *Euchologium Græcorum, & Notæ Goar pag.* 865. 867. De elevatione in Eucharistiâ dubitare Nos non sinit Missa, quam ita vocant, Chrysostomi *Euchologio* inserta pag. 81. *cum Notis Goar pag.* 146. Apud Armenios eandem obtinere testis est vir doctus ἀνώνυμος apud *Hottingerum in Topograph. ecclesiast. c.* 3. *p.* 65. Ubi magnâ reverentiâ & sonitu tintinabulorum elevant & inter elevandum populus pectus pulsat, cruce se signat, terque osculatur terram. Ritus hic cum primo ortu pertendentis in Occidente reformationis, rejectus fuit in Germaniâ, Helvetiâ, Angliâ, Galliâ, &c. De Germania discimus ex *Lutheri dicto* quod sit *idololatrica*: quamvis de eâ actu & universaliter abolendâ aliter in fervore contentionis contra Carolostadium (*Lib.* 1. *c. cœlestes Prophetas fol.* 20. *& seqq. Tom.* 2. *German.*) locutus videatur. Quo nomine ab adversariis apud *Fitz Simonem Lib.* 3. *Britannomachiæ*, &c. *p* 269. & apud *Cardinalem de Richelieu loc. cit.* exagitatur. Cythræus in Prælect. de Baptismo & Cœnâ sect. 5. tit. de *elevatione* pag. 485. præmissâ ἀδιαφορίᾳ ex sensu Lutheri loc. cit. mentem suam sic aperit.

„ Sed tamen quia multæ impiæ & Idololatricæ opiniones ac superstitio-
„ nes hùic ritui apud Pontificios adhærent: rectius est omittere Elevatio-
„ nem sacramenti, quàm vulgi errores & cultus Idolatricos, nostro exemplo
„ confirmare, sicut Christus lotiones Pharisæorum & alias traditiones, sua na-
„ tura adiaphoras omisit, ut annexas illis impias & Pharisaicas opiniones,
„ quòd servatu necessarię, aut cultus Dei vel justitia coram Deo sint, vel meri-
„ ta remissionis peccatorum, taxaret. Est autem ritus levandi, sacramentum,
„ nervus & vinculum persuasionis de oblatione corporis & sanguinis Christi
„ in Missa, pro expiandis viventium & defunctorum peccatis, ex opere ope-
„ rato.

Accedar,

Digitized by Google

Accedat, quod praxis nulla apud Lutheranos hodie ſupereſſe videatur: quia *Eckhardus in Faſciculo cap. 27. Himmelius in Collegio Irenico diſp.* 8. aliique Recentiores ejuſdem non meminerunt: ubi ex profeſſo de adiaphoris illic adhuc uſitatis, diſſerunt. Bucerus in Retractatione de Cœnâ præmiſſâ Commentar. ipſius in Johannem anno 1536. editis & poſtea Scriptis Anglicanis anno 1577. inſertâ pag. 658.

„Die aſcenſionis poſt peractam liturgiam, cum D. Pomerano egimus, „quid ſibi vellent, imagines, pompoſas Papiſtarum veſtes in celebratione „miſſæ adhiberi ſolitas; candelas item, elevationem, & panis veneratio„nem retinendo, quibus noſtri haud dubiè offenderentur. Harum enim re„rum maximum fuiſſe abuſum, & metuendum eſſe ne ea ratione apud ſuos „ſuperſtitionum ſemina foverent, & Papiſtas in erroribus ſuis confirmarent. „Ad quæ D. Pomeranus reſpondebat: Abuſum iſtarum rerum ita à ſe & „omnibus oppugnatum, & adhuc quotidie oppugnari, ut nec Papiſtæ inde „aliquid præſidii petere poſſint: nec in ſuis ſuperſtitionibus confirmari.

Et paulo poſt: „Ut autem ſit conſpicuum, ſe, quòd ad ſuas perſonas atti„net iſta non multum morari: ideò ſolere ſe S. Cœnam ſæpius ſine candelis, „veſtimentorum pompis, & elevationis ritu, fortaſſis aliquanto etiam ſim„plicius quàm apud nos fiat, in ſuis Eccleſiis celebrare.

„Quantum vero ad elevationem ſacramenti, non ſe ideò id facere, ut „id adoretur (quamvis ubique adorandus ſit CHRISTUS, id quod ex„terna quoque ſignificatione præſtari poſſit, ubicunque videlicet ejus ad„moneamur) ſed relinquere ſe iſta, cum ex longi temporis conſuetudine „profecta ſint: decere præterea ut Domino hoc modo gratiæ agantur pro „hujus ſacramenti, & eximiarum promiſſionum illi adjunctarum inſtitutio„ne & exhibitione. Cum vero pericula multiplicium abuſuum apud Vete„res & noſtros uſitatorum, & quanta pontificiorum per hæc in errore ſuo „fiat confirmatio, ipſi objiceremus, eaque urgeremus, fatebatur & ipſe & „alii, cupere ſe quidem elevationem commoda aliqua ratione ſublatam „eſſe, cum ejus rei nullum expreſſum mandatum extet. Spem quoque ali„quam faciebant, ſucceſſu temporis hæc emendari poſſe, cum in multis Ec„cleſiis amplius uſitata non ſit. Quin & in Haſſia tum ipſam elevationem, „tum veſtium ornatum omnem remotum eſſe, in aliquibus ſaltem locis fe„ſtis diebus illorum uſum manere.

Melanthon in conſiliis part. 2. pag. 147. „ad *Joh. Matheſium*: ſcio eſſe ma„gnas & juſtiſſimas cauſas abrogandæ elevationis. Et pag. 148. *ad Joh.* „*Schlag. Paſtorem Eccleſiæ Coſenſis* a. 1550. Etſi multa diſputata ſint à multis „de elevatione ſacramenti, tamen in Eccleſiis noſtris placuit eum morem „mutare, quod allegata hâc elevatione, alii confirmabant morem circumfe„rendi & adorandi panis.

Et

Digitized by Google

Et pag. eâdem & 149. refert Lutherum anno 1542. suo judicio non relatâ re ad aliorum deliberationem, jussisse omitti ritum seu offerendi seu levandi sacramentum, & sciscitantibus, tres allegasse rationes: quarum *prima* quod ritus ille nervus sit illius impiæ persuasionis fingentis sacrificulos offerre Christum pro vivis & mortuis, & hâc oblatione eos mereri remissionem peccatorum. *Secunda*, quod eo confirmetur circumgestatio sacramenti, ejusdemque ratio extra usum institutum. *Tertia*, quod populus opinetur bonum opus esse videre illum ritum elevandi, & eo viso concipiat falsam fiduciam, & negligi pœnitentiam & veram manducationem. A quâ opinione liberandus est. „ *Hæ rationes*, ait Melanthon, *multas Ecclesias moverunt, ut Lu-*„*theri exemplum imitarentur.* Abolitus est enim in Ecclesiis Electoratus „ Saxonici, in pluribus Misniæ & Silesiæ, in totâ Thuringiâ, in omnibus Ec-„ clesiis Saxoniæ instauratis, Hamburgi, Lubecæ, Luneburgi, Brunswigi, in „ totâ Pomeraniâ, in Ducatu Mecheleburgensi, in Daniâ. *Zepperus Lib. 1. Polit. eccleſiaſt. cap.* 12. eam inter Papisticas ceremonias numerat, ab Honorio 3. anno 1226. impositam, & *Juri canonico Lib.* 3. *Decretalium tit. de celebrat. Missarum* insertam. In Ecclesiâ Anglicâ sub Eduardo VI. eandem expurgatam fuisse constat ex *Liturgiâ* tunc editâ, & in latinum ab Alesio Scoto Theologiæ Professore Lipsiensi traductâ. Verba paulo ante exhibuimus. Quibus addimus, ipsius Alezii sententiam Buceri scriptis Anglicanis in Præfat. ad dictam Liturgiam de abrogatione Elevationis insertam pag. 375.

„ Jam quis nescit temporum momenta & inclinationes multa monere, „ quædam subjicere, non etiam nulla extorquere?

„ In hoc genere pono & abrogatam ostensionem consecrati panis atque „ calicis, quam Elevationum vocarunt, elevantem hanc quidem in multis „ locis tanti Sacramenti pondus & excellentiam. Neque ideo tamen damna-„ mus eos qui hunc gestum ostensionis absque impietate aut superstitione „ retinent. Utriusque enim in re non necessaria suum judicium relinquen-„ dum est. Non voluerunt scilicet in hac parte Britanni aliquid quod dubium „ videretur, aut cogitationes humanas sequi.

De Helveticis, Gallicis, Scoticis, Belgicis Ecclesiis certum est. Videantur *Calvini Epist.* 14. *&* 45. *ad Farellum.* Et *Epist. Sulceri ad Calvinum. Martyr de Eucharistiâ c. Gardinerum ad object.* 39. *Beza Epistol.* 8. *Hospinianus Part.* 1. *Historiæ sacramentar. cap.* 6. *pag.* 372. ubi etiam refutat rationes Hardingi, Bellarmini, Sanctesii. *Juellus c. Hardingum. Chamierus Lib.* 2. *de Eucharistiâ cap.* 2. *Polanus in Thesibus. tit. de Missâ. Bucanus in Locis comm.* Conferantur omnes *Reformatorum Liturgiæ*: quę indicatis ritibus & ordine Eucharistiam celebrandi, elevationem omittunt. Et dicta Nostrorum quibus rituum in cultu Dei, & in specie in administratione Cœnæ simplicitatem,

Papiſticarum abrogationem, commendat, elevationi applicanda. Vide *Calvinum Lib.4. Inſtit. c.14. & 17. Epiſt. 14. 38. 45. 193. 259. Martyrem, Epiſt. ad Polonos. Bullingerum Decad. 5: ſerm 6. qui eſt de Cœnâ. Zanchium in Epiſt. Dedicat. ad Reginam Elizabetham, Confeſſioni præmiſsâ. Bucerum in Cenſurâ Ordinat. Anglic. cap.4. & 8. Bezam Epiſt. 12.* Hinc conſtat, quo jure *Caſp. Finckius* tunc Philoſophus poſtea Theologus Gieſſenus *in Diſp. aliquâ* impegerit Reformatis, ritum elevationis; illudque contra Diſp. apologet. adverſarii ſui (Goclenii ſcil. ni fallor) defenderit *in Schediaſmatis* anno 1607. editis, *Part, 1. ſched. 2.* Rationes pro abrogandâ elevatione prudenter & ἐυσεβῶς juxta conſilium *Melanthonis loc. cit.* ſufficere poſſent à Lutheroallatę, & à tot Eccleſiis exemplum ejus ſequentibus probatę. Non pigebit tamen rationes hic exhibere, quas in gratiam Viri docti ante annos aliquot (11. Martii 1658.) judicium meum de elevatione expoſtulantis ἐξιδίασεν:

I. „ Elevatio nihil ex inſtituto divino habet myſticum, aut ſpirituale, aut „ſacrum, ad res ſpirituales producendas, aut promovendas, aut ſignifican„das, aut commemorandas, aut certificandas. Hoc enim ſi eſſet, colligi & „demonſtrari deberet ex Verbo Dei: uti hoc fit in uſu & defenſione fra„ctionis panis. Sed tale verbum de elevatione nullibi exſtat, Non debe„mus ergo ſapientiores eſſe Deo, nec ad ſpeciem φιλοθρησκείας dilabi.

II. „ Nec eſt ritus ex neceſſitate & ratione naturali adhibendus; ſicuti „eſt e. gr. ſumtio panis & calicis in manum à Miniſtro diſtribuente, & à „ Communicantibus accipientibus peragenda.

III. „ Nec eſt ritus communis & civilis decori, in ſumtione cibi & potus „adhiberi ſolitus: ſicuti e. gr. eſt decora & ordinata Communicantium ac„ceſſio ad menſam, ad eandem ſeſſio, ab eâdem receſſio, decora panis man„ducatio, vini bibitio. Uti enim in convivio quolibet communi, ſic & in „hoc ſacro requiſita civilitas morum & εὐταξία ſervanda eſt.

IV. „ Relinquitur ergo, eſſe ritum & factum otioſum, ſi in ſe ſpectetur: „à quo tutius in cultu divino abſtinetur: quia rationem reddere non poſſu„mus, cui bono illud fiat. Atqui ad verbum quodlibet otioſum attendere „debemus *Math.* 12. quidni etiam ad factum? Et ſapiens nihil facit „fruſtra.

V. „ Si non tantum in ſe, ſed cum omnibus circumſtantiis factum hoc „ſpectetur, non eſt ſine omni ſpecie mali 1. *Theſſal.* 5. hoc eſt, ſine apparente „ſymbolizatione cum elevatione hoſtię miſſaticæ, quæ tanquam ſacrificii „proprie dicti, & ad adorationem in Papatu fieri ſolet; & aliquando occaſio „Infirmis aut Ignorantibus aut Poſteris noſtris eſſe poſſet mollus de cele„bratione Miſſæ Papalis aut de adoratione hoſtiæ ſentiendi; & ſic paulatim „ad ſymbolizationem cum ſuperſtitione relabendi.

His

„ His & ſimilibus factis tum otioſis tum ſpecie ſeu apparentiâ malis, ap-
„ plicari debent illa, quæ de tollendis excelſis in V. T. & de idolothytis in
„ N.T. (1 *Cor.*8. & 10.) leguntur; & quæ hactenus à reformatis Doctori-
„ bus, & à Nobis *ſupra de Hoſtiis nummulariis*, & *Genuflexione*, *hujus Libri*
„ *tract.* 1. *cap.*7. §.4. monita ſunt.

VI. „ Tolerari tamen poteſt, in Eccleſiâ illâ, ubi propter præſentiſſimum
„ ſchiſmatis, aut gravioris perturbationis & concuſſionis periculum nunc
„ tolli non poteſt: donec Hominibus privatim primum, deinde & publicè
„ (ſi Miniſtri aut Miniſtrorum prudentia ſuadeat hoc eſſe neceſſarium, aut
„ admodum utile), rectè informatis, tutò & tempeſtive per Miniſtros aut
„ per Presbyterium (ſiquidem ibi ſit), præ habitis etiam aut accedentibus
„ majoris, aut ſaltem melioris partis in illâ Eccleſiâ ſuffragiis, publica mu-
„ tatio introducatur. Ad quod perficiendum, nulla occaſio prętermitten-
„ da. Quod ſi tamen plures unius Eccleſiæ Miniſtri in hoc minimè conſen-
„ tiant; poterit ille, qui ſentit ab hâc elevatione abſtinendum eſſe, præmo-
„ nitis primum, quotquot poterit, Eccleſiæ ſuæ Membris, imprimis & Col-
„ legis diſſentientibus, modeſtè & abſque ſtrepitu ab eâ abſtinere: ſic tamen
„ ut abſque præſentiſſimo periculo formandi ſciſmatis, aut orituri tumultus
„ id fiat. Quo in caſu tutius eſſet illâ vice à diſtributione Cœnæ abſtinere,
„ & exſpectare donec Collegæ & Membra Eccleſię (plura ſcilicet aut me-
„ liora), hujus cauſæ bonitati, aut ſaltem conſiliis pacificis locum dede-
„ rint. Quod ſi neutrum impetrari poſſit, conſilium in arenâ ſumendum
„ Deoque cętera committenda.

Addo Judicium & conſilium meum (11. Martii 1658.) de abrogandâ ele-
vatione, poſt illud tempus ſcriptum; & poſtulantibus quibuſdam doctis & amicis Viris traditum; quod ſic ſonat:

„ Lecto exemplari Epiſtolæ, quâ Reverendus & Eruditiſſimus Vir N. N.
„ docet, omittendam eſſe elevationem panis & calicis, ante ipſum diſtribu-
„ tionis actum, non potui non in illa determinatione ſubacto ipſius judicio
„ accedere. Tantum ex circumſtantiis omnibus, mihi hîc ignotis, pruden-
„ ter ſtatuendum cenſeo, an in hac aut illa particulari Eccleſiæ *ἐν καιρῷ* mu-
„ tatio aliqua fieri poſſit, nec ne. Notum eſt panes orbiculares, aliaque alibi
„ à Reformatis, propter populi infirmitatem, & ad pręſentanei ſchiſmatis
„ evitationem, ad tempus fuiſſe tolerata. Hoc ergo agendum, ut datâ qua-
„ vis occâſione, miſſa, & miſſatici panis adoratio, eique ſubordinata *eleva-*
„ *tio & oſtentatio*, in Papatu ſervari ſolita in luce ponatur: Sed primum abſ-
„ que applicatione; quæ tamen privatim negligi non debet. Hoc prodro-
„ mo pręmiſſo, & in familiaritatem ab Auditoribus admiſſo, poſtea ordine
„ accedi poteſt, ad modeſtam & verecundam *inutilis illius ceremoniæ* cenſu-

„ram, vel ſi mavis explicationem. Sed imprimis privatæ inſtructiones gla-
„ciem hîc frangent. Quibus peractis deliberandum, an bona cum venia, ſi
„non omnium, aut plerorumque ſaltem eorum, qui columnæ videntur iſtius
„Eccleſiæ, mutatio inſtitui poſſit. Atque hoc ordine, à recte ſentientibus
„agendum cenſeo. Quod ad Miniſtros diſſentientes, eos tolerabunt & ſi-
„deliter monebunt, ne pro hoc πυρετικῷ ἀγτήματι tanto zelo con-
„tendant, & ſic nimium altercando veritatem amittant. Si adiapho-
„rum vocant, quâ conſcientiâ libertati fratrum melius ſentientium præ-
„judicant, & tantas ipſis moleſtias faceſſunt. Videant ne ipſis eveniat
„quod nonnullis N. N. pro crucibus, imaginibus, altaribus, &c. bel-
„la gerentibus, qui in fervore contentionis, ſenſim ſine ſenſu, ſi non
„ad vomitum, ſaltem ad odorem vomitûs papalis relapſi ſunt. Θεὸς ὁ
„μυκτηρίζεται.

LIB. II. TRACT. III.

De Agendis ordinariis privato-publicis.

CAP. I.

De Catithezibus.

§. 1. AGenda ordinaria privato-publica ſunt trium generum. Alia enim magis & propius pertinent ac referuntur ad cognitionem & praxim fidei: alia ad prudentiam & ordinem regiminis: alia ad caritatem. *Primi generis* ſunt Catecheſis; Prophetiæ ſeu collationes circa Scripturarum explicationem, & concionum Repetitionem: dubiorum Solutiones; caſuum Deciſiones, Conſilia theologica; domeſticæ, Inſtitutiones rudiorum, Convictiones errantium, Conſolationes, Adhortationes, Correptiones: quibus omnibus inſerviunt Viſitationes tum ſingulorum tum familiarum, tum ſcholarum. Vide de Viſitationibus infra *Part.* 3. *Secundi generis* ſunt, Conciliationes diſſidentium aut contendentium: Præmonitiones de agendis, aut vitandis. *Tertii generis* ſunt, cura pauperum, agapę, &c. Circa Catecheſes, conſideranda 1. Earum neceſſitas, 2. Qui catechizandi 3. Per quos. 4. De quibus. 5. Qui modus, & quæ ratio in catechizatione ſervanda.

De neceſſitate origine, antiquitate jam ſatis ſuperque ſcriptum eſt ab Antiquis & Recentioribus: ut ſupervacaneum ſit ubivis obvia hic repetere. Sunt in manibus *Prolegomena & Præfationes* editorum *Libellorum & Commentariorum*

Digitized by Google

riorum catecheticorum ad catechesin Palatino Belgicam, Ursini, Kuchlini, Altingii, &c. Quibus adde *Zepperum Lib. 3. Polit. eccles. Arctium Part. 3. Problem.* & peculiares *Tractatus de Catechesi*, quales *Hyperii* insertus Opusculis ejus theologicis, qui luculenter Antiquorum rationem in catechizandis adultis ex Gentilismo aut Judaismo ad Ecclesiam accessuris exposuit: quò Lectorem remitto. Conferri possunt, quę de adultis ejusmodi catechizandis in genere monentur, à *Possevino in Bibliothecâ selectâ Lib. 4.* & *Thomâ à Jesu de Conversione omnium Gentium Lib. 11. part. 2. & Lib. 12.* Specialia & applicata ad corruptelas Romanas ipsis relinquenda. *Possevinus in Appar. sacro in voce Catechesis*, indicat Ludovicum Carbonem optimè scripsisse de utilitate Catechismi. Antiquorum testimonia de Catechismo indicat *Hyperius Tract. cit.* Notus est *Augustini Liber de Catechizandis rudibus.* Ad hodiernas in Ecclesiis reformatis, præsertim Belgicis catechizationes, instituendas, magis accommodata est *Decretoria Instructio Synodi Nationalis Dordrac.* a. 1618. 1619. *sess. 17. pag. 44.*

„ Prælecta fuit decreti Synodici formula, de accuratione jejuniorum atque adultorum Catechizatione, ex omnium tam Exterorum, quam Provincialium sententiis consiliisque exhibitis, hunc in modum collecta ac formata:

„ • Ut juventus Christiana à teneris annis in fundamentis veræ Religionis accuratius instituatur, ac vera pietate imbuatur; triplex hæc Catechizandi ratio observari debet: domestica à parentibus: Scholastica à Ludimagistris: & Ecclesiastica à Pastoribus, Senioribus, & Lectoribus, seu ægrorum Visitatoribus. Utque omnes hi diligenter officium faciant, rogandi erunt Magistratus Christiani, ut tam sanctum ac necessarium opus authoritate sua promoveant: monendique omnes, quibus Ecclesiarum & Scholarum inspectio & visitatio demandata est, ut hujus rei curam inprimis gerant.

„ Parentem officium est, domi liberos suos totamque adeo familiam fidei suæ commissam, in tyrociniis Christianæ Religionis, quam maxima diligentia pro capitu singulorum instituere: serio & diligenter ad timorem Dei & sinceram pietatem adhortari; sanctis precum domesticarum exercitiis adhibere & assuefacere, ad audiendas conciones secum adducere, auditas, inprimis Catecheticas, cum iisdem diligenter repetere, capita quædam S. Scripturę prælegere, vel prælegenda dare: insigniora S. Scripturæ dicta ediscenda proponere atque inculcare: eademque familiari quadam & teneræ ętati accommodata ratione explicare, atque ita eos ad scholasticam Catechizationem præparare, cumque ad eam pervenerint, confirmare, excitare, & pro virili provehere. Hujus officii parentes omnes, apud quos admonitioni locus esse poterit, tum publicè in concionibus, tum privatim,

Digitized by Google

„ tam in ordinaria ante ſacram ſynaxim viſitatione, quam aliis temporibus
„ opportunis à Paſtoribus, Senioribus, & ægrorum Viſitatoribus, ſedulo &
„ ſerio admoneri debent. Si qui parentes religionem reformatam profeſſi,
„ in hoc ſancto officio negligentiores reperiantur, ſeriis paſtorum admoni-
„ tionibus, & ſi res poſtulaverit, presbyterii reprehenſionibus ac cenſuris ad
„ officium revocabuntur.

„ Scholæ, in quibus juventus pietate & fundamentis doctrinæ Chriſtianę
„ rite imbuatur, non tantum in urbibus, verum & in ſingulis pagis inſtituan-
„ tur, ſicubi hactenus nullæ inſtitutę fuerunt: rogandique ſunt magiſtratus
„ Chriſtiani, ut de honeſtis ſtipendiis Ludimagiſtris paſſim proſpiciatur, quo
„ viri ad functiones illas idonei adhibeantur, illique alacrius in munere ſuo
„ verſentur. Inprimis autem, ut pauperiorum liberi gratis ab illis eruditi poſ-
„ ſint, neque illi à ſcholarum beneficio excludantur. Ad has functiones ſcho-
„ laſticas, nemo, niſi qui ſit Eccleſiæ Reformatæ membrum, ornatuſque Or-
„ thodoxæ fidei & probatæ vitæ teſtimonio, atque in doctrinâ Catechetică
„ probe exercitatus, adhibeatur, quiq; ſubſcriptione manus ſuæ Confeſſionem
„ & Catecheſin Belgicam approbet, ſeque ſecundum hanc Catechizandi ra-
„ tionem, juventutem ſibi commiſſam in Chriſtianę religionis fundamentis
„ diligenter inſtituturum, ſancte promittat.

„ Ludimagiſtrorum horum officium erit, omnes diſcipulos ſuos pro æta-
„ tis & captus ratione, duobus ad minimum in hebdomade diebus, non in
„ ediſcendis tantum, ſed intelligendis quoque Catecheſeos rudimentis exer-
„ cere. Atque hunc in finem triplex Catecheſeos formula, ad triplicem ju-
„ ventutis conditionem accommodata, in ſcholis eſt adhibenda.

„ Prima erit in uſum puerorum, qua contineat Symbolum Apoſtolicum,
„ Decalogum, Orationem Dominicam, & Sacramentorum ac Diſciplinæ
„ Eccleſiaſticę inſtitutionem, cum brevibus quibuſdam precatiunculis, &
„ queſtiunculis ſimpliciſſimis, ad tres Catecheſeos partes accommodatis.
„ Quibus addi poterunt inſigniora quædam S. Scripturæ dicta, ad pietatem
„ excitantia.

„ Secunda erit, compendium breve Catecheſeos Palatinæ, in Eccleſiis
„ noſtris uſitatæ. In quo porro inſtituentur ii, qui jam aliquo uſque in priore
„ profecerint. Utraque autem formula, vel ad exemplum Eccleſiarum Pala-
„ tinatus, vel Eccleſiæ Middelburgenſis, vel ratione ab hac Synodo præſcri-
„ pta, concinnabitur.

„ Tertia erit Catecheſis Palatina, ab Eccleſiis noſtris recepta, in quâ pro-
„ vectiores ætate & profectu erudientur, Eccleſiæ autem Gallo-Belgicæ, quæ
„ Genevenſi Catecheſi hactenus utuntur, ejuſdem uſum in Scholis, atque
„ Eccleſiis ſervare poterit. Aliis autem Catechizandis formulis uti Ludi-
ma-

Digitized by Google

„magiſtris in Scholis non licebit. Rogandi vero Magiſtratus ſunt, ut Ca-
„techiſmos omnes Pontificios, alioſque libros omnes erroneos, atque im-
„puros, ex omnibus ſcholis autoritate ſua, plane eliminare velint: Cura-
„bunt quoque Ludimagiſtri: ut diſcipuli non tantum haſce formulas e-
„diſcant; ſed & doctrinam iiſdem contentam probe intelligant. Quem in
„finem eaſdem pro parvulorum captu dilucide explicabunt, & an ſenſum
„recte perceperint, diligenter ac ſæpius examinabunt. Juventutem ſchola-
„ſticam, diſciplinę ſuæ commiſſam, ſinguli Ludimagiſtri ad audiendas con-
„ciones ſacras, inprimis autem Catecheticas, adducent, earumque ratio-
„nem diligenter exigent.

„ De fide autem atque induſtria Præceptorum, ſimulque & de juventutis
„profectu ut conſtet, officium Paſtorum erit, adhibito Seniore, &, (ſi opus
„erit) aliquot ex Magiſtratu, Scholas omnes tam privatas, quam publicas
„ſæpiſſimè viſitare, præceptorum diligentiam acuere, in ratione Catechi-
„zandi præire, atque exemplo ſuo inſtituere, juventutem blanda compella-
„tione examinare, ſanctiſque exhortationibus, collaudationibus, & præ-
„miolis à Magiſtratu conſtituendis, ad induſtriam excitare. Præcepto-
„res, ſi qui negligentiores in officio, admoneantur. Quod ſi hiſce monitio-
„nibus morem non geſſerint; rogandus erit Magiſtratus, ut aut ad officium
„faciendum auctoritate ipſius conſtringantur, aut alii magis idonei ſubſti-
„tuantur. Denique, petendum à Magiſtratu erit, ne ullæ ſcholæ, quæ ſancta
„hæc Catechizationis exercitia, aut non admittunt, aut negligunt, tole-
„rentur.

„ Paſtorum in Eccleſiâ muneris & prudentię erit, Conciones Cateche-
„ticas, eum ad modum publice inſtituere, ut & breviores, & ad captum non
„adultorum modo; ſed ipſius quoque Juventutis, quantum fieri poterit, ac-
„commodatæ ſint. Laudanda quoque erit Paſtorum induſtria, quibus ſtu-
„dium atq; otium erit, eaſdem in ſcholis, præſertim ruri, diligenter repetere,
„quique laborem eum non detrectabunt. Ut adultiores autem, & qui ſcho-
„larum inſtitutione aut nunquam uſi fuerunt, aut in iis non ſatis profece-
„runt, in fundamentis Religionis Chriſtianæ melius erudiri queant, (quia
„experientia docet, ordinarias inſtitutiones Eccleſiaſticas, tum Catecheti-
„cas, tum alias apud multos non ſufficere ad eam Religionis Chriſtianæ no-
„titiam illis ingenerandam, quæ in populo Dei vigere debet; atque uſus
„teſtetur, maximam eſſe vivę vocis efficaciam; cum per familiares, & ad
„ſingulorum captum accommodatas, Interrogationes & Reſponſiones (quæ
„optima Catechizandi ratio eſt, quâ Rudimenta Religionis animis impri-
„muntur) Paſtorum officium erit, diſcendi cupidos accedere, &, adhibito Se-
„niore, vel ad ædes privatas, vel ad locum Conſiſtorii, vel alium aliquem

huic

Digitized by Google

„ huic actioni opportunum, juſtum aliquem eorum numerum tam ex mem-
„ bris Eccleſiæ, quam aliis adultioribus ſingulis ſeptimanis convocare, cum
„ illis amice & familiariter de capitibus Religionis Chriſtianæ agere, ac, pro
„ ratione captus, profectus, & ingeniorum, ſingulos Catechizare: Concio-
„ nes Catecheticas cum iis repetere, omnique ſtudio in id incumbere, ut
„ animos omnium clara & ſolida Catecheſeos intelligentia imbuant.

„ Qui vero nomen Eccleſiæ dare volunt, tribus, quatuorve ſeptimanis
„ ante Cœnæ celebrationem certo in loco ſæpius & diligenter inſtituantur, ut
„ ad fidei rationem reddendam, magis idonei atque alacres reddantur.

„ Prudentia autem à Paſtoribus hîc erit adhibenda, ut tales ad ſe erudien-
„ dos vocent, quos cum aliqua non pœnitendi fructus ſpe adhiberi poſſe,
„ quoſque de animarum ſalute ſolicito; eſſe conſtat: utque ii ſimul eodem
„ tempore convocentur, quos conditionis paritas ad παῤῥησίαν alliciat.

„ Conventus hi precibus, & ſancta exhortatione inchoandi & finiendi
„ erunt.

„ Hæc omnia, ſi ea, qua omnino convenit, voluptate, alacritate, vigi-
„ lantia, fide, zelo, & prudentia, à Paſtoribus, quibus concrediti ſibi gregis
„ aliquando reddenda erit ratio, præſtentur, nequaquam dubitandum, quin
„ brevi tempore horum laborum fructus uberrimi, tam in fidei, quam ſancti-
„ tatis vitæ profectu, ad honorem Dei & Religionis Chriſtianæ propagatio-
„ nem, divina benedictione, ante omnium oculos futuri ſint expoſiti, gra-
„ tiamque Eccleſiis noſtris, atque incrementum conciliaturi.

Catechizationes orthodoxas veræ religionis & Eccleſiæ inſtituendæ & conſervandæ neceſſarium eſſe requiſitum oſtendit praxis Waldenſium & Albigenſium apud *Joh. Paulum Perrinum Lib.* 3. *Hiſtoriæ*; & Fratrum unitatis Bohemicæ, *in Diſciplinâ eorum*; & Reformatorum jam inde à Luthero. Videantur, *Hyperius*, *Aretius*, paulo antè indicati, & *Joh. Prideaux conc.* 4. *p.* 32. & *Joh. à Laſco in Formâ & ratione eccleſiaſtici miniſterii Eccleſiarum peregrinarum in Angliâ pag.* 85. ubi graviſſimè de uſu & neglectu catechizationum diſſerit. Earundem neglectum, aut tepidam tractationem, deficientis cognitionis, ſeductionis ad errores, ſciſmata non minimam eſſe cauſam, docuit nos experientia in Belgio. Abſque hoc enim fieri non potuiſſet ut tot homines reformati à reformata Eccleſiâ per Remonſtrantes abducti fuiſſent; aut etiamnum hodie tot Filii & Nepotes Reformatorum per Emiſſarios Pontificios abducerentur. A noſtris Reformatis ſumto exemplo Pontificii, imprimis Jeſuitæ, (vide *Primum Sæculum Jeſuitarum Lib.* 3. *c.* 6. & *Lib.* 6. *cap.* 3. *ſect.* 1.) per catechizationes lapſi Papiſmi ruinas ſarcire conati ſunt; Et hoc ſaxum volvere non deſinunt, languentibus hâc in parte, plurimis Vigilum & Cuſtodum; quos ideo Synodi provinciales variis

Digitized by Google

riis decretis, quin & Illuſtres Hollandiæ Ordines ante paucos annos Epiſtolâ miſsâ ad ſingulas Claſſes ad opus, hoc excitandos putârunt. Eximius Theologus Leidenſis, *Joh. Hoornbeek*, antehac Collega noſter *peculiari Libello* (ſed vernaculo) quo Concionatores & miniſterii Candidatos ad neceſſarium hoc officium animare intendit, exemplum iſtius Epiſtolæ inſeruit. De neceſſitate catechizationum præter modo cit. agunt *Bucerus de Regno Chriſti pag.*64. quin & *Catechiſmus Concilii Tridentini in Præfat.* Denique tot ejuſdem habemus teſtes, quot exſtant Libelli catechetici privato aut publico nomine editi. Quamvis autem neceſſitatem hanc in genere, directè, theoreticè nemo negare videatur: ubi tamen ad opus ipſum ventum aut veniendum eſt, indirectè & practicè alicubi eam ita negari videas, ut illic catechizationem molienti applicari queat illud Julii Cæſaris Scaligeri de ſtudio metaphyſico: *irriſores multos, laudatores paucos, imitatorem fortaſſe inveniet neminem.* Sed propius hæc ſæculi noſtri calamitas percipietur in ſeqq. quæſt. de perſonis, modo.

De Catechumenis, ſeu catechizandis quæritur, §. 2.

I. *Quæſt. An omnes Chriſtiani, & perpetuo ſint catechizandi? Reſp.* Diſtingue catechizationes in domeſticas, ſcholaſticas, eccleſiaſticas: in ſimplices ſeu poſitivas, & elencticas: in dogmaticas, & practicas: in primas, & in repetitas. Diſtingue etiam Catechumenos in Audientes, & in Reſpondentes; qui Catechumeni propriè dicti. His præmiſſis, reſpondetur ad quæſt. affirmando. 1: *Qui* Scholas minores frequentant, omnes & perpetuo catechizandi: qui vero majores ſeu Academicas, tum publicis lectionibus tum privatim in collegiis ad Commentarium catecheticum Urſini aut Dieſtii inſtituto examine, inſuper repetitione concionum catecheticarum publicè in Eccleſiâ habitarum exerceri poſſunt, & apud nos ſolent. Qui vero catechetică theologiâ ſaltem mediocriter imbuti videntur, ſuccedaneâ locorum communium tractatione exercentur; atque unà in puerorum catechizationibus catechiſtarum tyrocinia ponunt. Utrique ab Audiendis hebdomadatim aliquot catechizationibus tum parvulorum ſeu incipientium, tum provectiorum, numquam ceſſare debent.

2. *Domeſticis* catechizationibus, omnes familiares intereſſe expedit & convenit; ſive ut Auditoribus, ſive ut Catechumenis & ad interrogata reſpondentibus: ſive fiant per modum catechizationum juxta ordinem & ſeriem dominicalium lectionum, ſive per repetitiones Concionum catecheticarum. Ad eas refer catechizationes, in familiis collegiatis, hoc eſt, domibus, quas vocant, piis (Orphano-tropheis, Noſocomiis, Gerontodocheis) in navibus ad remotas terras euntibus. 3. *eccleſiaſticis* catechizationibus, quæ diebus dominicis per catechiſmi pro concione explicationes, & per earum

Digitized by Google

concionum repetitiones, aliasque rudium catechizationes sive publicas sive privato-publicas in Ecclesiis bene constitutis, juxta Decretum Synodi Dordracenæ supra exhibitum, instituuntur. Alias vero, quæ extra diem dominicum habentur, diligenter frequentari convenit à Pueris & Adolescentibus tanquam exercentibus & respondentibus, donec in competentium numerum adscribantur. Alii autem, ut iisdem tanquam Auditores, quantum rationes particularis vocationis hoc sinunt, frequenter intersint, utilissimum est. Quamvis enim hypotyposim saniorum sermonum satis jam didicisse videantur, & in numerum fidelium ac communicantium jampridem recepti, debet tamen ipsis placere lectio decies repetita; ut contra circumstantes heterodoxias & mundi illecebras de novo muniti teneant hyptotyposin, & tantò magis certi sint 2 *Timoth.* 1. *v.* 13. *Philip.* 3. *v.* 1. Quod ad catechizationes competentium, quas suadet *Synodus Dordracena sess.* 17., eas studiosè a cujuscumque ætatis, status, & conditionis ad Cœnam admittendis affectari velimus. Quinam autem & quo in casu ab eâ eximi possint, & domesticæ ac solitariæ institutioni Concionatoris, in frequentioribus Ecclesiis committi, à Synedrio statuendum.

§. 3. *Catechistæ*, per quos Catechesis inculcanda, in *ecclesiasticis* catechizationibus ordinarii sunt Pastores & Doctores seu Lectores Theologi, aliique in sacris versati, si qui in Ecclesiâ aliquâ peculiariter huic operi destinentur. Quibus junge Auxiliares; quales ministerii Candidati seu Proponentes, & ægrotorum Consolatores. In *domesticis*, Patres familias; aut si contingat eos religioni minus addictos, ejusdemve minus peritos esse, Mater familias, aut quicumque alius sive ex Liberis, sive ex Servis, sive ex Contubernalibus, ad hoc maximè idoneus. Imprimis autem hoc conveniet Studioso theologiæ aut Candidato ministerii, si quis sit in illo contubernio. In *scholasticis*, literatarum & idioticarum scholarum Magistri aut Magistræ. Laudatus in hac Urbe mos est, ut Viri pariter ac Fœminę facultatem aperiendi Scholam à Senatu petentes Synedrio prius sistantur, ibique post debitum examen testimonium doctrinæ, vitæ, & aptitudinis ad munus illud, imprimis ad Puerorum catechizationem, obtineant. Hic ergo quæritur.

11. *Quæst. An Concionatores ab hâc operâ se eximere possint? Resp.* Non magis quam à concionibus, præsertim catecheticis. Siquidem exemplo Pauli publicè, & per domos omne consilium Dei docere tenentur *Actor.* 20. *v.* 20. Hinc convenienter Scripturis *Hebr.* 5. *v.* 12. & 6. *v.* 1. *Decretis Synodi Dordracenæ*, aliarumque provincialium in Belgio, & doctrinæ Theologorum supra cit. de catechizandis rudibus, Ecclesiæ nostrates passim instrumentis vocationis ad ministerium præter conciones publicas, privatas visitationes, & consolationes, sacramentorum & disciplinæ administrationem

Digitized by Google

nem ſtipulantur catechizationes. Accedit, quod dum Miniſtri Eccleſiæ ſuæ incrementum in numero, cognitione, &c. à Deo aſſiduò petunt, non poſſunt non conſilio Dei omnibus modis hic inſervire. Atqui hoc non fit ſine catechizatione. Denique cum Ludimagiſtros, & Patres familias hortantur & obſtringunt ad catechizationes, tenentur exemplo ſuo præire: ne audiant illud, *Medice cura te ipſum.* Et illud Poëtæ,

Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exſors ipſa ſecandi.

Quod ſi propter ingraveſcentem ætatem, aut alium quem animi corporiſve defectum in totum vel in tantum à labore hoc liberari debent, judicium Synedrii intervenire neceſſe eſt. Ut enim abſque eo nemo ſeipſum planè emeritum, aut ab hâc illave concione, aut viſitatione immunem præſtare poteſt: ſic nec à catechizatione.

Forte quis excipiat, 1. *Except.* eſſe hoc nimis tenue aut vile miniſterium: quod magis conveniat Ludimagiſtris & Pędagogis, quam dignitati Miniſtrorum. *Reſp.* Cum Paulus baptizaret familias, 1 *Cor.* 1-*v.* 14. 16. & κατ' ὄικον toto triennio Epheſi doceret *Actor.* 20. & Corinthios lacte potaret 1 *Cor.* 3. *v.* 2. & in antiquâ Eccleſiâ Gentiles ad baptiſmum præpararent non puto hoc factum fuiſſe ſine Catecheſi parvulorum ſive ætate, ſive cognitione, ſive utrâque. Nemo tamen eorum miniſterii ſui dignitatem proſtituit. *In vitâ Joh. Gerſon* celeberrimi inter ſuos Theologi & Pariſienſis Academię Cancellarii refertur, quod in extremâ ſenectute pueris catechizandis operam ſuam impenderit: quod factum ſuum in tract. aliquo infra in fine hujus cap. citando defendit.

2. *Except.* Homines per crebras & accuratiores catechizationes nimis ſapientes, elati & inflati evadunt: ut non dicamus de aliis incommodis & abſurdis, quæ aliquando eas comitari aut ſequi poſſent. *Reſp.* Eàdem fallaciâ accidentis diligens Scripturæ lectio, & concionum frequentatio ac repetitio oppugnari poſſent. Fabellæ, quæ finguntur, & ſycophantiæ, quibus aliquis Catechumenus aut Catechiſta, aut unus aliquis catechizationis actus à profanis hominibus, aut ignavis fucis denigratur, non magis movere nos debent, quam Cochlei, Surii, Bolſeci, Coſteri, & ſimilium.

3. *Except.* Homines omnes non fient Concionatores: non indigent itaque tantâ ſcientiâ. *Reſp.* Apoſtolus *Philipp.* 1. *v.* 9. 10. precatur ut abundent omni cognitione, & poſſint diſcernere, &c. Et 1 *Corinth.* 14. optat, ut omnes prophetent *Hebr.* 6. *v.* 1. & *Philipp.* 3. *v.* 15. 16. exſtimulat eos ad cognitionis perfectionem. *Hebr.* 5. *v.* 12. reprehendit eos, quod cum debuiſſent eſſe Doctores, &c. 1 *Corinth.* 3. *v.* 2. 3. reprehendit eos quod adhuc eſſent carnales & lacte indigerent. Non eſt ita rhetoricandum aut ſophiſticandum contra cognitionem per catechizationes acquirendam, ut ſpecie aliquâ videa-

Digitized by Google

mur cum Pontificiorum fide implicitâ, quæ melius, ſecundum ipſos, per ignorantiam quam per ſcientiam definiretur. Et quid fiet iſtis in Eccleſiâ noſtrâ ignorantibus, ubi aliquando hæreſes cœperint graſſari? Quo judicio aut præjudicio adverſus eas muniti erunt, qui à reformatione edocti, ſunt cujuſlibet Eccleſiæ infallibili autoritati, atque una fidei carbonariæ renuntiâre?

4. *Except.* Ignorantiæ ſatis occurri poteſt per ſcholaſticas & domeſticas Parentum & Præceptorum catechizationes? *Reſp.* longè aliter cenſuit Synodus Dordracena; quæ duabus illis addidit eccleſiaſticas. De quibus aliquo modo dici poſſet, quod *Ariſtoteles* de Politicâ, eſſe eas architectonicas, hoc eſt exemplares, archetypas, directrices ac menſuras reliquarum: Siquidem perfectiſſimum in unoquoque genere, juxta axioma ejuſdem Philoſophi, eſt menſura reliquorum. In omnibus honeſtis & præſtantibus actionibus intra limites vocationis noſtræ conſiſtentibus, locum habet illud Poëtæ, Ἀεὶ ἀοιδίμου ἔπεται ἀοίδιμος ὕμνος. Per eccleſiaſticas domeſticæ & ſcholaſticæ reviviſcunt, & ex iis derivantur, tanquam earum exempla, μιμήματα, propagines: contra abſque iis frigent, concidunt, emoriuntur. *Cum non eſt viſio, nudatur populus.* Proverb. 29. v. 18. Cur non pari jure abſque eccleſiaſticis concionibus per Miniſtros habendis, omnia ſolis domeſticis per Parentes & Præceptores inſtitutionibus committuntur? Tantum abeſt, ut Synodus Dordracena hoc prætextu Concionatores à catechizationibus liberet, ut etiam partem catechizationum ſcholaſticarum iiſdem commendet.

5. *Except.* In multis Pagis & Civitatibus nulli ſunt Catechumeni: ideoque Concionatores munus Catechiſtę illic obire nequeunt? *Reſp.* Si qui Operam ſuam obtulerunt, ſi etiamnum continuo ἀκαίρως εὐκαίρως hoc publicè privatimque per domos urgent, nec tamen unus aut alter ex cœtu Puerorum, aut Adoleſcentum, ſe offerret, aut à Concionatore huc trahi paſſus eſſet: utique deploranda eſt hominum iſtorum cœcitas, ingratitudo, durities. Et ſi Concionator coram Deo hoc dicere queat, hactenus certè liberavit animam ſuam. Illi ego hoc conſilium ſuggererem, ex qualicunque diuturnâ experientiâ meâ depromtum, & toties πεφύτις Miniſtris non ſine felici per Dei benedictionem ſucceſſu antehac ſuggeſtum: Ut primo Deum, deinde Membra Eccleſiæ ac Auditores ſuos, imprimis Seniores & Diaconos aſſiduò oraret, donec aliquos ſaltem permoviſſet. Ut in ordinariis ante cœnam, aliiſque extraordinariis familiarum viſitationibus, non tantum Parentes ſed & eorum Liberos coram hortaretur. Et ſi nihilominus omnes Pueri & Juniores detrectent publicæ aut privato-publicæ catechizationi ſe ſubjicere, ut eos invitaret, ad audiendas reſponſiones unius atque alterius ex ſuâ

aut

aut ex Ludimagiſtri familia ſeligendi & in templo, aut templi conclavi, aut domi ſuæ catechizandi. Vix dubitandum eſt, quin aliqui venturi ſint, qui poſtea pio hoc exercitio inſpecto, ad ſanctam προβύσιν enixi, ſponte ſe Anteceſſoribus illis Catechumenis adjuncturi ſint: præſertim ſi quibuſdam antea in ſcholâ præſente Ludimagiſtro aut domi ſuæ ſeorſim reſponſiones præformârint. Hæc omnia ſi ſeriò tententur, deprehendet rectiſſimè à Rabbinis falſi argui τὸ *Quæſivi & non inveni.* Quiſque modo exploret proprium cor. An Scripturæ & hypotypoſes ex iis conceptæ ſint amor, deſiderium, delitiæ ipſius: an ipſe aſſiduâ lectione, & meditatione accuratos, perſpicuos, promtos conceptus de ſingulis capitibus, & quæſt. catecheticis formare & depromere queat; velitque docendo diſcere, & fabricando faber fieri: An optet ut ſinguli prophetent: an in ſe ſentiat bonum illud cognitionis ſpiritualis eſſe communicativum ſui: an perpetuum Eccleſiæ iſtius ſeminarium ſeu plantarium curare cogitet; à cujus ſucceſſione ſucceſſio Eccleſiæ dependeat.

III. *Quæſt. An promiſcuè quibuſvis veram religionem externè profitentibus catechezationes ſint committendæ, aut ſaltem permittendæ? Reſp.* 1. *concl.* de eccleſiaſticis & publicis, aut privato-publicis, *Neg.* niſi propiori & ſpeciali indagatione cognitio, fidelitas, orthodoxia, pietas eorum explorata ſit, iidemque ſpeciali & ſolenni promiſſione Eccleſiæ obligati, & in publico Eccleſiæ munere conſtituti: Quales ſunt Miniſtri, Doctores Theologi, ægrotorum Conſolatores. Iniquum eſſet contra tales dubium movere, an orthodoxè, & fideliter ad ædificationem hoc acturi ſint; & an non ſciſmata, factiones, hæreſes, Eccleſiæ & Reipublicæ perturbationes ex illis catechizationibus metuendæ. Tamdiu quis præſumitur bonus, donec probetur malus. Tantiſper ergo obtineat præjudicium publicæ vocationis & ſolennis promiſſionis. Quod ſi ſub quovis lapide ſcorpium invenire ſeu mavis quærere & fingere libeat, quid tandem fiet de concionibus, privatis conſolationibus, inſtitutionibus, colloquiis? Quibus miniſterium, aut cathedra theologica, aut ægrotorum & afflictorum conſcientia commiſſa eſt, illis Puerorum, afflictorum, aut aliorum ignorantium, ſi qui hoc petant, catechezatio permittenda non erit? Dicat forte quis à Miniſtro, aut Miniſtris, aut Synedrio iſtius loci facultatem eſſe petendam, aut ejus ſpeciale decretum eſſe exſpectandum, ſine eorum motione tanquam primi iſtic loci motoris nihil movendum. *Reſp.* quaſi ſcil. publicus theologiæ Lector, Eccleſiæ Paſtor, mobile lignum eſſet, aut purum putum inſtrumentum quod non agat niſi virtute cauſæ principalis, ab eâ in ortu non tantum, ſed & in actu, atque exercitio poteſtatis ſuæ dependens: quaſi nihil illis eſſet agendum aut tentandum, niſi quod omnes Miniſtri iſtius Eccleſiæ, immo & totius diſtrictus aut Synodi

Digitized by Google

ſive prius ſive ſimul agere velint & poſſint: & ſi alicui ex illis non vacet, aut non viſum ſit neceſſarias catechizationes rudiorum, aut adultorum (etiam hoc obnixè petentium, etiam conſanguineorum, aut amicorum aut neceſſariorum, aut vicinorum) ſuſcipere, aut ſuſceptas continuare; ilico quieſcendum eſſe: ne ſcil. motus ſit anomalus, & eo luminibus aliorum obſtruatur, reſides animi turbentur, quies aliorum pudefiat. Si quem cura hæc coquat, & verſet ſub pectore fixa, ei ſuggerimus illud vulgatum, In bonis & in neceſſariis *exempla non exſpectanda, ſed danda*; & illud Rabbinicum, *In loco ubi Vir non eſt, tu te Virum præſta.* Pluris fideli operario eſt neceſſaria inſtructio ignorantium, multorum converſio, & ædificatio Eccleſiæ, quam vacuus & imaginarius licor τῶ δοῦναι ex otio & ceſſatione hac in parte captatus. Qui poteſtatem habet ſibi in vocatione ad prōfeſſionem theologicam & ad miniſterium eccleſiaſticum collatam: eâ uti debet. Non diſtinguitur hic χρῆσις & κτῆσις: niſi Papalem oris apertionem, ſine quâ creatis Cardinalibus in Conclavi ſeu Conſiſtorio Romano loqui & ſuffragari non licet, imitari velimus; aut diſtinctionem inter vocationem atque ordinationem Miniſtri, & inter ejuſdem miſſionem ad prædicandum aut prę̄paratoriè reformándum, à nobis in *Deſper. causâ Papatus Lib. 2. ſect. 2. cap. 17.* exploſam reducere velimus. Ex vocationis & muneris ſui poteſtate ac conſcientiâ, & ex Decreto Synodi Dordracenæ quilibet verbi Miniſter ad catechizationes tenetur; non minus ac ad conſolationes afflictorum, convictiones errantium, adhortationes languentium, viſitationes fidelium & familiarum, pia de rebus ſacris alloquia & colloquia quâvis occaſione captanda. Non tenetur licentiam, ad ſingula hæc officia in ſcriptis petere & exſpectare: veluti laici in Papatu ad lectionem Scripturæ, juxta *Regulam quartam Concilii Tridentini in indice libr. prohibit.*; quam tamen ſciunt ſibi ab Epiſcopo non concedendam: quod myſterium panditur in obſervatione regulæ illi poſteâ additâ. *Inſtet* forte quis, omnibus mentem unam eſſe debere, ad laborandum, uno quaſi humero onus hoc ſubeundum? *Reſp.* ſic quidem fieri debebat. Sed quod ſi aliquis, aut aliqui nolint, aut non audeant, aut non poſſint, ſive ex errore ſive ob impedimenta temporalia, ſive ob eruditionis, memoriæ, elocutionis, & dexteritatis in catechizando, ſive ob diligentię, zeli, ſive ob virium corporis defectum: an nemini ergo aliis licebit præcurrere, aut ſine iis currere? an ſtantibus & ceſſantibus illis, curſus ilico abrumpendus erit? Quid ſi tale quid ſtatuatur de ſtudiis privatim ex colendis, de ſolidâ ſcientiâ ſpirituali augendâ & in concionibus magis magiſque exſerendâ, de δυνάμει ἐμφυτευτῆ exercendâ, de ſonorâ & flexamina voce adhibendâ, de accuratâ adverſariorum convictione, de ſcriptis ad neceſſariam ædificationem edendis, de veritate cum πληροφορίᾳ confitendâ, de diligenti afflictorum, errantium, tepentium viſitatione

Digitized by Google

ſitatione & alloquio : an donum & talentum, qui habet in terram defodiet? an bonam voluntatem, bonos motus ſpiritus cohibebit ? ne ſcil. aliquem ex fratribus ſuis in aliquo videatur prę currere. Dic unâ operâ, non eſſe currendum in ſtadio inter omnes currentes, quia unus tantum accipit præmium. Tædet & pudet me pluribus abſurdiſſima hæc abſurda perſequi, quæ ultima hæc ætas tulit, quippe religionum & κοσμικῶν ἐπιθυμιῶν ferax, pietatis ſterilis. *Inſtantia* 2. Atqui poteſtati, ordini, directioni, & regimini Miniſtrorum & Synedrii quilibet Miniſter in exercitio miniſterii ſubeſſe debet: & ſpiritus prophetarum Prophetis ſubjectus eſt. 1 *Cor.* 14. *Reſp.* ſic eſt: ſed poteſtas hæc collegiata eſt cumulativa, non privativa, & non exercetur niſi in caſu malæ adminiſtrationis; nec extendit ſe ad ſingulos miniſterii actus hic & nunc exercendos; ut nec conciones habendę, & quidem ad hunc textum, de hâc materiâ, tali methodo, elocutione, talibus doctrinis, uſibus, applicationibus, argumentis, παρεργοις, & illuſtrationibus; nec fideles & familiæ in illâ Eccleſiâ curæ Miniſtri commiſsâ viſitandæ; nec rudes κατ' οἶκον inſtituendi; nec afflicti conſolandi, nec errantes convincendi; nec aliqui monendi; nec piis alloquiis & colloquiis aliqui pro re natâ excitandi, refocillandi, in curſu fidei & pietatis confirmandi; nec preces datâ occaſione alicubi concipiendæ : niſi prius poſtulatâ & habitâ ad id Synedrii licentiâ. Puerulorum eſt à quotidianis Præceptoris ſui nutibus in ſedendo, ſurgendo, lectionibus præfixis diſcendis, & recitandis dependentium : non virorum Dei, quibus anteceſſio in verbo & precibus per legitimam vocationem commiſſa eſt. Evenit aliquando, ut quis theologiæ Studioſus examine præparatorio malè defunctus, in recoctorum & remiſſorum ſeu mavis remittendorum ordinem adſcriptus, teneatur conciones ſuas in ſcriptis prius alicui Miniſtro aut Miniſtris ad id deputatis legendas exhibere, & non niſi intercedente illius aut illorum ſpeciali conceſſione eaſdem coram Eccleſiâ alicubi pronuntiare. Sed tale quid Miniſtro ſatis probato juxta 1 *Timoth.* 3. *v.* 7. 10. & legitimè vocato, & forte annis aliquot rerum ſuarum in miniſterio ſatagenti, imponi non debet. Quod ad ſingularem quemque Miniſtrum, ſive Collegam ſive Vicinum, is in alterum nullam poteſtatem aut ſuperioritatem uſurpare poteſt, juxta Conſtitutiones Eccleſiarum Belgicę, Gallicæ, aliarumque ipſis conformium. *Inſtantia* 3. Ad pacem & concordiam inter Miniſtros fovendam, præſtaret communi conſilio catechizationes privatas, & privato publicas, inchoari, aut non inchoari, inchoatas abrumpi, aut non abrumpi? *Reſp.* De capeſſendis, inchoandis, continuandis concedimus : ſed de abrogatione, aut intermiſſione, aut omiſſione, negamus. Optima pax eſt pax Chriſti, concordia in bono, in opere Domini, in operibus vocationis, ad maximam fidei, pietatis, Eccleſiæ propagationem.

Digitized by Google

tionem. Si quis alius ex conſcientiâ muneris hoc nobiſcum velit, poſſit, agat: utique magnæ benedictionis loco amplectendum eſt. Ferrum ferro acuitur, ſeduli miniſtri ſe mutuò intuentur, non ad acerbam æmulationem, nec ad ignavum otium, nec ad carnis curam, ſed ad παροξυσμὸν ἀγάπης & καλῶν ἔργων *Hebr.* 10. *v.* 24. merito illis aptatur præconium illud pacis Pſal. 133. v. 1. *Ecce quam bonum & jucundum*, &c. Præceptum Apoſtoli Rom. 12. v. 18. *Si fieri poteſt quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace viventes:* non dictat nobis illud Epheſiorum, cum Hermodorum è civitate ſuâ pellerent: *Nemo noſtrum melior* ſeu, præſtantior *ſit*. Nulla pax, nulla concordia redimi debet jacturâ bonæ conſcientiæ, turbatione pacis & amicitiæ Chriſti.

IV. *Quæſt. An catechizationes domeſticæ & ſcholaſticæ, ſine ſpeciali ſive Miniſtri, ſive Synedrii mandato, aut expreſsâ conceſſione & licentiâ haberi poſſint? Reſp.* quid ni? hoc enim omnibus Parentibus ab Apoſtolo *Epheſ.* 6. *v.* 4. & laudato Abrahami exemplo *Geneſ.* 18. *v.* 19. imponitur: & hoc perpetuo iis inculcant aut inculcare debent Concionatores: quibus obediendum eſſe, docentur *Hebr.* 13. *v.* 17. Abſurdum ergo eſſet, ſi ſpecialem conceſſionem à Miniſtris aut Synedrio peterent & exſpectarent. Quod tantundem eſſet, ac ſi Deum domi ſuę orandi, Pſalmos canendi, auditam concionem repetendi, Scripturam legendi licentiam à Synedrio peterent. De ſcholaſticis idem judicandum; ad quas Præceptores omnes legitimè ad munus illud vocati aut admiſſi tenentur: adeo ut propterea ante admiſſionem in catecheticis à Synedrio examinentur, & formulis Orthodoxi conſenſus (h.e. Catecheſi, &c.) in bene conſtitutis Eccleſiis ſubſcribant. Perinde autem eſt, an Ludimagiſtri ſint publici publicis ſtipendiis docentes; an ptivati, qui vel domi ſuæ Ludum aperiunt: vel domos obeundo Diſcipulos quoſdam ſigillatim inſtruunt; vel Pædagogi domeſtici munere funguntur. Hinc patet reſponſio ad hunc caſum (quem memini a. 1628. Synodo Hollandicæ oblatum) An publicus ægrotorum Conſolator, in doctrinâ, & moribus inculpatus, fideliterque munere ſuo defungens, tanquam ſubſidiarius adſcitus à Præfectis orphanotrophei & Conſulibus tanquam ſuperioribus præfectis ad quinquagenos pueros quotidie (erant enim 400. numero) catechizandos, peccaverit contra poteſtatem & ordinem Eccleſię, quod in juſſu Synedrii aut ſine licentiâ à Synedrio habitâ ad opus illud ſe adhiberi paſſus eſſet *Reſp.* Imperitè præſupponebant Agitatores aliqui, catechizationem illam eſſe eccleſiaſticam & publicam: cum eſſet privata; quâ ſoli Orphani intra privatos parietes exercebantur. Præfecti orphanotrophei erant pupillis illis vice Parentum: illi ergo debebant eos catechizare, non minus ac alii quilibet Parentes Liberos ſuos catechizare tenentur: cui operi ſi vacare nequeant aut minus ſint idonei,

nei, licet ipſis immo incumbit ipſis ſine expreſsâ licentiâ à Miniſtro, aut Miniſtris, aut Claſſe, aut Synedrio poſtulatâ & exhibitâ, alterius auxilio uti. Non exſpectant nec exſpectare debent Parentes, qui catechizandis domeſticis non ſufficiunt, donec Synedrium ipſis mittat domeſticum Catechiſten, ſed ipſi magis idoneum in familiâ ſuâ, aut extra eam ſibi deſpiciunt. Quo reſpectu erat catechizatio privata domeſtica, quam Synodus Dordracena ab eccleſiaſticâ exſertè diſtinguit. Et quia Ludimagiſter iſtius orphanotrophei ſolus huic operi non ſufficiebat, eique ægrotorum Conſolator tanquam auxiliaris dabatur, hoc reſpectu erat etiam Catechizatio privata ſcholaſtica; quam Synodus ab eccleſiaſticâ diſtinguit. Cum autem Patres orphanotrophei, & alii quicunque Patres familias, poſſint opera & auxilio Viri cujuſq; orthodoxi & pii ad hoc, hoc idonei uti: multò magis ægrotorum Conſolatoris, ob munus publicum omni exceptione majoris. Similiter adverſus domeſticas, & ſcholaſticas catechizationes pędagogorum, & pręceptorum, qui ad inſtitutiones Puerorum etiam adultorum & ἰψιμαθῶν domi ſuę, aut domi Parentum, admittuntur, nihil excipi poteſt. Multo minus adverſus privatas ejuſmodi catechizationes Proponentium ſeu Candidatorum miniſterii, qui concionibus publicè habendis frequenter in pleriſque Eccleſiis noſtris adhiberi ſolent. Reſtat unus circa privatas illas Catechizationes ſcrupulus, quem aliquando moveri audimus; Quod non tantum Liberi unius familiæ κατ' ἔξοχην ab ægrotorum Conſolatoribus aut Proponentibus, aut Ludimagiſtris, aut Pædagogis domeſticis ad hoc aſciris ſeorſim catechizentur, ſed & alii ex familiâ aut familiis Cognatorum, aut Amicorum, aut Vicinorum. Quid in hoc piaculi aut periculi, ſi ad compendium temporis & expenſarum faciendum, & Catechumenos tanto melius excitandos atque exercendos, unus atque alter, aut pauculi aliqui ex Cognatis, Amicis, Neceſſariis, Vicinis, Catechumeno aut Catechumenis iſtius familiæ adjungantur; atque unâ operâ inſtituantur? Quod ſi pædagogica & domeſtica inſtitutio in arte legendi & ſcribendi, in linguis, & artibus non facit ſcholam publicam, cur talis domeſtica Catechizatio ob dictam illam aſſociationem & combinationem, faciet eccleſiaſticam & publicam? Uti non cenſetur epulum publicum, cum unus atque alter extra illam familiam poſitus prandio aut cœnæ ſemel atque iterum, aut perpetuò ſtatis diebus adhibetur: ſic nec talis Catechizatio. Et uti ejuſmodi prandia aut cœnas, ne quidem numeroſa convivia, à ab expreſsâ conceſſione ſuâ nec Magiſtratus nec Eccleſia ſuſpendit, nec eadem ad curam ſuam ſpecialem revocat, niſi in caſu malæ adminiſtrationis, & abuſus: ita de domeſticis & pædagogicis Catechizationibus, Scripturę lectionibus, pſalmodiis, &c. ſtatuendum: quibus Eccleſiæ, ejuſque poteſtati & ordini nihil præjudicatur. *Synodus Dordracena Decreto* toties laudato,

Digitized by Google

dato, tantum abeſt, ut ſuſpectas habeat congregationales ſeu aſſociatas ejuſmodi Catechizationes, ut ſeriò eas commendet præſertim competentium. Et omnino tales Eccleſiaſticæ in frequentibus Eccleſiis ſunt neceſſariæ : quod impoſſibile ſit ſingulos à Miniſtris, quamvis duplo aut triplo pluribus, ſufficienter catechizari. Et cur tenues illę aſſociationes aut acceſſiones in domeſticis & ſcholaſticis grande nefas Parentibus, Ludimagiſtris, Pędagogis, Proponentibus crearent ? Omnia tuta ſi hic timenda putantur, cur non æque aut magis circa convivia, mutua alloquia, aperta quæ vocant, atria, ſocietates & conventus Artificum, Vicinorum, & quæ non? Nota eſt regula: tollatur abuſus & maneat rerum ſubſtantia. *Forte quis inſtet*, præjudicari Miniſtris, & involari in ipſorum munus. *Reſp.* Non magis quam domeſtica aut ſcholaſtica Catechizatio, præjudicat eccleſiaſticæ ordinariò per Miniſtros habendæ. Quod ſi Miniſtri, præſertim in frequentioribus Eccleſiis ſufficerent parvulis quibuſque & ignorantibus pro captu & profectu cujuſque catechizandis, utique privati Catechiſtæ labori ſuo, & Parentes ſumtibus parcerent. Nunquam putabit Miniſter ſibi & muneri ſuo præjudicari, ſi ſenio, membrorum imbecillitate, morbo, aut aliter afflicti, à Proponentibus, aliiſque ſive Amicis ſive vicinis, ſubinde viſitentur: conſolationibus, piis collationibus, concionum, quibus intereſſe nequeunt, repetitionibus reficiantur: aut ſi ab heterodoxis tentati confirmentur, nutantes & ſeducti in viam revocentur, ſeductoribus in faciem reſiſtatur & os obſtruatur. Omnia illa nihilominus & peculiari quàdam ratione, ad munus Miniſtrorum pertinere nemo negaverit : adeo ut nullum ipſis ab aliorum Catechizationibus, conſolationibus, convictionibus præjudicium, ſed gratiſſimum ſubſidium & auxilium exſpectandum ſit. Optent modo, ut omnes prophetent.

V. *Quæſt. Quid de Senioribus ſeu Presbyteris gubernantibus cenſendum?* *Reſp.* quamvis illi ordinariò juxta cum Presbyteris docentibus in verbo non laborent (1 *Timoth.* 5. *v.* 17.): aliquid tamen (ſiquidem mediocriter ad hoc idonei ſint, uti eſſe debent) ipſis hic agendum judicavit *Synodus Dordrac. Decreto & ſeſſ. cit.* Et tantum ipſis in negotio doctrinæ tribuitur à *Liturgia noſtrâ*, & *Statutis eccleſiaſticis*, perpetuâque praxi in Synedriis, Claſſibus, Synodis: ut à Catechizatione excluſi aut immunes haberi non debeant. De quo pluribus infra *Part.* 2. *tit. de Senioribus.*

§. 4. Videndum nunc in aut ſuper quibus rudes catechizandi. Communis ſententia ex 1 *Corinth.* 3. *v.* 2. *Hebr.* 5. *v.* 12. 14. cum 6. *v.* 1. 2 *Timoth.* 1. *v.* 13. colligit eſſe communia quædam & neceſſaria principia, axiomata, & capita religionis, quæ nominibus *lactis*, *ſermonis initialis qui rudes inchoat*, *elementorum initii eloquiorum Dei*, *hypotypoſios*, ſeu *expreſſæ formæ ſaniorum ſermonum*

monum cum fide & caritate quæ eſt in Chriſto Jeſu, loco cit. indigitantur. Qualia autem, quæ, & quot ſint hæc principia & capita potius catecheticis formulis, quæ ſuperiori ſæculo ab Orthodoxis & Heterodoxis certatim editę ſunt, & quotidianâ catechizationum praxi, quam Doctorum diſputationibus definitum videmus, Nihilominus ad hujus rei illuſtrationem quæratur.

I. *Quæſt. An ſola, uti vulgo vocant, fundamentalia Catecheſi tractanda ſint? Reſp.* Fundamentalia dicuntur vel quę præcisè ad ſalutem ſcitu & fide explicitâ creditu neceſſaria ſunt, neceſſitate medii: vel quæ ad incorporationem in bene conſtitutam Eccleſiam viſibilem requiruntur. De poſterioribus propriè nobis determinandum eſt: de prioribus non tam facile determinari poteſt, quantum ad τὸ maximum & minimum *quod ſic:* paulò facilius, quantum ad τὸ maximum & minimum *quod non.* Vide hęc diſtincta, & applicata in 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Artic. & Error fundament.*

II. *Quæſt. An ſint ſoli ac nudi tituli, ſeu paratitla, aut termini incomplexi, aut lemmata quædam non explicata aut diducta? Reſp.* negant ipſo facto omnes non tantum Noſtri, ſed & Pontificii, Anti-trinitarii Photiniani, Anabaptiſtę, Remonſtrantes, quotquot Catecheſes ſcripſerunt. Nulli enim terminis incomplexis e. gr. Dei, Chriſti, Angeli, Hominis, juſtificationis, fidei, baptiſmi, &c. colligendis & quaſi ſyllabo proponendis, ſed attributis ſubjectorum ex Scripturâ decerpendis, & legitimis enuntiationibus, theſibus, articulis, concluſionibus formandis & proponendis occupantur: additis, ubi res in poſtulare videtur, hypotheſibus, & rationibus, nonnunquam antitheſeon rejectionibus & elenchis. Imperitè ergo aut dolosè jactari audimus, ſolum Deum & Chriſtum: quaſi in monaſterium aliquod fratrum ignorantiæ nos compingere velint; quos referunt nihil ſcire voluiſſe, niſi Chriſtum, Mariam, Franciſcum. Si dicant; ſe intelligere Deum & Chriſtum realiter explicatum, non contractum nominaliter: petimus, ergo ut exemplo Pauli, & Auguſtini reipſa hoc oſtendant: nec generali & nudo uno atque altero titulo tenebras explicitæ fidei offundant, & ſimpliciores ludant. Amplectantur & imitentur diductam Catecheſim *Pauli in Epiſtolis*, vel in unâ *ad Romanos:* & habebunt genuinam explicationem dicti 1 Cor. 1. v. 2. *Non enim ſtatui quidquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum crucifixum.* Inſpiciant modo *Auguſtini Scripta dogmatica, parænetica, elenctica*, & ſenſum verſiculorum, quos ipſi aut alicui ipſius Diſcipulo, alicubi tributos memini, percipient:

Si Chriſtum diſcis, nihil eſt ſi cætera neſcis:
Si Chriſtum neſcis, nihil eſt, ſi cætera diſcis.

Conferatur 3. *Pars ſelect. Diſpp. tit. de Ignorantiâ.* Notandum *Joh. Hooper*

Digitized by Google

epiſcopum Gloceſtrienſem & martyrem, brevem fidei Chriſtianæ confeſſionem, juxta ordinem ſymboli, centum articulis (quorum non pauci plures, quam unam, theſim continent) propoſuiſſe; excuſam Londini apud Chriſtoph. Barker a. 1581. in 8.

III. *Quæſt. An ſolum Symbolum, vulgò dictum apoſtolicum, aut illa addita Decalogus & Oratio dominica memoriæ imprimenda & inde depromenda, ac pronuntianda? Reſp. Neg.* de ſolo Symbolo. Rationes dedimus in 1. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Symbolo, & 3. Part. tit. de Artic. & Error. fundament.* Nec ſufficit Symbolum cum Decalogo, & Oratione Dominica memoriæ infigendum, & pronuntiandum proponere: quod mecum omnes Catechiſtæ fatentur, cum Pueris catechumenis omnes catecheticas reſponſiones Symbolum, Decalogum, Orationem dominicam explicantes, domi, aut in ſchola, aut in Eccleſiis memoriter reddendas proponunt. Verum eſt, quod vulgo dicitur de ſex capitibus catecheticis, Symbolo, Decalogo, Oratione dominicâ, inſtitutione baptiſmi, euchariſtiæ, diſciplinæ eccleſiaſticæ: ſed intelligendum eſt, non de illis verbotenus, & in formâ nudè propoſitis, & memoriæ impreſſis; ſed de earundem catechetică & neceſſariâ explicatione.

IV. *Quæſt. An principia ſeu axiomata illa catechetica ſint pauca; immo paucissima? Reſp.* Ita quidem ſtrepere ſolent olim, & hodie Novaturientes: ut hoc narcotico Eccleſiæ Membra & Miniſtros in ſomnum inducant, & ipſi interea zizania ſua ſerant. Hoc ſtratagema Satanæ ſubdolè obtruſum ab *Acontio in Libro de Stratagematis Satanæ;* & adoptatum à Socinianis, Remonſtrantibus, aliiſque fidei aut bonorum operum, aut utrorumque integritatem hodie per cuniculos aggredientibus. Quibus multi indocti, inſtabiles, tepidi, nominales reformati, neutrales, anti-præciſiſtæ, laxi-caſuiſtæ, omneſque carnales, mundani, profani, certatim ſuccinunt: fiſtulâ dulce ſonantes caritatem, pietatem, pacem, moderationem, problematica, variantes opiniones, prophetandi libertatem. Quaſi ſcil. hęc curarent, hæc agerent, qui lacteis & mellitis fallacium verborum globulis incautos circumveniunt. Perpetuo deprehenſum eſt, tales χρυσολόγους neminem ferre, niſi quem ad χθὲς κὴ πρώιν mutatas ipſorum opiniones hoc eſt ad χρύσεα χαλκείων, ad novè excogitatas putidiſſimas ſophiſticationes, ad ἰδιογνωμοσύνην, jam tranſiiſſe, aut paratum tranſire noverint, & vel ab univerſo Reformatorum immo & totius Chriſtianiſmi conſenſu, illâ in parte, deficere. Sed jactatam illam paucitatem, Sociniani, & Remonſtrantes praxi ſuâ & editis catechiſmis, & hodierni æruſcatores dictis, ſcriptis, factis ſuis haut aliter refutant, ac Diogenes ambulando zenonis ἀκινησίαν. Pluribus has πεφωτισμὸς non perſequar: cum *Part. 1. ſelect. Diſpp. tit. de Trinitate, Part. 2. tit. de Articulis & Erroribus fundamentalibus, Part. 3. tit. de Hæreſi, & de Hæreſi Anti-trinitariâ* eas diſcuſſerim.

Digitized by Google

rim. Notent, ſi auſint, in noſtro catechiſmo, quænam capita, quas theſes illic explicatas, putent omittendas, tanquam ſuperfluas.

V. *Quæſt. An & quomodo differant Formulæ catechetica, à Locis communibus, Syſtematis, Syntagmatis, Corporibus doctrinæ? Reſp.* Non differunt, quod ad ſummam rerum tractatarum, aut doctrinæ ſubſtantiam: ſed quod ad materiæ extenſionem, & modum rationemque tractandi. Nam 1. non tam plenè & latè principales theſes in catecheticis explicantur, cum hypotheſium & conſectariorum adjectione. 2. nec methodo ac elocutione didaſcalicâ & acroamaticâ, per explicationem terminorum Hebr. & Græc. in Scripturis, adhæc patriſticorum, ſcholaſticorum, hodiernorum; per reales præterea definitiones, diviſiones, cauſas, comparata, oppoſita, τὰ γνῶσα ſingularum materiarum exhauritur. 3. nec theologia naturalis, ejuſque rationes & demonſtrationes illis ordinariè admiſcentur. 4. Nec theologia elenctica anaſcevaſticè & cataſcevaſticè, cum duplicis & triplicis, illic inſeritur. 5. Ut nec theologia hiſtorica; quæ dogmatum antiquitatem, ſucceſſionem & ſtatum per omnia ſæcula cum oppoſitis hæreſibus aut enarrat, aut ſaltem breviter annotat.

VI. *Quæſt. An ad omnes, aut ſaltem ad pleraſque materias & quæſtiones in Academicis Locorum communium collegiis & collationibus tractari ſolitas, illiteratorum (quales multi ſi non omnes) Catechizationes ſeu exercitia extendi poſſint? Reſp. Neg.* de Catechizationibus Puerorum, & rudium adultorum etiam competentium: ubi lacte ſcripturario ſolummodo paſci & ad profeſſionem fidei ac communionem eccleſiaſticam præparari debent; non cibo ſolido, 1 *Corinth.* 3. *Hebr.* 5. *&* 6. Conceditur de Catechizationibus provectiorum & jam probè Catechizatorum: quæ forte nomine collationum & prophetiarum potius appellandæ, quam Catechizationum; ſi vocem hanc ſtrictè & ex uſu communi accipiamus. Et tales Catechizationes præformant nobis, iiſque inſerviunt ſolida *Commentaria catechetica Urſini, Parei & aliorum*, in linguam vulgarem in gratiam idiotarum, (non Studioſorum theologiæ, qui linguam latinam intelligunt) tradueta ab eximio Theologo Feſto Hommio: de quo §. ſequenti. Ejuſmodi exercentium ſeu catechizantium collegium in hâc Eccleſiâ jam inde poſt annum 1619. inſtitutum; quod per multos annos clauſis foribus nunc vero apertis & quibusvis Auditoribus admiſſis poſt pomeridianas conciones dominicas ſub præſidio Concionatorum perpetuo celebratur: ubi exercentes non tantum ſuper ſectione catechetica publicis concionibus explicatâ per quæſtiones à Concionatore poſitivè & elenctice examinantur; ſed & ipſi, pro re nata ad majorem elucidationem dubiâ ac quæſtiones proponunt, & ſuper iis conferunt: aliqui etiam ex illis, quoties ita viſum, analyticam Catecheſios

ed by Google

explicationem & per plures Scripturæ textus confirmationem memoriter pronuntiatam proponunt. Ad hanc Catechizationem præparant ſe lectione *Theſauri catechetici Feſti Hommii* modo indicati, & auditione concionum catecheticarum, quæ non tantum poſitivam & elementariam Κυρίων dogmatum ex Scripturis explicationem ac probationem pro rudioribus, ſed & pleniores ac eruditiores diſſertationes, elenchos, & uſuum practicorum applicationes, in quibuſdam etiam indicia hiſtorica dogmatum, hæreſion, conſenſus cum antiquis Conciliis & Patribus, immo & (neceſſitate ita poſtulante ſive in materiis dogmaticis ſive in practicis) cum recentioribus Confeſſionibus, Synodorum decretis, primis Doctoribus reformatis. Hæc propter hominum duritiem, obloquentium importunitatem, & circumſiſtentiam adverſariorum contentionem, ſubinde fieri neceſſe eſt: ut ſi ipſi argumentis & ſolutionibus directis, & indirectis tum δ' ἀδύνατα tum κατ' ἄνθρωπον, id eſt, ad hominem, non moveantur, noſtri ſaltem contra inſidias atque inſultus eorum abunde inſtruantur ac muniantur. Repetitiones ejuſmodi concionum, & collationes catecheticas cum gradu emientiæ, in hac Urbe admodum utiles, immo & neceſſarias eſſe nemo inficiabitur, qui nôrit, quot Heterodoxorum inſidiis & ſeductionibus oves noſtræ pateant. Ut jam non dicam, cum profectu aliquo à novitiis Studioſis theologiæ deſtinatis, quin & à theologiæ Studioſis & miniſterii Canditatis tales collationes audiri. Præterquam quod ex illo exercentium collegio alios in verbi Prælectores, Ludimagiſtros Catechiſtas, ægrotorum Conſolatores promoveri; alios in Seniores, & Diaconos hujus aliarumque Eccleſiarum eligi; alios ſeu motu proprio, ſive ſuaſu eorum, qui dona Dei ex illis exercitiis perſpecta habent, quamvis ſerius, ad ſtudia ſe conferre, quorum curſu in Linguis, Artibus, & Theologiâ feliciter peracto, ad verbi miniſterium vocari contingat. Simile quid in Belgio & alibi intendiſſe videntur reformati noſtri Prædeceſſores, inſtitutis exercitiis & collegiis Prophetantium & Proponentium: de quibus *Cap. ſequenti.* Nullius oculus debet eſſe malus, ſi Dei bonus eſt. Quamvis omnes non ſint futuri Concionatores, nec id intenderint Miniſtri hujus Eccleſiæ, qui primi illud collegium exercentium poſt annum 1619. inchoârunt, & qui etiamnum idem continuant: ſtat tamen ipſis & ſtare debet illud 1 Cor. 14. v. 5. *Velim autem omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis.* & ut quilibet fideles ſint Doctores *Hebr. 5. v. 12.* & *terra plena ſit ſcientiâ Jehovæ veluti aquis alveum maris obtegentibus* Jeſ. 11. v. 9. Et ne tollatur clavis cognitionis. *Luc. 11. v. 52.* Audiatur reſponſum Moſis Numer. 11. v. 29. *An invides tu meâ causâ? atqui utinam totus populus Jehovæ eſſent prophetæ indente Jehova ſpiritum ſuum illis.* Excipiat forte quis, omnium ingenia, vocationes, res familiares non ferre, ut lectione *Theſauri*

Digitized by Google

Jauri catechetici Fessli Hommii & collatione textuum illic citatorum se ad exercitium hoc præparent. Sic est, & hoc probè nôrant Ministri hujus Ecclesiæ, qui hoc Catechizantium exercitium ante erectam Academiam hic instituerunt & excoluerunt; nec post erectam Academiam dimiserunt. Ideo promiscuè quoslibet ad illud non invitarunt aut admiserunt; sed tantum delectos quosdam Adolescentes & Juvenes: quorum ingenia & rationes hoc ferre posse putabant, ut sectionem catecheticam accuratè imprimerent, eandem per partes divisiam Scripturæ dictis etiam memoriter pronuntiatis munirent, ad quæstiones & objectiones à Ministro propositas responderent, & ipsi vicissim quæstionibus & objectionibus propositis ulterioris illustrationis occasionem præberent ac quærerent. Quid si autem in hac Urbe sint, uti sunt non pauci Juvenes tum literati tum illiterati, nulli rei familiaris curæ abnoxii, quibus Deus hæc otia fecit, ut de pane per diurnas operas lucrando non necesse sit eos cogitare: an nefas esset, tales ad pia ejusmodi exercitia sponte confluere, aut à Ministris invitari: quamvis non intendant ad munus Concionatoris se præparare? An Ecclesiis pejus esset, si multos tam bene exercitatos in communione suâ; insuper in muneribus Seniorum & Diaconorum aliquando constitutos videret? Hebræi debebant esse Doctores, secundum *Hebr. 5. v. 12.* & tamen omnes illi non debebant pariter. Concionatores esse, aut ad munus illud aspirare ac se præparare. Velim Pontificii & si qui alii clavem scientiæ aut sublatam, aut saltem magis pretiosam, & Catechizationes cum Prophetiis pauciores, magisque contractas, diminutas, attenuatas esse velint; definiant prius ꝑ maximum positivum seu *quod sic* cognitionis spiritualis Scripturarum, & dogmatum Theologiæ, cujus circo privati quique Fideles tum literati tum illiterati otio, viribusque animi & corporis minime destituti, in perpetuum circumscribi debeant: adeo ut ne tantillum quidem ultra proficiant. Hoc dum exspectamus, exemplum Pantæni, Clementis Alexandrini aliorum in Ecclesiâ antiquâ Catechizantium, quos in omnibus tractatibus de Catechesi, post verbum Dei ad partes adduci videmus, imitandum commendamus. Illos autem extra alphabetarias seu elementarias explicationes, Catechesin suam extendisse docent scripta quæ hodie supersunt.

VII. *Quæst. An omnes Catechizationes debeant esse pure theticæ, quibus veritates fidei ex Scripturis simpliciter doceantur & confirmentur; an vero inter selectos quosdam exercentes, etiam purè aut potiorem partem elenctica haberi possint? Resp. Neg. pr. Aff. poster.* imprimis, illic locorum ubi heterodoxiæ Ecclesias circumsonant, immo & per eas serpunt. Rationes sunt. 1. *quia* præit *Apostolus in Epistolis ad Romanos & Galatas*; & Apollos hoc nomine à Spiritu

tu S. laudatus *Act.* 18.*v.*26.28. 2. *quia* non tantum Miniſtri debent ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *Tit.* 1. *v.*9. ſed & omnes Fideles ſecundum menſuram fidei, pro fide decertare *Jud. v.* 3. & apologiam ejuſdem præſtare. 1 *Petr.* 3. *v.*15. Ad hoc autem idonei fiunt per Catechizationes elencticas. 3. *quia* conciones catecheticę immo & quęvis aliæ ab elenchis non abſtinent in illis Eccleſiis, ubi hęc neceſſaria antidota & prophylactica requiruntur. 4. *quia* publicæ Formulæ catecheticæ præſertim Palatino-Belgica aliquot elenchos miſcent. Vide *Sectiones*, ubi de Aſcenſione Chriſti, de Juſtificatione, de Baptiſmo, de Cœnâ. Ut nihil nunc dicam de privatis Theologorum *Catecheſibus* e. gr. *Brentii*, *Cythræi*, *Perkinſi*, deque *Commentariis catecheticis Urſini*, *& aliorum ſupra cit.* qui in Linguam noſtram non fruſtra tranſlati ſunt. 5. *quia* peculiares Catechiſmi purè elenctici linguâ vulgari à Theologis bono publico eduntur: ut ſcil. privatæ multorum, quibus hoc datum eſt, lectioni, eorundemque collationi, catechizationi, prophetię, exercitio, (de nominibus hic non laboramus) inſerviat. Præclarum *Catechiſmi anti-Sociniani* exemplum datum eſt à *D. Petro de Witte* Eccleſiaſte Leidenſi & anti-Papiſtici à cl. D. *J. Hoornbeek* ibid. eccleſiaſte & profeſſore. Huc referri poteſt *Refutatio Catechiſmi Remonſtrantici* à cl. D. *Heidano* ibid. eccleſiaſte & profeſſ. vernaculo Sermone conſcripta, eademque poſtea, contra Apologiam Epiſcopii defenſa.

VIII. *Quæſt. An utiles ſint Catechizationes & collationes tantum aut præcipuè circa omnia, aut aliqua practica? Reſp.* Quid ni? Si Exercentes ſint capaces, & dogmatis catecheticis ſatis aut mediocriter imbuti, eorumque rationes hoc ferant. 1. *quia* Theologia eſt ſcientia practica: ut ab eâ aut nomine ejus pariter horrere debeant, qui à praxi, applicatione practica, exercitiis pietatis abhorrent. 2. *quia* conciones catecheticę breviter, aliæ conciones ad Scripturæ textus ubertim praxin reſipiſcentię, fidei, ſpei, caritatis conſcientiæ, conſolationis, adhortationis proponunt. Atqui utriuſque generis conciones apud exercitatiores inter Catechumenos in ſcholaſticis, domeſticis, eccleſiaſticis Catechizationibus, ſeu collationibus repetere, utile & uſitatum eſt: Confer *Cap. ſequ.* 3. *quia* ipſa Catecheſis Noſtra articulos fidei ſub formâ praxios, aut cum applicatione proponit. Prioris exempla Vide in *Quæſt.* 26. 43. 44. 49. 51. 52. 57. 58. poſterioris in *Quæſt.* 36. & tota *Tertia pars Catechiſmi* meram praxim reſipiſcentiæ, novę obedientiæ & caritatis per partes explicat: ubi imprimis προσληπτικὸν eſt explicatio Orationis dominicæ. 4. *quia Theſaurus Catecheticus Feſti Hommii* in elaboratiſſimis *Tabulis* ubique articulorum fidei non tantum cognitionem & fidem ſed etiam fiduciam & ſpecialem applicationem practicam præformat. *Joh. Spiljardus* in noviſſima ejuſdem Theſauri editione anni 1657. à Theo-

Digitized by Google

Theologis Leidenſibus & Ultrajectinis approbata & peculiariter eo nomine commendatâ meditationes practicas ſingulis quæſtionibus ſubjecit. Quæ omnia vernaculo ſermone edita non ſunt, ut ſub modium reponantur, ſed ut pro captu & profectu exercentium ſolitariæ ac ſociæ lectioni, repetitioni, collationi inſerviant. Idem dicendum de eximiâ catecheſi *Perkinſi* vernaculis linguis editâ. Si quis objiciat ſaltem caſuum conſcientiæ explicationem ac determinationem, Catechizationibus non convenire. *Reſp.* Si per caſus conſcientiæ intelligis theticas quęſtiones morales, utique tota catechetica explicatio Decalogi prætereunda eſſet. Quod abſurdum. Ipſa enim *Catecheſis* quaſdam controverſas quæſtiones attingit, *ad ſecundum & tertium Præceptum;* & *Commentarii catechetici* ad reliqua præcepta controverſias de Sabbatho, de officio magiſtratus, *ἀνυφωνίᾳ*, cœlibatu, conjugio, polygamia, uſuris, mendacio, concupiſcentiâ inhærente, motibus primo primis, &c. Idem agunt conciones catecheticę: quas in conventibus quorumvis Catechumenorum, imprimis in collegiis exercentium repeti poſſe, nemo, ut opinor, negabit. Quæ enim ab omnibus in Eccleſia tutò audiuntur, cur repetitionibus, collationi, & examini per quæſtiones & reſponſiones non ſubjiciantur? ſic tamen, ut captus & profectus Diſcipulorum ratio habeatur. Omnes enim omnia nec capere, nec ferre poſſunt. Quod arti & prudentiæ Catechiſtarum committendum eſt. *Sin vero* per caſus conſcientiæ, intelligantur hypotheticæ eſt ſpeciales quæque determinationes, circa communem, & circa particulares Chriſtianorum vocationes in Republicâ, in Eccleſiâ, in Scholâ; nolim Catechiſtas imitari Libros caſuum, & confeſſionalia Papiſtarum non tantum latinâ ſed & vulgaribus Linguis, Luſitanicâ, Italicâ, &c. edita, ex quibus ignorantes diſcunt, quæ præſtaret neſcire: multa enim abominanda docentur, dum minutim explicantur, agitantur. De quo vide *Judicium Sorbonici cujuſdam dicti Athelii* citatum à nobis in *Deſper. Causâ Papatus lib. 2. ſect. 3. cap. 2.* & ex Noſtris *Riveti in Commentar. ad 7. Decalogi Præceptum, ejuſdemque in Myſteriis Patrum Jeſuitarum*, ſub nomine Renati Veridei, per anagrammatiſmum. Omnes tamen particulares caſus hinc proſcribi non debent, quorum uſus in hac aut illâ Gente, Urbe, Eccleſiâ, propter endemios abuſus graſſantes, aut reſiduos, ad mores informandos eſt neceſſarius: e. gr. an Pueris & Adoleſcentibus vim vi repellere liceat; an Liberis, Servis, Ancillis, quidquam vel minimum Parentibus aut Heris ſubtrahere; an his vel illis verborum formulis uti, quæ abuſum nominis divini, involvere, aut viam ad illum ſternere dicuntur; an vectigalia, telonia, &c. fraudare; an idola & idololatriam ex curioſitate ſpectare, quocunque reverentiæ ſigno exhibito; an voluptatis causâ gallos gallinaceos inter ſe committere & ad pugnam illam alere, aut jumenta crudeliter tractare; an nuda pectora & dorſa, o-

 mnium

mnium oculis ſubjicere; an faciem fucare; an emplaſtris nigris & figuratis conſpargere, ut color candidus tantò magis luceat; an choreas, tum ſimplices, tum dramaticas, quas *balletas* vulgò appellant, & actiones comœdiarum frequentare; an aleâ tempus fallere, & ſimilia quamplurima; quæ ſi piè & prudenter in concionibus datâ occaſione coram quibuſvis Auditoribus iſtic loci moventur, utique malè non fecerit qui in repetitionibus iſtarum concionum, & in Catechizationibus bene dicta tum rudioribus tum exercitatioribus pro indigentiâ & captu cujuſque inculcaverit. Hoc ita ſenſiſſe arbitror graves Theologos qui in gratiam idiotarum *Perkinſi* & *Ameſii Caſus conſcientiæ* alioſque *ejuſdem Tractatus practicos*, *Ludovici Baylii Praxin pietatis*, *Variorum Commentaria decalogica*, &c. in Noſtrum idioma transfuderunt. Quibus eo nomine nec Eccleſiæ noſtræ, nec ullus Theologus antehac litem movit. Breviter Catechizationes non tantum elementarias & initiales parvulorum & rudiorum, ſed & altius uſque ad elenchos & praxim aſſurgentes, in apoſtolicâ & ſuccedente antiquâ Eccleſiâ habitas & etiamnum habendas, judicat celebris Theologus Joh. Prideaux Conc. 4. ad *Actor.* 18. *v.* 24. 25. pag. 32. 33.

„ 2. Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου: *Initiatus*, legit *Beza*; Inſtitutus, „ *Eraſmus*; *Syrus Metalmad*, edoctus, ſive factus diſcipulus; *Arabs Jata-* „ *lammado*: Singuli innuunt, ſic initiatum, inſtitutum, edoctum, factum „ illum ſuiſſe Diſcipulum, ut concepiſſet femina amplioris *Meſſis*, quæ in „ herbâ interim *exareſceret*, niſi ulteriùs excoleretur. Verbum autem „ (κατηχημένος) in textu non ſimplicem tantum ingerit inſtitutionem, vel „ doctrinam *qualemcunque elementarem* ſed *ſacram*, *articulatam*, *ſuccinctam*, „ *methodicam*, non *auribus* ſolùm, aut *palato*, ſed *captui* & *cordi* Auditoris „ adaptatam, ut non tàm *doctior* indè, quàm *melior* evaderet. Non inſcitè „ igitur quoad ſenſum licet non adeò politè verbotenùs textum quis expreſſerit. Hic erat *Catechizatus τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου*: id eſt κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου (ut „ notat Piſcator) juxtà viam *Domini*. Nàm ità alibi vulgaris: Communi- „ cet is, qui *Catechizatur* verbo, ei qui ſe *Catechizat*, in omnibus; ad Galat. 6. „ 6. undè *Catechеſis*, *Catechiſmus*, *Catechizo*, *Catechumenos*, *Catecheta*, *Ca-* „ *techiſta*, vulgatiſſima adhùc obtinent in *Eccleſiâ* vocabula. Quid autem „ eſt *Catechiſmus*, niſi *ſumma* Doctrinæ Chriſtianæ, ità Incipientium *captui* at- „ temperata ut parati ſemper ſint, ad *rationem reddendam* ejus, quæ in illis eſt, „ ſpei? 1 *Pet.* 3. 15. Et quinam *Catechumeni*? niſi *ita inſtituti*, *imbuti*, & *ini-* „ *tiati*, ut ex talibus *rudimentis*, ad perfectionem ulteriorem provehantur? „ ad Hebr. 6. 1. Tales verò non ex literis tantùm, ſed ἀπὸ στόματος, *vivâ vo-* „ *ce*; nec publicè *ſolùm* à *Profeſſoribus*, ſed privatim à *Parentibus*, *præceptori-* „ *bus*, *Tutoribus*, religiosè informabantur. Quod non ſatis erat præſtitiſſe, niſi

repetendo,

Digitized

„ repetendo, & respondendo memoriter ostenderit *Auditor* se, quod præce-
„ ptum erat, ad unguem intellexisse, & tenuisse.

„ 3. Non opus est ut *classes Catechumenorum* è priscis deducam: quomodò
„ Alii erat *teneriores*; alii *provectiores*; quo tempore transierunt sic *initiati*, à
„ *Catechumenis* ad *Competentes*; à *Competentibus* ad *Fideles*; quo loco, extra
„ *cancellos* stabant *Catechumeni*, quem appellabant *Catechumenon*, quales ta-
„ bulæ *Catechistæ* asservabantur in singulis *Ecclesiis* (juxta Decretum *Concili Neocæsariensis*) & hujusmodi. Hora properat; & mihi multa restant
„ percurrenda. Illud tamen non omittendum de *Initiatis* sivè μεμυημένοις a-
„ pud *primævos* Scriptores, Illos fuisse *tales*, quibus *Sacris*, & *Sacramentis*
„ licuit quidem interesse, sed non cum *Fidelibus* liberè communicare. Hinc
„ *Fideles* σύμυστας. & μυσταγωγούμενοι passim audiunt. Quibus opponuntur
„ ἀμύητοι apud *Chrysostomum*, *Theodoretum*, & *alios*. De illis crebrò intercur-
„ runt inter *Græcos Patres* familiares istæ loquendi *formulæ*, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι:
„ ἴσασιν οἱ συμμύσται: ἴσασιν οἱ πιστοί: ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι τὸ λεγόμενον. No-
„ runt *Initiati*, *Symmistæ*, *Fideles*, *Mysteriis* reconditioribus *imbuti*, illud quod
„ dicitur.

Porro occasionem dari in Catechismo Palatinatus, tractationum & digressionum practicarum figillatim sic indico: ad quæst. 1. de *consolatione fidelium*; ad qu. 4. & 5. de, *de examine conscientiæ & probatione sui ipsius, de amore divino, de dilectione proximi.* qu. 10. 11. amplificationes *de irâ & vindictâ divinâ, de pœnis infernalibus.* qu. 12. 13. 14. de *salutari desperatione & diffidentiâ in nobis ipsis, & in omnibus creaturis.* qu. 21. *de praxi fidei.* qu. 26. & 28. *De animi tranquillitate,* εὐθυμίᾳ, *fiduciâ sorti.* qu. 32. de beatitudine *& dignitate, præstantiâ,* & 36. & 36. *privilegiis fidelium.* qu. 35. 36. 44. *de meditatione passionis Christi crucifixi, ejusque fructuum.* qu. 42. *de bono mortis,* εὐθανασίᾳ, *consolationibus contra metum mortis.* qu. 45. 49. 51. *de meditatione glorioſæ exaltationis Christi, ejusque fructuum.* qu. 52. *de meditatione judicii extremi.* qu. 53. *de meditatione paracleti, spir. s.* qu. 54. *de meditatione practicâ prædestinationis & perseverantiæ.* qu. 55. *de praxi communionis sanctorum.* qu. 56. & 60. *de meditatione practicâ gratuitæ remissionis peccatorum & justificationis.* qu. 57. 58. *de meditatione practicâ beatæ resurrectionis & vitæ æternæ.* qu. 69. 71. *de meditatione & praxi baptismi.* qu. 75. & 81. collatis cum Liturgiâ tit. de administratione cœnæ, *de praxi cœnæ, & debitâ ad eam præparatione.* qu. 88. - 91. *de praxi resipiscentiæ.* qu. 94. - 114. de virtutum particularium ad singula præcepta decalogi, *stimulis seu motivis, auxiliis, signis:* deque *vitiorum turpitudine, causis, & alliciis,* symptomatis, signis, characteribus, præservativis, antidotis. Sunt autem particulares virtutes qu. 94. *spiritualis Dei cognitio, fides, fiducia, humilitas, subjectio & obedientia, patientia seu tolerantia, spes, Dei*

Digitized by Google

amor, timor, honor, resignatio & abnegatio, immo & odium nostri ipsius, ex hypothesi scil. & positis ponendis. Ibidem, vitia opposita ut *superstitio, magia, idololatria tum formalis tum interpretativa.* qu. 96. de *religiositate & devotione:* cum oppositis. qu. 99. *de nominis divini sanctificatione & glorificatione, per preces, eucharistias, laudes, vota, juramenta:* & oppositis, *blasphemiâ, execratione seu maledictione, perjurio.* qu. 103. de *praxi & sanctificatione sabbathi: & oppositâ profanatione.* qu. 104. de *virtute humilitatis & obedientiæ;* & oppositâ *superbiâ.* qu. 105. de *misericordiâ, æquitate, benignitate, humanitate, lenitate:* cum oppositis *irâ, vindictâ, odio, invidiâ, crudelitate.* qu. de *castitate in cœlibatu, conjugio, viduitate:* cum oppositis *luxuriâ impudicâ, luxu, gulositate, ebrietate, vanitate chorearum, & spectaculorum.* qu. de *justitia, liberalitate, sedulitate:* cum oppositis *furto, sacrilegio, mordente usurâ, ἀνελευθερίᾳ, simonia, avaritiâ, prodigalitate, ignavo otio.* qu. 112. de *veracitate, simplicitate, sinceritate,* de *regimine linguæ:* cum oppositis, *garrulitate seu multiloquio, mendacio, dolo, fraude, simulatione, æquivocatione & mentali reservatione, falso, calumniâ, obtrectatione, convitio, diffamatione,* ad quam refer *libellos famosos.* qu. 113. de *concupiscentiâ inhærente, luctâ carnis & spiritus,* de *regimine affectuum & cupiditatum, de regimine cogitationum, deacedia,* de *securitate carnali.* qu. 115. de *studio ἀκριβείας seu præcisitatis:* & oppositis *laxitate, falsâ libertate.*

IX. *Quæst. An utiles sint Catechizationes super textu Scripturæ? Resp. Aff.* ut scil. per quæstionum & responsionum repetitiones & formationes, ac reformationes, summa seu contentum librorum, aut capitum, aut tmematum, ab ipsâ pueritiâ tanto melius imprimatur. Si enim nostris convenit exemplo Timothei 2 *Tim.* 1. *v.* 14. 15. cum 3. v. 15. ἀπὸ βρέφους Scripturas discere, & Parentibus aliisque exercitatis de iis domi foris cum familiâ suâ aliisque conferre *Deuter.* 12. *v.* 18-22. certè Catechizationes tales tum domesticæ, tum ecclesiasticæ sive publicę, sive privato-publicę utiliter adhibentur. Sunt autem illæ vel selectorum capitum & librorum, vel historiæ Scripturarum V. & N. T. vel doctrinæ Scripturarum. Tales Catechizationes promovere studuerunt *Eusebius Pagit* Libello Anglico anno 1603. & postea a. 1623. tit. *Historia Bibliorum per quæstiones & responsiones*; & ex Nostratibus, qui dictum libellum in idioma nostrum transtulit; & *Anonymus*, qui anno 1628. libellum dedit tit. *Doctrina Bibliorum*, &c. *per totum Scripturæ cursum per quæstiones & responsiones collecta.* In hâc nostrâ Ecclesiâ simile quid in Catechizationibus Puerorum & rudiorum observatur: ubi occasione textuum historicorum in Ecclesiâ explicatorum historiæ de Christi nativitate conceptione ex *Math.* 1. *Luc.* 1. & 2. passione, ex *Math.* 26. & 27. *Luc.* 22. & 23. sepulturâ *Math.* 27. *v.* 57. & seqq. *Joh.* 19. *v.* 38. & seqq. resurrectione

ex

ex *Math.* 28. *Marci* 16. *Luc.* 24. *Johann.* 20. ascensione ex *Luc.* 24. *Actor.* 1. missione Spir. S. ex *Actor.* 2. & cum iis ex *Genes.* 1. & 2. & 3. historię creationis & lapsus per anniversarias Catechizationes quærendo, legendo, relegendo, respondendo familiarissimæ redduntur. Historiis illis fundamentalibus, quibus articuli fidei innituntur, subinde junguntur historiæ de diluvio, de plagis Ægypti, de Core Dathan, &c. alięq; ex Actis Apostolicis. In Catechizationibus provectiorum etiam integri libri ut *Genesis*, *Epistola ad Romanos*, &c. Ordine percurruntur: Diebus scil. dominicis aliisque ab ordinariâ & publicâ Catechismi explicatione vacivis, qui ob cœnę administrationem, & textuum de Christi nativitate, resurrectione, circumcisione, missione Spir. S. explicationem numerum 15. ad minimum faciunt. Huic instituto varii Scriptores, qui versibus memorialibus latinis, & vernaculis summas capitum Scripturæ complexi sunt, suo modo inservire putantur. Ne quis autem opinetur morem hunc catechizandi ad Scripturam pro conditione & captu exercentium absurdi aut paradoxi aut nimii quod redolere, legat illud Apostoli Hebr. 6. v. 1. *Quapropter omisso qui in Christo rudes inchoat sermone, ad perfectionem feramur, non jacientes rursum fundamentum resipiscentiæ*, &c, & cap. 5. v. 12. *Enimvero, cui cum lacte res est, rudis est sermonis justitiæ (infans enim est)*, &c. & quæ supra de Catechizatione *Job. Prideaux*, & *Nos Cap. sequ. de Prophetiâ seu Collatione* monemus; & analogicè huc applicet. Sed moveat quis difficultatem, omnium etiam probè exercitatorum ingenia & rationes particulares non ferre, ut legendis Commentariis ad Scripturam se ad Catechizationes illas præparent. Cui respondemus, nos hoc sponte concedere: ideo Autores sumus, ut hypotheses capitum, & Notas marginales Bibliorum Belgicorum legant ac conferant, quę ad præparationem ipsis sufficiunt.

X. *Quæst. An Mulieres, præsertim Cœlibes, quarum rationes hoc ferunt, Catechizationibus ultra elementarias & competentium utiliter exerceri possint?* *Resp. Affi.* 1. *quia* amplior gratia, & promissio populo novi Testamenti facta hoc postulant. Actor. 2. v. 17. 18. & *prophetabunt Filii & Filiæ vestræ*, &c. Et *super Servos meos, & super Ancillas meas effundam spiritum meum in diebus illis, & prophetabunt.* 2. *quia* ab illis quæ de analogico prophetico munere fidelium catechetici commentantur *ad Quæst.* 32. fœmineum genus plane excludi non debet: siquidem in Christo, *non est mas aut Fœmina* Galat. 3. v. 28. Fœminas autem temeri ad fidei confessionem, apologiam, pro eâ decertationem, immo positis ponendis ad martyrium, insuper ad aliorum in familiis suis, & alibi institutionem, consolationem, adhortationem, errantium reductionem, infertur ex *Rom.* 10. *v.* 10. 1 *Petr.* 3. *v.* 15. *Judæ v* 3. Tantummodo excipitur, publica in Ecclesiis prophetia 1 *Corinth.* 14.

Digitized by Google

ut & ministerii ecclesiastici exercitium. 3. *quia* à Pontificiis, Socinianis, Remonstrantibus, Anabaptistis, libertinis, etiam ubi religio reformata quam maximè floret, ad apostasiam æquè, quin immo frequentius & magis, quam Viri sollicitantur : præsertim à necessariis, cognatis, amicis, domesticis. His ergo hęc præservativa & antidota conveniunt: *sani non opus habent Medico, sed Ægroti.* Math. 9. v. 12. Et nisi ea opportunè adhibeamus, à manibus nostris reposcet Deus, si aliquæ (quod non raro hic fieri novimus) seducantur. Adeo ut providè feciſſe judicemus Virgines quasdam nostrates, quarum aliæ Catechizationes elencticas contra errores Anabaptistarum, aliæ contra errores Remonstrantium petierunt; quas aliqui ex Collegis nostris nunc μακαρίτας libenter, & non sine fructu susceperunt. 4. *quia*, examina illa Virginum (vernaculè *Cloppen*), quibus Papatus Belgium nostrum replevit, accuratiores & pleniores Puellarum & virginum institutiones requirunt. Vide quę de nocentissimis illis Papatus Emissariis, domos obeuntibus, & sui sexus homines potissimum tentantibus, alibi notamus, *Part. scil. 2. tit. de Monachatu & Monachis.* 5. *quia* inter Virgines aliquæ huc usque instituendæ sunt; ut aliquando Puellas in familiis & scholis elementa catechetica instillare queant. Apud nos amplissi. & prudentissi. Senatus nullis Fœminis Puellarum scholas aperire concedit, nisi prius ablegatis ad Synedrium, & inde testimonium referentibus, quod doctrinâ sint orthodoxæ, & ad discipulas in eâdem Catechizandas sint idoneæ. 6. *quia*, ut clavum clavo pellamus, aliquæ ex fœmineo sexu, sunt instruendæ, quarum operâ in Fœminis errantibus ab errore liberandis, aut viam, mollioresque aditus Ministris & ægrotorum Consolatoribus parandos Ecclesia uti queat. Peculiaria Fœminarum in temporalibus ministeria, & artes manuariæ quas, exercent, aliaque istius generis, plures ac procliviores occasiones ipsis præbent, quam verbi Ministris: & errantes earum alloquia minus subterfugere ac declinare solent, quam Ministrorum. 7. *quia* Diaconissæ in subsidium Diaconorum ab Ecclesiis constitui possunt 1. *Timoth.* 6. 1. *Roman.* 16. *v.* 1. & hodie à quibusdam (inter quas celebris & frequentissima in Belgio Amstelodamensis) constituuntur. Illas autem in viâ Domini præ aliis Fœminis versatas, & consequenter melius institutas esse oportet. 8. *quia* laudata in scripturis fœminarum alias aut alios instituentium, exempla hic præeunt: ut Eunicæ & Loidis 2 Timoth. 1. v. 5. cum cap. 3. v. 15. & Actor. 16. v. 1. 3. Priscillæ *Actor.* 18. *v.* 26. Hęc sufficere arbitror ad demonstrandum, quam rectè & quo bono exemplo à Ministris primis hujus Ecclesiæ Ultrajectinæ post annum 1619. Instauratoribus introducta sit Virginum Catechizatio, eademque à Successoribus usque in hunc diem continuata. In eâ singulis diebus dominicis post auditam concionem catecheticam

Digitized by

cam ſingulæ ſectionem dominicalem memoriæ impreſſam reddunt: quędam eandem per partes Scripturæ teſtimoniis probant : à Miniſtro per quæſtiones & reſponſiones exercentur: ipſę denique dubia & quæſtiones, ſi quæ occurrant, Miniſtro proponunt, & ſolutiones eorum ex eodem audiunt. Quando autem Catecheſis in Eccleſiâ publicè non explicatur (quod 15. diebus dominicis annuatim contingit), ſuper ſelectis capitibus aut libris Scripturę per propoſitas à Miniſtro quæſtiones exercentur. *Præter* hanc ſelectarum quarundam Catechizationem quædam continua diebus dominicis competentium juxta Decretum Synodi Dordracenæ habetur Catechizatio, ſed abſque Auditoribus : ſicuti ſeorſim Virorum competentium. Ad quas nemo admittitur, niſi nomen ſuum apud Miniſtrum aut Seniorem ſui quique aut quæque diſtrictus antea profeſſi ſint, more in antiquâ Eccleſiâ recepto: ut debitâ initialis alicujus cognitionis, imprimis vitæ inculpatæ, exploratione & notitiâ præmiſsâ, teſtimonium eorundem in ſcriptis exhibere queant. Quam hebdomadibus aut menſibus aliquot, ſi ita opus ſit, ante cœnam frequentant: donec profectu ſingulorum per eoſdem Miniſtros denuo explorato, cum ſcripto eorundem teſtimonio in aliquo ex conventibus (quales quaterni ante quamque cœnę adminiſtrationem in Conclavi eccleſiaſtico, apertis foribus & admiſſis Auditoribus, perpetuò celebrantur, & poſt prima futuræ adminiſtrationis promulgationem in omnibus Templis indicantur) fidei ſuæ confeſſionem edant, & nomina eorum in album Fidelium referantur. Hęc omnia animo in frequentioribus Civitatibus & Eccleſiis Regnum Chriſti promòvendi ex conſcientiâ vocationis noſtræ, ad neceſſariam juxta præſcriptum *Catechiſmi Quæſt.* 82. cautelam abſque cujuſque aliter aut melius quid agentis præjudicio, cum agantur, velimus etiam abſque aliorum offenſione, & detractione, ſiniſtrâque ſuſpicione aut æmulatione ita agi. Sed hæc optanda potius, quam ſperanda: cum nunquam defuturi ſint, qui ἐυταξίαν Eccleſię perruptum, aut ſi poſſint, ſublatum eunt. Quod ad aliquos, qui ob graves rationes ab hâc ſociâ competentium Catechizatione eximendi videntur, & ſolitariæ inſtitutioni Miniſtri alicujus relinquendi: de illis pro prudentiâ ſuâ ita conſtituit Synedrium, ut exceptio confirmet regulam. Confer quæ *ſupra de Adminiſtratione Cœnæ cap.* 3. monuimus.

Ut ad inſtitutiones & exercitia Fœminarum revertamur, pro ſtatu & neceſſitate cujuſque Eccleſiæ ordinanda, profitemur nos procul habere ſomnia Judæorum, qui Mulieres tantum 64. præceptis negativis & 36. affirmativis obnoxias faciunt: de quo *Buxdorfius in Synagogâ cap.* 1. Nec minus ſannas Pontificiorum, quas in Fœminas reformatas Biblia legentes, nec fide implicitâ contentas, effundunt; contemtim appellando eas *Sorores biblicas*, & *Sacerdotes novi teſtamenti*: ſic in inepto quodam *Libello* vernaculo Jeſuita *Joh.*

de

de Gouda Ultrajectinus. Sed hoc ludibrium in ipſam Scripturam redundat. Interim ludiones illos ſecum habitare jubemus: Ipſi enim ſunt, qui Fęminis baptiſmi & ſacramenti pœnitentiæ (ſecundum ipſos, adminiſtrationem, Eccleſiarum ordinationem, aliaque iſtius generis tribuunt. De quo vide *Noſtram Deſper. Cauſam Papatus lib. 2. ſect. 2. cap. 7.*

§. 5. De modo, methodo & ratione catechizandi multa à multis quæri & ſpeculativè diſquiri audias: non tamen talibus immori debemus, ſed potius opus ipſum capeſſere. Fabricando fabri fimus, & per varios uſus experientia facit artem. Duplex ſcientia in Catechiſta requiritur, tum ſui, tum Catechumenorum. In ſe cognoſcet, accuratos, diſtinctos, perſpicuos, atque expeditos conceptus: quos latius, contractius, in quæſtionibus ſuis quaſcunque in formas variatis, & in repetendis, approbandis, confirmandis, explicandis, ſupplendis, corrigendis Catechumenorum reſponſis proponet. Scientia Catechumenorum in eo conſiſtit, ut ingenii, memoriæ, & elocutionis, vim, cum oppoſitis defectibus, in ſingulis, diſcat ac perſpiciat. His ſi accedat zelus & indefeſſa diligentia, cum ignorantium tolerantiâ; nec pudeat artificum & exercitatorum Catechiſtarum in hâc arte exempla videre, audire, imitari: non dubitandum, quin feliciter hoc munere defuncturus ſit. Docuit nos tot annorum, quibus ſaxum hoc volvimus, experientia, Pueros & Rudiores imprimis juvari, ſi quæſtiones quæſtionibus accumulentur, & toties varientur, totieſque eædem, vel quadragies aut ultra diverſis Catechumenis & vel omnibus proponantur, immo & ipſæ reſponſiones, poſt omnia tentata, ſi tarditas ingenii aut ignorantia hoc requirat, quęſtionibus implicentur, atque ita ingenia excitentur ac vellicentur, donec animadvertant; quid ſentiendum & reſpondendum ſit: aut oppoſita determinatio negans quæſtionibus, ad quas affirmatè reſpondendum, & vice versâ à Catechiſtâ præmittatur. Ante omnia quoties eos hærere aut tacere contingit, aut malè reſpondere, aliis & variatis quæſtionibus ilicò Catechiſta ſuccurrat: aut benigniori interpretatione & ſupplemento reſponſa eorum, quæ non ſatisfaciunt, excuſet: aut quæ nullo modo excuſari poſſunt, ſed directè atque evidenter aberrant, vel ipſe ſuaviter corrigat, vel alterius Catechumeni minus ignorantis ad eandem quæſtionem, aut paulo mutatam, reſponſionem petat; quâ tacitè erronea reſponſio corrigatur. Hâc ratione non confundentur, nec à frequentatione illius exercitii, & à dandis reſponſionibus abſterrebuntur. Evitandum etiam imprimis, ne Catechumeni hærentes & ſilentes, per concomitans Catechiſtę ſilentium in ruborem dentur. Servandus etiam hic ordo, ut Catechumenis minus ignorantibus, & quorum ingenium, elocutio, profectus perſpecta ſunt, quęſtiones prius proponantur, & deinde eædem Catechumenis ſecundi gradus, tum tertii gradus, poſtremo quarti

Digitized by Google

quarti gradus. Quæſtiones omnes (quas in quatuor claſſes diſtribuimus) omnibus non ſunt proponendę. Primæ & infantiles (ita loquar) omnibus promiſcuè conveniunt: ſecundæ claſſis omnibus alphabetum & primo prima elementa ſupergreſſis: tertiæ claſſis, tantum paulò exercitatioribus: quartæ claſſis, non niſi iſtius collegii veteranis & exercitatis. Quæ autem & quomodo quęſtiones utiliter excogitari & formari poſſint, indicat *Syllabus Quæſtionum*, quas ex meis Catechizationibus *Corn. Poudroyen* olim per multos annos Catechumenus meus, poſtea in hâc Academiâ Diſcipulus, notaverat, & tempore Miniſterii ſui cum reſponſionibus à me iterum iterumque examinatis & formatis evulgavit. Glaciem ante me hic fregerant Theologi Palatini idiomate Germanico; quos ſecuti ſunt Theologi Leidenſes, idiomate latino in uſum Scholarum trivialium. Exſtat Catecheſis Palatina, cum quæſtionibus & reſponſionibus cuique capiti ſubjectis, & alia quædam, cum quæſtionibus & lemmatis marginalibus; ſed linguâ vulgari. Si in uſum Noſtratium Theologi & Concionatores, qui nervos ingenii in perpetuas Catechizationes intendunt, aliorum labores, pro virili augeant, & performenta; facile erit cuique inventis aliquid addere. Sed aſſidua exercitatio, & experientia erit optima magiſtra. Subjiciamus majoris elucidationis ergo, aliquot quæſtiones de modo catechizandi.

1. *Quæſt. An liberæ, an vero ad ordinem, formam, materiam Catechiſmi publici aſtrictæ Catechizationes ſint præferendæ? Reſp. Aff. poſter.* ſaltem de Rudiorum Catechizationibus ſimplicibus & poſitivis: ingenia enim minus confunduntur ac diſtrahuntur, cum uni formulę in eccleſiis & ſcholis receptæ inhærent. De provectiorum Catechizationibus privatis & privato-publicis idem ſtatuendum: excepto quod in magis, aut tantum elencticis, aut practicis, ordine ſervato, per digreſſiones & appendices agendum ſit. Neque enim materia & forma omnium elenchorum contra Heterodoxos, nec tractatus practici libellis catecheticis deſcribuntur; quamvis nonnulla attingant, aut occaſionem præbeant talia inde educendi &, pro captu exercentium, ſive compendioſius ſive prolixius tractandi. Non tamen negandum eſt, quin pro exercitatiorum collegiis elencticis peculiares Catecheſes ſeu libelli elenctici utiliter ſcribi poſſint; in quibus miſſo Catechiſmi noſtri ordine, Adverſariorum ordinem in Catecheſi ſuâ, aut alio quo manuali ſeu compendio elenctico (quod vulgo in manibus eſt) ſervatum ſequamur: aut etiam ipſorum ſcriptum examini exercentium καθ' ὁδὸν inſtituendo, ſubjiciamus. Exſtant *Catecheſes Pontificiorum* vernaculæ, *Mechlinienſis*, *Coſteri*, *Ledeſma*, *Sylvæ ducenſis*; & *Joſephi Malevolette* libellus elencticus, gallicè, quem una cum additis ex Compendio Manualis Becani in noſtrum idioma traduxerunt: *Anabaptiſtarum Confeſſio* explicatior autore *Nicolao Nicolai*, & *Catechiſmus*,

techiſmus, autore *Reinero Wybrants*, ab omnibus tamen ſectis eorum non receptus: *Socinianorum Catecheſis Racoviana* lat. & germanicè: *Remonſtrantium Catechiſmus*, belgicè. In examine libelli Malevolette, Catecheſios Remonſtranticę, & Confeſſionis Anabaptiſticæ ordine antehac Collega noſter ὁ μακαρίτης Gualterus de Bruyn aliquot Adoleſcentes & Juvenes in privato-publico collegio exercuit. Ego Catechiſmi Remonſtrantici cenſuram in privato Theologiæ Studioſorum collegio abſolveram: quæ poſtea idiomate vernaculo edita tit. *Catechizationis Catechiſmi Remonſtrantici.* Ejuſdem Catechiſmi heterodoxa notavit ac refutavit *Abrah. Heidanus* Theologus Leidenſis: contra quem Remonſtrantes per Epiſcopium Catecheſim ſuam defendere conati, ab eodem *Heidano* ad ſilentium redacti ſunt ſcripto tit. *Cauſa Dei*, edito. Controverſias Pontificias Catecheſi elencticâ Catechumenis provectioribus præformavit antehac Collega noſter, nunc Leidenſis Theologus *Joh. Hoornbeek.* Iiſdem *Controverſias Socinianas tribus partibus* editis, *Petrus de Witte* Eccleſiaſtes Leidenſis. Sudat nunc ſub prælo Collegæ noſtri *And. Eſſenii Catecheſis, de Controverſiis Socinianis, Remonſtranticis, Anabaptiſticis, & Libertinicis per quæſtiones & reſponſiones.*

Hâc occaſione indico Catechiſmos, qui nunc ad manum ſunt aut in mentem veniunt, jam inde à tempore reformationis evulgatos. Sunt autem illi partim publicè recepti, partim privati. Prioris generis ſunt 1. in *Germania Catechiſmus Lutheri*, quem in titulo *parvi* & *minoris* epitheto diſtinctivo inſigniunt. De illo ſic *Lutherus in Epiſt. ad Capitonem* anno 1537. 9. Julii: „De Tomis meorum Librorum diſponendis ego frigidior ſum & ſegnior; „eo quod Saturninâ fame percitus, magis cuperem omnes devoratos: nul„lum enim agnoſco meum juſtum librum, niſi forte de Servo arbitrio, & „Catechiſmum. Citatur hoc dictum à *Math. Dreſſero in Epiſt. delicator.* ad dictum Catechiſmum à ſe in ſcholis explicatum a. 1581. Catechiſmus hic in Hebraicum ſermonem verſus eſt a Joh. Clayo anno 1538. & ante ipſum in Græcum à Joh. Mylio. Idemque Hebr. Gr. Lat. Germ. recuſus Witebergę anno 1572. *Catechiſmus Witebergenſium Theologorum*, contextus ex ſcriptis Melanthonis & Corpore Doctrinæ, anno 1571. quem poſt Catechiſmum Lutheri provectioribus in Scholâ & Academiâ, ante examen theologicum judicabant proponendum. *Catecheſis ſeu initia Doctrinæ Chriſtianæ juſſu & approbatione Georgii principis Anhaltini græcè* conſcripta ad juvandas Eccleſias Græcas, anno 1563. ab Anonymo in latinum converſa conſtans paginis 421. in 8. adjectis quibuſdam notis. *Catecheſis Bullingeri pro adultioribus* anno 1559. mandato Miniſterii Tigurini conſcripta. *Catechiſmus Bipontinus* anno 1588. germanicè conſcriptus, & Heidelbergæ excuſus. II. In Genevenſi & *Gallicis* Eccleſiis, *Catechiſmus Genevenſis*, ex Gallico in Hiſpanicum

nicum & Italicum & ab Henr. Stephano in Græcum; à Tremellio in Hebræum idiomata tranſlatus. Qui idem Hebr. Gr. Lat. procurante Joh. Druſio Leidæ in offic. Plantin. apud Raphelengium recuſus eſt in 8. III. In *Angliâ* non memini publicum quem Catechiſmum conſcriptum. Anno 1648. prodiit *Formula Catechiſmi majoris & minoris* à Cœtu delectorum Theologorum Londini concepta & Parlamento oblata. IV. *Catechiſmus Embdanus.* V. *Catechiſmus Eccleſiæ Belgicæ* Londinenſis, qui idem tum Embdano, ex Germanicâ in Belgicam dialectum converſus à Joh. Wttenhove anno 1553. & publicè ibidem proponi ſolitus. Præter quem conſcriptus à *Martino Micron & cum Præfatiunculâ Joh. à Laſco* editus *catechiſmus parvus* in uſum & gratiam Puerorum. VI. *Catechiſmus Palatinus* ductu Friderici 3. Electoris a. 1563. Germanicè conſcriptus à Theologis Heidelbergenſibus imprimis *Oleviano & Urſino*, & præmiſſo examine atque approbatione Inſpectorum in Eccleſiis Palatinatus publicè editus. Hujus celebris Catechiſmi notanda receptio, verſio, explicatio, cenſura, vindicatio, praxis. 1. Receptus eſt à pleriſque Eccleſiis reformatis in Germaniâ; ab Eccleſiis Hungaricis, & Tranſylvanicis; ab Eccleſiis Belgicis, anno 1571. *in Conſtitutionibus Eccleſiaſticis nationalis Synodi Belgarum*, quæ *Embdæ*, propter perſecutiones, tunc habita. 2. *Verſus* eſt in Linguam *Latinam* à Lago & Pithopoeo: quorum verſio publicè approbata: In *Græcam* unà cum Liturgiâ à Syllurgio, ex quâ in *barbaram ſeu vulgarem Græcam*, ad juvandos Græcos, auſpiciis & expenſis Illuſtr. Ordinum Belgicorum, editu Lugd. Batavor. 1648. unà cum Liturgiâ, Confeſſione Belgicâ, & Canonibus ſeu Statutis eccleſiaſticis: In *Hebræam* ab aliquo, olim in ſtudiis Academicis commilitone, poſtea Miniſtro in Palatinatu verſam percepi; ſed an prodierit, hactenus ignoro: *Arabicam* verſionem M.S. oſtendit mihi Presbyter & Parochus quis Arabs, qui cum hinc in Patriam ad Eccleſiam ſuam (quam dicebat eſſe in Betphage prope Hieroſolymam) reverſus ſit, quid de illâ verſione evenerit, ſcire nequeo: in vulgares linguas, *Gallicam*, *Anglicam*, *Hiſpanicam*, *Indo-Malacicam*. Addunt alii *Italicam*, *Bohemicam*, *Polonicam*: quas nunquam vidi. 3. *Explicatus* eſt à variis, per analyſim logicam ab *Henrico Brandio*. Per enotata & ſingulis theſibus, hypotheſibus, rationibus ſubjecta Scripturæ teſtimonia: ubi imprimis notandi ſupra indicati, qui per modum Catechizationis, & appropriatè ad illa exercitia eandem explicant, quales *Theologi Heidelbergenſes*, *Leidenſes*, *Bouma*, *Spiljardus*, *Petrus de Witte*, *Cornelius Poudroyen*. Imprimis hic indicandus, *Reinerus Backhoſius* Prætor Heidelbergenſis, qui utiliſſimâ operâ Catecheſim particulatim ſubjectis Scripturæ, & Conciliorum ac Patrum (qui intra primos quingentos annos fuerunt) teſtimoniis exornavit. Miratus ſæpe fui & dolui, illum non recudi: quo ſaltem nulli Miniſtri & Candidati carere debe-

bant: Per magis minusve plenum commentarium, aut per conceptus prædicabiles: quales *Ursinus*, *Pareus*, *Bastingius*, *Philippus Lansbergius*, *Spindlerus*, *Corstens*, *Mylius*, *Lubbertus*, *Altingius*, *Diestius*. *Thesauri Catechetici à Festo Hommio* collecti supra memini. Hic addo, in postremâ editione per *Joh. Spiljardum* Ecclesiasten Gorinchemensem, *Collationem* institui *inter Catechesim & Confessionem Belgicam, cum Canonibus seu determinatione Synodi Dordracenæ* anno 1619. 4. *Censuras* in Catechesim strinxerunt *Theologi aliquot in Germaniâ*, quibus sereniss. Elector Fridericus pius Catechismum examinandum & censendum proposuerat. Post illos in Belgio *Cornhertus*, homo plane heterodoxus & hostiliter intemperans, semi-idiota ἰδιωτής. Majori nisu & ostentatione *Remonstrantes*, quorum tamen magnus hiatus haut paulò contractior factus, cum Synodus Nationalis Dordraci anno 1618. & 1619. haberetur. Postea tamen rebus ipsorum in Ecclesiâ & Republicâ Fœderati Belgii desperatis, *in Apologiâ aliisque sequentibus Scriptis* se magis magisque prodiderunt. Ex Pontificiis *Angelus de Monte bello* Lovaniensis, & *Coppensteinius* in subjugato Palatinatu, Catechismum hunc oppugnârunt: ille apertè, hic subdolè tit. *Catechismi Excalvinizati*. 5. *Vindicias* ejusdem præstiterunt. c. Theologos in Germaniâ *Zacharias Ursinus:* quę latinæ Catechismi editioni cum adscriptis Scripturæ testimoniis, in 8. subjectæ fuerunt. An alibi seorsim, aut cum aliis Ursini Operibus editæ sint, nescio. Contra Cornhertum, *Ministri Delfenses Arn. Cornelius & Reinerus Donteclock* anno 1585. Contra eundem Vindicias conscripsit, *Johannes Gerobulus* Ecclesiastes Ultrajectinus. Cui & *Delfensibus Replica à Cornherto reposita*, sed anno 1610. post autoris obitum Goudæ edita. Contra Remonstrantes *H. Altingius in Explicatione catechetică* post obitum ejus anno 1646. editâ. Qui idem antitheses Catechismi Nostri & Sociniani ibidem detegit & refutat. Contra Angelum de monte bello, idem *Altingius Disp. aliquot* publicè in Acad. Groninganâ inchoatis: sed quas morte præventus non absolvit. Contra Coppensteinii excalvinizatum Catechismum, vindicias scripsere *Jacobus Laurentius* in controversiis, & lectione Pontificiorum insigniter versatus, anno 1625., earumque Vindiciarum Vindicias anno 1627. Post eum *Joh. Blassius* pastor Lithopolitanus in Helvetiâ; ac deinde *Theodorus Strackius* tit. *Vindiciarum tripartitarum* anno 1630. ubi totum Coppensteinium, cum Prolegomenis exhibet, ac ☞ *modis* refutat. 6. *Praxin* notarunt *Festus Hommius* & *Joh. Spiljardus*, paulo ante indicati. *Catechismi* privati sunt *Lucæ Lossii* Gymnasiarchæ Luneburgensis, *Ioh. Brentii*, *Davidis Cythræi Hemmingii*, *Bezæ*, *Monhemii* gymnasiarchę celebris trivialis Dusseldorpiensis (qui à *Theologis Colonienſibus* editâ *Censurâ* oppugnatus est), *Wilhelmi Dyk* angl. & belg. *Calvini Catechismus*, primum gallicè, postea latinè excusus Basileæ

ſileæ anno 1538. apud Robertum Winter in 8. commmunibus Eccleſiæ ſuffragiis (ut habet titulus) receptus. De quo vide *Præfat. à Miniſtris Genevenſibus* eidem præmiſſam; & *Calvinum in Opuſculis*, & *Bezam in vita Calvini*. Ad privatos catechiſmos referri poſſunt, *Vireti* familiaris *Expoſitio Symboli apoſtolici*, gallicè; *Anonymi* familiaris *Inſtructio Chriſtiana*, gallicè ſecundis curis aucta & excuſa Genevæ apud Joh. Creſpinum anno 1564. *Pauli Baynes Auxilium ad veram ſalutem per queſt. & reſponſ.* angl. & belg. qui liber accuratos & perſpicuos in præcipuis materiis theologicis conceptus exhibet. De Catechiſmis elencticis ſupra aliquod indicium feci. Hâc occaſione præterire nolumus *Catechiſmos* heterodoxos. Qualis *Antitrinitar.* publicus *Racovienſis*, refutatus à *Nic. Arnoldo* Theologo Franequerano; & privatus *Moſcorovii. Remonſtrantium*, cui oppoſita *Catechizatio noſtra*, & *Refutatio* D. *Heidani* Theologi Leidenſis: ſed ſermone vernaculo, quia non niſi eodem exſtat Catechiſmus Remonſtranticus. Exteri, qui Belgica non attingunt, opinionum & dubitationum Remonſtranticorum notitiam habere poterunt ex *Vedelii Partibus 4. Arcanorum*, & nuperrimò indiculo *Leonardi Riiſſen* Doctoris Theologi tit. *Impura theologia Remonſtrantium*. Imprimis hic memorandus *Parvus Catechiſmus* quem Goudæ anno 1608. edebant aliqui Remonſtrantes, non alio ſchemate prodeuntem ac ſi pro alphabetariis ſcholis conſcriptus eſſet: Sed qui revera conceptum Sociniano-neutralis & libertinicæ religionis continebat. *Anabaptiſtarum*, ſed privatus, ſcriptus à *Reinero Wibrants*. *Pontificiorum* publicus, juſſu *Concilii Tridentini conſcriptus*, & Pii V. juſſu editus. Inter publicos etiam numerari debent *Catechiſmus* tit. *Summa doctrinæ Chriſtianæ per quæſtiones* juſſu & autoritate Bohemiæ Regis Ferdinandi editus anno 1554. idemque denuo juſſu & auctoritate Philippi II. Hiſpaniarum Regis, editus & excuſus Lovanii anno 1562. Et *Inſtitutio Chriſtianæ Petri à Soto*, juſſu Othonis Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani à doctis Theologis lecta & probata, edita anno 1552. *Catechiſmus Mechlinienſis*, belgicè; quem provincialem appellant, quod ex Decreto Concilii provincialis Mechlinienſis editus ſit. Eum ſequitur, quamvis non paſſibus æquis, *Catechiſmus Epiſcopatus Buſcoducenſis*, qui ad provincialem in ſe contentum nonnulla addidit.

Privati ſunt Eraſmi, cui additus eſt *Modus confitendi & orandi Deum* anno 1533. *Joh. Gropperi Inſtitutio ad pietatem, in uſum pueritiæ* apud D. Gereonem Coloniæ Agrippinæ anno 1546. *Catechiſmus brevis & catholicus Jac. Schopperi* Eccleſiaſtæ Tremoniani anno 1555., *Caniſii major & minor*; *Coſteri*; *Ledeſma*; *Joh. Heſſels à Lovanio. Brevis & catholica ſymboli, explicatio*; cui edit. 3. acceſſit *Explicatio Orationis dominicæ & Salutationis angelicæ* a. 1566.

Bellarmini Catechiſmus major tit. *Ampla Declaratio Doctrinæ Chriſtianæ* Italicè, quem in ſermonem Anglicum tranſtulit R. H. Duaci anno 1603., eundemque in Armenicum Petrus Paulus Sacerdos Armenus lat. & Armenicè, excuſum Pariſiis 1634. Ejuſdem *Catechiſmus* brevior ſeu *minor*. Italicè; quem in Arabicum tranſtulerunt, Victorius Sialac & Gabriel Sionita Maronitæ a. 1613. excuſum Romæ ex Typographiâ Savarianâ. Qui idem Arab. & lat. exculus Pariſiis apud Antonium Vitray anno 1635. *Catechiſmus catholicus Martini Duncani, ad Refutationem Catechiſmi Palatini*, Belgicè a. 1594. *Baylii Catechiſmus elencticus*, quem *Andr. Rivetus* ſolidè refutavit gall. & lat. tit. *Catholici orthodoxi*. Addo *Catechiſmos* hactenus mihi non viſos, ex *Apparatu Poſſevini & Bibliothecâ Philippi Alegambe*. Et ſunt, *Emundi Augerii* Soc. Jeſu gall. lat. gr. *parvus, mediocris, magnus cum Patrum autoritatibus: Fr. Sonnii: Caniſii cum autoritatibus: Catechiſmus Concil. Trid. per quæſtiones cum Notis Andreæ Fabritii: Idem Scripturarum & Patrum teſtimoniis illuſtratus à Johanne ex Comitibus: Catecheſis, ab Examinatoribus Placentinæ Diœceſios promulgata, cum additione Joh. Baptiſtæ Antomuccii; Alegambe* refert à Jeſuitis editos *Catechiſmos* linguâ Æthiopicâ, Sinicâ, Marilandicâ, Illyricâ, Biſayanâ, Livonicâ, Carniolicâ, Croaticâ, Lithuanicâ, Bohemicâ, Japonicâ, Græcâ, Hebraicâ, Hungaricâ, Malabaricâ, Maleanicâ, Braſilicâ, Arabicâ, Maroniticâ, Gallicâ, Hiſpanicâ, Anglicâ, Cambro-Britannicâ, Luſitanicâ, Chilenſi, Allentiacenſi, Milcajacenſi, Canaricâ, Indiſtanicâ, Aimaranâ, Tamulicâ, Coincinenſi, Badagâ, Guaranicâ & aliis quatuor linguis Americanis, linguis Tucumanicis, linguâ hodiernâ Græcorum vernaculâ. Sunt & aliqui *Catechiſmi* elenctici; quorum omnium nomina, & Autores apud ipſum vide. Obſervo ex *Dedicatione præfixâ Catechiſmo Armenico-latino*, paulo ante memorato, ductu & auctoritate Cardinalis Richelii editum eſſe in Galliâ *Catechiſmum elencticum contra Reformatos*, dictum Lucronenſem: ſed ille cum reliquis à *Poſſevino* & *Alegambe* numeratis ad manus meas, ut dixi, non venerunt. Et de his hactenus.

II. *Quæſt. An præſtet in eccleſiaſticis, ſcholaſticis, domeſticis Catechizationibus, unam eandemque formulam proponi? Reſp. Aff.* de Eccleſiis unius Confeſſionis, aut Nationis, aut Diſtrictus e. gr. Belgicis, Gallicis, Palatinis, &c. 1. *quia*, multa compendia, multa plerumque ſunt diſpendia. 2. *quia*, Fidelibus eorumque Liberis migrantibus in alias Civitates aut in alios Viros, & vice versâ, non parum obeſt Catechiſmorum varietas. 3. *quia*, ſi una & publicè recepta formula non ſerverur; metuendum eſt, ne ſucceſſu temporis ſecundum capita Catechiſtarum (dum ſcribimus indocti, doctique poëmata paſſim) multiplicentur Catechiſmi, & in aliquos quid irrepat, quod aut à ſenſu, aut ab idoneâ & ſcripturariâ phraſi Catechiſmi publicè approbati

probati recedat, & Catechumenos abducat; ita ut linguis eorum plus minusve divisis, ad unionem difficulter revocari possent. 4. *quia* methodus & ordo variatus, uti non rarò hoc fieri videmus, intelligentiæ & memoriæ rudiorum non lucem, sed tenebras & vexationem infert. Quod si quis dicat, quæstiones non paucas Catechismi nostri, ut 1. 25. 26. 60. &c. esse nimis prolixas, nec rudioribus convenire; ei respondeo, artis & prudentiæ Catechistarum est quæstiones dividere in partes; quales in margine Catecheseon quarundam adscribuntur, in aliis subjiciuntur, aut ad textum catecheticum minutim formantur; atque ex textu ejusdem Catechesios responsiones ad illas particulatim adaptare; easque infantibus & lactentibus præformare, atque in os indere, & tam diu repetere donec ipsis imprimantur. In Synodo Dordracenâ cum primum de Catechismo minori seu compendiolo Catechismi Palatino-Belgici conscribendo aliquid statui coeptum esset, & hæc Provincia nonnullis Ministris imposita, in progressu tamen re ulterius perpensâ tacitè ab illo consilio recessum est: insuper sequentes aliquot Synodi Hollandicæ serió caverunt, ne novæ formulæ catechizandi à particularibus Ecclesiis ederentur, (in *Actis Syn. Gorinchemensis* 1622. *& Roterodamensis* 1631.): hoc enim reservandum esse Synodo Nationali. Nolo hic culpare aliorum sententiam & praxin: sed præstantiorem & tutiorem hanc viam jam inde ab a. 1619. cum Synodis judicavi, & propriâ aliorumque complurium in Catechizatione laborantium experientiâ didici absque editis contractioribus formulis Catechizationes, etiam Puerorum, feliciter cum Deo peragi posse, ad unam illam & probatam formulam, quæ Ecclesias, Scholas, familias nostras occupavit: ubi eam Pueri reddere consueverunt; & paulo adultiores ex *Catechismo Bouma*, aut *Spiljardi*, aut *Petri de Witte*, aut *Poudroyen* ad respondendum se præparare. Catechismo minimo, quem Infantes primum memoriæ mandarent, hactenus juxta consilium Synodi Dordracenæ; utuntur familiæ & scholę alphabetariæ, cum illis proponunt libellum dictum *Alphabetum magnum:* qui continet sex capita, quæ vocant, catechetica, cum precibus quotidianis. Illa cum legere didicerunt, & memoriæ mandarunt, manuducantur in scholis ad legendam, & paulatim memoriæ imprimendam Catechesim, ejusque responsiones primum breviores, deinde etiam prolixiores domi, in scholâ, in Ecclesiâ publicè reddendas. Ad quas pro captu & profectu cujusque quæstiones à Parentibus domi, à Ludimagistris, etiam à Ministris in scholâ, ab iisdem Ministris aliisque Catechistis in publicis aut privato-publicis Catechizationibus ecclesiasticis formari, & breves distinctęque responsiones ad dictas quæstiones præformari possunt.

III. *Quæst. An sufficiat illa ratio catechizandi, in quâ Catechista catechet-*

icam

Digitized by Google

vicam explicationem proponet, per modum ſive lectionis, ſive concionis: aut concionem catecheticam in Templo habitam repetit. Reſp. Utiliſſimum quidem eſt talem repetitionem, aut lectionem apud provectiores prȩmitti: non tamen ſufficit, niſi Catechumeni inſuper per crebras quȩſtiones & reſponſiones exerceantur. Apud rudiores vero & parvulos parum illis proficitur: quia aut non attendunt, aut ſi attendere velint, non capiunt, nec certos, diſtinctos, & accuratos conceptus formare diſcunt. Creberrimis ergo & variatis quæſtionibus ingenia eorum tanti per excitanda & vellicanda; donec partim ſimplici affirmatione aut negatione, cum contractis ad certos Scripturæ ac Catechiſmi terminos reſponſionibus toties repetitis, partim per diſtinctiones ſibi & aliis Audientibus ſatisfacere queant.

IV. *Quæſt. An illa ratio ſufficiat, ſi Pueri, aut paulò provectiores, textum Catechiſmi memoriæ mandatum, per partes Scripturæ teſtimoniis probent, eaque continuâ pronuntiatione in collegio Catechizantium reddant? Reſp.* Sufficit quidem ad memoriam, non vero ad intelligentiam & judicium exercendum. Iſtud ergo præcipuè & prius curandum per quæſtionum & reſponſionum agitationes ac reciprocationes: cui illud ſi jungatur ac ſubmittatur (quamvis tantum donum μεταφορικὸν non ſit omnium) non dubitandum eſt de futuro egregio multorum profectu.

V. *Quæſt. An eadem methodus, eadem forma, idem modus catechizandi, in omnibus Eccleſiis & collegiis Catechumenorum, perpetuò ab omnibus Catechiſtis ſervandus ſit? Reſp.* Quæſtio mihi ſimilis videtur iſtis. An eadem medicandi & diætæ ratio, ubique & ſemper ab omnibus ſervanda ſit: & An eadem regiminis politici & juriſdictionis ratio, ubique & ſemper ab omnibus populis in pace & bello, in ſtatu Reipublicæ tranquillo & turbato, ſervanda ſit. Qui talibus curis & quæſtionibus ſe alioſque torqueret, videretur neſcire quid ſit Medecina, quid Politia. Ut diſtincta ſunt hominum ingenia, ſtudia, occupationes, diſtincta tempora difficilia à mollibus, diſtinctus Eccleſiarum ſtatus, diſtinctę Eccleſię diſtincti ſecundum amplitudinem & profectum. Auditores & Catechumeni: ſic multis modis diſtinctæ Catechizationes quod ad materiæ extenſionem, & quod ad formam quæſtionum ac reſponſionum. Eccleſiæ clandeſtinę, aut inter hoſtes ſuos toleratæ, aut ab his illiſve Heterodoxis circumſeſſæ, aut novellæ ac rudes vix nuper ex Achriſtianiſmo aut hæreſi emergentes, ſi non ſemi-paganæ, eodem plane modo, Catechizationes ſuas, ad elenctica omnia non extendunt, cum illis Eccleſiis quibus Auditores & Catechumeni ſuppetunt talibus ferendis idonei. Similiter collegia Catechumenorum exercitatorum ad terminos Catechizationis elementariæ revocari iiſque concludi non debent: nec vice verſa collegia Puerulorum & adultorum planè rudium, ad Catechizationes altiores

Digitized by Google

altiores quasi per saltum promoveri. Ut nec Catechizationes in magnis Civitatibus & Ecclesiis ad numerum, formam, & modum Catechizationum Vicanarum exigi: nec vice versa Vicanæ urbicis per omnia adæquari. Non possent ergo, nisi perquam iniquè & absurdè hęc similiaque prætoria edicta condi. In Urbibus & Vicis atque Oppidis una, forte & altera tantum per circulum hebdomadicum haberetur Catechizatio: aut in iisdem pariter variis in locis, collegiis, conventibus haberentur 10. aut 15. aut 18. aut plures, pro frequentiâ Auditorum & Discipulorum: quibus unâ, binis, ternis uno lòco, uno tempore habendis neutiquam satisfieri potest. Vicani tum Catechistæ tum Catechumeni ad tantam Catechizationum frequentiam astringi non debent: nec vicissim Urbici ad tantam infrequentiam. Rursum, si in novella & rudi Ecclesiâ, primo primæ Catechizationes ultra elementa extendi non debent: ergo nec in urbicâ, veteranâ ac frequenti Ecclesia, ubi propter sensus exercitatos pleniori dogmatum explicatione, ac probatione, cum elencho errorum, exerceri queunt, eâdemque contra circumsistentes hæreses muniri debent. In Ecclesiâ, ubi non suppetunt Catechumeni nisi incipientes, capita catechetica primum & tantum inculcanda. Ergone in Ecclesia, ubi non pauci inveniuntur in catecheticis probè exercitati, ad Catechizationes elencticas, aut scripturarias (sive ad historicos sive ad dogmaticos Scriptarum libros) aut practicas (quales supra descripsimus) procedendum non esset; præsertim si ii quorum rationes, ingenium, profectus, zelus hoc ferunt, eas à Ministris peterent. Addo adhuc aliud, Multis in locis, imprimis in Vicis publicè coram totâ Ecclesiâ Catechizationes habentur: ergo in Urbibus non licebit eas post dimissum Ecclesiæ Cœtum in choro Templi, aut in conclavi, aut in alio aliquo sacello eas habere? nec vice versâ? Quare quæso? Quia idem modus ubique examussim servandus. Apage hanc imprudentiam. Quid si inter curiosos Quæsitores, qui semper quærunt, nunquam inveniunt, qui de ecclesiasticis disputare malunt quam ecclesiasticè agere, qui dicunt & non faciunt, prodiret aliquis qui omnes Catechizationes, præter conciones, nunquam, aut rarò haberet: an ad ipsius modulum omnis Catechizantium diligentia efformari deberet? In principio emergentis reformationis in Belgio Concionatores aliqui publicè explicantes Catechesim modo hos modo illos ex Auditoribus pro arbitrio suo interrogabant. Quem tamen modum in frequentibus Ecclesiis & auditoriis, ad quæ omnis generis Sectarii, ἀμικτοι, profani admittuntur, hodie servari non ita conveniret; ac in parvis & vicanis, aut in clandestinis Ecclesiis, ubi omnes Auditores unius sensus & labii sunt. Alicubi ab initio reformationis habitum fuit collegium, quod vocant, Proponentium, constans ex delectis aliquot Viris aut Juvenibus Ecclesię istius membris: in quo bini per vices

diebus dominicis meditata ſua proponunt, alter ad textum Scripturæ, alter ad ſectionem catecheticam. Quid ſi aliquis ſpiritum ſectæ equatorię (Anglicè *Levellers*) induens, dicat aut tibi tale exercitium non debuiſſe inſtitui & per tot annos continuari, aut in omnibus Eccleſiis pariter debere inſtitui: ut ſcil. eadem ratio, idem modus ſive catechizandi ſive prophetandi ubique per omnia, & conſequenter concordia Eccleſiarum & Miniſtrorum ſervetur. Sed plus ſatis de conſiliis ſuper unâ methodo & formâ catechizandi, Synodo Nationali reſervandis. Interim Miniſtri & Catechiſtæ impleant ſaltem votum & ſequantur conſilium *Synodi Dordracenæ Seß.* 17. propoſitum. Si quid ultra quærendum aut tentandum, experientia & rerum circumſtantiæ monſtrabunt. Facile eſt inventis aliquid addere. Modo omnia conſpirent ad religionis reformatæ puritatem in celebri illâ Synodo de novo ſtabilitam, pietatis vim, & hominum ſalutem promovendam. Concludo hoc caput verbis Joh. Gerſon Part. 2. Operum Tract. 35. de Pueris ad Chriſtum trahendis, conſideratione 4.

„ Adeo, *inquit*, jam indignum videtur apud multos: ſi quis ex theologis „ aut famatus in litteris: vel eccleſiaſtica dignitate præditus: ad hoc ſe opus „ inclinaverit: præſertim circa parvulos: quod mihi (qui in talibus eſſe pu„ tor momenti alicujus) in fabulam & improperium ceſſerit. Et ſane mihi „ videntur diſcipuli domini adhuc tunc celeſtium parum capaces: hac in„ ſipientia laboraſſe: prohibentes parvulos offerri Chriſto: reputantes vi„ delicet indignum eſſe ſi tantus magiſter, & doctor eorum Chriſtus: huic „ humilitati ſubjaceret. Convincit autem ipſos ſic ſentientes: tam exem„ plum Chriſti quam verbum promiſſum apoſtoli. In quo vult aliorum in„ ſtructores eſſe ſpirituales: & ſpiritu lenitatis præditos: & conſiderantes „ ſeipſos ne temptentur. Tales vero quam rari ſint cogitare ſtupor eſt. Da „ mihi aliquem & dicam quod ſpiritualis eſt: qui ſpiritualiter omnia dijudi„ cet: qui didicerit ex eis quæ paſſus eſt compati: qui quęrat non quæ ſua ſunt: „ ſed quę Jeſu Chriſti: quem totum replevit charitas: humilitas & pietas: ut „ nullum in eo locum vanitas & cupiditas inveniat: cujus converſatio in „ cœlis ſit: qui tanquam unus ex angelis Dei: nec benedictione nec male„ dictione moveatur exemplo eorum: neque ex miniſterio occupationis ſuæ „ inferioris ſuperna deſerat: nec ſordes contrahat peſtiferas.

„ *Et paulo poſt:* Sed quid agam. Sentiunt aliter quidam ex hominibus „ etiam benivolis. Comminantur vel mihi vel parvulis ne accedant ad me: „ & hoc alia multiplici ratione ſignanter quadruplici id arbitrantur recte „ facere. Allegant quippe diſparitatem morum mihi cum parvulis. Allegant „ officii dignitatem occupandam ad majora. Dehinc cauſantur loci & tem„ poris importunitatem. Poſtremo metuunt rei inſuetudinem ab emulis ca„ lumniabilem.

Ubi

Ubi ad ſingula reſpondendo egregiam apologiam Catechizationum puerilium etiam ab eruditis & veteranis Doctoribus ac Miniſtris ſuſcipiendarum inſtituit. Legant, quibus vacat, & deprehendent, *nihil novi eſſe ſub ſole.*

Cap. II.

De Prophetiis ſeu Collationibus ſcripturariis.

PEr Prophetiam hic intelligimus, non futurorum prædictionem, ſed Scripturarum tum explicationem tum applicationem. De dogmaticâ explicatione vide 1 *Corinth.* 4. *v.* 19. de practica applicatione 1 *Cor.* 14. *v.* 3. 15. 16. Ad dogmaticam genuini ſenſus interpretationem refer judicium ſeu dijudicationem interpretationum & doctrinarum, de quo 1 *Cor.* 14. *v.* 29. Confer de hâc Propheticâ *Roman.* 12. *v.* 6. 1 *Cor.* 12. *v.* 9. & 13. *v.* 3. & 14. *v.* 6. 22. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 20. Et de Prophetis *Actor.* 13. *v.* 1. 1 *Cor.* 12. *v.* 28. 29. & 14 *v.* 29. 22. 37. *Epheſ.* 4. *v.* 11. De exercitio Prophetiæ & Prophetantium in cœtu Eccleſiæ 1 *Cor.* 14. per totum. Circa textus illos diſquiritur 1. *Quæſt. An* exercitium hoc ex more Synagogæ Judaicæ ab Eccleſiâ apoſtolicâ accerſitum aut transſumtum fuerit: uti volunt *Beza ad* 1 *Cor.* 14. *v.* 29. & *Martyr ibid. ad v.* 31. Mos Synagogæ videtur innui *Actor.* 13. *v.* 15. 2. *qu. An* Prophetę fuerint diſtincti à Paſtoribus & Doctoribus *Actor.* 13. *v.* 1. *Epheſ.* 4. *v.* 11. 1 *Corinth.* 14. *v.* 5. Vide *Notas Bezæ ad* 1 *Cor.* 12. *v.* 8. 3. *qu. An* omnes textus modo citati explicari debeant de prędictione futurorum & occultorum. Nos antehac *in* 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Chariſmatis*, Negavimus. Affirmantem amplectitur. *Grotius in Notis ad loc. cit.* Sed textus illos inſpicientibus (imprimis *Rom.* 12. *v.* 7. 1 *Cor.* 14. *v.* 3. 29-33.) difficulter hoc perſuadebitur; ut nec *Autoribus Notarum & Commentar. ad loca cit.* tale interpretamentum placuit. Putavit procul dubio *Grotius* iſtud theſi ſuæ, ſeu antitheſi contra poteſtatem & judicia eccleſiaſtica anno 1614. in Libro cui tit. *Pietas Ordinum*, & in Hyperaſpiſte tit. *Bona fides Sibrandi* defenſæ, melius ſubſervire. Contrarium oſtendit *Sopingius in* eruditâ *Reſponſione ad Anonymi* (forte ipſius Grotii) *Bonam fidem pag.* 16. & *ſeqq.* Nobis nunc ſuccurrunt iſtę rationes 1. *quia* Prophetæ erant Doctores extraordinarii & ſuperiores omnibus Miniſtris ordinariis, & in doctrinâ pariter infallibiles, nec alicujus directivæ aut correctivæ poteſtati in exercitio munęris ſui ſubjecti: ſicuti etiam Apoſtoli. Atqui hi Prophetæ in Eccleſiâ Corinthiacâ tales non erant: quia errori obnoxii erant, & ab aliis dirigi ac corrigi debebant *v.* 29. 32. 2. *quia* à Prophetis illis Corinthiacis ſermo Dei non erat profectus, uti eis exprobatur *v.* 36. atqui hoc ſine inſigni injuriâ de Prophetis *non*

Digitized by Google

dici non posset. 3. *quia* à prophetia illâ Corinthiacâ arcendæ erant Mulieres *v.* 34. 35. Sed à Prophetię exercitio tum in prædicatione futurorum tum in dogmatizatione non sunt arcendæ Mulieres extraordinario infallibilis scientiæ dono prędităuti patet in exemplis Mirjam, Deboræ, Huldæ, Annę. 4. *quia* non est probabile in unâ Ecclesiâ Corinthiacâ tot fuisse Prophetas futurorum præscios, & doctrinâ infallibiles. 4. *quæst. An* per studium Scripturarum ordinarium, & per institutionum aliorum δύναμιν & ἰκανότητα illam interpretandi Scripturas assecuti sint, an per charisma in instanti ipsis infusum seu impressum? *Resp.* Omnes in Ecclesiâ istâ aliisque prophetantes, charismate tunc donatos fuisse, nec ullos ordinario studio scientiam illam σὺν θεῷ sibi acquisivisse, non ausim affirmare. Vide notas Belgicas 1 *Corinth.* 14. *v.* 37. Quia non omnes ordinarii Presbyteri κατὰ πόλεις passim per Apostolos & Euangelistas constituti, aut ab Ecclesiis vocati, tali extemporaneo charismate gaudebant: & quomodo de omnibus Prophetis, siquidem ab illis distincti sint, hoc affirmandum? Apollos ad numerum Prophetarum referendus videtur: quem tamen legimus per ordinariam institutionem & meditationem ad suam ἱκανότητα perveniisse. Charismata sanationum & linguarum quibusdam tunc collata, non tollebant aliorum omnium ordinaria studia, cognitionem, praxim. *Coloss.* 4. *v.* 14. inter Fideles memoratur Lucas medicus. 5. *quæst. An* omnes Prophetæ extemporaneo charismate tunc donati, in Scripturæ & dogmatum explicatione fuerint infallibiles? *Resp. Neg.* ex *v.* 20. 32. Et erat hoc privilegium Apostolorum. Quamvis enim præter Apostolos alii complures acceperent charismata vel sanationum, vel linguarum, vel propheticæ; non tamen omnia illa pariter, & eâdem mensurâ cum Apostolis, nec universale cum iis, independens, infallibile ministerium. Neque enim omnes erant Apostoli 1 *Cor.* 12. *v.* 29. super quorum fundamento superstrueretur Ecclesia novi testamenti, & qui Christi testes essent *Ephes.* 2. *v.* 20. cum *Actor.* 1. *v.* 8. sicuti electi isti duodecim (*Actor.* 1. & 2.) quibus accessit Paulus pari consortio honoris & potestatis (*Gal.* 2. cum 2 *Corinth.* 11.) 6. *quæst. An* in antiquâ Ecclesiâ tale exercitium viguerit; & hoc probetur ex eo, quod plures ad populum verba fecerint, sicuti constat ex *Homiliis Chrysostomi in Ecclesiâ Antiochenâ*, & *Baronio ann.* 57. §. 160. *Nysseni* verba περὶ τῆς ἐαυτῆ χειροτονίας, tale quid satis „apertè testantur: Ne igitur longius vobis, fratres, sermonis exordium „protrahamus, cum mirificis eorum, *qui ante nos dixerunt*, orationibus ope„ram dederitis: Si qua fides habenda *Pseudepigraphis Constitut. Apostol.* sub nomine *Clementis* antiquum illum morem ita nobis describunt: *lib.* 2. *cap.* 61. in editione latinâ Bovii, cap. 47. in edit. græcâ Turriani: *Deinde* (post lectum scil. euangelium) *presbyteri moneant populum* ὁ καθεῖς ἐν τῶν, *sed non omnes, ac postremus omnium episcopus.* Tran-

Translatio Bovii Episcopi Ostunensis illud ὁ κατὰ σὲ ἀνὴρ exponit *ut sedeat*: quod non video quomodo cum Phrasi græca conveniat. 7. *quæst. An* tales Prophetiæ in Ecclesiâ debeant aut possint esse perpetuæ; an apostolicæ & illorum temporum fuerint propriæ. *Resp.* si ordinarios verbi Ministros respicias affirmandum est: sin alios, præter verbi Ministros distinguendum. ex 1 *Cor.* 14. De quâ quæstione infra. Prius probatur iisdem argumentis, quibus necessitas ministerii, explicationes Scripturæ, & conciones. Ecclesiæ reformatę tales Prophetias, hoc est, Collationes super textu aliquo sacræ Scripturæ, aut super dogmatis sacris ex Scripturâ eductis, exemplo Ecclesiæ apostolicæ 1 *Corinth.* 14. collegisse & excoluisse videntur. De more Ecclesiæ Genevensis tempore Calvini, testatur *Beza in ejus Vitâ*: ubi de turbone Bolseco. De Ecclesiis Belgicis & Gallicis in Anglià sub inspectione Johannis à Lasco, sic ipse à Lasco in Libro cui tit. *Forma ac ratio tota ecclesiastici ministerii*, &c. pag. 84.

„ Atque eadem sanè forma concionum diebus Jovis etiam observatur, „quę & aliis per hebdomadem diebus observari solet: nisi quòd concione „absoluta, & precibus etiam Ecclesię publicis absolutis, priusquam Psalmus „decantetur, instituitur publica scripturarum lingua vulgari collatio, quam „Prophetiam vocamus: in quâ doctrina præteritarum tota ea hebdomade „concionum excutitur publicè, & approbatur, per locorum in scripturis ac„curatam collationem: unanimisque doctrinæ consensus per totam Eccle„siam retinetur. Extrahitur autem hæc talis Prophetia, seu doctrinæ exa„minatio, ad horæ unius spatium: & Psalmus deinde canitur. Quo finito „dimittitur Ecclesia more suprascripto, cum benedictione. Sed quoniam „duplicem habęmus Prophetiæ usum, alterum in Germanica, alterum verò „in Gallica Ecclesia: utrumque sanè, & utilem Ecclesię, & scripturis consen„taneum: utriusque ratio nobis explicanda etiam erat.

Ibidem pag. 107. & seqq. *modus ac ratio Prophetiæ in Germanorum* sic plenius describitur.

„ Ratio Prophetiæ in Germanorum Ecclesia, hæc est visa fore maximè u„tilis toti Ecclesiæ, ut in illa excuterentur, & approbarentur omnia (per „mutuam locorum è scripturis collationem) quæ in totius ejus hebdomadis „concionibus videri poterant, vel non rectè, vel non ad plenum omnino „fuisse explicata. Aut qualemcunque tandem in animis auditorum dubita„tionem fortè adhuc reliquissent. Cum enim nusquam aliunde plus immi„nere posse periculi constet in omnibus Ecclesiis, quam ex doctrinæ dissi„diis: nihil sanè æquè etiam utile esse potest in omnibus Ecclesiis, quam ut „unanimis doctrinæ consensus in illis (ex verbo Dei) retineatur. Ad quem „equidem retinendum atque etiam alendum, vix quidquam haberi excogita-

„ rique poteſt, aut melius, aut commodius, aut etiam efficacius, hac tali
„ publica doctrinę Miniſtrorum examinatione, atque approbatione.
„ Die Jovis igitur, ſub finem concionis, quæ hora propemodum nona an-
„ te meridiem habetur, Eccleſiaſtes ipſe hortatur Seniores Eccleſiæ, & o-
„ mnes eos qui ad proponendas objectiones deſignati ſunt, ad proferendum
„ in medium aliquid, cum omni modeſtia & gravitate, ad Eccleſiæ ædifica-
„ tionem, non autem ad vanam oſtentationem. Ac tum Miniſtri rationem
„ reddunt doctrinę ſuæ, in ejus hebdomadis concionibus traditæ, ſi quid ad-
„ verſus illam objiciatur.
„ Et ut omnia ordine ac decenter, citraque ullam confuſionem gerantur:
„ ne item feneſtram aperire voluiſſe dicamur, per iſtiuſmodi examinationes,
„ inducendis curioſis quibuſdam (ut nunc ſunt tempora) & noxiis quęſtio-
„ nibus, quæ aliud nihil quam pugnas gignerent, & Eccleſiam demum etiam
„ perturbarent. Deſignati habentur è Senioribus ac Diaconis, adeoque &
„ ex reliquo etiam Eccleſiæ cœtu, viri quidam pii, graves, & modeſti, quoſ-
„ que certum eſt, & in ſcripturis bene verſatos eſſe, & aliud non quęrere, quam
„ gloriam Dei, & Eccleſiæ publicam ædificationem, quibus ſolis poteſtas
„ facta eſt proponendi ſuo ordine in Prophetiis, quidquid omnino proponi
„ debet. Vitari enim non poſſent turbæ ac confuſiones in Eccleſia ullo mo-
„ do, ſi quibuſlibet proponere omnia liceret: cum nuſquam alioqui deſint
„ hiſce noſtris potiſſimum temporibus homines contentioſi, prefracti, cu-
„ rioſi, & ſupra modum arrogantes, à quibus ſibi modis ſanè omnibus Ec-
„ cleſia cavere debet. Denique non deſint etiam fanatici plerique homines,
„ per quos haud dubio omnia tentaret Satan, ad diſſipandam Chriſti Eccle-
„ ſiam, ſi omnia quibuſlibet, ſine delectu ac diſcrimine ullo, publicè in me-
„ dio Eccleſiæ cœtu, proponere liceret.
„ Interim tamen ut toti Eccleſię libertas ſua conſtet, & ne quis ſibi dele-
„ ctorum illorum ad id peculiariter virorum deſignationem, fraudi eſſe quæ-
„ ratur, libertas permittitur omnibus, qui ſint ex Eccleſia, ut omnes ſuas du-
„ bitationes, aut objectiones, deſignatis viris illis, ſive verbis ſive ſcripto ex-
„ ponant, adjectis (ex verbis Dei) dubitationum, objectionumque iſtiuſ-
„ modi ſuarum rationibus. Quæ demum omnia per deſignatos illos in Pro-
„ phetia pro ponuntur, quatenus ſanè verbo Dei conſentanea eſſe, & ad Ec-
„ cleſiæ ędificationem facere videntur.
„ Ne tamen & inter illos ipſos deſignatos viros, aliqua ullo modo confu-
„ ſio oriatur: aut alii alios in proponendo impediant, conveniunt inter ſeſe
„ deſignati illi, paulò ante ejus diei concionem: atque inter ſeſe conferunt,
„ quo quid ordine proponi ab illis debeat. Et ſi quid ſit ejuſmodi, quod ali-
„ quo modo controverſium eſſe videatur, admonentur illius in tempore
Mi-

Digitized by

„Miniſtri ac Seniores omnes, ut præmeditati reſpondeant. Aut res differ-
„tur in aliam prophetiam (ſi ſit opus) ut omnia ordine, decenter, & cum
„Eccleſiæ ædificatione fiant.

„ Quantus autem ſit hujus talis Prophetiæ fructus, id res ipſa clarius mul-
„to teſtatur, quam ut ullis verbis explicari poſſit.

„ Primùm enim confirmantur animi totius Eccleſiæ, in retinenda tuen-
„daque etiam ſana doctrina: poſteaquam illam ita & executi & approbari
„videt. Et animantur præterea, atque etiam armantur omnes adverſus ſe-
„ctas omnes, quibus nunc ſunt ferè plena ubique omnia: atque unaminis
„in tota Eccleſia doctrinæ conſenſus retinetur.

„ Deinde Miniſtris verbi excutitur torpor atque otium. Coguntur ſummo
„ſtudio ad vigilare, ut in tradenda doctrina, fideliter, prudenter, & magna
„circumſpectione miniſterio ſuo fungantur. Ne quid temerè videlicet apud
„Eccleſiam effutiiſſe: novaque ulla dogmata præcipitanter in medium pro-
„tuliſſe, videri poſſint. Nimirum vox illa Apoſtolica in officio illos con-
„tinet: *Cæteri dijudicent.* Et alioqui intelligunt etiam, in tali doctrinę exa-
„minatione, Spiritus Prophetarum aliis Prophetis ſubjectos eſſe oportere.
„Præterea multi per imperitiam aliàs ad ſectas pertracti, facilè lucrifiunt.
„Cum enim rationes ſectariorum confutari (idque ſine convitiis) & ſanam
„præterea doctrinam approbari audiunt, ex verbo Dei: facilè ad agnoſcen-
„dum errorem ſuum, & veram reſipiſcentiam inducuntur: id quod jam
„pluribus exemplis experti ſumus. Ad hæc Seniores Eccleſiæ ſeſe etiam
„non vulgariter exercent, in ſcripturarum explicatione. Si qui enim loci
„occurrant, qui variam admittant expoſitionem: quiſque Seniorum profer-
„re poteſt ſuam (quam ſibi habet revelatam) expoſitionem, non ſine ma-
„gna Eccleſiæ ædificatione. Poſtremò præfractis atque obſtinatis adverſariis,
„& ſectis omnibus obſtruitur os, hoc tali Prophetię genere: dum ſibi o-
„mnem excuſationem eripi vident, cum apud Deum, tum apud homines,
„pertinaciæ ſuæ atque obſtinationis. Negare enim non poſſunt, libertatem
„eſſe proponendi publicè argumenta ipſorum omnia, per deſignatos illos
„viros, pro eo ac ipſimet volunt (modò ne turbas in Eccleſia moveant, ſed
„ordine & decenter omnia fiant) ac deinde refutari omnia, donec toti Ec-
„cleſiæ modis planè omnibus ſatis fiat: ipſaque id ſuo ſilentio publicè atte-
„ſtetur. Sed quemadmodum Chriſtus ait, omnes qui malè ſibi ſunt conſcii,
„lucem ferre non poſſe, adeoque & refugere, denique & odiſſe: ita ſanè &
„iſti ad talem diſputationum & Prophetiæ lucem, prodire recuſant. Sed in
„angulis interim ſuis traducere non ceſſant noſtram Eccleſiam: & lucis o-
„dio excæcati, damnant tandem, quòd in ſua ipſorum conſcientia convin-
„cuntur accuſari eam haudquaquam poſſe. Atque ita ad extremum

„ κρίνα cum ſint, in mentem reprobam, juſto Dei judicio traduntur.
„ Hiſce itaque cauſis adducti hunc talem Prophetiæ modum in Germa-
„ norum Eccleſia inſtituendum hîc eſſe putavimus, quòd huic Eccleſiæ ma-
„ ximè & utilis & neceſſarius eſſe videretur.
„ Eſt autem & alia Prophetię ratio, in qua liber aliquis Biblicus ordine
„ ſuo explicandus ſumitur: non tantùm per verbi Miniſtros, ſed etiam Se-
„ niores ac Diaconos, juxta ordines ipſorum: aut plures etiam delectos ad
„ id viros quoſdam graves & pios, ex reliquo Eccleſiæ cœtu.

Ibidem pag. 113. & ſeqq. *modus & ritus Prophetiæ* in Eccleſiâ Gallorum ſic deſcribitur;

„ Cum & in Germanorum Eccleſia multi ſint qui Gallicè loquantur, & in
„ Gallica item Eccleſia multi, qui Germanicam linguam ſic ſatis norint. Utile
„ id fore exiſtimavimus, ut aliis omnino diebus Prophetia apud Gallos in
„ hebdomade, quam apud Germanos obſervaretur. Ut videlicet & Galli
„ qui vellent Germanicæ, & Germani viciſſim Gallicæ Prophetiæ commo-
„ dius intereſſe poſſent. Atque ita quoniam in Germanorum Eccleſia diebus
„ Jovis prophetia (ut dictum eſt) haberi ſolet, Gallicæ Prophetiæ dies Mar-
„ tis deſtinatus eſt.
„ Viſum eſt etiam utile fore utrique Eccleſiæ, ut varietas hæc Prophetiæ
„ ita in illis retineretur. Ut enim doctrinæ per hebdomadem traditę exami-
„ natio atque approbatio (de qua jam diximus) plurimum fructus habet in
„ Eccleſia: ita fieri etiam non poteſt, quin maximo cum fructu ſcripturæ
„ tractentur: ſi ad cujuſque lectionis explicationem multæ multorum in-
„ terpretationes, inter ſeſe nihilominus conſentientes, atque inde deductæ
„ vel exhortationes, vel conſolationes adhibeantur. Manifeſtè enim conſpi-
„ citur opulentia donorum Spiritus ſancti in Eccleſia, in concordi multa-
„ rum interpretationum, circa unum quemlibet ſcripturę locum varietate:
„ & exhortationum ſimul ac conſolationum, multarum inde petitarum ac-
„ commodatione. Deinde eſt non vulgare exercitium hoc in Eccleſia: quo
„ fit, ut multi ſemper aſſueſcant ſcripturarum explicationi: ſic ut nunquam
„ ſint verbi Miniſtri in Eccleſia defuturi. Poſtremò Eccleſia tota in fide ſcri-
„ pturæ confirmatur, quam à tot ſimul viris tam variè tamque interim con-
„ ſentienter explicari audit.
„ Singulis igitur diebus Martis in hebdomade in templo Gallorum, poſt
„ abſolutam publicam concionem & preces Eccleſiæ publicas, priuſquam
„ Pſalmus extremus decantetur: conſident ordine in conſpectu totius Eccle-
„ ſiæ verbi Miniſtri & Seniores ejus Eccleſiæ: ſimulque etiam illi, qui ex re-
„ liquo Eccleſiæ cœtu ad id deſignati ſunt. Atque unus aliquis ex Mini-
„ ſtris, Senioribuſve, aut deſignatis illis aliis, juxta ſuas vices ſumpto eo li-
bro,

Digitized by Google

„bro, qui ad eum modum per Prophetiam explicari cœpit: prosequitur e-
„jus lectionem suo ordine, ubi in priore Prophetia cessatum fuerat. Ac
„demum explicationem textus addit pro doni sui mensura: & admonet
„Ecclesiam eorum, quæ illi in prælecto textu observatione digna esse vi-
„dentur. Huic verò ubi dicendi finem fecit, succedit alius proximè assidens:
„& ad ejusdem ipsius textus explicationem adjicit, si quid à priore omis-
„sum esse putat. Ac rursum secundo succedit tertius: & tertio quartus, us-
„que dum neque inter verbi Ministros, neque inter Seniores, aut designa-
„tos illos è cœtu Ecclesiæ alios quisquam sit, qui aliquid in medium profer-
„re velit. Posteaquam verò nemo amplius habet quod proferat, Minister
„qui publicam concionem habuit, jubet decantari Psalmum aliquem:
„quemadmodum in superioribus dictum est. Et tandem cum benedictio-
„ne dimittit Ecclesiam in pace.

„ Atque de publico verbi in peregrinis Ecclesiis ministerio tantum.
„Habentur autem in templo Germanorum præterea diebus lunæ & Mer-
„curii latinæ prælectiones: & latinæ item Prophetiæ seu scripturarum col-
„lationes, in quibus doctrina ipsa prælectionum excutitur atque approba-
„tur: perinde atque in Prophetia Germanica.

Eandem in Ecclesiâ Londino-Belgicâ sub Eduardo VI. usitatam describit *Martinus Microen in Statutis Ecclesiæ Belgicæ Londinensis, collectis* & 1554. & vernaculo sermone editis *cap.* 12. Eandem breviter describit & laudat *Joh. Utenhove* Ecclesiæ Londino-Belgicæ Senior *in Præfat. ad Catechismum istius Ecclesiæ* (qui tunc erat Embdanus, ex dialecto Germanicâ in Belgicam translatus) anno 1563. Memini me *νεόφυτον* ex veteranis Ministris, eorumque Filiis inter alia de Ecclesiarum regimine & disciplina in primis reformationis in Belgio emergentis temporibus, de tali exercitio Prophetię, in majoribus Ecclesiis instituto audiisse, cujus beneficio aliqui exercentes ad ministerium ecclesiasticum præparari & vocari contigerit. Certè in primâ Synodo Nationali Ecclesiarum clandestinarum Belgii celebratâ Vesaliæ, Prophetiæ (ita dictę) sunt Decretæ. Et in secundâ Synodo Nationali Embdæ a. 1571. „celebratâ his verbis: In omnibus Ecclesiis sive nascentibus, sive vegetis
„Prophetiæ ordo ex Pauli instituto observetur. Ad hoc collegium coop-
„tentur non modo Ministri, sed etiam Doctores, ac ex Senioribus & Dia-
„conis, atque adeo ex ipsâ plebe, qui donum suum à Domino acceptum in
„communem Ecclesiæ utilitatem conferre volunt: ita tamen ut prius Mi-
„nistrorum atque aliorum probentur judicio. Huc referenda videntur ex-
ercitia propositionum, quæ statuta Ecclesiastica anno 1578. 1581. haberi volunt. Lectiones illę, à concionibus distinctæ, quibus liber Scripturę vulgari linguâ Auditoribus eruditè & plenè explicatur, dictis Prophetiis,

Digitized by Google

non ita annumerari poſſunt : quod ab uno tantum habeantur, & nullæ aliorum ad id delectorum, Collationes ſuper iis inſtituantur. In Synodo Hollandicâ Leidenſi anno 1619. Collatio ab aliquot exercentibus diebus dominicis poſt auditas conciones publicas ſuſcepta, probata fuit, hâc conditione ut aliquis Miniſtrorum aut Seniorum, quoties ipſis ita viſum eſſet, eidem intereſſet & præeſſet. Collationes ejuſmodi poſſunt eſſe *vel* publicæ in cœtu eccleſiaſtico, quales in Eccleſiis, apoſtolicis 1 *Corinth.* 14. in Genevenſi, & in Eccleſiis peregrinorum in Angliâ: *vel* privato-publicę, coram delectis Auditoribus: *vel* planè privatæ, abſque ullis Auditoribus. Rurſum *vel* ſuper libro, aut capite, aut ſectione Scripturæ publicè pro concione explicatis: *vel* liberè ſuper quocunque libro aut capite, aut textu Scripturę pro arbitrio & judicio Synedrii, aut Miniſtri ſeligendo: *vel* ſuper dogmatis fidei ordine tractandis: *vel* ſuper ſelecto aliquo dogmate, cujus uberior & accuratior cognitio, pro ratione & ſtatu illius Eccleſiæ, & circumſiſtentium & graſſantium errorum præ aliis iſtic ventilando. Poſteriores illas Collationes, ſi altiorum Catechizationum nomine quis appellare malit, non repugnamus. Siquidem circa vocum criſim non laborandum eſt, modo rei ipſius legitimus uſus habeatur. Quin, & ſuper prȩcipuis ac generalibus (prætueritis ſpecialibus & periſtaticis) Politiæ eccleſiaſticæ capitibus ad & juxta edita ac recepta cujuſque Eccleſiæ Statuta & Liturgias, imprimis inter Seniores & Diaconos, alioſque magis exercitatos, utiliter Collationes ex Scripturis ſubinde inſtitui poterunt. Sed totum Synedrii & Miniſtrorum, de indigentiâ ac ſtatu ſuæ Eccleſiæ optimè judicantium, arbitratui committendum eſt.

§. 2. De his Prophetiis ſeu Collationibus, quæritur,

I. *Quæſt. An non tantum licitæ, ſed & utiles ſint ? Reſp. Aff.* 1. *quia* exemplum Eccleſiæ apoſtolicæ ſupra deſcriptum & imitabile eſt & imitandum; ubicunq; ad ædificationem id fieri poteſt. Nec excipiendum, non vigere nunc illa chariſmata Prophetiæ, & intelligentiæ aut interpretationis Scripturarum, in momento aliquibus per impoſitionem manuum Apoſtolicarum *Actor.* 18. & 19. ſiquidem pariter contra conciones & Catechizationes Miniſtrorum excipi poſſet, & hodie à nonnullis excipitur, quod ſcil. omnes hodierni Miniſtri dono infallibilitatis deſtituantur; unde nonnulli intulerunt, nullum nunc prædicari verbum infallibile, quia non infallibiliter. Qui Neo-libertiniſmi ſeu Neutraliſmi afflatus alibi diſcutitur. 2. *quia* verbum Dei ναυσίως inter nos habitare debet & benedictio Eccleſiæ novi Teſtamenti promiſſa *Joel* 2. cum *Actor.* 2. grato animo amplectenda, fovenda, affectanda. 3. *quia* exercitia illa faciunt, ad ſpiritualis cognitionis excitationem, & incrementum; ad orthodoxiæ in Eccleſiis conſervationem; ad ejuſdem contra adver-

adversarios apologiam, & pro eâ decertationem; ad errantium non tantum per Ministros (qui ubique adesse nequeunt) sed etiam per alios ad hoc idoneos convictionem & reductionem; ad renovandam fidei, spei, & caritatis praxin. 4. *quia* scholæ sunt, quibus multi præparantur, ad munera Seniorum, Diaconorum, Prælectorum, Catechistarum, Consolatorum, aliquando promovendi. Et quandoquidem in politiis ac judiciis constituti, exemplo *Josuæ cap. 1. v.* 8. verbum Dei ab ore suo nunquam removere, sed assiduò illud meditari debent: non frustra talibus prius in veritate sanctificandis auxilia Catechizationum & Collationum suppeditantur.

II. *Quæst. An promiscua & vaga quorumvis in conventu Ecclesiæ Collatio, seu Prophetia, sit admittenda? Resp.* Ita quidem voluerunt Anabaptistæ illi, quos refutat *Bullingerus Lib. 3. c. Anabaptistas cap.* 10. Ante paucos annos aliqua satis frequens peregrinorum Ecclesia in celebri Urbe Hollandiæ congregata in partes ob promiscuam hanc Prophetiam scissa fuit; ut minor pars 15. aut 16. familias complectens cum uno ex Ministris secederet, & separato in loco sacra sua ad tempus celebraret: absque exercitio tamen promiscuæ Prophetiæ, pro quâ contenderat. Postea tamen Ministro ad se redeunte, & meliora consilia secuto μετάνοια, illud scisma sublatum est. Quæstiones à quodam Ministrorum, qui pro sanâ sententiâ cum potiori parte Ecclesiæ stabat, super hoc pomo ἔριδος mihi tunc propositæ erant sequentes. 1. *An* promiscua Prophetia illic requirenda aut admittenda, ubi Ministri sunt donis sufficienter instructi. 2. *An* tempus aliquod concedi debeat uni alicui membro Ecclesiæ, proponendi quæstionem aliquam, ad quam tota congregatio respondere possit? 3. *An* tempus illud convenientissimè designari possit post finitam concionem. 4. *An* sit in potestate senioris, publicum ecclesiæ conventum extraordinariò convocare. 5. *An* posito privatum Ecclesiæ membrum desiderare, ut tota Ecclesia ad solvendam quæstionem suam conveniat, non præstaret, ut prius conferat cum ministro, ad recipiendam satisfactionem. 6. *An* si ad postulatum privati membri conventus ecclesiæ convocandus esset; an senioris sit judicare, sitne causa illa tanti momenti, & convocatione ecclesiæ digna. Ad quas pro re natâ breviter respondebam. Fons dubitationum & contentionum erat & olim fuerat Anabaptistis mala intelligentia textuum 1 *Corinth.* 14. & 1 *Corinth.* 11. *v.* 4. 5. Quasi scil. de omnibus & singulis hoc intelligendum esset, & non de delectis ac certis Prophetis sive charismate præditis, sive peculiari studio exercitatis, & Apostolorum aliorumque Ministrorum judicio probatis.

Satis superque genuinus sensus apertus est à *Bullingero contra Anabaptistas loco cit.* & à *Beza*, *Deodato aliisque Notarum Scriptoribus*, denique *Sopingio* supra laudato *contra Grotium:* quamvis hic ad publicos Ministros & Do-

ctores reſtringat ; & *Bullingerus* ad ſolos chariſmate donatos reſtringere videatur : quomodo Prophetiam doctrinâ & exhortatione conſtantem *Rom.* 12. *v.* 6. 7. exponunt *Martyr*, *Beza*, *Pareus*, *Willetus*, & ex Pontificiis *Toletus*. Saltem de ſingulis aut quibuſvis in cœtu Eccleſiæ hoc neceſſario accipiendum eſſe non magis hinc probari poteſt ; quam oratio indefinita Marci 16. v. 17. *ſigna autem eos qui crediderint, hæc ſequentur*, &c. de ſingulis Fidelibus exponi. Quod ad locum 1 *Corinth.* 11. *v.* 4. & 5. ibi Prophetiæ vocem latiori ſignificatione ſumendam obſervavit *Fr. Junius in Epiſtola illius ex Arabico tranſlatione*, & poſt eum à *Deodato in Notis ad Verſionem ſuam Italicam. Notæ Anglicæ* aut de Mulieribus extraordinario dono prophetico prœditis (quales Anna *Luc.* 2. *v.* 38. Maria *Luc.* 1. *v.* 46. quatuor Filiæ Philippi *Actor.* 21. *v.* 9.), aut de Mulieribus & Viris quibuſvis in illo cœtu *non oris clarâ voce, ſed tacitâ mentis cogitatione* Prophetiæ, illi, adde & uno ſpiritu ac tacito *amen* in precatione & clarâ voce in pſalmodiâ ſe jungentibus. Nec aliter accipi poſſe evidentiſſimè probatur ex 1 *Cor.* 14. *v.* 34. 35. ubi abſolutè prohibet Mulieribus in Eccleſiâ loqui. Prudenter ergo à Genevenſi &, ab Eccleſiis peregrinorum in Anglia, præeunte earum ſuperintendente nobiliſſ. eruditiſſ. & prudentiſſ. Theologo *Joh. à Laſco*, Eccleſiæ Scoticæ *in Primo Libro Diſciplinæ* anno 1560., aliæque in Belgio talia exercitia prophetica exemplo Apoſtoli 1 *Corinth.* 14. circumſcripſerunt : ne ſi cuivis conciones publicè examinare, iis obloqui, Scripturas indoctè aut ſophiſticè torquere, dubia & conceptus ſuos illic ventilandos proponere concederetur, Eccleſia pravis æmulationibus, curioſis & otioſis diſputationibus, ſycophantiis, rixis, ſciſmatis, ſcandalis repleretur, & omnia in confuſam multitudinem abirent; ubi ἴδιος ἴδιοις ἄκυρα. Caſibus, conſiliis, ſcrupulis, dubiis, quæſtionibus Fidelium, Catechumenorum, Neutralium, Adverſariorum expediendis, privata Miniſtrorum & Doctorum induſtria ſubceſivis horis, neceſſitate ita poſtulante, inſervire debet ; non vero tota Eccleſia iis occupari ac turbari. De quo *Cap. ſequ.*

III. *Quæſt. An ordinarium munus Prophetarum duplex ſit perpetuò in Eccleſiâ ſic diſtinguendum : ut alii doceant & Scripturam interpretentur, alii exhortentur & interpretationes ac doctrinas practicè applicent, juxta textum* Rom. 12. v. 6. 7. *Reſp. Lyranus* ex vocibus *Prophetiæ*, *miniſterii* (διακονίας), *doctrinæ, exhortationis*, quatuor diſtincta munera deducit, *Prophetarum* qui nôrunt arcana : *Miniſtrorum* hoc eſt, *Sacerdotum* qui adminiſtrant ſacramenta : *Doctorum*, qui docent : *Prædicatorum* ſeu Concionatorum, qui exhortantur. *Corn. à Lapide* Prophetas ſubdividit in *Doctores*, quales dicit eſſe Apoſtolos & Epiſcopos : & in *Exhortatores*, quales dicit eſſe Presbyteros & Parochos. *Poſſevinus in Bibliothecâ ſelectâ*, Epiſcopos (quibus jungit Pontifi-

ces

ces & Cardinales) vocat *eccleſiaſticos gubernantes*, Parochos autem & Preſbyteros (quibus jungit Doctores Theologos, & Canonicos) miniſtrantes: Monachos vero *eccleſiaſticos ſupererogantes*. Ex noſtris *Rollocus* per voces Prophetiæ, diaconiæ, doctrinæ, exhortationis, quatuor diſtincta dona deſignari putat. *Beza*, *Martyr*, *Pareus*, *Willetus*, in duo generalia capita diſtribuunt, Prophetiam ſcil. & Diaconiam; & Prophetis doctrinam cum exhortatione aſſignant: Miniſtris vero, *Senioribus* regimen Eccleſiæ; *Diaconis* ſtrictè ita dictis curam pauperum. *Notæ Anglicæ* (primæ editionis) doctrinam & exhortationem ſic diſtinguunt, ut illam Doctoribus (quales nunc Theologi Academici), iſtam Concionatoribus præter doctrinam etiam exhortationem tradentibus, aſſignent. *Willetus* cenſet, in textu 1 *Corinth.* 14. *v.* 3. Prophetiam diſtingui in duo membra, *doctrinam* ſcil. ad inſtructionem, & exhortationem cum conſolatione. *Noſtri* in eo ſaltem conveniunt, quod verbi Miniſtris incumbat *docere* textum & dogmata ex textu deducta explicando; eademque exhortando ac conſolando, conſcientiis Auditorum applicare. Ita ut omnes agnoſcant Miniſtrorum officium eſſe publicè unà docere, & exhortari. An & quomodo in antiquâ Eccleſiâ Lectores Scripturam interpretati, & poſtea Concionatores eandem applicaſſe quibuſdam videntur, Antiquariis diſquirendum relinquo. Nobis ſufficit ordinem & praxim Eccleſiarum noſtrarum, hactenus explicaſſe & defendiſſe.

IV. *Quæſt. An quibuſvis etiam idiotis, aliquâ ſcientiâ & ἐμπειρίᾳ pollentibus licitum ſit, immo & ἐυλογὸν ac neceſſarium, cathedram paſtoralem conſcendere, & pro dimenſo donorum, Eccleſiam publicè docere, atque exhortari?* *Reſp.* Ita quidem videtur Neo Anabaptiſtis, in Angliâ poſt annum 1647. caput exſerentibus. Quorum *Confeſſionem* anno 1644. iſtic editam *artic.* 4. 41. 45. examinat celebris inter Anglos Theologus *Daniel Featly in Libro* vernaculo tit. *Κατάβαπτισμα πανσεπτικὸν or The Anabaptiſts Duck'd and plung'd*, &c. anno 1647. *pag.* 123. 183. & *ſeqq.* Quorum *ἀνθρωπίνην τῆς ἀποστολῆς* uſque ad miniſterii ordinarii & vocationis ad illud & ſtipendiorum pro illo opere abolitionem, quorundam etiam ad enthuſiaſmi furores proceſſiſſe videtur. De quibus controverſis alibi agendum. Non negat Doctor *Featly* Prophetias & Collationes, optatas olim & affectatas à Grindallo Epiſcopo Londinenſi, ſed eas ad Miniſtros & literatos Theologos reſtringit. Nos fatemur talibus imprimis convenire: ſed alios lectione & meditatione Scripturarum, earumque ſpirituali praxi, exercitatos, nolimus abſolutè excludi; cum conſtet in Belgio noſtro, ante copiam Scholarum, complures iſtius generis ex aſceteriis illis, in meſſem Domini extruſos, plura pietatis, zeli, & multorum converſionis miracula (ita loqui liceat) edidiſſe, quam pleroſque alios Literatos. Nunc autem cum copia ſtudiorum & Scholarum

Digitized by Google

abunde ſuppetit, nolimus Prophetarum Filios in ſtudiis ab infantiâ enutritos, idiotis poſtponi, cæteris ſcil. paribus. Atque hoc teſtati ſumus, cum juxta cum aliis ὁμοψήφοις anniteremur, ut Decretis Synodi provincialis, deinde Statutis Synodi Nationalis Dordracenę a. 1619. inſereretur artic. 8. qui ſic ſonat: *Nulli ludimagiſtri, Mechanici, aliique qui non ſtuduerunt, ad miniſterium admittentur, niſi certò conſtet de eorum ſingularibus donis, pietatis, humilitatis, modeſtiæ, boni ingenii, eloquentiæ. Et ſi qui tales ad miniſterium ſe offerant, Claſſis eoſdem primum (ſi Synodo ita viſum fuerit) examinabit, & prout eos in examine invenerit, aliquamdiu privatis propoſitionibus exercebit, ac deinde cum iis aget prout ad ædificationem hoc fore judicaverit.* In quâ ſynodali ſententiâ & deciſione, inter extremas ſententias mediâ, hactenus acquieſco: ſic tamen, ut talibus pietate, ingenio, eloquentiâ, zelo, diligentiâ, prudentiâ, pleriſque theologię Studioſis non modo pares, ſed & ſuperiores, ad ſtudia linguarum & artium capeſſenda, exſtimulandos & promovendos judicem. Experientia nos docuit, plures ejuſmodi ἀνδραγωγίας privatâ Virorum eruditorum inſtitutione uſos, aut curſu trivali & Academico juxta cum aliis Studioſis feliciter defunctos in utilia Eccleſiæ ædificandæ organa, quoſdam inſuper in lumina & columina Eccleſiarum evaſiſſe. Sed his miſſis, contendimus cum omnibus Eccleſiis reformatis, quibuſvis qui aliquo modo præ aliis exercitati ſunt, aut ſibi videntur, non convenire nec concedendum eſſe ut publicè, ſive de cathedrâ, ſive in loco ſuo ſedentes aut ſtantes, Scripturas interpretentur; & verbum inſtructionis, hortationis, conſolationis ad populum proloquantur: abſque legitimâ vocatione. Præterquam enim, quod hoc confuſionem pareret; ſacri miniſterii ordinem ac poteſtatem Jure divino præſcriptam radicitus tandem exſcinderet; & per heterodoxias Socinianas & Anabaptiſticas, ad rebellionem Core, Datan &c. & ad furores Enthuſiaſtarum miſerum populum manuduceret uti hoc recentiſſima experientia in Anglia & Belgio oſtendit. Si enim argumentum Core, &c. *non totus hic cætus, hi omnes ſunt ſancti, & inter eos eſt Jehova* Numer. 16. v. 3. & pſeudographema Enthuſiaſtarum ex detorſione Johann. 6. v. 45. *Et erunt omnes docti à Deo*, procederet: jam actum eſſet de toto miniſterio. Conferenda hic, quæ contra Enthuſiaſtas & Socinianos de Miniſtris eorumque legitimâ vocatione alibi diſputantur. Saltem ex textibus *Rom.* 12. *v.* 9. *Actor.* 13. 1 *Corinth.* 14. talis libertas an licentia exſculpi nequit. Et quicunque ex Noſtris tum Comentatoribus, tum Politicis Eccleſiaſticis & Agendariis ſupra cit. interpretationes ac collationes ſcripturarias non tantum Miniſtrorum, ſed & aliorum quorundam titulo *Prophetiæ* (1 *Corinth.* 14.) admittunt, ad *Prophetas* reſtringunt, hoc eſt, ad quoſdam in Eccleſiâ præ aliis omnibus exercitatos, eccleſiaſtico judicio probatos, delectos, & certo præfixo

fixo ordine hoc agentes. Ut jam non dicam, esse nonnullos (inter quos *Daneus Lib. 2. Isagogæ part. 4. lib. 2. cap. 7.*) qui solos Doctores & Lectores Theologos dictis illis in Ecclesiâ apostolicâ *Prophetis* successisse arbitrentur. Nec desunt, qui ad solos charismate prœditos restringunt: unde inferunt, cessantibus illis charismatis etiam Prophetias tunc exercitas cessare. Sed nos cum aliis, & cum *Notis Bibliorum Belgic. ad* 1 *Corinth.* 14. *v.* 33. malumus extendere etiam ad illos, qui ordinario studio aliquam Scripturarum & Theologiæ cognitionem sibi comparârant. Ecclesiæ Scoticæ anno 1560. *in Libro Disciplinæ* Proceribus illius Regni oblato *tit. de Prophetiâ & interpretatione Scripturæ*, admodum commendant hoc exercitium, & ad illud in urbibus invitant ex agro vicino Pastores & Lectores: nec minus sollicitè cavent, ne absque judicio, probatione, & delectu Ecclesiæ huic Prophetantium se ingerant; nec libertatem publici in Ecclesiâ illa Pastoris usurpent (etiamsi publici essent verbi Ministri); sed textui suo inhæreant, nec digressiones ingrediantur, aut locos communes exponant, &c. In Ecclesiâ Genevensi ad verbi Ministros, & Professores ac Lectores scholasticos restringebant: In Londino-Belgicâ, ad Ministros, Seniores, aliosque quosdam ex Ecclesiâ, judicio Synedrii, selectos.

V. *Quæst. An Prophetiæ illæ coram toto cœtu Ecclesiæ semper & ubique institui debeant: & ubicunque illæ desunt, Ecclesiæ & exercitia ecclesiastica integritate suâ destituantur? Resp.* Ita quibusdam videtur, idque ob exemplum Ecclesiæ apostolicæ 1 *Corinth.* 14. Sed in distinctè morem illum explicari, & omnibus particularibus Ecclesiis applicari non posse putamus. Sint ergo istæ conclusiones 1. *concl.* Acta & mores Corinthiacæ, aliarumque istius temporis Ecclesiarum particularium, non obligant omnes cujuscunque temporis, conditionis, status Ecclesias ad specificam & formalem imitationem. 1. *Ecclesia* enim illa erat non tam publica, quam privato-publica. 2. Aderant illic Prophetæ charismate præditi 3. Ad manum erat auxilium spiritus apostolici: 4. In primâ illâ festinatione & occasione euangelii per omnes partes propagandi, exercitia illa erant magis necessaria; tanquam succedanea exercitiis Doctorum & theologiæ Studiosorum (qui sunt Filii Prophetarum) in Scholis & Collegiis theologicis: quorum tunc aut nulla, aut saltem non tanta erat copia, quanta hodierno tempore. 2. *concl.* Hoc extra dubium est, quod ad genus & analogicè hinc deduci, omnibus Ecclesiis dandam esse operam ut sermo Dei copiosè in Fidelibus inhabitet & se mutuò doceant, hortentur, &c. *Coloss.* 3. *v.* 16. De mediis, modo, circumstantiis cuique Ecclesiæ prudenter statuendum esse. Neque omnibus omnia conveniunt. 3. *concl.* Negari non potest, quin in se & per se Prophetia coram tota Ecclesiæ cœtu non sit illicita. Neque enim absolutè illicitum, aut intrinsecè malum

lum limitaſſet Apoſtolus reformando abuſus (quod facit 1 *Corinth.* 14.) ſed autoritate apoſtolicâ abrogaſſet. Et ſic judicârunt Eccleſiæ illę ſupra indicatæ, quæ Prophetias, ſed per Miniſtros, Doctores, alioſque ſpecialiter delectos certis conditionibus exercendas, introduxerunt, Genevenſis ſcil. peregrinæ in Anglia, Scoticæ, & poſt eas noſtræ Belgicæ in Synodis Veſalienſi & Embdanâ. 4. *concl.* cum multa in genere ſint licita, quæ tamen in hypotheſi hic & nunc non conveniunt, nec ædificant, nec tuta ſunt: dicimus, pręſtare ut in Eccleſiis frequentibus, & publicis, ubi promiſcuè quilibet Auditores confluunt, ad privata collegia aut privato-publica ſine Auditoribus, aut coram idoneis & delectis Auditoribus quibuſdam, ſub præſidio Miniſtrorum, talia exercitia devolvantur. Sunt enim Auditores alii rudes atque ignorantes, qui lacte, & non ſolido ejuſmodi cibo paſci debent 1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2 3. cum *Hebr.* 6. ſive minores Pueri & Puellæ, ſive adulti. Sunt alii à religione alieni, quin etiam rigidi adverſarii; quorum ſycophantiis, calumniis, ſannis, & ludibriis noſtrorum exercentium aberrationes, diſſentientes interpretationes, dubitationes, exponendæ non ſunt. Longè alia ratio eſt diſputationum in Scholis publicis ſuper genuinâ Scripturæ interpretatione; ut & collationum in publicis de religione colloquiis publicâ autoritate, aut certâ quadam neceſſitatis occaſione ſuſceptarum. Hæ enim non ſunt ordinaria, in cœtu Eccleſiæ, una cum aliis illic perpetuò agendis, celebranda exercitia. 5. *concl.* Facilius & felicius haberi poſſent in cœtibus exiguis, ſive clandeſtinis, ſive apertis, ſed extra inſidias malevolorum epoptarum conſtitutis; ubi omnes in illo Vico aut Oppido unius ſunt labii, & quod ad ſenſum de religione ἰσόψυχοι. Sed oppidatim ac vicatim Miniſtrorum, Doctorum, & ſatis egregiè exercitatorum numerus non ſuppetit. Talibus Eccleſiolis, eorumque Miniſtris dicentibus: *Ut quimus, quando ut volumus, non licet*, tantiſper credendum, donec experientia, & ipſa rei notoreitas contrarium teſtetur.

VI. *Quæſt.. An de eccleſiaſticis concionum repetitionibus (quas à ſcholaſticis & domeſticis diſtinguineus,) idem aut fere idem cenſendum ſit? Reſp. Aff.* ſi repetitiones illæ non ſint nudæ, ſed conjunctæ cum examine, collatione ſententiarum, dubiorum ac quæſtionum propoſitione, eorundemque ſolutione: quales in Eccleſiis peregrinarum in Anglià apud *Joh. à Laſco* ſupra cit. Sed quod ab illis linguâ iſtic peregrina apud δοκίμους illos, & zelotas, pleroſque Fideles crucis & ob verbum Domini exules, tutò & cum ędificatione fieri poterat: non tam facile in Eccleſiis lucis, quarum religio evecta eſt in religionem publicam ſeu ſtatus, præſertim in magnis Civitatibus quovis ſectarum genere refertis exſpectari poteſt. Sin compendiosè & ſimpliciter fiant repetitiones (uti alicubi fieri novi), per ſolum Miniſtrum aut Docto-

Doctorem, aut Catechiſtam continuâ oratione utentem ſive in loco & cœtu, ad quem quilibet Auditores admittuntur; ſive coram totâ Eccleſiâ: non inutiliter tales introducentur, ubi non ſunt, aut continuabuntur, ubi ſunt. Judicetur à ſingulis Synedriis optime eccleſiarum ſuarum ſtatum perſpectum habentibus, an & quomodo hic agendum: procul ſtent ſi qui φιλοσωπύοντες, ignavâ operâ & philoſophâ ſententiâ, qui de aliarum Eccleſiarum ſtatu & neceſſitate, nonnunquam determinant, ut Medici puri puti Ouroſcopi de ſanitate & morbo.

Cap. III.

De Dubiorum Solutionibus, caſuum Deciſionibus, Conſiliis theologicis: domeſticis & privatis Inſtitutionibus, errantium Convictionibus, afflictorum Conſolationibus, tepidorum Adhortationibus, labentium Correptionibus.

DUbium & dubitatio quid ſit ex profeſſo explicatum eſt, 3. *Part. ſel.* §. 1. *Diſpp. tit. de Fide, Conſcientiâ, Theologiâ dubitante.* Hic conſiderandum venit, an & quomodo dubia hominibus eximenda ſint. Sunt autem ea duum generum, vel circa fidem generalem, ſeu dogmata fidei, vel circa fidem ſpecialem ſeu applicantem, ejuſque & conſcientiæ praxim. Utraque quin oboriantur infantibus in Chriſto non tantum, ſed etiam proficientibus, immo & perfectis ita dictis (*Philipp.* 3. *Hebr.* 5.), nemo ignorare poteſt, qui ſeipſum novit, & didicit ex Apoſtolo 1 Cor. 13. *ex parte cognoſcimus*, &c. Ad eorum ſolutionem auxilio Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis 1 *Timoth.* 3. *v.* 15. utendum eſt. Auxilium hoc præſtat Eccleſia ordinario & præcipuè per Paſtores & Doctores: quamvis alii quivis in fide magis exercitati, & potentes in Scripturis, vi communionis ſanctorum huic occaſioni inſervire poſſint ac debeant. Ut hinc videant Paſtores, perpetuò vigilandum, tanquam cuſtodibus ſuper muros Jeruſalem à Domino præfectis *Jeſ.* 62. *v.* 8. 9. Ne quis putet ſolis publicis concionibus ſe munere ſuo ſatis defunctum; & dubitantes omnes, aut os Domini per ipſum conſulentes, eò ablegandos. Apoſtoli imitatoris Chriſti exemplum nobis imitandum, qui Epheſios ſuos publicè & privatim docebat *Actor.* 20. Ut autem hoc velint & poſſint, intenti ſint lectioni, &c. intenti ſint ſibi ipſis & doctrinæ, &c. 1 *Timoth.* 4. *v.* 13. 16. in lege Domini meditentur die ac nocte *Pſal.* 1. Ignavum otium, temporis fallacias, ματαιότητας, φιλοπραγμοσύνας, mundi vanitates, otioſas ἀεργίας & confabulationes, carnis curam ad voluptates quam maximè fugiant. Ne cogitent ſe gradum in Eccleſiâ adeptos curriculum ſtudiorum ad columnas Herculis deduxiſſe, &

Digitized by Google

in formatis atque in orbem recurrentibus concionibus, aliquot tanquam in termino motus ſuaviter poſſe quieſcere. Hæc ſi obſervent, cum Deo, qui laborantes adjuvat, facile & volupe ipſis erit tanquam Scribis edoctis in Regno cœlorum, vetera & nova è theſauro ſuo ſemper depromere. Quæ autem debeant eſſe ſtudia Miniſtrorum præſertim novitiorum, curſim indicavimus *Lib.* 1. *Bibliothecæ cap.*8. coll. cum *Initio cap.*9.

§. 2. Quid ſint caſus conſcientiæ, & an ac quomodo determinandi, quique abuſus hic vitandi, docuimus 3. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Theologiâ practicâ*: quæ hic non repetimus, ſed præſupponimus. Solummodo monendum, diſtinguendas eſſe quæſtiones ac determinationes, de τῷ licito & legitimo in foro ſoli; & τῷ licito in foro poli ſeu conſcientiæ: præterea de eo quod licitum ſit facere; & quod licitum ſit pati ac tolerare, & quod ad malitiam illud limitare, eodemq; ad bonum uti; Inſuper de veritate ſententiæ; & de ejus veritatis momento ac neceſſitate; denique de determinatione morali & caſuiſtica, ſintne per eam conſcientiæ privatim publicève (prout occaſio tulerit) informandæ; an vero ſimpliciter tacendum, aut ad ſummum quodlibeticè ſeu problematicè & purè ſpeculativè, de eâ diſſerendum, non tamen practicè aut ad praxin ea urgenda, nec conſcientiæ iis informandæ. De quibus neceſſariis & elementaribus diſtinctionibus peculiari *Diſp. tit. de Foro poli & ſoli*, cum Deo, acturi ſumus. His præmiſſis, ſtatuimus, Paſtoribus & Doctoribus, tum ſigillatim, tum collectim in Synedriis, Claſſibus, Synodis propriè peculiari quâdam ratione incumbere caſuum deciſionem: hoc tamen ordine, ut ſpiritus Prophetarum, Prophetis ſubjectus ſit 1 *Cor.*14. Hic ergo quæritur.

I. *Quæſt. An privatis Fidelibus, aut Neutralibus, aut etiam Adverſariis, ad omnes propoſitos caſus ſemper reſpondendum ſit? Reſp. Neg.* idque exemplo Chriſti *Math.*21. *v.*27. cum ſcil. quæſitores ex curioſitate, aut πολυπραγμοσύνη, aut tentandi ſtudio, & calumniam Caſuiſtis, ac toti Eccleſiæ ſtruendi, & pericula creandi; non diſcendi & conſcientiarum tranquillitati conſulendi hoc agunt. Tunc enim non tam ratio habenda eorum qui quærunt, ſemper diſcentes, nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes 2 *Tim.*3. *v.*7. quam communis cauſæ, Eccleſiæ, & miniſterii. Bonum enim univerſale præferendum particulari, quod hic prætenditur. Prudenter ergo aut ſilentio, aut dilatione reſponſi, aut honeſta per viciſſariam quæſtionem, exemplo Chriſto *Math.*21. *v.*26. declinatione, aut generali thetico, & ab illâ hypotheticâ quæſtione abſtracto reſponſo, captores illi capiendi, & inſidiæ ipſorum declinandæ. Sicuti enim non repugnat liberæ & opportunæ religionis confeſſioni, ſilentium aut declinatio reſponſi, cum nobis furioſus Quæſitor occurrit (uti hoc rectè determinat *Ameſius Lib.*4. *Caſuum cap.*3. *qu.*2.): ſic nec hoc in caſu.

II. *Quæſt.*

II. *Quæſt. An Miniſtri ſatis tutò ac prudenter Quæſitoribus vivâ voce aut ſcripto tunc reſpondeant, cum nôſſe aut non vanè præſumere poſſunt, aliis eiuſdem fidei conſortibus Miniſtris eorumque concionibus, monitis, paterna correptioni inſidias & calumnias ſtrui; atque una manus hominum de hoc mundo, aut tepidorum tali reſponſo conſortari? Reſp.* Memores ſint Miniſtri, tum endemia aut epidemica conſuetudinis obtentu firmata vitia, tum particulares hominum lapſus, patrocinium ſibi plerumque quærere à diſſenſu Miniſtrorum, & ab appellatione à ſuo monitore ad alium quem rerum & circumſtantiarum non ita gnarum; quod ſi obtinuerint, ſeriò triumphare, canentes, *tu ſi ais, alius negat autoritatis paris in miniſterio ſuo & fidei, inſuper paris, ſi non majoris, eruditionis, eloquentiæ, prudentiæ, gratiæ, famæ. Quandoquidem ſunt diverſa Theologorum judicia, hactenus ſaltem inſtitutiones, admonitiones, redargutiones Paſtoris mei aut Paſtorum, aut Synedrii ſuſque deque habere, immo & iiſdem ſtrenuè obloqui, etiam maledicere mihi ſtat & licet, donec omnes Miniſtri & Theologi inter ſe diſſidentes conſentiant.* Nota autem duas partes & poteſtates collaterales ab iis fingi, ſi vel unus & forte alter Miniſter ſive proprio motu, ſive ipſorum inſtinctu & impulſu diſſentire, immo vel labaſcere ac vacillare cœperit; quamvis contra præjudicatum ſenſum & conſenſum Eccleſiarum reformatarum, immo & totius Chriſtianiſmi. Hortor omnes, qui conſcientiam & fidelitatem Deo probare ſtudent, ab hominibus ſibi caveant: præſertim ne M. SS. aut libellis editis gratiam quorundam, & famam captent, ungues ſint in ulcere, & torrente paulatim abducti eò deveniant, unde regredi difficile. Cogitent magnum Theologum infirmitate humanâ, æſtu contentionis, & aliorum impulſu, ſcriptionibus tantum olim indulſiſſe, ut apud amicum intimum profiteretur, nimium à ſe factum eſſe in causâ euchariſticâ. Dato aliquem in hoc aut illo caſu, aut in quæſtione morali ab aliis Miniſtris immo & à communiori antiquorum & recentiorum conſenſu non ſine omni (uti putat) ratione diſſentire; prudentiæ tamen non eſt nec decori, chartis conſcribillatis aut libellis editis claſſicum canere. Omnia primum experiri convenit, quam ad arma provolare.

III. *Quæſt. An turbato rerum ſtatu, inter factiones aut partes politicas Miniſtri, Synedria, Synodi, particulares omnes caſus teneantur determinare? Reſp.* 1. *concl.* Non eſt abſolutè illicitum, ipſis privatim determinare, & conſcientias fluctuantes aut exorbitantes inſtruere; aut cauſæ pondere ac neceſſitate ita exigente, ſponte eaſdem commonefacere. Illuſtre exemplum dederunt Miniſtri in Urbe & agro Londinenſi numero, ni fallor, 60. qui anno 1647. admonitionem & obteſtationem ſuam ſcripto comprehenſam poſtea typis editam inſinuarunt Præfecto exercitus, aliiſque qui omnia ad proceſſum criminalem contra ſereniſſ. Regem ſuum Carolum tunc parabant. Con-

by Google

tra quos ſi quis excipiat, non debuiſſe eccleſiaſticos eſſe ἀπολογιστικούς, & rebus purè politicis immiſcere; reſpondendum eſt, eos miſſo politico legitimo aut juſto, in ſolo caſu conſcientiæ, & quidem capitis ſui periculo (ut tunc erant tempora) determinaſſe, admonuiſſe, corripuiſſe. Quamvis enim materia & ſubjectum, de cujus licito & juſto quærebatur, idem eſſet; reſpectus tamen & forma, quo & ſub quo, longè diverſa erant. Tractabant ergo illi non politicum controverſum qua tale, ſed ethicum ac theologicum. Non tangebant illud judicio aliquo publico & anteceſſorio, ſed quà privati cives, externè ſolummodo ſpectabant, tolerabant; intus tamen ſentientes, ſecundum rectam rationem. Sed iſtud tangebant, immo & publico judicio anteceſſario apud oves ſuas (quales erant aut haberi volebant) determinabant: juxta illud, oportet diſpenſatorem eſſe fidelem 1 *Cor.* 4. Exemplum dederunt, quod ad caſum conſcientiæ Theologi in Germaniâ & Galliâ, qui conſulti quâ Theologi, reſponderunt ante ſuſceptum bellum Smalcaldicum, & Gallicum ſub Rege Henrico II. 2. *concl.* diſtinguendum inter forum poli & ſoli; & inter conſcientiæ caſum propriè dictum, & inter caſum politicum: quales ſexaginta caſus politicos in omni hiſtoriâ ſelectos anonymus quis edidit Hagæ-comitis anno 1650, typis Joh. Verhoeve *in* 12. In foro poli aliquid illicitum eſt; quod tamen in foro ſoli, ſecundum leges, decreta, & mandata politica poſſet publico & anteceſſorio judicio ſive politico (uti diſtinctio talis formari ſolet) ſive juridiciali eorum, penes quos tunc temporis omnis poteſtas, juriſdictio, & potentia, determinaretur eſſe juſtum & politicum. Quod ad forum ſoli, & legitimum aut licitum ibidem, poſſunt Caſuiſtæ, quia privati ſunt cives, reſponſum declinare: præſertim ſi ab iis, penes quos poteſtas publica, interrogentur; & ad Jureconſultos ac Politicos, circumſtantialia expendentes, ac ſecundum illa conſulentes aut judicantes, rejicere: nihilominus privatum ſuum judicium de legitimo aut illegitimo in foro ſoli ſibi pro ratione illius temporis, tantiſper reſervare. Rationes ſunt 1. *quia*, non tenetur Miniſter difficillimis quibuſque & inſidioſis temporibus ex conſcientiâ vocationis ſuæ, omne verum ſecundum ſcientiam & conſcientiam ſuam, apud omnes profiteri, ac pro eo contendere: ut præſentiſſimum odium, periculum, exitium ſibi non tantum, ſed & cauſæ communi religionis atque Eccleſiæ accerſat. 2. *quia* in quibuſdam caſibus, & quæſtionibus, ſubinde non omnia ita perſpecta habet, ut in animo ſuo certus ſit. Quid opus eſt ignorantiam, aut ἀμαθίαν ſuam profiteri, quæ à malevolis inquiſitoribus ipſi in ſcientiam & profeſſionem imputaretur: quomodo in rebus fidei minus generale & inquiſitorium illud axioma uſurpari ſolet: *dubius in fide eſt hæreticus.* Quam proclive eſſet inſidiatori nodum in ſcirpo quærenti, & calumniam ſtruenti, axioma ſimile formare:

mare : *dubius aut neutralis*, (hoc est categoricè non-judicans ex sensu & ad palatum eorum) non est bonus civis, & consequenter tanquam inutilis præsenti rerum statui quasi jure ostraciſmi ejiciendus. 3. *quia*, non magis quam alii quicunque cives, tenetur privatum suum judicium, super casu, decreti, mandati, ordinis, facti politici, depromere. Distinguendum est in Ministro, quà partem facit Civitatis, & quà partem facit Ecclesiæ. Priori respectu judicium ejus ut civis privati in civilibus privatum, subsequens, approbativum, discretivum: posteriori respectu in sacris & ecclesiasticis, ut Pastoris, Ducis, Dispensatoris est publicum, antecessorium, decisivum, directivum; cui oves qualescunque sint in sæculo & civitate, obedire tenentur, si quidem verbo Dei non repugnet. *Hebr.* 13. *v.* 17. cum 1 *Corinth.* 4. *v.* 1. 2. & 2 *Corinth.* 5. *v.* 20. Quicunque hic resistunt, viam Corah, Dathan, Abiram ingressi, rebelles se ostendunt in Deum & legatos ipsius *Numer.* 16. cum *Jude v.* 11. *Math.* 10. *v.* 14. 15. 40. *Luc.* 10. *v.* 16. *Hos.* 4. *v.* 4. 4. *Quia* ad hominem hæc ratio militat pro tempestivo silentio aut declinatione: quod alias nolint Ministros consilio, judicio, facto se immiscere rebus, negotiis, causis sæcularibus & merè politicis. Quod ergo ibi judicant ἀναρμοστικῶς, & usurpationem alieni muneris, ad illud non debent Ministros invitare, compellere, intrudere: ne propria vineta cędant. Prudenter ergo factum à rever. & eximio Ecclesiæ Alckmarianæ Ministro Cornelio Hillenio, quod ad quæstionem sibi anno 1610. à novè illic constituto Senatu propositam, privatum & Discretivum suum judicium (quod habuisse ipsum minimè dubitandum: cum rasa tabula non esset) non aperiret. Quæstio hæc erat, an Senatores præsentes judicaret esse legitimos? Respondebat: „ An tales essent, nec ne stare pensi declarationem politiæ, non suam: pe„ tere ergo à Senatu, ne se gravarent negotio aut causâ quæ extra suam pro„ fessionem. Vide *Histor. ecclesiast. Triglandii Part.* 3. *pag.* 513. Nec imprudenter factum à Ministris in Angliâ ministrantibus, & Professoribus Academicis ibid. quod post mutationem anno 1647. introductam subscribere recusarent novæ formulæ politicæ, quam suâ linguâ appellabant *engagement*; quâ fidelitas Reipublicę Anglicanæ, absque Rege & Superiori Domo, promittebatur. Quamdiu enim in conscientiâ certi esse non poterant, mutationem illam in foro poli & soli esse legitimam, seque à juramento fœderali antea præstito esse liberatos, insuper ex conscientiâ muneris se teneri ad tale judicium contra gubernationem regiam super gravissimo casu politico, solenni manuum subscriptione edendum; recusare debebant: quidquid inde ipsis eventurum esset. Satis est, si Ministri tali in casu, exemplo antiquæ Ecclesiæ Doctorum, se præstent ἀπαράγμονας & spectatores, præsenti regimini non resistentes: reservato interim sibi judicio privato, de legitimo

aut illegitimo in foro ſoli: & poſtulanti Magiſtratui candidè reſpondendo, quid in illo caſu Juri divino conveniat aut non conveniat, quid in foro conſcientiæ licitum aut illicitum ſit. Nihil ultra à Miniſtris peti deberet. Si qui tamen occaſionem contra eos aut Eccleſias eorum captent, & vexâ quaſi inquiſitoriâ iis pergant moleſti eſſe: opportunè deliberandum erit Eccleſiis & Miniſtris, an & quomodo ſtatio vel ad tempus vel in perpetuum deſerenda; quin etiam eò abeundum, ubi neque Pelopidarum facta neque nomen audiant. Quid celeberrimo Molineo Charentonenſi ſeu Pariſienſi, Lecherpierre Rhotomagenſi, aliiſque aliquot in Galliâ miniſtris poſt annum 1624. evenerit, *Acta eccleſiaſtica*, & *Vitæ Theologorum*, in quos tempeſtas illa incumbebat, poſteris loquuntur, & loquentur. Confer ſupra *Tract.* 2. *Cap.* 1. §. 6. *probl.* 4. *pag.* 506. Evenit & illis Miniſtris in Angliâ, aliiſque qui in ſimili caſu bonam conſcientiam ſervare, & nihilominus à ſpecie ἀκαθαρσιαστικῆς immunes ſe præſtare unquam conati ſunt, quiq; inter contrarios fluctus atrociſſimis calumniis indigniſſimè pulſantur: nec Miniſtri ſolum, ſed etiam, vel imprimis, communis orthodoxa religio & Eccleſia, cujus illi Antiſtites ſunt. Ab unâ parte quas hoſtes religionis reformatæ, Pontificii ſcil. cum Grotio jam Papizante, & nonnullis epiſcopatus ac ceremoniarum zelotis, vomuerint calumnias, indicamus *in* 2. *Part. ſel. Diſpp. tit.* de *Sede Romanâ incompatibili cum politiis reformatis pag.* 850. *& ſeqq.*, & rurſum *pag.* 857. & *ſeqq.* atque *ibidem* ex luce factorum ita eaſdem abſterſimus, ut mendaciis paſci velle neceſſe ſit, qui religionis & Eccleſiæ reformatæ innocentiam non agnoſcunt. Simili jure & methodo Adamitarum, tumultuantium Ruſticorum in Germaniâ, Enthuſiaſtarum & Anabaptiſtarum Monaſterienſium furores Fratribus Bohemis, Proteſtantibus, reformatis, quamvis maximè eoſdem deteſtantibus διαβολὴν impingere poſſet. Quidquid Proceres quidam & Viri militares in Angliâ anno 1647. & 1648. Anabaptiſticis, antinomicis, enthuſiaſticis, Eraſtianis, &c. opinionibus addicti, & à communione Eccleſiæ reformatæ tunc alieni agitârunt, nullo colore religioni & Eccleſiæ in Angliâ & Scotiâ, imputari poteſt: cum non tantum partem non fecerint iſtius agitationis; ſed eam apertè improbârint. Ab alterâ parte reformati Miniſtri ob conſcientiæ informationem, dehortationem, & petitionem ab agitatoribus eorumque ſequacibus pulſati ſunt, & pulſari potuerunt iſtis rationibus: quarum prima.

I. *Object.* Negatio ſubſcriptionis, & declarationis an politica illa mutatio, & præſens regimen ſit juſtum ac legitimum, imprimis dehortatio & obeſtatio cum ſubjectis rationibus, tangit politiam; & conſequenter ſapit crimen ἀκαθαρσιαστικῆς, affectati aut uſurpati imperii. *Reſp.* 1. Tangebat Miniſtrorum conſcientia, ut religionis ſuæ conſortes, & Eccleſiæ ſuæ membra

Digitized by Google

bra in conſcientiâ ex verbo Dei fideliter informarent, monerent, obteſtarentur, ne in peccata ruerent, & iram Dei ſibi, ſuis, patriæ accerſerent. *Ezechiel* 3. *v.* 17-22. Tangebat inſuper eorundem conſcientias, ut Regem ſuum ipſo facto amarent, honorarent, & ad minimum petitione aliquâ apud eum aut eos, penes, quos tunc potentia, intercederent. Jam vero conſcientias informare, monere, obteſtari, in nomine domini orare 2 *Corinth.* 5. *v.* 20. & à Superioribus, humiliter quid petere, non magis eſt imperare, quam ſi eſuriens panem mendicet. *Reſp.* 2. Aliud eſt tangere politiam, & tangere Rectorem aut Rectores aliquos, politiæ præfectos, poteſtate ſuâ abutentes. Illa & iſti pari paſſu non ambulant, nec ab iſtis ad illa ſemper legitimè diſcurritur. *Reſp.* 3. delicta privata Rectorum, quæ illis cum omnibus eodem peccati genere peccantibus communia, diſtinguenda ſunt ab abuſibus eorum in publico regimine. Si tangat Titium ſcortatione, concubinatu, adulterio, ebrioſitate, peculatu, ſacrilegio, perjurio, hæreſi, duello, perfidiâ, blaſphemiâ, profanitate, aut alio quocunque vitio ſe polluentem: non tangit pariter politiam, immo nec politicum Rectorem, qua talem. Quia nec politiæ nec politici Rectoris eſſentia ſeu forma conſiſtit in uno ex illis vitiis. Tangendos autem eſſe Rectores æque ac alios iiſdem vitiis Chriſtianam profeſſionem deturpantes, proximum ſcandalizantes, & iram Dei in ſe & Eccleſiam concitantes conſtat ex 1 *Theſſal.* 5. *v.* 11. *Jacob.* 5. *v.* 20. *Rom.* 15. *v.* 14. *Jeſa.* 58. *v.* 1. *Ezech.* 3. *v.* 17-22. Ubi nullus homo eximitur à Paſtorum inſtitutione, adhortatione, correptione. *Reſp.* 4. Si eadem omnibus, quæ tangunt politiam, aut Politicos, Dei Miniſtris publicè privatimque tacendum eſſet; jam non video, quomodo Miniſtri omnes virtutes & vitia, juxta ordinem decalogi, & centenos textus qui Reges, Principes, Magiſtratus eorumque munerarios tangunt, explicaturi ſint. Si dicas poſſe omitti tales textus, aut ſaltem doctrinas, uſus, atque applicationes. Reſpondeo concedi, non ſemper & ubique publicè doctrinas & uſus practicos, de quovis vitio in hypotheſi applicanda: ſed inde non ſequitur, privatim in extremo neceſſitatis caſu (qualis in Angliâ anno 1648.) proximum noſtrum, & quidem fidei ejuſdem conſortem, quin & inter oves particulari curæ noſtræ paſtorali commiſſas numeratum, non poſſe à nobis contra peccata & triſtiſſima ſcandala præmonere, aut ſuper iis jam admiſſis paternè ac fideliter corripere, ad neceſſariam reſipiſcentiam & emendationem. Aliter ſanè docemur *Ezechiel* 3. *v.* 17. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 11-16. Et Judæ v. 22. *& alios quidem habito delectu commiſeramini: alios verò è metu ſervate, ex flammâ rapientes*, &c. Excipiat forte quis, Hoc quidem locum habere in Principum & Rectorum delictis privatis (quale e. gr. erat Davidis 2 *Sam.* 12. & Herodis *Math.* 14.) ſed non in publicis, quę in adminiſtratione regiminis politici, aut juſtitiæ

&

& jurisdictionis commissa sunt : alioquin omne exercitium potestatis politicæ, & jurisdictionis atque adeo ipsa potestas, ecclesiasticorum potestati & judicio subjecta & subordinata esset. Quod absurdum videtur. Talem fere exceptionem adhibebat Rex Amazia 2 *Paralip.* 25. An Consiliarium Regi tradiderunt te, &c. Quam ibidem rejiciebat Propheta. Eidemque reclamant, exempla Prophetæ Jehu Regem Josaphatrum tali in casu arguentis 2 *Paralip.* 19. *v.* 12. *Hazariæ* in casu Regis Asa 2 *Paral.* 15. Et Eliæ in casu Regis Achabi, justitiâ injustè functi erga Nabothum 1 *Reg.* 21. *v.* 19. Illorum exemplum imitatus est Ambrosius, cum Theodosium ob crudelem vindictam in Thessalonicenses exercitam severè corriperet, & à cœnâ arceret. Idem imitari debuisset Patriarcha Constantinopolitanus cum Clero suo, in casu crudelissimi paricidæ Phocæ, qui Dominum suum Mauritium cum Uxore & Liberis mactatum ibat. Quam parum conscientiæ & muneri suo Patriarcha Romanus Gregorius M. eodem in casu satisfecerit, supra notatum est. *Resp.* 5. Illud *tangere politiam* tam ambiguum esse, tantumque esse cothurnum, & tam generale, ut nihil Ministris publicè privatimve docendum, monendum videatur, etiam in purè theologicis & ecclesiasticis : ne dicam in mixtis, theologico-politicis, qualia de Magistratu, de legibus, de fœderibns, de conjugio, de bello, de peccatis & pœnis magiæ, adulterii, blasphemiæ, homicidii, sacrilegii, rebellionis, seditionis, & similibus peccatis clamantibus, &c. De quibus *Theologorum Commentaria in Pentateuchum, & Libros Josuæ, Judicum, Regum, Paralipom. Ezra, Nehemia, Esther, Daniel; Zepperus in Explanatione Legum Mosaicarum; Casuistæ & Commentatores Decalogici; loci communes*, imprimis *Martyris* & *Aretii*. Unum tantum hic dicam, ad studium, doctrinam, & praxin Theologorum pertinent gradus Ministrorum & vocatio eorundem; canones ecclesiastici; ritus seu ceremoniæ, liturgiæ; templa & utensilia templorum; tempora cultus publici (quę laxè sumto vocabulo festa à Pontificiis appellantur) tum ordinaria tum extraordinaria; disciplina ecclesiastica seu claves Regni Cœlorum, scismata & uniones, conciliationes, syncretismi dissidentium; colloquia de religione, & concilia; libertas tum conscientiæ tum exercitii sectis concedenda aut non concedenda; reformatio Ecclesiarum, in doctrinâ, cultu, moribus. Atqui omnia illa tangunt politiam, quatenus Magistratus est Custos utriusque tabulę, & potestate architectonicâ circa illa versatur, & Jure divino versari debet: uti *supra Lib.* 1. *Tract.* 2. hoc abunde explicatum est. Quin etiam si Erastianis, Remonstrantibus, Grallatoribus, Grotio, Lud. Molineo, Joh. Wtenbogardo, Barleo ex exemplo Melchizedeki & Numæ Pompilii hoc probare satagenti, similibusque paradoxis ac heterodoxis Cęsareo-Papatus buccinatoribus fides adhibenda est, ad solam politiam ejusque Rectores omnia

illa

illa pertinent, iisque solis suprema potestas ecclesiastica formaliter & directè competit: quod commentum, ex scripturis, & consensu antiquorum Patrum & conciliorum, & testimoniis Doctorum reformatorum, ex communi insuper politiâ & praxi Ecclesiarum Belgicarum *supra Tract. cit.* profligavimus. *Hobbesii* fanaticum paradoxum de potestate Principum & Magistratuum in verbo publicè prædicando, & sacramentis administrandis (quod ostentat in libro quodam Anglico tit. *Leviathan*) pudet hic referre. Ergone in genere concludetur Ministris non licere in quibusdam, quæ formaliter & directè sunt politica (qualis libertas & permissio idololatriæ, & hæresium) apud Principes & Magistratus reformatam religionem profitentes, per modum petitionis, supplicationis, monitionis, theologici consilii, intercedere? ne scil. politiam tangant. Nec iisdem licebit in aliis, quæ formaliter sunt ecclesiastica, quidquam decernere, in casu conscientiæ determinare, conscientias curæ suæ peculiariter commissas ex verbo Dei informare, monere, excitare: ne scil. tangant politiam; cujus objectum materiale sunt omnia illa modo recensita, breviter omnes res, personæ, causę ecclesiasticæ: uti hoc *supra Tract. cit.* concessisse videmur. Sed accuratè distinximus inter objectum materiale & formale. Politia & Ecclesia aut Ministri versantur circa unum idemque objectum materiale (e.gr. paricidium, rebellionem, furtum, adulterium, &c.): sed illi sub formali, quatenus suprema & coactiva potestate bono publico coërcenda, punienda: ista aut isti sub alio formali, quatenus conscientiæ de peccatis illis potestate spirituali & ministeriali informandæ, ab iis absterrendæ, ad resipiscentiam, emendationem, restitutionem, consolationem, dignamque in Ecclesiâ communionem formandæ, aut ab eâdem arcendæ, & ira Dei ipsis obsignanda; siquidem resipiscere nesciant. Peccata illa si tangant Ecclesiam, quia Peccatores sunt Filii & Cives Ecclesię: ideo negandum non est quin alio respectu tangant politiam: nec vice versa. Et quia tangere & tangi unius, non tollit tactum alterius: ideo alterum alteri non præjudicat, nec alter alterius potestatem sibi usurpat. Qui has distinctiones non didicit, nec admittit, ille in jure divino πόφλ@- est & μυοπάζων. Cui nihil restare videtur, quam ut cum Neo-Anabaptistis, Neo-Enthusiastis, (quos *Tremulos* vernaculè *Quakers* indigitant) Hobbesianis, Libertinis, Semi Libertinis, *Cornberto (in Libello de minuendis Sectis)*, in formâ concludatur, immo & assumtâ autoritate politicâ decernatur: nullo ministerio, nullis Antecessoribus, nullis stipendiis Ministrorum opus esse in Ecclesiâ Novi Testamenti; quia quisque, qui vult, pro dimensо donorum Fratres suos & Ecclesiam privatim & publicè docere potest. Hoc tentârat, & pæne absolvisset militaris Harrisonus cum suis: nisi aliorum oppositione, & intentatâ vi coactivâ impeditus fuisset. Et hic

anno 1648. inter præcipuos erat quem maximè tangebat fidelis laudatorum Miniſtrorum informatio, dehortatio, obteſtatio.

II. *Object.* Dato Miniſtris fas fuiſſe, ſe negotio illi publico, quod politiam, aut præſens regimen politiæ tangebat, immiſcere: nefas tamen erat, extra limites ſupplicis petitionis, aut interceſſionis ad æquitatem, aut miſericordiam à præſenti ſupremâ ſi non poteſtate, ſaltem potentiâ impetrandam, egredi ad caſus in foro conſcientiæ determinationem de injuſtitiâ, & ad conjunctam dehortationem, correptionem, conteſtationem. *Reſp.* Non tantum non erat nefas, ſed neceſſe erat in tanto nefas, in extremo illo periculo, eos clamare in gutture *Jeſa.* 58. *v.* 1. ut ſi nihil obtinerent, ſaltem vel proprii capitis periculo animas ſuas liberarent *Ezech.* 3. *v.* 19.

III. *Object. Rom.* 13. *v.* 2. prohibetur omnis reſiſtentia adverſus ſupremas Poteſtates. An autem illæ legitimæ aut illegitimæ ſint, non eſt, definiendum à Miniſtris aut Theologis: qui ſunt reſpectu politiæ privati Cives aut Subditi? *Reſp.* De diſtinctione determinationis legitimi hic & nunc in foro conſcientiæ, & in foro politico, ſupra dictum eſt. Quod ad externam reſiſtentiam, diſtinguimus eam in negativam, & poſitivam. *Negativa* in conſcientiâ non tantum licitâ eſt, ſed & neceſſaria, quando imponitur aliquid agendum, aut omittendum, quod Juri divino aut naturali repugnat. Illius laudatum & imitandum exemplum eſt, *Danielis* 3. Iſtius *Actor.* 4. & 5. Huc refer exempla Confeſſorum & Martyrum: de quibus *infra Part.* 2. *tit. de Confeſſione & Martyrio. Poſitiva* eſt vel tantum ſpiritualis & verbalis: vel in ſuper carnalis, violenta, coactiva, armata. *Illa* aliquo in caſu licita eſt; uti conſtat ex facto Pauli *Galat.* 2. *v.* 11. & Protomartyris Stephani, qui in faciem reſiſtebat poteſtati politicæ & eccleſiaſticæ, ſed abutenti, ac reſiſtenti veritati verbi divini *Actor.* 7. *v.* 51. *Iſta* nulli privato Civi licita eſt; minimè omnium Miniſtris. Quod docuit Servator in condemnatione reſiſtentiæ factæ à Petro *Math.* 26. *v.* 52.; & Apoſtolus 2 Corinth. 10. *arma militiæ noſtræ non carnalia*, &c. Quibus convenit laudatum illud Ambroſii: *coactus non reſiſtam; arma noſtra ſunt preces & lacryma.* Sed hinc malè conſequentia infertur contra reſiſtentiam ſpiritualem & verbalem; quæ non tantum abſolutè illicita non eſt, ſed ex vi muneris, poſitis ponendis, neceſſaria: ne ſint muti canes, & dormientes cuſtodes; & Deus ſanguinem pereuntium ab ipſorum manu repoſcat *Ezechiel* 3. *v.* 18.

IV. *Object.* Sola parendi gloria competit Miniſtris; non libertas judicandi de ſuperiorum judiciis; penes quos omnis poteſtas regiminis & juriſdictionis politicæ? *Reſp.* 1. Obedientia eorum non debet eſſe cœca: uti alibi *in Diatribâ de Cœcâ Obedientiâ Papiſtarum*, invictis argumentis demonſtravimus. Obedientia Præpoſitis eccleſiaſticis exhibenda *Hebr.* 13. *v.* 17. &

Pa-

Digitized by Google

Parentibus *Ephes. 6. v. 1. 2.* & Dominis, etiam duris *1 Petr. 2.* Sed quis inde aliquâ cum probabilitate colligat obedientiam cœcam & absolutam? *Resp. 2.* obedientiæ illi non repugnat resistentia Ministrorum negativa, aut positiva purè spiritualis & verbalis; quam *locis cit. Daniel 3. & 6. Actor. 4. & 5. & 6.* docemur. Adde quod omnibus privatis fidelibus talis resistentia præcipitur Hoseæ 2. v. 1. *Contendite cum Matre vestrâ, contendite, ipsam non esse Uxorem meam*, &c. *Resp. 3.* Judicium est vel publicum & autoritativum, vel privatum, consequens, & discretivum. Quisque Fidelis est homo spiritualis; cui tale judicium in casu conscientiæ negari non debet *1 Corinth. 2. v. 15. spiritualis homo dijudicat omnia.* Confer *1 Corinth. 10. v. 16. judicate vos quod dico. 1 Thessal. 5. v. 21. omnia probate*, &c. Et huc spectat tritum illud Panormitani. Laico verum dicenti cum Euangelio magis credendum, quam Concilio falsum dicenti contra Euangelium. Judicium vero publicum, antecessorium, autoritativum, directivum in rebus spiritualibus & casibus conscientiæ, competit Ministris, præcipuè in cœtum coactis. Nec ipse Papa spiritualem jurisdictionem & judicium Sacerdotis confessarii sui in interiori conscientiæ foro declinat: de quo tamen, quod ad forum exterius ecclesiasticum (quod *contentiosum* appellant) definitum in jure canonico, *quod judicet omnes, judicetur à nemine*

V. *Object.* Dato Ministris, cum rogantur à Regimine & potestate politicâ tunc obtinente, judicium in determinatione casus conscientiæ esse licitum: non tamen sponte illud cum annexâ dehortatione, obtestatione, correptione capessendum fuisset. *Resp.* Non tenebantur magis cessare, aut loquendi, judicandi, monendi obtestandi, facultatem exspectare, & prius veniam petere, à Regimine aut Rectoribus potestate an potentiâ abutentibus; quam Testes veritatis, aut primi Reformatores, à Papa, Episcopis, Regibus, Principibus tunc potestatem irreformabilem contra verbum Dei usurpantibus, & potestate, per jura humana, consuetudinem, possessionem, ipsis competente, abutentibus. De quo pluribus actum *in nostrâ Desperatâ Causâ Papatus Lib. 2. sect. 1. cap. 5.* Utriusque autem partem esse rationem, si forum poli, & casum conscientiæ respicias, extra dubium ponimus.

VI. *Object.* Hâc ratione Ministri *imperium in imperio, rempublicam in republicâ, novum Papatum, tyrannidem Antichristianam in conscientias & Hierarchiam novam*, ad supplantandas potestates civiles, moliuntur & ædificant? *Resp.* petulantes & calumniosas ejusmodi consequentias sub umbrâ fabricari novimus. Nos illis reponimus, emortuale Zachariæ: *Deus videbit & requiret.* Hieroduliam circa verbi prædicationem, & legationem pro Christo obeundam, claves Regni Cœlorum utendas Ministris competere contendimus, ex *1 Corinth. 4. v. 1. 2 Corinth. 1. v. ult. 1 Petr. 5. v. 2. Math. 16. v. 19.*

cum *Joh.*20. *v.*20. 2 *Corinth.*5. *v.*18.19.20. Hebr.5. v.4. *Neque sibi ipsi quisquam sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo.* Nec portæ inferorum, cum omnibus diaboli squamis, hanc ministerialem potestatem tollent. Si quæ infelices animæ hoc tentent, eas ausi talis successum in Core Datam & Abiram *Numer.*16. contemplari jubemus. Quod si aliquę sint sanabiles, iis autores essemus, ut prius *Elementa Catechetica Quæst.*83. 84. 85. & *Liturgia tit. de Confirmatione Ministrorum* edisserent, antequam ad hasce disceptationes provolarent. Ne Sutor ultra crepidam. Sæpe, qui sibi videntur Doctores, lacte tanquam carnales & infantes alendi 1 *Cor.*3. *Heb.*5.

VII. *Object.* Non erat Ministrorum judicare, monere, corripere extraneos, à suæ Ecclesiæ communione alienos, 1 *Corinth.*5. *v.*12. quales plerique in hâc causâ Agitatores. *Resp.* 1. An plerique fuerint Anabaptistæ, Antinomi, Erastiani, Quæsitores, Dubitantii, neutrales, Libertini, Familistę, &c. à doctrinâ aut disciplinâ Ecclesiæ reformatæ; aut Anglicanæ, qualis tunc erat, alieni; jam non inquiro: hoc saltem constat Præfectum Exercitus, cui suam monitionem ac petitionem, scripto conceptam offerebant, cum aliis non paucis, doctrinæ & disciplinæ Ecclesiarum reformatarum faviſſe. Poterant ergo & debebant Ministri domesticos fidei suæ monere, immo & nomine atque ex ore Christi eosdem in conscientiâ onerare, constringere. *Resp.* 2. Nec universaliter verum, alienos ab Ecclesiâ, aut ab eâ sive in totum sive ex parte se separantes non posse moneri, aut corripi. Vide 2 *Tim.*2. *v.*24. 25. *Tit.*1. *v.*9. 13.

VIII. *Object.* Publicum regimen, & Rectores obtinentes, ejusmodi resistentiis sub formâ casuum decisionis, monitionis, petitionis, suspecti reddunturs, & autoritas eorum apud populum in contemtum adducitur? *Resp.* 1. Quod ad factum & finem operis atque operantium, negari potest. Quia publicè hoc non proclamârunt, multò minus populum concitârunt: sed scriptum suum illi tradiderunt, per quem intendebant tam grande nefas avertere, aut Agitatores sufflaminare: sin minus, illum saltem alioſque complures clamanti huic peccato subtrahere, *Si scortaris tu Israel, ne reatum obeat Juda* Hos. 4. v. 15. *Alios vero metu servate ex flammâ rapientes*, Jud. v.23. *Resp.* 2. Dato tale quid isto aut aliquo casu evenisse: hoc totum est per accidens, non ex intentione Monitorum, aut ex opere monitionis. Propter נ per accidens נ per se necessarium & Ministris à Deo impositum *Ezechiel* 3. *Jes.*58. *v.*1. non est omittendum. Alioquin legis & euangelii prædicatio deserenda: quia illam per accidens malitiæ humanę sequuntur peccata *Rom.*7. *v.*8. 11. & istud contentiones, bella, persecutiones, ruina multorum, aggravatio condemnationis, *Math.*10. *v.*34. 35. *Luc.*2. *v.*24. *Johann.* 15. *v.*22. Quando ergo necesse est testimonium veritati perhiberi, non debent

bent Miniſtri ſe ſubducere, aut veritatem ſimulare, in injuſtitiâ detinere, ut gratiæ hominum & rebus ſuis velificentur; ſed candidè coram Deo conſcientias informare; quęcunque odia, quæcunque inſidiæ, diffamationes, perſecutiones inde metuendæ. *Non me pudet euangelii*, &c. Rom. 1. v. 16. *Va autem mihi eſt, niſi euangelizem.* 1 Corinth. 9. v. 16. Imprimis ſubducere ſe nequeunt, cum ab Eccleſiâ, aut Inſpectoribus Eccleſiæ, aut à Senatu ejuſdem religionis informatio in caſu conſcientiæ petitur. Præterquam enim quod ipſis debitores ſunt, poſtulat hoc ratio confeſſionis (ἀπολογίαν), ad quam ſemper parati eſſe debemus 1 *Petr.* 3. *v.* 16. Quem me & meorum ſermonum *Marc.* 8. *v.* 38.

IX. *Object.* Præſens tunc Regimen in Rectoribus ſuis, quos Miniſtri adductis rationibus, ab illo auſu abducere ſtudebant, haut obſcurè eo ipſo tyrannidis arguebatur? *Reſp.* 1. An conſequentia hæc firma ſit, & neceſſario ex correptione & deteſtatione injuſti & nefarii illius facti regimen tyrannicum concludatur: ego non dicam. Notum à *Philoſopho in Ethicis ad Nicom.* diſtingui inter juſtum aut injuſtum quid agere, & inter juſtè aut injuſtè agere, & inter juſtum aut injuſtum eſſe. Sed hoc miſſo, *Reſp.* 2. Miniſtrorum petitionem & obteſtationem, talem conſequentiam non formare: alii ſi formaverint, aut ipſi illi quorum intererat, hoc Miniſtris præſtandum non erat. Quidquid de tyrannide in interiori conſcientiâ ſentirent, quibuſcunque gemitibus apud Deum exulceratum illum rerum ſtatum deplorarent, ſaltem nihil tale illâ petitione prodebant. Atqui dices, ex rationibus eorum ſatis colligitur, factum illud, quo tum ruere videbantur, tanquam violentum, injuſtum, impium, crudele, judicari & pronuntiari; conſequenter illegitimum & tyrannicum. *Reſp.* ut tyrannis duplex eſt, uſurpans & abutens: ſic etiam factum tyrannicum. De tyrannide uſurpante preſentis illius poteſtatis & regiminis in genere nihil pronuntiant: ſed de ſpeciali abuſu poteſtatis & potentię, in proceſſu contra Regem ſuum. Cum primum Nobiles, deinde Ordines Belgici de duris quibuſdam factis contra leges, privilegia, & ſalutem Belgii apud Principem ſuum Philippum 2. conquererentur, & mitigationem ſuppliciter peterent; & ille, aut hoſtes Belgii inde conſequentiam illam de tyrannico regimine Principis elicuiſſent, atque eo nomine Belgas ſcorpionibus flagellaſſet: quomodo putabimus Belgas reſponſuros fuiſſe. Et quid ſi Ambroſius apertè arguens crudelitatem Theodoſii, ab ipſo aut ab Aulicis ejus ſimili odioſâ conſequentiâ gravatus fuiſſet? Quid putas reſponſuros, qui piiſſimum illud factum Ambroſii in cœlum evehunt? Immo quid reſponſurus fuiſſet Elias, ſi redargutionem proceſſus contra Nabothum in formâ & figurâ inſtituti, ſimili conſequentiâ de tyrannico regimine Achabi, & conſequenter de contemtâ autoritate publicâ, crimine lęſæ

Digitized by Google

majeſtatis, gravaſſent? Regis Aſæ factum, quo Prophetam Hanani incarcerabat, & quoſdam ex populo opprimebat, violentum, & injuſtum ſi quis dicat, nihil præter veritatem dixerit: inde tamen non ſequitur Regnum Aſæ fuiſſe tyrannicum, & ipſum fuiſſe tyrannum. Similiter factum Maximiliani 1. cætera laudati Principis, circa Brugenſes tyrannicum & perfidum dici poteſt; quippe patratum contra juratam fidem & conventionem à Principibus imperii ſubſignatam: nemo tamen dixerit eum tyrannum, & imperium ipſius tyrannicum. Qui cum & pro Pontificiis tum libellis editis, tum vivâ voce palam contendunt, libertatem exercitii in Belgio ipſis negatam & negandam, ſapere conſcientiarum coactionem, & pactorum violationem, immo & unionis Ultrajectinæ anno 1579.: nollent omnes, ut opinor, ab Advocatis fiſcalibus & Prætoribus accuſari & à judicibus condemnari, quaſi Ill. Belgii fœderati Ordines proclamarent tyrannos, & regimen ipſorum tyrannicum, conſcientiarum coactivum, inquiſitorium, perfidum, fœdifragum. Negarent enim ſe hoc dicere, aut dixiſſe. Si inſtarent Fiſcales aut Prætores, hoc neceſſario ſequi ex eo, quod Papiſtica exercitia jam inde poſt conſtitutam liberam Rempublicam anno 1581. fuerint prohibita, varia decreta contra ea condita & executioni mandata, eorundemque vigor & executio de novo paribus Provinciarum ſuffragiis in panegyri Hagæ-comitanâ anno 1591. ſtabilita. Quæ omnia ſi judicant & diſſerunt indebitè contra pacta ſolennia & fidem datam acta, & ſic conſcientiis debitam libertatem (quam à libertate exercitii, conformiter ſententiæ Remonſtrantium aliorumque ſectariorum, diſtingui aut divelli nolunt) violenter ſubtractam eſſe: concluderent Fiſcales, actionem criminalem à ſe merito contra tales inſtitui, quod indirectè & per conſequentiam ſic diſſertando autoritatem publici regiminis, Ill. DD. Ordd., judicium ſuperiorum & inferiorum, violent, traducant, & pariter apud ſubditos atque extraneos, tum fœderatos, tum benevolos, tum hoſtes indigniſſimis modis proſtituant. An non reſponderent diſſertatores illi, ſe in liberâ Republicâ ſolummodo datâ occaſione animi ſui ſententiam ſimpliciter depromere; conſequentias tales nec formare, nec admittere, nec intendere, nec velle ab aliis formari, nec etiam videre earum certitudinem: dato ſe in eo errare, ſimplicem tamen mentis errorem, & ex errore ſpeciem aliquam imprudentiæ in verbis, non debere ipſis fraudi eſſe; nedum ut intentio Fiſcalis aut Prætoris hic admittenda eſſet. Si inſtet Fiſcalis aut Prætor, ſolidam & evidentem eſſe hanc conſequentiam, & Judices pronuntient eſſe talem, & ſe ſic accipere ac cenſere: nihil reſtaret diſſertatoribus Pontificiis, Socinianis Remonſtrantibus, Neutralibus, Libertinis, &c. quam trita illa juris axiomata ingeminare: *Unuſquiſque eſt optimus verborum ſuorum interpres: In be-*

benigniorem partem interpretatio facienda est. Non est hujus loci de consequentiæ soliditate, deque actione & intentione Fiscalium aut Prætorum, disquirere: sufficit mihi parabolicum hoc exemplum ad illustrandam responsionem nostram adduxisse. Infra *Lib.4. de Conscientiæ & exercitii Libertate* in thesi & hypothesi ex professo agendum.

IV. *Quæst. An Magistri, Theologi Academici, Synedria, Synodi, tales casus conscientiæ decidere possint aut debeant, qui quocunque modo negotia & causas civiles ac seculares tangunt; aut saltem suspicacibus, amulis, malevolis, sycophantis, politiam aut politicos, sive omnes sive aliquos directè aut indirectè, per se aut per accidens tangere videntur, & dicuntur: præsertim si veritatis secundum pietatem hâc in parte sinceræ professioni, odia, pericula, vexationes ex spectanda esset?* Resp. Distinguendum inter casus decisionem, eique annexam admonitionem, aut etiam, si ita opus sit, subsequentem correptionem sponte susceptam: & inter decisionem ad aliis postulatam. Rursum, inter postulatam decisionem ab extraneis extra communionem Ecclesiæ nostræ constitutis: & inter postularam à domesticis fidei. Hanc denique inter postulatam à privatis, & inter postulatam ab Ecclesiis, aut politiis earumque Rectoribus sive supremis sive subalternis. His præmissis per sequentes conclusiones sic respondemus 1. *concl.* Propter intentata aut imminentia pericula, in præjudicium veritatis & causæ Dei, nihil consulendo, respondendo, agendo, promittendo, committendum est. Nullum enim malum est eligibile. Nec sunt facienda mala turpia, ut eveniant bona honesta aut utilia; aut ut evitentur mala sive turpia sive tristia. De his infra *Part. 2. titulo, de Confessione & Martyrio* agendum. 2. *concl.* Mala turpia nonnumquam prudenter tolerantur; & informatio conscientiæ cum admonitione, correptione, censurâ hic & nunc, omitti, aut abrumpi, & ad tempus magis opportunum, minusve difficile, differri potest. De quo infra *Part. 3. tit. de Clavibus Regni Cœlorum, & in Diatribis Nostris de Correptione fraternâ, & de Officiis caritatis erga Proximum peccantem.* 3. *concl.* Nunquam tamen perpetua omissio & abstinentia à veritatis illius professione quâ privatim quâ publicè, ore, subscriptione, juramento promittenda. Aliud, enim est *τυγχάνειν* hic & nunc aliquid ipso facto omittere, reticere; præterire: & aliud, tale impositum silentium solenni subscriptione, in susceptione aut continuatione ministerii promittere. Præcepta affirmativa, (quale ex. gr. *prædica aut profitere hanc aut illam veritatem*) obligant semper, sed non ad semper: sed præcepta negativa (quale e. gr. *nihil faciendum contra veritatem, aut in ejusdem præjudicium*) obligant semper, & ad semper. Ita Ecclesiæ nostræ earumque Ministri in Gallia anno 1606. de facto destiterunt (ita volente Rege Henrico IV., qui ajebat rationes suas & præsentem rerum statum talem mutationem in confessione

fessione factam non ferre) ab additamento publicæ suę Confessionis, quo Papa Romanus prædicatur magnus ille Antichristus. Non promiserunt tamen, se hanc sententiam suam privatim publicève in Ecclesiâ non prædicaturos, nec voce aut scriptis datâ occasione defensuros. Nec tale quid Rex ab illis postulabat: quin contra libertatem illam ipsis relinqui declarabat. Hæc ita memini anno 1619. datâ occasione, in Synodo Dordracenâ Nobis relata esse à Tronchino Theologo Genevensi. 4. *concl.* Si Ecclesia vicina ejusdem synodalis correspondentiæ, aut alia quæ extranea, in casu necessitatis hoc postulet, cui alioqui scismatis, aut vexationis, & persecutionis periculum metuendum, nisi judicio & consensu aliorum extraneorum extra partes positorum promtè juvetur: non video, quomodo per communionem sanctorum tale caritatis, & ἀπολογίας 1 *Petr.* 3. *v.* 16. officium subterfugere possint. Nisi forte vi majori impediantur, & per illam damnum emergens longè majus exspectandum, quam emolumentum Ecclesiæ postulanti ex suffragii & consensus auxilio sperandum. Similis aliquo modo casus incidebat anno 1618. cum Ministri delegati ab Ecclesiâ Gallicanâ, ad fraternum turbatę Ecclesiæ Belgicæ consilium & auxilium præstandum non convolabant: quod ab illis, qui rerum tunc in politiâ potiebantur, prohiberentur. Alioquin cum illis qui consuluntur & advocantur, nec potestas & potentia deest, nec à potestate & potentiâ sæculari impediuntur: non debent fratres laborantes, & forte mox naufragium aliquod passuros destituere. Quid si huc suo modo applicetur illud Judic. 5. v. 23. *maledicite Merozo, inquit angelus Jehovæ, indesinenter maledicite habitatoribus ejus, quia non advenerunt ad auxilium Jehovæ.* Anno 1616. in Hollandiâ, è publicis templis, & variis in locis Ecclesiæ aliquot à Concionatoribus suis pro concione, nonnullis etiam publicè editis Libellis, sine ullâ emendationis spe viam domini & unitatis ac pacis ecclesiasticæ defensionem blasphemantibus, secesserant, in segreges cœtus, tantisper, donec desideratus & exspectatus ordo ἀπαξίαν omnem tolleret. Eas cum sub titulo sectæ novè exortæ Adversarii vi bfachii secularis zelum reformatæ religionis defendendæ prætendentis; Orthodoxi & alię Ecclesiæ monitæ de hoc periculo, causam illam suam fecerunt, communionem & fraternitatem cum iis testatæ sunt, Ministros suos ad tempus eò ablegârunt, ut concionibus, & sacramentis pro tempore eadem pascerent; coactis denique extraordinariis aliquot Antecessorum cœtibus, consilia sua iis impartierunt. Justam hujus facti apologiam à Theologis exteris institutam vide in *Actis Synodi Dordracenæ sess.* 19. Eorum exemplo Ecclesiæ, earumque Ministri & Theologi præsertim extra partes & præsentissima pericula positi, ad communem flammam accurrere debent: ne devoratâ unâ post alteram, ipsi hoc privilegio gaudeant, ut postremo devorentur. 5. *concl.*

Quod

Quod ſi Magiſtratus extraneus, exemplo Henrici 8. Regis Angliæ decem Academias ſuper conjugio ſuo conſulentis, difficilem aut magni momenti caſum proponat; non ſemper à Theologis & Synodis reſponſum promtè dandum, nec tamen ſemper negandum, aut differendum. Ponderatis omnibus circumſtantiis, videndum ne conſilium noſtrum deſit iis qui eo maximè indigent & digni ſunt: nec margaritæ projiciantur indignis, qui nec dociles eſſent, nec publico bono hoc agerent; ſed tantum, ut Eccleſias atque unà nos, ſi poſſint, proculcent. De talibus præmonuit nos Servator Math. 7. v. 6. *Ne date ſanctum canibus*, &c. Exemplo ſuo docuit, eſſe tempus tacendi & loquendi *Eccleſ.* 3. *v.* 7. Math. 21. v. 27. *neque ergo vobis dico*, &c. *Math.* 26. cum *Johann.* 19. *v.* 9. non reſpondebat Cajaphæ & Pilato. 6. *concl.* Si proprius Magiſtratus deciſionem caſus poſtulet, poſſet aliquando reſponſum declinari aut differri: ſed ut abſolutè negetur veritati teſtimonium apud illos, ſi inſtent, ad gloriam Dei & ſalutem Proximi perhibere, non puto concedendum. Ita ſuadet exemplum Chriſti *Math.* 26. *v.* 63. Diſtingue tamen duplicem caſum. Alius enim eſt, facti tranſeuntis ſeu præteriti ab ipſo Magiſtratu aut ab eorum amicis, neceſſariis, fœderatis purgationem aut palliationem à Theologis exſpectantibus propoſitis; uti Imperator Caracalla fatricidii ſui à Papiniano. Et ſi ex voto hoc minus ſuccederet, nihil niſi indignatio, odium, vindicta Theologis exſpectanda. Cum ſolummodo occaſionem ſe vexandi quęri, ſibique inſidias ſtrui vident, nec quidquam reſponſo noſtro nos profecturos, præſtat illo tempore pręſentiſſimum periculum declinare, & reſponſum alteri tempori atq; occaſioni reſervare. Iſtius generis caſus eſſent, ſi Phocas, poſt obitum Mauritii ejuſq; Filiorum ſuper dominatu ſuo pacificè & cum conſenſu atque approbatione Imperii impetrato, ipſe aut ipſius purpurati, ex pio aliquo Epiſcopo, aut Theologo, aut convocato Concilio determinationem caſus iſtius petiiſſent, an legitime & juſtè Imperatorem ſuum cum Uxore & Liberis neci dediſſet, & per illam viam legitimè Imperium ſibi arripuiſſet. Si modo & fine jam dicto, tale quid quæſitum fuiſſet, quęritur an pro illo tempore potuiſſet reſponſum declinari, aut differri. Sin tanquam gravamen conſcientiæ & ad conſilium pœnitentię obtinendum, & os domini hac ratione conſulendum, propoſitum fuiſſet (uti prę ſe ferebat Rex Zidekia *Jerem.* 17. *v.* 17.), in dubium eſt ſine morâ reſpondendum fuiſſe, per caſus determinationem, conſcientiæ informationem, & conſilii pœnitentialis ac ſalutaris ſuggeſtionem. Tales enim *ex flammâ rapiendi ſunt* Jud. v. 23. Væ denuntiatur Paſtoribus, qui *oves ægrotos non curant*, *confractas non obligant*, *depulſas non reducunt*, *pereuntes non requirunt*. Ezech. 34. v. 24. Improbatur ab omnibus factum Sacerdotum, qui miſeram Judæ conſcientiam negligebant Math. 27. v. 4. dicentes: *quid ad nos, tu videris*. Alius caſus eſt, facti aut

ſtatus præſentis & futuri ſeu continuandi, in aliquo vitæ genere, aut conſuetudine, aut facto. Qualem ſi Herodes, aut quis nomine ejus Johanni Baptiſtæ propoſuiſſet, An licitum eſſet habere & retinere Uxorem Fratris: ſine dubio reſpondendum fuiſſet. Non fuiſſet enim quæſtio de facto purè tranſeunte præterito: ſed de continuando. Et talis erat caſus Chriſto propoſitus *Math.* 22. *v.* 17. licitumne eſſet Imperatori Romano cenſum dare. Ad quem ilico reſpondit, quamvis ſciret tentandi causâ & ex malitiâ eum proponi v. 18.

Objiciat quis 1. *object.* Etiam ad poſteriorîs generis caſus propoſitos, non videtur reſpondendum, ob pericula & inſidias evitandas *Reſp.* 1. Chriſtus de tali caſu politiam tangente interrogatus, ut eum illaquearent, tamen reſpondit Math. 22. v. 15. 18. 19. *Reſp.* 2. ut iniquiſſimum eſſet medico ſuo πλόγας ἀπὸ σώρας pendere, ſic etiam Paſtoribus & Patribus ſpiritualibus in crimen imputare, ſi pergant profiteri id quod Reſpublica aut ſimul, aut prius, petiit, ac juſſit, & profeſſa eſt tanquam veriſſimum & optimum; immo ad quod docendum & profitendum eos ex Eccleſiis ſuis evocavit, & non ſine intercedente ſtipulatione ac promiſſione ad ſe tranſtulit.

Object. 2. Si Princeps, aut Magiſtratus quærentes & ἀπλόϊως conſcientiæ informationem recipientes mutentur; aliique ipſis ſuccedant; aut ipſi illi mentem mutent, & veritatem quam amplexi ſunt, quamque volentibus ipſis profeſſi ſunt Miniſtri, odio habeant & in Miniſtris perſequantur; tali in caſu Miniſtris conſultum videtur mutare aut mutari ſive in totum ſive in tantum. *Reſp.* 1. Non debent ex Miniſtris fieri cothurni aut naſi cerei: neque enim ſunt ſervi hominum, nec ἀνθρωπάρεσκοι. Quicunq; mutat aut mutatur; ipſi manere debent radicati in veritate, emere eam, non vendere: Fides eorum non eſt temporum, ſed euangeliorum. Quidquid evenerit, nihil peregrinum ipſis eventurum eſt. Experti hoc Iſraelitæ, cum alius res Ægypti ſurgeret *Exod.* 1. Expertus Ambroſius Blaurerus: Inconſtans pepulit tantum Conſtantia civem. Vide hiſtoriam apud *Sleidanum lib.* 21. & in vitâ Blaureri apud Melch. Adamum. Experti Reformati in Angliâ, cum Maria Eduardo VI. ſuccederet. Experti Proteſtantes in Bohemiâ, Auſtriâ, Styria, &c. cum Ferdinandus 2. conceſſam à Majoribus & Prædeceſſoribus libertatem adimeret. Ut jam non dicam de verbi Miniſtris in Palatinatu archonte Ludovico Filio & Succeſſore Friderici tertii; de ſubditis Ducis Neoburgici, aliiſq; Principibus veritatis, quâ profeſſi erant, deſertoribus: quorum aliquos indico *in* 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Hæreſi.* Verbum Domini manet in æternum, & Theologia in eo fundata atq; inde deducta non mutatur, nec inſtar polypi colorem ad quemq; Principum colorem mutat, nec inſtar heliotropii convertit ſe ad Solem populi, hoc eſt, ad Principem. *Reſp.* 2. Omnes Principes & Magiſtratus quamvis ipſi mentem in negotio religionis aut in alicujus particularis veritatis, ob rationes ſibi notas, mutent: non tamen

tollunt Miniſtris libertatem ſentiendi & profitendi id, quod volentibus, jubentibus probantibus ipſis, & Reipublicæ decretis, profeſſi ſunt, & ad quod profitendum publicâ autoritate legitimè vocati ſunt. Julianus deſertor violenter non compulit Epiſcopos, ad ſuæ, hoc eſt, Ethnicæ religionis profeſſionem, nec fibulam ſilentii iis impoſuit. Henricus IV. Galliarum Rex quamvis ipſe ab Eccleſiâ reformatâ ad Romanam tranſiret & primogenitus Filius ac Defenſor ejuſdem clueret, non tamen abſtulit miniſtris reformatis, aut imminuit libertatem antiquæ ſuæ profeſſioni & proteſtationi contra ſedem Romanam inhærendi. Nec dixit, ego antea ſic ſenſi de Papâ cum *brutum fulmen* (gallicè *proteſtation*) contra excommunicationem Sixti V. ederem: nunc vero tempora mutata ſunt, nunc aliter ſentio; Papam quem antea Antichriſtum proclamabam & à vobis proclamari volebam, nunc agnoſco & appello ſanctiſſimum Patrem; ergo vos qui ſubditi mei eſtis, & ſub umbra ac maxillis meis editis, non debetis ultra antiquo ſermone uti: ſed bono publico aut vertere linguam & Regi ac defenſori veſtro conformare, aut tacere: quia ſic eſt beneplacitum noſtrum. Ne quidem Imperator Turcarum tale jugum Chriſtianis illic Doctoribus imponit, ipſo Muphti ſeu Papâ Muhammedico illi hoc ſuggerente. Exemplum datum fuit in Patriarcha Cyrillo, quod deſcriptum habes *in Myſteriis Patrum Jeſuitarum* editionis ſecundæ. Matia Angliæ Regina Petrum Martyrem ſuppliciis iiſdem ob doctrinam non ſubjecit, quibus alios Theologos reformatos; ſed literis ſuis ſalvi conductus munitum dimiſit: quod à publicâ poteſtate tunc obtinente, hoc eſt, à Rege Eduardo VI. Oxonium ad ſic docendum evocatus & à Senatu Argentoratenſi eo miſſus eſſet. De quo vide *Vitam Martyris.*

V. *Queſt. Utrum tutum ſit ad caſus conſcientiæ propoſitos vivâ voce, an ſcripto reſpondere? Reſp.* neutrum per accidens infirmitatis aut malitię humanæ, caret ſuis incommodis. Si ad privatorum & πῶν τυχόντων de Eccleſiâ caſus ſcripto reſpondes, jam ſi forte in aliquo vel minimo apice ab ipſorum ſenſu & voto, aut ab aliis Miniſtris diſſidere ipſis videberis, ſchedulas illas cum gloſſis ignorantiæ aut malitiæ ſuę ſpargunt inter amicos, inimicos, iiſq; neſcio ad quas ſuſpiciones, contentiones, æmulationes concitandas abutuntur: ſicuti in Eccleſiâ Corinthiacâ 1 *Cor.* 3. alius dicebat ſe eſſe Pauli, &c. Sin vivâ voce reſpondes, metuendum eſt ne per ingenii, aut memorię, aut judicii, aut ſinceritatis defectum, malè percipiant, & malè referant: e. gr. dicta ſecundum quid, tanquam dicta ſimpliciter; dicta conſequentia per accidens, tanquam effecta per ſe; dicta conditionata, tanquam abſoluta & categorica; ſuaſam mali alicujus tolerantiam, tanquam ejuſdem approbationem; factum aut dictum alienum à te hiſtoricè tum relatum, tanquam tuum; argumentum κατ' ἄνθρωπον ſeu ad hominem à te adductum, tanquam directum,

ctum, per ſe verum & ſolidum ; imperativo modo, aut futuro tertiæ perſonæ aliquid enuntiatum, ut e. gt. *deſtruite templum hoc* Joh. 2. falſi teſtes ita mutabant: *ego deſtruam templum hoc* Math. 26. Adde imprimis hunc ſive imperitorum ſive calumniatorum elenchum, quod quando quis argumento à conſequentibus & metuendis judiciis Dei, (qui ſæpe peccata peccatis punit) deſumto peccatum aut peccata diſſuadere ſtudet, illi accipiant quaſi peccata punientia Dei, Theologo judicentur & dicantur licita reſpectu hominum perpetrantium: aut quaſi Caſuiſta tanquam Propheta illa eventura prædiceret, ac comminaretur τὰς δίκας : aut quaſi illorum peccatorum punientium ab improbis hominibus injuſtè & de facto conceptorum, & multo injuſtius exequendorum, ſive contra privatos, ſive contra Eccleſiam aut Politiam, ipſe Caſuiſta conſcius eſſet, & conſequenter criminibus illis participaret, quæ non detexit aut prævenit. Quaſi ſcil. dixiſſet hic & nunc tale quid fore: cum ſolum diceret, ſolere Deum talia peccata talibus judiciis vindicare: quaſi etiam illa optare ſe aut à piis optanda diceret, qui dicit ex monitis & exemplis Scripturæ ſe tale quid metuere, aut tale quid metuendum eſſe: quaſi qui refert & probat providentiæ divinæ juſtitiam & efficaciam, peccata hominum improborum (ſine quibus Deus plerumque juſtitiam & vindictam non exercet) probaret; & textus illos *Jeſa.* 10. *v.* 5-8. 2 *Sam.* 12. *v.* 12. *Geneſ.* 50. *v.* 20. *Luc.* 22. *v.* 22. aliaque ad explicationem providentiæ divinæ circa malum ignoraret. Eſt & alius imperitorum aut contentioſorum elenchus, quod cum Caſuiſta aut Concionator in theſi detonat contra peccata, quibus ea characterizat, ea accipiantur per mentale ipſorum aſſumentum aut ſupplementum, (quale aliquando tanquam ὑποθυμήσεις in ipſius dicentis mente videre ſe putant), quaſi declamata in hypotheſi contra Titium aut Mævium à peccato tali forte non immunem. Denique quod cum quid refertur de quorundam ex Scripturis aut Hiſtoriâ malo turpi & triſti, accipiant, ſe notari, & ſe iſtis per omnia comparari. Quis hæc & ſimilia interpretamenta, quis odioſarum conſequentiarum fabricas enumeret? Quid hâc improba ſophiſticâ ex Sacræ Scripturæ verbis à reliquo corpore avulſis, per blaſphemam colligi, & eidem opponi non poſſet? Occurrunt enim Pſ. 14. hæc verba: *Non eſt Deus*, & Pſ. 94. *Deus non videt, non audit.* Rom. 3. *faciamus mala ut eveniant bona.* Malach. 3. *Vanum eſt colere Deum*, &c. His adde quamplurima ἰσαγγελίαν, *Nemo bonus niſi Deus*, *Deus Peccatores non exaudit*, *Pater major me eſt*, &c. Et paradoxa, *Cum infirmus ſum, potens ſum. Quamvis nihil ſim. Triſtis, & tamen ſemper lætus, Pauper, & tamen multos ditans*, &c. Quando vero caſus apud Synedrium aut Synodum, aut Senatum aut aliud aliquod collegium determinandi ſunt, omnino præſtat eos ſcripto conſignari. Ubi enim plures ſunt, qui audiunt, facile ab hoc aut illo

illo aliqua verba non ſatis audiri contingit; ab aliis vero extemporaneo auditu non ſatis firmiter memoriæ infigi; ab aliis quamvis ſatis infixa memoriæ, avulſa tamen ab antecedentibus & conſequentibus, in alienum ſenſum, & præter ſcopum dicentis accipi. Multorum ignorantiam & ἀπειρίαν, ſi non aliquorum præjudicia, & partium ſtudia, immo animum à causâ aut à dicente alienum, ne dicam exulceratum hic intervenire poſſe, nemo ignorat; niſi qui hominum infirmitates, multiplices cordis humani deceptiones, & peccata contra nonum Decalogi præceptum ignorat. Quæ omnia melius præveniri, etſi orta ſit judiciorum diſtractio, tali pharmaco ſanari poterunt. Verum quidem eſt inter bonos bene agi debere, & caritatem non cogitare malum: fruſtra tamen non monuit Servator, qui nôrat quid eſſet in homine, *Ecce ego mitto vos ut oves in medium luporum. Eſtote igitur prudentes ut ſerpentes*, &c. *Cavete vero ab hominibus*, &c. Math. 10. v. 16. 17. *Ne creditote amico, ne confiditote duci*, &c. Mich. 7. v. 5. *Videte igitur quomodo accuratè ambuletis, non ut inſipientes ſed ut ſapientes: redimentes opportunitatem, quoniam dies mali ſunt*, Epheſ. 5. v. 14. 15. Accedat vulgatum illud, *Abundans cautela non nocet.* Diſcant Theologi & eccleſiaſtici in tanti momenti negotiis & cauſis imitari filios hujus ſæculi; qui in ſuis tum publicis tum negotiis privatis ad majorem certitudinem & ſecuritatem non ſolis volantibus verbis, ſed inſuper manentibus ſcriptis agere ſolent. Hinc videmus, quam arduum ſit caſus conſcientię decidere, & quantum ſtudium, quanta eruditio, quanta prudentia, quantus ad Deum reſpectus in Miniſtro requirantur.

VI. *Quæſt. A quibus caſus conſcientiæ explicandi & determinandi ſint? Reſp.* ab omnibus, juris divini & pietatis non inexpertis judicio conſequenti, privato, diſcretivo. 1 *Corinth.* 10. *v.* 26. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 21. 1 *Corinth.* 2. *v.* 15. Sed judicio anteceſſoriò, publico, autoritativo, divini Juris conſultis, ſpiritualibus, & Paſtoribus, Prophetis (1 *Corinth.* 14. *v.* 32.), Diſpenſatoribus 1 *Cor.* 4. *v.* 1. Anteceſſoribus & præpoſitis 1 *Theſſ.* 4. *v.* 11. 12. *Hebr.* 13. *v.* 17. *Deuter.* 17. *v.* 8. 12. Illis enim Jure divino miniſterium organicum clavium Regni Cœlorum *Math.* 16. *Joh.* 20. legatio nomine Chriſti & miniſterium reconciliationis 2 *Corinth.* 5. *v.* 18. 20. commiſſum eſt. Breviter, *labia Sacerdotis obſervarent ſcientiam, & lex requireretur ex ore ipſius: nam Angelus Jehova exercituum eſt* Malach. 2. v. 7. In cathedrâ Moſis ſedent ſcribę & Phariſęi: omnia ergo quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate, &c. Math. 23. *Verumtamen quiſquam ne contendito, & ne increpato quemquam: nam populares tui ſimiles ſunt contendentibus cum Sacerdotes* Hoſ. 4. v. 4. Eccleſia dicitur *domus Dei, columna & firmamentum veritatis* 1 Timoth. 3. v. 15., & mater (ſpiritualis ſcil.) omnium noſtrum *Galat.* 4. *v.* 26. Non Mundus, non Sæculum præſens, non Regnum, aut Reſpublica, aut Civitas; non Collegia Artificum, aliorumque

Digitized by Google

Civium; non Conſiliarii, non Judices politici; non Reges, Principes, Senatores, Abbates, Cardinales; non Facultates, non Collegia Medicorum, Jureconſultorum, Militarium, Mercatorum, Muſicorum, Grammaticorum; non Collegia archithalaſſica, nautica, rationaria; multo minus Collegia Hiſtrionum, Funambulonum, Thymelicorum, Ebrioſorum, Aleatorum, Peculatorum, Sacrilegorum, Lenonum, Monopolarum, Flagellatorum annonæ, Pyratarum, Fœneratorum, Seditioſorum, &c. Conferenda quę ſupra *Lib.* 1. *Tract.* 3. diſputata ſunt de poteſtate *eccleſiaſtica.*

VII. *Quæſt. An caſuum determinatio ſemper rationibus ſit munienda; inſuper objectiones, quæ contra adferuntur, aut adferri poſſent, ſolvendæ. Reſp.* 1. *concl.* apud eruditos & reſolutos, minimè dubitantes, ſed tantum aut principaliter teſtimonium conſenſus quærentes, ſimplex determinatio ſæpe, ſi non ut plurimum, ſufficere poteſt. 2. *concl.* Apud ignorantes, indoctos, inſtabiles, dubitantes, omnino aliquę rationes adjungendæ. 3. *concl.* objectiones per prolepſin apud eoſdem non ſolivendę, nec iis referendæ: niſi ipſi eas ex ſe moveant, aut ab aliis ſuggeſtas indicent. 4. *concl.* apud eruditos, ſed diſſentientes, aut fluctuantes, aut in contrariam ſententiam euntes, non tantum rationes adducendæ, ſed & objectiones ſolvendæ, nec minus rationes contra exceptiones eorum, ſi quas proponunt, vindicandę.

§. 3. *Conſilii* (gr. βούλης & ἐυβουλίας) definitio generalis ex Philoſopho 6. Ethic. Nicomach. cap. 9. talis colligitur, quod ſit *rectitudo conſultationis* (gr. ὀρθότης) *per quam finem bonum honeſtis & convenientibus mediis in agendi conſequi poſſumus* Qui ibidem à ζητήσις, συνέσις, εὐστοχία, γνώμη, διάνοια (quibus *in Libello de Virtutibus* adjiciuntur μνήμη & ἐμπειρία) diſtinguit. Ex *Thomâ* 22. *qu.* 52. *artic.* 1. applicatè & magis ſpecialiter ad ſpiritualia talis definitio colligitur, quod *ſit donum ſpiritus ſancti, quo rationalis creatura à divinâ bonitate movetur ſufficienter ad conſiliandum ſe de ſingulis agendis.* De quo quatuor *ibidem* quæſtiones movet; quas hic prętermimus. De conſiliis perfectionis ſeu evangelicis, quæ ſi quis operis & meritis ſupererogatoriis impleat, aureolam, hoc eſt, altiorem beatitudinis gradum ſibi acquirit. Qualia conſilia à præceptis diſtincta, unà cum mixtas, quæ partim conſilia partim præcepta, & conſilia peculiaria Apoſtolis data enumerat *Corn. à Lapide in Prolegom. ad Commentar. in Evangeliſtas.* Bellarminus Tom. 2. Controverſ. generalis 2. Lib. 3. cap. 7. definit, *opus bonum à Chriſto nobis non imperatum, ſed demonſtratum; non mandatum ſed commendatum. Ibidemque* à præcepto diſtinguit ex parte materiæ, formæ, finis. Sed hæc commenta ab Antagoniſtis Papatus, *Martyre* ad 1 *Cor.* 9. aut *in Locis comm. & in Lib. de Votis c. Smitheum*; & à *Daneo, Fr. Junio*, imprimis *Sutlivio c. Bellarminum*; *Hoſpiniano Lib.* 6. *de Monachis cap.* 18. profligata ſunt: nec hujus loci eſt de talibus conſiliis tractare. Eſt autem con-

consilium, de quo hic agimus, de futuris quæ sub actionem & potestatem humanam cadunt. Distinctiones inter consilium hominum in viâ & in patriâ ut & Angelorum; & inter consilium Dei & creaturarum, *Thomas* cum suis *Quæst. cit.* & 12. *Quæst.* 14. quod ad summam rei satis accuratè explicat, ut in hâc vitâ propriè sub viatorum, analogicè etiam sub actionem & potestatem angelorum & beatorum, quin & divinam cadat. Hic solummodo observandum: consilium considerari vel à parte postulantis consilium, vel à parte consilium dantis. Posteriori respectu, distingui consultationem in solitariam, & in sociam seu collegiatam. Et rursum consilium strictè sumtum à deliberatione seu consultatione distingui; quorum illud se habeat ad modum motus, istud ad modum termini, seu rei motu factæ. Unus advocatus aut consiliarius scribit & dat consilium; sed si plures collegiatim consilium forment, inde dicuntur consilium, & concilium. Communiori ergo usu loquendi consilium dat, qui alteri dat: quamvis suo modo in interiori animo quisque & quærentis seu consulentis; & consilium dantis seu capientis partes implere potest. Hoc innuit vulgatum dicterium: consilium in arenâ capere. Et sic phrasi Scripturę cum Deo Consiliario suo *Psal.* 16. *v.* 17. loquente in verbo *Psal.* 119. *v.* 24. pii consilium ineunt: postulando ab illo precibus, & capiendo consilium quod suggerit verbum, & spiritus consilii. Qualis consultatio in omnibus agendis, spiritualibus, temporalibus, publicis, privatis, œconomicis, politicis, ecclesiasticis, in vitę genere & conditione eligendâ, continuandâ, mutandâ semper necessaria. Ab ipso enim, per ipsum, ad ipsum sunt omnia *Rom.* 11. *v.* 36. ab ipso auxilium nostrum *Psal.* 121. *v.* 2. Ipse solus sapiens, ipsa sapientia, ipse *magnus consilio* Jerem. 32. v. 19. *Non est penes hominem via ipsius*, &c. Jerem. 10. v. 23. Hoc agnovit populus Dei, cum os Jehovæ consulerent *Genes.* 25. *v.* 22. *Numer.* 9. *v.* 8. *Judic.* 1. *v.* 1. 2. & 18. *v.* 5. & 20. *v.* 18. 21. 28. 1 *Sam.* 9. *v.* 9. & 22. *v.* 10. 11. & 23. *v.* 2. 4. Quin & extranei à fide solo lumine naturali hoc quodammodo noverunt. Hinc profectum illud, *A Jove principium.* Aratus phœnomena sua sic inchoat: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, &c. Et quod Muhammedistæ perpetuo in ore & in scriptis habent, τὸ *bismilla* 1. in nomine Dei. Neglectus consultationis cum Deo *Jos.* 9. in incommodum illud impulit Israelitas. Et infeliciter omnia succedere necesse est illis, qui, aliter ac Apostolus, *Galat.* 1. consilium cum carne & sanguine ineunt, & exemplo Roboami cum carnalibus & mundanis juvenibus 1 *Reg.* 12. Quamvis nobis nunc non adsit copia spiritus prophetiæ, nec Urim & Thummim, nec oraculi in sanctuario consulendi: non deest tamen spiritus precum, per quem à Deo consilium petimus; non deest sacra Scriptura, & firmus ille sermo propheticus 2 *Petr.* 1. ex quo consilium petimus, & qui nobis est instar prophetiæ, oraculi, Urim

&

Digitized by Google

& Thummim, *Consilium ad alterum*, quod magis propriè consilium dicitur, petitur & sumitur ab hominibus: estque illud, vel strictè, vel latè sic dictum. *Illud* versatur circa praxin & τὸ πρακτικὸν. *Illud*, etiam se extendit ad artem & τὸ ποιητικὸν: quomodo consilia medica, architectonica, nautica, Rhetorica, & quævis alia scholastica & peti & dari videmus. Exstat *Alstedii Tractatus tit. Consiliarii Academici*; cui affines sunt complures alii *Tractatus de Ratione Studiorum* sive in genere, sive in specie studii theologici, aut philologici, aut philosophici, aut medici, aut juridici. Consilium practicum strictè dictum est vel juridicum, sive civile sive canonicum; vel politicum; vel theologicum: civile Jureconsultis, canonicum Canonistis (de quibus *supra Lib.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 14.), politicum Politicis relinquimus, theologicum ecclesiasticis & Theologus vindicamus. Estque illud vel solitarium ab uno, vel socium seu collegiale à pluribus sive sponte, sive ad petitionem consulentis aut consulentium datum. Posterius requirit deliberationem & sententiarum per varia suffragia ventilationem ac collationem; unde tandem aut ex omnium ac singulorum, aut saltem ex majoris partis in conventu Synedrii, Synodi, Facultatis theologicæ suffragiis consilium formatur. De jure, de formâ, de ordine habendorum conventuum, & agendorum in iis, *infra Part.* 2. dicendum erit. Exstat tract. Cardinalis Paleotti de consultationibus consistorii. Revertamur ad institutum. Consilium theologicum & ecclesiasticum est vel de intrinsecis & spiritualibus ab eâ propriè agendis & exequendis: vel de extrinsecis, quæ ab aliis in hoc sæculo, penes quos potestas & potentia, agi solent aut debent: non ab ipsâ Ecclesiâ, aut ab ecclesiasticis quà talibus; sed tantum peti, ut agantur. Distinctionem hanc *infra Lib.* 4. *tit. de Temporalibus Ecclesiæ* explicatam vide. Deliberat ergo & consilium init Ecclesia, aut aliis consilium suggerit, de talibus hic & nunc petendis, nec ne; deque modo petitionis. Consilium theologicum, de intrinsecis & spiritualibus ab ipsâ Ecclesiâ, aut fideli quolibet agendis ex objecto distribui potest, in theologicum strictissimè dictum communem quorumvis salutem concernens: & in politico-ecclesiasticum circa regimen Ecclesiæ institutæ, peculiari ratione prudentiam antecessorum concernens. Utrumq; est vel simplex, vel complexum seu compositum. *Simplex* consulit & suadet quid, & quomodo aliquid agendum aut evitandum, seu prœveniendum, seu non agendum; in re dubiâ, perplexâ, intricatâ, desperatâ. Potestque hoc consilium distingui in prophylacticum, antidotarium, diæteticum. *Complexum* seu compositum est, vel *absolutum* de τῷ an hoc agendum nec ne: vel *comparatum* de delectu actionum, mediorum, tolerantię malorum an scil. hoc potius quam illud agendum; an per hoc medium an per aliud; an hoc malum potius tolerandum, quam aliud. Distinctiones illas explicant

Poli-

Digitized by Google

Politici & *Philoſophi Scriptores de Conſiliario*, quorum meletemata in compendium & ad methodum revocavit nobiliſſ. *Rey à Naglowice*, cujus opuſculum interjectum *Keckermanni Diſpp. Philoſophiæ practicæ*, inter *diſp.* 30. & 31. Aliquid etiam huc contulerunt ex noſtris *Alſtedius Lib.* 35. *Encyclop. ſect.* 25. ex Pontificiis *Buſæus in Tract. de Statibus hominum tit. de Conſiliariorum Statu*: & longè antè eum *Alexander Anglus ſeu Hales in Deſtructorio vitiorum part.* 4. *cap.* 41. *& ſeqq. Gul. Pariſienſis in Summâ de Virtutibus part.* 4. *cap.* 9. *Peraldus in Summâ virtutum & vitiorum tom.* 1. *part.* 4. *Tract. de Donis part.* 7. qui tres intra annos 1240. & 1250. floruerunt; & pariter hæc quatuor in conſilio præcipuè obſervanda monent, *expediens*, *facile*, *certum*, *ſecurum*: eorumque contraria vitanda, *damnoſum*, *difficile*, *incertum*, *periculoſum*. Præterea quinque ſpecialiter commendanda: *gratiam conſilium diſcretè requirendi: conſiliarium prudenter eligendi: utile conſilium adminiſtrandi: conſilium debitè examinandi: conſilio electo acquieſcendi.* Subjicimus nunc aliquot quæſtiones.

I. *Quæſt. An conſilium ſit de præteritis, de præſentibus, de futuris? Reſp.* vocabula, *caſus*, *conſilii*, modo latè modo ſtrictè à nonnullis accipiuntur. Nos non videmus, quomodo conſilium juxta definitiones conſilii apud *citatos*, alioſque *Autores*, poſſit verſari circa præterita. Hęc enim non ſunt agenda: ſiquidem quod factum eſt, nec factum nec infectum fieri nequit. Quamvis autem præteriti facti conſequens, agenda ſcil. reſipiſcentia & emendatio ſub hominis ſuperſtitis conſultationem cadat; præteritum tamen non eſt objectum conſilii & conſultationis, ſed tantum antecedens & occaſio. Quod ad facta hominum non ſuperſtitum, de illis nec in ſe nec reſpectu conſequentis reſipiſcentiæ conſideratis, ulla deliberatio inſtitui poteſt. Forte quis dicat, *in Libro Conſiliorum Melanthonis* occurrere nonnullas quæſtiones de præteritis, quales, de facto Laurentii, de facto Auguſtinianorum Wittebergenſium miſſas abrogantium, &c. Sed titulus libri iſtius (uti plerumque fit) à parte potiori deſumtus eſt. Continet enim varias quęſtiones generales, non tantum practicas, ſed & dogmaticas; aliqua etiam purè hiſtorica. Diſtinguamus nunc quæſtiones & reſponſiones theologicas, in dogmaticas, ſeu de credendis, & in practicas ſeu de agendis. *Dogmaticæ ſunt* vel theticæ vel hypotheticæ. *Theticæ* ſunt vel *principales*, e. gr. An Chriſtus ſit naturâ Deus, & an ὁμοούσιος Patri? An ſolus ſit Mediator & Salvator? an juſtificemur operibus? *vel minus principales* e. gr. an juſtitia activa Chriſti nobis imputetur? *Hypotheticæ* ſunt vel hiſtorico-theologicæ, vel purè hiſtoricæ. *Prioris generis* ſunt, quando quęritur de iis quæ ante nos olim aut nuper ſive à Theologis ſeorſim, ſive à Collegiis aut Conciliis collectim dicta aut ſcripta ſunt, an rectè & accuratè dixerint aut ſcripſerint, e. gr. de Græcorum

Digitized by Google

quorundam Patrum dictis, de libero arbitrio, &c. de aliorum dictis, circa ſtatum defunctorum poſt hanc vitam, circa euchariſtiam etiam infantibus diſtribuendam, circa regnum millenarium. *Poſterioris generis* ſunt; e. gr. An additamentum illud, de deſcenſu ad inferos, primum ſymbolo ſit inſertum, Quando & per quos illud inſertum, Quid-eo intelligi voluerint. De quibus nos diſquirimus *in Diſpp de Symbolo, & de Agoniâ ac Deſertione Chriſti*, *Quæſtiones* practicæ ſunt de faciendis ſeu de obſervantiâ. Quæ vel theticæ, vel hypotheticæ. *Theticæ* ſunt, omnes quęſtiones circa omnia præcepta Decalogi, quales e. gr. de Juramento, an ſit licitum, de Votis, de Exorciſmis, de Sabbatho, an Sabbathum hebdomadale ſit Juris divini moralis & perpetui, de Officio Magiſtratus an ſit, ad quę ſe extendat &c. de Divortiis, Polygamiâ, Inceſtu &c. de Communione bonorum, de Uſurâ, an aliqua & quæ ſit licita, de Mendacio, Æquivocatione & mentali Reſervatione, de Motibus primo primis. *Hypotheticæ* ſunt vel indefinitę, vel ſingulares. *Indefinitæ* ſunt, quando quæritur, non in genere & abſolutè an aliquid ſit licitum, ſed an in caſu neceſſitatis, aut talibus in circumſtantiis aliquid ſit illicitum aut illicitum, e. gr. ſtipendum aut conjugium Miniſtrorum, ſi ſcil. tali in ſtatu rerum poſiti ſint in quo Paulus 1 *Corinth.* 7. & 9. An fuga Miniſtrorum in talibus circumſtantiis, in tali aut tali ſtatu Eccleſiæ, & perſecutionis, ſit licita nec ne. *Singulares* ſunt, vel de actionibus præteritis, earumque circumſtantiis, loco ſcil. & tempore; ſive in Scripturâ, ſive in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ recenſitis: vel de preſentibus & futuris. De *præteritis* ſunt, vel purè Hiſtoricę, vel hiſtorico-theologicæ. *Prioris generis* ſunt, e. gr. An Abraham *Geneſ.* 12. *v.* 19. & 20. *v.* 11. 12. mentitus ſit, aut æquivocatione, aut mentali reſervatione uſus? An Jephta in holocautoma obtulerit Filiam. An & quomodo Paulus *Actor.* 23. ignoraverit, Ananiam fuiſſe ſummum Sacerdotem? An Patres Africani, & inter eos Auguſt. in Concil. Carthaginenſi a. 419. decreverit contra appellationes Romanas, An fuerit Papiſſa Johanna, Quando floruerit Damaſcenus. Huc refer omnes quæſtiones hiſtoricas, chronologicas, topographicas, genealogicas, ad hiſtorias V. & N. T. & ad univerſam hiſtoriam eccleſiaſticam. *Hiſtorico-theologica* ſunt, quando ſingulariter quæritur e. gr. An David rectè fecerit in causâ Mephiboſet, in pœnâ poſt mortem ſuam Joabo infligendâ, in Batſabah in Uxorem ducendâ? An Salomon juſtè puniverit Fratrem ſuum Adoniah? An Iſraelitæ licitè pepercerint Gibeonitis, & juramentum ſervârint? An Ambroſius rectè euchariſtiam negaverit Theodoſio? An Patriarcha Conſtantinopolitanus, Mauritio fugam capeſſente, rectè Phocam ſalutârit Imperatorem? An quidam Epiſcopi, & Præcones euangelii inter Gentiles delubra eorum juſtè diruerint aut incenderint? An Nazianzenus potuerit fugâ ſe ſubducere miniſterio eccleſiaſtico; & poſtea illius facti ſui apologiam

con-

conſcribere? Similes pæne infinitę quæſtiones tractari ſolent aut poſſunt à Commentatoribus, & ab Annaliſtis ſeu Hiſtoricis tum ſcripturariis tum eccleſiaſticis. *De præſentibus & futuris*, quæſtiones ſunt, an hoc vel illud hic & nunc licitè agendum aut vitandum ſit; & quomodo, ac per quæ media. Fiunt autem tales quęſtiones, vel circa rem & notitiam generalem, qualis e.gr. *Leſſii Conſultatio* (led infida) *de religione capeſſendâ, reformatâ an Romano Papali:* vel circa materiam ſpecialem quarumvis virtutum. Quæſtiones practicæ, ſeu morales (ad quas referimus eccleſiaſticas) *thetica* laxè dicuntur caſus conſcientiæ; non tamen conſilia: *Hypothetica*, ſed indefinitæ, etiam caſus dici ſolent, & ſuo modo conſilia. *Singulares* de præteritis *pure hiſtorica*, nec caſus nec conſilia dicuntur: *hiſtorico-theologica*, caſus rectè dicuntur; minimè tamen conſilia theologica. *Singulares* de agendis præſentibus & futuris caſus conſcientiæ dicuntur; & ſimul conſilia. Illic quæritur an licitum: iſtic an nunc & hic agendum, aut tolerandum, vel abſolutè vel comparatè, & quibus mediis.

II. *Quæſt. Quibus propriè, & peculiari quâdam ratione conveniat conſilia theologica dare? Reſp.* Conſilia ſunt vel purè theologica; vel mixta ſeu combinata ex theologico & ex politico, aut œconomico, aut juridico; vel propriè politica; vel œconomica. Sit ergo 1. *concl.* Conſilia purè theologica ad ſtatum conſcientiæ, & ductum vitæ ſpiritualis pertinentia ordinariò petenda & danda ſunt à Theologis, & Anteceſſoribus eccleſiaſticis: non minus quam medica à Medicis, juridica à Jureconſultis. Rationes *ſupra* §. 2. *de Deciſione Caſuum* allatæ, huc applicentur. Unum hoc ſufficit, quod ſint ἡγούμενοι Ductores, Directores, Anteceſſores Fidelium; & ordinarii Juris divini Conſulti, Interpretes ſcripturarum, quæ ſunt Conſiliarii Fidelium *Pſal.* 119.*v.*24. 2. *concl.* conſilia mixta, ſunt ſimilia quæſtionibus mixtis, termino philoſophico & theologico conſtantibus, quales e. gr. An Deus ſit in loco, An Chriſti corpus ſit quantum continuum terminis magnitudinis circumſcriptum, An Deus ſit in prædicamento, An tropus ſit in copulâ, aut prædicato, aut totâ enuntiatione, *hoc eſt corpus meum*? Uti tractatio iſtarum quæſtionum, ſic conſiliorum mixtorum Theologis præcipuè incumbit. 3. *concl.* Quod ad conſilia politica, illa ordinariò, & ex vi muneris Theologis non conveniunt, nec otiosè aut ambitiosè iis ſe ingerere debent. Si qui tamen iſtarum rerum gnari ſint, & eorum operâ uti velint, penes quos poteſtas eſt: utique ab iis excludi non poſſent: modo id fiat ſine præjudicio & jacturâ muneris ſui, nec πάρεργον fiat ἔργον. Si enim conſiliis medicis, œconomicis, nauticis, &c. in neceſſitatis, aliove in caſu dandis ob peritiam, & prudentiam, & ob defectum meliorũ, aliquando adhibentur, cur bono publico & voluntati Superiorum, ad quos cura hæc ſpectat, ſe hoc ſubducant? Non

Digitized by Google

ſunt culpandi omnes Principes,& Magiſtratus,qui Theologorum ſuorum operâ uſi ſunt; nec Theologi, qui eam præſtiterunt. Qualis conſiliarius ſereniſſ. Reipubl. Venetæ fuerit celeberrimus Paulus Scarpi, & qualem ſe præſtiterit, cognoſce ex vitâ ejus ab Anonymo Ital.deſcriptâ, & in Gallicum ſermonem traductâ. Non deſunt Principes inter Reformatos qui Concionatoribus ſuis, aut aliis Theologis tanquam Conſiliariis ſubinde utuntur. Minimè tamen probandi qui ſponte ſe illis intrudunt, & non vocati ad conſilium accedunt: quaſi Sparta,quæ ipſis obtigit,non ſufficeret. Ut & maxime improbandi abuſus multiplices,transformationes Epiſcoporum aliorumque Clericorum, in Aulicos aut milites, eorundemque per τὸ ἄγαν ſæculare tacitæ quaſi ex epiſcopationes & exclericationes, qui ſolo titulo & annexis beneficiis ſunt Epiſcopi,re & operâ mundani πολυπράγμονες: quales munerum confuſiones divinam maledictionem, & Eccleſiarum ac Rerumpublicarum perturbationes attraxiſſe credendum eſt. *Gulielmus Prynne* J. C. Anglus *Libro peculiari* ſatis ſpiſſo a. 1641. ex Hiſtoricis exhibuit turbas quas Epiſcopo-ſatrapæ in Regnis Anglico, Scotico, Hybernico, Gallico per aliquot ſæcula dedere. Nos *Lib.* 3. *Deſper. Cauſa Papatus ſect.* 2. *cap.* 10. militiam & Milites Romano-clericales ex πρόθεσι perſtringimus.

III. *Quæſt. Quâ methodo, conſilia danda? Reſp.* Diſtinguendum inter conſilia ſocia per collationem plurium in cœtu aut collegio aliquo formanda: & inter conſilia ſolitaria ab uno aliquo vivâ voce aut ſcripto danda. 1 *concl.* In conſiliis ſeu conſultationibus ſociis, quæ methodus ſervanda, quomodo cujuſque proponenda ſuffragia, quomodo aliorum ξυμβαλλόντων diſſentientes ſententiæ decorè examinandæ ad meliorem totius cœtus informationem: non eſt quod diſt inctè hic tractemus, cum *Scriptores politici* ſupra indicati abunde hoc egerint, & exercitium illius methodi præſtantiſſimi Hiſtorici tum antiqui,tum recentes (quales *Guicciardinus*,*Sleidanus*,*Thuanus*),& *Scriptores Diſcurſuum*, *Negotiationum*, *Epiſtolarum politicarum*, in variis exemplis exhibuerint. Hinc Theologi utiliſſima ſeligant,& conſiliis eccleſiaſticis applicent. Uſui hic erit, ſi qui guſtum ſolummodo quærunt, libellus a. 1660. Hagæ-comitis excuſus tit. *Diſquiſitiones politicæ* id eſt, *ſexaginta Caſus politici ex omni Hiſtoriâ ſelecti.* Quo ordine & modo ſententiarum collationes, & conſultationes in conventibus eccleſiaſticis majoribus & minoribus inſtituendæ, *Part.* 2.& 3. *tit. de Synodis* dicendum erit. 2. *concl.* In conſiliis ſolitariis vivâ voce dandis, haut ita ad methodi ἀκρίβειαν attenditur: imprimis ſi ἰσόψυχοι, Amici, benevoli ſint Conſultores. 3. *concl.* In ſolitariis, & in ſociis ſcripto conſignandis, ad methodum & materiam ſollicitè attendendum: quia litera ſcripta manet, & ſcripta in manus aliorum ſive Amicorum ſive Inimicorum facile devenire, immo & typis per totum mundum divul-

divulgari possunt. Quod idem dicendum de Epistolis Theologorum, Literatorum, Politicorum, Principum. *Epistolas Principum* (sic dictas) Ital.; *Bembi* nomine Pontificis scriptas lat.; Papæ *Pii* V. lat. Cardinalium *Perroni* & *D'Ossati* gallicè, Cardinalis *Bentivogli* Ital. qui post mortem ediderunt, an magnam gratiam apud Posteros aut familias eorum aliosque, quorum interest, inierint, nescio. Hoc saltem scio, invitos quidem pati, minime agere, ut Epistolæ, consilia, arcanæ negotiationes ab Adversariis intercepta & typis exscripta publicentur. Qualia sunt *Cancellaria Hispanica* in nuperis Germaniæ motibus edita. *Liber continens interceptas Epistolas Johannis Austriaci* a. 1577. ab Ordinibus Belgii arma contra ipsum capientibus emissus. *Liber continens interceptas Epistolas Cardinalis Granvelliani* anno 1580. excusus. *Conclavia aliquot super electione Pontificum celebrata* in Germaniâ ante annos aliquot latinè edita. 4. *concl.* In consiliis conscribendis, quod ad materiam rationum & determinationum, auxilium & manuductionem præstabunt *Collectanea*, quæ prostant, *Consiliorum Theologicorum*; qualia *Melanthonis* anno 1591. curante Pezelio; *Dedekeni* & *Bredenbachii*; qui Academiarum in Germaniâ responsa inseruerunt. Consulendæ etiam *Epistolæ Theologorum in Bibliothecâ nostrâ* indicatæ, una cum *Vitis eorum*; & *Acta Synodorum*, cum antiquarum, tum recentiorum Nationalium & provincialium, in Galliâ, Scotia, & Belgio. In nostratibus Synodis sæpe arduæ consultationes habitæ, de sistendâ & minuendâ seductione Papatus, & sectarum tum hic per conniventiam obtinentium, tum de novo subrepentium e. gr. Sociniismi: quomodo Remonstrantium membra, & Concionatores, ad communionem Ecclesiæ reformatæ ex separatione suâ redire cupientes, sint admittendi. Nec prętereundum est celebre illud *Consilium* (quod nomine & titulo *Consultorum* peculiariter insignitur) datum à a. 1628. à *Theologis Leidensibus Polyandro, Rivelo, Walæo, Thysio*, in casu novi juramenti civici alicubi præstandi. Cui consultationi quià nonnullis, qui suâ interesse putabant, Politiam aut Politicos quosdam tangere videbatur, (frigidam suffundentibus victus Remonstrantibus, jam resurgere parantibus) Declaratione quadam apud Ill. & Potentes Hollandiæ Ordines ab eâdem Facultate theologicâ defensio parata fuit. Et quia Deputati utriusque Synodi Hollandicæ casum Facultati proposuerant, ac responsum ab eâ posturârant, idemq; datum manuum suarum subscriptione comprobarant, eoque nomine unà cum Theologis Leidensibus alicubi notati erant; tempestivum judicabant apud Ill. Hollandiæ Ordines de illâ publicâ notatione conqueri, *in Appendice Remonstrantiæ contra insolentiam factionis Remonstrantiæ DD. Ordinibus* a. 1628, *exhibitæ*, & postea typis descriptæ; insuper Synodum Groninganam & Facultatem theologicam in Acad. Franeker. & Groninganâ super facto suo & Theologorum Leidensium consu-

Digitized by Google

lere, an limites vocationis ſuæ egreſſi eſſent à dictâ Synodo, de Conſilio theol. Profeſſorum Gomari & Altingii, & à Theologis Franekeranis Ameſio Meinardo Schotano & ac modus agendi, & ipſum reſponſum Facultatis Leidenſis & Deputatorum Synodi unanimiter probatum fuit. Quia autem & factum & reſponſum *Libello cujuſdam Anonymi* (qui putabatur eſſe *Joh. Wttenbogardus* Remonſtrantium primipilus) odiosè ad mordebatur, quaſi ſcil. politiam aut politicam poteſtatem nimis tangeret, quam Profeſſores Theologi & Deputati Synodorum ἀλλοτριοεπισκοπεῖν indebitè uſurpaſſent: viſum fuit laudatis modo *Theologis publicâ Apologiâ* ſe & factum ſuum tueri; quæ denuò excuſa fuit una cum Operibus D. Walei, qui ejuſdem Scriptor fuerat. Optandum eſſet, ut ea in latinum ſermonem tranſlata, etiam ab exteris legi poſſet: apud quos rerum noſtrarum non ita gnaros ſubinde aliqui Noſtrates per volantes ſcedulas, aut annuos Mercurios nimis leviter & Mercurialiter ſubinde ab hominibus noſtratibus Eccleſiæ reformatæ ejuſque doctrinæ, ordini, regimini adverſantibus, aut propter τὰ ἴδια minus æquis ferruminatos, diffamantur; quaſi in alienam poteſtatem involarent, cum ſcil. ad caſum aliquem conſcientiæ ex verbo Dei conformiter communi doctrinæ reſpondent, aut aliquod theologicum conſilium petentibus ſuggerunt. Autor ſum illis, qui belgica attingunt, ut laudatam modo *Apologiam* legant, atque una *Hiſtoriam eccleſ. Triglandii Part.4. pag.* 923. & ſeqq.; atque inde diſcant, quid Eccleſiaſticis & Theologis competat in caſibus conſcientiæ & conſiliis theologicis, etiam in iis quæ politiam, aut potius hominum quorundam abuſus, tangere putantur: nec totum illud juxta neo-Eraſtiana & Hobbeſiana commenta ad Jureconſultos & Politicos tanquam proprium aut primum ſubjectum ἀναπὸν eſſe transferendum. Ut enim eccleſiaſtici quà tales poteſtatem & jus regiminis politici nullâ ex parte uſurpare aut ſibi vindicare debent: ſic nec viciſſim Jureconſ. aut Politici quà tales, ſibi claves Regni Cœlorum: cum unum non minus, immo magis injuſtum ſit, quam alterum. Deum utrique revereantur tanquam Deum ordinis, & vindicem confuſionis, rebellionis, ſeditionis 1 *Cor.* 14. *v.* 33. 1 *Theſſ.* 4. *v.* 6. 8. Ut illorum poteſtas ſuprema carnalis & coactiva divinitus ordinata eſt *Rom.* 13. ſic iſtorum poteſtas ſpiritualis miniſtra in verbi diſpenſatione & clavibus Regni Cœlorum 2 *Cor.* 10. *v.* 3. 4. *Actor.* 6. *v.* 4. 1 *Cor.* 4 *v.* 1. 2. *Math.* 19. *v.* 3-10. *Joh.* 20. *v.* 20. 2 *Cor.* 5. *v.* 18. 19. 20. Et ut illis reſpectu poteſtatis & muneris ſui omnes ſubditi obedire tenentur *Rom.* 13. ſic & iſtis reſpectu ſuæ poteſtatis & muneris oves ipſorum Hebr. 13. v. 17. *obedite Præpoſitis veſtris*, &c. Si quis poſt habito Jure divino & obligatione conſcientiæ, quia ita libet & poteſt, injuſtâ violentiâ Servos Dei opprimat, is ſciat Deum eorum potentem eſſe, & peculiari ratione vindicaturum, non minus ac viduas (*Pſ.* 68. *v.* 6. 146. *v.* 9.)

v. 9.) & pupillos, alioſque imbelles, qui paribus armis ſe & cauſam Dei tueri nec poſſunt, nec debent, nec volunt. Confer quæ paulo ante §. 2. *de Caſibus conſcientiæ & ſupra Lib.* 1. *Tract.* 2. *de Poteſtate eccleſiaſticâ.* diſſeruimus. 4. *concl.* In caſibus & conſiliis aſceticis, hoc eſt, ſuper exercitiis pietatis rationes ex Scripturis ſolę plerumque ſufficiunt: niſi illuſtria aliquot exempla ex Hiſtoriis & obſervationibus eccleſiaſticis ſuppetant. In moralibus, ſuper peccato hic & nunc fugiendo, aut virtute aliquâ capeſſendâ, ad cumulum addi poſſunt autoritates Theologorum tum antiquorum tum recentiorum. In eccleſiaſticis vero regimen & diſciplinam Eccleſiæ, ſpectantibus, autoritates prudentum Theologorum, qui ſuper iiſdem aut ſimilibus conſulti ante nos, reſponderunt, pręſertim ſi felici cum ſucceſſu, haut partim valere debent.

Reſtant agenda ordinaria magis ad cognitionem & praxin fidei pertinen- §. 4
tia, & plerumque domatim exequenda; quales ſunt *inſtitutiones Rudiorum, convictiones Errantium, conſolationes, adhortationes, correptiones.* Quæ hic tantum indicanda: tum ut eccleſiaſtici moneantur, hęc eſſe agenda, non omittenda: tum ut Fideles agnoſcant & obedienter admittant hanc præpoſitorum ſuorum functionem, & poteſtatem: neutri ſe ſubducant, quaſi peregrini quid fieret; neutri φοντικῷ illo dicterio, *in Templis haberi conciones*, hoc Dei conſilium rejiciant. Quaſi ſcil. univerſum miniſterium, tota cura paſtoralis, & Apoſtoli exclamatio 2 Cor. 2. v. 16. *ad hæc quis idoneus?* in concionibus aliquot (alicubi in orbem recurrentibus, ſicut in ſe ſua per veſtigia volvitur annus) habendis conſiſteret. Audiatur Apoſtolus 1 Theſſ. 5. v. 11. 12. 14. *adhortamini alii alios* &c. *Rogamus autem vos fratres, ut agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & vobis præſunt in Domino, & admonent vos* &c. *precamur autem vos Fratres, admonete inordinatos, conſolamini eos qui puſillo animo ſunt: ſublevate infirmos*, &c. Verè Clemens Alexandr. Lib. 1. pædagogi, cap. 8. *ἡ νυθετικὴ διαιτα ἐν νοσούσης ψύχης adhortatio animæ ægrotæ diæta eſt.* Conferatur officii hujus neglecti ſevera reprehenſio *Ezech.* 34. v. 2-20. Sed de his propriè agendum *Part.* 2. *ubi de Requiſitis & Officio Miniſtrorum.* Porro inſtructionum ratio & modus ex *Cap.* 1. deſumi & huc applicari poteſt. Convictioni errantium, *infra Part.* 3. locum aſſignamus. De conſolatione internè, aut externè languentium aut afflictorum in *Exercitiis Pietatis, ubi de Conſolatione, Tentationibus, Euthanaſiâ.* Et *ad* 1. *Decalogi Præceptum, ubi de Patientiâ.* De adhortatione, & correptione Nos antehac peculiaribus *Diatribis tit. de Officiis Caritatis erga proximum peccantem.* Et *de Fraternâ Correptione.* De iiſdem *Rhetoricæ Eccleſiaſticæ Scriptores, & Commentatores ad* 1 *Theſſal.* 5. *v.* 11. *Coloſſ.* 3. *v.* 28. 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. 17. *His agendis* inſerviunt & occupantur viſitationes domatim peragendæ tum ſtatæ

Digitized by Google

ſtatæ tum incidentis ſeu occaſionatæ ; ſive Fidelium ſive aliorum , imprimis cum morbis , aliiſque calamitatibus conflictantium , nec non carcerum , noſocomiorum , gerontodochiorum , orphanotrophiorum,ſcholarum, &c. De quibus *infra Part.* 3. De viſitandis & conſolandis in conſcientia afflictis & ægrotis libelli aliquot vulgari linguâ proſtant ; inter eos *Perkinſi Tractatus* varii,etiam latinâ. Inter Pontificios habet nonnulla *Poſſevinus Tom.* 1. *Bibliothecæ ſel. p.* 16. & *p.* 175.-180. de ægrotorum & carcerum viſitatione , quę uſui eſſe poſſint.

CAP. IV.

De Agendis quibuſdam ad prudentiam propius ſpectantibus.

§. 1. AGenda ejuſmodi ſive publica ſive privato-publica ſunt , 1. conciliationes diſſidentium , 2. neceſſariæ communicationes & præmonitiones quà publicè quà domatim inſtituendę. *Conciliationes* diſſidentium & contendentium ſive Fidelium inter ſe , ſive Fidelium cum extraneis iiſq; aut formatis adverſariis aut neutralibus,aut in bivio conſtitutis magnam & difficillimam partem faciunt onerum, quæ Synedriis & Miniſtris impoſita ſunt. Quis idoneus ad regulas prudentiæ hic concipiendas , & obſervandas ? Quamvis enim quam exactiſſimè ſibi cavent, ne quid proprii hic admiſceant ; nec ullibi in fidelitatem , caritatem & prudentiam peccent ; ſed ut omnia omnibus fiant : vix tamen unquam effugiunt , quin in ſuſurros , ſiniſtras ſuſpiciones , immò & apertas calumnias incurrant , & tanquam Viri contentionum ipſis litibus implicentur. Ita ut triſtiſſima illa Prophetæ querela (*Jerem.* 17. *v.* 15-19. & 20. *v.* 7-11.) merito huc applicari poſſet. Tædium tamen hoc cum ipſis devorandum ſit , agant quod poſſunt , & ad has cautelas attendant. 1. *Ne* partibus ſtudeant,nec proſopolepſiæ indulgeant. 2. *Ne* occulta,quę ſalvâ caritate (1 *Petr.* 4. *v.* 8.) & Eccleſiæ ædificatione tegi poſſunt,licet ipſis privatim probè nota, aut ſaltem validè præſumta,in lucem protrahant;& ſic litem exaſperent,ac ſcandala multiplicent. 3. *Ne* ex fraternâ ac paternâ litis ſopiendæ curâ , *forum* faciant *contentioſum* (uti in Papatu eccleſiaſticum forum appellare ſolent;) nec ad imitationem fori politici , figuram ac formam proceſſuum obſervent: per formales citationes,per Fiſcales ſeu officiales, hoc eſt, Prætores Promotores & Apparitores eccleſiaſticos; per mulctas pecuniarias,aliaſq; externas coërcitiones, ; per Procuratores, Syndicos, Advocatos; per Notarios,teſtes juratos , & juramenta ; per replicas , duplicas , &c. per Judices delegatos Literis fidei & mandati inſtructos ; quas utrique aut alterutri contendentium parti prius exhibere teneantur. Ejuſmodi farrago & practica

Digitized by Google

practica Juris canonici, ſive civilis ſive criminalis à ſpirituali regimine Eccleſiæ apoſtolicæ aliena eſt, nec in noſtras Eccleſias introducenda; ne arma ſpiritualia & claves Regni Cœlorum, in gladium Magiſtratui commiſſum aliquâ ex parte transformari aut iis conformari videantur. Eccleſiis earumque præfectis ſemper inſonet illud: *Vos autem nonita:* Luc. 22. v. 28. Quod in Eccleſiâ aliquâ, non obſtante ſeceſſione ejus à Papatu, ex Jure canonico, retentum fuit, Moribus & Statutis Eccleſiarum noſtrarum præjudicare non debet. Nos hic de iis non diſquirimus. Si quis aveat ſcire quę illic Juri canonico conformi poſt ſtabilitam reformationem relicta ſint, adeat *Richardi Zouchæi Elementa juriſprudentiæ*, & ibi ſubjectam *Deſcriptionem Juris & Judicii eccleſiaſtici ſecundum canones & conſtitutiones Anglicanas*, *part.* 3. 4. *Ne* hęc ſacra pragmatica foro ſeu juriſdictioni interiori (uti in Papatu appellant) conſcientiæ, per extortam confeſſionem cum adjunctis conformetur. 5. *Ne* in componendis diſſidiis laborantes, ad Judices & Vindices ſæculares aliquem, cujus delictum occaſione hujus contentionis innoteſcat, imprudenter deferamus, aut deferri curemus. 6. *Ne* prius utriuſque contendentium partis dicta & facta minutim uſque ad ſatietatem & faſtidium referri & audiri velimus: & deindę, morbo quaſi cognito remedia quærere & adhibere: ſed potius per viam accommodationis (uti vocant) & indefinitę confeſſionis & petitæ veniæ, ac promiſſæ amneſtiæ & emendationis ab alterutrâ aut utrâque parte, ſi culpæ affinis ſit, ſive abſolutė ſive conditionaliter pręſtandæ. 7. *Ne* tamen partem innocentem nocenti, aut minus nocentem magis nocenti, contra veritatem & juſtitiam æquales faciamus. 8. *Nedum* ut, ubi in bonis fortunæ, aut in ſanitate, aut in honore & famâ grave damnum quis paſſus eſt, & excitata ſcandala; omnis reſtitutio in foro conſcientiæ & vel minima externa ſatisfactio (qualis olim apud Romanos, *nollem factum*), coram Synedrio, aut Delegatis ejus, aut Fratribus quibuſdam teſtibus atque Arbitris, (*Matth.* 18. *v.* 16. & 1 *Cor.* 6. *v.* 1. 2.) eliminetur: aut etiam, quod gravius eſt, parti innocenti æque ac nocenti una & eadem confeſſio imponatur: vel abſoluta, *quod ſe mutuò læſerint, & omnes præteritas injurias mutuo ſibi remittant, & in poſterum ab injuriis verbo, ſcripto, facto ſibi mutuò inſetendis, ſe abſtenturos promittant:* vel conditionata, *ſi aliquâ in parte, aut quâcunque ratione, ſe mutuo læſerint*, &c. *hoc velle inſigni caritatis ſupultum*, &c. Si atrociſſimæ injuriæ ab unâ parte illatæ ſint notoriæ, & illis qui conciliationi præſunt ad oculum demonſtrentur: præſumtæ autem aut fictę injuriæ alterius partis, nec ad oculum demonſtratę ſint, nec ad poſtulatum ejuſdem eas indigitare & commonſtrare velit pars adverſa; ut ſcire poſſit quę & qualis ſit injuria, quâ Proximum aut Fratrem affecit: An generalis, indefinitæ, & doloſæ formulæ conciliatoriæ admiſſione,

ne, partem nocentem contra ſcientiam & conſcientiam tacitè juſtificabit, ſi non in totum ſaltem in tantum; aut ſaltem ſe eidem parem faciet? Quod ſi Titius Mævio ſubinde quædam ex officinâ ſurripuiſſet, nec Mævius viciſſim Titio, & Mævius tantummodo conqueratur res ſuas furto abeſſe, petatque earum reſtitutionem à Titio; qui quod ad quęſtionem ſtatus inficialis factum non negaret, ſed quod ad ſtatum finitudinis ſeu qualitatis, negaret eſſe furtum, ſed ablationem iſtarum rerum factam per modum repræſaliorum, aut per moderamen inculpatæ tutelæ. An hic reconciliatio inſtituetur per confeſſionem injuriæ à ſe mutuò illatæ, & promiſſionem ceſſationis ab eâ aut ſimili inferendâ in poſterum? *Excipies* forte, Mævius viciſſim injuriâ affecit Titium, quod privatim aut coram Teſtibus dixerit, res ſuas, ſe inſcio & injuſſu ſuo ablatas: tenetur ergo ille non minus ad reſtitutionem famæ, quam iſte ad reſtitutionem bonorum. Repono, ſi verum dixit Mævius, ideoque reſtitutionem, & abſtinentiam in poſterum licitè petierit; quę hic injuria? Sed replicas, famæ & exiſtimationis ſuæ diminutionem patitur Titius? *Reſp.* ipſe ſibi hoc imputet: Patiatur nocens, ſi aliter fieri nequeat; non pro illo aut pariter cum illo innocens. Non tenetur hic innocentiam & juſtitiam cauſæ ſuæ reatui ſubjicere, ut illius injuſtitia ſublevetur, aut tegatur ſive in totum ſive in tantum? *Iterum excipies*, atqui poſito, eſſe injuriam, tamen à Mævio eadem Fratri aut Proximo condonanda eſt. *Reſp.* 1. ſic eſt,: quod ad privatum odium, & privatam vindictam, aut publicę vindictæ petitionem ac proſecutionem: non tamen pariter, quod ad reſtitutionem, ſiquidem Titio facultas ſuppetat eaſdem res, aut æquivalens reſtituendi. De quo Interpretes quintæ Petitionis, *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c.* *Reſp.* 2. Quod ſi Mævius injuriæ & damni illius reparationem non urgeat nec ſtipuletur, quâ tamen conſcientiâ, ſe parem faceret Titio in confeſſione injuriæ mutuo illatę, & in promiſſione abſtinentiæ in poſterum? Quomodo qui Titio bona nulla abſtulit, nec unquam illi tale probatum ſit, pariter promittet *ſe non amplius hoc facturum?* Cum Titius à ſe bona talia contrectata non diffiteatur, idemque Arbitris aut Conciliatoribus illud ad oculum pateat; quamvis qualitatem aliquo modo palliare aut excuſare velit; quod ſcil. eo modo & fine, non ſint ablata. *Excipies*, pacis causâ omnia agenda? *Reſp.* Non tamen illa, quibus quis contra rei veritatem & conſcientiam ſuam ſeipſum ſive directè ſive indirectè accuſaret; hoc eſt, contra ſe falſum teſtimonium diceret, ut Proximi ſui atroces injurias, hâc ratione aut juſtificaret, aut elevaret; atque adeo ſibi afflicto per peculiarem quendam ἀνηκουσίας modum, afflictionem adderet. Denique *excipies*, in omnibus aut pleriſque conciliationibus; hanc formulam uſitatam eſſe, quod quas mutuo illatas injurias confitentur aut præſupponunt, *nollent illatas eſſe, promittant in poſterum*

rum ab iis ab iis abſtenturos, declarent inſuper *ſe mutuo agnoſcere Viros honeſtos, nihilque habere quod adverſus ſe mutuò prætendere queant, niſi honeſtum & honorificum. Reſp.* Si vera & notoria ſint, quæ dixit Mævius, quomodo abſque liquido mendacio & turpi ſimulatione tale quid vivâ voce, aut manus ſuæ ſubſignatione declarare poterit? Et quomodo non tali formulâ conciliatoriâ obtentâ Titius, Mævio aliquando dicam de injuriâ ſibi illatâ, ſcribere poſſit? Similiter ſi Titius ſermone per compita, aut ſcriptis evulgatis, Mævium flagitiorum & ſcelerum complurium accuſaſſet, quæ Mævius innocentiæ ſuæ ſibi conſcius negat, nec Titius unquam probavit, ne quidem probare conatus eſt; Etſi in talem formulam ἰσόπαλον conſenſurum ſe profiteatur; an Mævius in eandem conſentire teneatur, niſi velit audire irreconciliabilis? Non arbitror: quia non debet contra ſcientiam & conſcientiam ſuam ſeipſum apertè aut tacitè accuſare. Satis paci daret Mævius, ſi in ſilentio & patientiâ animam ſuam poſſideret, in foro conſcientiæ coram Deo injurias illatas condonaret, ſimiles aliaſve injurias viciſſim Titio non inferret, bonorum ablatorum, aut læſæ famæ debitam reſtitutionem non urgeret aut proſequeretur, ob præterita verbis aut factis vindictam nullam exerceret, facta quę inſecta fieri nequeunt, Dei judicio relinqueret, & emendationem ac reſtitutionem conſcientiæ Titii. Et hæc quidem pax neutralitatis in poſterum ſervari poſſet; etiamſi pacem amicitię aut fœderis Mævius cum Titio non iniret, nec ſi antea fuiſſet, eam reſtituendam curaret. Libertatis & prudentiæ Chriſtianæ eſt delectum Amicorum & Fœderatorum habere. Si itaque uterque res ſuas in poſterum ſibi habeat, & alter alteri abſque turbatione relinquat: hactenus pacem obtineri & coli cenſendum eſſet, hoc eſt, *tranquillitatem ordinis.* Ita enim pacem, cum Thomâ, communiter definiri puto. Et talem pacem *ſi poſſibile ſit, & quantum in nobis eſt, cum omnibus hominibus ſervare jubemur.* Rom. 12. v. 18. Objici poſſet, reconciliationem externam & formalem, ſive coram verbis ſive inter abſentes ſcripto teſtatam abeſſe non poſſe: manere alioquin animorum exulcerationem, & ſuſpiria alterius adverſus alterum; contra *Iacob. 5. v. 9. Reſp.* à nullis hominibus, ſed à Deo cordium inſpectore judicandum eſt, quid ſit in homine 1 *Cor.* 2. *v.* 11. an quis pro hoſtibus & malefactoribus ſuis oret, an vero adverſus eos ſuſpiret: niſi dictis & factis ſuis hoc prodat. Qui conſcientiam proximi hic temere judicare audent, ſuſpicionibus, præjudiciis, & phantaſmatis ſuis indulgentes, & in thronum Dei ſe elevantes; cogitent unum eſſe legiſlatorem & judicem, qui juſtis oculis omnia aſpicit. Et hactenus de conciliatione diſſidentium.

3. *Agenda* ad prudentiam regiminis propius ſpectantia tum privata κατ' ἰδίαν, §. 2. tum publica in cœtu Eccleſiæ ſive publicæ, ſive toleratæ, ſive clandeſti-

næ, ſunt variæ præmonitiones, & communicationes, partim ordinatiæ & ſtatę, partim extraordinariæ *Ordinariæ* ſunt commonitiones de inſtanti adminiſtratione Cœnæ & debita ad eam præparatione; de orando pro ſingularibus afflictis quocunque genere afflictionum; & gratias agendo pro ſingularium liberatione: propoſitiones nominales petentium teſtimonia eccleſiaſtica; etiam eorum, qui ſponſalia contraxerunt; nec non electorum de novo Concionatorum, Seniorum, & Diaconorum; Ut & in quibuſdam Eccleſiis, præſertim minoribus, aut clandeſtinis, aut inter adverſarios toleratis, defunctorum, quorum funus deducendum. *Extraordinariæ* & incidentales ſunt, propoſitiones nominales eorum, quorum formalis excommunicatio exſpectanda, niſi aliquod reſipiſcentiæ ſignum ediderint Commonefactio de inſtanti jejunio, & debitâ ejuſdem celebratione, atque ad illud præparatione. Commonefactio de graſſantibus & clamantibus quibuſdam peccatis, de vitiis endemiis, aut epidemiis; ne directè aut indirectè aut per participationem iis implicentur Fideles, & Liberi Fidelium. Commonefactio, contra inſtantia ſpectacula, feſta & ſolennitates Baaliticas; quales, proceſſiones, jubilea Papiſtica, miſſæ inaugurales Sacerdotum, inaugurationes Religioſorum aut Religioſarum, deductiones funerum uſque ad ſepulcrum, cum adjunctis & appendicibus rituum, luſuum, conviviorum, &c. ne Fideles, aut Liberi eorum temere & imprudenter ſe iis ingerant, & aliquâ indirectę aut participatæ ſuperſtitionis aut idololatrię ſpecie (quam *in* 3. *Part. ſelect. Diſpp.* deteximus) profeſſionem ſuam polluant. Commonefactiones de imaginum dejectionibus, & ſacrorum idololatricorum turbationibus; ne Fideles aut Liberi aliive domeſtici eorum iis ſe immiſceant; quales in antiquâ Eccleſiâ fieri neceſſe erat, & factas eſſe oſtendit *Canon.* 60. *Concil. Eliberini.* Similes factas fuiſſe in Belgio anno 1566. graſſante Puerorum & quorundam ex fece plebis furore iconoclaſtico, nominatim Antwerpiæ, teſtantur *Hiſtoriæ noſtrates.* De quo *in* 3. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Idololatriâ indirectâ*, &c. *pag.* 311. Commonefactiones, de ſtudiis partium, factionibus, contentionibus, turbis politicis, illic gliſcentibus; ne aliqui Fidelium, illis ſe immiſceant, aut eò ſe trahi patiantur. Quales imprimis neceſſariè ſunt, ubi Eccleſiâ in Politiâ Gentili, Muhammedicâ, Pontificiâ latet, aut ſaltem conniventiâ ac tolerantiâ aliquâ fruitur. Commonefactiones, de conventibus Saltatoriis, & Dramaticis (dictis *balletticis*); quales à Pontificiis Midianitis plerumque, nonnunquam etiam ab aliis in negotio religionis neutralibus, aut carni & mundo magis famulantibus, quam Chriſto crucifixo, inſtitui ſolent: ne Fideles eorumque Liberi & Domeſtici, eò ſe trahi patiantur, & paulatim eò dilabantur, quo Iſraëlitæ *Numer.* 25. Nemo repente factus eſt peſſimus. Dramatum, comœdiarum, ſaltationum, ballettarum, &c. infelices

Digitized by Google

felices Patroni, à nobis ex professo antehac refutati sunt, *in Dissp. de Excelsis Mundi.* Denique commonefactiones, de extraordinariis collectis domatim aut in publico cœtu Ecclesiæ instituendis, quibus domestici paupères aut indigentes in casu caritatis annonæ, morbi epidemici, captivitatis, bellicæ calamitatis, incendii, inundationis; etiam Fratres peregrini exulantes, aut alibi laborantes sublevari possent.

De his & similibus præmonitionibus, & communicationibus extraordinariis quęritur,

I. *Quæst. An potius domatim, an in cœtu Ecclesiæ sive in mediâ concione ad textum ad id delectum, sive post absolutam concionem, sive ante inchoatam concionem, fieri conveniat? Resp.* 1. *concl.* alterutro, aut utroque modo quasdam simul fieri posse putamus in Ecclesiis infrequentibus: ubi pauculæ domus adeundæ essent. Sed in magnis Urbibus, vix aliter fieri potest, quam in cœtu Ecclesiæ. Sed hæc deliberatio prudentiæ cujusque Synedrii relinquenda. Sunt enim Ecclesiæ quædam publicæ, quędam solummodo toleratæ, quædam planè clandestinę seu latentes: sunt etiam Ecclesiæ veteranę & confirmatæ, sunt novellæ, immo vix Ecclesiæ, in quarum primâ plantatione & collectione laboratur: denique sunt Ecclesiæ, quæ unicum tantum cœtum aut cœtulum constituunt; sunt aliæ quæ in magnis Civitatibus per varios cœtus dispartitæ variis in Templis ad sacra sua conveniunt. Eximiæ imprudentiæ esset in peristaticis illis, externum ordinem & modum agendorum ad unum modulum velle formari. 2. *concl.* Quasdam publico in cœtu convenientissime fieri in confesso est; e. gr. de excommunicatione, & pręparatione ad eam, de instanti jejunio & præparatione ad illud. 3. *Concl.* An autem in cursu concionis, an vero ante aut post concionem, arbitratui cujusque Ecclesiæ relinquendum est. Nihil impedit, ut alterutro, aut simul utroque modo fiat.

II. *Quæst. An conceptis verbis, ex Decreto Synedrii, iisque vel promuntiatis vel* lectis ex scedulâ; an vero *à Ministro quovis pro re nata & arbitrio suo fieri conveniat? Resp.* 1. *concl.* in minoribus aut minimis Ecclesiis, quæ unum tantum aut forte duos Pastores habent, & in unum cœtum conveniunt, de eo non laborandum est. Qui dispensatoris munere vel mediocriter defungitur; tam blennus non est, ut absque conceptis aut aliunde suppeditatis & præformatis verbis cœtum suum de aliquo istorum præmonere non posset 2. *concl.* Aliter se res habet in frequentibus Ecclesiis, ubi per plures Concionatores, pluribus in cœtibus tales præmonitiones fieri solent: Ibi utiliter, verbis conceptis & scriptis talia proponuntur: e. gr. de 10. aut 11. aut pluribus simul excommunicandis, deque aliis modo enumeratis. *Objicies* forte 1. *Object.* esse conceptam formulam *in nostrâ Liturgiâ. Resp.* Sed nomina excommu-

nicandorum, & præparatoriæ communicationis & applicationis ad istas personas formula inde recitari non potest. In quibus cum Concionatorum memoria vacillare, aut ipsi quamvis in re convenientes, verbis & modo proponendi dissidere possent: præstat in Synedrio verba concipi, & scribi. Ne imperiti, aut malevoli, sive sectarii sive otiosè curiosi Athenienses *Actor.* 17. *v.* 21. (quorum in magnis Civitatibus rarò defectus est) sycophantias suas deblaterent; quasi scil. hic Minister præ aliis plus aut minus, mollius aut durius quid dixisset, aut proprium animi morbum prodidisset. Ita meminimus in frequentissimâ Belgii Ecclesiâ, lectioni formulæ liturgicæ de excommunicatione, præmissam peculiaris & à Synedrio conceptæ applicationis ad 11. illos excommunicandos prælectionem. 2. *Objectt.* Videntur esse decreta imperialia, aut mandata Principum; & consequenter præjudicare supremarum potestatum autoritati. *Resp.* non magis, quam monitiones aut præmonitiones maritales aut paternæ aut heriles in familiâ, scholasticæ in Scholis alphabetariis, collegiatæ in licitis collegiis: sive conceptis verbis pronuntiatis aut scriptus, sive aliter fiant. Variantes modi peristatici, speciem & formam rei non variant. *Supra Lib.* 1. satis superque distinximus Potestatem ecclesiasticam à Politica; claves Regni Cœlorum à gladio; regimen & politiam spiritualem à jurisdictione cum imperio; ministerialem conscientias informandi & paternas adhortationes ac correptiones in domo Dei dispensandi, à suprema & coactivâ potestate; arma spiritualia à carnalibus; Regnum Christi in terris à Regnis de hoc mundo. *Instantia*: atqui ejusmodi præmonitionibus abstinentia à talibus scandalis, & obedientia hâc in parte à fidelibus exigitur, sub denuntiatione aut comminatione abstentionis ab usu cœnæ proximè administrandæ: ergo videtur esse non simplex admonitio, precatio, obtestatio, sed insuper coactio conscientiæ, & libertatis Christianæ privatio aut imminutio? *Resp.* Omnis obedientia, quæ sub promissione & comminatione aliquâ postulatur ac præstatur, non est servilis & coacta, nec conscientiæ libertatem: alioquin etiam obedientia, quæ promtè & liberè à populo Dei (qui populus spontaneus, נדבות, id est, spontaneitatum, dicitur *Psal.* 110. *v.* 3.) dicenda esset coacta, conscientiæ libertatem perimeret. Quod absurdum. *Vera libertas est parere legibus*: præsertim divinis; vel immediatè à Deo latis; vel ab hominibus Jure Dei permissivo conformiter Juri divino aut naturali per determinationem peristaticam promulgatis. *Qui vos audit, me audit* Luc. 10. v. 16. *Obedite præpositis vestris* Hebr. 13. v. 17. Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi, &c. *Matth.* 18. *v.* 15. Cæterum quid sit coactio conscientiæ, & opposita libertas, *infra Lib.* 4. *& Part.* 3. *tit. de Clavibus Regni Cœlorum* explicabitur. Hæc nova monstra Belgicorum Neo-Arrianorum, Libertinorum, Neutralium, Com-

Cornhertiſtarum, Eraſtianorum, &c. de libertate conſcientiæ ita profligata & protrita ſunt, ut tædeat. *Elementa catechetica. Qu.* 82. 83. 84. 85. *& Liturgica tit. de Cœnâ, de Excommunicatione, de Reconciliatione excommunicatorum, de Confirmatione Miniſtrorum & Seniorum*, toties ad faſtidium inculcare & defendere; præſertim apud tales, qui libertatem prætexentes, ſervi ſunt hominum, propriæ ambitionis, avaritię, voluptatum & ſimilium conſcientiæ tyrannorum; quorum animus propterea erga religionem pietatem & diſciplinam reformatam exulceratus eſt; aut qui præjudiciis mundanis prœoccupati, ſemper diſcunt, & nunquam ad cognitionem veritatis perveniunt; aut qui ex ſinu ſuo proprio ac domeſtico prejudicio *συνηθίας* eccleſiaſticam oderunt; non vanè conjectantes, ſe ob *ἀσυνηθίαν* primum reprehenſionis ac diſciplinę ſubjectum fore; ſiquidem illi liber curſus permittatur. Coram cum hierophantis ejuſmodi meliori profectus ſpe agi poſſet. Illic hypotheſes illæ, quas tacite ſumere videntur, ventilandæ eſſent, An libertas chriſtiana ſanguine Chriſti parta, aut libertas conſcientiæ in eo conſiſtat, quod confœderatio & promiſſio eccleſiaſtica (de qua *ſupra ſect. de cœnæ adminiſtratione p.* 756.) ſolummodo habenda ſit pro ceremonia & externa quadâ formalitate, quâ nullius fœderati conſcientia teneatur, ſed de quâ quiſque pro arbitrio & peremtoriè diſpenſare poſſit & nihilominus in poſſeſſione atque uſu communionis abſque alicujus contradictione manere. An peccata & publica ſcandala Membrorum Eccleſiæ ebrietatis, ſcortationis, ſtupri, adulterii, furti, perjurii, hęreſios, apoſtaſiæ, prophanitatis, pugnarum & rixarum, &c. exemta ſint ab omni admonitione, correptione, & cenſurâ in caſu impœnitentiæ; idque ſecundum *Liturgiam noſtram tit. de Cœnâ, Catecheſim Qu.* 82. 86. *& Statuta eccleſiaſtica artic.* 71. *& ſeqq.* An libertas chriſtiana, conſcientię, civilis Belgarum in eo conſiſtat, quod omnibus liceat propriâ ſuâ probatione, & conſcientiæ examine abſque ullâ intercedente ſtipulatione, probatione, inſpectione, curâ eccleſiaſticâ, cœnam, cum diſtribuitur, percipere; ab eâ pro arbitrio abſtinere; ad ejus perceptionem redire: non obſtantibus quibuſcunque peccatis & ſcandalis; quorum omnium rationem ſoli Deo, in foro poli ac propriæ conſcientiæ reddituri ſint, non Eccleſiæ, in cujus communionem admiſſi ſunt. An libertas Anteceſſorum in Eccleſiâ in eo conſiſtat, quod obligentur volentes nolentes contra conſcientiam cuivis accedenti & cœnam petenti porrigere: quamvis notorium eſſet & ipſis certo conſtaret aliquem aut aliquos ob peccata & ſcandala communione indignos eſſe, juxta *Math.* 18. *v.* 15. 1 *Corinth.* 5. & *fœdus Dei* per tales abuſus *profanari*, *iramque Dei in univerſam Eccleſiam concitari*, uti loquitur Catecheſis noſtra Quęſt. 82. 3. *Object.* Videtur ſapere hierarchię Papalis & Romano-epiſcopalis tyrannidem; cujus jugum Eccleſię noſtrates approbante & defendente poteſta-

te

te politicà excusserunt. *Resp.* non magis, quam cœnę administratio missam, aut liberum ac polycraticum Reipublicæ nostræ regimen tyrannidem Præfectorum Hispanicorum, aut propagatio reformatæ religionis inter nostrates inquisitionem Hispanicam. Nemo invitus cogitur, religionem reformatam amplecti, profiteri, exercere, sub pœnâ vivicomburii, & confiscationis bonorum. Nemo adigitur, ad nomen Ecclesiæ nostrę dandum, ad solennes stipulationes & promissiones, *supra p.* 756. Ecclesię nostrę neç habent, nec cupiunt, nec usurpant, nec adhibent potestatem episcopalem coactivam, cum carceribus, modicis coercitionibus corporalibus, mulctis pecuniariis, Officialibus seu Prætoribus ecclesiasticis, Militibus & militiâ sacrâ, Equitibus Ecclesię. Nec unus inter Ministros, potestatem multarum Ecclesiarum in se contractam, possidet, usurpat, & suo unius arbitrio ea statuit, ad quorum cœcam executionem, absque propriæ conscientiæ interrogatione, omnes Principes & Magistratus teneantur. Nec Antecessores Ecclesiæ nostræ regimen sæculare sibi vindicant, nedum ut primi gradus dignitates in eo occupent. Nec iidem se, suos, sua omni potestati sæculari regiminis & jurisdictionis tum civilis tum criminalis quasi Jure quodam subtrahunt: adeo ut nefas esset eos quamvis horrenda flagitia committentes, vel minimum tangere; uti docuit excommunicatio à Paulo V. in Serenissi. Rempublicam Venetam à 1607. vibrata. Qui talem aut similem Romanam hierarchiam, conscientiarum coactionem, & tyrannicam inquisitionem religioni, Ecclesię, ordini disciplinæ, sacro ministerio, impingere auderet, (uti tales sibili antiqui serpentis nonnunquam audiuntur & in libellis anonymis leguntur); is videat ne genuinæ hierarchiæ Romanæ & Hispanicæ inquisitionis Tyrannis cervicibus justo Dei judicio aliquando incumbat, & ipse impœnitens partem in hoc & futuro sæculo accipiat cum mendacibus *Ps.* 5. *v.* 7. & 12. *v.* 3. 4. 5. & 55. *v.* 24. *Apocal.* 21. *v.* 27. Pii interim apud Deum suum tales injurias deponunt; in quarum pragmaticam hodierni quidam sectarii, Neutrales, Libertini, Viri de hoc sæculo (*Psal.* 17.) hierarchico & tyrannico Papatui (in *Confess. Belgicâ Artic. ult.*) successisse videntur. 4. *Object.* Non debebant tales præmonitiones & communicationes, quæ datâ occasione necessariæ putantur, sive domatim sive in Ecclesiæ cœtu instirui, nisi præeunte communicatione cum Rege, Principe, eorumve Præfectis? *Resp.* Cum exercitium religionis & Ecclesiæ regimen à Regibus & Principibus approbatur, aut saltem publicè toleratur (ut e. gr. in Imperio Turcico, Galliâ, Polonia), jam de novo non est licentia in scriptis petenda (uti in Papatu ab Episcopo licentia legendi Scripturam petenda) ad singulos quosque actus doctrinæ dispensandæ, & applicandæ, in regimine & disciplinâ exercendâ. Alioquin multo magis specialis consensus & licentia ad quavis formam & materiam precum, & con-

concionum, earumque phasim & stylum, à Regibus, Principibus, & Supremis Potestatibus petenda esset: residet tota quippe in quibus Potestas ecclesiastica, si Erastianis; etiam prædicandi & sacramenta administrandi, si Hobbesio cum suis credendum. Nova hæc & fanatica commenta ignoravit antiqua Ecclesia & reformata. Ne ipse quidem Papa, qui supremam & infallibilem Potestatem ecclesiasticam in se solo residere contendit, fimbrias Cęsareo-Papatus, an Papæ-Cæsariatus tam latè extendit.

Excipiat fortè quis, Reges, Principes, eorumve Prefectos & Vicarios, non semper illâ potestate ad singulos actus concionum, precum, regiminis, disciplinę usuros, nec etiam posse ad id vacare: sed subinde, cum Minister quis, aut aliqui Ministri, ipsorum peremtorio & irrefragabili judicio in precibus aut concionibus, exorbitâre deprehensi sunt; materiam, modum, methodum, stylum earundem omnibus Ecclesiis & Ministris suis directorio aliquo, tanquam perpetuâ Medorum ac Persarum lege, prescripturos. *Resp.* Etiamsi mille ejusmodi leges prescribant, quomodo omnes errores & ἀπείρους quæ in precibus & concionibus committi possent, iis complectentur? Singularia enim sunt infinita; & infinitum pertransiri nequit. Singulis annis, immo & mensibus novæ leges, nova edicta condenda & promulganda essent: adeo ut brevi corpus eorum habituri essemus, *Corpora Juris civilis & canonici*, cum *Bullario Papali* & *Decisionibus SS. congregationum Cardinalium*, molesuâ longè superaturum. Papa distinguit inter constitutiones, quibus Ecclesia universa regenda est; & inter bullas, brevia, motus proprios, quibus particulares casus aut causas determinat. Quod si quis Minister aut Ministri alicubi aberrârent, hoc more & modo legitimo cognoscendum ac corrigendum esset: non tamen claves in totum aut ex parte Ecclesiis ac Ministris auferendæ; nec novis quâcunque occasione conceptis cautelis & directoriis, absque præeunte synodali cognitione, consilio, decreto, omnes Ecclesiæ cum suis Ministris, extra præsumtam culpam positis, onerandæ. Et quid tandem fiet unitati Ecclesiarum reformatarum, si quę alibi à concionibus & precibus exulare jubentur, alibi permittuntur, immo & imponuntur. An non Babel directoriorum, formularum, homiliariorum, euchologiorum inde exspectandum esset? Remonstrantes ab unâ parte libertatem prophetandi in communibus dogmatibus perpetuò postulare solent; quam tamen solis Reformatis (quos Contra-Remonstrantes appellabant) possidenti & receptæ doctrinę inhærentibus non relinquebant: argumenta sint *Directoria* a. 1614. in Hollandiâ, & a. 1612. in hâc Provinciâ ipsorum consilio fabricata, laudata, defensa, & orthodoxis Ministris impositа aut obtrusa. Ubi tunc tantopere deprædicata moderatio, libertas conscientiæ, libertas prophetandi? Quod si in receptis fidei dogmatis Ministris concedenda (κατ' ἄνθρωπον

argumentor); an non multo magis in particularium precum concionum, consolationum, adhortationum, materiâ, formâ, methodo, stylo. *Rursum excipies*, Ministri non sunt ἀναμάρτητοι infallibiles. Fatemur: sed quam inde consequèntiam cum Enthusiastis, Libertinis, Neo-Scepticis, Neutralibus, Socinianis elicies, Totum Ordinem ministerii abrogandum? Ecclesiam dispensationis seu conniventiæ tantisper à quibusvis, qui volunt & valent, verbo adhortationis pascendam? An potius cum turbone semi-idiotâ *Cornherto in Libello de Minuendis Sectis*, à Ministris verbum Dei solummodo publicè prælegendum, ejusque interpretationem & applicationem singulis Auditoribus relinquendam? Hoc si fieret, quam aureo sæculo, quam aureis somniis fruerentur neutrales, Neo-Sceptici, Enthusiastæ, mundani, quin ipsi Epicuri de grege porci, qui cum Epicureo poëta canere possent: *Parcus Deorum cultor & infrequens.* Nondum tamen tales panaceæ juvarent, nisi publici reformatæ religionis, ἐυταξίας & receptæ Disciplinæ Catechesi Confessione, & Synodi Dordracenæ Canonibus tum dogmaticis tum disciplinariis contentæ Adversarii (quales Neo-sceptici, Neo-Erastiani, Libertini, Neutrales, Quæsitores, aliique Sectarii) suam atque una Regum, Principum, Prefectorum, Jureconsultorum (quibus omnia deferre videntur) infallibilitatem, supra omnes Theologos, Ecclesias, Synodos, perspicuè demonstraverint. Prudentiores satis intelligunt rem hanc à nonnullis agi prętextibus amoliendiæ neo-hierarchiæ ecclesiasticæ, neo-tyrannidis Papalis: cum ἀκοσμία ipsis sit, mutatio orthodoxæ doctrinę, & Socinianæ aut Neo-Arrianæ, aut alicujus miscellæ introductio; plerisque eliminandæ aut saltem luxandæ & laxandæ ἐυταξίας, ac disciplinę, cum totius regiminis presbyterialis delumbatione. Hâc sæpe dirutâ, putant licentiam in promtu fore quævis nova monstra in lucem edendi, & securè alendi. A posteriori qui incipiunt, & prius etiamnum concelare videntur, apud incautos quosdam & adhortationum impatientes, apertionem aurium subinde inveniunt. Est enim disciplina per accidens infirmitatis humanæ, res odiosa: sine cujus constanti professione si reformatę Ecclesiæ se ostentare possent, (exercitium enim apud non paucas perquam tenuæ est) utique plures invenire nt consecraneos, & fautores. Experientia nos docuit non paucos accepto hoc scandalo impediri ne intrent; & nonnulli hoc candidè profitentur. Reducunt salutaria hæc animarum pharmaca ad punctum honoris, ad catalogos gloriæ mundi: opinantes fraternâ paternâque correptione existimationi suæ inter homines detrahi, autoritatem suam apud suos vilescere; Parentum scil, apud Liberos, Præceptorum apud Discipulos, Ditiorum apud Pauperes, Literatorum apud Idiotas, Sapientum apud Insipientes, Senum apud Juvenes, Optimatum apud Plebem, Nobilium apud Homines de fæce Romuli, Dominorum

norum apud Servos, Honestorum apud Improbos, denique perfectè, quod ad doctrinam, Reformatorum apud Pontificios & Sectarios à nostrâ religione alienos. A molestiis, odiis, vexationibus quamplurimis immunes essent Ministri, & Ecclesiæ nostræ, si exemplo Pontificiorum privilegia exemtionum concedentium (de quo *Casuista* ipsorum in voce *exemtio*, & *Canonista ad Tit. de privilegiis*, instar manuductoris sit *Zypæus Juris Pontificii novi Libro 5. pag. 363.-273.* edit. in 4.) in catechesi, liturgia, & canonibus suis distinguere potuissent inter exemtos, & non exemptos; aut etiamnum in receptione Membrorum, stipulationem de exemtione in totum aut in tantum, admitterent, si qui hoc postularent; aut saltem consuetam stipulationem (de quâ *supra Pag. 575.*) non observarent; aut denique in ipso exercitio adhortationum, correptionum, censurarum præterirent illos, quos non velle tangi scirent aut præsumerent. Sed per supremum Ecclesiæ Magistrum, per Juris divini tabulas, per conscientiam Dei, per communem consensum Ecclesiarum reformatarum, imprimis Belgicarum, cui Ministri solenniter subscribunt, nihil tale audent aut possunt. In exercitio monitum illud prudentiæ libenter audire debent præsertim ætate aut annis ministerii juniores: *Seniorem ne increpato, sed hortare ut Patrem Juniores, ut Fratres; Mulieres natu grandiores, ut Matres; Juniores ut Sorores &c.* 1 Timoth. 5. v. 1. 2. Sed ex plenitudine potestatis, exemplo Papæ, contra jus de jure dispensare nequeunt, nec cameras & taxas pœnitentiarias, cum gratiis & indultis, mediante Deo Pluto & nummo doloso, erigere; nec cum taxâ pœnitentiaria inter qualificatos, hoc est, nummatos & inter pauperes distinguere; nec potentioribus in peccatis ipsorum blandiri, propter quæ solos pauperes in Ecclesiâ, servos, ancillas, tenuiores atque imbelles plebejos opibus, clientelis, dignitate, autoritate sæculari destitutos, correptioni, aut abstentioni à cœnâ subjicerent. Quidquid Ecclesiis & Ministris illud *Ezech. 3. v. 17-22.* in timore & tremore audientibus hic evenerit, apud Deum patientiæ sequestrum & injuriarum ultorem deponent.

Cap. V.

De Agendis propius Caritatem spectantibus, Eleemosynâ scil., Hospitalitate, Agapis.

DE Eleemosyna in genere agendum *ad Tit. de Dilectione Proximi*: hic §. 1. solummodo considerandæ ratio Eleemosynæ ecclesiasticæ. De eleemosynâ agunt *Hyperius Tract. de Beneficentiâ in pauperes, in opusc. Theologicis. Joh. Downname Tract. peculiari* Anglicè; *Aretius 1. Part. Probl.*

Digitized by Google

pag. 676. *& Part.* 3. *pag.* 261. edit. in 8. *Commentatores ad Matth.* 6. & 25. *Luc.* 16. 1 *Cor.* 16. & 2 *Cor.* 8. 1 *Joh.* 3. *v.* 17. *Galat.* 6. *v.* 9. 10. & *Proverb.* 19. *v.* 17. 21. *v.* 13. & 28. *v.* 27. Bucerus, de regno Christi pag. 80.- 90. *Martyr class.* 2. *loc. comm. c.* 12. Daneus Isagogæ part. 3. lib. 3. c. 33. Ex Pontificiis *Lud. Vives de Subventione pauperum*; *Drexelius Tract. peculiari*; *Casuistæ in voce Eleemosynâ*, *Peraldus in Summâ Virtutum & Vitiorum*, *Buseus in Veridario*, *Canonistæ ad Dist.* 45. *c. & qui emendat*, cum *c. sequ. c. duæ sunt &* 12. *qu.* 2. *c. aurum*, cum *sequ.* & 13. *qu.* 2. *c. anima* & 23. *qu.* 6. *c. jam vero.*

Imprimis etiam commendandæ *Homiliæ Patrum de Eleemosynâ*, *Cypriani* scil., *de Opere & Eleemosyna*, *Nazianzeni de Pauperum Amore*, *Chrysostomi de Eleemos. & Collat. in Sanctos*, *Basilii de non adhærendo rebus sæcularibus*, *& Serm.* 3. *in Divites avaros. Ambros. lib.* 1. *offic. c.* 11. *& serm.* 30. *de eleemos.* Nescio an etiam indicare debeam *Chrysologi Sermones de jejunio & Eleemosynâ*, *& in illud Mathei, attendite, &c.* & *de Eleemosynâ*; sed *Sermones* admodum breviculos, & satis jejunos. Nos de Eleemosyna publicâ & ecclesiastica hic acturi, considerabimus. 1. An sit curanda. 2. Per quos. 3. Unde colligenda. 4. In quos distribuenda. 5. Quomodo distribuenda. 6. An & quomodo quidquid residuum fideliter servandum & in futurum sit reponendum.

De primo.

I. *Quæst. An ubi Politia facta est Christiana aut reformata, collectio, distributio, conservatio Eleemosynarum ab Ecclesiis auferenda, & tota hæc cura in Reges, Principes, Magistratus, Præfectos politicos transferenda sit? Resp. Neg.* Quia gradus ministerii ecclesiastici ab Ecclesiâ auferri non debet; ergo nec cura eleemosynaria. Quia tempora mutari possent, & Principes cum statu politiæ, in iis. Ecclesia autem cum suis agendis & ministeriis, ad qualemcunque mutationem, in summâ rei mutari non debet: quamvis non diffiteamur variare nonnihil onera & curam Ecclesiarum respectu politiarum, in quibus hospitantur. Aut enim latent ibi, aut insuper tolerantur, aut religio earum adoptatur tanquam religio publica & status, aut sola istic obtinet absque ullâ Sectarum libertate & tolerantiâ, aut sic sola obtinet ut nulli Cives admittantur, quin simul Cives sunt Ecclesiæ. In primo casu, præter omnes distributiones quotidianas, propria nosocomia, gerontodochia, orphano-trophea, hospitalia, quin etiam scholæ tum minores tum majores, ab Ecclesiis (quo possunt modo) istic aut alibi in loco tuto, saltem neutrali, curanda sunt. *In secundo casu* eodem fere modo agi necesse est: neque enim in pias, quas vocant, domos Gentilium, Muhammedistarum, Pontificiorum, &c. nostræ fidei consortes reciperentur, absque periculo pollutionis idololatricæ; & ablatione aut imminutione libertatis tum conscientiæ tum exercitii. *In tertio & quarto* casu relatè ad quosvis subditos subventione indigentes, si Ecclesia

cleſia eam curam ſuſcipiat (uti quod ad diſtributiones quotidianas, & quod ad alituram orphanorum non-civium hoc fieri ſolet in Belgii noſtri quamplurimis Vicis, Oppidis, etiam aliquot majoribus Civitatibus) hactenus ſufficit hæc publica Eleemoſyna : ſin minus, devolvitur omnis cura Pauperum à religione & Eccleſiâ noſtrâ alienorum in Magiſtratum & peculiares Præfectos eleemoſynarios ad id conſtitutos. Ita perpetuum Diaconorum eccleſiaſticorum miniſterium , occupatur in curandis Pauperibus ſuæ Eccleſiæ, eorumque Senibus, Viduis, Ægrotis, Orphanis, Fratribus peregrinis aut exulantibus. Illuſtre exemplum in alendis membrorum Eccleſiæ , non-civium, orphanis , in celeberrimâ Belgii Urbe nuper extructo peculiari orphanotrophejo datum fuit ab Eccleſię Belgicæ in iſtâ Urbe Diaconis. *In quinto* caſu, Eccleſię permanent in colligendis & diſpenſandis per Diaconos ſuos Eleemoſynis; ſicuti ab initio & deinceps conſueverant, antequam politiæ iſtæ totaliter à reformatione occuparentur.

De ſecundo.

I. *Quæſt. A quibus & per quos Eleemoſyna eccleſiaſtica curari debeat? Reſp.* à Diaconis eccleſiaſticè ad id vocatis. De quorum origine, munere, adjutoribus & adjutricibus *Part.* 2. ex Jure divino & humano quærendum erit. Diaconi illi rationes accepti & expenſi reddunt coram Eccleſiâ ſive totâ ſive repræſentativâ; à quâ conſtituti ſunt, & ex quâ Eleemoſynas collegerunt. In Eccleſiâ apoſtolicâ collectionem & diſpenſationem Eleemoſynarum penes Diaconos fuiſſe colligimus ex *Actor.* 6. cum *Rom.* 12. Non tamen curæ Pauperum , & inſpectioni hujus miniſterii Paſtores & Seniores ideò planè renuntiare debent : quod Diaconorum auxiliare miniſterium , ad ipſorum levamen ingreſſum ſit. In antiquâ Eccleſiâ ſumma cura ac præfectura collectarum , & Eleemoſynarum ut & omnium redituum ſacrorum erat penes Epiſcopos; in quos omnis fere poteſtas tunc contracta erat. De quo *Lib.* 4. *ubi de Bonis eccleſiaſticis.* Idem etiamnum hodie in Papatu obtinet, non tamen ſine quibuſdam exceptionibus & exemtionibus. Vide *Juris canonici Lib. decretal. tit.* 3. *de religioſis domibus* & *Piaſecii Praxin epiſcopalem part.* 2. *cap.* 3. *artic.* 5. Ad diſtributiones quotidianas conſtituunt illic Eleemoſynarios , vulgò dictos *Proviſores menſæ ſpiritus ſancti* (belgicè Heylige Geeſt-meeſters): quæ appellatio latina & Belgica, ſatis inſolens, impropria , immo & imperita atque inepta videtur. Forte alludere voluerunt ad dona Spiritus Sancti, qui confert unicuique ſicut vult 1 *Corinth.* 12. *v.* 11. ſeptem dona Spiritus , communiter vocant : de quibus *Scholaſtici ad Thomam* 12. *qu.* 68. Sed gratiæ ſpirituales ſeu dona illa ſpiritus, quibus anima ſalutariter perficitur, non debent confundi cum communibus donis cibi, potus , veſtium , quibus externus homo, & corpus reficitur. Appropriatè Spiritui S. in Scripturis tribui-

Digitized by Google

tur ſanctificatio, fidei illuminatio, certitudinis obſignatio ; quæ Bernardus ad hæc tria revocat, *lumen ſcientiæ*, *pignus ſalutis*, *robur vitæ*. Ubi quæſo eidem divinæ perſonæ appropriatè tribuitur collatio & diſpenſatio donorum ad victum & amictum pertinentium? nuſquam, quod ſciam. Quin ipſe *Thomas* nulla alia quam ſpiritualia dona Spiritus S. *Quæſt. cit. artic.* 4. enumerat eaque *artic.* 6. in vitâ æternâ permanere aſſerit. Quo Jure autem nomen & munus Diaconorum ab eccleſiaſticis Pauperum Curatoribus, in Clericos in verbo & ſacramentis miniſtrantes (dictos ipſis *Diaconos*) tranſtulerint, iiſque infra Hypodiaconos, ſupra Archidiaconos adjecerint, *Part.* 2. videbitur. Ab ordinariis his Eleemoſynariis diſtributiones neceſſarias in parochiâ ſuâ curantibus diſtinguuntur *Quæſtores Eleemoſynarum* in Jure canonico ſic dicti, qui quæſtum emunt vel educunt ab illis, qui ad colligendas Eleemoſynas pro Monaſterio aliquo ordinis mendicantium, aut pro Templo, aliove aliquo loco ſacro, aut pro piâ domo, aut nomine alicujus Sancti, Papale privilegium habent. Quales rurſum diſtinguunt ab iis, qui pro Monaſterio, Templo, aliove pio opere quærunt Eleemoſynas, ſed ſibi ipſis non referunt, Prioribus aſſociari debent inſtitores ſeu propolæ indulgentiarum. De admiſſione & inhibitione Quæſtorum. *Bullæ Clementis* 7. anno 1524. *Gregor.* 9. a. 1583. *Pauli* 3. a. 1541. *Pii* 5. a. 1567. *Praſecius loc. cit. Zypæus Libro* 3. *pag.* 385. imprimis *Cherubinus in Scholiis ad Bullas modo cit. Concil. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 9. *cum remiſſionibus Barboſæ, ejuſdemque Collectan. ad Bullarium, & Deciſ. Cardinal. in vocibus Eleemoſyna & Quæſtuarius. Bochellus in decr. eccl. Gall. Lib.* 6. *tit.* 11. His adde Tractatus *de Indulgentiis*, & *Scholaſticos*, *Canoniſtas*, *Caſuiſtas de iiſdem* ſuo loco diſquirentes. In tranſitu hic obſerva, Proviſores menſę Spiritus ſancti, in Papatu ſemper fuiſſe & etiamnum eſſe Eleemoſynarios ipſorum eccleſiaſticos. Adeo ut luci factorum & omni nov-antiquitati repugnet commentum illud, de Fraternitate Marianâ, quaſi collegium fuerit aut ſit Eleemoſynarium. Omnium Fraternitatum iſtarum erectiones, leges, praxes longè aliud teſtantur: nec poteſt quis invitis illis affingere, quod nec ſunt, nec eſſe voluerunt. Quod ſi planè in eleemoſynaria collegia alicubi transformari contingeret, jam videndum eſſet, an & quomodo in veritate, judicio, & juſtitiâ in erectionem & ſtatuta talium Fraternitatum in ἀκμῇ Papatus inſtiturarum jurari poſſit? Sed hoc commentum alibi profligamus, & *infra Part.* 2. *de Fraternitatibus in genere*, *& in ſpecie de Marianis* diſceptabitur. Interim conferat, cui vacat, *Part.* 2. *ſelect. Diſpp. tit. de Idololatriâ indirectâ, cum Appendice.* Dubium hic moveri poſſet, An Principibus & Magiſtratibus religionem amplexis, omnis cura Eleemoſynæ publicæ in Eccleſiis colligendæ & diſtribuendæ, cum electione & univerſo munere Diaconorum ceſſare debeat? *Reſp. Negatur*, cum *Catecheſi Quæſt.* 103. & *Liturgiâ noſtrâ tit.*

tit. de Confirmatione Seniorum & Diaconorum, & Confess. Belgicâ Artic. 29. & 30. & nostris *Constitutionibus Eccles. Artic.* 71. & *seqq.*; cum *Bucero in Lib. de Regno Christi, Danco, aliisque supra cit.* Quibus junge Canones, & Constitutiones Ecclesiarum extra Belgium nostrum, hactenus editas. In Ecclesiis Anglicis erant dicti Oeconomi sive Guardiani, quorum inter alia munus erat, *tempore divinorum collectiones pro Pauperibus extraneis peragere:* teste Richardo Cosin *in Ecclesiæ Anglicanæ politiâ per tabulas digestâ tab.* 14. A. qui idem *tab.* 12. inter cætera diaconi Parochialis officia refert *prospicere Pauperibus, ubi ea ratio initur.* Quâ restrictione innui videtur, communiter hoc non obtinere. Hoc saltem colligitur, in Regnis & politiis reformatis simul ac religio illic recepta est, ilico omnem curam eleemosynariam ab Ecclesiâ non transiisse ad Principes & Magistratus: ita ut nefas esset ab Ecclesiis sacra hæc tali in casu amplius vel minimo digito attingere. Nec arbitror quenquam hic dissensurum; nisi forte Erasti, aut Hobbesii Sectatores, qui Regni Christi in Regnum hujus sæculi, Ecclesię in mundum, metamorphosim sibi somniare videntur.

II. *Quæst. Quid faciendum in primâ collectione & plantatione Ecclesiarum, aut in cœtu aliquo in navibus, præsidiis, castris, ubi nulli sunt Diaconi? Resp.* Vel ipsi verbi Ministri colligant, aut aliquem consentientibus aliquibus in illo cœtu perpetuis Auditoribus, præ aliis, si sint qui alibi fidem professi fuerint, imprimis si munere Seniorum aut Diacanorum functi, aut præcentorem & Prælectorem, aut Ædituum provisionaliter adhibeant in collectione, etiam in dispensatione & distributione, non tamen sine cognitione, consilio, & consensu suo sive explicito aut speciali, sive virtuali aut generali. Apostoli in primâ euangelii prędicatione & Ecclesiæ collectione ipsi oblatas eleemosynas, recipiebant, & dispensabant, *Actor.* 4. *v.* 34. 35. & 6. *v.* 2. Eorum exemplo memini à Ministris & me cum iis operam suam ad tempus in primâ collectione Ecclesiæ Sylvæ-ducensis commodantibus aliquamdiu adhibitum certo consilio selectum quendam ex primis Auditoribus Sylvæ ducensibus, vigiliarum civicarum istic Præfectum; & collectam cujusque concionis à Ministris præsentibus numeratam ac in libello consignatam, domum à Ministro, cui hoc imponebant, delatam, atque ex eâ distributionem factam & in eodem libello notatam. Similiter ferè factum in castris ad Sylvam ducis anno 1629. & alibi.

De tertio.

I. *Quæst. An ex imposito tributo justitiæ, an ex solis spontaneis oblationibus, an etiam intercedente indefinitâ petitione, sint colligendæ? Resp.* 1. De primo modo, *Neg.* quia hoc repugnat nomini & definitioni Eleemosynæ apud *Scholasticos* 4. *Dist.* 15. & *Thomam* 22. *qu.* 32. *artic.* 1. Atque hâc ratione puto

puto distingui bona ecclesiastica directè & propriè fundata, & acquisita, ad sustentationem Ministrorum, ad fabricam Templorum, ad conventus & missiones Ecclesiasticas, ad obtinendam libertatem, & redimendam vexam; ab illis bonis quæ propriè & directè donata & acquisita sunt pro Pauperibus. Priora partim ex Donationibus & Eleemosynis, partim ex tributo justitiæ acquiruntur: ad qualem contributionem Jure divino & naturali tenentur omnes qui societatem, collegium, aut communitatem quam constituunt, *Rom.* 13. *v.*6,7.; & consequenter ad ecclesiasticam contributionem (siquidem necessitas ita postulet) omnes qui sunt de Ecclesiâ. Vide *Gal.* 6. *v.*6. 7. *Luc.* 10. *v.*7. 1 *Corinth.* 9. *v.*4. 5. ubi debitum, & justitia insinuatur. De quo *infra Lib.* 4. *tit. de Stipendiis Ministrorum*, & *de Bonis ecclesiasticis*. Sed in Eleemosynis, quibus Pauperes aluntur, longè aliter se res habet: siquidem non ex justitiâ sive commutativâ sive distributivâ, sed ex *misericordiâ propter Deum* (uti habet definitio ex *Math.* 23. *v.* 23. 2 *Cor.* 9. *v.* 7. *Jac.* 2. *v.* 13. 15. 16.) Eleemosynæ conferuntur. Quod autem omnia bona ecclesiastica communiter appellantur *Eleemosynæ fidelium*, *donationes*, *spontaneæ oblationes*, id fit synthdochicè, denominatione sumtâ à potiori parte. Mirari subit, quod Romano-Gallicana Ecclesia in Synodo Aquensi anno 1585. cap. 12. (apud Bochellum Lib. 5. tit. 13.) decreverit, ut *si Laici homines Eleemosynas dare consuetas impendereque renuerint, eos Episcopus ex canonum jure ad piè introductam consuetudinem perpetuo retinendam cogat atque compellat.* Quod si dicatur, Episcopos aliosque Clericos, ut & Præfectos fabricæ templorum ex stipendiis & reditibus jure sibi debitis elargiri Eleemosynas, quin & Magistratus, aliaque collegia in Republica ex ærario publico, & bonis collegialibus: suggerimus, distinguendum esse inter λῆψιν acceptionem, & δόσιν dationem atque erogationem istorum bonorum. Respectu prioris, nulla est ratio Eleemosynæ; quia Magistratui telonia, tributa &c. *Rom.* 13. *v.*6.7. & Ministris atque Ædilibus solvunt, qui debent, *Galat.* 6. *v.* 6. & hi vicissim justè exigunt & accipiunt, quę debentur. Respectu vero posterioris, ex misericordiâ propriè largiuntur sive Magistratus ex ærario publico, aut ex spoliis in hostico partis, sive ecclesiastici & Ædiles ex suis stipendiis, & reditibus pro fabricâ templi per tributa justitiæ & per liberas donationes propriè fundatis. Vives toto *Lib.* 2. de subventione Pauperum, pluribus & distinctè docet, quod & quomodo Magistratui Eleemosynas facere conveniat. In Belgio nostro imprimis elucet Magistratuum magnificentia, in supplendis necessariis, ubi collectæ non sufficiunt. 2. *concl.* Non tantum exspectandum, ut sponte offerantur Eleemosynę, sicuti *Actor.* 2. *v.*44. & 4. *v.* 37. sed etiam homines publicè privatimque ad id excitandi, petitiones & collectæ instituendæ: idque exemplo apostolico 2 *Cor.* 8. *Actor.* 11. *v.*28.29. 30. *Rom.* 15. *v.* 25. 26.

II. *Quæſt. Quomodo petitiones & collectæ ſint inſtituendæ? Reſp.* pro ſtatu Eccleſiarum, non tantum perpetuo in ſingulis cœtibus & concionibus; ſed etiam per recurrentes quotannis, aut ſingulis ſemeſtribus aut trimeſtribus, aut menſibus, aut per extraordinarias ſingularum familiarum de Eccleſiâ (etiam extranearum, ubi Diaconi omnibus Pauperibus Vici aut Civitatis ſubvenire ſolent) circuitiones. Et ſi neceſſitas poſtulet, apud exteras Eccleſias collectæ petendæ. De ordinariâ & perpetuâ in conventibus Eccleſiæ colligendi ratione exſtat præceptum apoſtolicum 1 *Corinth.* 16. *v.* 1. 2. De collectis apud exteras Eccleſias 2 *Corinth.* 8. *Rom.* 15. *v.* 25. Ad extraordinarias collectas refer, quas pro ſubventione Eccleſiarum exterarum Diaconi in ordinariis Eccleſiæ de eo antea exſertè præmonitæ conventibus peragunt: quod meminî in aliquot Belgii Eccleſiis factum anno 1624. pro Rupellenſibus, & anno 1643. pro afflictiſſimis Eccleſiis in Hybernîâ, & anno 1655. pro Eccleſiis in Convallibus Pedemontanis. Pro iiſdem anno 1662. denuo collectæ inſtitutæ, ſed privatim. Pro aliis Fratribus domi afflictis aut exulantibus complures collectæ curatæ ſunt, & datâ occaſione curantur per Claſſes, & Synodos provinciales; ad quarum monita & poſtulata ſingulæ Eccleſiarum Diaconiæ, & ſinguli fabricæ templorum Præfecti pro facultate ſuâ per manus Miniſtrorum ad Quæſtorem, aut aliquem à Synodis & Claſſibus ad id delegatum δῶρα ſua deferunt. Per eaſdem Synodos & Claſſes interceditur apud ſupremos & ſubordinatos Magiſtratus, aliaque collegia politica; qui *beneficentiæ & communicationis* (Hebr. 13. v. 16.) obliviſci non ſolent. Quod ſi neceſſitas ita flagitet, inſuper à Miniſtris privatim ſollicitatur liberalitas Ditiorum. Poſterior hæc collectarum ratio plerumque ſervatur in templis de novo exſtruendis aut in iiſdem, ut & Oppidis bellico furore dirutis, aut incendio vaſtatis, reædificandis. In redimendis captivis, abſque operâ Claſſium & Synodorum, privatim plerumque, ab iis quorum intereſt, ſubſidia ad lytrum quæruntur. Atque hæc ratio noſtratium collectarum.

III. *Queſt. An præter donationes inter vivos, etiam legata ab Eccleſiis recipienda ſint: immo & ingente neceſſitate, per Diaconos, Seniores, Miniſtros, Notarios, à Ditioribus, præcipuè ἀπίνοις, poſtulanda? Reſp.* Quidni? Si enim exemplo ſuo in donationibus inter vivos Apoſtolum præire non puduit 2 *Corinth.* 8. cur nos pudeat in iiſdem exemplum hoc ſequi? Et ſi in donationibus ejuſmodi liceat, quidni pariter in legatis? Qui hoc in timore Dei agunt, nihil ſibi quærunt, ſed ſolis Pauperibus. Hæc tamen cautela adhibenda, ne cacoëthes Clericorum & Monachorum Papalium imitantes, Liberis, aliiſve legitimis Heredibus, præſertim indigentibus, bolum ex faucibus eripiamus, & audiamus hæredipetæ. Eſt modus in rebus. Pauperes qui-

dem alii debent; non tamen prætextu illo Attalicis opibus in immensum accumulandis incumbendum est fidelibus 1 *Timoth.* 6. *v.* 9. cum *Hebr.* 13. *v.* 5. minime omnium Viris ecclesiasticis.

IV. *Quæst. An legata, donationes inter vivos, spontaneæ oblationes recipiendæ: aut collectæ, & legata, necessitate atque occasione ita ferente, exspectandæ, ac directè aut indirectè petendæ ab Idololatris, aliisque à religione & Ecclesiâ nostrâ alienis? Resp.* Quidni? Neque enim fides nostra violatur, aut conscientia polluitur, aliorum intentione, cultu, sensu. Cujuscunque religionis sensu quis imbutus sit, quocunque animo & modo, quacunque intentione hoc agat, hujus actus sui, ille, non Ecclesia nostra, rationem reddet Deo: justè tamen acquirit & possidet Ecclesia, quæ scorias ab auro, malum à bono separat, & legitimo ac reformato modo dona hæc accipit, & in usus Paupertum impendit. Mundis omnia munda *Tit.* 1. *v.* 15. Quidquid venditur in macello, &c. 1 *Corinth.* 10. *v.* 25. Qui bona illa accipit, & in veros Pauperes distribuit, & Pauperes qui iisdem in domino utuntur, fruuntur, *domino edunt, gratias enim agunt Deo* Rom. 14. v. 6. cum *gratiarum actione sumuntur: sanctificantur enim verbo & precibus* 1 Timoth. 4. Ex Pontificiis aliqui negant recipienda esse, quę ab hæreticis offeruntur.

V. *Quæst. An recipiendæ oblationes eorum de quibus constat, aut saltem validè præsumitur, quod bona sua vel omnia, vel maximâ, vel aliquâ ex parte acquisiverint, per pyraticam, aliasque iniquas predationes, per mordentes usuras, per simonias, per sacrilegia, per peculatus, per ministeria idololatrica, aliosque modos legi divinæ repugnantes? Resp.* distinguendum inter dantes, & inter Ecclesias seu Diaconos recipientes. *Dantes* bonâ conscientiâ de malè quęsitis Eleemosynas largiri non possunt; sed ea restituere tenentur: nisi ad restituendum ex aliis suis bonis justè quæsitis idonei & parati sint. De quo communiter *Scholastici ad* 4. *Dist.* 15. inter eos *Gabr. Biel, & ad Thomæ* 22. *qu.* 32. *Casuistæ in voce Eleemosyna*; qui tamen excipiunt casum necessitatis; sic *Biel concl.* 3. Et bona acquisita cum onere restituendi, sed non eī qui amisit: sic potest *quis Ecclesiæ aut Pauperibus Eleemosynam dare ex acquisitis per simoniam, per ludum vetitum; per subversionem judicii*, &c. Thom. 22. qu. 32. artic. 7. & cum eo *ibid. Cajetanus, Sylvius, Malderus;* & recentiores Casuistæ *Azorius, Toletus, Laymam, Bonacina, Reginaldus, Filiucius, Basseus.* Excipiunt etiam, quod is qui non habet unde possit ex propriis bonis necessitatem Pauperis sublevare, *possit aliena capere, ad sublevandam extremam Pauperis necessitatem.* Sic *Toletus, Sa, Basseus.* Denique excipiunt, quod *de bonis turpiter* „ *acquisitis possit fieri Eleemosyna, quoties turpitudo est, ob circumstantiam ac-* „ *cidentalem actionis, ut ex meretricio, vel homicidio patrato*, vel sententiâ in- „ justâ prolatâ: quia talium rerum acquiritur dominium justè, etiamsi actio,

per

„per quam acquiritur mala ſit; licet cavendum ſit ſcandalum, ne Deo obla-
„tiones fiant de acquiſitis per meretricium. Hæc formalia recentiſſ. caſuiſtæ *Baßai.* Sed meminiſſe debeat, quæri de juſtâ bonorum acquiſitione in foro poli ſeu conſcientiæ, non in foro ſoli (Romano-Papali ſcil.), ubi meretricium ipſis jure permiſſum eſt, uti determinat *Navarrus.* De quâ neglectâ diſtinctione, & Caſuiſtarum μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, nos alibi. *Eccleſiæ aut Diaconi* recipere poſſunt oblata, donata, legata ab iis, quos nôrunt, aut non vanè ſuſpicantur injuſtè (in foro poli) omnia, aut plurima, aut aliqua acquiſiviſſe. His tamen in caſibus. *Primus* eſt, ſi reſipiſcentiam profiteantur, & animum reſtituendi, quamvis nunc non reſtituant; quod aut non ſint, aut ab ipſis, adhibitâ omni diligentiâ, cognoſci nequeant, quibus reſtitutio facienda. *Secundus caſus* eſt, ſi actu reſtituerunt, aut nunc ſimul reſtituant. *Tertius caſus* eſt, ſi in foro ſoli juſtè poſſideant, quæ poſſident. Objiciat forte quis ex lege *Deuter.* 23. *v.* 18. de non offerendo pretio Meretricum & canum. Sed præceptum illud inter ceremonialia numerari ſolet, ab iis, qui catalogos legum Moſaicarum contexunt, Beza, A Lapide, &c. Unde non in ſpecie, ſed ſecundum analogiam quam, inferre licet, non eſſe à quoquam indigna Deo offerenda. Deinde verba textus לֹא תָבִיא, id eſt, *non introduces donum Meretricis & pretium canis in domum Domini Dei tui in omni voto tuo*, prohibent oblationem votivam ſeu ex voto: nos vero hic agimus de receptione oblati. Idque etiam patet ex verbis ſequentibus: *quia ambo illi abominatio Jehovæ.* Meritoriæ enim & meritorii, quamdiu tales, cum omnibus votis, precibus, oblationibus ſuis ſunt abominationi apud Deum. *Quartus caſus* eſt, quando Eccleſiæ aut Diaconi, offerentes ſeu, dantes, eorumque ſtatum, qualitates, actiones definitè non nôrunt: ita ut ex mercede Bileamiticâ, aut meretriciâ, aut ex iis, quæ heri aut nudiuſtertius furati, prædati, fœnerati ſunt, Pauperibus quid impartiri poſſent. Hæc ſi recipiant Eccleſiæ aut Diaconi, non ſunt habendi pro ſociis Furum: cum ignorantia eos excuſet. Qui enim in concionibus, à quibus nulli homines excluduntur, in nuptiarum ſolennibus, in concionibus funebribus, in diverſoriis publicis ab Hoſpitibus & Peregrinis, in contractibus emtionum, permutationum, locationum, &c. collectas ſuas faciunt, aut fieri curant, (uti experientia docet, & hoc ſuadet *Zepperus Lib. I. Politiæ eccleſ. cap. 26.*), quomodo ſcire poterunt, à quâ manu, & ex quibus bonis Eleemolynæ conferantur. In V. T. ſpontaneæ & votivæ oblationes à Sacerdotibus jubente Deo, *Numer.* 18. *v.* 11. 14. *Levit.* 10. *v.* 14. 15. & nummi injecti in gazophylacium 2 *Reg.* 12. *v.* 9. *Marc.* 12. *v.* 41. ab Eccleſiâ recipiebantur; & *dona Dei* vocantur *Luc.* 21. *v.* 4. quamvis certi non eſſent, de juſtè acquiſitis omnium donantium bonis. Adde, quod etiam juſtorum & bonæ fidei poſſeſſorum divitiæ à Parentibus & Avis reli-

Digitized by Google

ctæ non rarò per fraudes, uſuras, rapinas, injuſtos contractus partæ ſunt, juxta vulgatum illud, citatum ab Hieronymo Epiſt. 150. ad Hedibiam: *Omnis Dives, aut iniquus eſt, aut iniqui Hæres.* Et tamen Diaconi, aliaque Pauperum Curatores ab iis Eleemoſynas & opima legata juſte recipiunt, *nihil interrogantes propter conſcientiam.* Si neſciant hoc dantes, nulla etiam ipſorum culpa eſt: ſin ſciant, ipſorum conſcientia obligatur ad reſtitutionem. Sunt qui huic rei probandę adducunt Luc. 16. v. 9. *facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis*, &c. Sed epithetum illud *iniquitatis* aliter exponi poteſt, quam de dantis injuſtâ acquiſitione. Præterea quæſtio noſtra eſt de juſtitiâ aut injuſtitiâ Pauperum aut Curatorum ex injuſtè partis oblatas Eleemoſynas recipientium. Qui ſcire non poſſunt, nec perveſtigare tenentur omnium dantium majores eorumque actiones, per tot ſæculorum decurſus, vel uſque ad arcam Noachi.

V. *Queſt. An recipienda aut retinenda ſint bona Pauperibus donata, de quibus certò conſtat, quod in nomine & intuitu Idolorum olim oblata ſint, immo & ipſius Diaboli? Reſp.* Certum eſt apud Gentiles antiquos, & hodiernos, bona quamplurima fundata eſſe, & etiamnum fundari, in uſus Pauperum, & quidem in nomine & cultu Idolorum, & Dæmonum: talem enim omnem eorum cultum eſſe ſive directè, ſive indirectè & interpretative, oſtenſum eſt 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Gentiliſmo.* In ἀκμῇ antichriſtianiſmi, & ſub novitate Papatus, jàm inde à ſæculo 12. uſque in hunc diem, plurima, ſi non pleraque, bona Pauperibus ad quotidianas diſtributiones, & ad piarum domuum erectionem ac ſuſtentationem donata ſunt, ſub invocatione, patronatu, & titulo Sanctorum, & ad ſatisfactionem pro peccatis donantium, ad ſuffragia & preces pro animabus in purgatorio. Quęritur ergo, an vitium & modus vitioſus Donantium, ita polluat hæc dona, ut reſpectu Pauperum & Curatorum reformatam religionem amplexorum omnia hęc dona ſint & debeant haberi ἄδωρα, bonâ conſciéntiâ & juſtè à Pauperibus eorumque Curatoribus nec recipienda, nec poſſidenda, nec retinenda, nec utenda? ſed in alios aliorum uſus, Ditiorum ſcil., ſeu quorumcunque pauperum primùm occupantium convertenda, aut prædę cujuſlibet relinquenda, ac pro deſertis habenda? Ubi facilis eſt reſponſio, operis iſtius vitium aut pollutionem juſtè & bonâ conſcientiâ recipientibus atque utentibus Pauperibus imputandam non eſſe; ſed Donantibus: nec operis aut actionis tranſeuntis inquinationem ſpiritualem ſubjectivè & perpetuo inhærere aut adhærere fundis, domibus, ſupellectili, nummis, juſtè olim non tamen ſine tali vitio (in foro ſcil. conſcientiæ ſeu poli) olim donatis. Quocunque enim animo, quocunque intuitu, quis donet eleemoſynas, nihil hoc ad conſcientiam accipientium, verè pauperum. Sicuti effectu veræ prædicationis euangelii

utuntur

utuntur fruuntur Auditores, quamvis forte prædicans non sine pollutâ conscientiâ, malo animo, & mala intentione prædicet, *Philipp. 1. v. 15-19.*: sic reditibus Eleemosynariis Pauperes, quamvis tali modo fundatis. *Mundis enim omnia munda*, &c. Ipsi reditus donatos accipiunt; modum vitiosum in donatione olim commissum nec probant, nec recipiunt; nec recipere possunt; nisi approbando, aut imitando se peccati illius faciant participes. Quia origo rei non est res ipsa, nec modus originis est de essentiâ rei ortæ.

De quarto.

1. *Quæst. An bona, in usum Pauperum collata, erogari possint in non pauperes* h.e. *divites, aut mediocris fortunæ homines? Resp.* Sunt Divites, ignavi, aut saltem non indigentes, qui proprio pane vesci queunt: sunt etiam malè feritati, ignavi, validi mendicantes, frugalitatis, & parsimoniæ hostes, prodigi, helluones, lurcones, bibones: sunt insuper aliquo in casu indigentes, non tamen Pauperes, qui ex Eleemosynis sustentari debeant. In nullos istorum Eleemosynas erogandas putamus: excepto casu extremæ necessitatis, in quos si ignavi, otiosi, prodigales, lurcones, &c. suâ culpâ incidant, in præsenti statu famis, nuditatis, morbi non sunt deserendi. Nequè enim potestatis & muneris Diaconorum est, aliquem fame pœnaliter occidere: sed potius in extremâ illâ necessitate ejusdem misereri; ut ut indignum se præstiterit. *Estote ergo misericordes prout & pater vester misericors est.* Luc. 6. v. 36. cum *Math. 5. v. 45.* Magistratui relinquendum est, ut validos mendicantes, prodigos, inutilia terræ pondera, bono publico coërceat. Veri pauperes sunt, qui præ senio, aut animi corporisve defectu, aut opprimente subitâ, perpetuâve calamitate, suo pane vesci nequeunt.

II. *Quæst. An ecclesiasticæ Eleemosynæ tantum erogandæ in membra Ecclesiæ? Resp. Affi.* ubi per alios Eleemosynarios omnibus extra Ecclesiam ritè prospectum est. Secus, si non prospectum sit. Ita in Vicis, Oppidis, & Civitatibus quibusdam quotidiana Eleemosynarum in quosvis Cives & incolas distributio solis Ecclesiæ Diaconis committitur. Quibus propterea, præter collectas in Ecclesiâ, aliæ in diversoriis, contractibus, mulctis pecuniariis, cum supplementis ex ærario & vectigalibus Reipublicæ assignantur. In Hollandiâ ex pretio redemtionis publicorum vectigalium, & decimarum ac prædiorum ad dominia comitatus spectantium, seni oboli ex singulis flor. in Ministrorum stipendia, & bini in Eleemosynas Pauperum perpetuâ lege penduntur. Ubi autem promiscuè quosvis pauperes loci incolas curat Ecclesia, non oblivisciturr tamen monitionis apostolicæ: *simus beneficii erga omnes, maximè vero erga domesticos fidei.* Galat. 6. v. 10.

III. *Quæst. An etiam in Peregrinos, domi in patriâ, aut foris in exilio, cum inopiâ conflictantes? Resp. Affi.* 1. *Quia* Deus specialiter Peregrinos & extor-

Digitized by Google

res beneficentiæ fidelium commendavit. *Levitic.* 19. *v.* 10. & 22. ubi Pauperibus & Peregrinis aliqua de vindemiâ & *messe relinqui præcipit.* Confer *cap.* 25. *cap.* 35. 47. Jesa. 58. v. 7. *& Pauperes ejectos introducas domum*, &c. *& à carne tuâ non abscondas te.* 2. *Quia* Christus *Matth.* 25. *v.* 35. benignitatem peregrinis, tanquam sibi præstitam novissimo die profitebitur, & remuneraturus est. 3. *Quia*, Peregrinus, Frater noster est & ejusdem fidei consors: ergo vi communionis Sanctorum (confer & repere hic *Locum comm. de Communione Sanctorum*) illi succurrendum est. Sin à fide alienus, carni nostræ & proximo non possumus nos *abscondere*, *Jesa.* 58. *v.* 7. Quod etiam Servator inculcare voluit, parabolâ de Samaritano *Luc.* 10. 4. *Quia* similis conditio nostra nos monet, ut memores simus Peregrinorum, tanquam ipsi Peregrini. Peregrinus ego sum in terrâ, &c. *Ps.* 119. *v.* 19. *sese professi peregrinos & advenas esse in terrâ.* Hebr. 11. v. 13. *& scimus nos, dum ad sumus in corpore, peregre abesse à Domino.* 2 Corinth. 5. v. 6. 5. *Quia* collectæ in Ecclesiâ apostolicâ, pro Peregrinis, sed fidei communione Fratribus, factæ sunt *Rom.* 15. *v.* 25. 26. 2 *Corinth.* 8. 6. *Quia* virtus hospitalitis tantopere commendata *Hebr.* 13. proprie versatur circa peregrinos. De quâ §. *proximè sequ.*

IV. *Quæst. An Captivi, deportati, ad metalla aut ad remos damnati Eleemosynis sublevandi? Resp.* Omnino Math. 25. v. 36. *in carcere eram*, &c. Hebr. 13. v. 3. *memores estote captivorum*, &c. Apostolus prædicat liberalitatem Philippensium erga se captivum *Philipp.* 4. *v.* 10 - 15. *Justinus Martyr in Apolog. ad Antoninum Pium* agenda in conventibus Christianorum describens ait: „ Cæterum, qui copiosiores sunt (οἱ ἐυπορῦντες) & volunt, pro ar„ bitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt: & quod ita colligitur „ apud præpositum deponitur: atque ille inde opitulatur Pupillis & Viduis, „ & his qui propter morbum aut aliquam aliam causam egent, quique in „ vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus. Et ex Justino, ut videtur, *Tertullianus in Apolog. cap.* 39.

„ Etiam si quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redemptæ „ religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel „ cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo com„ pellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde „ non epulis, nec potaculis, nec in gratiis voratrinis dispensatur, sed egenis „ alendis, humandisque, & pueris, ac puellis re ac parentibus destitutis, „ jamque domesticis senibus. Item naufragis, & si qui in metallis, & si qui „ in insulis, vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectę, alumni confessio„ nis suæ fiunt. Sed ejusmodi vel maxime dilectionis operatio notam no„ bis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant. Ipsi enim in-

Digitized by Google

„invicem oderunt, & ut pro alterutro mori ſint parati. Ipſi enim ad occi-„dendum alterutrum paratiores erunt.

Lucianus in ſuo Peregrino ſanc Fidelium in captivos Fratres beneficentiam ridens refert Proteo ſua Chriſtianam fidem ad tempus ſecuto, ac propterea in carcerem conjecto inter alia caritatis & obſequii officia *omnis generis cœnas varias fuiſſe allatas*; quin etiam ex Aſiæ pleriſque Urbibus quoſdam adveniſſe auxilium laturos, *Chriſtianis mittentibus ex publico, neque non collocuturos & Virum conſolaturos. Incredibile vero eſt*, inquit, *quantum ſtudium & celeritatem in hoc oſtendant, ſi quid tale vulgo innotuerit. Proinde, Peregrino quoque multa tunc opes ab illis mittebantur, ſub vinculorum prætextu, nec vulgarium rerum proventum lucrifaciebat.*

De quinto.

I. *Quæſt. An Eleemoſynarum per Diaconos diſpenſatio palam, an vero clam fieri conveniat? Reſp.* Si textus Math. 6. v. 1 - 5. *Attendite ne juſtitiam veſtram*, &c. huc applicandus ſit, poſterior modus omnino affectandus eſt. Sed quia ibidem agitur de Eleemoſynâ Privatorum, non de communi ſeu publicâ Eccleſiæ; & quia in frequentioribus Eccleſiis ac Civitatibus clancularia hæc diſpenſatio ſemper obſervari non poteſt: annitendum eſt Diaconis, ut ſaltem in diſtributionibus extraordinariis & incidentibus (quâ quis indigens ſemel atque iterum forte fruitur) clancularià manu & largè largiantur: in ordinariis vero & quotidianis fratrum ſuorum verecundiæ & exiſtimationi pro viribus ſic conſulant, prout ſuę, ſi iſtic eſſent, conſuli vellent. Quomodo autem circa hos aut illos Pauperes hic & nunc, illud potiſſimum agendum ſit, prudentiæ cujuſque relinquitur. In Eccleſiis clandeſtinis, exactè hic modus agendi obſervari poteſt: proxime ad illas accedunt Eccleſię publicæ, ſed infrequentes; quales pleræque in Vicis & Oppidis. Non videtur carere oſtentatione, aut ſaltem ſpecie ejus, quod legatæ olim ſub Papatu Eleemoſynæ, in publicis Templis, quæ teſtatoribus illis parochialia fuerunt & in quibus ſepulti ſunt, diebus dominicis, aut aliis in Kalendario Romano feſtivis, aut diebus anniverſariis (quibus memoria defuncti & publica pro animâ ipſius ſuffragia celebrari ſolent), ante oculos omnium diſtribuuntur. Fateor equidem, cum Hęredes & Præfecti iſtius ſtatæ ac recurrentis diſtributionis, & ſimul Pauperes accipientes à religione & Eccleſiâ noſtrâ alieni ſunt, non tam propè curam hanc nos tangere; negandum tamen non eſt, quin tangat. Ne dicam, nondum conſtare nobis, omnes & diſtribuentes & accipientes eſſe irreformatos, aut irreformabiles. Hunc morem non habent noſtri Diſpenſatores; qui domeſticis fidei, præſertim qui ſemel atque iterum, aut ſaltem ad tempus aliquod, durante hac aut illâ calamitate, ſubſidiis indigent, vel domi ſuæ vel domi ipſorum, & vel in tenebris, ſaltem abſque Arbitris,

Digitized by Google

bitris, Teſtibus, Spectatoribus, per ſe, aut per alios (ut tantò magis occultari poſſit) neceſſaria ſuppeditant.

II. *Quæſt. An ſolis diſtributionibus quotidianis, aut hebdomadariis, ſeu pane dimenſi quotidiani Pauperes alendi ſint: ut perpetuò in diem vivant? an vero ultra ſic juvandi, ut ſemel emergere, & ab Eleemoſynâ eximi queant? Reſp.* Prius abſolutè eſt neceſſarium: poſterius ex hypotheſi; ſiquidem Diaconis ſupperent ſufficientes reditus. Medici quotidie omnibus Ægrotis ſuis medicantur, (exceptis iis, quibus ſublevandis non niſi curam palliativam adhibere poſſunt), non ut in eodem ſtatu ſub illâ medicatione detineantur, ſed ut reſtituti ab eâ eximantur. Eleemoſyna eſt opus miſericordiæ; miſericordia autem verſatur circa proximi miſeriam leniendam, aut planè tollendam, ſi fieri poſſit. Species miſeriæ eſt paupertas. Ab omnis generis miſeriis tum animi tum corporis proximum liberare ſtudemus, e. gr. ab omni errore in fide, ab quocunque peccato & ſcandalo, ab omni morbo, vulnere, dolore, ab omni injuſtâ perſecutione, ab omni injuriâ, & quidni à paupertate? quidni ſic damus, ut ſemel Eccleſia à dando, & Pauper ab accipiendo liberari poſſit? Cur hoc agimus & intendimus in omni Eleemoſyna ſpirituali, hoc verſiculo comprehensâ: *Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora?* & in ſolâ hâc corporali negligimus? Sunt qui putant, non eſſe ultra juvandum, niſi pane neceſſario, in extremâ neceſſitate, ne ſcil. moriatur fame. Sed hoc repugnat illi principio. *Quæcunque igitur volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis*, Math. 7 v. 12. Excipiat quis, *Except.* 1. Non eſſe Pauperes ab Eccleſiâ aut Diaconis, in otio & rerum abundantiâ fovendos, aut ad æqualem ſtatum cum Divitibus evehendos. *Reſp.* Sic eſt: nec contrarium ex noſtrâ ſententiâ ſequitur: *Aliud* eſt liberare eos paupertate & neceſſitate Eleemoſynariâ, ut res ſuas agere, manibus ſuis, quod bonum eſt, operari, & proprio pane in poſterum veſci queant: 2 *Theſſ.* 3. *v.* 10-13. *Epheſ.* 4. *v.* 28. & *aliud* eos ditare, iiſque ditiorum otia facere. Præterea *aliud* eſt ſtatus mediocris, cum quis juxta cum aliis Quiritibus acquirit ad familiam honeſtè alendam, & in futurum quid reponendum: & *aliud* ſtatus tenuis, in quo extra paupertatem eleemoſynariam conſtituti ea acquirunt, quibus juxta cum aliis operariis, & viris infimæ plebis familiam ſuam frugaliter ſuſtentare queant. Ad poſteriorum ſtatum *tenuiorum* ſcil. ex ſtatu *pauperum* ſi eos traducere queant Eccleſiæ aut Diaconi, jam munere ſuo functi ſunt; nec ex vi & conſcientiâ muneris, ulterius eoſdem provehere tenentur; quia curæ eorum non amplius ſubſunt, nec Eleemoſynæ & collectæ eccleſiaſticę in ulteriorem finem datę ſunt. *Solum ut Pauperum meminiſſemus: quod & ipſum ſtudui facere*, Galat. 2. v. 10. Jam vero *pauperes* dicendi non ſunt, qui proprio pane veſcuntur: uti ex Proverb. 30. v. 8. colligitur: *paupertatem & divitias*

ne

Digitized by Google

ne des mihi : ale me cibo dimensi mei. In Scripturâ tales dicuntur Jerem. 52. v. 15. *tenuitates populi, tenues, in populo* דלות העם Et Levitic. 12. v. 8. & 14. 21. 22. דל *tenuis*, describitur, *cujus manus non assequitur*, ut tantum sacrificium offerat. Hujus ordinis erant Josephus & Maria *Luc.* 2 *v.* 24: non tamen Pauperes ex Eleemosynis viventes aut Mendici; uti nec Christus Eleemosynis domi ipsorum educatus est. Quod enim postea munere suo fungens receperit quid à Fidelibus *Luc.* 8. *v.* 3. illud non fuit Eleemosyna (uti hoc velint mendicitatis monachalis Defensores), sed justa merces operarii *Luc.* 10. *v.* 7. cum *Galat.* 6. *v.* 6. 7. 1 *Cor.* 9. *v.* 4 - 13. *Except.* 2. Non videmus quo ordine & modo Pauperes Eleemosynis sic juvari possint, ut ab iis eximantur? *Resp.* 1. *Si* largius, ad aliquod tempus, iis distribuatur: & si etiam præter Eleemosynas, summula aliqua mutuò detur, ab ipsis frustulatim sive ex hebdomariâ, quam percipiunt, distributione, sive post exemtionem ab eâ, successive restituenda. 3. *si* precarium aliquod (uti vocant) ipsis concedatur. Sunt ergo hæc tria remedia, largior Eleemosyna & quasi extraordinarium augmentum, sed πρόσκαιρον; mutuum; precarium. De quibus *Quæst. sequ.* *Except.* 3. Atqui Pauperibus nec solertia, nec manus expedita, nec prudentia, nec animus adest, iis remediis rectè utendi ad finem propositum? *Resp.* Fateor omnibus, forte plerisque non adesse: ideo discretione opus est, quali in Servis, Ancillis, Operariis, Mercenariis, Colonis, Nuntiis, seligendis uti solemus. Non desunt inter Pauperes, generosa ingenia, bonæ mentes, devota pectora, qui nunc non emergunt, quod ipsorum virtutibus obstet res angusta domi. Ii exemplo Patris cœlestis (*Psal.* 113. *v.* 7.) erigendi sunt è pulvere, & è sterquiliniis elevandi. *Except.* 4. Ad opus hoc, quamvis in se laudabile, non suppetunt media? *Resp.* De quibusdam Ecclesiis, admodum tenuibus, & multitudine Pauperum gravatis, facile concedo: Et hic obtineant illæ regulæ: *necessitas non fert legem*; Et, *ultra possibile nemo obligatur.* Nec nego, de omnibus Ecclesiis & Civitatibus frequentissimis, ad quas undique Pauperes, tanquam formicæ ad horrea, confluunt. In iis tamen subsidia, si quæ partim ex bonis ecclesiasticis, partim ex ærario Reipublicæ suppeditarentur, aliquid forte efficere possent. Sed his missis, non dubito, quin in clandestinis, & in minoribus Ecclesiis, ut & in Oppidis, ac Vicis (ubi omnes unius in religione sensus, unius labii sunt), tale quid in praxin facile deduci possit; immo & facillimè, ubi paucissimi aut vix ulli sunt Pauperes, ordinariò alendi; ubi consequenter ex quotidianis ac perpetuis pietatis depositis, reposita assiduò augentur. Tentandum est, & eundum quo possumus: Deus facientes adjuvat.

III. *Quæst. An per solas Eleemosynas propriè sic dictas Pauperes ab Ecclesiâ aut Diaconis juvandi sint; an insuper per mutuum gratuitum? Resp. Aff. poster.*

Digitized by Google

idque tam Pauperum quorundam, quam Ecclesiæ rationes requirunt. *Illi* in præsenti aliquâ necessitate, aut ad opificium, aut quamcunq; vitæ occupationem inchoandam aut difficilibus temporibus continuandam, majori subsidio indigent; non eleemosynario, sed solummodo mutuatitio: cujus restitutionem cum Deo intendunt & sperant. *Ista* autem, si rationes accepti & expensi ineat, & aliquam æqualitatem in distributione servare velit, non censet tantam Eleemosynam simul & semel in unum conferre posse. Proximum ergo est, ut mutuo gratuito illi succurrat, intra annum aut sesquiannum, biennium aut quodcunque aliud præfixum tempus partitim restituendo: sive ex eo quod per Dei benedictionem labore suo lucratur, sive ex distributionis ordinariæ dimensio: *Excipiat* quis, quæ spes, quæ certitudo, saltem moralis, restitutionis; si nulla interveniat hypotheca, nulla fidejussio? *Resp.* 1. *Omnibus* Pauperibus promiscuè sive petentibus sive non petentibus mutuo non dabunt; sed illis solis, quos industrios, fidos, rerum suarum satagentes, nôrunt; & cum successu aliquo juvari posse, haut vanè sperant. *Resp.* 2. Non deerunt forte Fidejussores ex Amicis, Fautoribus, Benefactoribus. Quod si omnino nulli sint, hypothecam præstabit dimensum distributionis, quod est in manibus Diaconorum; unde pro arbitrio frustillatim sibi, hoc est, ærario ecclesiastico restituant. *Instantia*: Hoc quidem aliquid est, sed quid si subito, aut saltem ante præstitam restitutionem vivere desinat, unde tunc ea exspectanda? *Resp.* ex distractis reculis, quas defunctus reliquit; quasque Diaconi ordinariò tanquam Hæredes eorum qui ex Eleemosynis vixerunt ærario suo in solidum vindicare solent. Quodcunque periculum hic subeant, & quamcunque jacturam tali in casu aliquando facere videantur: præstat saltem hoc fieri, quam tales Pauperes à trapeziticis Fœneratoribus assiduò exsugi, & per latus eorum Diaconos, aliosque Eleemosynarios; quorum non exigua stipis eleemosynariæ pars in redemtionem pignorum antehac, ipsis partim conscius partim nescius, impendi solet. Quantum ista Trapezitarum pragmatia Pauperibus & attenuatis depauperandis & attenuandis valere queat, ostendunt *Querelæ & Petitiones Synodorum in Belgio fœderato* toties totiesque repetitæ. Quas exhibitas, & vindicatas vide in Nostræ Facultatis theologicæ *Re judicatâ*, *aliisque Scriptis supra pag. 779. indicatis.* Erunt forte Decreta illa synodalia, cum Scriptis apologeticis in latinum sermonem transferenda, ut universus orbis Christianus videat, quantum à Prædecessoribus nostris, & à præsentibus, qui eorum vestigia premunt, laboratum sit, ne Pauperes & tenues in perpetuum exhauriantur, nec religio & Ecclesia nostra maculis usurariis contaminetur. Quod si genuini *montes pietatis*, mensæ mutui gratuiti publicâ Principum & Magistratuum autoritate oppidatim constituerentur: à magnâ onerum ac molestiarum parte Diaconi aliique

Digitized by Google

que Eleemosynarii ilico se liberatos viderent. De expensis, ad hoc opus necessariis non ita desperandum esset: siquidem ea partim ex Collegiorum, & privatorum quorumcunque donationibus, partim ex piis legatis, partim ex extraordinariis ad id indictis collectis, partim ex ærario Reipublicæ, partim ex reditibus, quæ superstant, ecclesiasticis, præsertim iis quę sub manibus Principum ac Magistratuum, Quæstorumque ab iis constitutorum in separata ærariа inferri, atque inde dispensari solent. Sed de hoc nunc in transitu: alibi ex professo pluribus.

IV. *Quæst. An Ecclesia & Diaconi solummodo auxiliari tenentur iis, quorum paupertas, jam in propatulo est, & clamat, qui prolapsi & planè exuti jacent; aut qui paupertatem suam profitentur, & apertè auxilia petunt: an etiam attenuatis, & jam jam in paupertatem eleemosynariam tuituris? Resp. Affir. Poster.* Si privati quique Fideles tenentur Fratrum attenuatorum manum vacillantem confirmare, *Levitic.* 25. *v.* 35. etiam Diaconi tenentur. Præstat subsidio aliquo lapsum prevenire, quam in lapsu sustentare, aut ex eo erigere. Facilius & tutius morbum minantem prevenire, quam erumpentem curare; vestem teri & rumpi cœptam sarcire & interpolare, quam abjectionem ejus & nuditatem exspectare. Conqueritur forte quis de Diaconorum re angustâ; quęret quomodo ac quibus prophylacticis tenues & attenuati, de Ecclesiâ, de quorum re familiari & proprio pane jam fere conclamatum est, à ruinâ in eleemosynariam paupertatem servari aut retrahi possint. Quantum ego rerum ecclesiasticarum statum præsentem apud Nos intueor, & jam ante multorum annorum experientia eum me edocuit, puto duorum generum esse media: alia ἐνσῶν, interna, in potestate Ecclesiæ, & ab eâdem adhibenda; alia extranea, in potestate aliorum, & per petitionem, intercessionem, commendationem Ecclesiæ, aut ejusdem Ministrorum, obtinenda. *Priora*, sunt duo, mutuum & precarium. De *mutuo* gratuito *Quæst.* proximè *præcedenti* dictum est. *Precarium* seu precaria (uti Barbarè *Canônistæ*) vel notat contractum, vel rem ipsam, quæ precariò datur. Priori modo sumtum definitur, quod sit *contractus, quo alicujus rei ecclesiasticæ usus petenti gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus.* De hoc *Canonistæ ad can. precariæ. X. qu.* 2. Quod illi invenerunt & plerumque dolosè usurpârunt, ad eludendam legem, de rebus Ecclesiæ non alienandis, nostri rectè & legitimè exercere possent: ut scil. tenuibus & paupertati eleemosynariæ proximis siquidem domos aut fundos possideant, illas gratis inhabitandas, istos gratis colendos ad tempus aliquod concedant. *Posteriora* media sunt ab aliorum potestate privata aut publicâ, extra aut præter Ecclesiam dependentia: Qualia hic apud Nos domuum aut domuncularum (340 præter propter) gratuita inhabitatio; prębendarum minorum (quas

alimentationes vocant) ex reditibus Monaſteriorum in tenuioris conditionis Virgines & Viduas viribus animi aut corporis deficientes, aut ætate provectas, aut diuturni miniſterii laboribus fractas, aut honeſtis familiis & de Republicâ aut Eccleſia bene-meritis ortas collatio. Qualia etiam ſunt Gerontodochia tum Virorum tum Fæminarum; ad quorum beneficia ſuis quibuſdam commendatis & promotis, non parum Diaconia eccleſiaſtica ſublevatur. Sunt & aliæ apud nos duæ piiſſimę donationes, ampliſſ. & doctiſſ. Virorum Buchelii & Everardi Pollionis; quarum perceptis fructibus non paucæ honeſtæ, ſed attenuatæ, familiæ à percipiendis in extremâ paupertate Eleemoſynis præſervantur. *Prior* 100. menſtruas præbendas ſex flor. per conſtitutum Quæſtorem ſub inſpectione Senatus, ex relictis bonis ſuis, in totidem honeſtas familias, numerosâ prole gravatas, ſed ex Eleemoſynis minimè victitantes erogari voluit; & quidem qualitate quâ, tanquam legitimos ſuos & teſtamentarios Hęredes. *Poſterior* domum quandam operariam ex relictis bonis ſuis ædificari curavit; inque eâ Pueros & Puellas circiter 70. quotidie in manuariis opificiis à Præfectis utriuſque ſexus exerceri, inſuper à peculiari ſuo Ludimagiſtro in arte legendi & ſcribendi inſtitui, aſſignato ſingulis certo aliquo honorario quâque hebdomade exolvendo. Et hoc quidem ille optimo conſilio, ut Pauperum & tenuiorum liberi ab illecebroſo otio, & vagâ mendicitate, & totæ familiæ ab extremâ paupertate præſervarentur. Inter opera pia Urbis Romæ (quæ *Libellis Italicis & latinis* laudari videmus), & quorundam Pontificum, Cardinalium, Procerum Romano-eccleſiaſticorum & politicorum quorundam donationes aç opima legata numerantur, dotes; quibus Puellæ tenuioris fortunæ ad honeſta conjugia promoveri, ab imminente alioquin in ſtatu conjugali, paupertate præſervari; inſidiis impurorum Nebulonum (quibus Urbs illa ſcatet, quippe *tota lupanar*, buccinante *D' Eſpenceo* Theologo Pariſienſi) ſubtrahi poſſint. Utinam opus ipſum in ſe omni laude digniſſimum, Ditiores & Potentiores inter Nos, cætera in largitionibus & legatis eleemoſynariis munificentiſſimi, magis imitarentur!

De ſexto.

I. *Quæſt. An quidquid in quotidianas atque ordinarias diſtributiones, & in extraordinaria intra aut extra Eccleſiam ſubſidia non expenditur, à Diaconis reponi poſſit, & ſic cum tempore theſaurus quis colligi? Reſp.* Quidni? cur ipſis hoc minus liceat, in gratiam Pauperum membrorum Chriſti, quam aliis quibuſcunque licitis in Republicâ Collegiis, quam domibus piis, quam privatis quibuſque Civibus & Incolis? Chriſti mandatum & exemplum fundat hic Jus divinum; *congregate quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat*, Joh. 6. v. 12. coll. cum *Math.* 14. *v.* 20. Ne quis autem excipiat reſiduum cibi reponi poſſe,

by Google

poſſe, non tamen nummos, multo minus theſauros: indicamus 2 Cor. 12. v. 14. *Non debent Filii Parentibus, ſed Parentes Filiis* θησαυρίζειν, id eſt, *theſauros recondere.* Applicatè ad oblationes ſingulorum Fidelium 1 *Cor.* 16. *v.* 2. *uniſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens ut theſaurum, quod pro Dei benignitate licuerit.* Et quidni multiplex collecta tum ordinaria tum extraordinaria ex multorum liberalibus donis, accedentibus ſpontaneis oblationibus, & opimis legatis, conflata, in theſaurum aſſurgere, ejuſdemque theſauri, poſt diſtributiones, reſiduum fideliter reponi, & in omnem neceſſitatis eventum, cuſtodiri poſſet. Adde hic Jus naturale, ac rationem, modum, finem τῆς κτήσεως & acquirendi: quæ à *Scriptoribus Oeconomicis & Politicis* paſſim explicantur: Cum quo convenit Jus civile, communiſque conſenſus & mores omnium gentium: per quæ Pauperes, eorumque Curatores nuſquàm exceptos aut excluſos videas. Si familia & domus ſine χρηματιστικῆ, id eſt, ratione acquirendi ſeu diteſcendi, ſuſtentari nequit (de quo *Philoſophus* 1. *Politicor. cap.* 8. & 9.), & Parentes Liberis adquirunt: quidni Curatores & tutores Pauperum, qui ipſis inſtar Parentum, Pauperibus acquirant; ſic tamen ut τὸ *honeſtum* & τὸ πρέπον, id eſt, *decorum* ſemper obſervetur: & aliena ſemper ſit Eccleſia ab illo vitio, quod taxat Apoſtolus 1 Timoth. 6. v. 9. *qui autem volunt ditari, inciderunt*, &c. *Ne da mihi divitias*, &c. Prov. 30. v. 8. Quod omnibus licitis Collegiis, omnibus Domibus piis (qualia Orphanotropheia, Gerontodochia, &c.) convenit, cur ſoli Eccleſiæ ſeu Diaconiæ prohibitum ſit? Quænam autem ratio acquirendi, & peculium ſuum, ſi quod ſit, augendi, potiſſimum amplectenda ſit, cuique ſecundum rerum ſtatum & circumſtantias prudenter judicandum eſt. Expediſſima & proxima inter artificiales acquirendi modos, videtur honeſta uſura; poſt hanc, emtio agrorum locandorum. Si quis artis chrematiſticę cognitionem deſiderat, is adeat *J. Pauli Felwinger* Philoſophi Altorphini *peculiarem* & eruditum *Tract.* anno 1652. Atqui hactenus de reſiduo reponendo & augendo. Nonnullis tamen illud minus probari videtur, ductis hâc ratione: Quod omnes theſauri repoſiti patent inſidiis & cupiditati hominum, qui eos quâcunque ratione attingere poſſunt: In *Hiſpaniâ*, inquit Vives, lib. 2. cap. 6:

„ Sed in Hiſpania fando de majoribus natu audiebam, eſſe multos, qui
„ cenſibus hoſpitalium in immenſum domos ſuas auxiſſent: dum ſe ac ſuos
„ pro pauperibus alerent: ædes ſuas frequentes familia facerent, hoſpitalia
„ pauperibus infrequentia, hæc ex opportunitate promptæ pecuniæ tam nu-
„ merоſæ.

„ Quocirca nec reditus poſthac emantur pauperibus, nam hoc pretextu pe-
„ cunia apud rectorem hoſpitalis detinetur, & interea, dum reditui colligi-

„ tur pecunia, dum asservatur, quoad emere liceat, pauper fame & miseria „ contabescit, ac perit.

„ Quod si magnus pecuniæ numerus apud eos sit, qui eleemosynis publi- „ citus præsunt, detrahatur ut paulo ante dixi, quod & mittatur indigen- „ tioribus locis. Nam ingens pecuniæ vis ita cupiditatem sui auget, ut eam „ tractantes ægrius ferant quicquam ex illa impartiri, quam de modica „ summa.

Resp. Hoc totum evenit per accidens malitiæ hominum: propterea nè per se necessarium, non est omittendum. Idem reditibus pastoralibus, templaribus templorum, piarum domuum, ærarii Reipublicæ, etiam thesauris privatorum accidisse, & posse accidere indubium est. Inde tamen residuum omne abjiciendum, nullumque reponendum, inferri non debet. Neque enim omnes acquirentes, ad prædicamentum Capuchinorum reduci velint, qui residuum emendicati hoc die, vesperi distribuunt; ut in crastinum nihil omnino reponatur, sed postridie de novo recentem cibum & potum mendicando colligant, unde in prandio & cœnâ saturentur.

II. *Quæst. An Diaconi partem repositi abalienare, aut etiam totum, præsente necessitate ita efflagitante, distribuere possint? Resp.* immo debent, nisi audire velint illud: *Esurivi enim & non dedistis mihi quo pescerer: sitivi & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me*, &c. Math. 25. v. 42. 43. Ipsi atque unà Antecessores, seu Inspectores ἐπισκόπους ecclesiæ, non alii loco ipsorum, Deo rationem reddent, si avaritiâ aut ambitione quâdam thesauros solummodo recondunt, & reconditos servant; dum clamores & gemitus frâtrum crudeliter desertorum ad supremæ misericordiæ thronum ascendunt. Applicent sibi hoc in casu Diaconi cum Ecclesiæ Inspectoribus, quod Jacob. 4. v. 1. 5. divitibus avaris, dicitur: *Age nunc divites, flete, ejulantes super ærumnis vestris superventuris*, &c. Duo sunt, quæ hic objici, possent.

1. *Object.* Si magna pars repositi, aut totum distribuitur: unde suppetet in posterum, quo Pauperes, in pari aut simili necessitatis casu, ali queant? *Resp.* Quævis media collectarum, legatorum, &c. conquirenda; unde distributum illud si non totum, saltem ex parte restitui possit: & à Deo exspectanda benedictio juxta promissionem: *Date & dabitur vobis, mensuram bonam, pressam, agitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum*, &c. *Luc.* 6. v 38. Et quid si distributum longo tempore recolligi nequeat, non tamen Fratres in necessitate certa & præsenti, quæ legem & moram non fert, deferendi, ob necessitatem metuendam & incertam. Dum facimus, quod tenemur facere, in providentiam divinam, quod ad futuros eventus recumbendum est. Haut aliter ac omnes Fideles docentur μὴ μεριμνᾶν, *& ne sint soliciti de*

Digitized by Google

de craſtino. Legant Diaconi, & Anteceſſores Eccleſiæ *Math.6. v.25.-34.* Et *Luc.21.v.34.* 1 *Timoth.6.* cum 1 *Petr.5.v.7.*

2. *Object.* Si Pauperibus aut Diaconis agri, aut domus, aut numeratæ pecuniæ, aut ſyngraphæ ſint legata, aut à vivis donata; ut ex fructibus eorum Pauperibus diſtribuerent: quo Jure poterunt Diaconi capitales ſummas, quamvis in extremo neceſſitatis caſu, aut totam aut ex parte diſtribuere? *Reſp.* 1. Paucas aut nullas puto eſſe donationes, quæ omnem neceſſitatis caſum ex ſerte excludant. Quod ſi tales ſint, iis reſervatis, poterit repoſitum ex quotidianis Eleemoſynis, aliiſq; ſpontaneis oblationibus, & ſyngrapharum, domuum, agrorum, à Diaconis emptorum, aut ex aliarum donationum annuis fructibus, collectum diſtribui: & ſi hoc non ſufficit, ſyngraphæ, aut agri, aut domus vendi, aut pro ſummis mutuatis hypothecari, quorum Donatores, conditionem de non alienando, ne quidem in extremo neceſſitatis caſu, non adjecerunt. *Reſp.* 2. verbis Ludovici Vivis lib. 2. de Subvent. Pauperum cap. 2.

„ Nemo de legibus conditorum cauſſificetur, inviolatæ perdurabunt, ver-
„ ba in his expendenda non ſunt, ſed æquitas, ut in contractibus bonæ fidei,
„ & voluntas, ut in teſtamentis, de qua dubium non eſt, quin ea fuerit, ut in
„ uſus quam fieri poſſit optimos, relictæ à ſe facultates diſtribuerentur, &
„ digniſſimo conſumerentur loco, per quos, aut quem admodum fieret, non
„ tam ſolliciti, quam ut fieret.

Cæterum, quam latitudinem admittant quorumvis Teſtamentorum interpretationes: ex *Jureconſultis* cognoſci poteſt. Si ergo in quibuſvis ſæcularibus negotiis & cauſis favorabiles, æquiores, benigniores interpretationes locum inveniunt; multo magis in piis: de quorum privilegiis exſtant *Jureconſultorum Libri peculiares.*

3. *Object.* Donatores aliqui intenderunt nomen & memoriam ſui hâc ratione ad poſteros tranſmittere, & ex fructibus ſui legati ſub nomine ſuo in perpetuum diſtributiones fieri. Quo fine exciderent, ſi legatum aut donatus illud in uſum Pauperum venderetur, & ſumma capitalis ſimul ac ſemel diſpenſaretur. *Reſp.* An & quid intenderint, & an rectè hoc intenderint juxta *Math.6.v.3.4.* hic non diſquiram. Quod ſi Hæredes intercedant, & talem conditionem donationi additam ſtrictè ſervari velint, poterit venditio, aut totalis ſummæ diſtributio, extremâ neceſſitate hoc exigente, fieri cum promiſſione, talis capitalis ſummæ primâ quâque occaſione recolligendæ, & reſtituendæ.

4. *Object.* Non videtur Diaconorum arbitrio & judicio tantum tribuendum, ut ipſi in caſu neceſſitatis, domos, aut fundos, aut cenſus, aut ſyngraphas vendant; & nummos inde collectos diſtribuant. *Reſp.* Quibus legi-

time

Digitized by Google

timè electis & maximè idoneis, munus illud coram totâ Ecclesiâ imponitur, illis muneris exercitium non est negandum. *Actor.6. v.* 3.6. Atqui muneris exercitium consistit in λήψει καὶ δόσει. Quod si in alterutro aut utroque aberrent, εἰς ἐπισκοπὴν in Ecclesiâ, immo & Ecclesia in & cum Antecessoribus attendent: coram quibus Diaconi rationes accepti & expensi, moribus nostris, reddere tenentur.

III. *Quæst. An bona aliqua Pauperum à Diaconis & Antecessoribus Ecclesiæ possint alienari? Resp.* In ulum cujuscunque privati non-pauperis abalienari non possunt: ut illis κλῆσις & χρῆσις eorundem concedatur. Quia in eum finem data, & acquisita non sunt. Negatur eosdem in usus proprios Diaconorum, aut Pastorum, aut Seniorum, aut eorundem Liberorum, Servorum, familiarum converti posse: nisi aliqui eorum Eleemosynis & subsidiis Pauperum necessariò juvandi essent. Quid quid secus fieret, committeretur crimen sacrilegii. Consule hic JCC. ad *novell.* 7. Quid in tenebris Papatus de bonis Pauperum factum sit, dicat Vives tract. cit. lib. 2.

„ Sed in Hispania fando de majoribus natu audiebam, esse multos, qui „ censibus hospitalium in immensum domos suas auxissent: dum se ac suos „ pro pauperibus alerent: ædes suas frequentes familia facerent, hospitalia „ pauperibus infrequentia, hæc ex opportunitate promptæ pecuniæ tam „ numerosæ.

„ Quocirca nec reditus posthac emantur pauperibus, nam hoc prætextu „ pecunia apud rectorem hospitalis detinetur, & interea, dum reditui colligi- „ tur pecunia, dum asservatur, quoad emere liceat, pauper fame & miseria „ contabescit, ac perit.

„ Quod si magnus pecuniæ numerus apud eos sit, qui eleemosynis pu- „ blicitus præsunt, detrahatur ut paulo ante dixi, quod & mittatur indigen- „ tioribus locis. Nam ingens pecuniæ vis ita cupiditatem sui auget, ut eam „ tractantes ægrius ferant quicquam ex illa impartiri, quam de modica „ summa.

Quomodo autem in usus publicos Ecclesiæ & bona Pauperum alienari possint per venditionem aut permutationem aut oppignorationem, communiter à *Jureconsultis*, *Canonistis*, *Casuistis* determinatur? Quatuor causas ab ipsis assignari solitas, sic ad Diaconias & Pauperes applicamus. *Prima* est necessitas, cum scil. nummis aliunde aut ex suo peculio mutuatis gravantur, quos ex ordinariis collectis restituere nequeunt. *Secunda* est, utilitas manifesta, ut si fundus, aut domus, aut census, aut syngrapha alienatur, ad aliam meliorem emendam. *Tertia* est, pietas, (misericordia), ad redimendos Captivos, Pauperes tempore famis alendos. *Quarta* est, sumtuositas: ut si res Diaconiæ sit sumtuosa, &c. parum utilis. Sed hæc ad secundam revocari

poteſt.

Digitized by Google

poteſt. Non incurrunt ſacrilegium ſive alienantes, ſive accipientes : neutri enim devorant ſacrum , neutri in privatos ſuos uſus bona Pauperum convertunt. Ita Præfecti Orphanotrophei, Noſocomii, Gerontodochii, redituum paſtoralium, & fabricæ templi, cum fructus terræ, aut domum quam, aut agrum, aut cenſum vendunt, ſuæ ſuorumque neceſſitati aut utilitati non conſulunt , nec nummos ex re venditâ ſibi vindicant , aut propriis ſuis uſibus impendunt, ſed ſolis uſibus piæ domus ; cui Præfecti ſunt. Qui autem fructus illos terræ, aut domos, aut agros, aut cenſus emunt, non ſunt dicendi ex Eleemoſynis vivere ; bona Pauperum, ſenum rapere , præbendas ſeu portiones eorundem accipere, pauperculi ſenecionis ſchemate & ementito titulo. *Excipitur : Except.* 1. ſi Reges, aut Princeps ita velint, jubeant: erit licitum & legitimum: ſunt enim illi Domini omnium bonorum in ſuâ Republicâ. *Reſp.* De abſolutâ poteſtate Principum , & arbitrariâ diſpoſitione circa vitam ac fortunas Subditorum Politicis & Jureconſultis commentandum relinquo. Saltem in foro conſcientiæ coram Deo iis haut licitum eſſe novi Eleemoſynas & depoſita pietatis (uti *Tertullianus* appellat) in profanos & particulares aulæ ſuæ, aut Miniſtrorum, aut otioſorum hominum non-pauperum uſus convertere. De publicis uſibus , in extremo neceſſitatis caſu , omnino excipiendum eſt : ſic tamen , ut ceſſante illâ extremâ neceſſitate , ex erario Reipublicæ, aut ex fiſco & regalibus Principis, quidquid mutuò ſumtum eſt, reſtituatur. *Except.* 2. Si Principes extranei à fide, aut etiam ſub nomine Chriſtiano , vim inferant , & ad fiſcum aut aulam ſuam, alioſve quoſvis non-pauperes transferant, aut transferre velint: quid faciendum Eccleſiæ, ejuſque Præpoſitis & Diaconis? *Reſp.* Tolerandum eſſet : veritati tamen teſtimonium, quâcunque opportunitate perhibendum, & danda Deo gloria 1 *Petr.* 3. *v.* 16. *Rom.* 10. *v.* 10. *Math.* 10. *v.* 32. 33. Exemplo nobis ſit Joh. Baptiſta, qui nulla externâ vi adhibita , ad tollendum Herodis inceſtuoſum adulterium , idem ingerebat : *Non licet tibi eam habere* Math. 14. v. 4. Ambroſius in Homil. de Baſilicis tradendis : *Volens*, inquit , *locum mihi commiſſum non deſeram : coactus repugnare non novi , arma enim noſtra preces ſunt & lachryma.* Qui tamen quæſtiones fidei & poteſtatem eccleſiaſticam Eccleſiæ vindicare non deſinebat : contendens Epiſt. 32. *ſpiritualem cauſam*, hoc eſt, *religionis, ad civile forum non eſſe trahendam , ubi profanæ controverſiæ agitantur :* Ita Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 11. §. 15. qui ibidem ait, *merito in hâc re ejus conſtantiam laudant omnes :* & paulo poſt : *obſervemus ſingularem ſancti hominis moderationem , ac prudentiam cum magnitudine animi conjunctam.* Verba Ambroſii à Calvino ibidem citata & laudata ſunt: *Si Scripturas aut vetera exempla intuemur , quis eſt qui abnuat , in causâ fidei , in causâ , in quam , fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis , non Imperatores de*

Episcopis judicare. Hæc legant imprimis qui ad novitates monstrosi Cæsareo-Pontificatus, quædam antiquitatis & Patrum suffragia advocare conantur. Adde Calvino, Lutherum aliosque magno numero *supra Lib. 1. Tract. 2. cap. 2. & 3.* indicatos. Factum Laurentii negantis thesauros Pauperum Præfecto eosdem spoliaturo indicare, ab omnibus laudatur. Vide de eo *Ambros. Lib. 1. Offic. c. 41. & 2. c. 28. Augustin. in Joh. tract. 27. & Serm. de Sanctis 3. Sermon. de Diversis* 37. 38. 111. 123. *Maximum Taurin. Serm. 1. 2. 3. Leonem Serm. 1. Chrysologum Serm.* 135. Inferunt eum martyrologiis antiquiores latini *Beda, Usuardus*, Græci in suo *Menologio;* recentiores tum Nostri, tum Pontificii: quorum superstitiosa additamenta vide apud *Baronium in Notis ad Martyrologium ad 10. Augusti.* Confer *ejusdem annales ad ann.* 324. §. 112. & 261. §. 6. 7. Ad Eleemosynas & curam Pauperum pertinet, *hospitalitas.* De quâ *Martyr Loc. cit. ubi de Eleemosynâ*, & pluribus *Aretius Part. 1. Problem. pag.* 667. Adde *Commentatores ad Hebr. 13. v. 2.* cum *Math. 25. v. 43. Jesa. 58. v. 7.* Ex Pontificiis *Peraldus in Summâ Virtutum; Petrus de Audomaro* al. de Walloncappelle Theologus Benedictinus, qui 3. *Libris Institut. monasticarum* subjunxit *tract. de Monachorum Hospitalitate.* De hospitalium juribus, ac reditibus, curâ, visitatione, quorundam privilegiis & exemptionibus, Indicis instar sit *Vallensis in Paratitlis Juris canonici lib.* 3. *tit.* 36. *cap.* 1. ubi complures alii indicantur. *Canonistæ ad can. in quâlibet* 23. *qu.* 8. Adde, si placet, *Tholosanum in Syntagm. Lib. 15. cap.* 28. Speciatim de Monachorum hospitalitate & hospitalibus, *Scriptores de Regularibus*, quales *Prosper Stellartius in Fundaminibus & Regulis omnium Ordinum monasticorum cap.* 8. qui exhibet *ibidem* excerpta Vitriaci Histor. Occident. cap. 29. & qui pluribus, ut reliqua, sic & hospitalium monachalium pragmaticam persequuntur *Rodericus in Quæst. de Regularibus, tom.* 4. qui *idem tom.* 3. refert privilegia Fratrum hospitantium (sic dictorum), in Hispaniâ. De particularium & insignium aliquot in orbe Papali hospitalium origine, confirmatione, regimine, privilegiis, plurima invenies *in Bullario Pontificum.* Nos quia apud reformatos (ubi reformatio publicè obtinet) omnia aut pleraque hospitalia ad curam Ecclesiæ & Diaconorum non pertinent, de iisdem hic pluribus agendum non putamus. Tantum monendi Diaconi, ut quandocunque Peregrini religionis nostræ consortes in publica xenodochia non recipiuntur, nec viatico aliquo sublevantur, hoc saltem curent, ne sub dio cubare, & esurire cogantur.

Ad Diaconorum munus specialiter pertinet, Fratres peregrinos, non tantum ad dies aliquot, aut ad certum tempus (donec opportuna alio discedendi, aut ad sua revertendi occasio se obtulerit), de necessariis alimentis & hospitio, sed etiam de vestibus prospicere: siquidem nuditas eorum hoc requirat.

Digitized by Google

requirat. Nulla effugia, nullæ exceptiones, nullæ deceptionès liberant conſcientias à Juris divini obligatione. Jeſa. 58. v. 7. *quum videris nudum, ut tegas eum, & à carne tuâ non abſcondas te.* Math. 25. v. 43. *Hoſpes eram & non collegiſtis me: nudus, & non amiciviſtis me.* De nuditate, & neceſſitate ejus tegendæ agitur, in *Loc. commun. tit. de Statu hominis ante lapſum, de Lapſu ejuſque conſequentibus, de Verecundiâ, Caſtitate, Simplicitate & Modeſtiâ in veſtibus ad 7. Decalogi Prac. & in Commentationibus ad Geneſ. 2. v. ult.* & 3. v. 11. *Eſaiæ* 3. 1 *Timoth.* 2. *v.* 9. 1 *Petr.* 3. *v.* 3. *Aretius Part.* 3. *Probl. pag.* 221. ubi attingit quæſtionem de nuditate neceſſariò tegenda contra Adamitas (apud *Epiphanium*), & Nudipedales (apud *Auguſtin. de Hæreſ.*) Quibus adde fanatiſmos Adamitarum in Bohemiâ *in Hiſtoriâ Æneæ Sylvii*, & Anabaptiſtarum quorundam Amſtelodami anno 1536. *Car. de Maets ὁ μακαρίτης*, Collega noſter, cum viveret *ἀοίδιμος*, in *Sylvâ Quæſtionum inſignium cap.* 12. *pag.* 105. neceſſitatem tegendi, ut & faciendæ Eleemoſynæ, lege naturæ nobis impoſitam accuratiſſimè & evidentiſſimè probavit. De ſupervacanea & vane nimis oſtentatâ pedum lotione, *ſupra Lib.* 2. *Tract.* 1. *cap.* 7. diximus; nec hic repetendum, aut quid quam addendum judicamus: cum inter opera miſericordiæ ſeu Eleemoſynas, hæc non magis numeranda ſit, quam ſpectrum aut larva, aut hominis pictura inter homines.

§. 2. Reſtare videtur cura *Agaparum:* quia illæ ſine Eleemoſyna aliqua eccleſiaſtica, non habebantur. Ditiores enim ad convivia illa conferebant, quibus Pauperes, domi nihil, aut pro numerabiles, reficiebantur, 1 *Corinth.* 11. *v.* 21. 22. Ut jam non dicam, Diaconis menſarum iſtarum curam fuiſſe commiſſam: ſiquidem locus *Actor.* 6. *v.* 2. ad menſas, quæ Pauperibus ſternebantur, extendendus ſit. Hoc reſpectu agaparum hic mentionem facimus. *Supra Lib.* 2. *Tract.* 1. *cap.* 8. *pag.* 478. & *Tract.* 3. *cap.* 3. *pag.* 570. alia occaſione eaſdem deſcripſimus.

Cap. VI.

De Agendis domeſticis, ſeu Exercitiis pietatis per familias promovendis.

§. 1. DE Exercitiis privatis tum ſolitariis tum ſociis, alibi tractatur. Hic ſolummodo eadem conſideranda ſunt, quatenus circa hortationem ad ea, eorumque directionem anteceſſorum cura & prudentia eccleſiaſtica occupatur.

De ſolitariis Exercitiis precum, lectionum, meditationum Pſalmorum tum ſtatis, tum occaſionatis nihil hic peculiariter monendum eſt: ſed tan-

Digitized by Google

tum de ſociis & ſtatis atque ordinariis, per ſingulas Fidelium familias. Revocamus ea ad 1. Scripturæ lectionem, quotannis, ſi fieri poſſit, abſolvendam. 2. Preces matutinas & veſpertinas, & ante ac poſt ſumtum cibum. 3. Pſalmodiam. 4. Concionum repetitiõnem, ad minimum diebus Dominicis obſervandam. 5. Rudium catechizationem, diebus Dominicis, aut alio quovis die, pro commoditate cujuſque familiæ, & arbitrio Patrum aut Matrum familias, inſtituendam. 6. Adde concionum prælectionem, illis in familiis, quæ perpetuis, aut frequentibus ſive publicis ſive privato-publicis concionibus iſtic loci deſtituuntur. 7. Hortationes communes aut ſpeciales, ſeorſim non numeramus: quia lectioni-Scripturæ, aut catechizationi, aut concionum prælectioni, aut earundem in templo habitarum repetitioni, cohærent, aut ſubjungi poſſunt. Extraordinariò aut peculiari occaſione ita ferente, ſi quid iſtorum agatur, aut agendum ſit, prudentię cujuſque familiæ aut Patrum Matrumve familias relinquendum eſt. Sic caſus poſſunt incidere, quibus familia vel ad preces, vel ad doxologiam & pſalmum canendum, extra ſtata tempora, ſubito convocetur: immo & rationibus cujuſque familiæ particularibus ita ferentibus, ad totius diei, aut potioris partis jejunium & ſupplicationem. Quæres qui ſint caſus, ſuadentes extraordinariam aut ſubitam precum effuſionem. Et qui caſus extraordinariam doxologiam? Reſpondeo, *illos* eſſe incendia, inundationes, hoſtium irruptiones, peſtis graſſationes, charorum & publico, aut huic familiæ apprimè utilium, repentinus obitus, aliaque publica aut privata mala θλίψεις. *In Vitâ Amiralii Colignii*, & in *Hiſtoriâ Laniena Pariſienſis* anno 1572. refertur, irruptione à Latronibus in ædes factâ, Familiares ejus repente ad terram proſtratos & ipſum Colignium lectulo levatum, præeunte Paſtore Merlino Deum ardenter precatos eſſe. *Iſti* ſunt, Reipublicæ, aut Eccleſiæ, aut totius familię, aut aliquorum de familiâ, à periculis graviſſimis miraculoſa quaſi liberatio; magnum aliquod beneficium novè & divinitus acceptum, Felix conjugium & nuptiarum ſolennitas, lętum convivium, &c. quibus Pſalmodias & doxologias optimè convenire, vel moribus & conſuetudine Noſtrorum doceri poſſumus.

§. 2. Quæritur ergo de domeſticis pietatis Exercitiis, an ea inſtituenda ſint, & inſtructione atque adhortatione tum publicâ tum privatâ in ordinariis & extraordinariis viſitationibus, Fideles ad ea excitandi? *Reſp. Aff.* Nullâ enim pars aut ſpecies exercitii domeſtici à Nobis enumerata eſt, quam Fideles juxta communem ſenſum & praxin piorum affectare non debent. De Catechizatione domeſticâ colligimus ex *Scriptoribus de Catechizatione ſupra pag.* 835. indicatis, & ex *Præfationibus Catechiſmorum, & Commentar. catecheticorum.* De domeſticis precibus, Catechizatione, lectione Scripturæ, concionum repeti-

Digitized by Google

petitione, vide *supra pag.* 835. *Consilium & Decretum Synodi Dordracenæ*: „ Quę addit *ibidem*; hujus officii Parentes omnes, apud quos admonitioni „ locus esse poterit, tum publicè in concionibus, tum privatim in ordinariâ „ ante sacram synaxin visitatione, quam aliis temporibus opportunis à Pa- „ storibus, Senioribus, & Ægrorum visitatoribus, sedulo & serio admone- „ ri debent. Si qui parentes religionem reformatam professi in hoc sancto „ officio negligentiores reperiantur, seriis Pastorum admonitionibus, & si „ res postulaverit, presbyterii reprehensionibus & censuris, ad officium re- „ vocabuntur. Privatam lectionem Scripturæ non tantum in genere, nec tantum vagam, sed ordinariam & statam commendat *Aretius Part* 3. *pag.* 543. qualem olim contuberniis seu Familiis Monachorum ad mensam in usu fuisse dicit, ejusque admodum Studiosos fuisse Hieronymum & Augustinum. Ut Reformatorum speciatim in Belgio nostro, sensum & praxin hâc in parte cognoscas, sufficere posset *Decretum Synodi Dordracenæ*, a. 1618. sess. 17. modo exhibitum. Ex abundanti tamen addo *Synodi Holland. & Zeeland.* a. 1574. *Dordraci habitæ Artic.* 51. *& Synodi Nationalis ibidem* a. 1578. *habitæ artic.* 57. ubi precum domesticarum, *debitum officium*, & *necessarius usus* prædicatur. Cæterum Lectores, qui Belgica attingunt, ablego ad insignem Tractatum *Wilh. Teellingii* tit. *Necessariæ demonstrationis*, *lib.* 5. *cap.* 5. cum *Lib.* 2. *cap.* 5. Qui cum approbatione Profess. *Leidens.* Polyandri, Riveti, Walei, Thysii, & *Francker.* Amesii, Schotani, Amama, Hachtingii a. 1627. prodiit. Ante hunc *peculiarjs Tractatus de Domesticis pietatis Exercitiis ab Arnoldo Oortcampio* pastore, cum viveret, Amisfurtensi a. 1623. cum approbatione Deputatorum Synodi Ultrajectinę editus erat. Quid multis? Etiamsi omnes hactenus tacuissent, aut etiam talia exercitia improbassent (quod minimè factum est) unicum argumentum hic sufficeret: Parentes tenentur Liberos suos *enutrire in disciplinâ & admonitione Domini* Ephes. 6. v. 4. *Et loqueris de eis* (præceptis scil. Domini) *cum sedes domi tuæ.* Atqui hoc fieri non potest, nisi statis Temporis eos instituant, doceant & faciant eosdem Deum orare, scripturam legere aut audire: non minus ac Ludimagistri, quibus incumbit artes docere, statis temporibus exercitia lectionum, repetitionum, examinum habere solent. Prętereo nunc; quæ de exemplis Abrahami *Genes.* 19. Josuæ *Jos.* 24. & de Ecclesiis domesticis ex *Rom.* 16. *v.* 5. 1 *Cor.* 16. *v.* 19. *Coloss.* 4. *v.* 15. *Philemon. v.* 2. ab aliis allata sunt. Sed multa ab ignorantibus aut negligentibus, aut tepidis, aut profanis, aut *idιοσυγκρασιαις* & pravæ æmulationis morbo laborantibus, contra hæc tantopere necessaria exercitia, objici solent, uti hoc evenit universæ praxi pietatis; & motivis, auxiliis, consiliis ad eam spectantibus. Tres enim hostes, diabolus, caro, mundus assiduò eam oppugnant.

Digitized by Google

I. *Object.* Ordo ille exercitiorum in ſingulis familiis nullo modo, aut vix poteſt ſervari; & non niſi magnâ cum difficultate: ergo non videtur urgendus, ſed cujuſque arbitrio relinquendus, tanquam aliquid adiaphorum aut nullo modo neceſſarium. *Reſp.* Atqui difficilia, quę pulchra Etiam omnia pietatis exercitia, omnia bona opera ſunt carni & carnalibus difficilia, immo & impoſſibilia; quin & ipſis ſpiritualibus, ſecundum carnem inhabitantem, difficilia, *Rom. 7. v. 14-25. Galat. 5. v. 17.* quę tamen alio reſpectu ſunt facilia. *Jugum enim meum facile eſt, & onus meum leve*, Math. 11. *v.* 30. *Et præcepta ejus gravia non ſunt.* 1 Joh. 5. v. 3. *Inſtantia* 1. Atqui non eſt præceptum Dei, ut ſtatis temporibus Pater familias cum Liberis & Famulis Ancilliſve ad preces conveniat. *Reſp.* ſupra oſtendimus eſſe præceptum Dei. Jam vero ubi rem aut actionem præcipit, tempus & locum conpræcipit: quia actio ſingularis extra ubi & quando exiſtere nequit. Quod ſi ſit unius, ab illo uno; ſi plurium ſeu ſocietatis, ab illa ſocietate, aut ejuſdem præfecto certum tempus ſtatuendum, quoties & quouſque illi viſum; idemque ejuſdem arbitrio, quotieſcunque occaſio ita ſuaſerit, mutandum. *Inſtantia* 2. Non obligamur ad ſtatas & ordinarias preces, & Scripturæ lectiones, ſive ſolitarias in occulto, ſive ſocias in familiâ: ſaltem non ad quotidianas. Totum hoc eſt adiaphorum. Sufficit agnoſcere obligationem ad aliquam precationem aut lectionem indefinitè: quoties ſcil. animus noſter & facilis occaſio hoc fert. *Reſp.* quod certo & ſtatuto tempore non fit, hoc raro, & progreſſu temporis, nunquam fiet. Experiuntur hoc homines, in negotiis & exercitiis ſæcularibus: quanto magis in ſpiritualibus. Obligari nos ad quotidianum Dei cultum internum & externum, preces, euchariſtias, lectiones, docemur 1. *ex* oratione dominicâ, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* 2. *ex* Hebr. 3. v. 13. *ſed exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus.* 3. *Ex* eo, quia incerti ſumus de craſtino. Jacob. 4. v. 14. *qui ignoratis quid futurum ſit poſtero die: vita enim veſtra vapor eſt.* Si quis ergo dies, aut hebdomadas aliquot, aut menſes negligit preces, lectiones, &c. an certus eſt, ſe ſequenti die, aut hebdomade, aut menſe defectum hunc duplici triplicive penſo compenſaturum? 4. *Ex* laudatis exemplis Sanctorum, qui quotidie Deum orabant, celebrabant, verbum ejus meditabantur: quales Anna prophetiſſa *Luc. 2. v. 37.*; David, qui תמיד, id eſt, jugiter, aſſiduò, ſemper Dei præſentiam & celebrationem affectabat, &c. profitebatur *Pſ. 71. v. 8. 16. v. 1. & 25. v. 15.* Adde characterem Viri beati Pſ. 1. v. 2. *& in lege ejus meditatur die ac nocte* 5. *Ex* eo, quia *nova ſunt miſerationes ſingulis matutinis* Threnor. 3. v. 23. *benedictus Dominus, qui quotidie onerat nos domo*, Pſ. 68. v. 20. Ergo etiam quotidie convenit nobis gratiarum actio & celebratio, pro beneficiis novè acceptis, exemplo Davidis *Pſ. 71. v. 8.* 6. *Ex* eo, quia

Digitized by Google

quia quotidie indigemus divina gratiâ, protectione, beneficentia: quod ipsis Ethnicis ignotum non fuit. Atqui Deus suam gratiam non largitur, nisi illis qui indesinentibus gemitibus eam petunt: sunt verba *Cateches. nostræ Quæst.* 116.

II. *Obiect.* Non possunt omnes Patres aut Matres familias pariter ad omnia illa exercitia observanda astringi? *Resp.* sic est. Qui enim sunt ἄπαιδες, aut non nisi lactentem habent, quique nullas Ancillas & Servos alunt: non tenentur ad domesticam rudium catechizationem; nec hoc vult *Decretum Synodi Dordracena.* Puerperæ, aut ex gravi morbo decumbentes convenire nequeunt ad preces domesticas, lectiones Scripturæ, concionum repetitiones: si tamen dilucida quædam intervalla nanciscantur, aut corporis, præsertim cerebri, constitutio hoc ferat, aliquando exercitia illa ad lectum eorum fieri possunt: sin minus, in privato Ministri & Patris familias alloquio, & decumbentium meditatione subsistendum. Sunt etiam Patres familias, qui vel nocte ad vigilias, vel summo mane ad operas suas prodeunt, vel sui juris non sunt, sed aliis inserviunt; vel totum diem publicis negotiis ita occupantur, ut vix horas cibi capiendi invenire queant, uti Christo cum discipulis hoc evenit. *Marc.* 3. *v.* 20. Nihilominus Christus suo exemplo, & typus Christi David in pace negotiis Regni, in bello negotiis militaribus occupatissimus, donuerunt nos tempus seu opportunitatem redimere *Ephes.* 5. *v.* 15. nec omnia quotidiana pietatis exercitia quasi lege scriptâ, seu consuetudine omittere aut intermittere. Servator de die occupatus sacro docendi exercitio, nocte subinde in montem secessit *Luc.* 21. *v.* 37. David à nocturnis precibus, hymnis, meditationibus, soliloquiis, conscientiæ examine non abstinuit; *Ps.* 6. *v.* 16. 42. nec etiam ab omni curâ pietatis domesticæ inter suos promovendæ *Ps.* 101. *v.* 6. 7. Tempore fugæ, & cum pii ab hostibus oppugnantur, aut hostes invadunt Urbes, aut cum incertis sedibus vagantur, cum carceribus includuntur, cum in metalli fodinis exercentur, cum terrâ marique jactantur, stata illa exercitia non ita servari posse fatemur. Hoc tamen nec studio nec negligentiâ sed magno ipsorum cum dolore evenire scimus; haut aliter ac Davidi *Ps.* 42. *v.* 5. & 84. *v.* 3. 11. & 120. *v.* 5. Nec tamen credendum, Davidem cum suis in deserto errantem, inter Philistæos delitescentem in spelunca abditum, Paulum carceri inclusum *Actor.* 16 mari jactatum *Actor.* 27. Exules Belgas temporibus Marianis ex Anglia ejectos, & mediâ hyeme circum navigantes, ut certas sedes aut saltem locum aliquem quietis invenirent (de quo exstat *Commentariolus historicus* literatiss. & nobiliss. *Joh. Wittenbovy*), non captasse tempora, si quæ haberi poterant, exercitiorum, exemplo Danielis inter infideles versantis *Daniel.* 6.; aut cupidè ad ea non rediisse sedes ubi fata quietas ostendebant; aut saltem graviter

non

Digitized by Google

non indoluiſſe; quotieſcunque καιρὸς ad ea redimere non poterant, exemplo Davidis *Pſ.* 42. & 20. & piorum in captivitate *Pſal.* 137. *v.* 1. 2. 3. Diſtinguenda ergo præcepta affirmativa à negativis: illa obligant ſemper, ſed non ad ſemper. Rurſum diſtinguenda præcepta abſoluta, & hypothetica: Hujus generis ſunt dolere cum dolentibus, tolerare hæc aut illa mala, confiteri aliis peccata, bonorum jacturam cum gaudio perferre, decertare pro fide, fugere de Civitate in Civitatem, caſtrare ſe propter Regnum cœlorum, honeſtum matrimonium captare, Epiſcopatum deſiderare, jejunium privatum aut publicum ſubire, gratis euangelium prædicare, aut in univerſum, aut ſaltem in aliquâ particulari Eccleſiâ, &c. Sicut etiam obſervanda à Fidelibus, alia in ſe & per ſe neceſſaria: alia tantum propter aliud tanquam ſine quibus non, aut ad removendum impedimentum. Alia denique neceſſaria ad eſſe, alia ad bene eſſe. Hæ diſtinctiones ſingularibus caſibus applicandæ ſunt. Concludimus, non tantum vagis & per occaſionem incidentibus (& quid ſi occaſiones illæ menſtruæ, aut annuę eſſent?) Scripturę lectionibus, precibus, catecheſibus Deum colendum, Regnum Dei in nobis aliiſque promovendum, curſum pietatis publice privatimve peragendum. Sed inſuper ſtatis, ordinariis, quotidianis, quamdiu & quotieſcunque à Fidelibus per anguſtam portam intrantibus, vim facientibus Regno cœlorum, Regnum Dei & juſtitiam ejus primò quærentibus, ὁ καιρὸς redimi poteſt. Qui ſolus in inſulam ejectus, aut ad remos Turcicos damnatus, aut ad ſervitutem in familiâ heri Muhammedani redactus eſt, nullis ſociis pietatis exercitiis, ſive domeſticis, ſive eccleſiaſticis intereſſe aut præeſſe poteſt. Ideo tamen illa contemnenda, & adiaphoris, aut problematicis annumeranda non ſunt: ut hominum negligentium ignaviam, ſecuritatem, teporem, parſimoniam & infrequentiam in appropinquatione ad Deum, adde & profanitatem, indevotionem (ita loquar) foveamus, augeamus. Audiamus potius Apoſtolum, 1 Cor. 15. v. 58. *ſtabiles eſtote, immoti, eminentes in opere Domini ſemper, quum ſciatis laborem veſtrum non eſſe inanem in Domino.* Philipp. 4. v. 8. *Quod reliquum eſt Fratres, quæcunque ſunt vera &c. hæc reputate.* Rom. 12. v. *Eſtote ſoliciti, & non pigri. Eſtote ſervientes ſpiritu. Eſtote ſervientes Domino veſtro.*

III. *Object.* Dato ſententiam hanc de exercitiis domeſticis eſſe veram; non tamen (quotieſcunque occaſio textus explicandi, aut familiam quam viſitandi, aut Patrem familias alloquendi, hoc ferre videtur), praxis ejus urgenda eſſet? *Reſp.* Quomodo, quoties, quibus ſuaſoriis, quo cum zelo urgeatur, neſcio. Hoc ſaltem ſcio, ſi non ſit novum monſtrum ἄτερ γράφας in lucem editum, aut non ſit purè adiaphorum, cujus ſuaſio libertati Chriſtianæ præjudicaret, aut non ſit ſpecies ſuperſtitionis, ſeu indirecta ſuperſtitio, aut

non

non ſit quæſtio in reformatis Eccleſiis & Scholis problematica, conſequenter ſilentio & particulari cujuſque ſenſui reſervanda, non in Eccleſiis publicè aut apud privatos fideles movenda: non video ſane, cur piè, prudenter, opportunè Fideles de eo admoneri non poſſint: cum illud paſtoribus, ſenioribus, ægrotorum conſolatoribus, exſertè imponatur à Synodo Dordracenâ Seſſ. 17. quæ ibidem addit *negligentiores Parentes, ſeriis Paſtorum admonitionibus, & ſi res, poſtulaverit, Presbyterii reprehenſionibus ac cenſuris, ad officium revocandos.* Sed iſta tunc fuere: nobis nunc non liceret exulceratis his temporibus, declinante paſſim pietate, quin etiam certatim oppugnantibus eam quamplurimis, tam diſertis eſſe. *Inſtantia* 1. adiaphorum non eſt mutandum in officium pietatis: Sed hoc eſt adiaphorum. Ergo. *Reſp.* Petitur quod eſt in quæſtione, & theſis ex ſolâ aſſerentis aſſertione atque autoritate defenditur. *Inſtantia.* 2. Sapit novitatem quam & ſingularitatem, *Reſp.* Et hic petitur principium; ac lumini communis conſenſus Reformatorum nequidquam umbra obtenditur. Infra *ad ſequ. Object.* univerſalem illum conſenſum abundè probamus. *Inſtantia.* 3. Omnes Reformati ſtata illa exercitia non obſervant; immo & nonnulli ab ἀσχολίᾳ ſuâ ad inutilitatem, aut non-neceſſitatem; à non facto ſuo ſeu non exercitio officii, ad Phariſaicam oſtentationem, & ἰθελοθρησκείαν diſcurrendo, contra eadem peremtoriè concludunt; alioſque aliter ſentientes & agentes neſcio cujus abſurdæ, periculoſæ, novæ Theologiæ ſuſpectos habent. *Reſp.* Concedo aliquos eſſe nomine Reformatos, qui hæc non tantum ſed & pleraque publica pietatis exercitia aut parum curant, aut raro frequentant. Sed quid ſi multi aut plerique alicubi declinarent; uti in populo Iſraëlitico *Pſ.* 14. & 94. &c. Quid ſi præterea aliqui ex Anteceſſoribus parati eſſent ad hæc exercitia ſi non exſuffianda, ſaltem pro viribus elevanda; an ideo auxilium conſervandæ & propagandæ veritati ac pietati utiliſſimum, deſineret tale eſſe? An conſenſus piè ſapientum, & Theologorum crucis poſtponendus eſſet unius, atque alterius novaturientis & laſcivientis ingenio & ſoli-ipſiæ? *Inſtantia* 4. Atqui quod omnes unamiter non admonent, nec etiam tanquam neceſſarium ad eſſe aut bene eſſe pietatis privatim multo minus publicè admonendum putant: de eo publicè aut privatim nihil eſſet dicendum: ne ſcil. diſſidiæ oriantur, & in contraria ſtudia Anteceſſores ſcindantur? *Reſp.* Falſiſſima conſequentia. Ergone, ſi uni atque alteri ex Doctoribus in Scholis, aut ex Anteceſſoribus in Eccleſiâ viſum fuerit quid remittere, aut in totum amittere, aut ad oppoſitam partem ejus, quod antea cum aliis tradidit, inſtar Rhotmanni Monaſterienſis (de quo Sleidanus lib. 10.) tranſire; ilico omnes alii in heliotropria ſe transformabunt; & nè gry quidem dicent aut facient ultra ea, quæ cothurno alicui hic & nunc non dicenda, non facienda, aut aliter di-

cenda ac facienda videntur? Hæc scil. erit prætensa libertas, moderatio, concordia, ἰσοψυχία; antehac ab omnibus hęreticis (quamdiu suffragiis non superarent) dolosè prætensa, ut ea aliquando everterent.

IV. *Object.* Est peculiaris quædam praxis aut consuetudo Anglica, huc traduci cœpta per aliquos, qui istic in Angliâ hoc didicerunt, aut ex Libris Anglicis illud hauserunt? Resp. Vah stupendam ἀπειρίαν! Historia est rerum gestarum scientia & narratio; non propriorum phantasmatum ἐκ μυϊάγχ τῆ ἰγκιφαλῆ fabricatio. Quorum vero Anglorum Theologiam & praxin intęlligi volunt? *Disciplinæ Genevensis Zelotarum* (uti eos Tilenus in Paręnesi ad Scotas appellat), *seu Puritanorum Genevensium* (uti Montacutius c. Appararum Baronii,) *seu præcisiorum*, (uti alii); hoc est, ex rei veritate, presbyterianorum? an vero hierarchicorum? Arbitror presbyterianos designari. Sed hoc nimis imperitè; quia nullum eorum quidquam scripsisse memini, quod per Angliam & ultra mare per universum orbem reformatum privata & domestica exercitia tam latè propagaverit, ac *Ludovicus Bailly* Episcopus Bangorienfis *libro suo de Praxi pietatis* plus quam tricies (ni fallor) recuso & in complures linguas Europeas transfuso; quem nos necessariis quibusdam notis, ad cautelam, illustravimus. Sed quid natio, quid χώρα, quid nomen autorum rei detrahet, si modo vera & bona sit? Cur non potius doctrinam & praxin de natione præjudicant, quam nationem de doctrinâ & praxi prædamnant? Præstantissimi Anglorum Theologi, non tantum textuales, dogmatici, Elenctici, quorum aliqui à me *in Præfat. ad Libellum de Lusu Aleæ* nominati, sed & practici, omni exceptione majores sunt, nec meâ defensione indigent: quales *Greenham*, *Perkinsus*, *Dearing*, *Whately*, *Nicol. Biefeld*, *Baynes*, *Willetus*, *Rogeri*, *Dykii*, *Boltonus*, *Wardus Ipswichensis*, *Joh. Downame*, *Gouge*, *Hierom*, *Staughtonus*, *Prestonus*, *Arturus Dentus*, *Sibbes*, *Eduardus Raynolds*, *Hildersham*, *Thomas Hooker*. Nemo tales contemnet, nisi qui eos non legit, aut qui ipsam praxios theoriam ignorat, aut quem praxios ἀπειρία, & mundi afflatus, si non invidię ac contentionis œstrum, à cognitione ac judicio hoc submovet: quomodo *Philosophus Ethic. Nicom.* 1. *cap.* 3. juvenem censet idoneum civilis scientiæ Auditorem non esse, quod ἄπειρος sit τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων: & quod præterea τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς sit. Ut propius φλυαρίας illas urgeam; & Autores ἀντιπαραταξίτας reddam, dicant quæso, an Theologi tum exteri tum Belgici in Synodo Dordracenâ, an Synodi provinciales Belgicæ; an Theologi Leidenses & Franekerani paulo ante à me adducti, omnes in Angliâ educati sint, aut istic studiis operam dederint, atque inde Theologiam de domesticis exercitiis in Belgium intulerint? An idem statuendum sit de Theologis Germanis, Helvetiis, Gallis, qui domesticarum precum formulas Liturgiis, Catechę-

Digitized by Google

Catecheſibus, aliiſque Precum libellis inſeruerunt? In omnibus editionibus Catecheſios Palatino-Belgicæ ſeorſim aut cum Liturgiâ & Pſalterio excuſæ, tituli tales comparent: *Chriſtianæ precationes, quarum uſus eſſe poteſt in domibus & in templis.* Sic habet prima editio Germanica Heidelbergę apud Joh. Mayer: Cui libello ex dialecto Germanicâ in Belgicam tranſlato Londino-Belgica Eccleſia a. 1563. in primi folii interiori paginâ talem titulum apposuit: *Precationes domeſticæ pro Chriſtianis Patribus familias, & eorum familiis.* Editio Antwerpiana Catecheſios Belgicæ a. 1580. à Gaſparo van der Heyden (uti indicat titulus & præfatio) *relectæ & correctæ*, formulis precationum talem præfigit titulum pag. 16. *Chriſtianæ precationes, quibus in conventibus Fidelium, in ſcholis, in Domibus Chriſtianorum, & alibi utuntur.* Editor hujus Catecheſios in Præfatione ſic loquitur: *adjunxi etiam Catechiſmo aliqua Scripturæ dicta ut Parentes & omnes pii pædotribæ moneantur, Pueris à teneris unguiculis cognitionem & timorem Dei indere, eoſque Dei invocationem docere*, &c. Privata Belgarum Scripta quamplurima huc adduci poſſent: nos in præſenti eximium illud Reformatarum in Belgio Eccleſiarum lumen *Joh. Taffinum*, inſtar aliorum complurium meritò æſtimandum putamus: qui in celebri *Libro de Emendatione vitæ*, ex gallico in Belgicum idioma operâ Joh. Crucii traducto cap. 6. Lib. 2. & cap. 4. Lib. 3. urget domeſticas quotidianas Scripturæ lectiones, & preces matutinas ac veſpertinas à Patribus familias quotidie concipiendas. *Hæc duo*, inquit, *puncta, adquorum emendationem tanto magis nobis attendendam eſt, quod incuria & tepor circa ea tam communis & damnoſus ſit.* In Germaniâ ab initio reformationis in piis quibuſque familiis, Civium, Nobilium, magnatum praxis illa frequentata fuit, antequam in Angliam reformatio ſub Eduardo VI. per evocatos & miſſos ex Germaniâ Bucerum & Martyrem introducta. Non poſſum non hic meminiſſe illuſtris cujuſdam Comitiſſę in Germaniâ ex familiâ non minus orthodoxæ religionis ſtudio ac defenſione quam natalium ſplendore celebertimâ, oriundæ; quæ quamvis Maritus religionis ſenſu & exercitiorum pietatis minimè afficeretur, quin & ſubinde eam impedire & à praxi illâ avertere tentaſſet, nunquam intermittebat illuſtri ſuę familię cum omni famulitio quotidie mane & veſperi convocatis in lectione Scripturæ & precibus matutinis ac veſpertinis præire. Doctrinam & praxin Eccleſiarum Slavonicarum unitatis Bohemicæ in Bohemiâ, Moraviâ, majori & minori Poloniâ oſtendunt *Statuta Eccleſiaſtica* a. 1633. & denuo a. 1660. edita cap. 4. *de Ordine Domeſtico Miniſtrorum*: ubi omnes domeſtici uſque ad Pueros mane ad pſalmos, preces, lectionem Scripturę convenire dicuntur, annotatis *Pſ.* 88. 14. & 119. 147. 148. & rurſum horâ pomeridianâ ſecundà ad preces, *apoſtolico* (ut ibi ſcribitur) *exemplo Actor.* 3. 1. Tandem ad Veſpertinas preces *Pſal.* 55.

Digitized by Google

18. Et ne quis putet ſolis familiis Miniſtrorum hunc exercitiorum ordinem præſcriptum aut obſervatum fuiſſe, inſpiciatur *cap. de Ordine domeſtico Auditorum Can.* 2. „ Ut cultui divino vacent omnes, matutinis, meridia-„nis, veſpertiniſque horis, ante & poſt cibum: Deum invocando, hymnos „cantando, ſacra legendo (1. *Tim.* 2. 1. & 4. 5. *Deuter.* 8. 10.)

„ *Can.* 3. Cœtus ſacros ne deſerant, ſed diligenter frequentent, ſuoſque ſe-„cum ducant (*Heb.* 10. 25.

„ *Can.* 4. Liberos & famulitium in religione piè inſtituant: Diebus do-„minicis potiſſimum, quantum quis è concionibus ſacris obſervârit, ſub „prandii & cœnæ tempus diligenter exigendo (*Deuter.* 6. 7. *Epheſ.* 6. 5.)

„ *Can.* 6. Patres & Matres familias, mundanas diſſolutiones, ebrietatem, „choreas, pejerationes, ſermones turpes, aleam, & ſimilia nec intra domos „ferant, nec ſuis alibi permittant.

„ *Can.* 9. Patres familias per cauponas & popinas ne divagentur; otio, po-„tationibus, luſibus, tempus ne terant, &c.

„ *Can.* 10. Victum quærendi rationes illaudatas & ſuſpectas ut fugiant: „fœnerationibus & uſuris omnino abſtinentes, propter interminationes „Dei, concurrenteſque varias iniquitates (1 *Theſſ.* 4. 6. *Exod.* 22. 25. „ *Pſal.* 15. 5.)

In omnes haſce Eccleſias Sclavonicas ordinem hunc domeſticum ex Angliâ jam ante duo ſæcula derivatum, quis dicet? niſi forte Wiclefi ſectatores reſpiciat. Et quidni, ſiquidem aliarum imitationes facere velis, originem ab eccleſiis Waldenſibus, & iſtarum à Pædemontanis, harum ab antiquis ante natum & educatum Antichriſtum, omnium deniq; ab apoſtolicis accerſimus?

Accedamus nunc ad Eccleſias Gallicas & Genevenſem, quarum reformatio Anglis præivit, non contra: quarumque doctrinæ, ordini, diſciplinæ, ritibus, praxi & exercitiis pietatis tum publicis tum privatis Eccleſiæ Belgicæ, & Scoticæ, & quamplurimæ Anglicæ (quarum Miniſtri *Montacutio Puritani Genevenſes*, *Tileno in Paræneſi ad Scotos*, *diſciplinæ Genevenſis zelotæ* dicuntur,) quam proximè ſe conformare voluerunt. Quod ad noſtras Belgicas, illæ ab initio cum Gallicis peculiarem & arctiorem correſpondentiam coluêre: ita ut Synodi Nationali Gallicæ à Belgicâ *delegatum quem intereſſe voluerint*. Quiſnam autem ordo domeſticus & quæ conſuetudo iſtic obſervata fuerit in Eccleſiis & familiis reformatis, docet nos eruditiſſ. & celeberrimus communis cauſæ promachus Joh. Daille Miniſter Eccleſiæ Charentono-Pariſienſis in Replicâ ſuâ contra Adam & Cottiby anno 1662. Gallicè editâ, Part. 3. cap. 2. §. 6. pag. 146. ubi Cottiby antehac Eccleſiaſtæ reformato, nunc ad Papiſmum ἀποστάτῃ & transfugæ objicit, *quod percepiſſet ex aliis* dictum Cottiby *fuiſſe admodum negligentem in exercitiis pietatis; ita ut ne quidem*

Digitized by Google

quidem preces matutinas & vespertinas in familiâ suâ concepisset. pag. 147. *quod in familiis secundum consuetudinem* Reformatorum in Galliâ, *fiant mane & vesperi.* Originem istorum Exercitiorum, si à primis emergentis illic reformationis incunabulis accersere velimus, nihil melius Lectori exhiberi queat, quam excerpta ex vitâ Gasparis Coligny Castellonii Franciæ Amiralii anno 1575. editâ, & Ultrajecti anno 1644. recusâ. Ubi pag. 226. 239.

„ Non pauci præterea, qui familiarius domesticam Amiralii vitæ consue-
„ tudinem cognitam habebant, ad Principes profecti, summis laudibus in-
„ nocentiam Amiralii, continentiam, modestiam, & mirum in religione co-
„ lenda studium prædicabant: quod ex interioris & domesticæ vitæ con-
„ suetudine vel maximè perspici poterat. de qua quæ nobis partim ex alio-
„ rum testimoniis, partim ex visu & aspectu comperta sunt, summatim sub-
„ jungemus. Ut primùm è lectulo surrexerat, quod satis maturè quotidie
„ fiebat, nocturnâ super injecta toga, genibus flexis in terram procumbe-
„ bat: & cœtui universo Deum invocanti ac precanti, verbis præibat. Ibi,
„ reliquis omnibus, ipsius exemplo, ad terram advolutis, precatio fiebat ea
„ formula, quæ Gallicis Ecclesiis usitata est. Absoluta precatione, quod
„ spacii ante concionis tempus intercedebat, id omne, vel delectis Eccle-
„ siarum ad eum missis audiendis, vel aliis negotiis publicis obeundis, tri-
„ buebat. Post signo dato, concio alternis diebus habebatur, atque hymnus
„ Davidis canebatur. Dimissa concione, redibat ad negotia, tantisper dum
„ prandii tempus veniret, quo parato, domestici omnes, præter paucos,
„ qui cibaria providebant, in atrium, ubi strata erat mensa, convenire, ibique
„ stante ad mensam Amiralio, ipsiusque conjuge ad latus ipsius adstante, si
„ habita concio non erat, hymnus unus è Davidis Psalmis canebatur: ac
„ precatione usitata, mensa consecrabatur, quod institutum non modò domi,
„ atque in otio, verum etiam in ipsis castris, nullo intermisso die, servati
„ ab Amiralio solitum, non modò Galli innumeri, verumetiam complures
„ Germanorum equitum duces ac tribuni (qui sæpenumero ad ipsius con-
„ vivium invitabantur) testes esse possunt. Sublata mappa, confestim Ami-
„ ralius consurgebat: ac stans, adstante sibi conjuge, reliquisque item assisten-
„ tibus, precationem & gratiarum actiones, Deo vel pronuntiabat, vel per
„ concionatorem pronuntiandas curabat, ac cœnæ tempore, non modò
„ idem tum in precatione, tum in Psalmis fiebat: verumetiam cum suos do-
„ mesticos omnes difficilius, somni capiendi tempore, convenire ad noctur-
„ num precationem videret, propterea quòd tempus illud propter varias oc-
„ cupationes incertum erat, absoluta cœna adesse omnes jubebat: hymno-
„ que absoluto, precationem nocturnam pronunciandam curabat. Quo ex-
„ emplo dici non potest quàm multi è Gallica nobilitate ad eandem disci-pli-

Digitized by Google

„ nam in familiis ſuis inſtituendam, inducti fuerint, cùm eos crebrò Amira-
„ lius moneret, ad pietatem verè colendam, non ſatis eſſe, ſi paterfam. con-
„ cionibus intereſſet, ſuamque vitam interiorem piè & religioſè inſtitueret:
„ niſi ſuos quoque familiares ac domeſticos ad eandem vitæ rationem ex-
„ emplo ſuo adduceret. Tantam illius pietatis ac ſanctimoniæ admirationem,
„ etiam apud eos qui Catholicarum erant partium, fuiſſe conſtat, ut niſi cru-
„ ciatus & carnificinas, quę poſtea conſecutæ ſunt, perhorruiſſent, multo
„ maxima Gallorum pars ad eandem religionem & diſciplinam ſe conver-
„ tiſſet.

IV. *Object.* Statæ precationes in familiis, ad quas Miniſtri hortatione & exemplo ſuo Fideles ſuę inſpectioni commiſſos inducere ſtudent nimis ſapere videntur horas canonicas ſeu officium divinum, aut ſaltem ſpeciem aliquam Romanæ ſuperſtitionis referre? *Reſp.* 1. Quod ad majoris conſequentiam, haut gravatè admittimus. Omnia enim quæ Deus verbo ſuo non pręſcripſit, & in ſe ac per ſe ſpectata in adiaphoris numeranda ſunt, ſiquidem directè aut indirectè cum idololatria, aut ſuperſtitione ſymbolizent, earum aliquam occaſionem prębendo aut ſpeciem repræſentando, potius omittenda & abroganda ſunt, quam ſervanda aut urgenda: prout abunde *ſupra Tract.* 1. *cap.* 3.-8. & in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit.* de *Superſtitione, de Idololatria indirectâ, de Cruce, de Roſariis, de Benedictionibus, oſtenſum eſt.* Velim ſi qui ad ſtata pietatis exercitia tum domeſtica tum privata, ob periculum ſcil. colluſionis cum ſuperſtitione, tam ſollicitè & curiosè attendunt, curas & abundantes cautelas ſuas æquę immo potius convertant ad reliquias ſuperſtitionum, & ſpecies mali à nobis *Diſpp. citatis* indicatas. *Reſp.* 2. Minorem negamus; quippe temere, imperitè, ſi non calumniosè, contra lucem factorum ſive palam ſive per luſurros, propoſitam. Preces ſtatæ & quotidianæ in familiis Fidelium aliaque exercitia illic obſervanda (de quibus ſupra) non magis referunt horas canonicas, ac Biblia Alcoranum, aut Thalmudem; ac Catecheſis noſtra Catechiſmum Concilii Tridentini, aut Racovienſem, aut Remonſtranticum; Liturgia cum Statutis noſtris eccleſiaſticis Breviarium, Miſſale, Rituale, Pontificale, &c. totumque Corpus canonicum. Si quis comparationem talem inſtituere velit, primum probè ipſi cognoſcenda ex authenticis & publicè probatis in Papatu Libris, quid & quale ſit quotidianum illud officium, quod *horas canonicas* indigitant: & quæ ſit praxis ſtatarum precationum, Scripturæ lectionum, &c. in familiis, quam Miniſtri reformati ovibus ſuis commendant. Abſque hoc, qui de his rebus blaterare aut ſuſurrare audent, induunt ſe telo illo Apoſtoli Judæ v. 10. *At iſti quæcunque non noverunt, vituperant.* Nos ex Pontificiis *officii divini* praxin & myſteria exhibuimus, ejuſdemque repugnantiam cum verbo Dei oſtendimus *Part.* 3. *ſelect. Diſpp. tit.*

tit. de Roſario, Litaniis, Horis canonicis Part. 3. *pag.* 1056. *cum pag.* 1070. ubi 8. Argumenta horis canonicis opponimus. Unde ſi quis compendio diſcere velit; quæ hactenus fortè ignoravit, cognoſcet quid ſit de exercitii pietatis domeſtici ἐξαγιασμῷ, & infamatione. Forte quis ſic inſtet: *Inſtantia.* Horæ canonicæ ad certa tempora hominum devotionem aſtringunt; idemque aut ſimile quid videntur facere exercitia domeſtica, quorum praxis urgetur. Videtur ergo in hoc aliqua ſymbolizatio. *Reſp.* Antecedens de exercitiis domeſticis, de quibus quæſtio, abſolutè negatur. Statutorum temporum delectus, determinatio, indictio, conſtitutio, mutatio, toties, quoties occaſio tulerit, familiis ſingulis, earumve Præfectis relinquitur: ſicuti ſolitarii exercitii, ſingulis Fidelibus; & eccleſiaſtici, Eccleſiis. Hęc communis ſententia Noſtrorum *in Loc. commun. in Tractatibus de Precatione, in Commentariis ad Actor.* 3. *v.* 1. & 10. *v.* 8. Unde fruſtra *Corn. à Lapide in commentar.* originem horarum canonicarum eruere conatur. Rectius ex Noſtris Toſſanus ad locum cit. *Jejunus orationi vacabat ſub horam diei ſextam, id eſt, meridie: non quod in horarum ſpatiis, aliquid myſterii ſit quærendum, ut factum eſt à Cypriano in explicatione orationis dominicæ.* Similia ante ipſum *Calvinus* & *Bullingerus* mox infra citandi. Quod *Actor.* 3. aſcenderint in templum ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην, horam ſcil. ſacrificii veſpertini (*Exod.* 29. *v.* 39.) precationi conſecratam, non indicat eos ſacrificium ejuſque horam ex conſcientiâ divinæ legis obſervaſſe, nedum talem ceremoniam cum circumſtantiis morte Chriſti abolitam *Coloſſ.* 2. *v.* 14. Eccleſiæ N. T. obſervandam præſcripſiſſe. Minimè. *Beza ad Actor.* 3. „Neque „tamen Apoſtoli ad ſacrificium eo, quo cæteri reſpectu conveniebant? „quum ſcirent verum illum agnum, qui tollit peccata mundi, ſuo ſacrifi„cio legis umbras deleviſſe: ſed aderant potius, ut hoc ipſum docerent, „nempe id reipſa eſſe exhibitum, quod ceremoniæ legis adumbrârant. „Neque tamen dubito, quin ſeſe, quoad ejus fieri potuit, legis cere„moniis accommodârint, tantiſper dum infirmos & rudes Chriſto lu„crifacerent. Breviter Fideles N. T. non magis hoc exemplo Petri & Johannis, ad horam nonam in precationibus eccleſiaſticis, domeſticis, ſolitariis aſtringuntur, quam exemplo Pauli *Actor.* 16. *v.* 3. & 21. *v.* 24. 26. ad obſervandam circumciſionem, & ſanctificationem Nazareatus; aut Decreto apoſtolico *Actor.* 15. *v.* 23. & 21. *v.* 25. ad abſtinentiam à ſuffocato & ſanguine. De hâc παραπηρῷ obſervatione legis ceremonialis, quamvis jam mortuæ, non tamen ſepultæ, vide 2. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Gentiliſmo Part.* 3. §. 12.

Reſtant quæſtiones & caſus aliqui de exercitiis domeſticis. §. 3.

I. *Quæſt. An abſque ſuperſtitione ſtata & ordinaria precum, lectionum, &c. exercitia,*

Digitized by Google

exercitia, ſive ſolitaria, à privato quoque Fideli, ſive ſocia à familia quâquè, ſive ſcholaſtica à quocunque Collegio literario, aut à contubernio tum in ædibus Gymnaſiarcharum & didaſcalorum, tum in ipſis ſcholis, ſervari poſſint, & debeant? an vero omnia hæc ab que certâ ἐυταξία, caſui relinquenda ſint? Reſp. Neg. poſter. Aff. pr. Ordinis & circumſtantiarum temporis ac loci determinatio à qualibet Eccleſiâ particulari liberè & prudenter, circa ſtata ſua agenda & exercitia, fieri ſolet: nec hoc quiſquam ſanus ſuperſtitionis inſimulabit; niſi omnem libertatem, potestatem, politiam eccleſiaſticam, cum omnibus ſtatutis, & canonibus (de quibus *ſupra Lib. 1. Tract. 3.*) condemnatam velit. Jam vero quod jure divino in periſtaticis illis Eccleſiæ competit; eodem Jure, immo & neceſſitate, ratione, Jure naturali, ſingulis Fidelibus, ſingulis Collegiis & Contuberniis tum ſcholaſticis tum domeſticis, competere dicendum eſt. Omnes aſſiduò ſeu jugiter quotidie, & hodie, Dei faciem quærere, Dei vocem audire, nominis Dei recordari, eundemque precibus ac doxologiis colere tenentur: & hoc ſuadent tot ſententiæ, monita, promiſſiones, comminationes, exempla ſanctorum Abrahami, Davidis, Danielis, Petri, &c. Illos autem ſerio ſollicitè & cum zelo hoc obſervaſſe, & tamen vagè, caſu, fortuito, ac pro re natâ, abſque ullo ſervato ordine, abſque certorum temporum redemtione, & deſignatione mihi videtur ἀσύστατον, juxta vulgatum illud: quod ſtatis & certis temporibus non fit, id pleruмque negligitur, aut nunquam fit. Audiamus Calvinum à ſuperſtitionis vel minima ſpecie quam maximè alienum. Sic ille in *Actor.* 10.

„ Non dubium autem, quin ex more tunc ſe ad precandum contulerit. Nam „ quia totum ferè diem diſtrahimur variis negotiis, nec finis eſt tumultuan- „ di, niſi tanquam injecto freno nos retinemus, utile eſt certas horas habere „ precibus dicatas, non quod horis ſimus aſtricti, ſed ne memoria effluat „ oratio, quæ omnibus curis debebat prior eſſe. Denique, idem de tem- „ pore ſentiendum eſt, quod de loco: eſſe ſcilicet remedia quæ noſtræ infir- „ mitati ſubveniunt, quæ ſi apta ſibi duxerunt Apoſtoli, quanto ſtudioſius à „ pigris & lentis colenda ſunt?

„ *Bullingerus ibid.* Quod autem ad ſextam precabatur ex more gentis fie- „ bat &c. Chriſtus vero tempus & locum in oratione libera eſſe voluit, & „ tamen ordinem in rebus quibuſvis commodum, & à ſuperſtitione alienum „ nunquam damnavit. Toſſanus in commentar. ibid. *Non quod in horarum ſpatiis aliquid myſterii ſit quærendum, &c. Sed interim de duobus nos admonet hic locus &c. Quia totum fere diem diſtrahimur negotiis vocationis, utile eſſe certas horas habere precibus deſtinatas.* Adde Synopſin Leidenſem Diſp. 36. §. 43.

„ Interim vero & publicis precibus certos dies, & privatis certum diei tempus,

Digitized by Google

„tempus, ut negligentiæ & infirmitati noſtræ ſuccurratur, eſſe deſtinandum, „ & exemplo Davidis, *Pſ.* 55. *v.* 18. Danielis cap. 6. v. 11. & Petri *Actor.* 10. „ *v.* 9. libenter agnoſcimus; ita tamen, ut omnis ſuperſtitio hinc abſit, ac „ στενοδοξία; aut ſcrupulus conſcientiæ, ſi forte neceſſitas, aut opera charitatis „ privatæ vel publicæ id interrumpi poſtulent.

Object. Atqui dato ſtatas horas, & certum ordinem conſtitui poſſe, non eſt tamen hoc urgendum tanquam neceſſarium. *Reſp.* Sunt gradus neceſſitatis. Urgentur Fundamentalia fidei dogmata tanquam magis neceſſaria. *Poſt* ea proximæ hypotheſes & conſectaria theſium fundamentalium. *Deinde* quę ritus, politiam, & regimen Eccleſiarum ex præſcripto Juris divini deſcribunt. Tum quæ ab Eccleſiis unius Synodi, & à ſingulis topicis aut parochialibus ad ἐυπρέπειαν in periſtaticis conſtituuntur. *Poſtremo*, quę non per ſe aut propter ſe, ſed propter aliud ſunt neceſſaria, ſive ad eſſe, ſive ad melius & tutius eſſe, quale hoc eſt: preſertim ſi duo aut tres congregati in nomine Chriſti *Matth.* 18. 20., ſi ſocię preces in familiis ſint obſervandę, ſi parvuli ad lectiones, & preces, ſint manuducendi & aſſuefaciendi, ſi rudes catechizandi; ſi illis à Parentibus preęundum. Quod abſque ſtatis, ſelectis atque ordinatis temporibus commodè & ἐυτάκτως fieri non poſſe docent nos conventus ad conciones in Eccleſiâ, & ad lectiones in Scholis majoribus & minoribus. *Inſtantia.* 1. Atqui nihil publicè privatimve monendum aut urgendum eſt, quod nec Scripturâ, nec Formulis conſenſus, Confeſſione ſcil., aut Catecheſi determinatum invenitur. Detur ergo locus Scripturæ, detur determinatio in Formulis conſenſus? Ubi dicitur quotidie aut ſtatis temporibus ſive in familiâ, ſive à privato quoque Fideli precandum eſſe mane & veſperi? *Reſp.* 1. Determinatur aliquid explicite, vel implicitè ſeu per conſequentiam: κατὰ τὸ ῥητὸν, vel κατὰ διάνοιαν: In genere ſeu κατ' ἀναλογίαν, vel in ſpecie; abſtractè, vel applicatè ad hanc hypotheſim, aut ad hoc particulare ſubjectum, aut ad actionem hanc in individuo. Si Concionatoribus privatim publicève nihil docere, contra nullos errores aut peccata monere, nihil in hominum moribus corripere, ad nulla bona opera excitare poſſunt, niſi exſertè in Scripturâ & in Formulis conſenſus, hoc determinatum ſit: jam tollitur tota ratio concionandi ſeu Prophetiæ, quæ nihil aliud eſt quam Scripturæ prælectæ & expoſitæ applicatio ad præſentem Eccleſiæ ſtatum, & conſcientias Auditorum; tollitur conſequenter officium Concionatorum, & ſoli anagnoſtæ ſufficiunt nudo textui Scripturæ coram Eccleſiis legendo, juxta *Cornherti* conſilium in *libello de minuendis Sectis*; (de quo *infra Part.* 2. *tit. de miniſterii Neceſſitate*) aut ad ſummum ſufficerit, ſi Notarum marginalium lectio ab iiſdem anagnoſtis adjiciatur. Qui talia muſſitant, immo etiam apertè, quando publicè privatimque monentur aut redarguuntur, ſic Scripturas & Formulas con-

ſenſus poſtulant, tantiſper τὸ ἀδιάφορον ac libertatem Chriſtianam prætendentes; videant, quam procul à commenti Verronici præcipitio in 1. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Ratione humanâ*, &c. abfuturi ſint. *Reſp.* 2. Minoris falſitas ſupra oſtenſa eſt, cum ex *Scripturâ*, & ex *communibus Formulis & Liturgiis & Decreto Synodi Dordracenæ de communi conſenſu Exterorum & Provincialium (Seſſ. 17.)* precum domeſticarum, catechizationum, &c. uſus demonſtratus eſt. *Inſtantia* 2. Fateor in Synodo & teſtimoniis atque exemplis allegatis tale quid innui; non tamen in titulis *precationes domeſticæ, precatio matutina, precatio veſpertina*, qui in communibus Formulariis & Liturgiis comparent: Facile enim excipi poteſt, de privatis & ſolitariis ſingulorum precibus domi concipiendis (juxta *Math.* 6. *v.* 6.) hæc accipienda eſſe; & non de domeſticis ſociis. *Reſp.* Exceptio hæc profligatur ex ſolâ inſpectione Formularum; in quibus non minus, ac in precationibus eccleſiaſticis, & ante ac poſt cibum, perpetuò pluralis numerus adhibetur.

III. *Quæſt. An ſupervacaneæ, & conſequenter omittendæ ſint preces & lectiones domeſticæ ſi publicæ in Templis mane & veſperi haberentur; juxta exemplum & inſtitutum Eccleſiar. Hungaricarum, referente hoc* Ordine ipſarum eccleſiaſtico anno 1649. artic. 46. *Reſp.* Inſtitutum illud utiliſſimum cenſemus; immo pæne neceſſarium, ubi multi plebei, forte plerique, Scripturam legere non nôrunt. Ideo tamen privata & domeſtica exercitia planè omitti nolimus: 1. *Quia* omnes in numeroſis familiis, Liberi tum adultiores tum parvuli, Servi, Ancillæ, unà cum Parentibus publicæ illi lectioni perpetuò vix intereſſe queunt. Ne quid dicam de impeditis per ſubitaneas aut chronicas infirmitates. 2. *quia*, Pueris, & adultis rudioribus peculiariter, pro peculiari eorum ſtatu, inſtruendis, monendis, exercendis communes illæ lectiones & preces non ſufficiunt: nec Patres familias Liberorum ſuorum, aliorumque de familiâ ſuâ attentioni, devotioni & obſervationi decori, in publicis Templis, ita attendere, ac præeſſe poſſunt. 3. *quia*, uti *Synodus Dordracena Seſſ.* 17. judicabat per eccleſiaſticas & ſcholaſticas catechizationes, non tolli domeſticas tanquam ſuperfluas: ſic nos analogicè idem cenſendum putamus de domeſticis precibus, & lectionibus, ſiquidem alicubi publicè in Templis quotidie haberentur. 4. *quia*, ſi conciones cum adjunctis precibus, pſalmodiis, lectionibus quotidie in Templis habitæ, (quod in celebri aliquâ Belgii noſtri Eccleſiâ fieri notiſſimum eſt) iſtic loci non tollunt nec tollere debent omnia domeſtica & privata pietatis exercitia: multo minus per lectiones & preces publicas, tollenda ſunt, aut tanquam adiaphora pro arbitrio cujuſque, ex vi ſcil. libertatis Chriſtianæ ordinariò obſervanda aut omittenda.

IV. *Quæſt. Quid faciendum illis, qui verſantur in familiis alienorum à fide, aut*

aut nomine Christianorum sed Heterodoxorum, aut Libertinorum literæ minime servientium (ut eorum phrasi utar), *aut planè carnalium, qui nulla religionis curâ afficiuntur? Resp.* Si Ancillæ aut Servi sint mercenarii, ut primâ quâque occasione inde in piæ alicujus familiæ servitium transeant. Sin Filii familias sint, aut Servi coacti seu homines proprii, ut soli privatim legendo, orando, meditando pietatem exerceant (*Math.6. v.6.*) horis ad id solicitè quæsitis & redemtis, sive diurnis (si fieri possit), sive nocturnis (si aliter fieri non possit) exemplo Davidis *Psal.*42.*v.*4. 9. & 77.*v.* 3. 7. & 119 *v.*55. 62. Desiderantes interim, & à Deo suo meliorem occasionem exspectantes. Quod si ex Liberis, aut Ancillis, aut Servis sint, qui per ignorantiam, aut visus infirmitatem à privatâ lectione verbi impediuntur, aut qui institutione aliorum in arte precandi, reliquisque partibus catecheseos maximopere indigent; iis annitendum, ut horis subcesivis & clam ad hoc redemtis piæ alicujus familiæ, aut duorum triumve piorum in nomine Christi congregatorum exercitiis subinde interfint; ibique verbi lectiones, concionum repetitiones, catechizationes, preces audiendo, ad privata sua exercitia manuducantur, atque excitentur. Hâc ratione veram religionem inter hostes sub N.T. & olim & nuper conservatam, & propagatam fuisse, perpetuâ experientiâ edocti sumus. Quid etiamnum hodie fiat, ubi Papatus dominatur, aut alia aliqua formalitas, cui pii per conscientiam se conformare nolunt; nihil attinet hic referre. Sub V.T. millia illa in Regno Israelis, qui genua Baali non flectebant, (*Rom.* 11.*v.*4.) sine sociis pietatis exercitiis ætatem non transegerunt. Quod idem dicendum de piorum familiis inter Gentes veræ religioni extra terram Israelitarum adhærentibus: ubi nullæ publicè & nationaliter institutę Ecclesiæ. Si qui in familiis infidelium soli veram religionem tenerent aut ejus cognitionem affectarent, illos in alienis familiis, aut in consortio duorum triumve scripturas legentium ac de rebus divinis conferentium subinde datâ occasione, aut statis horis comparuisse credendum est. De talibus Fidelibus extra Judæam, non tantum Judæis, sed & proselytis alibi agimus *in* 2.*Part, sel. Disp. tit. de Gentilismo.* Tempore Novi Testamenti habemus exemplum Cornelii *Actor.* 10. Conventus ille quorundam piorum ad preces *Actor.* 12.*v.* 12. privatus erat, non publicus Ecclesię Hierosolymitanæ, nec sub actuali Ministrorum verbi aut Ministri alicujus ductu; nec erant omnes unius familiæ. Adeo ut Fideles nihil peccent, qui cum domi suæ nullo exercitio sociali, nullâ mutuâ charismatis spiritualis μεταδόσει, nullâ collatione spirituali (quales *Rom.* 1.*v.* 11. 12. *Hebr.* 3.*v.* 13. *Rom.* 15.*v.* 14. indicantur) frui possunt, aut ipsi literas non didicerunt, aut rerum spiritualium minus experti sunt, si alienâ in domo lectionis, catechizationis, repetitæ concionis participationem quærant; aut si morbo chro-

nico, aliove malo domi detineantur, eo unum atque alterum invitent, ex quorum μιμήσει & collatione in ſpiritualibus exerceri, excitari, proficere queant.

LIB. II. TRACT. IV.

De agendis Publicis Extraordinariis, Jejuniis & Euchariſtiis.

CAP. I.

Deſcriptio & diſtinctio religioſi Jejunii : cum cenſura Pſeudo jejunii Romano-Papiſtici.

§. 1. IEjunia & Euchariſtiæ conſiderantur vel ratione cujuſque Fidelis, ut Exercitia pietatis; vel ratione communitatis eccleſiaſticæ, ut agenda eccleſiaſtica; vel ratione temporis, ut ſolennes & extraordinariæ feriæ, ſeu ſabbatha extraordinaria. Illo reſpectu tractatio eorum ad primum Decalogi Præceptum, aut ad appendicem de Exercitiis pietatis referenda: iſto ad Politiam eccleſiaſticam: hoc, ad quartum Decalogi præceptum.

Jejunium diſtingui poteſt in ſuper naturale; & in naturale. *Illius* exempla dederunt Moſes, Elias, Chriſtus. *Naturale* eſt vel ordinarium; vel extraordinarium ſeu rarum & admirandum, quod naturæ miraculum dici poſſet. Hujus exempla commonſtrantur in variis abſtinentibus fœminini ſexus, e.gr. Apolloniâ Schrejerâ in agro Bernenſi, & abſtinente Conſolentaneâ, &c. de quibus *Obſervationes & Hiſtoriæ Medicæ*, & tract. *Fortunii Lyceti*. Quamvis dubitent alii, an non fraudulenter iſta ſimulata fuerint. Saltem omnium maximè admiranda virgo Meurſenſis nomine Eva Vliegen, poſt aliquot luſtra (tria ſcil. præter propter) tandem in fraude deprehenſa & detecta fuit. *Naturale* Jejunium eſt vel commune, vel ſacrum ſeu religioſum. *Commune* eſt tum medicum ſeu diætæ, tum indigentiæ aut paupertatis, aut alterius neceſſitatis; de quibus hic non agendum: de priori enim Medicus, de poſteriori, quod proprie λιμὸς fames dicitur, partim Phyſicus, partim Ethicus, & *Theologus in Loc. commun. de Paupertate, de Pœnis peccatorum, de Judiciis Dei, de Cruce & afflictionibus piorum, & Commentatores ad Deut. 28. Ruth. 1. 2 Samuel 21. & 24. 2 Reg. 6. Rom. 8. 2 Cor. 11. v. 27. Matth. 24. 27. Religioſum* eſt vel metaphoricum, vel proprie dictum. *Jejunium religioſum metaphoricum* eſt abſtinentia à peccatis à Deo omnibus indictum, & à Fidelibus ſuſceptum: de quo *Jeſa. 58.* Suſcipitur autem & obſervatur tale Jejunium, vel voto communi

Digitized by Google

muni in Baptiſmo aut in ingreſſu in Eccleſiam & fœdus Dei præſtito: vel voto aut pacto aut juramento peculiari hâc aut illa occaſione iterato ac renovato; ſive communiter ac publice 2 *Paralip.* 15. *Nehem.* 9. & 10. *Pſal.* 80.; ſive ſingulariter ac privatim, *Geneſ.* 28. *Pſal.* 119. 106. Porro de voto abſtinendi non tantum à peccatis aut certo aliquo peccato, ſed etiam ab aliquâ re licitâ, & de voto præſtandi aliquid, alibi ex profeſſo agendum. *Jejunium* religioſum proprie dictum *eſt exercitium pietatis, quo Fideles peculiari datâ occaſione per abſtinentiam ab ordinario alimento & adiunctâ curâ corporis, & per reſipiſcentiæ renovationem ac preces coram Deo, & animo & corpore ſe humiliant; mali avertendi aut boni alicujus à Deo obtinendi gratia.* Notanda in hac deſcriptione. 1. In quo conſiſtat: in duobus ſc. in externa & interna humiliatione. *Illa* fit per corporis neglectum, & quaſi depreſſionem aut afflictionem: cum abſtinetur ab ordinario cibi & potus dimenſo, *Eſther* 4. & conſequenter ac multo magis à conviviis, ludis, hilariis, omnibuſque corporalibus oblectationibus & ornamentis, *Levit.* 16. & 23. *Joel* 2. *Jeſ.* 22. 12. 13. *Iſta* fit *tum* per ſeriæ & profundæ reſipiſcentiæ, renovationem ac praxin *Joel* 2. *tum* per validas, frequentes, intentas, & quaſi continuas preces, Joel 2. 11. *Quæ ſint cauſæ jejunii.* Efficiens prima eſt inſtitutio divina tabulis Juris divini revelata: Secunda & ſubordinata, quod ad ſuſceptionem & indictionem, ſunt quique Fideles, ſi ſolitarium ſit; Anteceſſores in familia, ſi ſit familiæ 1 *Cor.* 7. 5. Anteceſſores in Eccleſiis, ſi ſit Eccleſiæ, aut Eccleſiarum, *Eſdr.* 8. 21. *Actor.* 13. 2. 3. & 14. 23. De Magiſtratu infra cap. 2. Eſt enim omne Jejunium, quod ad circumſtantias, liberæ diſpoſitionis humanæ, ex Jure divino permiſſivo. Cauſæ impulſivæ, ſeu occaſiones Jejunii (unde etiam fines & effectus intelliguntur) ſunt partim mala, partim bona: *illa* tum externa & corporalia, tum interna & ſpiritualia, ſive triſtia ſive turpia, prævenienda, avertenda, averruncanda, vincenda, in bonum convertenda, *Joel* 2. *Matth.* 9. 15. & 17. 21. 2 *Paral.* 20. 3. *Pſ.* 35. 13. *iſta*, tum ſpiritualia tum corporalia, obtinenda *Ezr.* 8. 21. *Actor.* 13. 2. 3. & 14. 22. 111. Circumſtantiæ Jejunii, ſunt, tempus & locus. Quod ad locum, ille aut ſolus privatus eſt *Matth.* 6. cum Jejunium privatum, ſive ſolitarium & clandeſtinum, ſive ſociale, cum domatim aut collegiatim obſervatur: aut privatus ſimul & publicus, cum publicum celebratur. 2 *Paralip.* 20. *Joel* 2. 17. Tempus, conſideratur; vel quod ad καιρὸν ſeu opportunitatem, vel quod ad menſuram ſeu quantitatem. Opportunitas in genere & definitè à Jure divino deſignatur per cauſas impulſivas & occaſiones, quæ Jejunium requirunt. In ſpecie verò & definitè deſignanda atque applicanda relinquitur prudentiæ Fidelium, qui norunt & obſervant omnium agendorum tempus atque opportunitatem, *Eccleſ.* 3. *v.* 1. 4. & 8. 5. 6. *Eph.* 5. *v.* 15. Menſura ſeu quantitas temporis maxima aut

minima ut ſic, Jure divino definita non eſt. Minima ut non, videtur hactenus praxi & exemplis Scripturæ nobis præſcribi, ne minor ſit unius diei naturalis uſque ad veſperam extenſione. Maxima ut non, in genere lege prudentiæ & caritatis circumſcribitur: ne ſcil. ulterins extendatur, quam vires corporis ferre poſſint. IV. Requiſita Jejunii, inter alia ſunt iſta: 1. ut ſit ſincerum; non hypocriticum non fictum, non ludicrum aut hiſtrionicum. 2. ut ſit verè religioſum; non ſuperſtitioſum. 3. ut ſit prudens, & diſcretum. 4. ut ſit pium & chriſtianum; non impium, hæreticum, blaſphemum.

§. 2. Jejunium dividitur in privatum & publicum. Privatum eſt vel ſolitarium, unius ſcilicet Fidelis (*Daniel* 6. 2 *Cor.* 11. 13. *Pſal.* 35. 13.); vel ſocium, aliquot ſcil. Fidelium ſive in eadem familia (1 *Cor.* 7. 5.) ſive in eodem comitatu, conſortio, aut collegio, ex variarum familiarum hominibus ex pacto aut neceſſitudine aliqua conflato, aut hâc occaſione & hunc ſolum in finem in præſenti, coëunte. Publicum eſt, quod ab nna Eccleſia, aut à pluribus Eccleſiis ejuſdem diſtrictus, provinciæ, nationis, imperii, aut ejuſdem correſpondentiæ eccleſiaſticę, celebratur. Exempla ejus ſunt 2 *Paralip.* 20. *Joel* 2. *Actor.* 13. Poteſt hoc rurſum dividi in clandeſtinum, & in apertum. Prius obtinet, cum Eccleſia aut Eccleſiæ in ejuſmodi Politiâ ſunt, ubi omnia exercitia religionis, aut ſaltem cauſæ ſpeciales iſtius Jejunii omnino concelandę ſunt. Quod ad praxin Jejunii publici, ea tribus abſolvitur, præparatione; ipſa actione ſeu ipſo opere Jejunii; ſuccedente meditatione, ſeu poſt facto. 1. *Præparatio* continet tria. 1. ut ſerio, & attentè conſideremus, particulares cauſas, propter quas indictum eſt Jejunium. 2. ut iis animitus & intimè afficiamur. 3. ut annitamur & diſponamus nos, quò debitè & dignè pro cauſis illis precari, & ſolenne Jejunium celebrare poſſimus. Quod fiet ſi ſincerè impedimenta peccatorum, tum privata, tum publica quiſque pro parte noſtra removeamus *Jeſ* 58.: ſi maturè pridie omnia terrena & ſæcularia negotia abrumpamus, ut tanto expeditius diem Jejunii inchoare poſſimus: ſi ſpecialiter atque intentè cognoſcamus & agnoſcamus cordis noſtri ἀδυναμίαν & tarditatem circa praxin Jejunii: ſi ſpecialiter ſuper hac cordis noſtri impotentia, & inſenſibilitate nos humiliemus: ſi nos ipſos valide excitemus: denique ſi gratiæ divinæ auxilium, & benedictionem nobis proponamus, & vivâ fide ac ſpe in eam recumbamus, eamque nobis promittamus & applicemus. 11. Ipſum opus Jejunii continet tum privativa officia abſtinentiæ aut ſponte ſuſceptæ, aut lege ſancitæ, *Jona* 3. tum poſitiva officia; quæ ſunt duo reſipiſcentiæ ſc. & precationis. *Reſipiſcentia* conſtat tribus partibus, humiliatione, reconciliatione, renovatione fœderis & gratitudinis. De quo alibi, in *Tract. de Exercitiis pietatis tit. de Praxi reſipiſcentiæ. Oratio* conſtat,

gitized by Google

conſtat, beneficiorum recenſione ; peccatorum & ingratitudinis confeſſione ; veniæ, liberationis & beneficiorum petitione. Sed de praxi precationis, alibi *in Tract. de Exercitiis pietatis.* 111. Poſt meditatio, ſeu poſtfactum, & conſequens Jejunii ſunt fructus renovati fœderis & reſipiſcentiæ, tum reſpectu noſtri, tum reſpectu Dei. *Illi* ſunt *tum* tranquillatio conſcientiæ, quod animam noſtram liberavimus, & in acie ſtetimus contra judicia Dei, quidquid nobis eventurum ſit : *tum* attentior cura viarum noſtrarum, juxta ſpecialem ſtipulationem ſolenni die factam. Sed de praxi & uſu publici & privati Jejunii ex Noſtris piè & copiosè, ſed ſermone vernaculo ſcripſit *Wilhelmus Teelingius Tract. peculiari*, quo etiam praxin repiſcentię complexus eſt. Idem nonnulla huc facientia inſpargit celebri apud Noſtrates *Tract. tit. Neceſſariæ demonſtrationis Lib. 4. cap. 8. & 5. cap. 5.*

Affinia ſunt religioſis Jejuniis, ſolitudo, ſilentium, vigiliæ, aliaque ab- §. 3.
ſtinentiarum genera. *Solitudo*, quam quis prudenter quærit & ſectatur devotionis causâ & exemplo Chriſti (*Luc. 21. v. 37.*) ſine dubio commendanda. Hic tamen non probatur Monachorum, Anachoretarum, incluſorum ſive phantaſtica, ſive brutalis ſolitudo. *Silentium*, quod gloriæ Dei, bono proximi & præveniendis peccatis inſervit, nemo pius improbare poteſt. Vide *Pſalm.* 39. 2. 10. & 38. 14. *Jacob.* 1. 19. Longe tamen ab hoc differt ſilentium duritię aut impœnitentiæ *Pſalm.* 32. 3. confuſionis *Matth.* 22. 34. timiditatis &c. *Vigiliæ*, ſi ad caſtigandam carnem, ad perſeverandum in precibus & devotione, ad excutiendam ſecuritatem, ἀψιχωρίαν, ἀκηδίαν, torporem ſpiritualem quid conferre poſſunt; nobis probantur. Sic tamen ut vigilias olim introductas, ſed poſtea prudenter abrogatas, & ſuperſtes earum mimema in Papatu, in paraſcenis ad pſeudo feſta improbemus. De his, aliiſque exercitiis alibi pluribus agimus *in 3. Part. ſel. Diſpp. tit. de Pſeudomortificationibus Papatus.*

Religioſis Jejuniis opponuntur 1. *Ethnica.* Ad quæ refer abſtinentiam §. 4.
Pythagorę : quæ quouſque ſe extenderit, non ita inter autores convenit. Ariſtoxenus (apud Laertium Lib. 8. de Vitis Philoſophorum cap. 1.) *cuncta eum animantia in cibum permiſiſſe, ait, bove aratore, & ariete exceptis.* Affirmant tamen ejus abſtinentiam ab eſu animantium *Agellius Lib. 4. cap. 11. Porphyrius in Lib. de non necandis animantibus, Photius in Biblioth. lib. 259. Philoſtratus in Vitâ Apollonii Thyanei, & Euſebius contra Hieroclem* eundem *Thyaneum* in eo Pythagoræ ſectatorem dicit, quod abſtinerit ab eſu animantium. Quidquid ſit de Pythagorâ, ſaltem huic ſectæ etiamnum hodie inhærent Indi in Regno Siam & Imperio Mogulico, dicti Bramines : de quorum religione & ritibus lectu digniſſimus *Tractatus* noſtro idiomate conſcriptus, autore *Abr. Rogerio.* 11. *Magica* : qualia conjurationes inſtituturis una cum caſti-

Digitized by Google

castitate observanda præscribit *Petrus de Abano in Tract. de Elementis magicis* Coloniæ apud Arn. Bircmannum, una cum *Trithemii & Agrippæ Opusc. magicis* edit. in 8. annò 1567. Cum qua superstitione magicâ convenit inunctio unguenti armarii seu sympathetici quotidie peragenda cum abstinentiâ à venere: uti sancit, artis illius mysta *Osvaldus Crollius in sua Basilica Chymica pag.* 333. primæ edit. 111. *Melancolica*, quæ quis ex insanâ superstitione, & luctâ cum desperatione suscipit. Quale erat illud Porphyrii, vitam trahentis in suspiriis, inediâ se macerantis, & omne humanum consortium, atque accessum prorsus declinàntis; donec Præceptor ejus Plotinus evolaturum jam jam ex corpore animum à mortis limine revocaret: referente *Eunapio in Vitâ Porphyrii.* IV. *Judaica*, ipsis dicuntur תעניות *tagnaniot*, quod rectè ex phrasi Scripturæ *Levitic.* 16. *v.* 29. & 23. *v.* 27. *Jesa.* 58. *v.* 3. 5. formari videtur: de quibus tractat. *Thalmud. Berachot*, *cap.* 1. §. 74. ubi non tantum abstinentia à cibo & unguentis, sed etiam à lotionibus præscribitur. Et *Tract. Ioma cap.* 8. §. 1. ubi insuper usu sandaliorum, & ministerio lecti interdicitur: additis aliquot exceptionibus. *In Tract. Maccot cap.* 3. pœna in transgressores sancitur. Confer ad horum intelligentiam *Matth.* 6. 16. 17. & ibi *Notas Munsteri*, Et *Roberti Scheringamii Notas in Ioma loc. citat.*; & *Buxdorfii Synagogam cap.* 18. 20. 25. In Kalendario Judæorum apud *Munsterum pag.* 148. & in computo Judæorum ex edit. Genebrardi, & in computo Judæorum apud *Scaligerum Lib.* 7. *de Emendat. temporum* & in Kalendario Judæor. apud *Eundem Lib.* 1. *canon. Isagogic. cap.* 6. annua ipsorum Jejunia enumerantur, & quidem 25. numero, præter Jejunium diei expiationis à Deo institutum *Levit.* 16. *v.* 29. & 23. *v.* 27. De Jejuniis, quorum mentio fit *Zachar.* 8. *v.* 19. *supra Lib.* 2. *Tract.* 1. *p.* 441. sententiam nostram diximus. *Scaliger in Notis Eusebianis* 2. edit. *pag.* 134. stata hæc Jejunia Judaica vocari dicit *angariæ*, sed loca non indicat, ubi & cur sic dicantur. Inspicienda ergo loca *in Thalmud. Babylon. Massechet Joma fol.* 35. 2. Et *Massechet Nedarim fol.* 32. 1. & *Massechet Sotah fol.* 10. 1. & *Bava Mezia cap.* 6. *hal.* 3. ubi de angariando jumento. Notat ergo Rabbinis angaria, & τὸ ἀγγαρεύειν (vox origine Persica, quæ occurrit *Math.* 5 *v.* 41. & 27. *v.* 32.) coactam & invitam servitutem, uti rectè explicat neotericus Rabbinus mihi non ignotus, & etiamnum hodie, ni fallor, superstes *David Cohen de Lara in Convenientiâ vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis*, &c. a 1638. Sed pluribus hoc agit *Buxdorfius in Lexico Rabbinico.* De hodiernorum Judæorum publicis Jejuniis *Buxdorfius in Synagogâ cap.* 18. & de privatis *cap.* 25. v. *Muhammedica*: inter quæ generale & capitale est Jejunium mensis Ramadan (1. cinerum, qui est nonus mensis ipsorum); quod principalem istius religionis partem facit. De quo vide & *Elma-*

Digitized by Google

Elmacinum Histor. Sarac. lib. 1. cap. 1. Hujus mensis die 25. Alcoranum super Muhammedum descendisse credunt, juxta textum *Alcorani cap. 2.* ideo singulis & totis ejusdem mensis diebus omnes præter infirmos & viatores, jejunare tenentur, concessa tamen edendi & bibendi facultate per totam noctem, usque ad horam ante-lucanam. VII. *Hæretica* antiquorum ut Severianorum & Aqueorum qui à vino; & Manichæorum qui à carnibus abstinebant: & Tatianorum atque Encratitarum, qui inter cibos distinguebant. De quibus videndi *Scriptores hæresium*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Philastrius*. Hos sequebantur aliquo modo, qui voto aliquo aut lege sibi posita à cibis quibusdam abstinebant, ducti inconsiderato sanctitatis zelo. Huc refer Jejunium, dictum *Artziburzi*, quod Armenis sui temporis (floruit autem anno 1118.) tribuit *Euthymius Zigabenus part. 2. Panoplie tit. 20.* & à Sergio quodam Hæretico in memoriam canis sui à lupis devorati institutum fuisse dicit. An verò Euthymius fide historica hęc retulerit, & in Armeni post legationem. Imperatoris Comneni (quæ incidit in annum 1170. & per quam ad unionem cum Ecclesiis Græcis adducti sunt) Jejunium hoc retinuerint, alii inquirant. Mihi hactenus nihil certi de eo constitit. *Balsamon ad Can. 64. Apostolorum*, & ex eo *Goar in Notis ad Euchologium pag. 207.* refert Armenios Tetraditas Ninivitarum Jejunium circa dominicam (in Papatu dictam *septuagesimæ*) imitari, & aliud ab Ecclesiâ pariter rejectum assumere. A *Christoph. Angelo cap. 17.* paulo aliter refertur Historia de cane. Qui *ibidem* testatur dies Mercurii & Veneris septimanæ undecimæ ante Pascha à Jejunio exemtos: ne cum Hæreticis Jejunium Ἀρτζιβυρζι (quod incidit in hanc septimanam) celebrare viderentur. VIII. *Græcorum* Jejunia, stata & ordinaria, Papisticis longè plura sunt. Præter Mercurii & Veneris per totum annum, (quibusdam septimanis exceptis) quatuor observant quadragesimas: quarum *prima* est *paschalis*, & dicitur *magna sanctaque*, costans 48. diebus, qui Pascha proximè præcedunt: quo toto tempore omnes arido victitant, referente *Christoph. Angelo* in Libello *de Statu & Ritibus Ecclesiæ Græcæ cap. 4.*: specialiter Monachi ξηροφαγία & ἀδηφαγία (uti notat *Goar ad Euchologium pag. 207.*): ad qualem rigorem Monachos Romanos nunquam contendisse memini, nec ullas regulas monachales de potu tale quid præcipere. *Secunda* est ante nativitatem Christi, diciturque *quadraginta dierum*: continet enim 40. dies nativitatem Christi præcedentes. *Tertia* est & dicitur *Petri & Pauli*, quæ incipit primâ septimanâ post Pentecosten, & finitur 20. Junii, h. e. in festo Petri & Pauli. *Quarta*, quæ Deiparæ dicitur, & in honorem ejus servatur; incipit Kal. Augusti, & finitur 14. ejusdem mensis; quam proximè excipit *solenne & magnum Deiparæ* festum. Quomodo differat quadragesima magna à reliquis tribus, & quo-

modo eam inchoent & transigant, explicatum vide à *Christoph. Angelo cap.* 4-12. De peculiaribus jejuniis Monachorum, deque celebratione quatuor quadragesimarum, *Idem cap.* 34-37. Confer jus orientale *tom.* 1 *lib.* 5 *p.* 387. ubi ægroto carnes, caseum, ova attingere non conceditur, καὶ εἰν τὶ λοιθῖα, id est, *licet extremam efflet animam.* VIII. *Antiquæ Ecclesiæ* Jejunia erant non tantum indictiva seu extraordinaria, sed & stata ac solennia. De *prioribus* Tertullianus adversus Physicos cap. 13. *Episcopi universæ plebi mandare Jejunia assolent, interdum ex aliquâ solicitudinis ecclesiasticæ causâ.* Confer *Eundem Lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 4. & *Lib. de Persecutione cap.* 1. *De posterioribus*, Minutius Felix in Octavio, ubi introducitur Cæcilius Christianos insimulans, *quod nocturnis congregationibus, & Jejuniis solennibus, & in humanis cibis non sacro quodam, sed piaculo fœderarentur. Tertullianus Lib. de Oratione cap. ult.* ubi testatur, *die Paschæ* (h.e. passionis, ut rectè interpretatur Pamelius) *communem & quasi publicam Jejunii religionem fuisse.* De celebratis stationibus (diebus scil. Mercurii & Veneris), quod sine Jejunio non fiebat. Videndus *Tertullianus Lib.* 2. *ad Uxorem cap.* 4. *Et de Fugâ in persecutione cap.* 1. ubi distinguit Jejunia (strictiora scil. & indictiva) à stationibus. In stationibus Jejunium finiebatur horâ nonâ, apud Catholicos, quod Montanistæ usq; ad vesperam extendebant: Uti constat ex *Tertulliano*, jam Montanizante *Lib. contra Psychicos cap.* 10. Et Prudentio in Agone Fructuosi: *Jejunamus, ait, recuso potum. Nondum nona diem resignat horâ.* Hanc praxim veterum, siquidem merè indictiva & ἀφόρισος fuerit, *ex aliquâ solicitudinis causa* (ut cum *Tertulliano* loquar), & quamdiu præsens illa necessitas aut calamitas urgeret, non improbamus. Secus judicandum est de eâ, si stata, & ordinaria fuisset, & conscientiis imposita: uti postea per emergentem Papatum facta fuit. Hoc enim repugnaret doctrinæ Servatoris *Math.* 9. *v.* 14. 15. De antiquæ Ecclesiæ Jejuniis, ingenuè fatemur, omnia nobis non probari, minime tamen concedere, fuisse ea specie & formâ Papistica: uti hoc probatum est à *Scriptoribus nostris infra citandis.* IX. *Jejunia Ecclesiæ Romanæ*, sunt vel universalia vel particularia. *Universalia* sunt, vel hebdomadalia, feriæ scil. quartæ & sextæ: vel anniversaria, ut quadragesimæ; & quatuor temporum, mense scil. Martio, Junio, Septembri, Decembri; & in vigiliis Apostolorum, aliorumque festorum magis solennium: quę *Jejunia dispensationis* dicuntur, quod loco nocturnarum vigiliarum instituta sint, teste *Beletho* & *Durante in Rationali*; quas tamen restitutas velit *Joh. Stephanus Durantus Lib.* 2. *de Ritibus cap.* 4., ubi negat contra suos, eas aliquo Ecclesiæ Decreto abrogatas esse. Ad universalia referri debent *processiones*, quas Jejuniis & supplicationibus solicitudinis ecclesiasticę causâ indici solitis, substituisse videntur: uti hoc ostendimus in *Examine Processionis Colonensis a.* 1639. celebratæ, quæ exstat *in* 3. *Part. sel. Disp. tit. de Processionibus.*

Par-

Particularia ſunt, vel *hebdomadalia*, ut ſabbaticum Marianum etiam appellant: de quo exſtat blaſphemè ſuperſtitioſus *Tract. Auguſtini Wichmans* Præmonſtratenſis tit. *Sabbatum Marianum*: vel *anniverſariâ*, ut quinquageſimæ, quod ſolis Clericis imponitur. Ad particularia refer, monaſticorum Ordinum, ſecundum particulares ſuas regulas, Jejunia & abſtinentias. Inter quas emicat, Carthuſianorum perpetuam ichtyophagia, & à carnibus animantium terreſtrium abſtinentia. De his Papiſticis Jejuniis more ſuo diſſerit *Durantes in ſuo Rationali Lib.* 6. cui præiverat *Belethus in ſuo Rationali cap.* 8-12. *Caſſander* ea excuſare conatur, *in Conſultatione Artic.* 15. Cujus articuli Caſſandriani occaſione quæſtio hæc de Jejuniis Papiſticis ventilata fuit per *Scripta adverſa Grotii & Riveti.*

Cap. II.

Controverſia principalis quæ hodie de Jejuniis agitatur, aliaque inſuper Quæſtiones de iiſdem explicantur.

§. 1. Sequuntur nunc Quæſtiones controverſæ; inter quas principalis eſt, quæ nobis intercedit cum Pontificiis, de ipſorum Jejuniis ſupra notatis. Nos breviter hanc cenſuram in ea ſtringimus, quod ſint 1. Ludicra, hiſtrionica, hypocritica. 2. indiſcreta. 3. Superſtitioſa. 4. Hæretica, impia, immo & blaſphema. 5. Quod nimis colludant cum Jejuniis & abſtinentiis Gentilium, Judæorum, Muhammediſtarum. 1. probatur, *Primo*, quia abſtinent à cibo, non vero à potu: liquidum enim juxta ipſos, non ſolvit Jejunium; immo qui ſæpius bibit in die Jejunii ad expellendam famem, non peccat mortaliter contra præceptum Jejunii. Vide *Diſp. Caſuiſtarum*, inter eos *Bonacinæ Tom.* 2. *fol.* 488. 489. *Secundo*, quia in vigiliis abſtinent à ferculis ordinariis; interim collatione, quam vocant, fruuntur, ad ſatietatem. *Tertio*, quia in quadrageſima, vigiliis, &c. & Carthuſiani in perpetuum abſtinent à carnibus terreſtrium & volatilium, (dubio manente uſu inteſtinorum, amphibiorum, lacticiniorum): non vero à piſcibus, aliiſque cibis delicatiſſimis, quibus Apicii facile per totum annum jejunare velint. *Quarto*, quia plerumque tantum uſque ad prandium jejunant: quale Jejunium myriades hominum per totam vitam quotidie obſervant. 11. probatur, quia Eccleſiæ univerſali, omnibuſque & ſingulis ejus membris, cujuſcunque conditionis, ſtatus, vocationis, complexionis, quocumque tempore, unum idemque Jejunium præſcribunt: contra *Matth.* 9. 111. probatur, *Primo*, quia certis temporibus perpetuo recurrentibus ea aſtringunt. *Secundo*, quia in honorem ſanctorum ea celebrat. *Tertio*, quia etiam pro

Digitized by Google

mortuis jejunant. IV. probatur, quia ſatisfactionem pro peccatis, & ſupererogationem iis adſcribunt. V. *in* 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Quadrageſimâ & Bacchanalibus* aliquam partem indicavimus: quas de hoc aliiſque ad hanc Quęſtionem ſpectantibus conferat, cui vacat. Si quis aliorum cum adverſariis conflictus videre cupit, adeat *Chemnitium in Exam. Concil. Triden.*, *Daneum in* 1 *Timoth.* 5. *Eundem in Iſagogæ Tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 31. 32. *Chamierum in Panſtratia Tom.* 3. *lib.* 14. *cap.* 6. 7. 8. *Danhauerum in colleg. decalog. ad* 6. *præceptum. Diſpp. Salmurienſes*, *Dallei Tract. peculiarem.* De quadrageſimali Jejunio ſeu carnis privio in ſpecie diſſertatum fuit à *Nobis in Diſſ. modo cit. de Quadrageſ. & Bacchanalibus:* ubi indicantur *Morneus Pleſſiacus in Meditationibus Gallicis*, *Part.* 1. *Uſſerius in Prolegom. ad Epiſtolas Ignatii cap.* 9. & 13. *Hoſpinianus de Feſtis cap.* 14. *Aretius Tom.* 1. *Problem. Johannes Gerardus in Confeſſione catholicâ.* Jactatam quadrageſimæ antiquitatem pleniſſimè refutavit *Dalleus Lib. de Jejunio & Quadrageſimâ* a. 1654 Qui *idem in Scripto Gallico* nuperrimè a. 1662, *contra Jeſuitam Adamum*, *& Apoſtatam Cottiby edito Part.* 1. *cap.* 26. 27. 14. rationibus probat quadrageſimam Papiſticam Eccleſiæ trium priorum ſæculorum fuiſſe incognitam. Pro quadrageſimâ ſuâ pugnant; *Joh. Fileſacus in Opuſculis*, *Joh. Stephanus Durantus in Lib. de ritibus*, &c. *Gretſerus in Libro de Proceſſionibus*, *A Lapide in Math.* 4. *Turrecremata in Queſt. ad Euangelia dominicalia*, *dominicâ* 1. *in quadrages.* Imprimis antiquitatem huc trahere conatur *Albaſpinus Lib.* 2. *Obſervationum ſacrarum*, Et *in Notis ad Concil. Eliberini Canones pag.* 29. & 35. Sed panacæam adverſus omnia illa ſuppeditat *Dalleus in Scriptis* modo *laudatis.*

§. 2. Reſtant quæſtiones aliquot ad hujus materiæ illuſtrationem, determinandæ: Diſpeſcimus eas in 1. Textuales. 11. Dogmaticas & Hiſtoricas.

I. *Problem.* An abſtinentia Nazaræorum *Numer.* 6. Simſonis *Judic.* 14. Sociorum Danielis, *Daniel.* 1. Rechabitarum *Jerem.* 35. Johannis Baptiſtæ *Math.* 3. & *Luc.* 1. proprie ſit jejunium? *Reſp. Neg.* quia ſolum abſtinentia fuit ab aliquo cibi aut potus genere, certis de cauſis ſuſcepta, ex præſcripto mandati divini aut humani. Jam vero cibum aut potum hunc præ illo ſumere, nec famere eſt, nec jejunare.

II. *Probl.* An ſciſſio veſtium, ſaccus, vel cilicium, ſeſſio in cineribus, chameunia ſeu humicubatio, ſparſio cinerum in caput, faciei ſordidatio & obſcuratio, evulſio capillorum & barbæ *Joel* 2. *v.* 12. 13. *Pſal.* 35. 13. *Nehem.* 9. 1. *Jeſa.* 58. 5. *Jerem.* 6. 26. & 25. 34. *Ezech.* 26. 10. *Daniel.* 9. 3. *Jonæ* 3. 6. *Jobi* 42. *Ezræ* 9. 3. *Reſp.* fuiſſe illos communes geſtus, ritus, obſervationes ex inſtituto hominum, & conſuetudine gentium, præſertim Orientalium, inter eas Judæorum, in luctu, dolore, indignatione, humiliatione, aut ſupplici quâcunq; demiſſione coram hominibus, etiam extra actus & exercitia religionis,

gionis, adhiberi ſolitos: uti conſtat ex *Geneſ.* 37. 30. *Judic.* 11. 35. 1 *Sam.* 4. 12. 2 *Sam.* 13. 19. & 15. 32. &c. 1 *Reg.* 20. 31. *Job.* 1. 20. & 2. 12. 13. *Matth.* 26. *Actor.* 14. 13. De aliis gentibus idem conſtat ex *Herodoto Lib.* 3. ubi de morte Cambyſis; & *Curtio Lib.* 10. ubi de morte Alexandri & *Suetonio in Jul. Cæſare cap.* 33.; & *in Nerone cap.* 40. & Virgilio, *tum pius Æneas humeris abſcindere veſtem. Dione Lib.* 40. 54. 56. *Iul. Capitolino de Gordianis, Plutarcho in Cicerone.* Adde *Alcoranum cap. Joſephus.* Illos ergo geſtus & ritus pariter adhibebant in luctu, dolore, ſupplicatione, demiſſione & humiliatione pœnitentiali, ac ſpirituali, religiosâ coram Deo. Unde tamen non ſequitur eſſe ea ſigna ſacra & myſtica ex jure & inſtituto divino directè & immediatè conſcientiis impoſita, ſive ſecundum legem moralem in perpetuum, ſive ſecundum ceremonialem uſque ad tempus correctionis, ita ut inter umbras & typos Veteris Teſtamenti numerari debeant. Fuerunt ergo ſigna θέσει non φύσει; & quidem ex inſtituto & arbitrio humano: qualia ex. gr. apud nos ſunt, longa pallia, veſtes nigræ, &c. in luctu & funere Defunctorum, aut toga, & annulus in promotione Doctorum; aliæque obſervationes circa agenda œconomica, & politica innumera pro moribus, quarumcunque gentium: quæ vide *in Particularibus gentium Hiſtoriis & Topographiis*; & magnam partem eorum collegerunt *Joh. Boëmus Aubanus* & *Alexander Sardus in Tract. de Moribus & Ritibus Gentium.* Aliqua etiam notârunt *Polydorus Virgilius, & modo cit. Sardus in Libris ſuis de Inventoribus rerum.* De ritibus luctus ſuper mortuis videndus *Faber Semeſtr. Lib.* 2. *cap.* 10. Et *Gutherius Lib.* 1. *de Jure manium cap.* 14. 23. 24. *Alexander ab Alex. Lib.* 3. *Genial. c.* 7. & ibi *Tiraquellus.* Ad ſigna illa arbitraria non magis obligantur Chriſtiani, nec olim obligabantur Jure divino Judæi tempore Veteris Teſtamenti, quam Occidentales ad adiaphoros ritus Orientalium, aut vice versâ, & Germani ad ritus Gallorum, Septentrionales ad ritus Indorum, aut etiam quælibet gentes ad ritus majorum ſuorum. *Conſectar.* 1. Rejicimus ergo opinionem Pontificiorum, quæ ſtatuit ſaccum cilicinum eſſe inſtrumentum ſeriò agendæ pœnitentiæ ad priora ſcelera expianda, & ad bonum aliquod à Deo impetrandum; & quod hâc armatura panopliâ divini furoris ſpicula retunduntur: uti loquitur Jeſuita *Bonartius in Commentar. ad Eſther* 4. *p.* 161. 162. 163. *Conſectar.* 2. Examine indigent, quæ *ibidem* habet *Bonartius*, quod cilicinum maxime ſerviat ad pravæ cupidinis ſagittas repellendas & vitiorum illecebras comprimendas. Conferri poteſt 3. *Parſifel Diſſertat. de Pſeudomortificationibus. Conſectar.* 3. κονιορτιάσις Judaicam ſapit cinerum in capillos ſparſio, & frontis ſignatio in die cinerum: cujus myſterium explicat *Durantes in Rationali*, & *Bonartius loc. cit. Conſectar.* 4. Nec ut certum recipimus, quod quidam abſque probatione conjectant, omnes illos ritus ad ſacras ceremonias & typos V. T. pertinuiſſe.

111. *Probl.* Quid de effusione aquæ statuendum, 1 *Samuel 7. v. 6. Resp.* Sunt, qui per aquam intelligunt lacrymas, quæ hyperbolice dicantur instar aquarum effusæ; collatione facta cum *Psal.* 6. 6. & 119. 136. R. Selomo ben Melech in Michloh Jophi, ad locum illum, post relatas expositiones Sel. Jarchi, Davidis Kimchi, R. Levi ben Gerson, subjicit, *Rabbinos nostros benedictæ memoriæ dixisse, quod hauserint verba legis, & effuderint cor suum per resipiscentiam*, &c. Ipse vero concludit convenientissimum esse *si exponatur quod sit metaphora* (דרך משל) *quod fleverint*, &c. *quasi diceret, quod hauserint aquas lachrymarum suarum, & effuderint eas coram domino.* Inter Christianos Interpretes Beda: *hauseruntque compuncti de imo pectore fontem lachrymarum: quem effunderent quasi gratissimum Deo libamen, per oculorum vascula proferendo*, &c. Targum metaphoricè accipit de effusione cordis. ושפיכו לביהון בחיובהא כמיא, id est, *& effuderunt corda sua per resipiscentiam tanquam aquam. Andr. Osiander, Fr. Iunius & Notæ Anglicæ recentes* idem habent. Alii aquam proprie accipiunt, ut *Chemnitius* (citante *ibid. Osiandro*) & *Deodatus in Notis ad Biblia Ital.* Eandem concedit *Iunius. Munsterus* utramque refert, & in medio relinquit. *Lyra* similiter refert sententiam Targum & R. Sel. Jarchi. Et sic ferè Vatablus. Certe si textum propius inspiciamus, non videtur prior interpretatio ei aptari posse: quia dicitur וישאבו *& hauserunt aquam*; quod de lacrymis in Scripturâ usurpari non memini. Rabbini R. *David Kimchi* & R. *Sel. Iarchi* quamvis referant expositionem *Targum Ionathanis*, ei tamen minime insistunt: sed hic apertè dicit, במשמעו *secundum auditum ejus, hoc est, ut sonat, secundum literam, secundum simplicem sensum*, accipiendum esse de aquæ effusione tanquam signo resipiscentiæ: iste vero, tanquam de signo כפורין ענוין, id est, expiationis seu propitiationis iniquitatum. Aquam illam effusam vult *Osiander* ut hoc simili & signo (arbitrario, ut opinor) ἐξουθενισμὸν, humiliationem, & abjectionem suam indicarent. *Iunius* concedit, posse accipi pro externo symbolo resipiscentiæ. *Notæ Belgicæ* specialius explicant, quod fuerit signum effusionis cordis sui à peccatis purgatis coram Domino; de quo actu interiori vide *Threnor.* 2. 19. & 1 *Sam.* 1. 15. Et sic hæc aquæ effusio pari passu (meo judicio) ambularet cum ritibus *præced. Quæst.* indicatis. Quo modo *Sanctius in Commentar.* non male dicit, fuisse actionem hieroglyphicam. Nisi quis mysticum & sacrum symbolum ex mandato Dei (Deo per Samuelem indicante ac revelante), sed peculiare & extraordinarium intelligi velit: quod ideo nobis non esset imitandum. Non displiceret expositio *Martyris* & *Deodati*, quæ statuit totum hoc pertinuisse ad cultum ceremonialem & œconomicum V. T., secundum quem aquis se lustrabant & mundabant ad Deum accessuri; aut ad sacrificiorum ablutionem aquas adhibebant:

hibebant: nisi aliud quid & peculiare (quodcunque illud sit) innuere videretur per verba illa: *& effuderunt coram Domino.* Vix video cur & quomodo de ordinariâ lustrationis, aut ablutionis aquâ & de aquâ ad lavandas victimas & ad munditiem Sacerdotum diceretur, quod effundatur *coram Domino.* Quo accedit, quod nusquam legitur aquam in sacrificium Deo potuisse offerri; uti observat *Abulensis.* Fabula est antiquorum Rabbinorum de aquâ diris à Samuele devotâ, & propinatâ Israelitis, ad instar aquæ zelotypiæ, ut per eam dignoscerentur Idololatræ. Quam referunt & refutant *Martyr* & *Caspar Sanctius*, *in Commentar. ad hunc locum.* Posterior præterea refert & rejicit eandem fabulam, sed variatam & auctam, quam probant *Hugo*, *Rupertus*, & *Historia scholastica*; quod scil. idolum in pulverem à Samuele redactum, & exemplo Mosis (*Exod.* 32.) aquis mixtum potandum datum fuerit Israelitis, & in illorum barbis fuisse cognitum, quis esset idololatra. Porro antiquorum Rabbinorum hoc fuisse commentum (apud recentiores enim, quos ego quidem nunc consului, non comparet), habent modo *citati Commentatores*, *Hugo*, *Rupertus*, &c. ex *Libro de Traditionibus Hebraicis*, qui exstat sub nomine *Hieronymi.* Quocunque modo hic textus exponatur: nihil saltem pro perpetuo & morali præcepto omnibus pœnitentibus, jejunantibus, supplicantibus, etiam sub N. T., observando, hinc educi potest.

14 v. *Probl.* Quid de planctu & fletu *Ioel.* 2. *Resp.* esse signa naturalia & communia, commotionis affectuum, tristitiæ scil., iræ, indignationis, sympathiæ, subinde etiam gaudii: idque magis aut minus pro ratione complexionum. In Jejuniis obtinet *tum* praxis & renovatio resipiscentiæ, ac doloris super peccatis, tum ardens deprecatio malorum, apprecatio bonorum. Non mirum ergo, si erumpant lacrymæ, aut saltem gemitus & suspiria pœnitentium & orantium. Confer *peculiarem nostram de Lachrymis Commentationem*, „ *Tract. de Exercitiis pietatis* insertam. Recte *Tostanus in Commentar. ad* „ *Thren. Ierem. cap.* 2. In precibus, præsertim extraordinariis & ardentibus, „ recte adhibentur symbola & signa externa, quę partim nostram contritio- „ nem testentur, partim nos excitent ad serias preces, ut lacrymæ, elevatio „ manuum, clamor, &c. symbola tamen illa externa per se nihil sunt, jejunia, „ vigiliæ, elevatio manuum, percussio pectoris, &c. nisi res ipsa, nempe ve- „ ra contritio, veraque levatio cordis ad Deum sit conjuncta *Conclus.* 1. Removemus à fletu, aliisque externis doloris & humiliationis pœnitentialis indiciis, omnem rationem sacri aut mystici signi, sacramenti, sacramentalis. Vide supra *Lib.* 2. *Tract.* 1. *cap.* 3. 4. 5. & 3. *Part. Sel. Disp. tit. de Benedictionibus & Sacramentalibus. Conclus.* 2. Nolumus etiam, ubi lacrymę pœnitentium sponte non fluunt, à siccoculis (quales aliqui peculiari complexione, aut vehementiâ opprimentis quasi doloris) cieri ac violenter aut adhibita opera ex-

exprimi lacrymas, in morem Hiſtrionum, Præficarum, Funerarum, Hypocritarum; nedum ut ad certam menſuram lacrymas fundere oculos noſtros cogamus & erudiamus: quaſi ſcil. ex opere operato aliquam placamenti & ſatisfactionis efficaciam habeant.

v. *Probl.* an Ex *Math.* 17. *v.* 21. Jejunium peculiari ſeu propria quadam ratione ſpecificum remedium ſit dicendum adverſus poſſeſſiones dæmonum: an vero genericum & commune adverſus omnia externa & interna aut diuturna, aut vehementia, aut multiplicia mala ſive animi, ſive corporis, præſertim ea, quæ θεῖα & θειότατα peculiariter vocãtur. *Reſp.* Nos inclinamus in *Aff. poſterioris.* Vide & confer 1. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Emergumenis*; & 3. part. tit. de Exorciſmo part. 1.

VI. *Probl.* Quid ſtatuendum de Jejuniis triduanis *Eſther.* 4. 16. & ſeptem dierum, 1 *Sam.* 31. *v.* 13. an peracta fuerint abſque omni guſtu cibi & potus. *Reſp.* Per Jejunium ſeptem dierum commodè per metonymiam adjuncti intelligi puto, luctum ſuper mortuo, quem ordinario comitabantur jejunia; quod abſtinerent non quidem ab omni cibo & potu continuis diebus; ſed ab apparatu cibi ordinarii aut delicatoris, & forte eriam ab omni cibo uſque ad veſperam. Similiter ferè accipiendi ſunt ſeptem dies *Iobi* 2. *v.* 13. ubi vide *Coment. Pinedæ.* De ſeptem diebus luctui deſtinatis, *Syracides cap.* 22. 13. *& ibi Coment. Corn. à Lapide.* Quamvis etiam plures fuerint, ut 34. & 50. de quo videndi *Commentatores ad Geneſ.* 50. & *Deuter.* 34. De triduano jejunio Eſtheræ ambigunt Interpretes. *Lyranus* putat aliquid eos guſtaſſe. Bonartius quamvis ei obloqui videatur, ſubdit tamen: *Videtur tamen Eſtheræ jejunium per ſynecdochen ſumendum more ſcripturæ, quia pars pro toto accipitur: dicitur enim* cap. ſeq. v. 1. 5. *die tertio*, &c. *cum rege & Amano convivata.* In quâ ſententiâ acquieſcere poſſumus. Quamvis non ita inſolitum videri debeat triduanum in plagis illis Orientalibus Jejunium. Varia diuturni Jejunii exempla adducuntur à *Bonartio Comment. ad Eſther.* 4. *p.* 190. ſed quæ magnam partem ad mythologiam referenda ſint.

VII. *Probl.* Quid ſtatuendum de Jejuniis *Zachar.* 7. 5. recenſitis? *Reſp.* Jûdæos illum luctum cum adjuncto jejunio ſibi indixiſſe & obſervaſſe 70. annis captivitatis: uti conſtat ex 2 *Reg.* 25. 9. *Ierem.* 52. *v.* 12. Unum quidem menſe quinto, in memoriam combuſtæ Urbis & Templi; alterum menſe ſeptimo, in memoriam cæſi Godoliæ (de quo *Ierem.* 41.) Eſſe ergo totum hoc referendum, ad ritus arbitrarios Orientalium, inter quos & Judæi, quĩ publico & ſolenni luctu, calamitates ſuas, & dolorem inde conceptum teſtari voluerunt. *Calvinus in Commentariis* ſtatuit pia fuiſſe exercitia, & Deo placuiſſe. Meritò tamen dubitari poſſet an non hæc luctus indicia & ſolennia referenda ſint ad modos ac ritus Orientalium: qui quamvis per ſe adiaphori fuiſſent, cum modum non excederent; minimè tamen Fideles in conſcientiâ

ſcientiâ tunc obligabant, nedum ut Eccleſiis N. T. legem ponant, aut facultatem concedant, anniverſaria Jejunia, ſive quatuor temporum, ſive vigiliarum, ſive quadrageſimæ conſcientiis præſcribendi. Quod tamen Pontificii ex hoc loco educere conantur. Conferantur, quæ de illis Iejuniis *cap. præced.* notamus.

Problemata dogmatica, practica & hiſtorica ſunt 1. *Probl.* An temperantia & §. 3.
ſobrietas propriè ſit Jejunium? *Reſp. Neg.* Quia illa eſt virtus ſeu bonum opus per ſe, & quidem ordinarium, perpetuò neceſſarium: iſtud vero non eſt virtus ſeu bonum opus aut pietatis exercitium per ſe, ſed propter aliud & ad aliud: & quidem non ordinarium, ſed occaſionatum. Ita ut illam alimento, hoc medicamento comparare poſſimus. 11. *Probl.* An Jejunium à nobis definitum referendum ſit ad legem ceremonialem, an vero ad moralem; & ſi poſterius dicatur, ad quod præceptum Decalogi? *Reſp.* 1. *Concl.* Jejunium eſt legis moralis & immutabilis: poſt lapſum ſcil. 2. *Concl.* conſequenter non eſt abrogata ejus obſervatio per mortem Chriſti; ſed permanet in N.T. Quod ſolidè probatur ex *Matth.* 9. *v.* 15. *Actor.* 13. & 14. 23. 1 *Corinth.* 7. 5. & 2 *Cor.* 11. 27. Argumentum à nonnullis allatum ex *Matth.* 6. 16. 17. præſtat omittere. Facile enim ad illud excipi poſſet, Chriſtum loqui ibi de bono opere & cultu Dei, uti tunc requirebatur pro temporum œconomiâ, ſtante adhuc neceſſariâ obſervatione ceremoniarum uſque ad mortem Chriſti. 3. *Concl.* Refertur ſecundum formale ſuum ad primum Decalogi præceptum, quò humilitas, reſipiſcentia, oratio, cum mediis cauſis, & adminiculis referri ſolet. Quod ad ipſam abſtinentiam in ſe & materialiter conſideratam, ea ad ſextum & ſeptimum Præceptum referenda. 4. *Concl.* Eſt exercitium ſeu bonum opus, ex ordine hypotheticorum, qualia ſunt reſipiſcentia, eleemoſyna, juramentum, juſtitia punitiva, abnegatio ſui ipſius, patientia in adverſis, placabilitas & remiſſio injuriæ. Hæc enim, ſine ingreſſu peccati in mundum, locum nullum habuiſſent. 111. *Probl.* An Jejunium, quatenus exercitium pietatis eſt, propriè & formaliter conſiſtat in abſtinentiâ, & corporis depreſſione; an vero in intenta praxi reſipiſcentiæ & orationis? *Reſp. Poſt. Aff.* Illa enim eſt propter iſtam, & ad iſta, & eo ſolo reſpectu inter exercitia pietatis numeratur: abſque hoc nihil eſt. Rejicimus ergo hic omne opus (uti vocant) operatum. 1v. *Probl.* An verbi auditio & lectio, ſint formales actus ſolennis Jejunii? *Reſp.* Sunt propriè diſpoſitivi & præparatorii ad exercitium illud ritè peragendum. Alioquin finguli dies Dominici eſſent publica Jejunia: Quod abſurdum. v. *Probl.* An Eleemoſyna partem faciat. Jejunii? *Reſp.* Non tanquam actus formalis, ſed tanquam effectum & ſignum renovatæ reſipiſcentiæ, & promiſſionis noſtræ Deo factæ de obſervantia pietatis erga Deum, & juſtitiæ ac caritatis erga Proximum. Sunt itaque prædicationes

illæ *Jesa.*58.6.7. accipiendæ, tanquam impropriæ, quomodo Jacob.1.v.27. *religio dicitur visitatio*, &c. VI. *Probl.* An ab omni potu æque ac cibo, item à medicamentis, balneis unctionibus, lusibus & recreationibus abstinendum? *Resp.* 1.*Concl.* à potu æque ac à cibo abstinendum: est enim alimentum, & quidem corporis refectioni non minus (si non aliquando magis) quam cibus inserviens; imprimis si vinum sit de quo *Psal.*104. 15. aut potus illi analogus. Hic rejicimus dictum illud in Papatu usitatum: *liquidum non solvit Jejunium.* Et *Recentium Scholasticorum ad* 22. *qu.* 147. Et Casuistarum determinationem, quod Jejunium tantum sit abstinentia à cibo non à potu. Sic *Ariaga ad Thomæ Disp.* 57.*sect.*2.*subject.* 2. §.19.20. & *Bassens in voce Jejunium. Ariaga loc. cit.* distinguit inter Jejunium in rigore naturali sumtum, quod consistit in omnimodâ abstinentiâ ab omni cibo & potu: & inter Jejunium ex præcepto, quod potest esse diversissimum. Audacter ab eodem *ibid.*dicitur: quod per Jejunii in antiquâ Ecclesiâ institutionem circa potum nihil fuerit prohibitum. Quid? an Ecclesia non proposuit sibi exempla *Ezræ cap.*10.*v.*6. *Esther* 4.*v.*16. & Ninivitarum *Jon.*3.*v.*7. quorum Jejunia consistebant in non gestando potu æque ac cibo. Vide *Commentar. A Lapide ad Jon.*3.7. Nec satis solidè à Basseo hæc ratio adducitur: adjicitur in definitione *à cibo, non autem à potu, tum quia potus potius ordinatur* ad *distributionem cibi per corpus, & sanguinis refrigerium, quam ut per se corpus alat.* Quomodo etiam philosophati sunt *Thomas* & *Richardus ad* 4. *dist.* 15. & cum iis *Nicol. Orbellis ibid. quæst.*26. Gabriel Biel ad 4. dist. 16. quæst. 3. P. *aliquantulum vini aut cerevisiæ sive ante cœnam sive post sumatur non solvit Jejunium, etsi aliquantulum nutriat; quoniam principalis usus potandi non est ad nutriendum, sed ad deferendum cibum, ut convenientior fiat nutritio.* Quod Physicis & Medicis judicandum relinquo; specialiter illis, qui de vino & omni potabili peculiares tractatus scripsere. Qui alimenti duo genera constituunt, unum quod esculenta suppeditant, quibus restauratur, quidquid solidioris substantiæ absumtum est: alterum quod potulenta præbet, quibus ea quæ humidiora sunt, reficiuntur. Experientia docet, quam egregiè nutriat cerevisia insigniter, immo saltem mediocriter bona; & quomodo complures saltem tenuiter subinde gustato cibo vitam aliquamdiu sustentent, immo duros labores perferant. Est nonnemo ex Medicis (si bene memini) qui eam hoc respectu supra vinum extollit. De vino Valesius in Philos. sacrâ cap. 27. *quod non nutrit tam firmiter ac panis, tamen multo citius.* Et paulo post: *quæ vero nutriunt cito, præstant alacritatem, refectione illâ facili spirituum, revocant ab exolutione & deliquio, si quod est.* Adde textus Scripturæ *Psal.*104. *v.*15. *Proverb.*31.*v.*6.7. quæ *Valesius ibid.* præmiserat; & judica, quomodo potus vini cum finibus Jejunii, quos ipsi assignant, conveniat. Inter quos etiam

numerant repreſſionem carnalium cupiditatum. Atqui nihil minus huc facit, quam uſus vini uti ipſos docebunt *Medici;* & *Commentaria* Jeſuitę *Magalliani in 1 Tim. 5. 2. Concl.* à medicamentis neceſſariis, potionibus ſcil., pilulis, bolis, tabulis, &c. Non eſt abſtinendum: illa enim non alunt corpus. Tantundem vero faceret, qui religione Jejunii medicamenti uſum recuſaret, ac qui emplaſtrum vulneri, inunctionem & ligaturam luxato aut fracto cruri aut brachio applicari nollet. 3. *Concl.* De unctionibus & balneis diſtinguimus. Si medica ſint & à Medicis præſcripta, non putamus abſtinendum ab illo, cui afflicta aut dubia valetudo. Sin vero voluptuaria aut merè conſueta ſint, aliter cenſemus. Excipitur tamen caſus in privato & clandeſtino Jejunio: ubi quis ex neglectâ ordinariâ unctione & cura corporis in hypocriſeos aut vanæ oſtentationis ſuſpicionem veniret, *Math. 6. 16. 17. 18. 4. Concl.* A luſibus, & externis recreationibus ac deliciis abſtinendum, quibus aut animus, aut ſenſus externi, aut corpus exhilaratur. Hæc enim magis repugnant *afflictioni animæ* (in quâ jejunium conſiſtit *Levit. 16.* & *23. Ieſa. 58.*), quam cibus & potus. Quæ præterea hic diſtinguere, & excipere ſolent *Scholaſtici ad 4. Diſt. 15. & 22. qu. 147. & Iob. Zanchez. Abulenſis in ſel. Diſpp. practicis p. 305. Recentiores Caſuiſtæ* apud *Baſſeum* citati, eo facere videntur, ut nomine Jejunii retento, res ipſa ſive verbo Dei ſive antiquæ aut hodiernæ Eccleſiæ Romanæ præcepto præſcripta tollatur. Sunt autem ſequentia: Diebus illis, quibus prohibetur caro, etiam lardum & ſaginam ſeu pinguedinem prohiberi intelligendum eſt; niſi lex aut conſuetudo recepta aliud habeat. Cui ob debilitatem naturæ conceſſum eſt privilegium comedendi carnes in die Jejunii, non tenetur jejunare, ſeu abſtinere à multiplici refectione. Quando alicui carnes prohibentur, non ideo illi prohibetur eſus ovorum & Lacticiniorum. Qui vovit Jejunium, aut cui indictum eſt à Confeſſario, vel à Papa tempore jubilęi, poteſt veſci lacticiniis aut aliis cibis. Jejunii præcepto ſatisfacit qui ventrem adeo replet, ut Jejunii difficultatem non ſolum ſentiat, nec carnis vitia comprimat, ſed potius libidinem excitet, & foveat; modo à cibis in die Iejunii velitis abſtineat, nec plures refectiones ſumat: quia ille dicitur præcepto ſatisfacere, qui præſtat id, quod præceptum eſt; & finis præcepti non cadit ſub præcepto. Sic *Covarruvias, Reginaldus, Medina, Baſſeus, &c.* Potus ſumtio frequentior non vetatur &c. nec uſus electuariorum & conditorum, quia non ſumuntur ut alimenta, ſed ut medicamenta, niſi quis hęc ſumat in magnâ copiâ in fraudem Iejunii. Si quis ſumat communis cibi quantitatem ad duas uncias, non ſufficit ad peccatum mortale. In comeſtione carnium in quadrageſimâ, aut aliis Iejuniis parvitas materiæ excuſat à mortali: ſicuti parvitas materię in furto. Quamvis unica refectio in die Iejunii præcipiatur, ex conſuetudine tamen collatiuncula veſpertina licita eſt, modo non excedatur in quantitate;

quia illa non dicitur refectio, ſed refectiuncula. Addit *ibidem*: hanc collatiunculam, quando juſta cauſa ſubeſt poſſe ſumi mane aut meridie, cœnâ in veſperam dilatâ: *quia conſuetudo hoc permittit.* Et hæ ſcil. rigidæ illæ mortificationes, abſtinentiæ, carnis ſubactiones & caſtigationes; quæ ſanctitatem Papatus ad oculum demonſtrant. Sed tædet reliqua ex *Baſſeo* excerpere. Addamus ex *Zanchez. Lib. 7. de Sacramento matrimonii Diſp.* 32. §. 17. Minores an. 21. & ſenes ſexagenarii à Iejunio excuſantur, ſive virium in illis ſit defectus ſive non ſit. *Hanc ſententiam* dicit *Viris doctiſſimis placere, & ſibi valde arridere. Ibidem* determinat Fœminas quinquagenarias à Iejunio excuſari. Futiles utriuſque determinationis rationes videat illic, cui hoc tanti eſt. *Ioh. à Choquier* Vicarius Epiſcopi Leodienſis *in Tract. de Senectute a.* 1647. *cap.* 21. fluctuat potius, quam determinat, & fatetur, *jure non determinatum eſſe*, an ſexagenarius Senex validus excuſetur. VII. *Probl.* An privata & occulta, tùm peccata tum mala domeſtica, Miniſtris indicanda, ut in precibus eorum exſertam mentionem faciant; eaque univerſus cœtus cum ipſis deprecetur. *Reſp.* Tale quid ab aliquo factum, & mecum ſuper eo diſceptatum memini. Nolo determinare, nunquam quocunque in caſu hoc fieri poſſe: ſed raro aut vix prudenter ac tutò hoc fieri poſſe. Si enim non ſit ex eorum genere, quę nunquam honeſtari poſſunt; ſaltem eſt ex genere eorum, quæ quaſi ſonant in malum: idque ob hominum malitiam; & quod tam pauci reperiantur ἀσύγχυτα, inſuper numeroſis familiis & frequentibus Eccleſiis etiam conveniat illud: *Multi vocati, pauci electi.* 1. *Quia* Omnibus promiſcuè talia revelare non tenemur. 2. *Quia* non expedit à Miniſtris, nedum ab Auditoribus occulta peccata, quæ quis ipſe ſenſit aut ſentit & contra quæ pugnat, cognoſci: ne de exiſtimatione honeſti Viri ſine neceſſitate apud Eccleſiam quid decedat: & ne illi aliquando ab aliis exprobetur: atque adeo ſcandalum excitetur, ubi ſcandalum non eſt. 3. *Quia* caritas operit multitudinem peccatorum. 1 *Petr.* 4. Quod ſi alienorum, quid ni, immo quanto magis propriorum? Ut nemo propriam carnem odio habet *Eph.* 5. 29. ſic nec propriam famam. 4. *Quia*, ratio, quæ adferri ſolet adverſus juramentum inquiſitorium ſeu ex officio (uti vocant), ex communi illâ regulâ, *nemo tenetur prodere ſeipſum*; deſumta, huc etiam applicari poteſt. 5. *Quia* rationes ſcripturarias, & teſtimonia Patrum, quæ contra confeſſionem auricularem militant, analogicè huc applicandas puto. De malis triſtibus idem dico, ſiquidem talia ſint, ut ſine intervenientę Fidelium, aut domeſticorum, aut propinquorum peccato, nobis non eveniant. Quâ patientiâ & taciturnitate circa occulta peccata Fidelium, aut Propinquorum (ex. gr. Parentum, Liberorum, Dominorum, Maritorum, Uxorum, &c.) nos verſari conveniat, alibi docetur. *In Diatribâ, de Correptione fraternâ*

VIII.

VIII. *Probl.* An ſic conveniant celebrationes Iejunii & Euchariſtiæ publicæ, ut aut ſemper, aut ſubinde, datâ inſigni aliquâ occaſione, in idem tempus aut in eundem diem incidere & indici poſſint? *Reſp. Neg.* Differt enim luctus publicus aut privatus à jubilo, Iejunium à feſto, afflictio externi hominis ab hilariis, querela à triumpho & epiniciis, lacrymæ à riſu, ſaccus à choro & canticis: ita ut uno eodemque tempore utraque ritè & ſeriò obſervari non poſſint, ſine diſcordi & abſurdâ concordiâ. Ut enim nox diei, & dies nocti ſic tempora nubila lætis & viciſſim; & conſequenter Iejunia euchariſtiis, ac vice verſa ſuccedunt; divina providentia partitis vicibus ita diſpenſante. Vide *Pſal.* 30. 11. & 40. 1. 3. & 116. 8. & 118. 15 19. *Eccleſiaſt.* 3. 1. 4. Eſt enim dies Iejunii ſeu ſupplicationis, dies afflictionis & depreſſionis animi & corporis, dies pœnitentiæ: uti etiam conciones pœnitentiales eidem conveniunt. *Chryſoſtomi* 10. *Homiliæ de Pœnitentiâ* habitæ fuerunt diebus Iejunii. Sed *Obiiciat quis* 1. *Object.* piis ſemper paratum eſſe gaudium *Phil.* 4. *Iohann.* 16. 22. ob certitudinem gratiæ Dei in Chriſto & futuræ gloriæ, & nihilo minus triſtitiam, luctum gemitus 2 *Corinth.* 5. *v.* 4. *Math.* 5. *v.* 4. *Ioh.* 16. *v.* 20. tum propter inhabitans peccatum *Rom.* 7. *v. ult.* tum propter mala hujus vitæ & propria & aliena. Poſſunt ergo ſimul conſiſtere 2 Corinth. 6. 10. *Triſtes, ſemper tamen læti.* & mixtim ac ſimul celebrari Iejunia ac hilaria, juxta illud Pſal. 2. 11. *Exultate cum tremore. Reſp.* 1. De ſpirituali & interno gaudio illic agitur, non de externis & ſolennibus hilariis publico luctui ac Iejunio miſcendis. 2. Dato, aliqua externi gaudii & exultationis ſigna abſolute à Iejunio & luctu non excludi: inde tamen non ſequitur contraria illa in gradibus excellentibus ſimul ſubſiſtere poſſe, & duo elementa prædominantia eandem ſolennitatem ingredi. 3. Quidquid judicet prudentia humana, divina mixturam illarum ſolennitatum & exercitationum rejicit *Ieſa.* 22. 12. 13. *Nehem* 8. 9. 10. *Math.* 9. *v.* 14. 15. *Ioel.* 2. *v.* 12. 15. 16. 17. Confer & *Zachar.* 7. 3. 5. & ibi *Commentatores.* Cum Deus vocat ad planctum, ad ſaccum &c. non vult convivia celebrari *Ieſa.* 22. & viciſſim, cum vocat ad celebrationem diei boni & læti? vult abſtineri à ſolenni & vehementi luctu & planctu (qui proprius eſt diei Iejunii *Ioel.* 2. *v.* 12. *Ieſa.* 22. *v.* 12.) vult hilaria celebrari per convivia *Nehem.* 8. *v.* 9. 10. 2. *Object.* Atqui ſemper & indefinenter & petere debemus neceſſaria, & ſimul gratias agere pro beneficiis acceptis 1 *Theſſal.* 5. 17. 18. coll. cum *Hebr.* 13. 15. Ergo etiam utrumque hoc officium quovis die ſolenni euchariſtico, & Jejunii præſtandum. *Reſp.* conceditur totum: ſed inde non ſequitur, ſolennitatem utramque confundendam, aut in unum tempus rejiciendam. Cum objectis, cauſis impulſivis, finibus, formis, ſeu actibus formalibus & internis & externis, denique, adjunctis ſecundum Scripturas, diſtinguantur. Unumquod-

que autem ab elemento prædominante, & ab actu ſpecificante denominandum eſt. Sic erat dies feſtus, dies bonus, dies lætitiæ in V. T. non vero dies luctus & Jejunii. *Nehem.* 8. *v.* 9. 10. quamvis ſine precibus & peccatorum atque indignitatis recordatione, tranſigendus non eſſet: uti conſtat de hilariis, feſtis, & euchariſtiis tum ordinariis, anniverſariis ſcil. & menſtruis, tum extraordinariis *Exod.* 15. 1 *Reg.* 7. & 8. 2 *Paral.* 20. 3. Sic vice verſa, nullum erat Jejunium, abſque omni recordatione, & gratâ commemoratione beneficiorum Dei celebrandum. Uti conſtat tum de ordinario & anniverſario die expiationis *Levitic.* 16. 29. tum de extraordinario 2 *Paral.* 20. 3. *Ioelis* 2. *Ezræ* 7. Recte ergo indictio Jejunii etiam includit & præſcribit officium euchariſtiæ, & viciſſim indictio euchariſtiæ, officium petitionis ſeu precationis. Sed minus recte unus idemque dies euchariſticus propter victorias ab hoſtibus partas, aut propter patriam atque eccleſiam gratioſe conſervatas ac beneficiis cumulatas, aut propter res arduas & periculi plenas, in Politia aut Eccleſia feliciter confectas indictus, vocatur dies Jejunii, & illa forma obſervandus præſcribitur. Imprimis abſurdo non careret, ſi dies Jejunii diceretur, cujus hilaria & feſtivitates publico & externo lætitiæ ac triumphi ſtrepitu oſtentanda eſſent. *Non eſt conveniens luctibus ille color.* Ex Pontificiis *Serrarius in Eſther.* 9. & in 2. *Machab.* 15. recte obſervat, triumphali & læto feſto non convenire Jejunium. Ex noſtris *Lavaterus in Nehem.* 8. *v.* 9. „Ex ſe peccatum non erat, quod flebant; ſed illo die gaudendum erat: „Lachrymæ enim & luctus præſentibus feriis tubarum non conveniebant. „Juſſerat Dominus feſtos ſuos dies, cum magno animi gaudio celebrari „ *Deuter.* 16. &c. Omnia ſuo loco & tempore fieri decet. Eſt tempus flendi, & tempus ridendi, *Eccleſ.* 3. 11. *Probl.* An Jejunium pridianum præmittendum ſit feſtis ſolennioribus: ut volunt Pontificii; quod *Boenartius* ex *Eſther.* 9. *v.* 31. elicere conatur? *Reſp.* Feſta, quæ ita vocant, cum ipſo jure nulla ſint in N. T. (uti oſtendimus in 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Feſtis,*) ſequitur geminam illam præparationem per vigilias & Jejunia, nullam eſſe. Et cum ipſi vigilias abrogârint propter graves rationes, excepto pervigilio nativitatis Chriſti; quidni & nos Jejunia abrogemus? Imprimis autem rationes noſtræ militant contra pervigilia Mariæ & Apoſtolorum. Rationes, quas coacervat *Bonartius* 333. pro pridianis his Jejuniis tam ludicræ & futiles ſunt, ut chartam earum relationibus & ſolutionibus onerare, operæ pretium non ſit. 10. *Probl.* An conveniat Eccleſiæ N. T. ſtata Jejunia præſcribi? *Reſp. Neg.* Pertinebat hoc ad V. T. cultum pædagogicum: illic unicum ſtatum & anniverſarium Jejunium expiationis celebrabatur *Levitic.* 16. & 23. De nullis præterea legimus, niſi indictivis ſeu occaſionatis, ut *Ezræ* 7. *v.* 21. *Ioel* 2. 2 *Paral.* 20. *v.* 3. *Eſther* 4. *v.* 16. In N. T. de nullo publico com-

Digitized by Google

communi ſeu univerſali legimus ; ſed de uno atque altero ſolummodo particulari in Eccleſiâ Antiochenâ *Actor.* 13. *v.* 2. 3. & in Eccleſiis Lyſtriæ, Iconii, Antiochiæ *Actor.* 14. *v.* 23. Reliqua ſunt privata, ut 1. *Cor.* 7. *v.* 5. 2 *Cor.* 11. *v.* 27. *Actor.* 9. *v.* 9. 11. Iejunium *Actor.* 27. *v.* 9. non eſt N. T. ſed Iudaicum *Levit.* 16. & 23. *Numer.* 29. *v.* 7. quod cum reliquis ceremoniis abrogatum eſt. Hoc autem ſtatum & perpetuum non erat menſtruatim aut annuatim recurrens, ſed purè indictivum, & iſtius καιρου ac loci. In Eccleſiâ antiquâ ſi in privatis illis aut publico-particularibus & occaſionatis, occaſione baptiſmi (de quibus *Juſtinus in Apolog. ad Antoninum*), & ſimilibus ſubſtitiſſent, nihil utique abſurdi feciſſent. Nunc quia progreſſi ſunt ad ſtata & recurrentia quadrageſimæ ac ſtationum Iejunia, imprudentes occaſionem dederunt poſteris, aliquid inventis illis addere ; donec tandem Papiſtica Iejunia inde edolarentur. Quæ *Pamelius In Scholiis ad Tertulliani Librum de Iejuniis c. Pſychicos*. fruſtra à ſymbolizatione cum Montaniſticis purgare conatur. Forte quis objiciat, in *Statutis Noſtris eccleſiaſticis* Iejunium præſcribi *in Vocatione Miniſtrorum. Reſp.* Non eſſe hoc ſtatum & perpetuum, nedum univerſale ; ſed indictivum ſeu occaſionatum, & particulare, in illâ ſcil. particulari Eccleſiâ, ubi Miniſter aut Miniſtri vocandi ſunt. XI. *Probl.* Quid cenſendum de Iejunio privato, quod quis ſibi indicit, & quidem perpetuo hoc vel illo ſtatuto die recurrens, obſervandum ; ex voto ſolenni aut ſaltem certo propoſito ? *Reſp.* Malîm abſtineri. Saltem nemini autor eſſem, ut voto ſibi illud imponeret. Novi quem Centurionem Anglum cætera probum & reformatæ religioni addictiſſimum, publicaque ejus exercitia diligenter & aſſiduò frequentantem, qui die Dominico ex Belgio noſtro in Angliam trajecturus ab Hoſtibus cum navi, quâ vehebatur, interceptus fuerat & aliquamdiu in carcere Duynkerckano detentus, atque inde lytro perſoluto liberatus, ab eo tempore nunquam diebus Dominicis cibum ſumebat ante veſperam. Præter hunc novi nobiliſſ. Centurionem Scotum, ætate juvenem, ſtudio pietatis, gravitate, modeſtiâ, gratiosâ & prudenti converſatione eximium, in omnibus concionibus audiendis (habebantur illic ſingulis hebdomadibus quinæ) aſſiduum, in privatâ Scripturæ, piorum libellorum, hiſtoricorum, politicorum, lectione, & diligenti obſervatorum ex iiſdem enotatione, diligentiſſimum, qui diebus Veneris domi, foris, ab omni cibo uſque ad veſperam abſtinebat : etiam cum in Aulâ civilitatis & officioſitatis causâ ſub ipſam horam prandii ſubinde adeſſet, ibidemque mensâ ſtratâ detineretur, eidem aſſidens aut juxta eam ſtans ſermones inchoatos quidem miſcebat, & prandio breviter abſoluto officia civilitatis erga ſuperiores & pares implebat, nihil tamen guſtabat. Is quum anno 1626. ab Imperatore exercitus juxta cum aliis miſſus eſſet Bergam ad Zomam, ut eam ab Hiſpanis tunc ob-

obſeſſam defenderet,& ſimulac ex navi exſcendiſſet,(quod incidebat in diem Veneris) eruptionem in Hoſtes obſidentes juxta cum aliis delectis cohortibus animosè faceret, non ſine felici ſucceſſu ; ibidem fortiter pugnans occubuit. Eum referebant Amici & Familiares (qui abſtinentiam ipſius ſive conſuetam ſive votivam optimè noverant), præter perpetuum morem, brevi & exiguo jentaculo ſe refeciſſe, antequam in Hoſtem iret. Quâ particulari occaſione, aut intentione diei Veneris perpetuam abſtinentiam ſibi indixiſſet, nemo ex ipſo reſcire potuit. Hoc ſaltem ſcio, eum pietatis, virtutis, prudentiæ perquam ſtudioſum, & in bono conſtantem fuiſſe : Ex adverſariis ipſius M. S., quæ in manus meas devenerunt, in quæ referebat obſervatu & notatu digniſſima in lectione librorum occurrentia, diſco eum ex Theologis Perkinſum, ex Hiſtoricis Livium, Plutarchum, Rich. Knols Hiſtoriam Turcarum, Fl. Ioſephum, Taciti annales, Raph. Holinſched Hiſtoriam Angliæ & Hybernię, Ioh. Petiti Hiſtoriam Belgii, Hiſtoriam Guiccardini, Tarchagnota Hiſtoriam univerſalem Italicè, pluresque alios Scriptores Theologicos & Hiſtoricos à capite ad calcem perlegiſſe ; notatis diebus inchoatæ, & finitæ lectionis ; imprimis etiam ſententias quaſdam ex Bibliis enotaſſe, & loca omnia formulas precationum continentia, notaſſe : denique Kalendaria vitę ſuæ in ſcedis conſignaſſe diſtributa per dies, menſes, annos, quorum alteri *dedicati* (ita Italicè manu ipſius ſcriptum inveni) homini veteri, alteri *dedicati* homini novo in Jeſu Chriſto. Unde colligere eſt, quam ſollicitè ſibi ipſi attenderit, & recollegerit in quo ſingulis diebus, menſibus, annis ſecundum veterem hominem defeciſſet, & ſecundum novum profeciſſet. Hęc hâc occaſione hic referre viſum, ut Miniſtri & Candidati miniſterii, ſi qui hæc noſtra lecturi ſint, cognoſcant, quam illuſtria diligentiæ in lectione, devotionis in aſſiduâ & ordinatâ pietatis praxi, conſtantiæ in moribus compoſitis & inoffensâ ac prudenti cum hominibus converſatione, exempla, in ipsâ militiâ, Deo noſtro viſum fuerit ſubinde proponere. Optandum eſſet, ut cum *Auguſtino in Confeſſionibus* quiſque, quem conſcientia compellat, exclamet : *Ecce indocti* (Milites) *ſurgunt, & cœlum rapiunt ; & nos cum noſtris diſputationibus in carne & ſanguine volutamur.* XII. *Probl.* An Jejunia pertineant ad cultum Dei naturalem, an ad inſtitutum ; & an Iure divino abſolutè ſint neceſſariâ. *Reſp.* 1. *concl.* Pertinent ad cultum Dei inſtitutum. 2. *concl.* non tamen ad quemcunque cultum univerſaliter, ſed tantum ad cultum poſt lapſum ; tam ſub V. quam ſub N. T. Si enim peccatum non eſſet ingreſſum, nullâ reſipiſcentiâ, nullâ animæ afflictione ac depreſſione, nullis reſipiſcentiæ & depreſſionis ſignis externis, conſequenter nullo Iejunio opus fuiſſet. 3. *concl.* Poſt lapſum Divino Iure neceſſaria ſunt non abſolutè, ſed ex hypotheſi ; poſitis ſcil. ponendis: abſque

quibus

quibus publica Jejunia hic & nunc celebranda non ſunt, nec etiam privata. Excipimus ordinariám aut certi temporis abſtinentiam à quantitate aut qualitate, ſeu genere aliquo cibi & potus, pro ſpirituali & corporali cujuſque complexione, ad morbos animi & corporis ſanandos aut præveniendos. De Iejuniis privatis publiciſve hoc rerum ſtatu, hoc aut illo tempore non ſuſcipiendis, audiendus Servator Math. 9. v. 14. ubi ad quæſtionem, *quare Diſcipuli tui non jejunant?* reſpondet: *Num poſſunt Filii thalami lugere, quamdiu cum eis eſt Sponſus? Aderunt autem dies, quum tolletur ab eis Sponſus, & tunc jejunabunt.* Et ſubdit *ibidem* ſimilia de panniculo novo in veſtimentum vetus indito, & de vino novo in utres veteres injecto: unde quarta concluſio formari poteſt. 4. *concl.* Quamvis tempora difficilia poſtulent Jejunia; non tamen univerſaliter & æqualiter omnibus & ſingulis ſunt imponenda, aut ab illis ſuſcipienda, ne utres vino veteri, hoc eſt validis ejuſmodi mortificationibus, rumpantur. Cum Servator *Math. 17. v. 21.* dicit hoc genus dæmoniorum non egredi niſi per Iejunium, innuit, quibuſcunque hujus vitæ laboribus & moleſtiis, & quotidianis incurſibus ac ſymptomatis, non ſemper adhibendum eſſe Iejunium, quaſi alimentum eſſet, aut diæta ſervanda; ſed eo utendum tanquam medicamento validè purgante, aut cauterio, aut ſectione, aut uſtione. Unde non ſatis diſcretè Iejuniis ſe afflixiſſe judicatur Baſilius: qui ſæpe ad executionem muneris ſui ſe ineptum reddebat. De „ Baſilio refert *Nazianzenus in Vitâ ipſius*, Quod pane & aquâ tantum, nec „ ad ſatietatem aleretur: noctibus totis tunicam ex animalium ſetis, quam „ cilicium vocant, amictus, ſacris lectionibus atque Scriptionibus vacabat. „ *Et paulo ante*: Quin & corpore jam per abſtinentiam conſumto, cum oſſi„ bus ac pelle tantum ſuperſtes eſſet, ſine mortis ſenſu proculdubio migravit. Fuerat enim, ab exordio vitæ (uti longè ante *ibid.* retulerat) uſque ad extre„ mum tenui valetudine, & ex epatis morbo continuo laboraverat. An autem nocte ſtudiis, die eccleſiaſticæ curæ intentus per aquam & panem tam afflictam valetudinem ſublevârit; docere eum debuiſſet medicina; cujus theoriam & empeririam aliquam eum adeptum fuiſſe teſtatur ibid. *Nazianzenus.* Idem *Baſilius* in duabus *Homiliis de Jejunio*, tantopere amplificationibus indulget, ut de alimentis ſpiritualibus ordinariò neceſſariis, precationum ſcil., laudum, lectionum & meditationum verbi, renovationis fidei & reſipiſcentię plura dici vix poſſent; ſi modo omnia acromaticè de iis dici poſſent. *Nazianzenus in eâdem Vitâ Baſilii* in fine, morbos & infirmitates ſuas, *renum debilitatem ac articulorum dolorem indicat.* Certè Apoſtolus Timothei abſtinentiam à vino diſſuadet propter ſtomachum, & multiplices infirmitates 1 *Tim.* 5. *v.* 23 Merito vituperatur, qui indiſcreto & nimio uſu medicamentorum ſanitatem & robur corporis non parat, ſed perdit, atque adeo ad munera ob-

Digitized by Google

eunda ineptum se reddit. *Bernardus Serm.* 30. (sive per prolepsin, sive ex Monachis aliqui textum Pauli objicerent) sic loquitur: *attendere debent*, non „Monacho hoc intimari, sed Episcopo, cujus vita temeræ adhuc & nascen„ti Ecclesiæ permecessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Ti„motheum, & ego cibo eum, si vis, etiam auro & poto balsamo. Hæc citat & approbat Iesuita Magallianus in Comment. ad locum cit. Qui idem ad v. 22. ex *Ambrosio* citat & laudat hæc verba: *prudenter Deus servivi vult, non ut nimietate suâ debilis fiat, & postea Medicorum suffragia requirat. Temperandum enim est si fieri potest*, &c. Et ex *Gregor. M.* 20. Moral. cap. 31. *Virtus abstinentiæ, aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit plus, quam valet.* Et certe non videntur satis expendisse illud 1 *Timoth.* 4. *v.* 8. & *Math.* 11. *v.* 16-20. qui tam immodicè extollunt Iejunia, vigilias, aliasque corporis afflictiones; præsertim quales notamus 3. *Part. sel. Disp. tit. de Pseudo-mortificationibus.* Ita ut nefas non sit disquirere, an scientiâ & prudentiâ satis temperatus fuerit zelus antiquorum, pro frequentibus Iejuniis, aut perpetuis abstinentiis à vino & quocunque alio potu, præter aquam; & à carnibus, aut aliis cibis coctis. Perlustret, cui vacat, *Tertulliani Lib. de Jejuniis adversus Psychicos; Basilii duas Homilias de Iejunio, ejusdem Regulam asceticam* 25.; *Ambrosium de Heliâ & Iejunio*; *Leonem I. in* 8. *Sermonibus de Iejunio decimi mensis*; & quæ apud *Athanasium de Virginitate*, *Chrysostomum*, *Hieronymum* occurrunt. Longum esset transcendentia elogia *Drexelii* Iesuitæ *in Libro de Iejunio*, & Sociorum ejus *Celada in Commentar. in Judith*, *Bonartii in Commentar. in Esther.* Hæc omnia si cum exemplis Iejunatorum *in Legendariis*, & *Vitarum Scriptoribus tum Sanctorum* quorumvis veterum & recentium, tum imprimis *Sanctorum cujusque ordinis* (quales Benedictini, Augustiniani, Carmelitici, Franciscani, Dominicani, Iesuitici, &c.), expendantur; inde aliud nihil colligi posse videtur, quam longè post Papales Iejuniorum zelotas relinqui Christum edentem & bibentem *Math.* 11. *v.* 19. & Discipulos, quos austeris ejusmodi Iejuniis non exercuit *Math.* 9. & Apostolum Paulum cum Timotheo suo ad usum vini exstimulato, & non ad corporales ejusmodi exercitationes. *Nam corporalis exercitatio ad pauca utilis est: at pietas ad omnia utilis est*, &c. 1 Timoth. 4. v. 8. Ubi vide *Commentar. Danei.* Quod autem *Drexelius* rei exaggerandę *Lib.* 1. *cap.* 3. §. 2. interjicit, de thesi medicâ ante 40. annos in Academiâ Ingolstadiensi publicè defensâ: *Aquæ potum esse optimum & salubberrimum*; ad rhombum non facit. Si omnibus saluberrimum, & optimum esse defenderint; Scripturæ, rectæ rationi, experientiæ, physicæ & medecinæ, imprimis & *Valesii Philosophiæ sacræ*, & *Lemnio in Lib. de Complexionibus*, &c. & *Tractatibus peculiaribus de vino*, quales *Gul. Grataroli medici reformati*, & *Bon-*

Pontificii Andr. Cornhieri Philoſoph. Theologiæ & Medicinæ Doctoris) manifeſtè repugnat. Sin aliquibus hominibus hujus ętatis, aut educątionis, aut complexionis, aut tabe, aut cauſo aliâve malignâ febri laborantibus, velint eſſe optimum; jam eſt argumentum à particulari. Quidquid ſit, Apoſtolus dehortans Timotheum ab aſſiduo potu aquæ, docet potum illum non fuiſſe illi ſaluberrimum. Sed hierophantæ ſolent in genere, non ſine magnâ oſtentatione, abſtinentias, Iejunia, mortificationes in cœlum tollere, & ſuorum, præſertim Ieſuitarum (quod inſigniter facit *Drexelius* §. *cit.*) buccinare: nec minus in caudâ panegyrici, multiplicibus exceptionibus & diſpenſationibus, chordas tam rigidè tenſas laxare; ut multis tandem evadat Iejunium injejunium. Supra *Scholaſticos & Caſuiſtas*, præſertim *J. Zanchez* Abulenſem indicavi: addo nunc iiſdem ſuccinentem *Drexelium Lib. 2. de Ieiunio cap. 1. §. 1. 2. 3. XIII. Probl.* A quo publica Iejunia indici debeant? *Reſp.* à ſoli Eccleſiæ Anteceſſoribus, ubicunque Eccleſia aut clandeſtina eſt, aut tantum publicè toleratur: non probatur. Sed ubi & quando religio & Eccleſia vel ſola obtinet, vel aliis cœtibus & Doctrinis tantum toleratis, ſola publica & religio ſtatus; rectè de ſententiâ *Calvini ad Amos 7. v. 13.* Danei tom. 2. Iſagogę part. 4. lib. 3. cap. 32 diſtingui poteſt. Verba Danei ſunt. „ Indicere verò publicum jejunium eſt non ſolum Eccleſia„ ſtici conſiſtorii, ſed etiam politici magiſtratus, id eſt, utriuſque conſilio ac „ voluntate conjunctim debet illud indici, non tantum hujus vel illius arbi„ trio ac juſſu ſolius Eccleſiæ, vel ſolius Magiſtratus. Calvinus in Amoſi cap. „ 7. v. 13. Confirmatur hæc ſententia Ioelis c. primo v. 14. manifeſtiſſimè ut „ rixę omnes inter eccleſiam & magiſtratum evitentur. Idem Ionæ cap. 3. „ probat, atque oſtendit.

Ratio pro Magiſtratu hæc unica ſufficit: quod homines minimè pii, aut religioni non ita addicti, aut profani, coërceri debent, ne laboribus, luſibus, deliciis publici Iejunii celebritatem interturbent. Hæc autem coërcitio à ſolo Magiſtratu exſpectanda eſt. XIV. *Probl.* Quid ſi Iejunium Nabothicum (de quo 1 *Reg.* 21. *v.* 9. 12.) alicubi indicatur, ſive à Magiſtratu ſive ab Eccleſiæ Anteceſſoribus, ſive ab utriſque, ut ſit ἐπιλήμμα, medium, & vinculum iniquitatis? *Reſp.* Nemo illud bonâ conſcientiâ indicere poteſt. Nemo etiam Fidelis; multo minus Miniſter Eccleſiæ celebrare: ſiquidem ipſi conſtet de iniquitate, ſive contra cauſam communem orthodoxiæ aut pietatis, ſive contra juſtam quam cauſam particularem. Prioris exempla ſuppeditant preces 40. horatum, & proceſſiones in Papatu jam ante annos aliquot inſtitutę ad Papatus & Antichriſtianiſmi exaltationem, & Orthodoxorum (quos Hæreticos appellant) exſtirpationem. Vide de iis *Part. 3. ſelect. Diſpp. tit. de Proceſſionibus.* Poſterioris exemplum habes in hiſtoriâ de Nabotho 1 *Reg.* 21. XV. *Probl.* An conduceret veterum ſtationes & ſemi-jejunia, quibus ante

horam ſextam aut nonam, nihil guſtarent, aut quadrageſimam reducere? *Reſp.* Eccleſiiis N. T. aut nationalibus communiter, ſtatis ac recurrentibus temporibus Ieiunia non magis imponi debent, quam vigiliarum, ξηροφαγίων, humi-cubationum, ſaccorum & ciliciorum, ὑδροποσίας, aliaque abſtinentiæ exercitiâ. Sunt enim hæc, ſi rectè & prudenter quis adhibeat; inſtar medicamenti, non alimenti. Ut enim non niſi objectâ occaſione & opportuno tempore, medicamentis utuntur homines, qui iis indigent, non vero promiſcuè omnes & quidem ſtatis ac recurrentibus diebus: ſic Jejuniis. *Deinde*, cum Jejuniorum præcepta in *Scriptis V. & N. T.* compareant, nulla tamen ſemi-jejuniorum, (uti ea appellat *Tertullianus*) ſeu abſtinentiæ uſq; ad horam nonam dierum Mercurii & Veneris: qualia in dictis ſtationibus obtinere ſolent. An autem & quomodo ſtationes diſtinguerentur à Jejuniis inter Antiquarios diſceptatur. *Pamelius in Notis ad Tertullianum, de Orat. cap.* 14. & *de Animâ cap.* 48. *& de Jejuniis cap.* 1. diſtingui negat: adeo ut ſecundum ipſum, hoc tantùm inter ea ſit diſcriminis, quod Jejunia ex arbitrio, ſtationes ex præſcripto Eccleſiæ fierent. Contra *Albaſpinus Obſervationum Lib.* 1. *Obſerv.* 16. Pamelium refellit, & affirmat, ſic diſtingui, quod multa in ſtationibus, obſervarentur præter Ieiunia; quod ſcil. diebus Mercurii & Veneris ſummo manè in Eccleſias convenirent, ibique ad horam nonam morarentur, precibus & rerum divinarum contemplationibus vacarent, corpora Ieiuniis, geniculationibus, lachrymis, pœnis & laboribus exercerent, denique horâ nonâ ſacris peractis, euchariſtiâque acceptâ, ſtationem ſolverent, domumque reverterentur: haut aliter ac milites excubiis & ſtationibus defuncti. *Statio*, inquit Tertullianus Lib. de Oratione in fine, *de militari exemplo nomen accipit: nam militia Dei ſumus.* Videat functiones ſtationum ex Patribus probatas, apud *Albaſpinum in Obſervationibus* anno 1623. editis *loc. cit.* Poſt quem plurima ad antiquitatem illuſtrandam anno 1633. & ad nonnulla Albaſpini examinanda collegit. *Samuel Petitus Lib.* 3. *variarum Lectionum cap.* 4. ubi peculiarem habet obſervationem, de imitatione Phariſæorum & Iudæorum bis quâque hebdomade jejunantium *Luc.* 18. *v.* 12. (quibus idem tribuit *Epiphanius*), aliaque nonnulla in Ieiuniis obſervantium, quæ à ritibus antiquorum Chriſtianorum non longè recedunt. De Iudæorum Ieiunio (ſed privato, non publicè indicto) diei Lunæ & Iovis (quibus Chriſtiani, ne Iudaizare viderentur, dies Mercurii & Veneris ſubſtituerunt) ante Petitum obſervârat *Beza in Notis ad Luc.* 18. *v.* 12. & poſt eum *Druſius in Præteritis ad Luc.* 18. *v.* 12. ubi Rabbinorum teſtimonia aliqua adducit; poſt omnes illos & Petitum *Grotius ibid.* Idem & hodie à Iudeis majorem pietatis ſpeciem affectantibus ſervari teſtatur *Buxdorfius cap.* 25. *Synag. p.* 390. *edit.* 2. De antiquis Chriſtianorum Ieiuniis & ſtationibus notari velim; ut ritus & circumſtantiæ

Digitized by Google

ſtantiæ Iejuniorum in diverſis orbis partibus variabant, ſic Patres, qui de ſtationibus & Iejuniis citari ſolent, ſecundum conſuetudines particulares ſuarum nationum, aut regionum, aut ſuorum Patriarchatuum ſubinde ſcripſiſſe: ita ut omnia illa ipſorum dicta τοπικῶς accipienda non ſint, nec inde τὸ verè catholicum, *quod omnes*, *quod ubique*, *quod ſemper* (uti definit *Vincentius Lyrinenſis*) neceſſario concludi debeat. Scio Epiphanium Hæreſ. 75. in contentione contra Aerium interrogare, *A quo non aſſenſum eſt, in omnibus Orbis Terrarum Regionibus, quod quartâ & proſabbatho, Iejunium eſt in Eccleſiâ decretum.* Quæ ad hyperbolas de Imperio Romano tunc & ante ipſum ſæculis aliquot uſitatas referenda arbitror. Orbem Romanum fuiſſe concedituꝛ: ſed minimè totum Terrarum Orbem; cum *Auguſtinus* teſtetur, fuiſſe ſuo tempore interiores partes Africę, ad quas ne quidem Romani imperii fama perveniſſet, Conſtitutionem apoſtolicam, ad quam *ibidem* provocat, nullam novimus; ſorte ille per conſequentiam, (valida illa ſit, nec ne, hic non inquiro) tale quid colligere voluit: uti ab ipſo, aliiſque quibuſdam Scriptoribus non ita alienum eſt, ritus quorum primam originem primoſque autores ignorarent, ad Apoſtolos referre; & inter hęreſes numerare, quæ revera tales non eſſent. Nos ad τὸ primum recurrimus, hoc eſt, ad illud, quod eſt ab Apoſtolis: à quâ ſimplicitate ut recedamus nulli antiqui moribus & decretis ſuis nos obligare poterunt. Conjecturam Epiphanii de præſumto apoſtolico retundimus verbis Auguſtini Epiſtol. 86. *Si autem*, &c. *de hâc re ſententiam meam quæris, ego in euangelicis & apoſtolicis literis totoque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe Iejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, precepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.*

Cap. III.

De publicis Euchariſtiis, Feſtis, & diebus bonis.

§. 1. Euchariſtiæ, ſeu hilaria religioſa ſunt vel ſtata ſeu ordinaria, vel indictiva ſeu extraordinaria. De prioribus peculiaris noſtra *Diatriba* 3. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de Feſtis & Sabbatho* inſerta eſt. De poſterioribus hic propriè agendum. Definimus ea quod ſint *extraordinaria exercitia pietatis, quibus Deo propter inſigne aliquod beneficium, ſpirituale aut corporale gratias agimus, & oblectationem noſtram in ipſius bonitate peculiariter teſtatam facimus.* Dividitur, ſicuti Iejunium, in privatam & publicam. Hujus exempla occurrunt 1 *Reg.* 8. propter dedicationem templi. Et *Eſther.* 9. ob liberationem à ſanguinario Hamanis conſilio. Continet hoc

Digitized by Google

exercitium 1. attentam consideratione m ac vivum beneficiorum divinorum sensum. In quem finem catalogus eorundem tum publicorum, tum privatorum ab unoquoque Fideli utiliter confici posset, & si opus, scripto committi: ut tanto facilius in thesauro memoriæ conservetur, & quâque occasione ex ejus inspectione recordatio nostra juvetur. Imprimis adhibendum hic adminiculum divisionis beneficiorum, in publica, privata: utraque in spiritualia, corporalia: rursum per tempora vitæ nostræ, vocationum, loca habitationum &c. Memoriam hac ratione juvari, & recordationem excitari posse, nôrunt illi, qui norunt quid sit ars mnemonica. II. Nostri humiliationem, & indignitatis nostræ sensum, deplorationem, confessionem; exemplo Davidis, *Psalm.* 8. *v.* 4. & 144. 1 *Paralip.* 29. 14. Et Iacobi *Genes.* 32. 11. Dei exaltationem ac celebrationem? quæ fit agnoscendo hęc beneficia ab illo accepta: eumque ideo omni honore, & cultu dignum: & actu partim deferendo in præsenti debitum honorem; partim solenniter promittendo, in futurum omnem honorem, cultum, gratitudinem, & verbis & factis nos ipsi delaturos. IV. Gaudium, exultationem, oblectationem gloriationem in Dei nostri benignitate & beneficiis, *Ps.* 32. *v.* 11. & 33. 1. & 105. 1.-6. etiam externis gestibus, aliisque actionibus ad honestam hominis tum interni tum externi voluptatem pertinentibus, tanquam signis testatam: qualia sunt jubila, cantiones, hymni *Exod.* 15. 2 *Paralip.* 20 2. *Sam.* 6. *Ezdr.* 3. convivia, munera, *Ib. vers.* 19. 1 *Reg.* 8. *Ezra* 8. 9. 11. 12. v. precationem, ut Deus benignitatem suam erga nos perpetuam esse velit.

§. 2. Ex dictis facile est colligere, quomodo differant solennitas publica Iejunii seu supplicationis, & eucharistię. Illa enim est dies humiliationis; dies luctus & luctui conveniens; dies omnis abstinentię, depressionis, & afflictionis, tum animæ, tum corporis: iste est dies bonus: (uti festa veteris testamenti, appellantur) dies exaltationis lætitiæ, gaudii, exultationis, gloriationis, triumphi, hilariorum, tum animi tum corporis. Non quod ille sit, sine omni gratiarum actione; & sine omni sensu gaudii ac gloriationis spiritualis: aut iste sine omni precatione, & sine omni sensu humiliationis: sed quod, ut in illis depressio, humiliatio, luctus (qui *Levit.* 16. & 23. *Iesa.* 58. phrasi *afflictionis* seu *depressionis animæ*, & *Ioel.* 2. phrasi luctus seu *ploratus* & *ruptura cordis* exprimitur): sic in istis eucharistia, gloriatio, lętitia, jubilum prędominetur; & ęquum sit, ut unumquodq; ab elemento & humore prędominante denominetur; haut aliter ac humani corporis complexiones sanguineę, melancolicę, &c. dici solent: sicuti Terra Orbis habitabilis *Terra* & *arida* in Scripturis dicitur, non aqua; quamvis non existat sine admixtâ aquâ, aut humido. Differentiam utriusque ad oculum ostendit *Liber Esther*, ubi *cap.* 4. *v.* 16. cum *cap.* 5. *v.* 1. in-

indicitur & ſervatur Jejunium uſque in tertium diem, quo omnes Judæi, cum Eſther & gynecæo ejus abſtinebant ab omni ornatu, cibo, potu, nocte æque ac die: uti habet textus; & rectè obſervat R. *Aben Ezra.* Tanto autem major erat hæc Jejunii humiliatio, quod incideret in יום טוב, id eſt, *diem bonum* ſeu *jucundum*, qui erat dies primus feſti paſchalis, 14. ſcil. menſis Niſan: Erant enim literę excidii Judęorum ſcriptæ & miſſæ 13. menſis Nizan (*cap.* 3. *v.* 7. 12.) Hæc ita R. *Sel. Jarchi in Commentar. ad cap.* 4 *v.* 16. Idem habet Paraphraſis Chaldaica. Cum hoc die ſupplicationis & Jejunii confer diem euchariſticum cap. 8. v. 17. *lætitia & gaudium Judæis, convivium & dies bonus* (vel jucundus). Et cap. 9. v. 18. *fecerunt eum diem convivii & lætitiæ.* Et v. 19. *Judæi villici*, &c. *faciunt diem* 14. *menſis Adar lætitiæ & convivii, & diem bonum, & miſſionis partium, unuſquiſque proximo ſuo.* Et *v.* 22. ubi Mordechai inſtituens feſtum annuum in memoriam hujus beneficii, præcipit, ut *facerent illos dies convivii, & gaudii, & miſſionis partium, quiſquam proximo ſuo, & donorum pauperibus.* Et v. 31. *per verba jejuniorum & clamoris*, dies ſupplicationis & jejunii exſertè diſtinguuntur, à diebus bonis conviviorum, lætitiæ, perpetuo ſervandis. Quos dies *Purim*, etiamnum hodie magnâ cum ἀσωτίᾳ & petulantiâ à miſeris Judæis perperam ſervari conſtat. De quo vide *Buxdorf. in Synag. Iud. c.* 24.

Addamus quæſtiones aliquot. §. 3.

I. *Quæſt. An dies kippurim quotannis celebrandus* Levitic. 16. *poſſit numerari inter feſta?* *Reſp.* Si per vocem *feſtum* ex uſu linguæ latinæ intelligis, ferias, ſeu quemcunque diem feriatum, (gr. juxta Gloſſarium ἀργίαν, ἄσχολον ἡμέραν) quo otiamur & à labore vacamus; *Aff.* quia populo omne opus ſervile prohibetur *Levit.* 16. *v.* 29. & dies hic ſervandus imponitur tanquam שבת שבתון *ſchabbat ſchabbathon.* v. 31. Sin talem diem feriatum ſeu ἄργον intelligis, qui inſuper honori & cultui divino conſecratus (erant enim feriæ & dies feſti ita dicti, honori & cultui divino non conſecrati, ut nundinæ, teſte *Sexto Pompejo* Feſto), pariter, *Aff.* erat enim dies expiationis, ſi quiſquam, cultui divino conſecratus. Hinc etiam nomen Hebr. עצרת (interdictio, prohibitio, belgicè **verbots-dagh**), quod de feſtis ſtrictè dictis ſeu diebus bonis, & lætitiæ communiter uſurpatur, eidem jure tribui poteſt: quia opus omne prohibitum erat *Levitic.* 16. *v.* 29. Atque hoc reſpectu dies luctus planctus, clamoris, jejunii, vocatur עצרה *Ioel.* 1. *v.* 14. cum 2. *v.* 15. 16. Si denique *feſtum* ἐννοήσως Hebr. מועד *moëd* accipiatur, poteſt & debet hic dies dici feſtum, quia eſt dies indictus & ſtatutus ad honorem & cultum Dei, & in eo convocatio & conventus populi. *Levit.* 23. *v.* 27. ubi מקרא-קדש *convocatio* ſancta. Sed ſi vox feſti, juxta phraſim Hebraicam ſtrictè & propriè accipiatur, dies *kippurim*, id eſt, *expiationum*, feſtum dici.

Digitized by Google

dici non potest: quia est dies expiationis peccatorum, & reconciliationis, humiliationis, & afflictionis seu depressionis animæ *Levit.* 16. & 23. Atqui dies יוֹם, id est, *festi* seu *festivitatis*, est dies lætitiæ, exultationis, subsultationis præ gaudio, quo externis actionibus & signis ostendebant, Deum esse lætitiam suam & gaudium domini esse fortitudinem suam, & se gaudere seu lætari in Deo *Nehem.* 8. *v.* 10. (in die bono & festivo ordinario) cum *Psal.* 43. *v.* 4. 2 *Samuelis* 6. *v.* 1. 13. 14. in die festivo extraordinario & (ita loquar) occasionato.

II. *Quæst. An Jejunii & supplicationis indictio, conveniat solenni Eucharistiæ, & diei lætitiæ, qui indicitur ad gratias Deo agendas pro magno aliquo beneficio, liberationis scil. ab Hostibus, aut partæ insignis contra Hostes victoriæ, nuper præstito; aut pro multis magnisque beneficiis jam aliquandiu in populum aliquem cumulatis? Resp. Neg.* ex iis, quæ supra ex libro *Nehemiæ cap.* 8. *v.* 9. 10. 11. & ex *Libro Esther cap.* 4. & 8. & modo de die *kippurim* allata sunt. *Instantia* 1. posset solennitas ex lætitiâ & tristitiâ, exultatione & planctu, jubilatione & luctu, jejuniis & hilariis composita institui. *Resp.* solennitas omnis sive ordinaria sive extraordinaria, vocatur יוֹם, id est, dies: atqui dies non potest duobus oppositis dominis servire, nec ab utroque occupari. Nullum etiam præceptum aut exemplum de tali mixturâ, ex Scripturis allegari potest, quod nobis hic præeat. *Instantia* 2. Atqui quo magis recordamur beneficia Dei & olim, & nuper indignis nobis præstita, eo magis ad indignitatis nostræ agnitionem, humiliationem, & pudorem commovemur? *Ezræ* 9. *v.* 9. 10. 13. 14. *Resp.* Sic est: in maximo & solenni gaudio si quis lachrymetur, non tamen dicendum, esse & agitari illic formaliter luctum, planctum, animi depressionem ac dejectionum.

III. *Quæst. An in antiquâ Ecclesiâ satis discretè Jeiunia diebus Dominicis, eademque ut & adoratio de geniculis à tempore resurrectionis Christi usque ad pentecosten prohibita sint: quod tempora essent lætitiæ & jubilationis? Resp. Neg.* Posset enim aliquibus particularis occasio Jejunii privati objici; posset etiam Ecclesiæ aut Ecclesiis in aliquo Orbis tractu laborantibus, occasio Jejunii publici & communis objici. Longe prudentius actum fuisset, si talia legibus canonicis non circumscripsissent, sed cuique Fideli privati Jejunii tempus, & cuique Ecclesiæ ecclesiastici Jejunii tempus seligendum & determinandum reliquissent: præsertim cum Christus & Apostoli nullum determinaverint; sed particularium occasionum ac temporum observationem ac determinationem, prudentiæ justorum reliquerint. Ubi Christus & Apostoli non determinârunt, nec libertatem ac potestatem sive Fidelium sive particularium Ecclesiarum circumscripserunt, cur sequiorum sæculorum Antistites canonibus suis instar legum Persicarum & Medicarum fixis hoc agerent? Quid tandem

dem de multiplicatis quâcunque particulari occaſione hypotheticis canonibus futurum eſt, quam ut concordantia diſcordantium canonum à *Gratiano* ſcribatur, & de obſervatione, derogatione, abrogatione, diſpenſatione, rixæ interminabiles agitentur.

IV. *Quæſt. An ergo, ſicuti interna hilaritas & latitia in domino, cum externa exultatione & conviviis non conveniunt Jejuniis & ſupplicationibus; ſic internus luctus interna afflictio & depreſſio animæ, cum externis Jejuniis & corporis neglectu, non conveniat diei bono & euchariſtico? Reſp.* nec publicè nec communiter, nec ordinariò convenit. Quia opus diei in die ſuo agendum eſt: juxta textus ex *Nehemiæ* 8. & *Math.* 9. *v.* 14-18. Privatus quis, ſi occaſione communis lętitiæ & guſtus bonitatis divinę, ac recordatione indignitatis ſuæ & collatione ejuſdem cum gratuitâ Dei miſericordiâ, in ſenſibilem animæ ſuæ depreſſionem & peccatorum coram Deo confeſſionem, & extraordinarium ac vehementem luctum ac planctum abripiatur, id communi ſolennitati, & communibus ejus actibus non præjudicat; nedum ut eos tollat. Eſt enim *tempus flendi, & tempus ridendi; tempus lamentandi, & tempus exultandi*, Eccleſ. 3. v. 4. *Inſtantia.* Atqui in ſolennibus euchariſtiis & diebus bonis, etiam publicè à Miniſtris mentio injicitur indignitatis & ingratitudinis noſtræ, & deprecationes judiciorum Dei promeritorum, & petitiones continuationis immeritæ beneficentiæ audiuntur? *Reſp.* Sic eſt: ſed hæc non faciunt ſolennitatis illius formam aut elementum prædominans. Sicuti varii Pſalmi Davidis verè dicuntur euchariſtici, hymni, laudes ἐπινίκια, cantus triumphales; quamvis illis interjiciatur confeſſio indignitatis, & peccatorum, ac humilis continuandæ gratiæ & beneficentię divinæ petitio. Vide *Pſ.* 8. *v.* 2. cum *v.* 5. 9. *v.* 2. cum *v.* 20. & 19. *v.* 2. cum *v.* 13. 14. & 144. *v.* 1. cum *v.* 3. 4. Et vice verſa Pſalmi quæruli, ἰαπτικοὶ, deprecatorii, confeſſionales, habent interjecta, jubila, triumphos, exultationes, ut *Pſ.* 6. *v.* 2. cum *v.* 9. 10. 11. & 12. *v.* 2. cum *v.* 7. 8. & 13. *v.* 2. cum *v.* 6. & 52. *v.* 3. cum *v.* 7.-11. & 55. *v.* 2. cum *v.* 19. 20. 23. 24.

V. *Quæſt. An ex encæniis anniverſariis, à Juda Machabæo inſtitutis, (de quibus* Johann. 10. v. 22.) *& diebus Purim* Eſther. 9. *ritè inferri poſſit feſta euchariſtica anniverſaria ob aliqua particularia beneficia cuique perſonæ, aut familiæ, aut Eccleſiæ particulari, aut Civitati, aut Regioni, aut Nationi præſtita eſſe inſtituenda? Reſp.* Ut quis alias Eccleſias per univerſum Orbem, aut ſaltem extra illam particularem Eccleſiam, aut Regionem, aut Civitatem, aut Familiam obliget, & quidem tempore N. T. plane intolerandum eſt. Sed ut monitione & exemplo ſuo, qui beneficio illo affecti ſunt, præſentem generationem commoveant, tolerandum eſt. Ut vero perpetuam facerent euchariſtiam anniverſariam, & poſteros ſuos uſque ad finem mundi obligarent; nec conſultum

Digitized by Google

videretur, nec ullum Scripturæ mandatum, aut probatum exemplum ſibi præire poſſent oſtendere. De encæniis *Joh.* 10. & Purim *Eſther.* 9. ſupra reſpondimus; nec hic repetimus. Conſideranda ſolummodo hæc duo offero; quorum unum eſt: quandoquidem Dei ſingularia & eximia beneficia in gentem, Eccleſiam, Urbem, Familiam per 2. aut 3. aut plurium ſæculorum decurſum collata in magnum numerum excreſcunt, immo & numerus eorum tandem vix iniri poſſet, *Pſ.*40. *v.*6. quis tandem finis eſſet dierum ſolennium annuatim obſervandorum. *Alterum* eſt, quòd occaſiones quamplurimæ aliquando difficilibus temporibus incidere poſſent, quibus Deus vocaret ad planctum & ad jejunium; quomodo tunc opportunè omnes illos anniverſarios dies bonos celebrabunt? *Et vocabit Dominus Deus in die illâ ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci. Et ecce gaudium, & lætitia, occidere boves, & jugulare pecudes, comedere carnem, & bibere vinum,* &c. Jeſa. 22. v. 12. 13. Jeſuitæ *Serrarius* & *Bonartius in Commentariis ſuis ad Eſther* 9. contendunt poſt *Bellarminum Lib.* 3. *de Cultu Sanctorum cap.* 10. contra Reformatos, (quos novatores appellant) pro poteſtate Eccleſiæ inſtituendi feſta religioſa, quibus omnes ſub mortali teneantur obedire: ubi poſterior in primâ acie collocat, reſcriptum Ahaſueros, ex Apocrypho additamento *Eſther c.* 16. Quo argumento deducto, triumphat hoc epiphomemate: *Quid hic obganniant noſtri ſæculi vulpeculæ, non video.* Subdit, feſta Purim, *Eſther* 9. encæniorum 1 *Machab.*4.*v.*59. recepti ignis ſacri 2 *Machab.* 1.*v.*18. ob victoriam contra Nicanorem 1 *Mach.*7. *v.*49. & *Lib.*2. *c.*ult.*v.*37. victoriæ Judith, ex lib. *Judith c.*ult. *v.* 31. Hæc autem omnia non immediatè à Deo, ſed à Judæis inſtituta eſſe dicit. Addit apud quaſvis gentes ſive Fideles ſive Infideles ob victoriam de hoſtibus reportatam, vel ob obtentam à magnis periculis liberationem, feſtivitates decretas fuiſſe, & exempla adducit παραφονία in Perſiâ, Syracuſanorum ob captam Niciam, Mariæ de Victoriâ ex *Decreto Pii* V. ob cauſam claſſem Turcicam prope Naupactum anno 1571., Iprenſem in Flandriâ dictam *Mariæ ad ſepes* ob civitatem ab obſidione Anglorum liberatam; & agmen claudit feſtum, ob liberatam Hieroſolymam per Godefr. Buillonium, de quo Wilh. Tyrius lib. 8. de bello ſacro. Hâc acie inſtructâ, concludit: *Induantur Novatores noſtri ſicut diploide, quibus nec natura, nec ratio, nec Sancti, nec Deus ipſe ſuis ſacibus,* &c. *ſufficiunt*, &c. Quæ ineptiſſimæ nugæ diſſlandæ potius quam refutandę. Plura de feſtis congeſſimus *in* 3. *Part. ſel. Diſpp. tit. de Sabbatho & Feſtis. De Encæniis infra Lib.*4.*tit. de Templis* quærendum. Nunc manum de tabulâ.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM
ET
QUÆSTIONUM
MAXIME OBSERVANDARUM
In Primæ partis Politicæ Eccleſiaſticæ,

Libris duobus Prioribus.

A.

ABlutio *in baptiſmo definitur, diſtinguitur, & in quo conſiſtat, oſtenditur.* p.679

Abortus *an procurandus ſit, ut poſſit Baptizari.* 647

Abſtenti *& Suſpenſi an ſint de Eccleſiâ.* 32

Academiæ, *earum poteſtas quanta ſit & fuerit.* 259. *Decreta earum qualia ſint.* ibid. *An in iis tradenda ſit Politica Eccleſiaſtica.* 10

Acceptio *panis & poculi in cœna duplex.* 808. *Quoties à Miniſtro ſumenda ſint panis & poculum.* ibid. *Quando ſint ſumenda.* 809. *An omnis panis & omne vinum in menſa poſitum præparatorie à Miniſtro conſecranda, antequam communicantes ad menſam accedant.* ibid. *An gratiarum actione & aliis abſolutis, panis aſſidentibus ſit facer..* ibid. *An panis manu tangi, an vero à Miniſtro in os indi debeat.* 810. *Quanti momenti ſit hæc quæſtio.* 812

Adiaphorum *quid ſit.* 377. *Adiaphoriſtæ in Germania quinam dicti.* ibid. *An Adiaphoros ritus inſtituere & adhibere in cultu divino Eccleſiæ poſſint.* 426. *An conducat adiaphora omnia legibus, canonibus Eccleſiaſticis, aut ſaltem decretis præſcribere, & prohibere?* 430. *An ritus in ſe & propriè adiaphori ſemper tales maneant, etiam mutato tempore & ſtatu Eccleſiarum; an vero adiaphoriam & mittere & exuere poſſint, & quomodo.* 454. *Adiaphora quando talia eſſe deſinant.* 456. *Vide &* Canones Eccleſ.

Adjuncta, *tam antecedentia, concomitantia, & conſequentia Baptiſmi & Cœnæ. Vide* Baptiſmum & Cœnam.

Adulti. *Quæ in illis requirantur ante Baptiſmum.* 696. *Vide* Baptizandum, Confeſſio: Fidei.

Agapæ *quid de illis ſtatuendum.* 478. *An ſint proximè præmittendæ adminiſtrationi cœnæ.* 796. *earum cura.* 953

Digitized by Google

Agenda *ordinaria ſunt trium generum.* 834. *Ad cognitionem & praxin fidei pertinentia indicantur.* 917. *Ad prudentiam ſpectantia duplicia ſunt.* 918. *ad prudentiam regiminis ſpectantia duplicia.* 921. *ad caritatem ſpectantia quæ.* 929. *Agenda domeſtica qualia ſint, oſtenditur.* 953. 954. *Vide* Domum.

Agnus *Paſchalis, ejuſque manducatio.* 761

Altare *in N.T.* 792. *an in cœnâ adhibenda altaria.* 792

Antiphonæ, *earum origo.* 483. 537. *Quid ſint.* ibid. *An per Antiphonas canendum.* 537

Antichriſtus Politicus *de eo Lutheri, Prophetia.* 174. 176. 952

Apocryphi *libri in Eccleſiæ non ſunt legendi.* 599. 600. *eorum numerus recenſetur.* 600. 601. *unde quod aliqui ex illis eccleſiaſtici vocati.* 601. 602

Applicatio *Scripturæ. Vide* Prophetiam.

Aqua *eſt ſignum externum baptiſmi: ejus accidens in baptiſmo eſt ritus ablutionis.* 671. *quæ & qualis adhibenda in baptiſmo.* 672. *Vide* Baptiſmum.

Ars *Politica ars dici poteſt.* 1. *quando Experientiæ præferenda.* 5

Audientes *ſeu ἀκροώμενοι quinam antiquitus.* 12. *An quilibet conſtituant Eccleſiam.* 31

Auditio *verbi an ſit formalis actus Jejunii?* 983

Autores *quinam in ſtudio Pol. Eccl. conſulendi.* 8

Azymus *panis, an in cœna adhibendus.* 734

B.

BAptiſmus *de eo variæ, & illuſtres quæſtiones a* 631 *ad* 644. *An à quovis privato Chriſtiano, etiam fœmina: an vero à ſolo Miniſtro adminiſtrari poſſit.* 631. *An qui in infantiâ à viris privatis, aut à fœminis in communione Eccleſiæ Romanæ baptizati ſunt, in noſtris Eccleſiis de novo baptizari debeant.* 633. 634. *An à Miniſtris (e.gr. Arrianis, &c.) Baptiſmus petendus, & ſi ab illis collatus fuerit, in noſtris Eccleſiis iterandus.* 635. *An Baptiſmus à pueris ludentibus joculariter collatus, aliquâ ratione admitti, aut poſt factum approbari poſſit, ut ſic baptizati ad baptiſmum in Eccl. recipiendum non teneantur?* 636. *An Baptiſmus non niſi à perfecto ſuſcipiendus ſit, & ſi ab alio uſceptus fuerit, is pro nullo habendus ſit.* 637. *An in caſu neceſſitatis Baptiſmus à Gentile, aut Judæo, aut Muhamediſta collatus, valere debeat.* ibid. *An quis in caſu neceſſitatis ſe ipſum baptizare poſſet.* 638. *An à Miniſtro haut legitimè vocato, aut quicquid vocationis per intruſionem, aut obtruſionem Patroni prætendatur, ab Eccl. nondum recepto atque approbato, Baptiſmus recipi, & ſi receptus valere debeat.* ibid. *An Baptiſmus, ubi in loco commorationis, aut in Vicinià nulla eſt Eccl. Reformata, nec Miniſter Reformatus haberi poteſt, à Miniſtro Lutherano peti poſſit.* 639. *An à prætenſis Miniſtris*

Digitized by Google

ſtris Societatis Remonſtrantica Baptiſmus petendus ſit: ſaltem in præſumto, aut imaginario caſu neceſſitatis, ob infirmitatem ſcil. Infantis, & quia tum temporis Miniſter Reformatus haberi nequit. ibid. *An ab iis baptizatus, denuo ſit baptizandus.* ibid. *An ergo tali in caſu liberos ſuos abſque Baptiſmo relicturi ſunt.* ibid. *An Baptiſmus petendus à Miniſtro perſonato Hypocrita, ebrietati,* &c. *obnoxio, & ſi ab illo collatus, an valere debeat.* 640. *An abſque ſcrupulo recipiendus à Vicario Ordinarii Paſtoris, aut à Diacono, aut à Profeſſore Theol., aut ab ordinatis ad Miniſterium, nullam tamen curam Paſtoralem in certâ aliquâ Eccl. obtinentibus, aut à Miniſtris Emeritis.* 640. *An à Seniore gubernante, aut Prælectore, aut Ægrotorum conſolatore, aut Publico quo Catechiſtâ, aut Proponente Baptiſmus petendus ſit, & ſi collatus aliquâ ratione valeat: ita ut non ſit iterandus.* ibid. *An Mutus poſſit Baptiſmum conferre.* 641. *An carens dextrâ, poſſit quis baptizare Siniſtrâ.* ib. *An Baptiſmi adminiſtratio committenda alterutrius manus uſu deſtituto.* 642. *An Paſtor Eccl., qui ipſe non ſit baptizatus, legitimè poſſit Baptizare; & ſi baptizaret, talis Baptiſmus valeat.* ibid. *An Baptiſmus ab Ebrio Miniſtro ſuſcipiendus, & ſuſceptus ſit validus.* ibid. *An Baptiſmus adminiſtrari poſſit à duobus, ut unus proferat verba, alter abluat, & an valeat.* ibid. *An valeat Baptiſmus ſi duo ſimul & verba proferant, & abluant.* 643. *An Baptiſmus valeat cum intentione ioci, aut illuſionis peractus.* ibid. *An validè baptizet, qui putat ſe baptizare Faminam, & baptizat Maſculum,* &c. ibid. *An Pater in extremo neceſſitatis caſu Infantem ſuum licitè baptizare poſſit: cum nullus Miniſter Orthodoxus etiam in diſſitis locis habetur, nec ullâ ratione à Magiſtratu loci impetrari poteſt permiſſio Baptiſmi per Orthodoxum quem Miniſtrum conſerendi.* 644. *An Baptiſmus à Fœminâ collatus ſit ratus habendus, & manus infanti à Miniſtro cum precibus imponenda,* &c. ibid. *Baptizandos pœnitentiam agentes à lapſu vel Hæreſi aliquos rebaptizandos veteres voluerunt.* 464

Baptizandus. *An præter hominem aliquod ſit ſubjectum Baptiſmi.* 645. *An ſoli homines viventes, an etiam mortui.* ibid. *An monſtris Baptiſmus conferendus.* 646. *An Fœtui abortivo.* 647. *An Abortus procurandus ſit, ut poſſit baptizari.* ibid. *An ſiquidem partu nequeat in lucem edi, Fœmina parturientis corpori aqua ſit aſpergenda, ut Infans hac ratione in utero Matris baptizaretur, antequam moriatur.* ibid. *An Infantis in partu conſtituti pes, aut brachium aliave pars emiſſa poſſit baptizari.* ibid. *An ab aliis quâcumque ratione baptizati.* 648. *An Cæci, Surdi, & Muti.* 649. *An Energumeni, à Dæmonibus obſeſſi, Phrenetici, Fatui.* ibid. *An Fœmina conſuetam*

Digitized by Google

purgationem patientes. 650. *An Spurii.* 650. 651. 652. 653. 654. *An ii qui ipsi ignorant, aut de quibus dubitatur, aut probabiliter scire nequeunt, an Baptizati sint, (quales Expositii) sint baptizandi.* 655. *An Furiosi & Amentes baptizandi.* ibid. *An Adulti non consentientes, & Parentum invitorum Infantes sint baptizandi.* 656. *An Hæreticorum, Apostatarum, Idololatrarum, Infidelium, seu Christianorum perstantium in suâ infidelitate.* 657. *An Infans Baptizandus, si inter servatos in bello abductus, aut à barbaro hoste Christianis venditus, ita ut parentes ignorenter,* &c. ib. *An infantes, aut pueri ex parentibus Ethnicis nati, & jam à Christianis adsciti in suas familias, sint baptizandi si qui eos afferunt baptizandos, fide-jubeant se eos in religione Christi educaturos.* 658. *De hac quæstione recensentur judicia Zuyd-Holl. Theologorum, ut & Magnæ Britanniæ.* 659. *An Infantes Parentum baptizatorum, & generaliter Christianismum profitentium; aut etiam reformatæ Religioni, & Eccl. faventium, sed communioni Eccl. per fidei confessionem, & cœnæ participationem non insitorum, sint baptizandi.* 660. *An Infantes Parentum doctrinâ Orthodoxorum, aut insuper in externâ Eccl. communione constitutorum, sed moribus improborum.* 662. *An liberi Excommunicatorum.* 662. *Cur liberi simplicium gentilium ignorantiâ purè negationis laborantium, ac honestè ac civiliter viventium æquè baptizandi non sint.* 664. 665. *An Sponsio fidelium & piorum Susceptorum sit fundamentum legitimi pædo-baptismi.* ibid. *de Excommunicatis formantur conclusiones.* 666. 667. *An Infantes Christianorum ante baptismum sint dicendi Ethnici seu Gentiles.* 669. *An Adulti ex infidelibus, aut sub nomine Christiano hæreticis atque idololatris nati, ad baptismum admitti possint, absque debitâ fidei & morum exploratione.* 669. *An omnes adulti ad baptismum præmissâ fidei & morum exploratione, una ad cœnam admittendi, aut de facto admissi intelligantur.* 670

Baptismi *Materia ac Forma in quo consistant.* 671. *duo membra in hac baptismi materiâ consideranda.* ibid. *An sola aqua, & quæ, ac qualis adhibenda.* ibid. *Pontificii refutantur.* 672. *An aquæ alius liquor posset substitui, si non sit aquæ copia.* 673. *An infans scil. in periculo mortis constitutus in flumen aut puteum projectus, & sic per immersionem, ut mors sequatur, vere baptizatus sit.* 674

Baptismi Forma. *An verba illa pronuntiata, Baptizo te in nomine Patris,* &c. *constituant formam baptismi.* 674. *Variæ quæstiones, in quibus non consistat forma baptismi, proponuntur, & ad has brevis responsio.* 676. 677. 678. *An ergo formula illa Baptizo te,* &c. *sit mutanda.* 677

Baptismi Ritus *distinguuntur.* 679. *De modo baptismum administrandi variæ*

Digitized by Google

vie quæstiones. a. 679. *ad* 696. *An aqua ita sit applicanda corpori, ut illud tangat.* 679. *An actio applicationis perfici & finiri debeat, antequam verba pronuntiata inchoentur, aut finiantur.* 680. *An Baptismus sit, si vestes Baptizandi à corpore separatæ intingantur & laventur, aut si aqua aspergatur vesti, quæ partem aliquam corporis tegit.* 681. *An per immersionem, an per affusionem, an vero per aspersionem sit baptizandum.* 683. *An totum corpus baptizandorum, imprimis fœminei sexus, coram baptizante nudatum fuerit.* 684. *Cur, & quando mutatus sit hic modus baptizandi per immersionem.* 689. *An modus baptizandi per totalem immersionem, qualem putant in antiquâ Eccl. semper usitatum fuisse, in hodiernas Eccl. ubi Aspersio obtinet, reducendus sit.* 691. *An unâ, an trinâ aspersione sit baptizandum.* 692. *Cui parti corporis aqua aspergenda, ubi immersio, aut Baptismus in flumine non habet locum.* 693. *Quo situ corporis Baptismus recipiendus.* 694

Baptismi Adjuncta, *Antecedentia, concomitantia, & consequentia à Pontificiis tradita rejiciuntur.* 695. *vera proponuntur.* 696. 697. 699. 703

Baptismus, *ad eum Præparatio & institutio Adultorum in duobus consistit.* 696. *Vide* Catechizatio.

Baptismi Petitio *est ejus requisitum necessarium.* 699. *Quomodo antiquitus, qui petebant Baptismum, vocati.* ibid.

Baptismus, *ante illum confessio fidei necessaria.* 699. *Vide* Confessionem.

Baptizandorum *ad Baptismum oblatio, seu adductio. An Præter Parentes offerentes, necessarii sint Susceptores, necessitate Juris divini, aut Ecclesiastici.* 703. 704. 705. 706. *An siquidem quis Susceptores assumere velit, alios eligere possit, quam doctrinâ orthodoxos, & vitâ inculpatos.* 707. *Quid si Hæretici blasphemi, notoriè impii,* &c. *eligantur, an Eccl. admittere teneatur.* ibid. *Quid si tamen obstante præmonitione Pastoris, aut Synedrii Parens tales adduceret,* &c. ibid. *Quid si vocati ad Patrinatum Hæretici, aut extremè impii, non quidem ipsi compareant, sed per Procuratores Orthodoxos & probos, hoc agant.* 708. *An ætate minores.* 709. *An rogatus ad munus Susceptoris, recipere teneatur: præsertim cum Baptismus ad ministratur in Eccl Pontificiâ, aut in Catu Remonstrantico.* ibid. *Exceptionibus sit satis.* ibid. *An Susceptores vi sponsionis in baptismo præstita teneantur ad* [illegible] *baptizatis suppeditanda, aut* [illegible] *ipsorum loco parentum defunctorum curanda.* 710. *An tantum duo ad summum Susceptores sint admittendi.* 711. *An Susceptores cum Baptizato, & parentibus ejus, aut etiam secum invicem contrahant cognationem spiritualem, per quam conjugia tanquam incesta prohibeantur.* ibid. *Variæ Quæstiones Pontificiorum circa hanc materiam proponuntur.* 712. 713

Ba-

Digitized by Google

Baptiſmus *in eo nominis impoſitio. Vide* Nomen.

Baptiſmi *tempus & locus. An certum tempus adminiſtrationis Baptiſmi ſit conſtituendum.* 724. 725. *An in Publico oratorio in & coram cœtu Eccl. ſit adminiſtrandus.* 726. Tilenus *refutatur.* 727. 728. *An Baptiſmus adminiſtrandus ſit poſt ſolennem benedictionem, & dimiſſam concionem.* 730. *An diebus Dominicis manè, an poſt meridiem, ante an poſt concionem, ſit adminiſtrandus.* ibid.

Benedictio Eccleſiaſtica duplex. 515. *An ritè talis fiat in noſtris Eccleſiis.* ibid. *An illa ſit purè votiva, ſeu apprecatoria; an etiam denuntiativa, & promiſſoria.* 516. *ejus neglectus notatur.* ibid. *An conceptis verbis, & quidem* Num. 6. 23. 24. *illa pronuntianda?* ibid. *Quis geſtus in illâ adhibendus.* 517. *quid de antiquorum ſentiendum.* 800. *an per eam baptiſmus ſit adminiſtrandus.* 730

Bona Eccleſiaſtica *diſtinguuntur à bonis, quæ pauperibus acquiſita.* 934. *Vide* Eleëmoſynam.

Brouwniſtæ *ſeu* Barrouwiſtæ *quinam.* 413

C.

COena Dominica *quid dicat.* 761. *ejus uſus quid prærequirat.* 670. *An qui ad baptiſmum admiſſi, ad cœnam admittendi.* ibid. *In ejus adminiſtratione ſex conſideranda.* 731. *ut & circa elementa externa variæ quæſt. a.* 731. *ad* 740. *an utrumque Symbolum ſeu elementum in uſu cœnæ communicantibus diſtribuendum.* 731. *An communio & manducatio Chriſti Sacramentalis à Chriſto inſtituta & mandata poſſit haberi ſine ſymbolis.* ibid. *An unum elementum, quod manducandum datur, debeat eſſe Panis.* 732. *An quod datur in Papatu ſit aptus Panis.* ibid. *Quid ſi alicui Panis ex tritico, aut ex ſiligine &c. copia non ſit, an Panis ex aliâ materiâ adhibendus.* ibid. *An Panis debeat eſſe Azymus.* 733. *An Panis debeat eſſe Placentula nummulariæ magnitudinis, & figuræ rotundæ.* 735. *an abrogatis hoſtiis, ſuus cuique communicanti Panis parvulus ſit dandus; an vero ex grandioribus Panibus fractis fruſta ſint diſtribuenda.* ibid. *an in primâ aliquâ Eccleſiæ reformatione uſus hoſtiarum ad tempus tolerari, aut ubi abolitus fuit, reſtitui poſſit ad evitanda ſcandala & ſciſmata.* ibid. *Quâ quantitate Panis ſingulis communicantibus diſtribuendus.* 736. *an tantum vino, & quali, ac quanto utendum.* 737. *an vino aqua miſceri debeat.* ibid. *An, ubi vinum haberi nequit, potus quis illic uſualis vino proximè analogus ſubſtitui poſſit; an vero omnis uſus cœnæ, aut ſaltem poculi omittendus.* 738. *Quid faciendum, ſi quis tam abſtemius ſit, ut vinum nec odorari nec guſtare valeat, &c.* 740. 741. *Ubi cœna adminiſtranda.* 801. *Quoties, & quo tempore adminiſtranda.* 802

Cœnæ Symbolorum conſecratio. *An terminus, ſeu effectus formalis conſecrationis Sacramentalis ſit alius, quam*

Digitized by Google

quam sacrum signum significans, commemorans, & obsignans, idque juxta mandatum & promissionem Christi? 742. *In quo consistat consecratio. An in verbis solis pronuntiatis cum intentione Sacerdotis, an vero in verbis & factis,* &c. 743. *An Panis extra illum usum sit sacer & consecratus, atque adeo sacramentum.* 744. *An verba, quibus Minister institutionem,* &c. *proponit sint verba concionatoria; an forma Eucharistia?* &c. ibid. *An quæ à Ministro in administratione proferuntur ad communicantes, dicenda sint clara & intelligibili voce; an è contra?* ibid.

Cœnæ Minister. *Personæ circa cœnam dupliciter considerantur.* 746. *An quilibet possit administrare cœnam?* ibid. *An Princeps, aut Magistratus habeat potestatem administrandi cœnam?* 747. *An quis cœnam à Ministro Hæretico, aut Heterodoxo, aut in communione Eccl. Hæreticæ, aut Idololatricæ petere & recipere possit?* ibid. *An quis privatus in casu mortis cœnam alicui administrare possit?* ibid. *An Privatus quis inter Infideles, aut Heterodoxos pro tempore necessario habitans, sibi suisque cœnam porrigere possit?* ibid. *An Eccl. Minister sibi ipsi cœnam porrigere possit?* 748. *An conveniat cœnam distribui à Ministro, qui ipse non communicet?* ibid. *Quousque Seniores, aut Diaconi Ministrum in distributione juvare possint?* 748. *An à Ministro distribuente singulis communicantibus panis & calix porrigendus?* 750

Cœnę Communicantes. *Vide* Communicantes.

Cœnę Utensilia *quæ* 789. *An necesse sit in quâque Eccl. habere mensas, pocula, seu calices, Patinas, mappas mensartas huic usui appropriatas, & quasi consecratas?* ibid. *An ad mensam cœnæ genuflectendum. An liceat cœnam in vasis non consecratis administrare?* ibid. *An materia & forma illorum utensilium debeat esse rara, curiosa, pretiosa, ad cultus illius exaltationem?* 790. *An calices stannei, aut argentei, aut vitrei, aut ex aliâ aliquâ materiâ sint adhibendi?* 791. *An altaria, an mensæ altari formes; an vulgares mensæ adhibendæ?* 792. *Quid de velo serico, corporali, palla lineâ,* &c. ibid.

Cœnæ Administrationis adjuncta. *Antecedentia sunt.* 1. *Promulgationes seu præmonitiones publicæ.* 2. *Visitationes.* 3. *Conciones tum confessionales, tum præparatoriæ.* 4. *Instructiones,* &c. 793. 794. *An Jejunium requiratur?* 795. *Vide* Jejunium. *An Agapæ. Vide* Agapæ. *An confessio peccatorum. Vide* Confessionem.

Cœnæ Adjuncta concomitantia. *Sunt lectio S. Scripturæ. Vide Lectio. Cantus Psalmorum: Vide Cantus. Psalm. An accensis de die cereis administratio peragenda.* 798. *An repetitio, & suggestio verbi promissionis & mandati inter distribuendum, ut communicantes quasi voce Præconis excitentur ad hoc peragendum, certâ*

Digitized by Google

verborum formula ubique & semper necessario sit peragenda. ibid. *An durante distributione, omnes viri apertis capitibus sedere teneantur.* ibid. *An ad verba à distribuente repetita caput aperiendum.* ibid. *Quo ordine accedendum.* ibid.

Cœnæ Adjuncta consequentia *sunt* Gratiarum Actio. *Vide* Gratiarum Actionem. Meditatio. *Vide* Meditationem. Eleëmosyna. *Vide* Eleëmosynam.

Cœnæ Administrationis ritus *qui sint Essentiales. An ubi abest datio & manducatio Symbolorum, ubi fideles tantum spectatores sunt, Cœna Domini in & ab Eccl. celebretur, panis sit communio corporis Christi,* &c. *& fideles mensæ Domini sint participes.* 803. *Integrales ut.* 1. Fractio Panis, *quæ est pars Integralis cœnæ.* 804. *Variis rationibus id probatur.* 804. 805. *An quis in Eccl. educatus, aut in matriculam ejus inscriptus, ubi non sine panis fractione cœnam accepit, ad aliam transire possit, ubi placentulis orbicularibus cœna administratur.* 808. *An Minister, qui fractione usus est ad aliam Eccl. per legitimam vocationem transire possit, ubi cœnam sine fractione administrare deberet.* ibid. *Adjuncti, seu Auxiliares.* 803. 2. Acceptio *vide* Acceptionem. 3. Genuflexio *vide* Genuflexionem. 4. Panis Elevatio. *nullius est utilitatis, aut necessitatis.* 827. *Ritum esse otiosum praxi variarum Eccl. variis rationibus probatur.* 831. 832. 833. 834

Canditati *Ministerii an ad conventus Ecclesiasticos admittendi.* 10. *An ad ministerium vocati bona conscientia subscribere possint, & debeant à Magistratu impositis regulis, & directoriis, præter aut contra scripturas, constitutiones Ecclesiasticas receptas.* 281. *Vide* Ministerum.

Canones Ecclesiastici *dividuntur, describuntur, & descriptio eorum distinctè explicatur.* 254. *Canonum requisita indicantur.* 255. *Canonica legi quædam communia cum aliis legibus, quædam propria.* 256. *Canones Eccl. variè dividuntur.* ibid. *Explicantur quæstiones aliquot thetice de canonibus.* 261. *An debeant esse Canones secundum quos Ecclesiæ communiter regantur?* ibid. *An canones Eccl. obligent conscientiam.* 263. *Obligatio disting. in directam & indirectam.* ibid. *An illi saltem Canones conscientiam obligent, qui continent dogmata divina fidei & morum, aut substantiale quid Disciplinæ seu Politiæ Eccl. ipso Dei verbo præscriptum* 264. *An in Canones Eccl. jurari, aut saltem iis subscribi possit.* ibid. *An tantum ritus adiaphori, item determinationes de moribus & de disciplinâ Eccl. sint materia canonum.* 265. *A quibus canones constituendi, an ab Eccl an à Magistratu.* ibid. *Objectionibus quibusdam pro potestate Magistratus in condendis canonibus fit satis.* 266. *An Canones à Pontificibus, Episcopis, an vero à Synodis & Presbyteriis condi debeant.* 267. *An requiratur Canonum approbatio,*

latio, & receptio à plebe Ecclesiastica. ibid.

Canonum *receptio, approbatio, consensus variè distinguitur.* ibid. *An canones & constitutiones Eccl. publice in Ecclesiâ populo sint prælegendæ, & domatim singulis insinuandæ.* 268. *An Canonum Politica confirmatio sit necessaria & affectanda?* ibid. *Confirmatio hæc varia est.* ibid. *An Canones legitimè constituti aut in totum, aut ex parte sint mutandi?* 269. *An propter populum, aut Magistratum ita volentem Canones non constituendi, etiam mutandi idque vitandi majoris mali causâ scil. schismatis, aut persecutionis, aut spe obtinendi majoris boni.* 270. *Per varias conclusiones hæc quæstio determinatur.* ibid. & seq. *An Executio canonum circa Adiaphora tam rigidè semper urgenda, tanquam legum Persarum & Medorum, ita ut nulla benignior interpretatio in generali, aut dispensatio in casu particulari locum habere debeat?* 272. *An Canones mera adiaphora determinantes à nationali Eccl. conscripti, omnes tam rigidè urgendi, aut Executioni mandandi, quibusque Ecclesiis particularibus, etiam sub pœnâ publicæ aut suspensionis aut excommunicationis.* ibid. *An nulla Ecclesia absque crimine schismatis aliquam circa receptos canones mutationem tentare potest, & an à solo correspondentiâ & Synodo, qualis tunc sit, hic præeunte, hoc exspectandum.* 275. *quæstio per conclusiones explicatur & determinatur.* ib. & seq.

Canonum Mutatio *variè distinguitur.* ibid.

Canones circumstantiales *variè distinguuntur.* ibid.

Canon Apostolicus *de esu sanguinis suffocati abolitus per desuetudinem, & non observationem, absque præcedaneâ Synodali seu Oecumenica sive nationali sententia.* 276. *& sic plures canones abrogati, quod ex variis instantiis patet.* ibid. & seq. *An nove & peculiares regulæ, directoria contra scripturas aut contra receptas formulas, consensus, sive constitutiones Ecclesiasticas, œcumenicas aut Nationales, aut saltem præter, aut extra illas Ecclesiis, & ministris imponi possint? & si imponantur, an ministri eas admittere, aut iis bona conscientia subscribere possint?* 281. *An ob introductos Ecclesiasticè, aut solâ auctoritate politicâ obtrusos novos canones, aut nova directoria in ritibus, quin & in aliquâ parte doctrinæ sive docendæ sive omittendæ, necessario externa correspondentiæ, & communioni renuntiari debeat?* 284. *An Canones posteriores semper præferendi prioribus, & Oecumenici Nationalibus, & Nationales Provincialibus.* 285. *An Canones paris autoritatis in Eccl. esse debeant cum publicis confessionibus, & consequenter, an subscriptio Canonum, & observatio, præsertim circumstantialium, æquè rigidè sit urgenda, quin & sub pœna non admissionis ad ministerium, aut depositionis.* 286

Canones Eccl. *vel sunt Tolerantiæ &*

Digitized by Google

neceſſitatis, vel Adiaphori & permiſſivi, vel proviſionales, vel conſultorii, vel per accidens. 287. *Quid ſtatuendum de dictis Canonibus Apoſtolorum?* 291. 306. *Quid de codice Canonum Eccl. univerſæ.* 292. *Quid de Photii Nomo canone, & de canonibus Eccl. Africanæ.* ibid. *Quid de Jure Orientali-Græcorum, deque Capitularibus Caroli* M. Lud. Caroli Calvi. ibid.

de Canonibus *Eccleſiarum Belgii varia problemata.* ibid. *A quibus ſint conditi, à Magiſtratu, an ab Eccleſiis.* ibid. *An ſi à Magiſtratu non confirmati ſint, vim Canonum obtineant, quibus Eccleſiæ regi poſſunt, aut reguntur.* ibid. *An ii cum verbo Dei conveniant, & rectè atque accommodatè ad ſtatum Eccleſiarum Belgicarum conditi ſint?* 293. *Object. non nullis contra eos ſit ſatis,* ibid. & ſeq.

Canonici *eorum olim officium.* 543

Canoniſtæ *male ſæpe præferuntur Theologis.* 5. *An competat illis theologica determinare.* ibid.

Cantus. *An Cantus ſive vocalis, ſive inſtrumentalis religioni & ſacris tum privatim, tum publicè agendis conveniat?* 520. *affirm. ſent. variis arg. prob.* ibid. & ſeq. *in Cantus officio ferventiores fuerunt Orientales, nec defuerunt Occidentales, & quâ occaſione.* 523

Cantus Sacer *deſcribitur.* 524. *De materiâ Cantus Eccl. prima.* ibid. *De materiâ ejus ſecundâ.* ibid. *item proximâ.* ibid. *An Hiſtoriæ quævis mutationum ſpecialium in Republ. aut Eccl. aliqua, item præliorum, victoriarum, perſecutionum &c ad modulos reducta convenienter in perpetuam Cantus Eccleſiaſtici materiam ordinari poſſint?* 525

Cantio Lutheri *uſitata in Eccl. Hungaricis Turcico Imperio ſubjectis.* 512. *illa probatur.* 525. *an materia Cantionum ſacrarum in Eccl. ſit gratiarum actio, & Dei celebratio, an etiam precatio, deprecatio, peccatorum confeſſio, Hiſtoriæ,* &c? 526. *An materia proxima formata ſc. Cantilena debeat, aut eſſe poſſit ex tempore in Eccleſiâ ab aliquo compoſita, aut ſi ante compoſita, primum & novè ibidem propoſita?* 527. *an compoſita & ſtata cantica in Eccleſiis decantanda, nulla alia debeant eſſe quam divina, an etiam admittenda, quæ ſunt compoſitionis humanæ?* ibid.

Canticorum. *De eorum Poëſi & Muſica agitur.* 530. *An omnes Pſalmi Hymni, Cantica in Eccl. ante Chriſtum & poſt fuerint metris, rythmis, aut utriſque adſtricta, dubitari poteſt.* ibid. & ſeq. *An Pſalmi Davidis, aliaque Cantica ſcripturaria & Eccleſiaſtica in Eccleſiis noſtris cantari ſolita, ſint & dici poſſint ſacra, ac divina, quamvis paraphraſi poëticâ explicentur?* 532. *Quinam poſſint Canere in Eccleſiâ?* 538. *an Cantus communis ſit pars cultus Eccleſiaſtici neceſſaria?* 539. *an ordine omnia Cantica publicis Pſalteriis contenta ſint canenda?* 540. *Quis modus*

Digitized by Google

in canendo ſervandus ? ibid. *Pſalmi quo tempore in Eccleſia canendi*? 543. *Quo loco canendi* ? ibid. *Quam frequens debeat eſſe Cantus Eccleſiaſticus* ? ibid. *Pſalmorum Cantus eſt adjunctum concomitans cœnam.* 797

Cantus *definitur, ac dividitur.* 644. *non æque eſt neceſſarius.* 565. *Simplex intelligibilis ſacer poteſt adhiberi in N.T. non Harmonicus ſeu inſtrumentalis ; idque variis prob. rationibus.* 565. 566. *Exceptionibus ſit ſatis.* 567. 568

Cardinales Romani *penes illos ultima nunc analyſis controverſiarum , & quare.* 324

Caſtra. *Eccleſia Caſtrenſis an vera* ? 76

Caſuiſtæ *ſeu Summiſtæ quomodo diſtinguendi à Scholaſticis , qui in Summam Thomæ commentati ſunt.* 319

Caſus *Conſcientiæ in Catechizatione dupliciter ſpectantur.* 855. *Quæſtiones & determinationes & deciſiones circa eos diſtinguendæ , & quomodo.* 888. 901. 903. *An Privatis fidelibus, aut neutralibus, etiam adverſariis ad omnes propoſitos caſus ſemper reſpondendum ſit* ? ibid. *an Miniſtri ſatis tuto ac prudenter Quæſtoribus vivâ voce , aut ſcripto tunc reſpondeant, cum noſſe , aut non vanè præſumere poſſint , aliis ejuſdem fidei conſortibus miniſtris eorumque concionibus, monitis, paternæ correptioni inſidias & calumnias ſtrui ; atque unâ manus hominum de hoc mundo. aut tepidorum talis reſponſo conſortari.* 889. *An turbato rerum ſtatu Miniſtri, Synedria , Synodi , particulares omnes caſus teneantur determinare.* 889. *Exceptionibus ſit ſatis.* 890. *Laudatur* Corn. Hillenius *Miniſt.* Alckm. 891. *Objectionibus ſit ſatis.* a. 892. *ad* 900. *Exceptioni ſit ſatis.* 893. *Ut & Exceptioni ad* 9. *objectionem.* 899. *An Magiſtri, Theologi Academici, Synedria, Synodi tales caſus conſcientia decidere poſſint. qui quocunque modo negotia aut cauſas civiles & ſæculares tangunt* ? *ſub diſt. reſp.* 901. *Objectiones refutantur.* 904. *Utrum tutius ſit ad caſus conſc. propoſitos viva voce , an ſcripto reſpondere* ? 905. *A quibus caſus conſc. explicandi & determinandi ſint.* 307. *An caſuum determinatio ſemper rationibus ſit muniendæ, & objectiones ſolvendæ* ? 908

Caſus *ſuadentes extraordinarium precum effuſionem : ut & extraord. Doxologiam, deſignantur.* 954

Catechizatio *ejus neceſſitas, origo, & Antiquitas* 834. *ejus ratio , ſeu diſtinctio triplex.* 835. 839. 840. *Decretum Synodi Nat.* Dordr. *circa hanc citatur.* 836. 837. 838. *An omnes Chriſtiani , & perpetuo ſint Catechizandi.* 839

Catechizatio *Adultorum ante Baptiſmum , variæ de eâ Quæſtiones.* 697. *An neceſſaria ſit inſtitutio Baptizandorum, tum publica , tum privata.* 697. *An ubique eadem ratio, ac methodus inſtituendi & catechizandi adultos baptizandos, ſervandæ* ib. *Privata qualis ante cœnam* ? 794

Digitized by Google

Catechiſta, *ſcientia quæ in ipſo requiritur duplex.* 862. *Per quos catecheſis inculcanda?* 840. *An concionatores ab hoc opere ſe eximere poſſint.* ibid. *Exceptionibus ſit ſatis.* 841.842. *An promiſcue quibuſvis veram religionem externè profitentibus Catechizationes ſint committendæ, aut ſaltem permittendæ.* 843. *Exceptionibus & inſtantiis ſit ſatis.* 844. 845. *An Catechizationes Domeſticæ, & Scholaſticæ ſine ſpeciali ſive Miniſtri, ſive Synedrii mandato aut expreſſa conceſſione haberi poſſint?* 846. *Except. ſit ſatis.* 847. 848. *Parentes tenentur domi ſuos catechizare, curare ut Scriptura legatur.* 955. *obiectionibus ſit ſatis.* 596. & ſeq.

Catechizationis Materia. *Fundamentalia quæ, & an ſola Catecheſi tractanda.* 849. *An illa ſint nudi tituli, aut termini incomplexi,* &c. ibid. *An Symbolum Apoſt. ſolum, aut illi addita decalogus & oratio Dom. memoriæ imprimenda, & inde depromenda?* 850. *An illa principia Catechetica ſint pauca.* ibid. *An, & quomodo differant formulæ Catechetica à locis communibus,* &c. 851. *An ad omnes aut ſaltem ad pleraſque materias & quæſtiones in Academiis tractari ſolitas, illiteratorum Catechizationes extendi poſſint?* ibid. & ſeq. *Except. ſit ſatis.* 852.853. *An omnes Catechizationes debeant eſſe purè thetica, an etiam potiorem partem Elencticæ haberi poſſint.* 853. *An utiles ſint Catechizationes, & collationes tantum aut præcipuè circa omnia, aut aliqua practica?* 854. *Obiect. ſit ſatis.* 855. *An utiles ſint Catechizationes ſuper textu Scripturæ?* 858. *An mulieres, præſertim Cælibes, quarum rationes hoc ferunt Catechizationibus ultra Elementarias, & competentium utiliter exerceri poſſint?* 859. *Affirm. ſent. variis rationibus probatur.* 859 860. 861

Catechizandi Modus. *An liberæ, an vero ad ordinem, formam, materiam Catechiſmi publici aſtrictæ Catechizationes ſint præferendæ?* 863. *Varii citantur Catechiſmi.* 864. *ad* 1808. *an præſtet in Eccleſiaſticis, ſcholaſticis, domeſticis Catechizationibus, unam eandemque formulam proponi.* 868. *an ſufficiat illa ratio Catechizandi, in quâ Catechiſta Catechetican Explicationem proponit per modum lectionis, ſive concionis, aut concionem Catecheticam in templo habitam repetit.* 869. 870. *An ſi pueri, aut paulò provectiores textum Catechiſmi memoriæ mandatum per partes Scripturæ teſtimoniis probent,* &. ibid. *an idem modus perpetuo ab omnibus Catechiſtis ſervandus ſit?* ibid. *Citatur* Gerſon. 872

Catechumeni. *Qui, & quotuplices* 12. 13. 14. *An conſtituant Eccleſiam?* 32. *eorum conventus non eſt Eccleſia in Eccleſiâ.* 40. *Diſtinguuntur.* 839

Cathedra. *Eccleſia Cathedralis quid ſit?* 85. *Illi ſimiles* 89. ἔλιγχος. 90. *an poſt reformationem retinendæ aut reſtauranda?* 98. *an miſſio miniſtrorum ad alias Eccleſias ſundet Cathedralitatem?* 103

Cen-

Digitized by Google

Cenſura *Eccleſiæ an ſe eouſq; extendat, ut circa omnes in Infantiâ baptizatos, jam Adultos & ſuſpenſionis & excommunicationis cenſura exerceri debeat?* 723

Cereus *an Cereis accenſis de die adminiſtratio cœnæ peragenda.* 798. *Vide* Cœnam.

Ceremonia Eccleſiaſtica *in genere conſideratur.* 374. *De quâ præcognoſcenda.* 1. *Nomen, cujus Etymologia & Synonymia indigitantur.* ibid. 2. *Natura & definitio ejus.* 375. 816. *Varie dividitur & ſubdividitur.* 376. *Homonymia vocis.* 377. *Quotuplices ſint.* ibid. *Definitio quæ per partes explicatur.* ibid. & ſeq. *Requiſita indicantur.* 378

Cerem. *Humanæ Eccl. variè dividuntur a.* 379. *ad* 382. *Oppoſita earum delineantur.* 382. *Indicium celebrierum ceremoniarum ſit, quæ improbantur.* ibid.

Cerem. *Papalibus controverſis opponuntur variæ conſiderationes, & Except. in contrarium allatis occurritur a. p.* 391. *ad* 405. *An Pontificii ſtatuant eas ex opere operato mereri, aut impetrare, aut inſtrumentaliter producere, aut conferre gratiam.* 395. *An omnes cerem. Papatus, ſecundum ipſos ſint propriè ſacræ, Myſticæ, Myſticè ſpiritualia ſignificantes aut operantes.* 404

Cerem. *in quibuſdam Eccl. Germaniæ etiamnum reſiduæ, de quibus controverſia inter nos & Lutheranos, enumerantur.* 405. *Has quomodo Lutherani defendant.* ibid. *Status controverſiæ de iis inter nos & illos.* 406. *Variæ conſiderationes opponuntur ipſorum defenſioni pro ſuis ceremoniis.* ibid. & ſeq. *Exceptionibus eorum vel generalibus vel particularibus ſit ſatis a.* 408. *ad* 413.

Cerem. *Anglicanæ, de concertatione ſuper quibuſdam antiquis agitur.* 413. *oppugnatio & defenſio earum varia fuit.* ibid. & ſeq. *Enumerantur de quibus illa contentio fuerit.* 415. *rationes quædam opponuntur nominatis cerem.* 416. & ſeq. *De novo introductæ enumerantur.* 418. *Indicantur teſtimonia quædam, quæ immodicum contentionis zelum pro dictis Adiaphoris cerem. in Angliâ & Scotiâ temperare poſſunt, in tantum ne novæ antiquis addantur.* 419. & ſeq.

Cerem. *Problemata varia naturam, cauſas, proprietates explicantia.* 422. & ſeq. *An præcepta de ceremoniis ſacris à Deo immediatè lege poſitivâ inſtitutis, alio nomine in Scripturâ appellentur, quam lex, & præcepta moralia.* ibid. *An fundamentum cerem. ſacræ ſit conſecratio divina?* 424. *An immediata Cerem. alicujus ſignificantis in verbo Dei inſtitutio & præſcriptio in quâcunque re, eam faciat divinam, Myſticam, ſacram, religioſam.* ibid. *An ceremoniæ Adiaphoræ, ſeu Eccl ab & in Eccleſiis poſt Apoſtolicas, & Apoſtolos ſive obſervata ſive inſtituta ſundetur in jure divino.* ibid. *An τὸ materiale ceremoniæ ſive ſacræ propriè dictæ, ſive humanæ & Eccleſiaſticæ, ſit tantum actio, an vero etiam quantitas, qualitas,*

Digitized by Google

tas, relatio, &c. ibid. *An aliqua possit constitui in privatione, omissione, abstinentiâ.* 425. *An usus sit de essentiâ ejus, sive verè, sive apparenter, aut putativè sacræ.* ibid. *An fuerint sacræ propriè dictæ in V.T. ante Mosem, & Eccl. Adiaphoræ decori & ordinis causa observatæ.* ibid. *An tempore N.T. institutæ aut observatæ fuerint ab Apostolis ceremoniæ propriè dictæ sacræ & mysticæ sive in significando, sive in operando : quæ tamen non fuissent pars cultus divini, nec jure divino institutæ, nec consequenter necessariæ necessitate præcepti?* ibid. *Cur Autores tum nostri, tum Pontificii in definitione ceremoniæ ita videantur variare.* ibid. *An Apostoli exemplo, seu praxi suâ ceremonias aliquas fundarint perpetuo in Eccl. N.T. observandas?* 425. *An ordo & decorum in sumptione cœnæ* 1 Cor. 11. 21. 22. *& in Exercitio Prophetiæ* 1 Cor. 14. 29. *sint ceremoniæ ab Ecclesiâ institutæ?* 426. *An ceremonias adiaphoras assumendi, & in cultu divino adhibendi potestas Ecclesiis competat?* ibid. *An ceremoniæ mutandæ absque gravi urgente necessitate?* 427. *quæstio hæc per varias distinctiones & conclusiones determinatur.* ibid. & seq. *Ceremoniarum mutatio à quibus fieri debeat? an à Ministro, an à Synedrio vel classe vel Synodo sive provinciali, sive Nationali?* 430. *An cærem. Eccl. à dogmatibus fidei & morum distingui debeant, quod ad momentum seu pondus, aut necessitatem veritatis ac praxios?* 430. *explicatur & determinatur problema per distinctiones & conclusiones varias.* ibid. & seq. *An omnes ceremoniæ N. T. divinæ & Euangelicæ sint dicendæ?* 433. *An cerem. seu ritus, & typus seu umbra in V. T. reciprocæ sint?* 434. *An idem sit cerem. & signum?* 449. *An idem sit cerem. & Symbolum?* 452. *An idem sint Mysterium, & Ceremoniæ Ecclesiasticæ ab hominibus institutæ, & circa cultum divinum adhibitæ, aut saltem quorundam judicio ad majorem ædificationem & devotionem adhibendæ?* 452

Christus *an ejus exemplum nos obliget ad sui imitationem.* 823. 824. 825. 826

Christiani *an perpetuo Catechizandi. Vide* Catechizatio.

Classis *an sine ejus cognitione & operâ Ecclesia constitui queat?* 42. *An Ecclesiæ combinatæ in Classem & Synodum habeant potestatem directivam in & supra quodlibet membrum istius combinationis?* 226. *An classis potestatem habeat condendi Canones & decreta secundum quam omnes Ministri ejus classis regere & regi debeant?* 280

Claves *regni cœli cui appropriatæ.* 746

Cœtus *Separati, an tot Parochiæ.* 71 *An sacros cœtus ritè frequentent, qui partem concionis, aut integram concionem audiunt, neglectis precibus?* 497

Cognatio *secundum Pontificios triplex.* 711. *earum definitio, ac species, seu gradus varii.* 712

Cognitio

Digitized by Google

Cognitio *in admittendis ad Eccl. communionem qualis & quanta requiratur?* 53.55
Collatio *scripturæ. Vide* Prophetia.
Collectæ *quomodo instituendæ?* 935
Collegium. *Collegiata Ecclesia quid sit?* 81. *Ejus Examen.* 83. *An ita in accidentalibus reformari queat, ut ejus essentialia maneant?* 101. *An Collegia Catechetica, aut exercentium, aut proponentium, quà talia habeant peculiarem potestatem Eccl.* 231
Commonefactio } *Vide* Præmonitio.
Communicatio }
Communicantes. *Qui, ac quales esse debeant.* 751. *An promiscuè quivis, qui modo in Infantiâ baptizati sunt, etiam inviti, censuris Ecclesiasticis, & Pœnis politicis ad usum cœnæ compellendi sint?* ibid. *An omnibus ergo qui modo accedunt, & verbis aut manus extensione petunt, absque delectu cœna distribuenda?* ibid. *Notatur ataxia eorum qui* Ultrajecti *dicti* Ecclesia Jacobea. 752. *Calvini dictum hac in parte eximium.* 573. *Quid si vita notoriè scandalosi, aut doctrinâ Heterodoxi, qui antehac nunquam communicarunt, aut planè presbyterio, & ministro ignoti, aut per sententiam Ecclesiæ abstenti, &c. accedant, quid faciendum?* 754. *Quibus explorationis mediis potissimum utetur Ecclesia, ut digni ad communionem Ecclesiæ debitè præparari, & recipi possint?* 754. *Except. fit satis.* 756. *Quomodo & quibus conditionibus per & post præcedaneas competentium explorationes confessio fidei à competentibus jam candidatis Exigenda, & quibus stipulationibus in membra Ecclesiæ recipiendi.* ibid. *Ordo Eccl. Ultraj. recensetur.* 756.757. *An Infantibus aut pueris cœna conferenda?* ibid. *An cœna privata absque aliis communicantibus uni alicui, sive sano, sive domi per morbum detento, sive in articulo mortis constituto porrigi possit?* 758. *Neg. sent. variis rationibus prob. ac simul object. Pontif. & Luther: fit satis &* Grotius *notatur.* 758.764.767. *An Phrenetici, Fatui, Surdi & Muti, Energumeni, Leprosi, &c. ad cœnam admittendi?* 767. *ad* 770. *An Concubinæ, Fœneratores, Pyraticam Exercentes, &c. siquidem à Magistratu, permittantur seu approbentur, etiam ad dignitates promoveantur, an ad cœnam admittendi?* 771. *object. fit satis.* 772. *ad* 787. *An Simoniaci, & qui patrocinio Magistratuum Ecclesias occupant?* 788. *An mortui?* 789. *An communicantes (viri, scil.) durante distributione cœnæ apertis capitibus sedere teneantur?* 798. *Quo ordine ad mensam accedere debeant?* ibid. *An ubi abest distributio & manducatio symbolorum, & fideles tantum spectatores sunt, cœna domini administretur?* 803
Communio, *quomodo agendum tum iis, qui eam cum Eccl. desiderant.* 18. 19. *An Baptismus sufficiat?* 29. *An publica peccatorum confessio prærequiratur?* 50. *& qualis.* 51. *Quæ & qualis cognitio in admittendis necessaria?* 53. 55. *An debeant esse*

verè sancti? 55. *an quis pro tempore ab omni externâ communione abstinere queat licitè?* 68. *an ob contentionem Eccl. inter se abrumpenda?* 69

Competentes, *quinam.* 13. 699. *Quomodo cum iis, antequam admittantur ad communionem agendum.* 18. 19. *Quomodo & quibus conditionibus Confessio exigenda, & quibus stipulationibus in membra Eccl. recipiendi?* 756. 794. *Vide plura in voce* Communicantes.

Conciliatio *Fidelium inter se, ejus leges & cautelæ dantur.* 918. 919. *Exceptionibus sit satis.* 920

Concio. *Methodus concionandi datur.* 606. *Qui textus deligendus sit ad concionem, & quomodo concio instituenda.* a. 607. *ad* 618. *Quid in ejus partitione vitandum.* 614. *Quæ in Explicatione vitanda.* ib. *In doctrinâ quænam observanda.* 615. *Amplificatio in quibus locum habet.* 616. *Usus Elenctici quomodo tractandi.* ibid. *Adhortatio quando proponi debet.* ibid. *Usus correptionum, & increpationum, quâ discretione tractandus.* ibid. *Stylus concionis qualis.* 616. 617. 619. *Pronuntiatio qualis, & Exordium quale.* ibid. *Epilogus qualis.* 618

Concio *ad eam duo requiruntur.* ibid. *ut Efficax sit concio tres libri in studio concionatorio perlustrandi.* ibid. *Varii casus circa cónciones proponuntur.* 619. *Quot conciones die Dominicâ habendæ?* 620. 621. *Censuræ rerum in concione reprehendendarum.* a. 621. *ad* 631. *Quæ & quales instituantur ante cœnam.* 793. 794

Concionator, *concionatorum delectus licitus.* 72. *Quæ dona in ipsis à piis maximi fiant?* 72. *In eo duo requiruntur.* 618. *Officium ejus in Explicatione.* 607. *inhærere non debet postillis.* 608. 609. *Vide plura* in Ministro.

Concubinæ *ut &* Concubinarii, *an ad cœnam admittendi.* 771

Concubinatus *quantum vitium.* 772

Confessio Fidei *est adulto necessaria ante Baptismum.* 699. *Qualis, quanta, & de quibus illa fieri debeat?* ibid. *Per quæ fit.* ibid. *An sufficere posset ad Baptismum, si adultus memoriter pronuntiet symbolum Apost. & orationem Dom.?* 700. *An præter simplicis veritatis confessionem, etiam requiratur expressa errorum rejectio.* ibid. *An fidei confessio etiam contineat expressam & solennem peccati renuntiationem, & pietatis ac justitiæ promissionem?* 701. *An confessio fidei cum renuntiatione infidelitatis, aut perfidiæ (si in eâ vixerit) & promissione pietatis publicè coram Ecclesia ab Adultis sit facienda?* 702. *An qui ad cœnam sese conferre velit, coram toto Synedrio, an coram Delegatis, an publicè in templo, an privatopublicè in conclavi ecclesiastico confessio fidei ab ipso edenda* 755. *Except. sit satis.* 756. *An ante cœnam peccatorum privata confessio sit præmittenda?* 796. *Auricularis Pontificiorum rejicitur.* 797

Conscientia. *Vide* Casus.

zed by Google

Confecrare, *quid notet, ejus effectum formale?* 741. *Quis terminus ſeu effectus formalis conſecrationis ſacramentalis.* 742. *in quo conſiſtat.* 743. *Quando & ubi incipiat conſecratio.* 803. *Vide* Cœnam.

Conſilium, *ejus definitio.* 908. *ejus diviſio ac ſubdiviſio.* 909. 910. 913. 914. *Theologicum ſtrictè dictum ejus diviſio, ac ſubdiviſio.* 910. 913. *An Conſilium ſit de præteritis, de præſentibus, de futuris?* 911. *Except. ſit ſatis.* ibid. *Quibus propriè conveniat conſilia theologicare dare.* 913. *Quâ methodo conſilia danda?* 914

Conſtitutio Eccleſ. *ſeu Synod. diſtinguenda ab omiſſione ejus ad tempus, & rurſum à contrariâ conſtitutione, etiam à nudâ tolerantiâ.* 270. *Quid ſtatuendum de octo libris conſtitutionum Apoſtolicarum?* 292

Conſuetudo Eccl. *definitur.* 261. *ejus Homonymia.* ibid. *Dupliciter ſpectari poteſt.* ibid. *Proprietates tres.* ibid. *ut conſuetudo talis vim legis habeat quinque conditiones requiruntur.* ib. *Scholaſtici eam triplicem faciunt.* 262. *Quæ trina diviſio explicatur.* ibid. *An conſuetudo vim legis obtinere poſſit, legemque poſitam tollere?* 290. *An conſuetudo unius Eccl., aut plurium Eccl. etiam in claſſe aut Synodo conjunctarum in purè adiaphoris, & particularibus, de quibus nullus canon, nullum decretum, quaſcunque Eccl. particulares, aut Miniſtros in eâdem Eccl. obliget?* 291

Converſio, *ejus particularis modus, an ante admiſſionem ad ſacram Synaxin publicè aut privatim narrandus?* 51

Convivia *Caritatis. Vide* Agapas.

Cultus *Dei quid denotet.* 375. *Quotuplex ſit.* ibid.

D.

Decreta Eccl. *quomodo diſtinguantur à canonibus?* 258. *Decretum dupliciter ſumitur.* ibid. *Materia ſeu contentum Decretorum ad 5. capita revocatur.* ib. *Eccleſiaſticorum varia diviſio.* 259. *Decretum ordinum Hollandiæ pro pace Eccleſiarum ſcil. editum.* 1614. p. 260. *An Decreta Synodalia ſint multiplicanda?* 288. *An & quomodo Eccleſiæ regi poſſint decretis conſiſtorii?* 289

Deputati *Synodi qualis illorum poteſtas?* 110. *An omnis Deputatio Eccleſiaſtica illegitima, aut periculoſa ſit?* 224

Diaconi *quousque Miniſtrum in diſtributione cœnæ juvare poſſint?* 748. 749. *Non debent collectionem, diſtributionem, aut conſervationem Eleëmoſynarum transferre in Magiſtratus.* 936. *An illi ſoli Eleëmoſynam curare debeant?* 931. *An oblationes ex pyraticâ, uſurâ mordente, Sacrilegio acquiſitas recipere debeant?* 937. *object. ſit ſatis?* ibid. *Quid ad munus illorum ſpecialiter pertineat, oſtenditur?* 952. *Vide plures de hac materiâ quæſtiones in* Eleëmoſynâ.

Diptychæ *in antiquâ Eccl. quid fuerint.* 502

Diſciplina Eccl. *an ad omnes baptizatos extendenda?* 29. *& quomodo.* 30. *an res odioſa?* 928

Digitized by Google

Domus, *Eccleſia domeſtica, an vera?* 76. *An inſtituta verè dici queat?* 97. 78. *An Eccleſiâ reliquâ deficiente, potius domeſticis ſuis exercitiis, contenti eſſe, quam illi Eccleſiæ adhærere debeant?* 78. *An ibi Paterfamilias paſtoris munus obire teneatur?* ibid. *Exercitia pietatis domeſtica quæ.* 953. 954. *An ea inſtituenda ſint, & an fideles tum publicâ tum privatâ adhortatione in ordinariis & Extraord. viſitationibus ad ea excitandi?* 954. *Obiect. variis ut & inſtantiis ſit ſatis.* 956. *ad* 964. *An abſque ſuperſtitione ſtata, & ordinaria precum, lectionum, &c. exercitia, ſive ſolitaria; ſive ſocia, ſive ſcholaſtica ſervari poſſint, & debeant? an vero omnia hæc abſque certâ formâ, caſui relinquenda?* 966. *Obj. & inſtantiis ſit ſatis.* 967. *An ſupervacaneæ, & conſeq. omittendæ ſint preces & lectiones domeſticæ, ſi publicæ in templis mane & veſperi haberentur, juxta Exemplum & inſtitutum Eccl. Hungaricarum?* 968. *Quid faciendum illis, qui verſantur in familiis alienorum à fide, aut Heterodoxorum, aut Libertinorum, aut planè carnalium, qui nullâ religionis cura afficiuntur?* 969

Donationes *inter vivos an ab Eccleſiâ recipiendæ.* 935. *Vide* Eleëmoſynam.

Doxologiæ Eccl. *quid ſint?* 520. *quomodo celebrari poſſint.* ibid. *caſus ſuadentes, extraordinarias dari, indicantur.* 954

Dubium & dubitatio. *Dubia ſunt duum generum.* 887. *An & quomodo dubia hominibus eximenda ſint?* ibid.

E.

Eccleſia *in hac diſciplinâ conſideratur ſec. ſtatum Externum.* 11. *Eccl. Inſtitutæ genus, cauſæ, fines, affectiones*, &c. 12. *Virtualis nulla.* ibid. *Ejus partes.* ibid. *Diſtributio antiqua.* 13. *Forma.* 14. *Cauſæ Efficientes.* 15. *Finis.* 17. *Adjuncta.* ibid.

Eccleſiæ Poteſtas. 19. *Vide plura in Pot. Eccl. repugnantia.* 22. *ejus diviſio.* ibid. *Clandeſtina.* ibid. *Turbata.* 23. *Temporaria.* ibid. Domeſtica. *Vide* Domus. *An in uno conſervari queat?* 26. *An debeat conſtare ex pauciſſimis?* ibid. *An debeat uno loco congregari poſſe?* 27. *Varia problemata circa genus, materiam, formam, objecta & fines Eccl. inſtitutæ.* 26. & ſeq. *Eminentia Externa, membra eo ipſo non efficit aliis excellentiora eccleſiaſticè.* 38. *Eccleſias in Eccleſiis, ut regulares in urbicariis rejiciendas.* 39. *Ad primam ejus collectionem quæ cauſæ requirantur & non requirantur.* 42. & ſeq. *An Synodi an claſſis antecedens approbatio.* 42. *An ante conſtitutum ordinarium Miniſtrum?* 43

Eccleſia, *an Magiſtratus conſenſus ad ejus formationem neceſſarius?* 47. 184. *Qualis conſenſus confœderandorum requiratur.* 47. *An ad membrum aliquod recipiendum Politicè cogi queat?* 60. *An ad eam conſtituendam neceſſarium ſit fœdus aliquod Eccleſiaſticum?* 61. 63. *An à minus perfectâ ad magis perfectam migrare liceat?* 65

Eccl. *Parochialis more Pontificio an ſit*

Eccl. instituta propriè dicta? 71. *Parochialis cœtus non eò ipso est Eccl. distincta.* ibid. *An tot sint, quot distincti conventus in aliquâ urbe?* ibid.

Eccl. *Urbica an habeant jus præscriptionis in rurales?* 75. Castrensis. *Vide* Castra, *Navalis an sit Ecclesia?* 76. *An Domestica in aulis magnatum.* ib. *An propriè dicta Eccl., si qua Academicæ & Provinciales dicerentur?* 80 *An Eccl. destituta Ministris aut Presbyterio aliquam habeat potestatem?* 230. *An Eccl. nostræ earumque ministri reformatores in prima reformatione laborantes habuerint potest: Eccl.*, *& si habuerint, an fuerit ordinaria?* ib. *An Eccl. recens plantatæ habeant potestatem, & quidem æqualem cum aliis?* ibid. *An in Eccl. veteranâ sit æqualis potestas Neophytorum cum membris veteranis?* ib. *An in Eccl. schismatis laborante, imo & hæreticâ aliqua adhuc superstit potestas?* 231. *An etiam in Eccl. aut Synodo, aut Presbyterio Excommunicato?* ibid. *An habeat propriam Politiam, & regimen intrinsecum, an vero, ubi Magistratus est nutritius Eccl. solum extrinsecum eorum regimen, in & circa Eccl. sufficiat?* 245. *An Ecclesiis post-Apostolicis, sive œcumenicè congregatis, sive seorsim quibusvis Nationalibus, Provincialibus,* &c. *Potestas competat ceremonias adiaphoras assumendi, & in cultu divino adhibendi?* 426. *An Ecclesiæ precedentes sive dicta universales, Provinciales, sive particulares sequentes sui Ordinis obligare possint, absque ullo Ecclesiæ cuiusque succedentis explicito aut implicito intercedente examine, delectu, judicio, & libero consensu?* 427. *Eccl. universa totius orbis œcumenicè congregata nulla unquam fuit, erit, & vix possibilis.* 426

Eccl. *eius status duplex.* 751. *est Baptismi testis & spectatrix.* 702. *Quibus Explorationis mediis potissimum utetur, ut digni ad communionem Ecclesiæ debitè præparari & recipi possint.* 754. *Quid Magistratui circa Eccl. & Ecclesiastica competat? Vide vocem* Magistratus.

Eccl. Benedictio. *Vide* Benedictio
Canones. *Vide* Canones.
Ceremoniæ. *Vide* Cerem.
Constitutiones. *Vide* Constitut. &c.
Consuetudo. *Vide* Consuetudo.
Decreta. *Vide* Decreta.
Eleemosyna. *Vide* Eleemosyna.
Fœdus. *Vide* Fœdus.
Liturgia. *Vide* Liturg.
Ordo. *Vide* Ordo.
Potestas. *Vide* Potestas.
Preces. *Vide* Preces.
Ritus. *Vide* Ritus.
Tolerantia. *Vide* Tolerant.

Eleëmosyna Ecclesiastica, *quomodo offeratur?* 800. *An ubi Politia facta est Christiana, aut reformata, collectio, distributio, conservatio Eleemosynarum ab Eccl. auferenda, & tota hæc cura in Magistratu,* &c. *transferenda sit?* 930. *A quibus, & per quos Eleem. Eccl. curari debeat?* 931. *An Magistratibus religionem amplexis,*

Digitized by Google

plexis, omnis cura Eleëmosyna publicæ in Eccl. colligendæ & distribuendæ cum Electione; & universo munere Diaconorum cessare debeat? 932. *Quid faciendum in primâ collectione & plantatione Ecclesiarum, aut in cœtu aliquo in navibus, Præsidiis, Castris, ubi nulli sunt Diaconi?* 933. *An ex imposito tributo justitiæ, an ex solis spontaneis oblationibus, an etiam intercedente indefinitâ petitione, sint colligendæ?* ibid. *Quomodo petitiones & collectæ sint instituendæ?* 935. *An præter donationes inter vivos; etiam legata ab Eccl. recipienda sint, immo & urgente necessitate, per Diaconos, Seniores, Ministros, Notarios, à ditioribus postulanda?* ibid. *An Legata, donationes inter vivos, spontaneæ oblationes recipiendæ, aut collectæ, & legata, necessitate forte exspectanda, ac directè aut indirectè petenda ab Idololatris, aliisque à religione alienis?* 936. *An recipiendæ oblationes eorum de quibus constat, aut saltem validè præsumitur, quod bona sua, vel omnia, vel aliquâ ex parte acquisiverint per tyraticam, iniquas prædationes, mordentes usuras, sacrilegia,* &c. ibid. *Obj. fit satis.* 937. *An recipienda aut retinenda sint bona pauperibus donata, de quibus certo constat, quod in nomine & intuitu Idolorum olim oblata sint, imo & ipsius diaboli?* 938. *An bona in usum pauperum collata, erogari possint in divites, aut mediocris fortunæ homines?* 939. *An Eccl. Eleëmosynæ tantum erogandæ in membra Ecclesiæ.* ibid. *An etiam in peregrinos, domi in Patriâ, aut foris in Exilio, cum inopia conflictantes?* ibid. *An captivi, deportati, ad metalla, aut ad remos damnati Eleëmosynis sublevandi?* 940. *An Eleëmosynarum per Diaconos Dispensationem palam, an vero clam fieri conveniat?* 941. *An solis distributionibus quotidianis, aut hebdomadariis pauperes alendi sint; an vero sic juvandi, ut semel emergere, & ab Eleëmosyna eximi queant?* 942. *Exceptionibus fit satis.* 942. 943. *An per solas Eleëmosynas propriè sic dictas pauperes ab Eccl. aut Diaconis juvandi sint: an insuper per mutuum gratuitum?* ibid. *Exceptioni ac Instantiæ fit satis.* 944. *An Eccl. & Diaconi solummodo auxiliari tenentur iis, quorum paupertas jam in propatulo est, & clamat, qui prolapsi,* &c. *an etiam attenuatis, & jam jam in paupertatem Eleëmosynariam ruituris?* 945. *An quicquid in quotidianas distributiones, & in extraordinaria intra aut extra Ecclesiam subsidia non expenditur, à Diaconis reponi possit, & sic cum tempore thesaurus quis colligi?* 946. *Exceptioni fit satis.* 947. *Objectioni fit satis.* 947. 948. *An Diaconi partem repositi abalienare, aut etiam totum, præsente necessitate ita efflagitante, distribuere possint?* 948. *Objectionibus occurritur.* 949. *An bona aliqua pauperum à Diaconis & Antecessoribus Ecclesiæ possint alienari?* 950. *Except. fit satis.* 951. *Quid ad Munus Diaconorum specialiter*

Digitized by Google

liter pertineat ostenditur? 952. *An eleemosyna partem faciat Jejunii?* 983.

Energumeni *an ad cœnam admittendi?* 768

Episcopi, *an possint invitis Eccl. ceremonias usu receptas auferre, & novas imponere?* 430. *An ab iis nova & peculiares constitutiones, regulæ, directoria contra scripturas, aut etiam receptas formulas consensus Ministris imponi possint.* 281

Eulogiæ. *Vide* Benedictiones.

Eucharistia *an Sacrificium?* 819

Eucharistiæ *variè considerantur.* 970. 987. & seq. *definiuntur ac dividuntur.* 995. *quæ hoc exercitium contineat.* 996. *quomodo differant solennitas publica Jejunii, & Eucharistia* ibid. *An dies Kippurim quot annis celebrandus, possit numerari inter festa?* 997. *An Jejunii & supplicationis indictio, conveniat solemni Eucharistiæ, & diei lætitiæ, qui indicitur ad gratias Deo agendas pro magno aliquo beneficio,* &c. 998. *Instantiis fit satis.* ibid. *An in antiquâ Eccl. satis discretè Jejunia diebus Dominicis, èademque ut & adoratio de geniculis à tempore resurrectionis Christi usque ad Pentecosten prohibita sint: quod tempora essent lætitiæ, & Jubilationis?* ibid. *An ergo sicuti interna hilaritas & lætitia in Domino cum externa exultatione in conviviis non conveniunt Jejuniis & supplicationibus, sic internus luctus, interna afflictio & depressio animæ, cum externis Jejuniis & corporis neglectu non conveniat diei bono & Eucharistico?* 999. *Instantiis fit satis.* ibid. *An ex Encæniis anniversariis, à Juda Machabæo institutis, & diebus purim ritè inferri possit festa Eucharistica anniversaria ob aliqua particularia beneficia,* &c. *esse instituenda?* ibid.

Excommunicatio *quomodo adhibenda.* 668

Excommunicatus, *an de Ecclesiâ.* 32. *distinguitur* 663 *de Excommunicato varie conclusiones.* 665. 666. 667. 668. *An filius ejus baptizandus. Vide* Baptizandum.

Exercitia *pietatis quæ.* 954. *domestica quæ.* ibid. *Vide* Agenda, Domum.

Exorcismus *adultorum qualis admittendus?* 698

Explicatio Scripturæ. *Vide* Prophetiam.

Exploratio *qualis in communicante.* 759. *Circa eam variæ Quæstiones. Vide* Communicantes & Cœnam.

Expotititii, *an baptizandi?* 655

F.

FAtuus *an ad cœnam admittendus?* 768

Fides *non rectè dicitur forma Eccl.* 16. *Fidei dogmata distinguuntur.* 431. 432

Fœdus Ecclesiasticum, *an sit necessarium?* 61. *An sine illo nulla sit Eccl. visibilis?* 62, *an sit distinctum ab eo, quod init aut renovat cum Deo suo?* 63. *An nunc erectum posteros obliget, & quomodo?* 64. *Quomodo sit necessarium?* ibid. *Quid de ritu fœderum seu confœderationum, transitu, cil. per mactati animales separatas*

Digitized by Google

ratas partes, cujus mentio fit. Gen. 15. 17. Jerem. 34. 18. 479.
Fœminæ, *an & quomodo de Eccleſiâ.* 32. *An à publico regiminis, aut Juriſdictionis exercitio excludenda?* 33. *Quid iis, ubi nulli viri, quod ad Eccleſiaſtica liceat?* ibid. *earum ſilentium in Eccl. qualis ſit ceremonia.* 426. *Quid ſtatuendum de earum velamine in Eccl.* 1 Cor. 11. 475
Fœneratores *licet approbentur à Magiſtratu an ad cœnam admittendi.* 779. *Exceptionibus ſit ſatis.* a. 780. *ad* 787. *A quibus Uſuras accipere liceat?* 787
Fœtus *qualis Baptizandus, Vide* Baptizandus.
Forma *quid.* 647
Forum *duplex.* 771
Fraternitas Mariana, *quid non fuerit, indicatur.* 932

G.

GAſpar Coligny *Caſtellonius Franciæ Admiralius, ejus domeſtica pietatis exercitia.* 963
Genuflexio, *an geſtus genuflexionis in perceptione cœnæ ſit neceſſarius?* 813. *Neg. ſent. variis arg. prob.* 814. *refutatur* Sanderſon. a. p. 815. *ad* 819. *ipſius Quæſtionibus propoſitis ſit ſatis.* a. p. 820. *ad* 826.
Gratiarum Actio *eſt conſequens adjunctum Cœnæ, ejus diviſio ac ſubdiviſio.* 799. *An Gratiarum actio cum verbis mandati & promiſſionis repetitis & præmiſſâ inſtructione, de cœna ejuſque recto uſu abſolvant conſecrationem, & iis abſolutis panis ſit Sacer?* 809
Grotius *refutatur.* 135. 155. & ſeq.

H.

HAbitus Poilticæ Eccl. *ſitne infuſus, an acquiſitus?* 3. *an amitti queat?* 4
Hæreſis, *Antequam quis ad communionem Eccl. admittatur an explicitè abneganda?* 49. *Ab eâ per pœnitentiam ad communionem Eccleſiæ redeuntibus manus olim imponebantur.* 464
Hæreticus, *an ab eo cœnam petere liceat?* 747
Hiſtriones, *an ad cœnam admittendi?* 771

I.

JEjunium, *variè conſideratur, ejuſque diviſio ac ſubdiviſio datur.* 970. 972. *Religioſum metaphoricum definitur.* ibid. *religioſum propriè dictum definitur.* 971. 987. *ejus cauſa.* ibid. *circumſtantiæ.* ibid. *requiſitæ.* 972. *Publicum deſcribitur.* ibid. *ejus praxis in tribus conſiſtit.* ibid. *Ejus opus quid contineat.* ibid. *ejus conſequens.* 973. *ejus affiniæ.* ibid. *ejus oppoſita.* ibid. & ſeq. *Eccl. Romana Jejunia indicantur.* 976. *refutantur.* 977. 978. *An abſtinentia Nazaræorum, Simſonis, Sociorum Danielis, Rechabitarum, Joh. Baptiſtæ propriè ſit Jejunium?* 978. *An ſciſſio veſtium, ſaccus, vel cilicium, ſeſſio in cineribus, Humicubatio, ſparſio cinerum in caput,* &c. ibid. *Quid de effuſione aquæ ſtatuendum?* 980. *quid de planctu & fletu* Joel 2. ? 981. *An ex* Matt. 17. 21. *Jejunium ut ſpecificum remedium ſit dicendum adverſus.*

Digitized by Google

adversus possessiones Dæmonum? 952. *Quid statuendum de Jeiuniis triduanis, & septem dierum, an peracta fuerint absque omni gustu cibi & potus.* ibid. *Quid statuendum de Jejuniis* Zach. 7. 5. *recensitis?* ibid. *An temperantia, & sobrietas propriè sit Jejunium?* 983. *An Jeiunium referendum sit ad legem Ceremonialem an ad moralem?* ib. *An Jejunium, quatenus exercitium pietatis est, propriè & formaliter consistat in abstinentiâ, & corporis depressione; an vero in intenta praxi resipiscentiæ & orationis.* ibid. *An verbi auditio, & Lectio sint formales actus solennis Jejunii.* ibid. *An Eleemosyna partem faciat Jejunii.* ibid. *An ab omni potu æquè ac cibo, item à medicamentis, &c. & recreationibus abstinendum?* 984. *refutantur Pontificii.* ibid & seq. *An privata & occulta, tum peccata, tum mala domestica, Ministris indicanda, ut in precibus eorum exsertam mentionem faciant; eaque universus cœtus cum ipsis deprecetur?* 986. *An sic conveniant celebrationes Jejunii, & Eucharistiæ publicæ, ut aut semper, aut subinde, datâ insigni aliqua occasione, in idem tempus, aut in eundem diem incidere & indici possint?* 987. *Object. sit satis.* ibid. & seq. *An Jeiunium prædictum præmittendum sit festis solemnioribus?* 988. *an conveniat Eccl. N.T. stata Jeiunia præscribi?* ibid. *Object. sit satis.* 989. *Quid censendum de Jejunio privato, quod quis sibi indicit, & quidem perpetuo hoc vel illo statuto die recurrens, observandum; ex voto solenni aut saltem certo propósito?* ibid. *an Jejunia pertineant ad cultum Dei naturalem, an ad institutum; & an Jure divino absolutè sint necessaria?* 990. *A quo publica Jejunia indici debeant?* 993. *Quid sit Jejunium Nabothum?* ibid. *an conduceret veterum stationes, & semi-jeiunia, quibus ante horam sextam, aut nonam, nihil gustarent, aut quadragesimam reducere?* 994. *An & quomodo stationes à Jejuniis distinguantur?* ibid.

Immersio. *Vide* Baptismum.

India, *Eccl. Indicæ, an Eccl. Belgicæ potestatem perpetuam, Ministros illuc mittendi, ad Eccl. nunc constitutas, habeant?* 104. *Varia de iis dubia soluta.* 105. & seq.

Infantes Fœderatorum *sunt membra Eccl. visibilis.* 29. *an etiam Excommunicatorum?* 32. *excommunicatorum distinctio.* 665. 666. *An illis cœna conferenda.* 757. *Vide* Communicantes.

Institutio. *Vide* Catechizationem.

Instructio *privata qualis ante cœnam.* 794

Inunctio, *quid de Chrismatis, seu inunctionibus, oleo & unguentis statuendum?* 472

Judicium *duplex.* 897

Jurisprudentia, *est distincta disciplina à disciplina Theologica, & quomodo?* 240

Jus Canonicum, *seu Ecclesiasticum in genere & historicè explicatur.* 293. *De Jure Canonico in variis Theologiæ partibus dissertatio incidit.* ibid. *unde*

Digitized by Google

derivetur & originem habeat. 296. *Describitur.* ibid: *Distribuitur jus, & corpus canonicum per ætates quatuor.* ibid. *J. C. secundæ ætatis initium ponitur post prima quatuor concilia, & ejus duo constituuntur articuli.* 297. *An post constitutiones Justiniani codicis illius aliqua autoritas, & usus fuerit?* 298. *An & quomodo differant acta conciliorum, quæ vulgo tomi Conciliorum appellantur, à Canonibus.* ibid. *quando, & à quibus facta collectio, & constitutio hujus Corporis: & quando primo mutationem aliquam subierit?* 299. *quæ ejus sit genuina, & optima editio græca.* ibid. *Quomodo restitutio genuinæ antiqui, & primigenii codicis canonum haberi, aut habita probari possit?* ibid. *Quæ fuerint ejus translationes Latinæ.* ibid. *quæ fuerint epitomæ, seu qui indices ejusdem?* ibid. *Quæ, & quanta corporis hujus Canonici in Ecclesias, & Rebus publicis Reformatis debeat esse autoritas.* ibid. *An non hoc agendum ut Eccl. nostræ reducantur ad antiquam rituum, & Politiæ, imo & Theologiæ (non fundamentalis) formam, illis canonibus comprehensam?* 300. *Collectiones nomo Canonum quænam sint.* ibid. *Progressus & successio Juris Canonici Orientalis docetur?* 301. Africanum quale? 302. *An fuerit distinctum à codice canonum Ecclesiæ universæ?* ibid. *An in Eccl. Africanâ, aliisque particularibus major soleat esse illius, quam istius autoritas?* ibid. *An canones hujus Codicis in Conciliis Africanis universalibus constituti sint, an vero aliqui in Conciliis Provincialibus?* ibid. *An canones illi distincti sint à decretis seu capitulis doctrinalibus?* ibid. *Quenam, & quo tempore celebrata fuerint concilia Africana, unde codex hic collectus est?* ibid. *quando hic codex collectus, & confirmatus sit?* 303. *Quo sermone conscripti canones Africani, & hic codex primum editus?* ibid. *An aliqua hujus juris Africani fuerit autoritas apud alias Eccl., nominatim Orientales, & Romanam Occidentalem?* ibid. *An hic codex eâ formâ seorsim gr. & lat. sermone primum editus sit à Justello?* ibid. Occidentale Romanum *quale sit.* ibid. *qualem habuerit progressum, & quinam collectionem instituerint?* ibid. *An Gratiani collectio debeat præferri codici canonum Eccl. Romanæ?* 305. *An jus Can. ex posterioribus Conciliis & sanctionibus Episcopalibus à Burchardo, Anselmo, &c. debeat revocari ad dictum codicem, & quidem in ipsâ Eccl. Romanâ, siquidem hypothesibus suis insistere velit?* ibid. *Status Juris Can. Occid. in Hispaniâ, Brittanniâ, Galliâ, Germaniâ perstringitur.* 306. *Mutationes & progressus Juris Can. in Hispaniâ notantur.* ibid. *Eccl. Britannicas suum corpus Can. habuisse docetur.* 307. *ejus divisio.* ibid. *Gallicana Eccl. Jus Can. quale, & quam habuerit successionem.* 307. 308 *Germanicis Eccl. fuit peculiare Corpus, & Jus Can.* 308. *cujus tres periodi sunt constituendæ.* 309. *Corpus Juris, quod propriè Jus Can.*

Digitized by Google

Can. appellatur, varie tractatur. 310. *ejus causæ citantur, ac distinguuntur.* 310. 311. 312. *ejus collectores indicantur.* ibid. *An in Eccl. Romanâ ullæ fuerint collectiones Decretalium, ante istas quinque corpori Can. insertas?* 313. *An non ipsæ Decretales Pontificum extra corpus Can. integræ sint editæ?* ibid. *Si quid post illud tempus à Papis constitutum sit, ubi illud quærendum?* ibid.

Jur. Can. *Adjunctâ explicantur: ut ejus varia utilitas.* ib. *Præstantia, & perfectio, quæ variè spectatur.* 314. *Autoritas & efficacia.* 315. *de quâ varia quæstiones.* 316. *Interpretatio ejus duplex.* ibid. *cognata duplicia, eorum subdivisiones.* ib. & seq. *Opposita duplicia.* 321. *Status specialis ejus post Concilium Tridentinum, & quæ illi ab illo tempore accesserint.* 323. *Crisis Corporis Can.* 325. *ea duplex, prior respicit mala seu defectus ejus* ibid. & seq *Posterior designat bona & utilia.* 330. *de studio ac curâ ejus agitur.* 331. *quomodo instituendum.* ibid. *Quæstiones ejus duplices.* 332. *An sit, aut esse debeat præter Jus Divinum, jus aliquod commune positivum, quod Ecclesiast. seu Can. dicitur.* ibid. *An leges Juris Can. obligent in conscientiâ, & sub mortali ut loquuntur; atque adeo observandæ cum periculo vitæ.* 333. *An Jus Can. sit scientia?* ibid. *An in Papatu veri sint Doct. Juris Can.* 334. *An juratus Canonista, mordicus inhærens suo Jure Can., possit esse bonus civis in Republica Reformatâ, & an possit Juramentum fidelitatis legitimè præstare, & siquidem per æquivocationem, & mentalem reservationem præstiterit, an illi tanquam bono civi fidendum sit?* ibid. *An Jus Can. sit supra Jus civile, & ei præstet?* ibid. *An corrigere debeat jus civile, & de facto corrigat?* 335. *An peculiaris professio, & facultas Juris Can. sit instituenda?* ibid. *An examen, collatio, & refutatio Juris Can. pertineat ad Juris Consultos, an ad Theologos?* ibid. *An Doct. utriusque Juris, quamvis à reformatione alienus, possit esse novitius seu rigidus, aut curialis Papista siquidem Corpus Juris civilis, & decretum Gratiani sequatur.* ibid. *An reformatus in Academiis reformatis propriè possit promoveri, & dici Doctor Juris Can.* ibid. & seq. *Nec de facto, neque præcipuè de jure posse Doctores Juris Can. Reformatos dici, & sub hac formali promoveri in Academiis probatur.* 336. *objectionibus fit satis.* 337. *An Ecclesiæ & Reipublicæ reformatorum teneantur etiamnum Jure Can., seu an ibi vim legis obtineat?* ibid. *sive de facto, sive de Jure instituatur quæstio hæc, utrumque negatur, & contrariæ opinioni varia argumenta opponuntur.* 338 *ut & testimonia Theologorum, Regum, Principum, Jurisconsultorum.* 340. *Indicantur quædam problemata de Jure Can., circa quæ languent & fluctuant Pontificii.* 341

Jus Naturale *unde deducatur ostend.* 714

Jus Patronatus *est purè tolerativum in Christianis Eccl.* 294

L.

Lectio, *qui Libri legendi.* 598. 599. 600. *Per quos ſcriptura publicè legenda, an per certos ad id deſignatos Lectores, & quales, an vero promiſcuè per quoſvis de Eccleſiâ ad hoc idoneos ac paratos?* 602. *Tempus lectionis S. Scripturæ.* 603. *Locus & Situs Lectoris, ut & ordo Lectionum.* 604. *Modus.* 605. *an Probanda ſit illa conſuetudo, quæ in Papatu obtinuit, pro concione explicare lectiones dominicales. Negativa ſent. prob. & ab Exceptionibus vindicatur. a.* 606. *ad* 612. *Lectio S. Script. eſt concomitans cœnam.* 797. *S. Script. privata lectio neceſſaria.* 955. *an ſit forma'is actus Jejunii?* 983. *Vide &* Prophetiam, Domum.

Legata *an præter donationes inter vivos ab Eccl. recipienda?* 635. *Vide* Eleëmoſynam.

Lepra *hodierna an eadem cum Judæorum tum Græcorum?* 769

Leproſi *an de Eccleſiâ?* 35. *an & quomodo ab aliis ſeparandi?* 35. *an ad cœnam admittendi?* 768

Lex, *dividitur.* 771

Libertas Exercitii, *an ea Pontificiis & aliis negata ſapiat conſcientiarum coactionem,* &c? 900. *Libertas vera quid.* 924. *In quo non conſiſtat.* 925

Libri *Canonici ſoli in Eccleſiâ legendi.* 600. *Apocryphi. Vide* Apocryphos.

Liturgia Eccl. *ejus definitio, per partes explicata.* 343. *ejus Etymologia.* ib. *ejus varia acceptio.* 344. *ejus Synonyma.* ibid. *quâ notione hic ſumatur.* ibid. *Genius quodnam.* ibid. *objectum & contentum ejus geminum.* ibid. *earum cauſa efficiens.* ibid. *ejus conditiones ſunt duplices.* ibid. *ea variè dividuntur.* 346. 347. *Liturgiæ Chryſoſtomi & Baſilii ſuppoſititiæ ſunt.* 347. *item* Jacobi, Petri, Marci, Clementis, Dionyſii Areopagitæ, Andreæ. 355. *Quid judicandum de rituali Severi Patriarchæ Alexandrini.* 348. 355. *Liturgiarum multiplicatio noxia.* ibid. *Liturgiæ Eccleſiarum novarum quæ perrumpente novitate Papatus, partim ante, partim poſt* Lutherum *ab Eccl. Romanâ ſeceſſerunt, indicantur.* ibid. & ſeq. *ut Germanica* Lutheri, Helvetica, Gallica. 349. *Liturg. Interimiſtica quid, & qualis fuerit?* ibid. *Anglica, ſive Liber communium precum ſemper contradictiones apud Anglos paſſa eſt.* ibid. *Angl recens.* 350. *Scoticæ variæ.* ibid. *Palatino-Germanica.* ibid. *Belgica prior & poſterior,* ibid. *Notantur Liturgiæ hodiernarum Sectarum.* 351. *Papatus varii generis.* ibid. & ſeq. *circa eas quædam admonitiones obſervanda.* 353. *Infidelium pſeudo-Liturgiæ notantur.* ibid. *ut Judæorum.* ibid. *Muhamediſtarum.* 354. *Gentilium antiquorum & hodiernorum.* ibid. *Antiquorum Orientalium liturgiæ recenſentur.* 355. *ut & Hodiernorum Orientalium omnes.* 356. *Coptitarum, Armeniorum, Syrorum, Æthiopum, Georgianorum, & Iberorum.* 359. *An Liturgia notet ſacrificium propriè dictum, & quidem propitiatorium?* 360.

Digitized by Google

An Eccl. V. T. à Moſe ad Ezram conceptas & ſtatas habuerit Liturgias? 361. *An Liturgia ab Ezra & viris magnæ Synagogæ conſtitutæ, populo Dei præſcriptæ & publice uſitatæ fuerint, uſque ad Chriſtum?* 363 364. *An in Eccl. Apoſtolicâ ab Apoſtolis formularia aut Liturgia ſint conſtitutæ, & Eccl. illi, ut & omnibus ſuccedentibus Eccl. præſcriptæ?* 364. *An univerſalis Liturgia conſcribenda, & omnibus Eccl. per totum orbem imponenda?* 365. *An una Provincialis aut Nationalis Liturg. conſtituenda, & in omnes iſtius correſpondentia Eccleſias introducenda ſit?* 367. *An Liturgia linguâ nationis cujuſque vulgari conſcribi, & in Eccleſiis uſurpari debeant?* 368. *An ab Eccleſiis jam ordinatis Liturgia in primâ earum collectione aut reformatione introducta mutari poſſit?* 369. *An ad tanto melius populum Liturgiis & ritibus Romanis aſſuetum à Papatu ad Reformationem traducendi, conduxiſſet, à reformatis initio retentum & repurgatum fuiſſe Miſſale, cum breviario, aliiſque libris, Liturgiis & rituabus?* 372

Ludi-Magiſtri *eorum officium.* 836

Lumen Naturæ *non eſt ſecundarium Pol Eccl. principium.* 3

Lutherus, *ejus prophetia de Politico Antichriſto, ſive Papâ Politico.* 174. 176. 952

M.

MAgiſtratus *an ejus conſenſus ad Eccleſiam formandam neceſſarius?* 47. *ejus poteſtas circa ſacra.* 124. *occaſio diſp. de hâc materiâ.* ibid. *Quales eam in Belgio primum uſurpaverint.* 125. *quorſum à Remonſtr. agitata.* ibid. *Eorum hâc in re Theologia temporum.* ibid. & ſeq. *Status hujus controverſiæ formatur.* 129. 130. *termini in hâc materia præcognoſcendi.* ibid. *conceſſa circa hanc quæſtionem varia.* 131. 133. *Poſtulata.* 135 & ſeq. *Ejus ſeſſio in Synedriis, quam ex articulo 37. conſtit. Ec. leſiaſt. noſtrarum elici volunt.* 135. 199. & ſeq. *Theſis noſtra ſtatuitur de ejus poteſtate circa ſacra, & variis argumentis confirmatur a. p.* 137. *ad* 149. *Fontes ſolutionum indicantur. a. p.* 149. *ad.* 182. *An & quatenus ei competat Eccl. reformatio?* 182. *An poſſit ritus conſtituere in Eccl.?* 183. *An poſſit regulas & directoria imponere Miniſtris ſubſcribenda.* 281. *An nulla Eccl. reformatio ſine ejus conſenſu licita ſit?* 184. *An faciat Synodum.* ibid. *An abſque ejus conſenſu Synodus haberi nequeat?* ibid. *An jus habeat ad Synodum deputandi, & deputatos revocandi?* 187. *An Synodo intereſſe debeat?* 188. *An penes illum ſit agenda in Synodis præſcribere, & illius ſolis Synodum alligare.* ibid. *Ejus officium, ſiquidem Synodis intereſſe velit?* 189. *An ei præſidentia in Synodo competat?* 190. *An Synodum diſſolvere & ejus decreta inhibere queat?* ibid. *An Synodum convocare ipſius ſit.* ibid. *An invitos Eccleſiaſticos in concilium cogere poſſit?* 191. *An ei ſoli in Synodo judicium deciſi-*

Digitized by Google

vum competat. ibid. *Ei non competere poteſtatem propriè dictam Eccleſiaſt. Eccleſiis de temporalibus proſpiciendo.* 138. 139. 185. & ſeq. *Objectioni, quâ ſtatuitur Magiſtratui aliquas partes Eccleſiaſtici muneris tribui poſſe, ſatis fit.* 142. *ut & exceptioni qua peragere poſſe ſtatuitur illa, quæ pertinent ad exteriorem juriſdictionem Eccleſiaſt.* 146. *Fontes ſolutionum ad argumenta adverſariorum petita ex Scripturâ pro poteſtate magiſtratus Eccl. propriè dicta, indicantur.* 149. *item ad rationes & argumenta directa.* ibid. & ſeq. *item ad argumenta indirecta cum reſponſionibus ad varias eorum inſtantias.* 152. & ſeq. *item ad argumenta petita ab autoritatibus, & exemplis humanis.* 168. *Quid ſtatuendum de praxi Germaniæ, & Helvetiæ, ejuſque defenſione per Theologos nonnullos quæ ei aliqua talis poteſtas concedi videtur?* 172. *An ei una cum Eccleſiaſt. in Synodo judicium competat?* 192. *Quale & quotuplex ſit ejus judicium in Synodo.* ibid. & ſeq. *& quomodo diſtinctum à judicio Eccleſiæ.* 194. & ſeq. *An ejus ſit conſtitutiones ſeu leges Eccleſiaſticas formare & præſcribere.* 196. *An ad eum pertineant viſitationes eccleſiaſticæ.* ibid. *An pœnes ipſum ſit jus eligendi Miniſtros, presbyteros,* &c. ibid. *An poſſit exauthorare Miniſtros.* ibid. *An juriſdictio eccleſiaſt. hoc eſt cenſuræ, & excommunicatio ſit pœnes illum.* ibid. *An ipſi competat in cultibus public., per quos & quomodo fieri debeant, conſtituere?* ibid. *An poteſtas Eccleſiaſt. Magiſtratui tributa etiam infideli & heterodoxo competat?* 198. *An habeat poteſtatem circa ſacra æque in privatis conventiculis, ac in publicis templis.* ibid. *An in Eccleſiæ cujuſque ordinario conventu presbyterali præſentia & externa præſidentia Magiſtratus requiratur?* 199. & ſeq. *Objectiones in contrarium diluuntur. a. p.* 203. *ad* 211. *ejus poteſtas & vocatio diſtincta eſt à poteſtate Eccl. quoad cognitionem judicium & executionem.* 241. *An poſſit invitis Eccl. ceremonias uſu receptas auferre, aut novas & inuſitatas, quamvis in ſe adiaphoras, imponere?* 430. & ſeq. *ejus auxilium implorare contra cenſuras Eccleſiaſt. quando licitum.* 197. *An habeat poteſtatem adminiſtrandi cœnam?* 747. *An eo quod uſurarios permittat, aut approbet, uſurarius à Miniſtro ad cœnam admittendus. Neg. ſent. prob. & exceptionibus ſit ſatis. a. p.* 771. *ad* 787. *An qui Patrocinio Magiſtratus Eccleſias occupant ad cœnam admittendi?* 788. *Quæ ad eos pertineant.* 894. *An illis Miniſtri reſiſtere debeant?* 896. *An Magiſtratibus religionem amplexis, omnis cura Eleëmoſynæ publicæ in Eccleſiis colligendæ & diſtribuendæ cum electione, & univerſo munere Diaconorum ceſſare debeat?* 932

Manus, *impoſitio manuum quadruplex in ſcript. N. T. comparet.* 460. *Quid ſtatuendum de ritu impoſitionis manuum in miraculis.* Marc. 16. 18. &

& 6. 13.? 461. *Qualis ritus impositionis manuum in benedictione.* Hebr. 6. 2. ibid. *Quare hic ritus à veteribus quibusdam dictum sit sacramentum?* 461. *Quid de impositione manuum statuendum de qua* Act. 8. & 19 6. *coll. cum* Hebr. 6. 2. ibid. *Quid de impos. man. in ordinatione ministrorum de quâ* 1 Tim. 4. & 5.? ibid. *Unde & quomodo Apostoli hunc ritum mutuati sint?* 462. *An passivè impos. man. & quidem ceremonialem, ad tempus Apostoli retinuerint, ne Judæos in ipso limine prædicationis Evang. offenderent, ut & abstinentiam à suffocato & sanguine, circumcisionem, & ritus noventium vota, an vero analogicè tantum mutuati sint* χειροθεσιαν *in V. T. usitatam?* ibid. *Quid significaverit hic ritus?* ibid. *an tanquam mysticum seu sacrum signum significaverit, id que ex mandato divino?* ibid. *An semper hic ritus adhibendus, & an Exemplum Apost. faciat nobis regulam?* 463. *Si & cum adhibetur hic ritus ab Episcopo, an à tribus aut pluribus Episc. an ab uno Presbytero, an à pluribus aut omnibus illic præsentibus adhibendus sit?* ibid. *Qua & qualis manuum impositio, quâ Antiqui utebantur in receptione Hæreticorum?* ibid. *Quatuor fuisse ejus genera in cursu pœnitentiæ juxta gradus pœnitentium usitata?* 464. *Hinc progressu temporis enatum sacramentum pœnitentiæ Papale.* ibid. *An in Ecclesiis non tantum reformatis, sed & Lutheranis ritus hic sit ac habeatur adiaphorus?* 645. *An junctio manuum in signum contracti & initi matrimonii, sit ceremonia divina, religiosa?* 471

Media *duorum generum sunt, quibus tenues, & attenuati de Eccl. à ruina in Eleemosynariam paupertatem servari aut retrahi possent, suppeditantur.* 945. *Vide* Eleemosynam.

Meditatio *circa cœnam definitur.* 799

Membra Eccl. *pro ratione donorum spiritualium sunt æstimanda.* 38. *An idem sentire in omnibus debeant?* 51. *An se mutuo novisse debeant?* 58. *An respectu loci proximè unita esse necesse sit?* 59. *An Eccl ad membrum aliquod recipiendum politicè cogi queat?* 60. *An membrum Eccl. possit provocare ad Magistratum, censuris Ecclesiasticis in se latis?* 197

Menstruatæ *& Puerpuræ. An & quomodo de Ecclesiâ?* 36. *Variæ superstitiones Papatus circa illas.* ibid.

Mercatores *eorum diversitas ab usuraris.* 784. 783

Metropolis, Eccl. *Metropolitana quid?* 93. *ejus* ἀνωχή. 96. *An post reformationem retinendæ, aut restauranda?* 98. *An inter nos Eccl. in Metropolibus habeat aliquam cathedralitatem?* 103. *An Ecclesiæ in Belgia eam habeant in Ecclesias navales & castrenses?* 110

Migratio *ab Eccl. minus purâ ad magis puram quando licita?* 65. *An etiam absque consensu Eccl. relinquenda?* 67. *An litteræ dimissoriæ & testimoniales necessariæ?* ibid. *An Eccl. inter se dissidentibus necessariæ?* 66

Mi-

Digitized by Google

Miniſtri verbi, *quam neceßaria ipſis Pol. Eccl.* 4. *quam neceſſarii ubi Eccleſia conſtituenda.* 42. *An quam diu, &c. eo Eccleſia talis manens egere queat.* ibid. *eorum poteſtas.* 120. *an apti ad Miniſterium qui publicè & privatim quavis occaſione & pro quavis neceſſitate non norunt orare.* 496. *Miniſtri inidonei ad meliorem mentem quibus remediis redigendi?* 497. *An Miniſtro Eccl. liceat cenſuras Eccl. in ſe latas favore Brachii ſecularis, prævenire, ſiſtere, aut ab iis jam latis ad Magiſtratus provocare.* 197. *An Miniſter Magiſtratu prior ſit & Honoratior?* 198. *An Miniſtri bonâ conſcientiâ ſubſcribere poſſint & debeant regulis Magiſtratus præter & contra ſcripturas, conſtitutiones Eccl. receptas, Eccleſiis & Miniſtris impoſitis?* 281.282 & ſeq. *An aliquis Miniſter aut Miniſtri in Eccl. ſuis ad meliorem ædificationem circa regimen, & doctrinam publicè privatimque tradendam, &c. plura agere poſſint, quam Canones Eccl. in ſpecie præſcribunt?* 284. *Miniſtri qui ipſi proprias conciones & preces componere non didicerint, non admittendi, quamdiu aptiores haberi poſſint?* 368. *Miniſtri an urgeri poſſint aut debeant, ut antiquè retentis ceremoniis (quas adiaphoras eſſe prætexunt) ſubſcribant, & quidem ſub pœnâ non receptionis aut exauctorationis, aut etiam excommunicationis?* 431. *An recipere teneantur ubi ab Epiſcopis aut Magiſtratu novæ quædam ceremoniæ, ſed dictæ adiaphoræ obtruduntur, vitandi ſc. majoris mali causâ?* ibid. *Miniſtri in quo caſu ſibi cavere debeant.* 735. *ſoli ſunt diſtribuentes cœnam.* 746. *An ſibi ipſis porrigere poſſint. Vide* Cœnam.

Miniſtri Juniores *de quibus caſibus tempeſtivè cogitare debeant?* 754. *quibus mediis uti debeant, ut dignos habeant communicantes.* 755. *quibus libris, ut fructuoſa & efficax ſit concio.* 618. *An Miniſter qui fractione uſus eſt, ad aliam Eccl per legitimam vocationem tranſire poſſit, ubi cœnam ſine fractione adminiſtrare debet?* 808. *An ſe ab operâ Catechizationis eximere poſſit.* 840. *Vide Catechiſtam, Prophetiam, Præmonitionem. An Magiſtratum reſiſtere debeant.* 896. *Vide Caſus.*

Miniſtri *quid illis incumbat.* 883

Miniſtri Jacobei *quales.* 752.753. *Vide plura* in concionatore, & Paſtore.

Miſſa Cantans *unde.* 550. *Angularis quæ.* 758

Molinæus Ludov. *notatur.* 129. 148. 181

Monſtra *ab hominibus nata triplicia.* 646. *An tutius monſtrum ex concubitu hominis cum beſtiâ natum necandum an alendum?* 647. *qualia baptizanda. Vide* Baptizandum.

Montes *pietatis an & quomodo poſſint conſtitui, ut ſint legitimi?* 944.945

Mulieres *quæ Cælibes, &c. an Catechizationibus ultra elementarias utiliter exerceri poſſint?* 859. *Vide plura in* Catechizatione, & Fœminâ.

Digitized by Google

Mutuum *gratuitum an per illud pauperes juvandi?* 943
Mysterium, *quanam Mysteria sint sacra?* 453

N.

NAtivitatis Christi, *solennitas malè fundatur in definitione temporis, die 25. Decemb. ejus observatio non est divini, sed humani instituti.* 716
Nomen, *ejus impositio in Baptismo est Juris divini & naturalis, circa eam variæ quæst. a. 714. ad 723. Quando nomen sit imponendum? 714. Datio nominis distinguitur. 715. Per quos nomen sit dandum? 717. Quæ aut qualia nomina sint imponenda, & imposita ante Baptismum, atque in Baptismo indicanda ac promulganda.* ibid. *An tantum nomina sacris literis contenta, sint imponenda. 718. notatur* Henricus Fitz *Jesuita. 718. 719. 720. An nomina ante Baptismum, aut in Baptismo imposita sint mutanda? 721. Relationis nominum in tabulas ecclesiasticas finis pontificiorum, & reformatorum ostenditur.* 722
Nuditas *quid significet. 688. tria circa hanc quærenda. Exemplâ nuditatis Adamiticæ tempore Apostolorum nulla. 684. ad 691.*
Numerus *definitur.* 760

O.

OBedientia *quæ sub promissione postulatur non est servilis.* 924
Oblationes *acquisitæ ex mordente usurâ, &c. an recipiendæ ab Ecclesiâ?* 936
Officium Mosarabicum *quid sit, & quo loco fuerit in Eccl. Romanâ.* 370. *Gregorianum, seu Romanum quid sit, & quo loco in Eccl. Romanâ.* ibid. *Gothicum quid sit, &c.* ibid.
Oleum *triplex in Papatu superstitiosum plane est. 473. ut & eorum consecratio & usus.* ibid.
Oratio *in Jejunio quibus partibus constet ostenditur. 973. Vide* Preces.
Ordo Ecclesiast. *duplex. 241. An omnis ordo in cultu publico, in conventibus & agendis Ecclesiasticis pro arbitrio cujusque Eccl. eundem constituentis, aut hoc tempore observantis, sit ejusdem generis cum ceremoniis super quibus Reformati à Pontificiis, & iidem inter se dissentiunt? 451. Vide* Ritus & Constitutiones.
Organum *in genere definitur, dividitur. 544. ejus variæ species, & ambiguitas. 545. An Cantus organicus, sive seorsim, sive musicæ vocali immixtus sit pars aut actus Religionis publicè, aut communiter in Eccl. N. T. exercendæ, idque ex jure divino. 546. 548. Hujus controversiæ opiniones Gentilium, Judæorum, Pontif. &c. citantur. 549. 550. 551. 552. Neg. sent. variis argumentis probatur. a. 553. ad 558. prob. ex Antiquitate Eccl., ut & intermediæ ætatis, sic & Ecclesiarum ac doctorum à tempore Reformationis consensu. 559. 560. 561. Objectionibus, ut & Except. ad responsiones ad object. datis, fit satis. a. p. 562. ad 584. An organi cantus in publicâ psalmodiâ Eccl. utiliter adhibeatur, ut & voce &*

Digitized by Google

manu seu instrumento pariter exprimatur oratio nostra supplicans, aut gratias agens. 584. *Neg. sent. variis rationibus prob. & Except. occurritur.* 585. 586. *An Musica Organica ad Psalmos decantandos ita utiliter adhibeatur, ut præmissa psalmodiæ vocali modulatione Psalmi cantandi hominum corda ad devotam psalmodiam præparet atque excitet: & an hujus rei gratiâ organa in templis retineri, aut de novo in eâ introduci debeant Neg. sent. var. rat. prob. & Except. sit satis.* 586. 587. 588. *An utile sit Organorum cantum in sacra publica introducere, ut sacra littera tanto sint conspectiores, & verba sacra illâ modulorum suavitate condita, tanto melius in animos hominum irrepant?* 589. *An partim ad amœnitatem, & licitam jucunditatem, partim ad necessariam directionem Psalmodiæ Ecclesiasticæ, & omnis indecori* ἀπροσδοκήτου *præventionem, organorum cantus utiliter in cultum publicum introducatur?* 589. 590. *Except. sit satis.* ibid. *An conducat extra cultum & cœtum Ecclesiasticum statis horis ac diebus, aut etiam quotidiè Organo & vocibus Musicorum cani hymnos in gratiam eorum, quibus vacat, aut libet audire, atque inde occasionem captare excitandi se ipsos ad Spiritualem eorum usum?* 590. *An Organa sint utensilia sacra?* 591. *An præstet Organa in templis retineri ubi hactenus sunt?* ibid. *An ubi non sunt, de novo in templa introducenda sint?* ibid. *An conducat Organis cani ante, aut post concionem.* ibid. *An à Magistratu absque judicio & consensu Ecclesiastico, usus aliquis Organi in Psalmodiam, aut cultum publicum introduci debeat?* ibid. *An tolerabilius & tuto unius, aut alterius Ministri, aut particularis Synedrii sive approbatione, sive conniventiâ, Cantus Organicus in Ecclesiasticum cultum & Psalmodiam introduci possit?* ibid. *An tolerabilius, ut extra tempora cultus & conventuum eccles.*, &c. *an vero in ipso cultu, aut statim post concionem?* ibid. *An finito cultu, an in ipso cultu.* ibid. *An Musica Harmonica conveniat Psalmodiæ Ecclesiasticæ.* ibid. *Refutatur Censor quidam.* 593. & seq. *Vide plura in* Cantu.

Osculum, *an sit ritus mysticus, aut sacer, & jure divino impositus?* 466. *de variis osculandi ritibus superstitiosis.* ibid. *An sanctum osculum de quo* Rom. 16. 16. 1 Cor. 16. 20. *& sit ritus divinus talis, cujus perpetua observatio divinitus Eccl. N. T. prascripta sit? An fœmina à viris quibusvis osculo propriè dicto salutatæ fuerint? & an hoc probari possit ex textibus citatis.* 468. *Varia de ritu osculi notanda tum dogmatica, tum historica.* ibid. & seq.

P.

PAlea *discipulus Gratiani, unde nomen suum habeat.* 312

Panis *quis optimus.* 734. *Quæ partes in eo requirantur?* 735. *Panis sacer quid de eo censendum, quem hodierni Græci præter Eucharistiam distribuunt.*

Digitized by Google

luunt. 800. *An omnis panis præparatoriè in mensâ consecrandus?* 809. *An Panis distributus manu communicantium tangi & accipi possit, an à Ministro in os indi debeat?* 810. *Vide plura in* Cœnâ.

Papa Rom. *An iure humano constitui possit, & agnosci Princeps Eccl. Univers. sive Monarcha Ecclesiasticus, & ipse licitè tali potestate uti possit, & an quisquam aut Ecclesiasticus aut Politicus ita possit constitui, si quidam Pol. Eccl. in illos deferant?* 284. *Papæ Rom. quare nunc rarò aut ferè nunquam definiant, aut anathematizent?* 324

Papa *Politicus de eo Lutheri Prophetia?* 174. 176. *Papatum Politicum sive Cæsareo Pap. acriter perstringit Wigandus.* ibid. *& contra eum egregiè nos admonet Amos Comenius.* 179. 952

Papistæ Polit. Eccl. *malè à Theologiâ divellunt.* 5. *malè dividunt membra Eccl. in Ecclesiastic. & Laica.* 37. *malè distinguunt inter τὸ λαϊκὸν & κλῆρον.* 396. *refutatur eorum sententia de Judicio Magistratus circa religionem.* 135

Pararii *qui adducunt adultos, aut portant parvulos variis insigniuntur nominibus.* 703

Parentes, *eorum officium est domi catechizare.* 835. 954. *Vide* Patremfamilias, & Domum.

Parochia, *Eccl. Parochialis. An in Eccl. cujusque parochiario conventu præsbyteriali, præsentia & externa præsidentia Magistratus requiratur?* 199. & seq. *Vide plura in* Ecclesia.

Pastores *debent visitare scholas.* 837. *Vide* Concionatorem & Ministrum.

Paterfamilias, *quas partes in Eccl. domesticâ obire debeat?* 78. *An sibi aliquem, & quomodo eligere queat ad hæc idoneum?* 79. *vide* Parentes.

Patriarcha *Eccl. patriarchalis quid?* 97

Peccata, *an ante admissionem ad Eccl. communionem publicè confitenda?* 50

Permissio. *Vide* Tolerantia.

Pes, *quid de lotione pedum statuendum sit, quam Christum adhibuisse legi.* Joh. 13. 446. & seq. *Quid de excussione pulveris pedum, de quâ* Matt. 10. 14.? 476. *An fuerit signum rejectionis à pace omni Ecclesiasticâ, à Nuntio Euangelii pacis, aut signum devotionis, anathematizationis, Execrationis, quæ analogicè conveniat cum eâ, de quâ* 1 Cor. 16. 22. ibid. *An mandatum hoc Christi, de Excussione pulveris pedum, ejusque executio in simili casu sit universale, atque adeo omnibus Euangelii Præconibus imitanda?* 477. *Quæ sit ratio tum gestus & signi hujus externè adhibendi, tum denuntiationis apostolicæ?* 478

Phreneticus *an baptizandus, an ad cœnam admittendus. Vide* Baptizandum, & Communicantes.

Politia Eccles. *quid notet.* 2. 1. *ejus descriptio.* ib. *Subjectum ejus quid sit?* ibid. *Quodnam objectum.* ibid. *Quis finis & internus & externus.* ibid. *In quo conveniat cum regimine*

Digitized by Google

Polit. ? 242. *Quomodo illæ duæ Politiæ inter se differant.* ibid. *Pol. Ec[illegible] oppositæ.* ibid. *hujus varia divisio ac subdivisio.* 243. *Pol. Eccl. N. T. distinctio à Pol. V. T. in quibus.* 244. *Varia problemata de Pol. Eccl. N. T.* ibid. *An detur talis Politia à Politicâ & Oeconomica distincta?* ibid. *Pol. Eccl. necessaria ob rationes quasdam.* 249. *An illa sit pars officii Christi Sacerdotalis, an Regii.* ibid. *Quodnam si hujus principium, quis Judex, & cujus sit eam quoad essentialia restituere, & quoad circumstantialia instituere?* ib. *Quodnam sit & non sit proprium subjectum hujus Pol.* ibid. *An in substantialibus sit immutabilis?* 250. *An sit purè Monarchica, an Monarchico-Aristocratica, an Aristocratico-Monarchica, an purè Aristocratico-Democratica?* ibid. *an Politia una specie specialissima omnibus Eccl. imponi & aptari queat?* 252. *an ea accommodanda sit ad regimen politicum?* ibid. *An potestas Eccl. dogmatica à potestate regiminis, seu Jurisdictionis, & Jurisdictio interior ab Exteriori distingui debeat, ita ut simul Ecclesiis una concedatur altera negetur.* ibid.

Politica Ecclesiastica, *vocis homonymia.* 1. *Definitio.* ibid. *Quod detur.* 2. *Quomodo differat à Politia Ecclesiastica.* ibid. *à Theologiâ.* ibid. *An differat à Politicâ Philosophicâ, seu seculari, & Jurisprudentiâ* &c. ibid. *ejus causa.* 3. *Scriptura hic unicum principium, non lumen naturæ.* ibid. *Potest esse in reprobis.* ibid. *Qualis habitus sit.* ibid. *an possit amitti?* 4. *Major aliquando in impiis quam in piis.* ibid. *Quibus necessaria absolutè.* ibid. *An sit Ἀρχιτεκτονικὴ resp. aliarum scientiarum Theologicarum.* 6. *est vel V. vel N. T.* 7. *Partes ejus tres, de rebus, & agendis sacris.* 2. *de Personis sacris.* 3. *de actionibus sacris.* 7. *Quomodo & quibus comparanda?* 8. *an in Academiis necessario tradenda?* 10. *etiam Senioribus aliquo modo necessaria.* ibid. *Ejus objectum.* 11. *ejus potestas dubia quæ sit, & quotuplex.* 506

Polygami *an ad cœnam admittendi?* 771

Populus, *variis modis spectatur.* 12. & 13. *an solus cum presbyterio absque Ministro sit Ecclesia?* 28. *qualem potestatem Ecclesiastic. habeat?* 119. *an populo à Ministris distincto potestas Eccl. aliqua competat quoad Executionem, an vero virtualiter tantum?* 224. *an populus aut saltem potiora ejus suffragia in hac aut illa particul. Ecclesiâ excommunicare possint ministros & Synedrium?* 225. *an si populus à Synedrio distinctus compararetur cum Synedrio, plus sit potestatis in Synedrio, an vero in populo?* ibid.

Potestas Ecclesiast. *ejus distinctiones.* 115. *ejus abusus & nimia extensio.* ibid. *limitationes.* 116. *partes.* 117. *communis totius Eccl. qualis.* 119. *Presbyterii qualis.* 120. *ejus divisio.* ibid. *affectiones.* 122. *distinct. à Politica.* 123. *pugnantia.* ibid. *Ejus divisio.* 131. *A politica que-*

Digitized by Google

quomodo distincta. 136. *an Magistratus Eccl. de temporalibus providendo eam acquirat.* 185. *Hypotheses utrimque concessæ de potestate magistratus circa sacra.* 133. *an Pol. Eccl. in casu necessitatis, à Tyrannis usurpata, ordine in Ecclesiâ turbato, ad Magistratum pro illo tempore transferri debeat, saltem quoad exercitium.* 211. *Object. solvuntur.* 212. 213. *an ea sive adæquate & primo, sive per delegationem in mixtis politico Ecclesiasticis & supremis consistoriis, aut Principum consiliariis ad quos alicubi in Germania omnes causæ & negotia Ecclesiast. per superintendentes aut inspectores deferri solent?* 214. *Quid statuendum de celsis commissionibus, cameris stellatis, & convocationibus Episcoporum, ad quæ pars aliqua, aut exercitium aliquod Pot. Ecclesiast. antehac derivari solet.* 216. *An immediatum & primum subjectum potest. Eccl. sit Papa; ita ut omnes alii Rectores, Past. Episc. habeant illam mediante Papa, & per gratiam sedis Apost.* 217. *an Cardinales, Episcopi, Ecclesiæ Cathedrales, & Metropolitanæ.* ibid. *An subjectum hujus potestatis sint soli Ministri, sive seorsim sive collectim considerati?* ibid. *An Eccl. Oecumenica sit subjectum, ita ut inde derivetur in particulares Eccl.?* 218. *an potestas hæc sit in Synedrio cujusque particularis Eccl., an vero in populo, seu plebe Eccl. à Synedrio distincta?* 220. *an potestas Ministrorum, aut presbyterii propria sit, primo & immediatè in Populo seu Eccl., & inde derivetur in Ministros?* 221. *An vicissim populi potestas sit in Ministro, aut presbyterio, eo quod Eccl. formetur à Ministris.* 222. *an partes hujus potest. sic divelli possint, ut Ministri quasdam administrent, & alia, ex. Gr. leges condendi cedant Magistratui, aut Ecclesiasticis quibusdam gradu eminentiori distinctis, ut Episc. Superintendentibus.* ibid. *an partes hujus pot. ita divelli possint, ut Eccl. aliqua transferendo hanc in unam personam Eccles. aut Collegium aliquod,* &c. *in perpetuum illam abalienet pro se, & posteris.* 224. *an universa pot. Eccl. per voluntariam cessionem, aut conventionem* &c. *pro nunc & semper transferri possit in Papam, Episc., Monasteria,* &c.? 231. *an recte dicatur ab iis, qui Imperatorum,* &c. *Reformatorum jura defendunt contra usurpationes Papæ, succedere illos in potestatem Papæ, Episcoporum, & eam rectè tribui illis, quod sive ante reformationem, sive hodie in partibus quibusdam Germaniæ Episcopis tribui solet?* 232. *Contra divulsionem pot. Ecclesiast. quædam adferuntur.* 253. *ut & fontes solutionum contra figmentum hujus divulsionis.* ibid. *An abalienationem & translationem pot. Ecclesiast. arguat Electio Eccl. alicui tributa, aut arbitrium in casu aliquo à partibus dissidentibus alicui particulari delatum, & in delato tali arbitrio jus perpetuum fundari possit?* 234

Pot. Eccl. *Objectum duplex.* 235. *Quænam ab hoc objecto excludantur.* ibid. & seq. *An aliqui fideles in communione alicujus Eccl. particularis constituti, ab hac potestate sint exempti? idemquæ. de Exemptione particularis alicujus Eccl. sive Oppidana, sive Urbica, sive Vicana in correspondentia classicali, aut Synodali constitutæ?* 237. *An casus & causæ ad primam decalogi tabulam referenda tantum sint objectum hujus Pot. Eccl.?* 238. *an quorumcumque hominum, qui sunt de Eccl., negotia, & causæ ad particularem cujusque œconomiam, & vitæ occupationem spectantia ab Eccl. & inspectoribus curanda, & tractanda sint?* ibid. *An Pot. Eccl. indirectè in ordine ad spiritualia versari possit, ac debeat circa omnia mundana tam politica, quam œconomica?* 239

Prælati *tum regulares, tum seculares male dicuntur Ecclesiastici.* 17

Præmonitio *duplex.* 922. *An potius domatim an in cœtu Eccl. sive in mediâ concione ad textum ad id delectum sive post sive ante inchoatam concionem fieri conveniat?* 923. *An conceptis verbis ex decreto Synedrii, iisque vel pronuntiata, vel lectis ex scedulâ; an vero à Ministro quovis pro re natâ & arbitrio suo fieri conveniat?* ibid. *Object. ut & instantiis fit satis. a. p.* 923. *ad* 928.

Præparatio *ad Jejunium tria continet.* 972. *vid.* Exploratio:

Precarium *definitur.* 945

Preces Ecclesiasticæ *inter ordinaria agenda in cœtu Eccl. statuuntur?* 481. *idque prob.* ibid. & seq. *Ministris Eccl. incumbit, ut præeant in precibus, auditoribus ut sequantur.* 482. *An in cœtu Eccl. ita orandum, ut Minister partem periodi, aut commatis ex psalmo aliquo Davidis aut alia precationis formula pronuntiet, & populus aut alius minister clara voce sequatur?* ibid. *An precatio Eccl. fieri debeat clarâ voce Ministri præeuntis?* 483. 484. *Quâ linguâ orandum.* ibid. *An præscriptis formulis precum ministri adstringi debeant?* 484. & seq *Neg. sent. prob* 486. 487. *usum formularum non esse per se aut intrinsecè malum, quin & subinde necessarium prob.* 489. *Quoties & quando in Eccl. orandum?* 490. *An Preces Ecclesiast. debeant esse prolixæ vel breves?* 491. *Quænam in illis distinguenda?* 492. *Materia.* ibid. *Dispositio earum.* 493. *Confusio in precibus quid sit.* ibid. *Quid Battologia?* ibid. *Stylus precum quis esse debeat?* 494. *In precibus qualis actio adhibenda?* ibid. *qualis vox requiratur?* ibid. *Qui gestus?* ibid. *An preces Ecclesiast. necessariam cultus publici & socialis partem faciant?* 495. *An omnes preces Eccl. necessario concludendæ oratione Dominicâ* 498. *An omnium bonorum petitiones, omnium malorum deprecationes, omnes pro beneficiis gratiarum actiones cum amplificationibus, particulariter singulis precationibus Ecclesiast. proponendæ?* 498. *An semper in omnibus, aut in particulari quâvis Eccl.*

Digitized by Google

Eccl. sive ab omnibus Ministris, sive à quovis singulari Ministro eadem preces perpetuo pronuntiari debeant? 499. *An omnes benedictiones & liberationes, tum Eccl. tum Politiæ,* &c. *in cœtu Eccl. orationibus Eccl. definitæ & particulariter sint proponendæ?* 500. *An contentionibus in Republ. aut Eccl. obortis partis alterius causa bona Deo commendanda publicis precibus à Ministro, contra de adversæ partis injustitiâ conquerendum?* ibid. *An quælibet necessitates scedulis designatæ, precibus publicis inserendæ sint?* 501. *Pro quibus & contra quos in Eccl. orandum?* 502. *An pro omnium ordinum hominibus orandum publicè in Eccl.* ibid. *An tutum sit amicorum, benefactorum,* &c. *nomina in precibus Eccl. ordinariè referre?* ibid. *tutum esse, ut à nominali designatione amicorum, patronorum abstineant Ministri, prob.* 503. & seq. *An cum concionatores pro Regibus & Magistrat. preces concipiunt, eos solitis suis titulis ornari conveniat?* 505. & seq. *Quomodo orandum sit Ministro in Eccl. cum Reges & Principes mutantur, eorumque potestates aut dubiæ sunt, aut plane abrogantur?* 506. 507. *An contra aliquos in Eccl. orandum sit, & contra quos?* 511. & seq. *Preces publicas pro damnatis in inferno Pontificii concipiunt.* 514. *Preces extemporaneas Ministri quandoque fundere debent.* 519

Presbyterium. *Vide* Synedrium.

Professio *fidei antequam quis ad communionem Eccl. admittatur, an & qualis requiratur?* 47. *Virtualis in Eccl. natorum & Baptizatorum an sufficiat?* 49. *An juramento confirmanda?* 52. *An præstet edi continuâ oratione, nec ne?* 53. *Qualis & quam accurata requiratur?* ibid. *Coram cœtu an secus agenda?* ibid. *An profitentes in omnibus idem sentire necesse sit?* 57. *An debeant se mutuo exploratos habere?* 58. *An fidelibus aliunde venientibus ea de novo incumbat?* 59

Professores Theologiæ *in quantum necessaria ipsis Pol. Eccl.?* 5

Prophetia, *quid per eam intelligatur?* 873. *An Exercitium hoc ex more Synagogæ Judaicæ ab Ecclesiâ Apost. accersitum fuerit.* ibid. *An Prophetæ fuerint distincti à Pastoribus & doctoribus.* ibid. *An omnes textus pag.* 873. *citati explicari debeant de prædictione futurorum & occultorum.* ibid. *An per studium Scripturarum ordinarium, & per institutionem aliorum potentiam & idoneitatem illam interpretandi Scripturas assecuti sint? An per charismata in instanti ipsis infusa?* 874. *An omnes Prophetæ extemporaneo charismate tunc donati in Scripturæ & dogmatum explicatione fuerint infallibiles.* ibid. *An in antiqui Ecclesiâ tale exercitium viguerit.* ibid. *An tales Prophetiæ in Ecclesiâ debeant aut possint esse perpetuæ: An Apostolica & illorum temporum fuerint propriæ?* 875. Joh. à Lasco *citatur a. p.* 875. *ad* 879. *An non tantum licitæ, sed & utiles sint?* 880.

Digitized by Google

880. *An promiſcua & vaga quorumvis in conventu Eccleſiæ collatio ſeu Proph. ſit admittenda?* 881. *An Ordinarium munus Prophetarum duplex ſit in Eccleſiâ diſtinguendum, ut alii doceant, &c.?* 882. *An quibuſvis etiam Idiotis aliquâ ſcientiâ pollentibus licitum ſit Cathedram conſcendere, & Eccleſiam docere?* 883. *An Prophetiæ illæ coram toto cœtu Eccl. ſemper & ubique inſtitui debeant: & ubicunque illæ deſint Eccleſiæ, & exercitia Eccleſiaſtica integritate ſuâ deſtituantur?* 885. *An de Eccleſiaſticis concionum repetitionibus idem cenſendum ſit?* 886

Pſalmodiæ Eccleſiaſticæ *celebriores notantur.* 351. *Variæ editæ quâvis linguâ à variis.* 523. & ſeq. *Pſalmi in Eccleſiâ quo melodiæ aut muſicæ genere cantandi?* 533. *An ad paucas modulationes ſeu voces, ut loquuntur, Pſalmi noſtri revocandi ſint?* 535. *An in Eccleſiâ latino aut peregrino idiomate Pſalmi Davidis, aliave cantica ſacra decantanda.* 539. *Vide plura in* Cantu.

Puritani *in Angliâ quinam dicti, & quomodo diſtincti fuerint?* 414.

Pyratæ *an ad cœnam admittendi?* 777

Q.

Quæſtiones Theologic. *ſunt duplices.* 911

R.

Reformatio Eccleſiæ, *an & quatenus Magiſtratui competat?* 182. *An nulla ſine Magiſtratus conſenſu licita ſit?* 184

Remonſtrantes *eorum fides temporaria in Queſt. de Poteſt. Magiſtr. circa ſacra.* 126. 192. *Strenue calumniantur.* 137. *refutatur Apologia in quibuſdam.* 152. *Liturgia eorum qualis ſit.* 351. *Unde nomen ſuum ſortiti ſint?* 197. *refutatur eorum ſententia de Judicio & poteſtate Magiſtratus circa ſacra.* 135. 152. & ſeq. *rejiciuntur eorum dicta varia in Apologia.* 132. 138. 155. *Vi ſecularis brachii cenſuras Eccleſiaſticas prævenire & ſiſtere conati ſunt.* 197

Reprobi *poſſunt eſſe ſubjectum Pol. Eccl.* 3

Reſipiſcentia *tribus partibus conſtat.* 972

Reſiſtentia *externa diſtinguitur.* 896

Reverentia *duplex.* 810

Rex Angliæ *quomodo caput Eccl. dici queat, & dicatur?* 194. & ſeq. Jacobi *Regis reſponſum explicans poteſtatem & diſciplinam Eccleſ. obſervatu dignum.* 178

Ritus *deſcribitur.* 815. *An Magiſtratus eos in Eccl. inſtituere queat?* 183. *Occaſio hujus quæſtionis.* ibid.

Ritus Eccl. *an omnes ritus, & externa circa cultum obſervationes in Eccl. V. T. fuerint formaliter ſacræ, & quidem typicè, ſeu præfigurantes.* 423. *An ritus decori, ordinis, aut cujuſcunque obſervationis adiaphoræ Eccleſiaſticæ in V. T. nullus uſus ſit in N. T.* ibid. *An ritus & typus ſeu umbra in V. T. ſint reciproca?* 434. *An omnis ritus ſeu ordo in Eccl. V. T. obſervatus & inſtitutus extra aut præter divinitus præſcripta, in ſe fuerit adiaphorus, ſed per poteſtatem Eccle-*

Digitized by Google

Ecclesiastic. Sacerdotum, determinatus, & ex illâ hypothesi observatu tunc necessarium. ? 436. *ritus quidam de novo introducti, aut in prima reformatione ex Papatu retenti iustissimè urgeri nequeunt, nec Ministris invitis imponi possunt ac debent: quales sunt, qui in Angliâ, & Germaniâ remanserant.* ibid. & seq. *ritus quosdam ab Ecclesiis quibusdam non minus esse abrogatos, quam illud absque iussu & voluntate Ecclesiæ Augustanæ confessionis fecerunt, probatur?* 457. *An quando falsi fratres, aut alii qui à confessione & religione verâ dissentiunt, nos urgent ut ritum aliquem vel iam pridem antiquatum postliminio in Ecclesiam reducamus, vel à multis annis receptum abrogemus, pacis redimendæ ergo, quid fieri possit vel debeat?* 458. *An rituum conformitas necessaria sit in omnibus Eccl., ita ut absque eâ unitas fidei & Ecclesiæ consistere nequeat?* ibid.

Ritus *in Baptismo distinguuntur.* 679. *In cœnæ administratione sunt triplices.* 803. *ritus Genuflexionis. Vide plura in* Genuflexione. Baptismo & Cœnâ.

S.

SAcramentum *definitur.* 731. *An Pontificii statuant opus operatum, spectatim quod ad efficaciam sacramentorum.*

Sacrare. *Vide* consecrare.

Salutatio Ecclesiastica *à votivâ benedictione re ipsâ non differt.* 518. *quod in Antiquâ Eccl. usurpata sit.* ibid. *quomodo olim & nunc in Papatu obtineat.* ibid. *illam hodiè ad exemplum Pauli.* 2 Cor. 13. 13. *non male usurpari à quibusdam Ministris.* ibid.

Sanguis, *quid censendum de abstinentia à sanguine.* Act. 15.? 471

Scandalum *duplex.* 735

Scholæ, *an penes Scholas Theologicas quâ tales sit aliqua potestas peculiaris Ecclesiastica?* 231. *An Scholæ sint obiectum Pol. Eccl.?* 250. *An eadem sint subiectum huius Politiæ?* 251. *eas à pastoribus visitari debere.* 837

Scriptura *per quos in Eccl. legenda. Vide* Lectio.

Secessio *ab aliquâ Ecclesiâ. Vide* Migratio.

Seniores *quousque Ministrum in distributione cœnæ iuvare possint.* 478. *An Catechizare debeant?* 848

Separatistæ *quinam in Angliâ fuerint.* 413

Servi *an constituant Ecclesiam?* 35

Silentium *quale in Ieiunio requiratur.* 973

Simoniacus *& qui patrocinio Magistratuum Ecclesiam occupat, an ad cœnam admittendus?* 788

Solitudo *qualis in Ieiunio requiratur.* 973

Sponsio *fidelium an fundamentum pœdo baptismi?* 665

Spurii *quotuplices.* 650. *An baptizandi. Vide* Baptizandus.

Stationes *an, & quomodo distinguantur à Ieiuniis?* 994

Suffocatum, *quid censendum de abstinentiâ à suffocato.* Act. 15. 471. *quomodo & quamdiu observatum fuerit*

Digitized by Google

fuerit ab Eccleſiâ canon ille Apoſtolicus? 276
Suſceptores *quales. Vide Titulum* Paratii *&* Baptiſmi.
Sulpenſi. *Vide* Abſtenti.
Symbolum *quid denotet?* 452
Symbolizatio *quotupliciter fiat.* ibid.
Syncretiſmus *ſeu unitas Eccleſiarum quibuſdam aphoriſmis explicatur, ac oſtenditur.* 806. 807. *duæ quæſtiones hinc emergentes ventilantur.* 808
Synedrium, *an ſolum dicendum Eccleſia?* 28, *An ante conſtitutionem Eccleſiæ neceſſarium?* 44. *conſilium tali in caſu datum.* ibid. *An ad integritatem organicam ubique erigenda?* 102. *Ejus Poteſtas qualis.* 120. *An Seſſio Magiſtratus in iis?* 135. 199. *&* ſeq. *An poteſtas Eccl. directiva ita Synedrio ſit affixa, ut in caſu neceſſitatis non poſſit ab eo auferri?* 228. *& ſi auferri poſſit, quinam illi actus ſint, & exercitia poteſtatis Eccleſiaſticæ quaſi directivæ, quæ tum ipſa Eccl. vel ipſi vicina adminiſtrat.* 229. *An Synedrium aliquod habeat poteſtatem condendi canones, aut decreta, aut conſtitutiones, ſecundum quas omnes Miniſtri, Seniores illius particularis Eccl. aut omnes illius diſtrictus regere, & regi debeant?* 280. *Quomodo in Synedrio comparere poſſit Magiſtratus?* 208
Synodus, *an nulla confœderatio Eccleſiaſtica abſque Synodali poteſtate intercedente, ſit legitima?* 42. *An Magiſtratus faciat Synodum?* 184. *An Synodus abſque Magiſtratus conſenſu haberi queat.* ibid. *Eo deficiente quid feliciter tentatum?* ibid. *An ad eam deputandi poteſtas ſit pœnes Magiſtratum?* 187. *An illi Magiſtratus intereſſe debeat?* 188. *Quid in iis Magiſtratui competat?* 189. *Cui competat eius convocatio?* 190. *An in iis judicium deciſivum ſit penes Magiſtratu?* 191. *Si comparatio inſtituatur inter Eccleſias in Synodo collectim, & inter quaſlibet Eccleſias ſig[illegible]im conſideratas, ſit potior autoritas [illegible]rum, quam iſtarum?* 226. *An Synodicæ collectioni attribui poſſit qualibet poteſtatis Eccl. pars, etiam excommunicatio, in caſu malæ adminiſtrationis?* ibid. *Synodi Nationalis convocatio apud nos ſerè eſt inſtar Eliæ Judæorum, qui omnia dubia & perplexa diſſolvit?* 279. *Utriuſq; Hollandicæ ſynodi dictum pro poteſtate & regimine Eccleſiaſtico laudatur.* 159. *Præſentia Magiſtratus etiam nolentis, in Synodo Eccleſia aliquando utiliter requirere poteſt.* 188. *Nulla diſtinctio facienda inter præſentiam Magiſtratus fidelis & infidelis in Synodo quoad jus naturale.* ibid.

T.

TEmperantia *an ſit Jejunium?* 983
Templum, *an ſemper idem frequentandum?* 73. *Obiect. ſolvuntur?* 74
Teſtimonium Eccleſiaſticum *antequam detur quid agendum?* 19. *Migrare volenti ab Eccleſia ad Eccl. an & quando neceſſarium?* 67
Thalmud *ejus uſus parcè & prudenter adhibendus, & in quem finem.* 361. 362. *Quid de eo judicandum & quo-*

Digitized

quousque ejus auctoritas se extendit. ibid.
Tolerantia *dupliciter consideratur.* 775. *Ecclesia tolerat aut admittit multa, quæ non approbat, aut desiderat. Sic accipienda quæ de iure Patronatus, & correspondentia cum Magistratu in vocatione pastorum, a.* 1619. *de sessione in Synedriis* 1586. *&* 1572. 1578. 1581. *de dictorum Festorum observatione canonibus variis de causis adjecta sunt.* 271. *& hinc perperam saltem impropriè à nonnullis asseritur, Synodos nostras talia per se & ex se voluisse & approbasse.* ibid.
Trapezitæ *notantur.* 944. *Vide* Fœnerator.
Tyrannis *duplex.* 899. *An præsens aliquod regimen à Ministris in, & sub formâ decisionis casus consc. tyrannidis arguitur, & autoritas ejus apud populum in contemptum adducitur.* 898.899. *Vide* Casus consc.

V.

Via Jacobea Ultrajectina *qualis.* 752.753
Vigiliæ *quales in Jejunio requirantur.* 973
Vinum *quid sit.* 737. *quale in Cœnâ. Vide* Cœnam.
Visitationes, *quæ instituuntur ante cœnam, quæ.* 793
Usurarii, *Vide* Fœneratores.
Utensilia *cœnæ. Vide* Cœnam.

W.

Wtenbogardus *dictus Aulicus Eusebius.* 126. *ejus sententia de potestate Magistratus circa sacra ex professo refutatur.* 155. & seq. 192. & seq.

Z.

Zachatias Boyd, *ejus acute dictum laudatur.* 279
Zanchius *quomodo quibusdam articulis subscripserit?* 282

FINIS.

Digitized by Google

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ,
Qui vel explicantur, vel vindicantur ab Adverſariis.

Cap.	verſ.	fol.
	Geneſis.	
2	25	686
4	21	554.545
17	12.13	659
18	19	846
35	2	682
	Exodus	
4	25	633
25	20	584
19	10	681.682
22	26.27	785
	Leviticus.	
12	8	943
13	3	768.769
14	21.22	943
	30	768.769
16	29	997
	Numeri.	
6	2.3,&c.	978
11	29	841.852
	Deuteronomium.	
23	18	937
	Joſua.	
2	8	881
	1 *Samuel.*	
2	11	714
7	6	980
31	13	982
	1 *Regum.*	
21	19	894
	2 *Chronic.*	
15	3	894
19	12	894
25	16	ibid.
26	18	777
28	15	688
	Ezra.	
8	3.4	603
	Nehemia.	
5	13	479
	Eſther.	
4	16	982
	Job.	
2	13	982
30	31	561
	Pſalm.	
2	11	987
69	31.32	568
72	16	827
110	3	924
127	3.4	657
133	2	475
150	2.3.4.5	544.545 582.563
	Proverbia.	
30	8	942.943
	Cantica.	
2	2	467
	3	475
	Jeremia.	
52	15	943
	Daniel.	
3	5.7.10	544
	Hoſea.	
2	1	897
	Zacharia.	
7	5	982
	Malachia.	
2	7	907
	Matthæus.	
1	21	714
3	5.6	662
	6.11.16	671.685
		686
6	7	511
	16.17	983
9	14	991
10	14	472
17	21	982
18	6	477
	13	797
	17	28
	20	759.760
21	26.27	888
22	17	904
25	36	688.940
26	20	819
	26	746
	26.27	804.810
	30	361
	52	896
	63	903
27	4	ibid. 28

Digitized by Google

Cap.	verſ.	fol.
28	19	645.677
	19.20	671
	Marcus.	
1	4	671
6	11	476
14	51	688
16	17	882
	Lucas.	
1	31	714
2	1	366
	18	737
	21	714.715
	24	943
8	3	ibid.
9	5	476
10	11	ibid.
11	2	489
16	9	938
22	17	750
	Johannes.	
1	33	671
3	5	633
	14	642
6	35	731
	53	757
21	7	688
	Acta Apoſt.	
2	37	662
	39	658
4	34.35	933
6	2	748.931
		933.953
	4	482.603
7	51	896
8	27	77
	36	671
	37	699
10	48	746
13	51	476
14	16.17	740
15	20	471
18	6	476
	25	856
19	16	688
20	20	840
25	10	212
27	9	989
	ad *Romanos.*	
10	14.17	697
11	16	658
12	1	570.572
	7	873.882
	18	921
16	5	78
	16	466.467
	1. ad *Corinthios.*	
2	2	849
	4	619
3	2	848
7	14	658
10	31	571.741
11	1	826
	4.5	475.882
12	11	931
14	7	544
	17	ibid.
	20.32	874
	26	527
	3.29.30	873.883.
		885
	32	845.907
	34.35	882.885
15	29	646
16	20	466.467
	2. ad *Corinthios.*	
6	10	987
11	27	688
13	12	466.467
	ad *Galatas.*	
2	10	942
	11	896
3	28	859
	ad *Epheſios.*	
5	29	570
6	4	846.955
	ad *Philippenſes.*	
4	4	987
	ad *Coloſſenſes.*	
3	15.16.17	570.885
	1. ad *Theſſalonicenſes.*	
5	26	466.467
	1. ad *Timotheum.*	
3	7.10	845
4	4.5	741
	14	461
5	1.2	929
	22	461
	ad *Hebræos.*	
5	4	746
	13.14	848.849.853
6	4	725
13	17	846
	Jacobus.	
2	15	688
5	19	797
	1. *Petri Epiſtola.*	
2	21	826
3	3.21	699
5	14	466.467
	1. *Johannis Epiſt.*	
3	16	828
	Apocalypſis.	
5	8	569
14	2	569

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
Authorum Citatorum.

A.

ABbas Cellenſis.
Abdias Babylonius.
Aben Ezra.
Abotus.
Abr. Rogerius.
Abulenſis.
Acontius.
Acronius.
Acta Colonienſis Pacificationis.
Admonitio Neoſtadiana.
Adrianus Jungius.
Ægidius Hunnius.
Ælianus.
Æmilius Portus.
Agellius.
Agrippa.
Aimoinus.
Ainſworth.
Alagona.
Alanus.
Albaſpinus Epiſc. Aurelianenſis.
Albericus de Roſato.
Gentilis.
Albertus { Lemnius. Molnar. Magnus. Pius.
Albinus Flaccus.
Alciatus.
Alcoranus.
Alcuinus.
Flaccus.
Alegambe.
Alexander VI.
Alexander Aleſius.
ab Alexandro.
Anglus ſeu Hales.
de Rhodes.
Sardus.
Alexandrinus Clemens.
Alexius Auſtenus.
Allatius.
Alphonſus Mendoſa.
a Caſtro.
Altare Damaſcenum.
Althuſius.
Altingius.
Alſtedius.
Amalarius.
Ambroſiaſter.
Ambroſius.
Vice Comes.
Ameſius.
Amos Commenius.
Ammianus Marcellinus.
Ammonius.
Andreas Craſtovius.
Turnebo.
Johannes.
Spethe.
Angelus de monte Bello.
Rocca.
de Clavaſio.
Anſegiſmus Abbas.
Anſelmus.
Lucenſis.
Antonius de Dominis, vide Marcus.
Hulſius.
de Huybert.
Matthæus.
Monachorum Patriarcha.
Sadeel.
Antiquitatum liturgicarum Arcana.
Apologia Remonſtrantium.
Apollinaris Sidonius.
Apollonius.
Arator.
Arcudius.
Aretius.
Ariaga.
Arias Montanus.
Ariſtoteles.
Ariſtoxenus.
Arminius.
Arnaudus.
Arnobius.
Arn. Cornelius.
Oort-Campius.
Arumeus.
Athanaſius.
Kircherus.
Athenagoras.
Athenæus.

Digitized by Googl

INDEX AUTHORUM.

Atteius Capito.
Aventinus.
Aubertus Miræus.
Aubertinus.
Auguſtinus.
Antonius.
Patricius.
Valerius.
Wichmans.
Author Quæſtionum.
Juſtinus.
Azorius.

B.

BAilius.
Baines.
Balduinus.
Franciſcus.
Balæus.
Balleſter.
Balſamon.
Bannes.
Baptiſta.
Mantuanus.
Porta.
de Rubeis.
Barbianus.
Barboſæ Collectanea.
Bariolus.
Barlæus.
Baillius Anglus.
Baronius.
Bartholdus Neuhuſius.
Bartholomæus Anglicus.
de Piſis.
Caranza.
Baſilius.
Baſſeus.
Baſtingius.
Battus Carolus.
Baudartius.
Bayllius Jeſuita.
Beatus Rhenanus.
Becanus.
Beda.
Beia.
Beka.
Belethus.
Bellarminus.
Benedictus Levita.
Bentivoglius.

B.

Berengarius.
Bernardus.
Gomeſius.
Berſmannus.
Bernon. Angienſis.
Bertramus Cornelius.
Beſoldus.
Beſſeus.
Beza.
Bibliotheca Patrum.
Biel Gabriel.
Billius abbas Pruneus.
Binius.
Blaſtaris (Math.)
Blaurerus.
Blondellus.
Bochellus.
Bochius.
Bodinus.
Boënartius.
Boëmus Aubanus.
Boëtius.
Bogermannus.
Bolducus.
Boyd Zacharias.
Bonacina.
Bonartius.
Bonaventura.
Bonefidis.
Bongus.
Bonifacius (Joh.)
Boquinus.
Bor Petrus.
Borgia.
Borrel Camillus.
Boſius.
Botereus.
Bracharenſis Martinus.
Bramble.
Brantius.
Bredenbacchius.
Brentius.
Brerewodus.
Breſſerus.
Breviarium Romanum.
Brevis reſponſio ad ſolutiones datas.
Briſtonius.
Brochmannus.
Brounringh.
Bruëlius.
Brunus (Conradus.)
Bucanus.
Bucerus Gerſon.
Buchananus.
Buchellus Robertus.
Budeus.
Bugenhagius.
Bulengerius.
Bulla Pii V.
Bullarium Pontificum.
Bullingerus.
Burchardus.
Burgenſis.
Burges.
Burgo Johannes.

Bu,

Digitized by Google

Buſæus.
Buxdorfius.

C.

CAbaſilas.
Cabeliavius.
Cajetanus.
Callimachus.
Calvinus.
Camerarius.
Caniſius (Henricus.)
Canne (Joh.)
Canones Eccl. Africanæ.
Anglicanæ.
Univerſæ.
Canonhierus.
Canus Melchior.
Capellus Jacobus.
Ludovicus.
Capitolinus.
Capitula Caroli Magni.
Caroli Calvi.
Ludovici.
Capito Atteius.
Caranza.
Cardanus.
Cardinalis Perron.
D'. Oſſat.
Carletonus.
Carolus Calvus.
Guillard.
de Maets.
Magnus.
Regius Theol. Jeſuitic.
I. Rex Angliæ.
Carpzovius.
Carthuſianus.
Cartwrichtus.
Caſa Joh.
Caſaubonus.
Caſpar.
Laurentius.
Zanchez.
Caſſander.
Caſſiodorus.
Caſtaldus.
Caſtanæus (Henr. Lud.)
Caſtiglion.
Catalogus teſtium.
Catharus.
Cato.
Ceremoniæ Eccleſiæ Scoticæ obtruſæ.
Ceremoniale.
Clericorum S. Pauli reg.
Chamierus.
Chapeavilla (Joh.)
Chaſſaneus.
Chemnitius.
Cherubinus (Flavius.)
Chlichtoveus.
Choppinus (Renatus.)
Choquier (Johannes.)
Chriſtianus vander Heul.
Chriſtophorus.
a Capite Fontium.
Angelus Græcus.
Chryſologus.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Clapmarius.
Clarius.
Claudius de Xanctes.
Clemens Alexandrinus.
Marotus.
V. Papa.
Cocus.
Codinus.
Colonius.
Conradus Diëtericus.
Vorſtius.
Conſtantinus Copron.
Harmenopulus.
Coolhaas.
Coornhert.
Coppenius.
Coppenſteinius.
Coraſius.
Corderius.
Coriolanus (Franciſcus.)
Cornelius Adrianus Monorita.
Epiſcopus Romanus.
a Lapide.
Corpus Juris civilis & Canonici.
Corſtens.
Canonum ant.
Corvinus.
Cottonus.
Coverruvias.
Crabbe.
Cracanthorp.
Crammerus.
Creſpetius.
Chriſtophorus Marcellus
Criſconius.
Crocius (Joh.)
Cruſius.
Cteſebius.
Cujacius.
Cunæus.
Curtius.
Cyprianus.
Cyrillus } Alexandrinus. Hieroſolymit. Lycarus.
Cythræus (David.)
Dailleus.

Digitized by Google

D.

DAlleus.
Dalecampius.
Danæus (Lambertus.)
Danhauwerus.
Daniel Featly.
Dathenus.
Davenantius.
David Blondellus.
Cohen de Lara.
Kimchi.
Deciſiones S. congr. Cardin.
Decretales.
Declaratio Miniſtrorum Lincolnenſium.
Dedekenus.
Delrio.
Demochares.
Demſterus.
Deodatus.
Diaz (Bernhardus.)
Didacus Stella.
Dieſtius.
Diez.
Didoclavius alias David Calderwood.
Didymus.
Dio.
Dionyſius Areopagita.
Alexandrinus.
Carthuſianus.
Halicarnaſſeus.
Donatus.
Dorpuam.
Drexelius.
Druſius.
Duacenus.
Dudithius.
Duarenus.
Dunt.
Durandus.
Durantes.
Duretus.
Duræus.

E.

EBerus.
Eckhardus.
Elanus.
Elmenhorſtius.
Elias Cretenſis.
in Thiſbi.
Eligius Baſſeus.
Elmacinus.
l'Empereur (Conſtant.)
Epiphanius.
Epiſagma Innocentii 2.
Epiſcopius.
Epo (Boëthius.)
Eraſmus.
Eraſtus.
Erpenius.
Eſpencæus.
Eſſenius.
Eſychius.
Euchologium ſeu rituale Græcorum.
Eimericus.
Eunapius.
Euſebius.
Pagit.
Euſtachius.
Eutychius.
Euthymius Zigabenus.
Exiguus (Dionyſius.)

F.

FAber Nicolaus.
Fabritius.
Felinus.
Fennerus (Dudleius.)
Fernelius.
Ferrus (Michael.)
Ferus.
Fevardentius.
Feſtus Hommius.
Ferrandus (Fulgentius.)
Filejucius.
Fileſacus (Johannes.)
Finckius.
Fitz { Henricus. Simon.
Flaccus Illyricus.
Flaminius.
Flander Minorita.
Flavius Joſephus.
Forbeſius.
Foreſtus.
Forſterus (Valentinus Gul.)
Fortunius Lycetus.
Fracaſtorius.
Franciſcus Aſſiſius.
à S. Clara.
Coſterus.
Fluſtas Candalla.
Junius.
Longus à Cariolano.
Francolinus.
Frantzius.
Freculphus.
Fumus.

G.

GAbriel.
Biel.
de Hęnao.
Metropolita.
Putherbeius.

Digitized by Google

Gaffarellus.
Gagnæius.
Galatinus.
Gemara Thalmudica.
Gardinerus.
Gariſſolius.
Garronus.
Gavantus.
Gaudimellus.
Gebhardus.
Gelenius.
Gellius.
Genebrardus.
Gennadius.
Gentiletus.
Georgius.
Abbotus.
Lætus.
Venetus.
Gerardus Joh. Voſſius.
Gerſon.
Gieſſeni Profeſſores.
Gilda Sapiens.
Gilleſpicus.
Gloſſa.
Goar.
Godefridus à Mierle.
Udemans.
Godignus Jeſuita.
Goldaſtus.
Gomarus.
Gomeſius.
Goulartius.
Graffiis.
Grallator Furens.
Gratianus.
Stephanus.
Gravamina contra Concilium Tridentinum.
Gregorius Magnus.
Nazianzenus.
Nyſſenus.
de Valentia.
Groisbeeck M. S. indictio.
Grotius.
Gretſerus.
Gryneus.
Gualterus.
de Bruyn.
Guazzus.
Guiccardinus.
Guido de monte Roch.
Gulielmus Ebrudunenſ.
Gratarolus.
Pariſienſis.
Prynne J.C. Anglus.
Guliermus.
Guthenus.
Gutherius.
Guymier (Coſmas.)
H.
Habertus.
Hacket.
Haimo Epiſcopus.
Haiwartus.
Hallerus.
Haloander.
Hannibal Roſſelius.
Harmenopulus.
Harmonia Confeſſion.
Hartus.
Havermannus.
Heda.
Heerbrandus.
Heidanus (Abrahamus.)
Heidelbergenſes Theol.
Helladius Diſantinus.
Helmichius.
Hemmingius.
Henricus Salcobrigienſ.
Stephanus.
Heraldus.
Hereſbachius.
Hermannus Herberts.
Ravenſpergerus.
Herodotus.
Heſychius.
Hieronymus.
Hilarius.
Hilderſham.
Hildebertus Cenoman.
Hillenius.
Himmelius.
Hiſtoria Jeſuitarum.
Hiſtoria rerum in Scotia geſtarum.
Hittorpius.
Hobbes.
Hotmeiſterus.
Hoijus.
Homerus.
Honorius Auguſtodun.
Hoornbeeck.
Hopkins.
Hortenſius.
Hortulus animæ.
Hoſpinianus.
Hotmannus Antonius.
Franciſcus.
Hottingerus.
Hugo Catalaunenſis.
Hunnius (Elfricus.)
Hurtadus.
Hutterus.
Hyperius.

Digitized by Google

INDEX AUTHORUM.

I.

IAcobus Andræas.
du Port.
Laurentius.
R. Levita.
Rex Angliæ.
Schopperus.
Jamblichus.
Janſenius Cornelius.
Jaſon.
Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus.
Ignatius.
Illyricus.
Immanuel Sa.
Immola (Joh. Andr.)
Index librorum prohibitorum.
Innocentius III.
Johannes XXII.
Baptiſta.
Benedictus.
Blaſſius.
Boëmus.
de Bruyne.
Bruyerinus Campeg.
à Choquier.
Clayus.
Crucius.
Daille.
David.
Ferberus.
Gerardi.
Gerobulus.
Gloceſtrienſis.
de Gouda Jeſuita.
Gropperus.
Herold.
Heſſels à Lovanio.
Hooper Epiſc.
Jacobs à Jeſu.
Langus.
à Lapide.
à Laſco.
Leryus.
Lightfootus.
Maccovius.
Moſchus.
Mylius.
Paulus Felwinger.
Paulus Perrinus.
Poictevin.
Prideaux.
Rainoldus.
Sarisberienſis.
Scholaſticus.
Spangebergius.
Spiljardus.
Stephanus Durandthus.
Taffinus.
Teutonicus.
Valentinus Andreæ.
Valeſius.
Vice-comes.
Wttenhove.
Joſephus Stephanus.
Vice-Comes.
Iſaac Tirna.
Iſidorus.
Clarius.
Hiſpalenſis.
Mercator.
Peluſiota.
Ivo carnutenſis.
Juellus.
Julianus.
Julius Cæſar.
Cæſar Bulengerius.
Cæſar Capitolinus.
Conradus Otto.
Junius (Franciſcus.)
Joh. Caſimirus.
Juretus.
Jurgevicius.
Jus Canonicum Orientale Græcorum.
Juſtellus.
Juſtinianus Imperatorum.
Juſtinus.
Martyr.
Juſtus Jonas.
Juvenalis.
Juvencus.

K.

KEckermannus.
Keſſler. (Andreas.)
Kingus.
Kircherus.
Kirſtenius.
Königh.
Koningh.
Kuchlinus.

L.

L'Abata.
LLabbeus.
Lactantius.
Lœlius Zecchus.
Lœtus (Johannes.)
Laërtius Cherubinus.
& Flavius.
Ladenſium
Laingæus.
Lambertinus.
Lancelotus Andrews.
Langecrucius.

Digitized by Google

...is.
Larenus (Jodocus.)
Lasicius.
Lavaterus.
Laud Wilhelmus.
Layman.
Lechasserius.
Ledesma.
Le Jeune Claudius.
Lemnius.
L'Empereur.
Leo X.
  Imperator.
  Tuscus.
Leonardus Ryssen.
Lessius.
Leunclavius.
Liber Concordiæ.
Liebenthalius.
Linconienses Ministri.
Lindanus.
Lipsius.
Liturgia Eccl. Anglican.
Livius.
Lobkowits Carumuel.
Lobwasserus.
Loiserius.
Lombardus.
Lopez de Salzedo.
Lorinus.
Lubbertus (Sibrandus.)
Lucas Lossius.
Lucianus.
Lucius Horatius.
Ludovicus Jacobi.
  à S. Carolo.
  de la Cerda.
  Miranda.
  Pius Imperator.
Vives.
Lutherus.
Lyra, seu Lyranus.
Lyserus.

M.

Macrobius.
Magallianus.
Magdeburgenses Centur.
Magister.
Maillardus.
Maimonides.
le Maistre (Nicolaus.)
Malderus.
Maldonatus.
Maranta.
Marca (Petrus.)
Marcellus (Christoph.)
Marchantius.
Margarinus la Bigne.
Mariana.
Marianus Scotus.
Marloratus.
Marnixius.
Marotus.
Marquardus Susannis.
Marsilius { Menandrinus, seu Patavinus.
Martialis.
Martianus Capella.
Martinus { Jesuita. Matth. Micron.
Martyr (Petrus.)
Martyrologium Gallic.
Masius.
Maslowius.
Massurius Scabinus.
Matheneslus.
Mathæus Petrus.
Matthias { Blastaris. Dresserus. Martinius. Stephani.
Maximilianus Sandeus.
Maximus { Margynius. Martyr.
Maxwellus.
Meestertius.
Mejerus.
Meilerius.
Meisnerus.
Melanthon.
Melchior (Adamus.)
Menhius (Elhardus.)
Menasse ben Israel.
Menochius.
Menotus.
Mentzerus.
Mercerus.
Merius.
Metaphrastes.
Meursius.
Michael Neander.
Micrœlius.
Micrologus.
Micron.
Minervalis.
Minutius Fœlix.
Miranda.
Miræus (Aubertus.
Mischna Talmudica.
Missale Parisiense.
  Romanum.
Molanus.
Molinæus (Carolus.)
  Ludovicus.
  Petrus. Mol-

Digitized by Google

Mollerus.
Monachus Egoliſmenſis.
Monhemius.
Montanus. Bened. Arias.
Morelles.
Mortonus.
Munſterus.
Muſculus Wolfgangus.
Mylius.
Myſteria Patrum Jeſuitarum.

N.

NAhumus.
Natalis Comes.
Navarrus.
Naziazenus.
Nebriſſenſis.
Neratius.
Nethenus.
Neuſerus.
Nicætas Choniata.
Nicephorus Calliſtus.
Nicholinus.
Nicolaus Arnoldus.
Nicolai.
Plove.
Nierenbergius Jeſuita.
Nilus.
Nonius Feſtus.
Novellæ.
Nowellus.
Nullitates Synodi Dordr.
Nyſſenus.

O.

ODo Cameracenſis.
Oecolampadius.
Omius.
Olearius.
Olevianus.
Onuphrius.
Optatus Millevitanus.
Origines.
Oroſius.
Orpheus.
Oſiander Andreas.
Lucas.
Oſvaldus Crollius.

P.

PAganus (Antonius.)
Pagetus.
Pagninus.
Palea.
Palæotus.
Palladius.
Paludanus.
Pamelius.
Pancirollus.
Panormitanus.
Pantenus.
Panuinus.
Papinianus.
Papirius Maſſonus.
Paræus.
Pariſienſis Guil.
Parkerus.
Parſonius.
Paſchaſius.
Paſtorale Reformatum.
Romanum.
Paulinus.
Paulus { Diaconus. / Palanterius.
Paulanias.
Pegma.
Pelagius Alvarus.
Pelargus.
Pelvartus Themiſvar.
Peraldus.
Peresius de Valdivia.
Perkinſus.
Perrinus.
Perſius.
Petavius.
Petitio mille Miniſtrorum in Angliâ.
Petrus de Abano.
de Ferraria.
Ledeſma.
Morellus.
à Navarra.
Pariſius.
de Soto.
de Audomaro.
Stevartius.
de Witte.
Pezelius.
Philaſtrius.
Philippus Haenen.
Marnix.
Philo Judæus.
Philoſtratus.
Photius.
Pinſecius.
Pighius.
Pindarus.
Pineda.
Piſcator.
Pithæus.
Platina.
Plato.
Plinius.
Secundus.
Plutarchus.
Pocockus.
Polanus.
Pollucis Onomaſticum.
Polyander.

Digitized by Google

Polydorus Virgilius.
Pomeranus.
Pontanus.
Pontificale Romanum.
Porta.
Porphyrius.
Poſſevinus.
Pricæus.
Primum ſeculum Jeſuit.
Proba Falconia.
Proclus.
Proſper.
Stellartius.
Prucknerus.
Prudentius.
Prynne.
Pſeudo Areopagita.
Clemens.
Ptolomæus.
Puteanus.

Q.

QUaranta.

R.

RAbanus Maurus.
Rainoldus.
Ramus.
Ranchicourt.
Raphael la Torre.
Ravenſchroft Thomas.
Raymundus.
Rabellis Nicolaus.
Rebuffus.
R. Rebham.
Reginaldus.
Reinerus Backhoſius.
Remenſes.
Reuchlinus.
Reuſnerus.
Revius.
Rhada Epiſc. Pactenſis.
Rhenanus.
Rhetorſortis.
Richardſonus.
Richelieu Cardin.
Rigaltius.
Rittershuſius.
Rituale Romanum.
Rivetus Andreas.
Roas Joh.
Robertus Licienſis.
Sanderſon.
Scheringamius.
Robinſonus.
Robortellus.
Rodericus.
Rodinginus.
Rodulphus de Rivo.
Roeſtius.
Rogers Nehem.
Rollocus.
Roſcellus.
Roſinus.
Roſſæus.
Rotarius.
Rubrica Miſſalis.
Ruffinus.
Rufus Renatus.
Rupertus Tuitenſis.

S.

SA.
Saba.
Sabinus Heracleæ.
Sadoletus.
Saincteſius.
Salmaſius.
Salmeron.
Salmurienſes Theologi.
Salmuthus.
Salvianus.
Salluſtius.
Samuel Cudſemius.
Sanctius.
Sandæus.
Sanderus.
Sandius.
Sandoval.
Sarrius.
Scaliger Joſeph.
Schardus.
Scharpius.
Scindlerus.
Scioppius.
Schluſſelburgius.
Schonbornerus.
Scotus.
Scriptor paſſionis Andr.
Sculteti.
Schultingius.
Schultingerius.
Schwebelius.
Scynius.
Sedulius.
Seldenus Johannes.
Selonus.
R. Sel. Jarchi.
Selneccerus.
Seneca.
Serrarius.
Servinus.
Severus Alexander.
Gabriel.
Sichardus.
Sidonius.
Sigebertus.
Signius Joh. Bapt.

Sigo-

Digitized by Google

Sigonius Carolus.
Simeon Metaphraſtes.
Sirmondus.
Sixtus Senenſis.
Sleidanus.
Smalcius.
Socrates.
Soeſius Nicolaus.
Sohnius.
Solerius.
Solinus.
Solocovius.
Sopingius.
Soteallus.
Sotus.
Sozomenus.
Spanhemius.
Specham Everhardus.
Speratus.
Splindlerus.
Spinula.
Sprengerus per anagrammatiſmum dictus Petrus Syringus Hildeſh.
Sprint Johannes.
Staniſlaus Hoſius.
Socolovius.
Stapletonus.
Statuta & privilegia Eccl. Ultrajectenſis M.S.
Stephanus Archiepiſc.
Sternhold.
Steuchus Eugubinus.
Strabo Walafridus.
Strigelius.
Strombergius Andreas.
Stuckius.
Swarez.
Suavis Polanus Petrus.
Suëtonius.
Surius.
Sutlivius.
de Suſannis.
Swickius.
Sylvius.
Sylveſter Prieras.
Syrus Metalmad.

T.

TAmburinus.
Tannerus.
Tapperus.
Taurinus.
Tawuſius.
Tephilla Webarechet.
Tertullianus.
Textor Bernhardus.
Thalmud.
Thaumaturgus Gregor.
Themeſvar.
Theodoretus.
Theod. Philippi.
Thummius.
Strackius.
Theodoſius.
Theodulphus.
Theologi Anhaltini.
Genevenſes.
Tubingenſes.
Wittenbergenſes.
Theophanes Hieromon.
Theophilus de Pega.
Theophylactus.
Tholoſanus.
Thomas Aquinas.
Hobbes.
à Jeſu.
Becket.
Tillanus.
Zanchez.
Thuanus.
Thyræus.
Thyſius.
Tilenus.
Tilius.
Tilletus.
Toletus.
Toſſanus.
Trebatius.
Trelcatius.
Tremellius.
Tribeſius.
Triglandius.
Trithemius.
Turnebus.
Turrianus.
Tuſcus Cardinalis.

V.

VAlentinianus.
Valentia.
Valeſius Franciſcus.
Valla.
Vallenſis Andreas.
Valtelina Antonius.
Varinus.
Varro.
Valquez.
Vatablus.
Vedelius.
Venantius Fortunatus.
Venator Adolphus.
Vergerius.
Ugonius.
Vicecomes.
Victor.
Victorellus.
Victoria.

Victo-

Digitized by Google

Victorinus.
Vigelius.
Vignerus.
Viguerius.
Vincentius.
Viretus.
Virgilius.
Vitruvius.
Vivaldus.
Vivianus.
Voetius Paulus.
Volateranus.
Voſſius Ger. Joh.
Tungrenſis præpoſitus.
Urbanus VIII.
Urſinus.
Uſſherus.
Uſuardus.

W.

WAddingus.
Walafridus Strabo.
Walæus.
Waldenſis.
Wardus.
Weberus.
Weckerus.
Weihe Eberhardus.
Wendelinus.
Wendelſtinus.
Wernerus Helmichius.
Whitakerus.
Wiclefus.
Wigandus.
Wilhelmus Dijck Teelingh.
Willetus.
Withgiftus.
Wolfius.
Wollebius.
Wren Matth.
Wtenbogaard.
Wtenhovius.

X.

XAintes Claudius.
Xenophon.
Ximenes Didacus.

Z.

ZAbarella.
Zadeel.
Zangerus.
Zanchius.
Zannaſarius.
Zaſius.
Zegedinus.
Zeno Veronenſis.
Zephyrinus.
Zepperus.
Zerola.
Zimara Johannes.
Zouchæus Richardus.
Zuingerus.
Zwarez.
Zwinglius.
Zypæus.

FINIS.

Index Conciliorum, Synodorum, Claſſium, aliorumque Conventuum Eccleſiaſticorum.

Concilium.
AFricanum.
Agathenſe.
Altiſidiorenſe. a. 614.
Ancyranum.
Antiochenum.
Aquilienſe.
Aquiſgranenſe a. 1585.
Arauſicanum 1. a. 444.
Aurelianenſe.
Baſilienſe.
Bituricenſe.
Braccarenſe.
Burdigalenſe.
Carthaginenſe 3. 4, item a. 419. habitum.
Chalcedonenſe.
Conſtantienſe.
Conſtantinopolitanum.
Eliberinum.
Epheſinum.
Florentinum.
Gangrenſe.
Ilerdenſe.

La-

Digitized by Google

*Laodicenum a.*364.
Lateranense.
Matiſconense.
Milevitanum.
*Neo-Cæſarienſe a.*314.
Nicenum 1um 2um.
Ravennate.
*Rhotomagenſe a.*1055.
Sardicenſe.
Senonenſe.
Tarraconenſe.
Tiburtienſe.
Toletanum.
Tridentinum.
Warmatienſe.

Synodus.

*Arnhemenſis provincialis Gelr. a.*1624.
Bolſwerdiana Frisica anno 1588. 1636.
Brielana Suyd-Holl. 1623.
Campenſis Trans-Iſalanica anno 1628. 1636. 1644. 1652. 1656.
Daventrienſis Trans-Iſal. 1639. 1643.
Delphenſis Suyd-H. 1618.
Doctumana Friſica 1646
Dordracena Prov. Holl. 1574. *Nationalis* 1578. 1581. 1587. 1618. 1627.
Embdana 1571.
Enchuſana Holl. Bor. 1624
Franequerana Friſica 1630. 1637.
*Gallicana a.*444.
Gorichemenſis Suyd-Holl. 1622.
Goudana 1620.
Hagienſis 1586. 1624. 1634.
Harlingenſis Friſica 1631.
Iſelſtadiana 1626.
Leerdamenſis 1638.
Leidenſis 1629. 1639.
Leovard. Fr. 1629.
Londinenſis 1603.
Mediobirgenſis 1578. 1581.
Perthana Scotica 1618.
Roterodamenſis 1621. 1641.
Sciedamenſis 1588.
Sneeckana Fr. 1642.
Steenwicenſis Trans-Iſal. 1654.
Ultrajectina 1620. 1621. 1622. 1625. 1628.
Veſalienſis 1568.
Woerdana 1625. 1645.
Zwollana 1629. 1630. 1637. 1645.

Colloquium.

Marpurgenſe.
Mompelgardenſe.
Oxonienſe.

Confeſſiones & Catecheſes.

Anabaptiſtarum.
Altera eorundem Nic. Nicolai.
Anglica.
Argentoratenſis.
Auguſtana.
Belgica.
Bohemica.
Cyrilli Patriarcha Conſtantinopolitani.
Helvetica.
Saxonica.
Wirtebergenſis.
Catechiſmus Bellarmini.
Bipontinus.
Bullingeri.
Caniſii.
Concilii Tridentini.
Corn. Poudroyen.
Coſteri.
Embdanus.
Fr. Sonnii.
Gallo Belgicus.
Genevenſis.
Heidelbergenſis.
Joſephi Malevolette.
Ledeſma.
Lutheri.
Martini Duncani.
Mechlinienſis.
Petri de Witte.
Racoviana.
Reineri Weibrants.
Remonſtrantium.
Wittenbergenſ. Theolog. Litur-

Digitized by Google

INDEX CONCILIORUM.

Liturgiæ.

ANglica.
Basilii.
Belgica.
Bohemica.
Chrysostomi.
Davica.
Dionysii Areopagitæ.
Gallica.
Germanica Lutheri.
Jacobi.
Interemistica.
Londino-Belgica.
Marci.
Matthei.
Palatino-Germanica.
Pomeranica.
Scotica.
Tigurina.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 149. & 197. Ineptissimè adversarii allegant Pauli provocationem ad Cæsarem Actor. 25. v. 11. Textus modo inspectus ostendit, *provocationem ad summum tribunal* factam, *cum apud inferius nihil juris esset; non ut Euangelii sed ut causæ civilis, quæ in eum agebatur, fieret cognitio.* Sunt verba Parei, (quem alias pro se cupidè advocant) Lib. 2. Exercit. 41. p. 240. Addo ex notis Grotii, qui „ ipsis instar oraculi, ad loc. cit., id est, si me vis synedrio judi„ candum tradere (id enim videbatur agere Festus) ad Cæsarem „ Neronem appello. Licebat hoc Romanis legibus in tali casu. „ Nam ante sententiam appellari potest; si quæstionem in civili „ negotio habendam judex interlocutus sit, vel in criminali con„ tra leges hoc faciat L. Ante D. de appellationibus recipiendis. „ Erat autem contra leges Romanas civem Romanum, provin„ cialibus hominibus judicandum tradere, & id nolentem. Pli„ nius in Epistolâ de Christianis: *Fuerunt alii similis amentiæ, quos, „ quia cives Romana erant, annotavi in urbem remittendos.*

Pag. 174. Inter Germanos Heidelberg. Theologos Altingius, qui idem multis annis in Belgio claruit, in problematicâ novâ loc. 15. pr. 9. vocat *adulatores, tam ecclesiasticos quam politicos illos; qui Magistratui in ecclesiâ & politiâ par jus & æqualem potestatem tribuunt. Nominibus*, inquit, *consulto abstineo. Etsi inter eos novatores* (Remonstrantes) *quidam non postremum locum obtineant.* Ibidem negat Magistratum posse novam ecclesiasticæ gubernationis formam

Digitized by Google

nam introducere aut obtrudere: verbum prædicare, aut ſacramenta adminiſtrare: diſciplinam exercere clavium eccleſiaſticarum, claudendo aut aperiendo regnum cœlorum: nec denique controverſias religionis ad ſuum ſolius judicium revocare, & de iis pro autoritate ſtatuere.

Ibidem p. 692. rejectâ calumniâ novatorum de collateralitate poteſtatis eccleſiaſticæ & politicæ, quaſi à noſtris introductâ; politicæ poteſtati ſuperioritatem, eccleſiaſticæ *ſubjectionem* adſcribit, *non abſolutam, ſed limitatam &c. nec limitatam aut conditionatam ſolum, ſed etiam ἀντιστροφον & reciprocam; quâ ita ſubeſt eccleſiaſtica politicæ, ut viciſſim politica ſubſit eccleſiaſticæ, quoad fidem, mores, diſciplinam.* Conſer ejuſdem elenchticam novam p. 841. 855. &c.

Pag. 168. Johannes Epiſcopus Roſſenſis in erudito & ſpiſſo volumine contra Bellarminum pro Barclayo, de cordinatione & ſubordinatione duarum poteſtatum cap. 14. negat poteſtati eccleſiaſticæ politicam quà talem, & vice verſa, ſubjectam eſſe, & pag. 458. ſic loquitur: „ Poſſunt duæ iſtæ poteſtates, tanquam duo „ corpora ſub duobus capitibus, in unam ſocietatem convenire, „ aut ſine ullâ ſubordinatione, ut dûæ civitates confœderatæ; „ aut potius cum ſubjectione & ſubordinatione mutuâ, ut ſcil. „ poteſtas ſpiritualis in temporalibus ſubordinetur temporali; poteſtas vero temporalis in ſpiritualibus ſubordinetur poteſtati „ ſpirituali; ſicut ſupra ex Hugone, Waldenſi & Joh. Pariſienſi „ teſtibus Bellarminianis docuimus.

Pag. 281. Non eſſe canones eccleſiaſticos à Magiſtratu condendos; ſed poteſtatem διάγνωσιν eſſe penes eccleſiam, aſſerunt confeſſiones Belgica artic. 32. Anglica art. 34. Scotica artic. 20. Gallica, ſcripta a. 1562. quę exſtat in opuſculis Calvini: Auguſtana ſect. de poteſt. eccleſ. Danæus lib. 6. politicæ Chriſtianæ cap. 3. Quin ipſe Arminius in diſp. 29 Julii a. 1606. in Acad. Leidenſi propoſitâ Reſp. Bernhero Vezekio Daventrienſi: ubi & præſcripto titulo, & theſi 1. triplex eccleſiæ poteſtas tribuitur *in fidei & morum dogmatibus, in legiſlatione, in juriſdictione.* Theſi 8. *dubium non eſt; quin ipſi eccleſiæ, aliqua ſit conceſſa poteſtas in ferendis*

novis ad ista legibus, &c. Confer supra p. 265. Cum hac Arminii doctrina minime conveniunt molitiones sectatorum ipsius, qui per violentas Magistratuum obtrusiones & intrusiones novum regimen in electione & vocatione ministrorum ab ecclesiis nec conditum, nec ordinatum, nec probatum, novumque ordinem & modum in tradendâ omnimodæ gratiæ doctrinâ per receptionem & subscriptionem Decreti Ordinum Hollandiæ (sic dictum) pro pace ecclesiarum introductum ibant: Similes ejusdem factionis, aliarumque cum eâ conspirantium molitiones, antiquum aut deterius quoddam chaos nunc temporis parturire videntur Clementissimus Deus eos convertat, aut confundat!

Pag. 272. Perquam hyperbolicè & atheologicè Imperator Novell. 131. canones 4. conciliorum, *ut sacras scripturas susciperet*, se dicit.

Pag. 338. Adde de usu juris canonici, sed non sine magnis cautelis & limitationibus, differentem Mathiam Stephani lib. 3. de Jurisdictione in præfat. p. 10. Et Bruiningium de universitatum speciebus pag. 534.

Pag. 341. Idem Zoucheus in tract. de Jure & judicio feciali lib. 2. sect. 2. qu. 5. ait illud in Angliâ approbari quatenus prerogativæ regiæ & statutis & consuetudinibus regni non repugnat. Johannes Donne decanus Londinensis, in tract. Anglico pro juramento fidelitatis tit. *Pseudomartyr* a. 1610. cap. 10. vocat corpus canonicum *satyram & misturam diversorum & male digestorum ingredientium*. Idque probat à pag. 267-283.

Pag. 916. Idem reponsum theologor. Leidensium defendit Rivetus in Apologet. pro verâ pace ecclesiar. c. Grotium num. 66.

Pag. 924. In synodo Zuyd-Hollandicâ a. 1642. art. 71. decretum, ut per omnes ecclesias è cathedrâ promulgaretur, censuras esse stringendas in eos qui choreis, &c. indulgent.

FINIS.

EMEN-

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. 1. lin. 22. lege 1 *Reg.* 3. 11. 12. p. 7. l. 24. dele *in.* p. 8. l. 32. dele *Quæſt.* p. 9. l. 8. *poſt inter*, adde *quos.* p. 25. l. 4. dele *par.* p. 29. l. 31. lege *aliqua.* p. 34. l. 14. lege *tingere.* p. 39. l. 20. lege *reſpueret.* p. 62. l. 7. poſt *Epiſcopus*, adde *Theſſaloniſſi.* p. 126. l. 29. *poſt Magiſtratus*, adde *vide Reſponſa Gradus non permittebat*, aut: *ibid.* dele *aut permittebat.* p. 127. l. 12. dele *Speculum Chriſti ultimum.* p. 130. l. 2. *poſt præeminentia*, adde, *ſed de conſcientiâ.* l. 7. lege *indiviſibili* p. 132. l. 28. lege *imponendum.* p. 135. l. 14. lege *aſſumenta* p. 136. l. 1. lege *diſtinctim.* p. 138. l. 8. lege *commentum.* p. 139. l. 23. lege *profeſſionum.* lin. 30. lege *ſubalterna.* p. 143. l. 24. lege 3 *Joh.* 9. lin. 26. lege *inſipi.* lin. 32. lege *miniſtro.* p. 146. l. 17. lege *aliam.* p. 147. l. 1. lege *Synodalem.* lin. 22. lege *duplex.* p. 148. l. 2. lege *Theologorum.* lin. 3. lege *mollcatd.* lin. 31. lege *Triglaſidim.* p. 152. l. 22. lege *competat.* p. 156. l. 1. lege *Fadiſa.* lin. 4. lege *Apoſtolo.* p. 161. l. 9. lege *aliquod.* p. 165. l. 34. *poſt Spalatenſis*, *pone Comma.* p. 170. l. 13. lege *Anonymus.* lin. 25. lege *unitarum.* lin. 36. lege *ſæderati.* p. 171. l. 17. lege *punctum.* lin. 23. lege *facta.* p. 172. l. 20. dele *ſemel.* Non. lin. 36. lege *τῶν.* p. 174. l. 7. lege 118. lin. 32. *poſt infra*, adde *pag.* 210. p. 175. l. 34. dele *nomine.* p. 178. l. 29. *poſt Eccleſiaſtico*, adde, *hæc.* p. 179. l. 8. lege *Amos.* 181. l. 24. lege *Num.* 12. 10. p. 185. l. 1. lege *quin.* p. 191. l. 30. lege *Sarpi.* p. 198. l. 7. lege 1 *Cor* 2. 15. p. 202. l. 19. lege *Judæum.* p. 203. l. 24. poſt *Clandeſtinis* adde, *hoc eſt, publicè non ritu noſtro.* p. 206. l. 30. lege *agitia.* p. 212. l. 13. dele *ſemel illa &* lege *in.* *ibid.* l. 28. lege *comprobat.* p. 213. l. 17. poſt *ſæcularibus* dele *comma.* p. 214. l. 31. lege *dicuntur.* p. 219. l. 1. lege *illis tribuenda.* ibid. lin. 2. *antea* adde *ſi.* ibid. l. 14. dele *adeo.* l. 26. *pro ſorti* lege *forte.* p. 216. l. 21. *pro puta* lege *forte.* p. 223. l. 38. *pro ad* lege *ac.* p. 224. l. 1. *pro &* lege *cum.* ibid. l. 31. lege *diſtincto.* p. 226. l. 4. lege 2 *Cor.* 1. 24. p. 227. l. 1. dele *hæc verba, competere Synodo, Eccleſiæ autem ipſam ejus communicationem.* ibid. l. 16. lege *excommunicationis.* ibid. l. 25. lege *quomodocunque.* p. 233. l. 20. lege *adiaphororum.* p. 240. l. 15. lege *inanimatur.* p. 245. l. 4. lege 1 *Tim.* 3. 15. p. 246. l. 13. lege *approbationem.* p. 247. l. 3. lege *obſervande.* p. 256. l. 3. dele *peculiari diſſ.* & lege *infra cap.* 13. & 14. p. 261. l. 37. lege *principiorum.* p. 263. l. 1. lege *dirigant.* ibid. l. 22. lege *particularis.* p. 266. l. 10. lege *accurate* p. 267. l. 5. lege *conſcientiâ.* p. 272. l. 10. lege *agnis.* p. 276. l. 19. lege *erumpit.* ibid. l. 35. lege *vulnere.* p. 279. l. 26. *poſt Canone*, adde *futura.* ibid. l. 36. *pro hiſtoriæ*, lege *acta.* p. 281. l. 26. *pro famulas*, lege *formulas.* p. 290. l. 14. lege *noſcomiis.* p. 300. l. 21. lege *alia.* ibid. l. 24. lege *temperabuntur.* p. 301. l. 20. lege *Africani.* ibid. l. 38. lege *adjectivo.* p. 309. l. 19. lege *inſtituto.* p. 314. l. 20. *pro Theologiam*, lege *Theologiæ.* p. 322. l. 4. lege *aſſertor.* p. 325. l. 22. lege *affixit.* p. 326. l. 13. *pro quodcunque leges*, lege *quæcunque.* p. 338. l. 11. lege *vexillum.* p. 340. l. 32. lege *Geſſenſis.* p. 344. l. 13. lege *Actor.* 15. 2. p. 354. l. 33. *pro quare*, lege *que.* p. 355. l. 11. lege *antiquarum & hodiernarum.* p. 369. l. 20. *poſt quoquam* adde *domeſticarum.* ibid. l. 30. lege *Northamptoniſſi.* p. 391. l. 35. lege *nemini.* p. 396. l. 23. lege *Rerum.* p. 402. l. 21. lege *ſuam.* p. 404. l. 3. lege 3 *Part.* p. 415. l. 4. lege *offerret.* p. 416. l. 10. lege *paſſim.* p. 424. l. 35. lege *circumciſio.* p. 430. l. 20. lege *alius.* p. 435. l. 29. lege *faſtidioſas.* p. 438. l. 7. lege *civile.* p. 429. l. 22. lege *Antagenſis.* p. 440. l. 28. lege *perpetuam.* p. 441. l. 2. lege *Magiſtratuum.* p. 442. l. 21. lege *approbatio.* p. 444. l. 1. *pro* 2 *Reg.* lege 2 *Sam.* ibid. l. 21. lege *appoſito.* p. 445. l. 4. *pro verſu* 2. lege 4. ibid. l. 16. *pro verſu* 3. lege 8. ibid. l. 24. *pro indicibus*, lege *indicatis.* p. 455. l. 32. lege *Auguſtan.* p. 456. l. 10. lege 2 *Reg.* 18. ibid. l. 15. lege *quidquam.* p. 471. l. 21. lege *Lorinus, Riveius.* p. 478. l. 31. *pro nullis* lege *nonnullis.* p. 479. l. 9. lege *Poſſin.* p. 492. l. 34. lege *Math.* 5. p. 506. l. 20. dele *armis aliquot, & pœnitentiam aliquot poſt.* p. 508. l. 1. lege *Act.* 4. p. 516. l. 21. *pro verſu* 16. lege 3. p. 517. l. 23. lege 2 *Tim.* 2. 8, 9. 518. l. 2. lege *hæreticorum.* ibid. l. 37. lege 2 *Cor.* 13. 13. p. 519. l. 3. lege *ſalutationem.* p. 520. l. 5. lege *quo.* p. 521. l. 29. lege *vexabat.* p. 524. l. 52. l. *Alſtedium.* p. 525. l. 19. lege *mutato.* p. 526. l. 7. *pro* 53. lege 13. p. 534. l. 13. lege *affirmat.* p. 538. l. 9. lege *aliquo.* p. 544. 583. l. 22. 29. lege *Ex.* p. 546. l. 14. lege *deliberat.* l. 18. lege *Cantuar.* p. 550. l. 1. lege *inde.* p. 553. l. 27. lege *fiſtula.* ibid. lege *addatur.* p. 557. l. 14. lege *ſollen.* p. 559. l. 39. lege

Eccleſiaſt. p. 564. l. 12. *Pſ.* 37. legé 33. l. 22. lege *inchoatam.* p. 563. l. 37. legé *Doxologia.* p. 566. l. 1. lege *aliter.* p. 570. l. 30. lege *commendans.* p. 571. l. 21. lege *Ducantur.* l. 38. 1 *Cor.* 15 lege 14. p. 572. l. 31. lege *à Lapide.* p. 573. l. 1. lege *fabulis.* l. 14. lege *Excitandes.* l. 31. lege *riſum.* p. 574. l. 11. lege *probatam.* l. 17. lege *rerum.* p. 580. l. 31. lege *præſumta.* p. 582. l. 31. lege *tacitè.* p. 584. l. 5. *quarum non,* lege *quarumvis.* p. 591. l. 23. lege *conniventia.* p. 593. l. 29. 1 *Cor.* 14. 48. lege 26. p. 594. l. 18. *ad Eccl.* dele *ad.* p. 595. l. 7. lege *introducendam,* p. 596. l. 33. lege *decantant.* p. 598. l. 1. *Nam indicatur,* lege *Non judicatur.* p. 603. l. 38. dele *poſt.* p. 606. l. 9. lege *Borgia.* p. 607. l. 24. lege *obſervatum.* p. 609. l. 18 lege *reſtare.* p. 614. l. 8. lege *applicatione.* p. 615. l. 24. lege *evidente.* p. 616. l. 20. lege *propoſui.* p. 620. l. 25. lege *traditionum.* p. 622. l. 16. lege *Chriſtus.* p. 625. l. 7. lege *Diſceptationibus.* p. 628. l. 36. lege *abrupta.* p. 629. l. 30. lege *Principum.* p. 632. l. 4. lege *paſſu.* p. 633. l. 15. *Exodus* 3. lege 4. p. 639. l. 37. lege *fiant.* p. 640. l. 5. lege *faſtidium.* p. 642. l. 34. lege *proferat.* p. 644. l. 6. lege *noſtra.* p. 645. l. 15. lege *reſipiſcentiam.* l. 22. lege *fuiſſe.* p. 646. l. 23. lege *collateralibus.* p. 647. l. 7. lege *Porro.* l. 11. lege *tutum.* l. 19. lege *Nos Cæſarienſes.* p. 650. l. 32. lege *ἐκπάλαι.* p. 653. l. 6. lege *reformati.* p. 657. l. 10 *ad,* lege *ab.* l. 13. lege *Poſſeſſio.* p. 660. l. 1. lege *quadam.* p. 662. l. 23. lege *Externa* l. 25. lege *adfert.* p. 664. l. 10. lege *poſſet.* p. 667. l. 26. lege *ipſos.* p. 669. l. 9. lege *communis* p. 670. l. 16. lege *dogmatibus.* p. 673. l. 17 lege *ſordes.* p. 678. l. 31. lege *Statuunt* p. 682. l. 23. lege *lationem.* p. 684. l. 31 lege *flagitii* p. 687. l. 25. lege *ſemoralibus* p. 690. l. 28. lege *Canonis* p. 691. l. 3 lege *infantum.* p. 692. l. 32. lege *modum.* p. 697. l. 39 leg. *requiri.* p. 700. l. 27. *vigilat in,* dele *in* p. 705. l. 1. leg. *offerre.* p. 708. l. 20. leg. *Paſtori* p. 709. l. 5. lege *Minoranns* l. 19. lege *adductas.* p. 712. l. 34 lege *Sorboniſta.* p. 715. l. 23. lege *numerat.* p. 718. l. 8. *falſo à aut,* lege *à falſo aut.* p. 719. l. 21. lege *qua* l. 34. lege *impoſitionis.* p. 721. l. 5 lege *literatus.* p. 722. l. 13. lege *more.* p. 725. l. 1 lege *quâque* p. 727. l. 31 lege *proteſtationis* p. 738. l. 18 lege *ſecundam* p. 734. l. 32 lege *antepoſita* p. 735. l. 24. lege *ſcandala.* p. 735. l. 28 lege *aliquantulo.* p. 744. l. 33. leg. *Zwareſium* p. 747. l. 10. adde *à Miniſtro.* p. 749. l. 11. leg. *à* l. 12. lege *præſtitis,* p. 752. l. 13. lege *petitur.* l. 14. lege *recipebat.* 756. l. 9. lege *ætatis.* l. 30. lege *ſaltuatim.* lb. *præpoſitus.* p. 759. l. 18. *Matt.* 15. lege 18. p. 760. l. 18. lege *eccleſiaſticæ* l. 33. lege *ſcripturæ.* p. 762. l. 31. lege *veriſſimo.* p. 765. l. 15. lege *famâ.* p. 767. l. 1. lege *offendentibus.* l. 11. lege *abiret.* l. 38. lege *ecta.* p. 768. l. 8. lege *ſunt.* p. 771. l. 10. lege *febris.* l. 21 lege *Theologicum.* l. 12. lege *fatentur.* p. 773. l. 22 lege *χάος.* p. 774. l. 1 lege *interpretentur.* l. 3. lege *eleganter.* p. 776. l. 18 leg. *negotio.* 777. l. 9. leg *perfectè.* l. 31. lege *mala* l. 38. lege *aruris.* l. 39 lege *accedere,* p. 778. l. 14. *lege ſuppliceadeaſſunt.* p. 779. l. 2 lege *perfectè* p. 780. l. 5 lege *exſolvatur* p. 781. l. 39. lege *Woerdum.* p. 783. l. 33 lege *lucrifactorum* p. 784. l. 2 *ante bonis,* adde *qui.* l. 20. lege *minus* l. 23. lege *exſolvendum.* l. 34. lege *lucrandi.* l. 35 lege *ſibi.* p. 785. l. 25 *illas à,* lege *illasâ* p. 788. l. 5. lege *Funambulis* p. 790. l. 34 lege *Spiritu.* p. 792. l. 4 lege *formes.* l. 34. lege *utenſilia.* p. 804. l. 34 *Matt.* 19. lege 26. p. 808. l. 20 lege *orali* p. 811. l. 35 lege *manibus.* p. [illegible]. l. 2. adde *Anteſignatus à* l. 36. lege *monumentum.* p. 814. l. 37 lege *retinendus* p. 815. l. 18 lege *Oxonienſis* p. 816. l. 14. lege *hæc.* p. 828. l. 1. lege *genuinum.* l. 14 lege *probari* p. 834. l. 17 lege *Catechiſibus.* p. 834. l. 16. lege *juniorum.* l. 28. lege *parentum* p. 847. l. 12 *hoc idonei,* dele *hoc,* l. 35. *à ab* dele *à.* p. 849. l. 23 lege *id* l. 32. 1 *Cor* 1. lege 1 *Cor* 2. p. 851. l. 1. lege *differant.* p. 853. l. 8. lege *diviſam.* l. 13. lege *obnoxii.* p. 855. l. 21. leg. *&.* p. 859. l. 15. lege *temeri.* p. 868. l. 15. leg. *vices.* p. 871. l. 20 lege *ſcriptura.* p. 872. l. 3 lege *ibi.* l. 15. lege *benevolis.* p. 876. l. 39. lege *controverſum.* p. 880. l. 18. lege *præterid.* p. 884. l. 16. lege *trivialis.* p. 886. l. 30. lege *diſtinguimus.* p. 904. l. 26. leg. *Rem.* p. 908. l. 22. lege *quem,* lege *agendo.* p. 911. l. 11. lege *contrarii.* p. 912. l. 16. lege *licitum.* p. 918. l. 33. lege *poſtulârent.* p. 919. l. 14. lege *ſepultum.* 921. l. 18. lege *infecta.* p. 925. l. 36. lege *profanari.* p. 926. l. 19 leg. *quamvis* p. 955. l. 6. lege *profeſſi.* p. 957. l. 20. lege *docuerunt.* p. 961. l. 22. lege *attendendum.* p. 963. l. 22. lege *domeſtici.* l. 36. lege *nocturnam.* p. 984 l. 17. lege *guſtando,* 1000. l. 28 lege *ceſam.*

In INDICE. Litera M. lege Politicæ. Litera N. pag. ult. lege Magiſtratui reſiſtere.

ANT L 316.558

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. Ω. 36.

Digitized by Google